
Fernelij




1656









CORN: HENR: A ROY. MEDICINÆ DOCTOR.





Iohannis Fernelij, Ambiani,

UNIVERSA MEDICINA,

Cum notis, observationibus, et remedijs secretis
Iohannis et Othonis HeurnI Ultraject:
Aliorumq; præstantissimorum Medicorum.
Cum Indice locupletissimo.



J. van Ulft pinxit — Th: Matham sculpsit

TRAJECTI AD RHENUM,
Typis Gisberti à Zyll et Theod: ab Ackersdijck. *A°. 1656.*

IOANN. FERNELII
AMBIANI,
UNIVERSA MEDICINA
Primùm quidem ſtudio & diligentia
GUILJELMI PLANTII, Cennomanni
elimata,
Nunc autem notis, obſervationibus, & remediis ſecretis
IOANN. & OTHONIS HEURNI, Ultraject.
et
Aliorum Præſtantiſſimorum Medicorum ſcholiis illuſtrata.
CVI ACCEDVNT
Caſus & obſervationes rariores,
Quas Cl. D.D. OTHO HEURNIUS
In Academia Leydenſi Primarius Medicinæ practicæ, Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor, in diario practico annotavit.
Quantum præterea huic Editioni acceſſerit, Typographorum epiſtola ad Lectorem fuſius docebit.
Adjectus eſt Index Locupletiſſimus.



TRAIECTI ad RHENVM,
Typis *Giſberti à Zijll*, & *Theodori ab Ackerſdijck*,
ANNO clɔ Iɔ c LVI.

TYPOGRAPHI
LECTORI
S. D.



LLUD nostrum institutum est, non nisi probatos auctores edere, & eos quantum in nobis est nitidiores, correctiores, accuratiores, auctioresque in publicum dare. Quod certe si in ullo auctore, jam id in edendo FERNELIO præstitimus; nam præter chartæ typique elegantiam, quam adhibuimus, laboravimus insuper ut summa diligentia corrigeretur: Nacti enim sumus è Bibliotheca Cl. Præstantiss. Doctissimique Viri D. JOH. HEURNII Curiæ Provincial. Ultrajectinæ Senatoris dignissimi OTT. F. Exemplar ab Avo JOH. HEURNIO (medicorum sui Temporis facile principe) emendatum, interpolatum varie, magnaque accessione locupletatum. Hoc autem exemplari effecimus ut cum antea FERNELIUS obscurus involutusque haberetur nunc plenior sit & omnibus expositus. Quæ quondam cujusque tractatus, capitisque latebant partes eæ & paragraphis, & diversitate charecteris distinctæ, omniumque oculis propositæ; quæ vero intricata involutaque habebantur, ea continua summariorum appositione in margine explicata sunt. Ad artis complementum quod faceret, id ubivis supplevimus, ejusdem exemplaris ductum secuti, quod annotata habebat in margine auctorum loca unde ea suppleri instaurarique possent Ea autem FERNELIANIS adjunximus ne studiosi in posterum ad ineptos scriptores deflecterent. Neque est quod quisquam ægre ferat alie-

aliena quædam FERNELIO addita, ob quorum defectum à non paucis præteriri ſolet, ea ex præſtantiſſ. Medicis JOH. & OTHONE HEURNIO, Sylvio, Sennerto, Platero, Hildano &c. ſuppleta eſſe, præſertim cum ea apte ſeparata alioque characteris genere impreſſa ſint, ita ut FERNELII Textus integer continua ſerie conſervetur Cauſam autem retulimus cur horum medicorum loca potius quam aliorum ſelecta ſint, quod JOH. HEURNIUS multa compendio non ſine judicio pertractaverit. Cum eodem exemplari à prædicto Senatore nacti ſumus Remedia quædam ſecreta & ſelecta, magnoque tempore & uſu comprobata, quæ Præſt. Doctiſ. Medici JOHAN. & OTHO HEURNII non niſi filiis Medicis communicare decreverant, quæ ſingula ſuis locis diverſo charactere huic editioni inſeruimus, uti & Aphoriſmos Hippocratis, quos in gratiam Tironum prætere noluimus, ut ita hæc medicorum Principis oracula ſuis ſingula locis invenire, & tandem ad praxin dirigere aſſueſcant. in fine Conſiliorum adjecimus obſervationes & Caſus quædam rariores collectæ ex praxi & Diario Cl. Doct. D. D. OTHONIS HEURNII Medicinæ, dum viveret, in Academia Lugduno-Batava Profeſſoris primarii. His accedit Index rerum & verborum locupletiſſimus. Hęc ſunt, Benigne Lector quæ te ſcire voluimus; & ſimul etiam hac occaſione monere, nos ſub prelo habere Catullum, Tibullum, Propertium & Gallum cum ſelectiſſ. variorum notis è Bibliotheca S. A. Gabbema. His igitur fruere & noſtro labori conatibuſque noſtris, pro animi tui candore fave, ut ad majora poſthac audenda atque ſuſcipienda hujus noſtræ erga te voluntatis comprobatione incitemur. VALE.

CAR-

CARMEN GRATULATORIUM
IN NOVAM
JOANNIS FERNELII
EDITIONEM,
CUM NOVIS
JOAN. ET OTH. HEURNII
NOTIS & OBSERVATIONIBUS PRACTICIS
Nunquam antea editis, procurante,
JOANNE HEURNIO OTH. Fil.
Curiæ Provincialis Trajectinæ Senatore.

DUM sua diffusis scribit medicamina morbis,
Et varias lethi pellit ubique faces,
Dum regi præscripta dedit, dum præbuit orbi
Fernelius *sanos dexteritate modos,*
Profuit, & pleno laudatur ab omnibus ore,
Et tamen obscurè plurima scripta vides;
Quæ nondum patuisse datum est; jam tanta resolvit
Heurnius, *& tanto clarius exstat opus.*
Et sua dat Batavus Gallo *monumenta laboris:*
Sic patriæ doctus fulget uterque suæ;
Nec satis hoc: sed tanta sui vestigia patris
Dum sequitur, similes tradidit Otho *notas;*
Et varios miscet consueto more lepores,
Sic patris & nati splenduit author ope:
Quos dudum obscurâ presserunt fata sub umbrâ
Et timuit mortis dextera docta manus;
Nec patri nec avo licuit vulgasse labores,
Sed tamen hos sequitur, qui dedit illa nepos.
Scribitur hic patriæ totique hic scribitur orbi,
Et Natis etiam scribitur usque suis.

ADRIANUS HEURNIUS J.C.

IN ABSOLUTISSIMAM

OPERUM

JOHANNIS FERNELII

GALLI EDITIONEM,

RARIS HISTORIIS

ET

OBSERVATIONIBUS

A

JOHANNE ET OT. HEURNIIS

Auctam.

HUC ades, eximias qui discis Apollinis Artes,
Ut medica infirmus restituatur ope;
Fernelium, in Diâs, quem, Gallia protulit auras,
Perlege, & invenies, quicquid in Arte latet.
Quicquid Hebræus, Arabs, Græcus dedit atque Latinus
Scriptis, hoc Docta præbuit ille manu.
Sed mage, quod deerat, Batavorum, *Ianus* & *Otto*,
Heurnius, id raris addidit historiis.

G. C. M: D.

JOAN-

JOANNIS STRICKII

Præludum in Clariß.

JOAN. ET OTHONIS HEURNI,

Aliorumque Præstantissimorum Medicorum,

OBSERVATIONES

Practicas.

OMnia fatali circum volvuntur abortu,
Spectat & instabiles orbis in orbe vices:
Formidant elementa suas, agitabilis aër,
Flamma levis, tellus pensilis, unda fluens.
Morbida vis, faciles hominum populata medullas,
Intentat properam (viribus aucta) necem:
Et, licet attritis succos Epidaurius herbis
Misceat, immitis permeat ossa lues.
Cum Natura negat, mentitur gaudia vultus,
Inclusus dolor & viscera sæpè vorat,
Fessa labat cervix, tussis quatit aspera pectus,
Crura tremunt, cæcum lumina vulnus alunt.
Tum mala constanti librentur pondere, ne fors
Artificum possint fallere signa manus:
Ne spe decepti, mortem sub pectore condant,
Peccant qui nimiâ credulitate nocent.
Nomen Apollineum vano proscinditur ausu,
Quanta sub hoc sacro nomine monstra latent!
Sic ergò tumulata ævi pars optima nostri

Clauditur, extremam flebilis ante diem.
Quod Nulli ingenio licuit sperare, nec ausu,
Ferneli *hæc solâ dexteritate patent.*
Ille decus generis, populi spes, gloria Phœbi,
Et veræ specimen nobilitatis erat:
Noverat instanti sese objectare periclo,
Et Patriæ certam ferre salutis opem,
Militet imperii Dominus, regumque Monarcha,
Promptus ei comes est, consilioque favet:
Mentis & edit, opes, jaciens primordia rerum,
Quo sparsit toto nomen in orbe suum.
At, Medicos inter veteres nostrosque supremum,
Obtinuit (nullo non tribuente) locum
Heurnius, *Ausonio spirans spectandus in ostro,*
Leyda ubi se Batavis explicat alma suis,
Hunc Medicina suis nascentem sustulit ulnis,
Utque suum coluit numen Apollo jubar:
Inque hunc proclives oculos flexère Camœnæ,
Antè alios illis jam quasi Rector erat.
Occurrunt Iuvenes tenui quos Pallas in arte
Educat, & primum flectere verba docet:
Indè quibus latices aperit, sylvasque comantes,
Per juga, Castalias depopulatus opes.
Hos vehit, ut spectent nullo quæ pervia sensu,
Abdita sideriis delituere globis.
Ereptum Græcis, Romanâ voce Batavis

Ex-

Excultum nitidè reddidit Hippocratem:
Adde quod undosum (Cœlo mediante) per æquor
Fernêli *excellens nobilitavit opus,*
Quem si conspicias, forsan mutata pavescas
Ora, nec aspectum, qui fuit ante, legas.
Quando expurgantur spinosis sentibus horti,
Gaudent purpureæ luxuriare rosæ,
In tam magnanimo studio, in conatibus istis,
Non illi Gnatus destituendus erat:
Assumens tantos Ottho *genitoris honores,*
Gaudebat fasces conciliare sibi.
Illius in ludunt generosæ præmia frontis
Temporibus, tali digna trophæa viro.
Discipulos cultu magis asperiore Lycæi
Efformat, trahit & per loca senta rubis:
Suppetias ægris, cum tempus ferre moneret,
Non potuit faciles arripuisse moras.
Cum fortuna locus, cum res tempusque favebunt
Invigila, hoc ipso tempore tempus erit:
Non potis est cavisse satis, lethalis arundo
Semper in humano pectore fixa sedet.
Consiliis cautis pravæ deliria mentis
Subruere, & molli calliditate, decet:
Sunt succidendi per lenta remedia morbi,
Sunt præbenda meris pocula mixta favis.
Observasse modum, & tempus sapientia prima,

 Vana

Vana est combustâ cura laborque domo:
Cuncta hæc Heurniadum *dabit experientia longa,*
Quæ nunc conspicuum tollit in astra caput:
Cum dias dignus mittit, Successor in auras,
Pro meritis renovans nomina tanta Virum.
Quæ latuere prius nostros convertit in usus,
Et sibi quam sit mens æqua, benigna, probat:
Cæca aperit Nestor, scrutatur & alta Forestus,
Ut Patrum in nati fronte legatur honos.
Sic Trajectinæ per tot congesta Minervæ,
Cum Patriâ, in tuto nostra locata Salus.

Ejusdem Octostichon
In Malevolos.

NUnc odii accendat pronas injuria flammas,
Vindictæque sibi præmia digna ferat:
Non calamus calamos Opus hoc quibus evolet, alas
Astra quibus tangat, nec mea fama gerit.
Sunt hæc ingenii monumenta perennia, quæ nunc
Insigni splendens arte dat iste liber.
Ipsa vel improbitas hæc tam bene cœpta probabit,
Utcunque improbitas improbet esse probos.

JOAN.

JOAN. FERNELII
VITA.

Scriptore G. PLANTIO *Cenomano D. Medico.*

Locus natalis. Natus fuit Ann. Chr. 1485.



OANNES FERNELIUS A CLAROMONTIO oppidulo (quod viginti duntaxat milliaribus à Lutetia distat) natus atque ingenue educatus, Ambianum in operibus idcirco se prædicat, quod patrem inde oriundum habuerit.

Studium Eloquentiæ & Philosophiæ.

Hic natu jam grandis quum sub triviali magistro Grammaticam didicisset, etiamsi mater rebus eum curisque domesticis potius, quam litteris tam sero destinandum contenderet, maximo litterarum amore incensus à patre cœpit postulare, ut Eloquentiæ ac Philosophiæ operam daturus Lutetiam commmigraret, acti temporis jacturam ac detrimentum incredibili studio summoque se sarciturum pollicens. B Quod non ægrè impetravit. Noverat enim multarum rerum usu peritus senex, *ut in segetibus fertilitas ac graviditas futuræ frugis ubertatem significant, sic litterarum studia tantopere expetita, & divini ingenii seminaria jam ab adolescentia, totius vitæ ac senectutis in viru ornamenta præsagire.* Erant tunc temporis Lutetiæ in gymnasio Barbarano, præter artium liberalium doctores, innumeri etiam juvenes non mediocriter (ut temporibus illis) eruditi, quorum diligentia, & doctrina, veluti calcaribus, ad artes, quæ tum erant in pretio, alacrius amplectendas incitatus, tantos in arte disserendi biennio progressus fecit, C ut quam de se concitaverat expectationem, longe lateque superarit.

In quo animadvertens se aberrasse,

Magisterii laurea publico eruditionis testimonio haud multo post donatus, à gymnasiarchis certatim ad professionem Dialectices splendidis muneribus invitatus est, quibus non ante parere voluit, quam privatis lectionibus & studiis se in Ciceronis, Aristotelis, & Platonis doctrina diligentius exercuisset. Quod cum esset aggressus, quantum olim in constituendis suis studiis aberrasset, primum animadvertit. Nihil enim ante preter ineptas quæstiones è barbaris præceptoribus hauserat: sed illud eo æquiore animo tulit, quod sibi cum pluribus commune esse, nec ullo suo, sed ætatis vitio imputandum intellexerat. Quippe tunc temporis artium omnium barbaries Academiam Parisiensem, scholarum omnium, quas ab orbe condito floruisse legimus, præstantissimam, ita etiamnum obsidebat; ut Grammatici & Rhetores nihil nisi barbaros Alexandros, Theopagitas, Græcismos, Theodoletos, atque ejusdem farinæ reliquos authores in manibus haberent: Dialectici vero non nisi Clichtovæi terminos, Petri Hispani summulas, Bricotii Logica, aliaque id genus opera interpretarentur.

Novo studio id reparavit.

Quum igitur in ipso vestibulo adituque impegisset, judicavit, temporis jacturam assiduo labore diligenter compensandam. Itaque ludos, jocos, compotationes, & comessationes, sermones etiam omnium pene condiscipulorum, ac familiarium, fugere statuit, non cibi, non somni, non corporis, non valetudinis, non rei familiaris rationem habere, omnia perpeti, dum liberalium artium cognitionem assequeretur: omne in eis studium, diligentiam, curam, industriam adhibere, nullam præterquam ex discendo voluptatem capere: arbitratus, omnem horam perire, quæ in bonorum authorum lectione & studiis non collocaretur: tanta in illius animo insita erat discendi cupiditas, tantus cognitionis amor, & scientiæ.

In Eloquentia.

Hanc porro habuit instituti rationem, ut primo quoque tempore barbariem, quam ætatis vitio, sub indoctis præceptoribus hauserat, Latinorum authorum, maximeque Ciceronis lectione repurgaret: ejus Academicas, ceterasque potissimum de Philosophia disputationes, & de natura Deorum, ac de Officiis in id selegit, in quarum lectione aliquot menses ad dicendi facul-

cultatem collocavit. Celsum quoque cum ob orationis puritatem, tum ob sententiarum pondus habuit quam charissimum: atque etiam Platonem, cujus opera M. Ficinus Latine reddiderat.

In Philosophia. Sed cum Mathematices indoctus, in exemplis, quæ ab authoribus sæpe proponuntur, titubaret, inhonestum esse duxit ea parte sapientiæ vacare, quæ certior quum sit, plus admirationis habet. Itaque distinctis & divisis studiorum temporibus, cœpit ita suum ingenium excolere, ut mane Arithmeticis, & Mathematicis disciplinis, à prandio vero ei Philosophiæ parti quæ in natura versatur operam daret; à cœna Latinos authores, Latinique sermonis observationes diligenter excuteret.

In hęc litterarum studia dum insatiabili, & indefesso labore incumbit, febre quartana tandem corripitur, qua crudeliter ac diu conflictatus, cœptum studiorum cursum interrumpere, utque salubriore aëre frueretur, solum vertere cogitur.

Tandem animum ad Medicinam adjecit. Profligata tandem quartana, recreatisque ruri viribus, Lutetiam redire cogitat, de deligendo vitæ genere cum amicis deliberaturus. Horum alii Theologiam, alii Mathematicas disciplinas, alii aliam artem proponebant, in quam reliquum vitæ suæ cursum conferret. Iurisprudentiam plures contendebant & ad opes maximas, & ad summos honores, dignitatisque gradus, cæteris præstare: in qua etiam facile esse dicebant eum excellere, qui singularem artium liberalium cognitionem sibi comparasset. At vero ille, non minus prudenter quam acute officiorum omnium momentum ad naturam suam revocari accommodarique debere, nihilque temere, nec invita, quod ajunt, Minerva, sibi aggrediendum esse, contendebat. Quum igitur solitarium se, ac taciturnum, neque ad dicendum satis expeditum agnosceret, facile judicavit, neque clamoribus forensibus, neque sacris concionibus satis se idoneum fore: idcirco Medicinam præ cæteris artibus ac disciplinis elegit, vel hoc nomine, quod non ita pridem in febre quartana ejus opem sensisset.

Sed remora illi à parente injecta. Sed ecce dum hæc cogitat, à parte litteras accipit, quibus graviter conquerebatur, in unius filii studia nimium multa jam esse impensa, alios sibi superesse quos æqua cura fovere debeat. Itaque aut domum se recipiat, aut quæ ad honeste & liberaliter vivendum necessaria sunt, aliunde petat. Quibus minime exterritus, retinuit etiam pristini consilii institutum, vel quod sibi nihil posse deesse speraret, vel quod obsequio parentem tandem flecti posse persuasum haberet.

Philosophiam professus. Primum igitur, quoniam nulla re æque ut exercitatione ingenium acuitur, confirmaturque memoria, Philosophiam non intra privatos parietes, sed in gymnasio Barbarano publice profiteri decrevit, & Philosophicum curriculum emetiri, quod rudi adhuc sæculo summa cum laude, omniumque applausu, absolvit. Interim vero Mathematicis studiis plurimum capiebatur. in quibus quantum jam profecisset, ostendunt ipsius de iisdem disciplinis scripta olim emissa, in quibus si minus tersus, aut politus, quam in Medicis operibus, sermo videatur, tempora accusanda. Tum quippe, ut supra commonefeci, personabant adhuc scholæ omnes vocibus imperitorum hominum, & Barbarorum, nec dum politioris doctrinæ splendor Gallis Philosophis illuxerat.

Inde Medicinæ cursum absolvit. Quum satis superque in hisce artibus, quæ ad Medicinam viam sternunt, operæ laborisque posuisset, omnes meditationes suas, omnesque ingenii nervos integrum quadriennium ad ipsam intendit, ita proficiens, ut illius sacris initiatus, non disputationibus solum, sed etiam publicis prælectionibus, egregium suæ eruditionis specimen ediderit. Exantlatis per biennium primis illis scholarum laboribus, quum permulti primas doctoratus sedes certatim ambirent, totus celebrium hujus Academiæ Medicorum cœtus, secundas illi ultro detulit, primas profecto daturus, si quantas ad disputandum, tantas ad insumendum facultates habuisset.

Ac sedem Lutetiæ delegit. Doctor jam factus, Lutetiam sedem sibi delegit, propter eximiam hominum, quibus familiariter utebatur, eruditionem, & urbis frequentiam, quorum & scientia augeri, & exemplis infinitis illustrari poterat.

Vbi. Neque enim, quod plerique fere omnes facimus, postquam Laurea medica decoratus est, vana & inani eruditionis persuasione

sione ac opinione insolescens, otiandum jam & à seriis studiis feriandum sibi putavit, sed magis ac magis evolvendis veterum scriptis scrutandisque eorum sententiis, invigilandum. Hoc enim (quod res est) certo sciebat, è scholasticis disputationibus rudem duntaxat & inchoatam haberi rerum cognitionem, quæ manca & inutilis omnino futura sit, nisi continuato labore assiduaque vigilantia compleatur. Itaque Philosophicas ac medicas quæstiones missas fecit, utque intermissam insignium authorum lectionem continuaret, domi se aliquot annos continuit.

Eloquentiam.

Florebat tum temporis Lutetiæ insignis rhetor, optimarum artium studiis eruditissimus, Jacobus Strebæus, qui se Joanni Fernelio, quem Mathematicas artes apprime càllere noverat, conjungendum curavit. Itaque dum Strebæus à Fernelio Mathematicarum disciplinarum, Fernelius vicissim à Strebæo politioris litteraturæ cognitionem & gravem plenumque orationis stylum accipit, integrum biennium exigitur.

Mathesinque amplius excoluit:

Interea quam plurima Mathematices instrumenta magno rei familiaris dispendio excogitavit, ac fabricanda curavit, ne uxoris quidem (quam non ita pridem duxerat) doti parcens. Tantum in sui admirationem & amorem mentes hominum rapit atque allicit syderum cœlestiumque rerum contemplatio, ut animum semel illecebris suis captum perpetua grataque servitute sibi postea addictum ac divinctum retineat.

A qua à socero.

Uxoris pater, vir perinde prudens, ac eruditus, generum sæpe invisebat, nonnunquam & convivam advocabat: quumque inter epulas non raro in Medicas disputationes incideret, oblata occasione apud generum querebatur, quod Medicinę, cui totum jampridem se dediderat, nimium oblitus, Mathematicis disciplinis adeo inhæresceret, ut inde hactenus illum nec uxoris amor, nec liberorum blandimenta, nec rei familaris cura revocare potuerit. *Mathematicarum artium cognitionem homine quidem liberali dignam esse, & per se animi causa expetendam, si quis modum adhibeat, & per ætatem attingat: sed in ea tanquam in Sirenum scopulis virum probum & Republicæ ac familiæ studiosum obdormiscere, atque consenescere, indecorum.* Non enim illam esse ad Reipublicæ conservationem necessariam, ut quæ quam minimum usum, nullam autem aut certè exiguam actionem ad retinendam civium societatem, si tamen Arithmeticam & Geometriam exceperis, proferat. *Medicinam, sive ad ea oculos mentesque convertimus, quorum naturas præclara ac nobili contemplatione pervestigat, sive ejus usum, commoda, & utilitates dispicimus, omnium artium merito præstantissimam judicari*, ad cujus cognitionem parum Mathematicæ disciplinæ conferunt.

Uxoreque avocatur.

Hæc aliaque multa ad persuadendum efficacissima rerum plurimarum usu edoctus Senator Parisiensis genero proponebat. quibus cum minime flecti videretur, ille filiæ lachrymis permotus, atque incensus, querelis cum genero paulo gravioribus egit, quas nihil refert hic adscribere. Qua admonitione & objurgatione tandem fractus, artem Medicam majori quam unquam studio persequi cœpit, Mathematicis artibus intermissis. Itaque & sculptores, quos non sine magnis sumptibus jamdiu domi alebat, remittere, & nobiles aliquot discipulos, quos in hac habebat disciplina, alium præceptorem quærere jubet, & è conspectu tum Mathematica omnium veterum opera, tum astrolabos, & innumera alia quæ ille jam sibi cuderat instrumenta ænea, abjecit, ut totum se Medicinæ devoveret.

Ad Medicinam redux Hipp. & Gal. interpretatus est. Unde famā

Quoniam autem à privata Medicorum authorum lectione & meditatione multum sibi superesse temporis videret, id ne sibi periret, interim dum ad artis opera se compararet, ad explicanda Hippocratis & Galeni scripta, quæ in publicis Medicorum scholis nondum doctor designatus olim enarrare cœperat, animum contulit, quod tanto discipulorum concursu, tantaque frequentia præstitit, ut paucis annis fama eruditionis ejus extra Galliæ fines transiliens, in Germaniam, Italiam, Hispaniam, cæterasque exteras Europæ regiones pervolarit, & hac tanta famæ celebritate etiam absentibus innotuerit.

Praxinque Medicam adeptus.

In hoc exercitii atque docendi labore dum annos sex totos summa cum laude versatur, sensim ita Lutetiæ increbuit nominis ipsius celebritas, ut curandis ægris opem ab eo poscentibus vix satis esse pos-

ſet. Ad eum namque non cives modo Lutetiani, verum exteri quoque fere omnes confugiebant, qui graviore aliquo morbo tenebantur. Quod illum ſuſceptam docendi provinciam intermittere coëgit.

Succeſſivis tamen horis Phyſiologiam excoluit, evulgavit,

Sed ne ſic quidem Theoreticen Medicinę partem neglexit: verum quidquid otii à gravioribus rebus, curis, & negotiis dabatur, id omne in ea Medicinæ parte, quam Phyſiologiam inſcripſit, commentariis & lucubrationibus ſuis illuſtranda, conſumpſit: in quo tam egregio Opere, qualem ſe præſtiterit, poſteritas livoris expers apertius fortaſſe prædicabit. Primus certe, quod ſciam, rudi adhuc ſæculo, ineptas illas quæſtionariorum nugas, nihil præter ſpurcam fœdamque barbariem perſonantes, & inextricabiles argutulorum ſophiſtarum labyrinthos, qui rebus per ſe claris denſas tenebras offunderent, è Medicis ſcholis expulit: naturalem Medicinæ Latino partem ſermone luculenter adeo, ac nihilominus breviter explicans, ut ſi quis præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ inſtructus, opus de ea Medicinæ parte ab ipſo conſcriptum non oſcitanter ſemel atque iterum perlegerit, tenacique memoria longa meditatione impreſſerit, eum nihil eorum latere poſſit, quæ de ea veteres omnes cum Græci, tum Latini & Arabes, infinitis voluminibus, vix ſemel in vita homini legendis, obſervatione dignum prodiderunt.

Ac explicavit.

Hoc Opus typis jam excuſum, ut interpretaretur, à philiatris omnibus & precibus & muneribus ſolicitatus eſt, quod onus, (quæ erat ejus humanitatis, ut prodeſſe vellet quamplurimis, imprimiſque docendo) uxore, amicis omnibus, & ægrorum curis reclamantibus, vel magno rei domeſticæ diſpendio ſuſcepit. In hoc vero Opere explicando annos tres ſtrenue adeo laboravit, ut Reipubl. Litterariæ civem ſe utiliſſimum præſtiterit, & ex ſchola ejus plures docti Medici, quam ex equo Trojano milites, prodierint, per omnes Europæ regiones atque tractus diffuſi.

Itidem de venæ ſectione librum

Interea dum hoc docendi munere ſumma diligentia & fide perfungitur, Opus aliud de venæ ſecandæ ratione, Medico perquam neceſſarium, nocturnis vigiliis elucubrat, non minus quam illud terſum, & elaboratum, quod in lucem emiſſum mox interpretandum ſuſcepit.

Nec abſolverat ejus commentationis explicationem, cum in graviſſimo mulieris nobiliſſimæ caſu ad aulicos quaſi edicto regio rapitur. Pervagabatur enim incredibilis ad hujus imperii proceres de Fernelii eruditione fama & perſuaſio, quaſi unus eſſet è Galliæ Medicis calamitoſi illius morbi præſtrenuus oppugnator, & impendentis mortis fortiſſimus vindex, malorumque depulſor, quaſi Hercules Alexicacus: quam ille opinionem de ſe ſtrenue ſuſtinuit, ut non tam ſit creditus mulierem in vita retinuiſſe, quam jam profligata ſalute ex inferorum faucibus revocaſſe.

Reginam curavit.

In archiatrum vocatus.

Prima hæc cauſa fuit cur in poſterum Henrico Galliarum regi deſignato, cui illa chariſſima erat, magno ſemper in pretio Fernelius habitus ſit, quem jam inde primarium Medicum ſibi delegit annuo honorario propoſito, ſi in aulico ſatellitio commoratus, ſuæ valetudinis curam reciperet.

Id munus excuſavit,

Sed quia eruditionis, quam gloriæ ſemper fuit avidior, tanti Principis munera & propoſitos maximos honores contemnens, nec pollicitis deliniri, nec hortatu incitari, nec aliorum Principum & amicorum frequentium precibus in aula Regia diutius potuit retineri. Itaque & infirmam valetudinem ſimulavit, & in artis Medicæ operibus nondum ſe ſatis exercitatum & verſatum ingenue confeſſus eſt, cui Principes valetudinis ſuæ curam committerent. Idcirco futuri Regis majeſtatem & ſummam humanitatem obteſtatus eſt, ut Lutetiam Pariſiorum redire liceret, in qua urbe & cœpta ſtudia abſolvere, & in artis operibus diu ac multum ſeſe exercere poſſet: ſe enim poſtea & Regi, & principibus omnibus, ſuam induſtriam probaturum.

Quo majorem experientiam acquireret,

Noverat enim, & ſæpe prædicabat, frequentem medendi uſum Magiſtrorum præcepta ſuperare: neque medicos, neque imperatores, & oratores, neque jureconſultos, neque ullos alios artifices, quamvis artis pręcepta perceperint, quicquam magna laude dignum, ſine uſu & exercitatione conſequi poſſe: quod nuſquam commodius, quam Pariſiis, tum propter doctiſſimorum hominum frequentiam, tum morborum qui iſthic graſſantur, varietatem ſe poſſe adipiſci putavit.

Ita-

In magna urbe,

Itaque eos ille Medici nomine indignos semper arbitratus est, qui Medicinæ præceptis institutisque cognitis, antequam in ejus operibus diu multumque in frequenti & populosa urbe sese exercuissent, & multa ad perfectam morborum curationem scitu dignissima (quæ ut seniores veluti per manus à majoribus suis acceperunt, sic posterioribus tradere necesse est) observassent, in oppidula faciendæ medicinæ causa se reciperent. Etenim si vel in morbi causa pervestiganda (quod sæpe fieri verisimile est) vel in decernendis remediis aliquando aberrent, à quo revocentur, & castigentur? Neque enim dissimulandum, sed ingenue confitendum, in iis, qui artem, quam profitentur, jam diu feliciter & magna cum laude exercent, inesse nescio quid, quo cæteris & excellere & admirationi esse videantur, quodque ut ab omnibus summopere expetitur, sic nec facile literis mandari, nec verbis luculenter explicari possit, sola observatione & longo usu cognoscendũ.

Apud celebres medicos.

Fernelii de addiscenda Medicina consilium:

Quocirca tutissimam ac brevissimam discendæ Medicæ artis viam eum sequi arbitrabatur, qui postquam præceptis institutisque Philosophiæ abunde instructus fuerat, statim è terso & polito quodam, eoque compendiario authore Medico, primum quidquid ad humani corporis naturam exquisite cognoscendam necessarium esset hauriebat; mox simplicium & compositorum medicamentorum temperamentum, sapores, vires, & facultates omnes examinabat; tum demum morborum, symptomatum, & signorum omnium differentias & causas addiscebat, ac tenaci memoria complectebatur; postremo in artis operibus cum seniore aliquo, eoq; docto, & longo jam medendi usu perito Medico, diu multumq; sese exercebat, & quod è libris & viva præceptoris voce didicisset, in ipsis ægrotis observabat. Multa in theoreticæ Medicinæ parte occurrere, quæ, nisi ab eo qui longo artis usu & exercitatione valeat, nec recte explicari, nec intelligi possint; neminemque e solis libris omnibus numeris absolutum evadere putabat. Medendi usum & exercitationem, tanquam optimos Medicinæ interpretes, quidquid in tota arte obscurum vel dubium tironum ingenia retardat ac remoratur, luculenter aperire & stabilire: ut idcirco in theorica minime (quod tamen plerique faciunt) consenescendum sit, sed ad artis opera, tanquam ad optimos docendi magistros, si quis judicio valeat, sed medico seniore & exercitato duce, properandum.

Fugiendæ nempe subtilitates,

Contra opinionem, & hæresim, quam plerique omnes Medicinæ Professores hactenus defenderunt, contraque recentiorum errorem, qui in scholis nihil fere præter simplicem verborum interpretationem & inanes λεπτολεχίας suis auditoribus inculcant & obtrudunt.

Nimium styli ornatum,

Damnabat etiam eos, qui politioris orationis stylum & linguę cognitionem curiosius consectantes, non tam modum, quam copiam in dicendo quærunt, & verbis ornatiorem, quam sententiis illustriorem orationem contexunt, ipsarumque rerum speculationem & contemplationem (quarum gratia linguarum cognitio expetitur) in totum fere negligunt. *Vt enim in nummis non spectatur elegantia sculptura, sed pondus, & materia; ita parum referre quam sit elegans oratio, dum pura & perspicua sit, sententiisq; abundans.* Inde enim fieri, ut facundi & diserti quidem plurimi, Philosophi vero & rerum medicarum scientia præstantes pauci ad medicinam faciendam accederent, quod multo plus operæ in bene & ornate dicendo, quam in recte, tuto, & jucunde medendo collocarent.

Nimium Anatomiæ, botanicesque,

Sępe etiam audivi, quum affirmaret, eos falli, & judicio uti præpostero, qui in evolvendis anatomicis libris, & in cognoscendis simplicibus medicamentis, ad extremum usque senium desudarent, nullum interim nec ægrum inspicientes, nec quæ à veteribus prodita sunt in ægris observantes. Ille satius esse ducebat, eorum aliquo, qui de re anatomica docte pariter, & polite, ac nihilominus breviter perscripserunt, semel atque iterum perlecto, & accurate examinato, ad res ipsas in ægrotis multis cognoscendas & explorandas descendere, quam in conciliandis tot dissentiẽtibus inter se scriptoribus (jã enim plures fere anatomici libri, quã ægroti reperiuntur, & plures herbarii scriptores, quam herbæ numerando recenseri queunt) vix homini in vita semel legendis, tempus & ætatem perdere.

Linguarum,

Linguarum autẽ peritia, quoniam ad rerum cognitionem aditum patefacit, futuro me-

medico utilissima censenda, si modo ea recte utatur. at si ob eam ita ille insolesçat, ut nec à pharmacopola componendorum miscendorumque medicamentorum mo-
" dum, nec à seniore medico faciendæ medi-
" cinæ rationem discere sustineat, sed è libris
" recta se ad artis opera conferat, perfectam
" medicinæ cognitionem arroganter sibi
" vendicans, quanto in errore versatur? quanto ægrotantium atque adeo Reip. totius damno insanit?

Astrologia divinatricis, studium. Ille etiam, quemadmodum eam astronomiæ partem, quæ cælestium orbium motus, conversiones, & siderum ortus, cursus, atque occasus, tradit, medico perutilem semper existimavit, & libris editis illustravit: ita genethliacam divinatricemque astrologiam, quæ superstitiosa quadam observatione ex astris nescio quæ portenta & mendaciorum plaustra comminiscitur, quæque cœlestes domos, & nulla ratione excogitatas sedes constituens, uniuscujusque secundam & adversam fortunam ex horoscopo auguratur, ad varios siderum motus, congressiones, aspectus, & conjunctiones, certos characteres & imagines confingit, & de futurarum rerum præsensione sese venditat, omnino damnabat, eique se olim operam dedisse conquerebatur, quod eam fallacem, incertam, & à vera religione alienam comperisset. Quinetiam dierum criticorum rationem minime ex vanis astrologorum commentis, qui certissimam veterum medicorum observationem pervertunt, & dierum decretoriorum ordinem perturbant, ineundam esse contendebat, etiamsi olim vanis divinatricis astrologiæ pollicitis deceptus, & nondum in artis medicæ operibus satis versatus, aliter censuisset. sed spectandum morbi impetum, progressionem, committentis morbum humoris naturam, & morem, denique abditam, & occultam motuum naturę, & eorum dierum, in quos hi motus incidunt, sympathiam & consensionem; naturæque robur. Horum enim animadversione, quibus diebus, ex certamine naturæ & morbi, repentinæ ad salutem vel ad mortem, ad melius vel deterius mutationes excitentur: non autem ex siderum lunæque influxu, & aspectibus, qui neque in dies criticos incurrunt, neque humorum hyparxin constituunt, neque criseon inclinationes efficiunt, prævideri, prædicique potest.

Ego igitur tanti viri doctrinam imitatus, vanos istos divinatricis astrologiæ professores gravissimum veteribus medicis & cœlo bellum indixisse, dum sua apotelesmata vana & incerta pertinacius defendunt, conjicio: ut qui veterum medicorum observationibus posthabitis, quidquid in inferioribus corporibus materiæ vitio accidit præter naturæ ordinem, id totum syderum aspectibus & congressionibus acceptum referant, neque medicis suam constare authoritatem & dignitatem opinentur, nisi clades, incendia, pestes, bella, alluviones, morborum contagiones, ærumnas denique & calamitates, quæcunque mortalium genus divexant, ex syderum motibus, aspectibus, & conjunctionibus prænuntient, & quis eorum decursus, quis exitus futurus sit, prædixerint; quo quid absurdius, & vero magis contrarium, dici excogitarique possit, non video. Ingenue quidem fateor, arcana præpotentis Dei voluntate, atque consilio, pestilentes morbos, sævaque contagionis semina, ad vindicanda sceleratorum flagitia, & revocandos ad bonam frugem ex morum corruptela & vitiorum inquinamentis homines, excita- "
ri, & huc non raro immitti: nec eo inficias, "
vi & maleficio syderum sic sæpe aërem in- "
fici, ut non solum nobis, sed etiam brutis a- "
nimantibus morbidus aut exitialis sit. At id "
quidquid est, haud divinatricis illius astro- "
logiæ, quam tantopere isti prædicant, ope, "
sed solo eventu hactenus cognosci deprehendique potuisse contendo, Sed ad rem redeo.

Cum à designato Rege dimissionem impetrare non posset Fernelius, simulata pleuritide, & conficta ementitaque à Chirurgo, qui Principi familiaris erat, periculi magnitudine, per eum nuntiari jubet, tanti mali causam ab animi ęgritudine & mærore proficisci; quod à studiis esset abductus, ab uxore charisque liberis distractus, à lectione revocatus, & è Philosophica vita in inquietam, & militarem, è tranquilla in actuosam, è sedentaria & litteraria in turbulentissimam pertractus: nec, nisi conjugi, nisi litteris, nisi suis ægrotis, nisi collegis *Muneris excusatio, nisi ementito morbo, admissa non fuit.*

red-

reddetur, posse servari. Quibus impulsus Princeps, non modo eum domum remisit, sed etiam, ad studia quo magis inflammaret, nihil de annuo honorario, quod sexcentas libras Gallicas efficiebat, demit. Verum assidendi onus molestum, & grave, liberalissime remittit, asseverans, eum apud se ἀρχιατρὸν fore, qui in bene medendo & sapienter præcavendo cæteris præcelleret. Grata hęc tanti Principis verba non solum ementiti morbi curationem statim attulerunt, sed magis ac magis ad difficilia quæque subeunda animum impulerunt.

A qua ad explicationem Medicinæ rediit.

Itaque post biduum domum reversus, interruptam libri de venæ secandæ ratione interpretationem ad calcem usque operis perduxit. Hoc perfunctus munere, alia quædam Hippocratis & Galeni interpretari scripta cogitabat, idque ab eo quotidianis precibus & acclamationibus contendebant philiatri omnes: sed, præ ægrorum qui undique ad eum opis causa quotidie confugiebant, turba, id muneris aggredi non potuit.

Scripsit de abditis rerum causis.

Et vero, ne quid illi efflueret temporis, quod in communem omnium utilitatem non cederet, nocturnis lucubrationibus insigne opus de abditis rerum causis conscripsit. in quo de rerum omnium primordiis, deque multis valde obscuris Philosophiæ & Medicinæ theorematis, tam docte tamque apposite in utramque partem differit, ut recentiores in hoc scribendi genere longe multumque superasse videatur.

Et qua occasione?

Hujus scribendi operis hæc fuit occasio. Quum in veterum Philosophorum ac Medicorum scriptis multa ille deprehendisset non parum obscura & dubia axiomata, quę incertis conjecturis in suam quisque opinionem facile traheret, atque detorqueret, sine quorum tamen certa intelligentia Medicus in magnarum rerum ignoratione versaretur, & in ipsis artis operibus non raro hallucinaretur, ad certam eorum, quæ in Phisiologicis & aliis libris suis haberentur, demonstrationem, putavit, proprio opere exactam controversorum illorum problematum tractationem suscipiendam, ne, si singulorum explicatio illis interjecta fuisset, tot ac tam longe petitis digressionibus perpetuæ orationis cursus, & descriptarum rerum ordo interruptus, rebus per se claris veluti densas tenebras offunderet.

Pathologiæ lib. VII.

His quasi fundamentis medicinæ positis, præclarum atque illustre de morbis opus, cui Pathologiæ nomen indidit, ante paucos annos perpolivit, tandemque in lucem emisit. In hoc quæcunque à veteribus bene scripta, ac rationibus firmis comprobata extant, ille retinuit: quæ vero omissa videbantur, de suo addidit, dubia stabilivit, obscura illustravit, falsa subvertit, superflua resecuit, nullius unquam in verba juravit, ne absurdarum sæpe opinionum defensor esse cogeretur.

De compositione medicamentorum:

Proximum erat ut cognitorum certisque notis deprehensorum morborum profligandorum methodum traderet. Verum ne in singulorum morborum curationibus eadem identidem repetere cogeretur, & susceptæ rei cognitionem variis medicamentorum formis interturbare, tum simplicium, tum compositorum medicamentorum descriptionem pręmittere decrevit. Itaque pari fide, nec minori diligentia quam quæ diximus opera, librum de medicamentorum compositione succisivis horis exaravit. In quo præter nova multa composita medicamenta, quæ longo usu efficacissima compererat, eorumque utendi modum, ea etiam, quę ex veterum præscripto ad quotidianos usus in officinis asservantur, diligenter examinavit, & alienissima quæ vel nunquam, vel non nisi cariosa ad nos perveniunt, expungens, nostratia illis suffecit, magno omnium mortalium commodo.

In quibus medicamenta indigena præferebat.

Solebat ille palam profiteri, nostratia pharmaca nescio quam habere nobiscum sympathiam, omnemque orbis partem, & suis, iisque peculiaribus, malis affligi, & propriis ac peculiaribus remediis à summo rerum omnium opifice concessis abundare. Ideoque *summo in errore illos versari, qui non nisi peregrina, & longe petita, atque idcirco cara medicamenta & commendant, & omnibus præscribunt.* Gallos quidem, quoniam postremi medicinæ cognitionem amplexi sunt, multa hactenus medicamenta, quæ adversus domesticos suos hostes, morbos inquam ipsos, in illorum finibus natura produxit, latuisse, quæ nostris sint laboribus non solum invenienda, & in usum afferenda, sed etiam literarum monumentis ad perpetuam rei me-

memoriam committenda. Et idcirco nisi præmatura morte nobis fuisset ereptus, de nobiscum natis medicamentis purgantibus paratu facillimis, quorum omnium diligentissimus fuerat pervestigator, opus integrum aliquando edidisset.

Conscriptum de medicamentorum compositione librum semel atque iterum relegendo absolvit; purgantium medicamentorum non solum quantitatem ad calculum revocans, sed etiam illorum vires in multis ægris explorans, ne quid usquam in suis scriptis reperiretur, cujus vires in multis non essent comprobatæ.

Interea Plantius Medicamentorum vires è veteribus collegit, recensuit Fernelius:

Quod dum ille facit quidquid de simplicium medicamentorum temperatura, ac viribus, in primis scitu dignum veteres litteris consignassent, id ego ipsius hortatu ex eorum monumentis excerpsi, & in unum contuli. Quod dum ille postea accuratius examinaret atque relegeret, parentheseos (.) notam post descriptum singulorum temperamentorum passim interseruit, suam de unoquoque sententiam interjecturum, & quas in singulis deprehendisset singulares atque eximias vires à veteribus minime animadversas, in omnium mortalium usum atque utilitatem aliquando se explicaturum confidens. Etsi enim Reipubl. literariæ & communis omnium utilitatis in primis erat studiosus, nolebat tamen, quæ ad complures difficiles & pervicaces morbos multo labore longoque medendi usu sibi comparaverat insignia & valde efficacia remedia, statim omnibus innotescere, sed ea veluti arcana & ἄῤῥητα sibi reservanda putabat, dum editis libris ea à se excogitata & in usum primum allata omnes intelligerent, haberentque gratiam. Neque enim novum est, optimum quemque duci gloria, & propagandæ nominis sui memoriæ desiderio inflammari.

Non perpolivit:

Itaque ne quis eam sibi eriperet laudis & gloriæ occasionem, quam tot vigiliis ac laboribus quæsierat, operi de medicamentis simplicibus, in quod totus incumbebat, supremam manum admovendam non censuit, antequam curandorum morborum rationem litteris tradidisset, quam eodem tempore emittere decreverat.

Quod, quamvis recusaret, iterum

Verum enimvero dum hęc animo cogitabat, ecce Henricus Galliarum Rex salutares ejus conatus & omnia consilia interturbat. Ille enim jam ante annos aliquot, mortuo Francisco patre, imperio potitus, Johannem Fernelium (quem ob singularem eruditionem & incredibilem medendi felicitatem vehementer amabat, atque in archiatrum sibi jampridem selegerat) ad se venire, & valetudinis suæ curam habere jusserat: sed hic tantos honores præ litteris, quarum amore flagrabat, aspernatus, id muneris quasi hereditario jure D. Burgensi Francisci regis vita perfuncti primario Medico obtigisse, deberique, multis rationibus verecunde contendens, veniam à rege tantisper impetraverat, dum certius in multis ægris ea ex experiretur, atque probaret, quæ jam inter medendum annotaverat cum veterum scriptis parum consentanea, vel nova ad difficiles quosque morbos propulsandos excogitaverat. Sed demortuo nunc Burgensi quum sufficeretur, causam dicere non potuit.

In regis cubicularium Medicum eligeretur.

Annum tuum ille quidem agebat ætatis suæ circiter sexagesimum, sed cui tamen corpus erat robustum, & laboribus assuetum. Quæ causa fuit, ut vita illa aulica, etsi tumultuosa, illi tamen præ inexhaustis laboribus, quos Lutetiæ per annos jam multos superaverat, gratissimus Musarum secessus videretur: in quo se à regis principumque negotiis plus otii ad suas lucubrationes, quam Lutetiæ à civium curis habiturum speraret. Neque profecto sua spe excidisset, nisi renovata sævissima bella, quæ jamdiu Galli adversus Hispanos & Anglos continenter gerebant, regem, qui Fernelium à se nunquam dimittebat, sed quocunque proficisceretur secum deducebat, modo castra sequi, modo in hanc, vel in illam regni partem, in quam maxime hostes arma sua converterent, præsidii in ea vel collocandi, vel confirmandi causa, commeare coëgissent.

Quo tempore de febrium cura scripsit

Sed ne in tot quidem tantisque occupationibus diem ullum absque linea sibi effluere aut elabi passus est Fernelius. Siquidem febrium curandarum rationem in peregrinatione cœpit describere, eamque fere jam delineaverat, quum Rex Icium portum maritimum (Caletum dicunt) munitissimum, Anglis (qui eum centum jam annos occupabant) sævissimo hyemis frigo-

frigoribus armis ereptum, secum pertraxit.

Postea obiit ejus uxor. Inde reversus, uxorem ociosæ & sedentariæ vitæ deditam, secum in fontis Belaii regiam sociam perduxit, quam mærentem se à suis avelli, paucos post dies febris continua, eaque acutissima corripit: qua crudeliter jactata, die tandem morbi vicesimo phrenetica convulsaque moritur.

Vnde præ mærore in febrim incidit. Hic quam nemo omni ex parte sit beatus, facile fuit intelligere. Nam qui in calamitatibus, quas non raro illi in vita præter animi sententiam accidisse memini, gravem, constantem, & fortem virum hactenus se præstiterat, hoc uno uxoris suæ casu ita repente perculsus ac prostratus est, ut ante duodecimum ab ejus funere diem ex summo animi mœrore & angustia in febrim inciderit continuam.

Ejus febris historia primo septenario, Lutetiæ Parisiorum tum agebat Rex Henricus: ad quem quum renuntiatum est, Johannem Fernelium febre continua discruciatum jam ac debilitatum jacere, ejus vicem sane quam graviter molesteque tulit, & medicos alios sibi charos sedulo adhortatus est, ut ejus valetudinem curarent diligenter. Illud addidit, se haud posse sine gravi animi mærore ejus viri jacturam facere, quo vivo vix unquam se moriturum credidisset. Itaque aulici, & celeberrimi quique medici, in eo invisendo mutuas operas conferre cœperunt. Hic interim minime malos medicos imitatus est, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam, ipsi autem sibi mederi non satagunt: sed mox ut febre prehensum se animadvertit, primum ejus causam pervestigare, & morem observare, & minima quæque symptomata quid portenderent prævidere, & ut semel dicam, quæ ad ejus cognitionem aut curationem facere viderentur, excutere; deinde remedia efficacissima comparare, medicorum qui illi quotidie aderant, de his omnibus opiniones rationi consentaneas cogere cœpit.

Secundo, Et me hercle ad septimum hujus morbi diem cum urinæ inclarescerent, & febris symptomata omnia multo leviora facta essent, qui illi opem ferebant medici, felicem exitum una cum ægro expectabant. Verum ad undecimum mirum in modum exasperata sunt omnia, ideoque æger urinarum cruditate, atque aliorum symptomatum sævitia permotus, ac mortis metu perculsus, doctissimos regis & hujus urbis medicos aliquot in consilium adhibuit.

Tertio. Et mors. Hic, ut supra positum est, febre quartana aliquando conflictatus fuerat, & toto vitæ curriculo non solum vino oligophoro aqua abunde diluto usus est, sed etiam extra pastus, æstate, frigidæ potu sitim explere solitus erat, unde lien non parum læsus videbatur. Inde enim acoris cujusdam sensus ori ac faucibus integrum jam biennium inerat, qui nullis remediis discuti potuerat. Quum ergo causæ quædam externæ, hæque graves admodum, acerbissimum mœrorem attulissent, superveniente uxoris obitu, quo omnia exaspereta sunt, humor in liene collectus tandem incalescens, atque putrescens, inflammationem ejus visceris peperit; unde & febris accensa est continua, quæ sensim increscens, ita naturæ vires omnes attrivit, ut eum decimo octavo die nobis immatura mors sustulerit anno ætatis suæ septuagesimo secundo, Christi 1557. *Natus ergo anno Christi 1485.* Nam causam interitus ex anatome pervestigantes, è lienis inflammatione perniciem manasse judicavimus, quum & valde tumidum & prorsus lividum ac virescens id viscus esset, & scalpello dissectum magnam saniei instar picis nigerrimæ copiam profuderit.

Quam graviter excepit ipse. Hic certe ad morbi diem decimum quartum quum salutis suæ spem in angusto esse præVideret, se præpropera morte tam celeriter rapi graviter indoluit, non quidem vitæ, ut dicebat, desiderio, (satis enim naturæ, satis gloriæ, satis etiam uxori demortuæ, satisque liberis vixerat (sed Reipub. litterariæ, atque adeo Medicinæ causa; cui ut prodesset, omnes corporis voluptates atque valetudinem nihili fecerat. Hic dolor hominem præcipue angebat, hæc cura sollicitabat, quod therapeuticæ postremæ Medicinæ parti, in qua multum diuque versatus erat, quamque suis inventis plurimum locupletare poterat, extremam manum non addidisset. Nec vero (quod Plinius de Apelle, qui imperfectum Veneris corpus ac rude Cois reliquit, memoriæ prodidit) qui inceptum opus excoleret, propagaret, absolveret, inventus est. Inchoata ab eo opera Guillelmi Plantii fidei commissa sunt, de quibus alias.

Et indoluit rex.

Joannis Fernelii nunciata mors gravem regi, reginæ, ac aulicis proceribus mœrorem attulit. Non enim potuit non graviter ferre tam celebris Medici jacturam humanissimus Rex Henricus, cujus opem toties perſenſerat, quem tot ſtrenuos milites præclaroſque duces à morte revocaſſe, tot hominum millibus auxiliares manus porrexiſſe viderat: nec minus reliqui Principes, qui ejus experientiam in graviſſimis ſuis domeſticorumque ſuorum morbis annos viginti perſpexerant.

Et merito, ob rei medicæ jacturam.

Hic equidem non tam ſibi, quam hominum ſaluti, ac poſteritatis commodis natus, nullum remittens tempus, nec ſe ipſum reſpiciens, quod interdiu præ ægrorum ad ſe confugientium multitudine ſcriptis mandare non poterat, id ne breviſſimis quidem noctibus parcens, vel magno valetudinis ſuæ diſpendio, elucubrabat. In illuſtranda phyſiologia, & pathologia, quum hujus ſæculi ſcriptores omnes facile ſuperarit, quid illum facturum fuiſſe putetis, ſi quam annos triginta tanta laude, tanto omnium applauſu, in tanta ægrorum turba, Lutetiæ exercuerat, curatricem Medicinę partem inventis ſuis illuſtrare fata voluiſſent? Sed ea eſt miſeriarum humanarum viciſſitudo, ut neminem ad ſummum aſcendere, aut votis omnibus ſuis ſatisfacere patiatur.

Contentiones quas in vita habuit,

Quum Lutetiæ medicinam facere cœpit, jampridem in ſummo pretio habebantur docti aliquot medici: qui eum in ipſis principiis deterrere atque remorari conati ſunt, quibus non multo poſt, fato neſcio quo, morte immatura de medio ſublatis, ſuperſtes Fernelius aliis palmam brevi præripuit.

Cum Flexelio,

Unus Flexelius jam bene audientem & promeritum de civitate, vel obſcurare, vel opprimere cogitavit. Quum enim uterque arcanorum Medicinæ ſacrorum ſummus princeps & myſtagogus eſſe & haberi cuperet in eaque arte excellere in primis pręclarum & illuſtre exiſtimaret: in eo conatu tanta facta eſt contentio, ut inter illos benevolentia ſervari non potuerit. Flexelius namque gloriæ avidiſſimus, cujuſdam æmulationis ſtimulis impulſus, cum Fernelium, à quo nullum amoris, nullum ſtudii, nullum benevolentiæ officium deſiderare poterat, reliquorum hujus urbis medicorum, qui illum ætate anteibant, & auram popularem jam ante ejus adventum conſecuti fuerant, diligentiam, atque famam, non ſolum adæquare, ſed etiam longe lateque ſuperare cerneret, ejus conatibus ſeſe objicere, atque pro virili provectam ejus famam & exiſtimationem extinguere conſtituit.

Qua occasione?

Arrepta inde anſa, quod Fernelius in cacochymia plenitudinis expertæ ſanguinem abunde mitti non pateretur, purgatione contentus, quæ peccantem duntaxat cacochymiam detrahit, quum venæ ſectio non ſolum cacochymiam, ſed omnes humores æquabiliter magna ſæpe virium jactura evacuet, atque tum maxime incommodet, quum obſtructione jecoris, & meſenterii, & caloris inſiti, aut ventriculi imbecillitate, (quod fere fit) contrahitur cacochymia, ut in quodam ictero, in cachexia, & leucophlegmatia. Flexelius enim & in omnibus febribus, quas putridus humor accendit, & in pleriſque aliis morbis à cacochymia ortis, ſanguinem audentius ac ſæpius mittebat, etiamſi nulla inerat plenitudo.

An bene?

In quo uterque ſuæ ſententiæ nimium inhærere viſus eſt. Fernelius quidem, quod parcius & religioſius ſanguinem detraheret, neque ſemper quum opus eſſet. Flexelius autem, quod ſæpius atque ultra modum mitteret in omni fere morbo, frigido pariter ac calido, aliis medicis fruſtra obluctantibus: unde vires in multis ſic ſæpe proſterni atque labefactari vidimus, ſicque ſpiritus & nativum calorem diſſipari, ut vel repentina mors, vel hydrops, vel gravis & periculoſus alius affectus conſequeretur.

Qua modestia eas superaverit?

Verum cum Flexelius nec ſcriptis nec diſputationibus publicis auderet Fernelium adoriri, convitiis ingenuo & liberali homine indignis cum eo abſente agere cœpit. Quæ quum Fernelius nihili faceret, ita Flexelius exarſit, ut illum, qui & prælectionibus publicis & editis libris ſingularem ſuam eruditionem orbi jam univerſo patefecerat, hominem ignarum, impoſtorem, & circulatorem dicere non ſit veritus. Sed hic tamen nulla in Flexelium maledicta vel laceſſitus retorquere unquam voluit, nec ei obtrectare, & de ejus fama

fama detrahere. Si quando de Flexelio, ejusque in se maledictis, ab aliquo mentio fieret, meliorem ei mentem precari solebat: & ad ægros curandos si quando cum illo vocaretur, negabat, per suspecta negotia, & occupationes serias, id sibi licere.

Cum aliis. Non paucis Fernelius ejusdem ordinis parum gratus extitit, sed potius invisus, quod domestica remedia, quæ amicis periclitantibus exhibebat, non pateretur vulgo in officinas abire, sed domi vel ipse compararet, vel amicorum paucorum fidei concrederet. Quod tamen ante se nemini vitio datum esse comperio.

Ratio vitæ Fernelii, Sed de his plus satis. Jam quem tenuerit studiorum modum, ex quo Lutetiæ medicinam facere cœpit, paucis perstringendum.

In inspectione urinæ, & studiis ante prandium, Jampridem apud Gallos invaluit consuetudo, ut quando infimæ sortis homines in morbum, incidunt, urinam confestim ad medicum deferendam curent, è qua ille non solum, quamdudum æger decumbat, quo morbi genere teneatur, quæ pars in eo præcipue laboret, quæque symptomata crudelius illum discrucient, sed ejus etiam sexum & ætatem internoscat, ac nuntio referat, tandemque accommodata remedia decernat. Hoc jam olim vulgo persuaserunt scelerati quidam impostores empirici, qui medici nomen ac dignitatem falso & impudenter sibi arrogantes, populo eruditionem suam ita venditabant, ut eum dicerent medici nomine indignum, qui spectata urina, cum affectiones corporis præter naturam omnes, tum animi etiam perturbationes non posset assequi. Ex horum officina præclari illi, & Reipublicæ (si Diis placet) non parum utiles, de urinarum cautelis libri prodiere, quibus rudis adhuc medicus instituitur, acute excogitatis inanium verborum labyrinthis, eorum qui ad se urinas deferrent, mentes & judicium ita eludere, ut tametsi temere, confuse, & fortuito multa symptomata proponat, & enumeret, si forte tamen vel unicum, de quo æger conquerebatur, attigerit, illi statim recte eum conjectasse, & ex urina totam morbi historiam intellexisse arbitrentur.

Receptæ igitur medicorum consuetudini, licet iniquæ, & depravatæ, morem gerens Fernelius, ab urinarum inspectione medicinam facere cœpit. Mane siquidem ad quartam fere horam experrectus, è lecto prosiliens in bibliothecam descendebat, ibique vel è veterum scriptis quidpiam de quo sibi non satisfaceret, vel cujus non satis meminisset, percurrebat, vel ipse aliquid commentabatur, dum illúcescens dies illum ad publicas prælectiones, vel ad invisendos ægros prodire cogeret. Interimque adferebantur urinæ: omnes ille inspiciebat, & de iis quid sentiret paucis præfatus, remedia instituebat morbi causæ, & ægri naturæ, quantum conjectura colligere poterat, consentanea.

Domum ad cibum reversus, interea dum prandium apparabatur, in bibliothecam, atque rursus sumpto prandio in eandem se abdebat, dum illi in urbem ad sua negotia esset redeundum. Non alio ante cœnam interim dum mensa instruebatur, nec denique alio post cœnam se recipiebat, ad horam noctis undecimam: quo fere tempore capitis gravitas somnum illum capessere cogebat. Hanc quidem tenuit studiorum ac vitæ rationem annos amplius triginta, & eas in studiis progressiones semper habuit: Omnia animi & corporis oblectamenta præ litterarum studiis, & medicæ artis exercitatione, pro nihilo ducens: ut nulla vitæ pars neque publicis, neque privatis, neque medicis, neque domesticis in rebus vacasse officio videretur. Si quem forte ad cœnam vel prandium aliquando invitaret, ab eo neque turpe, neque inhonestum ducebat, aliquanto post sumptum cibum studiorum causa se surripere. *A prandio & cæna,*

Uxoris hortatu prædium Pentinianum, annis aliquot antequam è vivis abierit, comparavit, ad quod colligendi animi gratia è turbulentis urbis fluctibus tanquam in tranquillum portum se aliquando reciperet. Verum vix semel aut bis in anno eo proficisci voluit. Erat enim hoc robore animi, atque hac indole virtutis, & continentiæ, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitæ suæ cursum in labore corporis atque in animi contentione conficeret; quem non quies, non remissio, non æqualium studia, non ludi, non convivia delectarent, nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude, & honore, & cum dignitate conjunctum, nihilque ex *In prædio & remissione animi,*

 omni-

omnibus rebus humanis præclarius aut præstantius haberet, quam de Republica Christiana bene mereri, afflictis opem ferre, periculis ægrotos liberare, succurrere omnium saluti, suamque salutem posteriorem salute communi ducere, denique intercludere omnes morborum vias. Quippe tantus ægrorum numerus ad eum confugiebat, ut per totam fere æstatem stans prandere cogeretur: neminem quantumlibet pauperem à se abire dimittebat morbi quo angeretur ignarum, remediisque ad eum profligandum destitutum. Quod si illum nonnunquam de curanda corporis sui valetudine, deque nocturnis studiis intermittendis, commonefacerem, & ad quiescendum cohortarer; (erat enim somni parcissimi) responsum in promptu habere solabat, *Longa quiescendi tempora fata dabunt*.

Quomodo se gesserit in praxi? Quanquam autem vultum ille præ se ferebat Philosophicum, severum, ac tristem, quum tamen ad ęgros accederet, subridendo se hilarem præbebat, blandeque ac comiter illos vel de minimis symptomatis interrogabat, dum & morbi causam, & affectam partem, perspectam haberet: atque haud scio an ullus tam obscurus morbus ei unquam occurrerit, cujus scaturiginem ac naturam statim non agnoverit; an unquam tam implicita, tamque varia symptomata proposita sint, quæ non statim ad peculiares morbos, tanquam ad suos fontes revocarit; tanto, tamque acuto, & perspicaci ingenio, judicioque præditus erat.

In morbis deploratis? Ille ægrum, vel moribundum, ac deploratum, deterrebat nunquam, sed semper in salutis spem erigebat: occultorum necdum plane cognitorum morborum prædictiones ambiguis & obscuris verbis involvebat, quę alii in aliam partem deflectere & interpretari possent: vixque initio quicquam de horum eventu, nisi ex hypothesi asseveranter pronunciabat. In diuturnorum præsensione vix unquam fallebatur: futurum exitium tristi vultu, mæsta & clangosa voce, laborantis amicis metuendum insinuabat: prævisam salutem hilari fronte, & jucunda oratione, pronuntiabat. Aliorum medicorum calumnias nunquam ridebat, recognoscens, sibi & bonis omnibus similes quotidie impendere.

Quemcunque ægrum ingenio præstantem curandum invisebat, siquidem morbi vehementia pateretur, & per negotia liceret, post intellectam morbi causam, & descripta remedia, familiarem cum eo sermonem aliquandiu conferebat, cum philosophis Philosophica, cum Mathematicis Mathematica: cum ducibus, ac militibus, de urbium situ, & fluviis eas alluentibus, deque instrumentis bellicis, & eorum inventoribus, de arte militari: cum nautis, de navigandi ratione, & regionibus nuper repertis: cum Theologis, de Deo, ac cœlestibus: cum mercatoribus, de negotiis: ut afflictos omnes consolaretur, & jacentes extolleret, confabulationes iniens. Sermones, & colloquia plane Philosophica, & nimium severa, salibus ita aspergebat, atque condiebat, ut ab omnibus coleretur, & observaretur, & tamen urbanus facetusque videretur. *Post præscripta medicamenta?*

Corpore erat satis procero, ac robusto, sed quod nephriticus dolor acerbissimus quater aut quinquies quotannis repetens, non parum debilitaverat, color faciei livescens, ac plumbeus, pilus nigerrimus, isque multus. *Qualis et constitutio corporis?*

Quod ad animi mores pertinet, si quando iracundiam exerceret, mox cohibebat: semper fere cogitabundus, subtristis, ac taciturnus erat: nemini sua consilia communicabat, suspecta habebat omnia: attentus quidem ad rem familiarem, sed in suos beneficus, & liberalis. *Animi?*

Quandiu cum eo vixi (vixi autem integrum decennium) lucrum annuum sæpe duodecim librarum Gallicarum millia excessit, vix unquam infra decem substitit. *Quale in praxi lucrum?*

VIRO-

DE FERNELIO JUDICIA.

SCÆVOLA SAMMARTHANUS *Elogiorum lib. I.*

AMbianus ager unde Silvius & ejus præceptor Tagautius prodiere, tertium quoque Medicinæ lumen, & quidem cęteris limpidius, nobis extulit, Johannem Fernelium, virum singularem ac plane divinum. Cujus admirabili genio id contigit, quod à multis sæculis nulli quamlibet erudito contigisse memini, ut ipso vivo atque vidente, opera quæ de universa Medicina scripsit, in scholis publice legerentur: ejusque auctoritas, veterum scriptorum instar, apud optimum quemque rei medicæ magistrum gravissimi esset ponderis & momenti. Neque sane injuria: fuit enim in illo viro præter summum eloquentiæ candorem non solum Medicinæ, sed & Mathematicarum artium totiusque naturæ tanta vis, tantaque cognitio, ut prodigii cujusdam id fuerit simile. Neque vere fuit hoc minus mirandum, quod & ejus virtuti fortuna ipsa bonis ut plurimum iniqua, non defuit. Nam & Lutetię sanandis ægris operam præbens rem egregie fecit, & ab Henrico secundo in regiam accersitus principem inter ejus Archiatros locum tenuit. Eo felicis operæ proventu, ut quod à natura negatum esse videbatur, artis beneficio consecutus, invisam sterilitatem à domo Regia repelleret, Valesiumque nomen optata generosæ prolis accessione propagandum curaret. Periit ex mœrore, quem carissimæ uxoris importuna mors ægro invalidoque seni attulit VI. Kal. Majas illius anni, quem poëta medicinæ studiosis non insulse notavit his numeris.

ConIVge FerneLIVs rapta perCVLsVS Vt aVLæ,
Vt LVCIs satVr, Vt noMInIs, InterIIt.

JAC. AUG. THUANUS *Historiarum lib. XI.*

FUit & hic annus (cIↃ IↃ LVIII.) doctrina illustrium virorum morte insignis. nam XII. Kal. Aprilis, *&c.* Et sexto post die apud nos (obiit) Joannes Fernelius Ambianensis, cum LXXII. Annos exegisset, regis archiatros, Lutetiæ ad B. Jacobi in macello sepultus. Qui cum plureis annos in philosophicis & mathematicis studiis summa cum laude exegisset, demum se medicinæ totum mancipavit: quam & feliciter fecit, & universam doctissimis & politissimis scriptis complexus est: quæ etsi morte præventus non edidit omnia, ut nec propriarum Observationum desideratissimos libros; tamen veram gloriam iis quæ publicata sunt Europa tota est adeptus, ut tanto viro disciplinæ suæ alumno schola Medicinę Parisiensis æternum sit jure gloriatura.

JOH. CRATO à KRAFTHEIM, *Ioachimo Camerario. apud Scholtzium, Epistol.* 110.

DE Fernelio hoc dixiſſe Fallopium, Fernelio hoc tempore attribui palmam in re medica, etiam illius æmuli non negare poſſe, & Italos, qui ſuo more magnos viros obtrectationibus volunt premere, neceſſario agnoſcere, Fernelium ſummum hujus ætatis Philoſophum & medicum: velle tamen, minus eum fuiſſe audacem in reprehendendis veteribus. Vide quam Fallopii judicium cum tuo conſentiat.

JOH. CRATO à KRAFTHEIM, *Cæſareæ Majeſtatis Archiatros, Andreæ VVechelo Typographo.*

DE Fernelio rurſus in lucem proferendo, etſi quæ ad priora nunc fiat acceſſio, ignorem, tamen cum ipſum autorem ante annos xv. publico ſcripto probaverim, ſtudium quoque tuum magnopere probo; & etiam nunc in ea ſententia maneo, ſemperque manſurus ſum, præclare Fernelium de univerſa Medicina eſſe meritum, nec me ab ea (licet hoc quidam facere conati ſint) dimoveri patiar. Nam cum ante annos octo Plantius publice ſcripſiſſet, Fernelii opera me in meis ſcriptis adjutum; fuiſſe quoſdam memini, qui parum hoc ad exiſtimationem meam pertinere exiſtimarent. verum tantum abeſt ut moleſte hoc feram, ut Plantio etiam demortuo gratias agam, qui mei honorifice & in loco mentionem fecerit. Nam ſi meum libellum integre legit, haud dubie, æquiſſimo animo tulit, in quibuſdam me à Fernelio diſſentire, atque abortum iſtum (ſic enim vere Iſagogica noſtra appello) non omnino improbavit: ſi epiſtolam ſaltem quam præpoſui inſpexit, nimium bonam de me habuiſſe opinionem neceſſe eſt. Cur igitur de illius facto male ſentiam, aut quod re ipſa verum eſſe ſtatuam, verbo negem? Ego vero utilem mihi fuiſſe lectionem ſcriptorum Fernelii ex animo profiteor, & hunc in Medicina profeciſſe, cui Ferneliana non diſplicent, ſtatuo. Eſſe quædam & à pervulgatis opinionibus, & uſitatis magnorum autorum ſententiis, in arte noſtra diſcrepantia, in iſtis non ignoro, & à doctis in diſceptationem non pauca vocari intelligo. Verùm quin præſtantiſſimis viris qui contra Fernelium diſputarunt, idem quod mihi evenerit, ut cum in ea inquirerem (id quod ii feciſſe me, qui noſtra legerunt, ſciunt) plurimum in diſquiſitione erudirer, non dubito. Vidi Victoris Trincavellæ præclariſſimi Medici doctrinas quaſdam, in quibus acriter, modeſte tamen, cum Fernelianis rationibus pugnat. Sunt & à Faliopio ingenioſiſſimo quædam vehementer, ut hominis natura ferebat, dicta. Sed illos ipſos quos ingenio & magno artis uſu excelluiſſe ſciunt omnes, utiliſſima ſcripta Fernelii cenſere manifeſtum eſt. Rondoletius parum æquum ſe illi epiſtola ad me prolixe ſcripta oſtendit. Cum enim illius ſententiam de mea Iſagoge exquirerem, ut in Ferneliana animadverteret, præcipue eum occupari, nemini eſt obſcurum. Idem ab aliis Gallis factitatum audio. Verum iſta æmulationis, quæ rivalitati ſimilis perhibetur, vis eſt. Evenire in Italia idem ſummo viro Janni Baptiſtæ Montano præceptori meo doleo, & nuper

per

per animi mei ſenſum Clariſſimo Medico Hieronymo Mercuriali patefeci. Veriſſimum autem eſt, ſcripta, ac potius excepta & divulgata, illius nomen minime illuſtrare: verum ſi recte reputare volumus, ad iſtum modum cogitata eſſe, ut plurimos qui deinceps ſcripſerunt, & nunc quoque docent, præclare adjuvarent, licet hæc diſſimulent, apparebit. Sed de Fernelianis agamus. Memini, cum ante viginti octo annos Phyſiologica Fernelii prodiiſſent, & Argenterius ſua quoque proferret, Montanum vehementer Fernelii, atque adeo omnium conatum, in dilucidandis ſcriptis veterum probaſſe, & nimio Argenterii reprehendendi morbo, quem ille prodit, graviter offenſum eſſe. Baſſianum vero Landum, virum ingenioſum, & philoſophicis ſtudiis atque elegantioribus litteris in primis politum, quem poſt meum ex Italia diſceſſum atra dies abſtulit, cum forte ad me veniſſet, & apud me Fernelii librum reperiſſet, totum cupide domi ſuæ attente perlegiſſe, mihique illius judicium exquirenti hoc reſpondiſſe; Gallus iſte ingenii & doctrinæ luce atque ordine nobis Avicennam vel totum obſcurabit, vel ut multos illius errores videamus, faciet. Vere Baſſianum judicaſſe, nec minus Fernelium quam Avicennam de arte Medica bene mereri voluiſſe, monumenta ingenii, voluntatis ſpeculum ſunt. Quanto autem illuſtrius & evidentius omnia in Fernelio quam Avicenna appareant, qui non perſpicit, ille ſua quadam perſuaſione cæcus eſt.

THOMAS JORDANUS *de Peſte, cap.* 12.

JOannes Fernelius Ambianus, in arte medica non aliter quam Hercules in Augiæ ſtabulo repurgando, univerſo vitæ tempore, & quidem feliciſſime occupatus. Monumenta ſingularem raramque eruditionem teſtantia, oſtendunt, quam longo intervallo omnes qui modo vel olim ſcripſere, à tergo reliquerit: ut nullus equidem illi par, nedum ſuperior jure haberi, cenſerique debeat; tanta dexteritate, ſermonis nitore, elegantiaque diſſipata, ne dicam confuſa, diſperſaque hinc inde, vaſtæ artis volumina in compendium redegit, ut nec quod intermiſſum deſideres, nec quod ſuperfluum reſeces, vix quod reprehendas noris ipſe. Quapropter noſtri ſeculi Phœnix non indecoro elogio quibuſdam appellatus fuit. cujus vivacitatem utinam fata illi conceſſiſſent! plurimos utique relicturus fuerat puriſſimæ limpidiſſimæque ſcaturiginis ſuæ perennes rivulos, quibus horti Medici ſaluberrima irrigatione aſperſi fructus non abſimiles edidiſſent. Attamen volumina quæ extant, famam nomenque illius æternitati perpetuæ jamdudum conſecrarunt. quare præſtiterit, pede revocato, nihil quam pauca de ejus laudibus dicere, & quia jam maximus volitat per ora virum.

JOH. HEURNIUS *de ſtudio Medico, cap.* 5.

UNum, ex hujus temporis ſcriptoribus, Veteribus addo, doctiſſimum Fernelium, qui Arabum ductum non ſine Græcorum demonſtrationibus ſecutus fuit. Ejus lectionem laudo: modo cum jam dictis auctoribus conferatur, locaque annotentur, ex quibus ſuos rivulos traxerit: optima enim ex cunctis ſelegit. ſed ſtare ejus auctoritate non potis eſt, niſi ubi firma demonſtratione ſua ſtabilivit. Quare

in antiquos suos fontes si refundi possit, sane limpidissimam firmamque scientiam pareret. Sed totus eo abduci nequit, ut qui sponte interdum declinat & abit. Quid tunc agas? litem dirimit antiquorum demonstratio collata cum hujus rationibus; & usus. hæc si vicerint, excutiantur nova tanquam amentatæ hastæ. sin Fernelius quid melius, retineatur. & gratiæ illi ascribantur, ut qui pomœria medica auxerit. Sed gravis hic est auctor, nec in primo Medicinę limine ponendus: sed à Galeno hoc potius utendum. Qui tamen compendiosam Medicinam nimium amat, hunc legat cum judicio: is enim, ut verum fatear, Græcam & Barbaram medicinam fere uno in volumine conclusit, & propriis locis philosophiam medicinæ intulit: ut non sit necesse aliam physicam usibus medicis quærere; cum ex latissimo naturæ ambitu fœcunde medicum campum irrigarit.

CASP. HOFMANUS *de Thorace, lib. 2. cap. 11.*

LIcet quæ Fernelius de facultate vitali congerit 5. *Physiolog.* 13. jam sint refutata à Iouberto, *Com. in Fac. nat.* 1. libuit tamen repetere propter autoritatem, quam apud plerosque sibi conciliavit, nescio quo suo merito.

ÆMYLIUS PARISANUS *Subtil. Exercit. lib. 2. cap. 6.*

FErnelius, me judice, haud subtiliter philosophatus. Quippe suo quæ Marte commentus est, falsa omnia, uti facili negotio cuique etiam parum in philosophia exercitato, ob oculos ponemus.

GULIEL-

GUILJELMUS PLANTIUS
CANDIDO LECTORI.

DIU multumque dubitavi, Lector benevole, an quæ de Medicinæ parte Therapeutica restabant D. Joannis Fernelii Opera, & ab eo paucis ante diebus quam è vivis decederet, mihi ut accuratius exigerentur commissa, in lucem calamitoso hoc tempore edere & publicare deberem. Eam esse senescentis hujus & vergentis sæculi judiciorum licentiam animadvertebam, ut perfricta fronte quo quisque magis est, non recentiorum solum, sed veterum etiam scriptorum censorem se & castigatorem statuat, atque pro libidine interpretetur: ea opinionum & interpretationum dissensione atque discordia fieri, nihil ut jam ratum & constans, nil firmum & perpetuum in ullo artium disciplinarumve genere habeatur, sed in contrarias non modo sententias, sed etiam partes & studia diversa eatur, tacitis inde odiis & occultis simultatibus residentibus in multorum animis, quæ levi irritamento vel in jurgiosas & inimicitiis incensas contentiones & altercationes erumpant, vel (quæ fundi nostri est calamitas) in malevolentiam & communem omnium perniciem exardescant. Quo fit, ut ii consultius agere videantur, qui scripta sua quantumvis ad publicam utilitatem elimata, in tempus aliud supprimunt vel blattis & tineis arrodenda, quam qui hac tempestate evulgantes, judiciorum aleam subeunt & periclitantur. Iam vero digna imitatione (non invidia) quum sit hominum excellentium virtus, quod quævis ingenia, ut ait Plato, ardua & seria studia non attingant, ideoque judicio, prudentia & præscripto eorum, qui multo rerum usu triti, & diu magna cum laude in arte quapiam versati sunt, niti, dirigi & confirmari juniorum conatum oporteat: multi tamen stulta opinione sui & philautia nimium sibi placentes, vanaque scientiæ persuasione inflati, spretis recentiorum scriptis, in veterum quidem lectione occupantur: sed rectam doctrinæ viam quum ignorent, nec prudenti duce & magistro uti velint, in eos illud ex veteri Comœdia apte quadrare videtur, καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ᾽ ἐκτὸς τῆς ὁδοῦ. Ad ostentationem enim vetustos authores pervolitant, temereque huc illuc errabundi feruntur: atque si quid obiter tanquam canis è Nilo obbiberint, id vel identidem eructant, vel (quum sint κακοστόμαχοι) in absurdas opiniones convertunt. In aliorum quorundam mentibus inveterata quædam invidia adhuc viget, ut quam ne mors quidem ipsa extinguere potuit. His non modo scripta Fernelii invisa sunt, sed nomen quoque netastum. Alii legunt quidem, sed ut calumnientur & maledico dente carpant, propterea quod ad doctrinæ auram captandam id plurimum facere vulgus sibi persuadeat. Quendam esse audio, qui fastu & arrogantia intolerabili, Fernelii, tanquam Ulyssis, errorum rhapsodum se profiteatur, quique de his longam jam conscripserit Odysseam, quam propediem sit editurus. Cæteri delicati & fastidiosi homines tantum ea probant, quę ad palatum faciunt. Nullum itaque ex publicatione horum librorum operæ precium facturus videbar: nisi & hic & reliqua Gallia ceterisque regionibus exteris multi invenirentur meliore quadam natura & severiore acrioreque judicio præditi, qui quotidianis propemodum precibus & litteris horum librorum emissionem tum à Philiberto Bariotio, Fernelii dignissimo genero, & in magno Regis consilio Præside æquissimo, supplicumque libellorum in Regia magistro, tum à me etiam efflagitarunt, nisi

****

etiam

etiam præcellentium Medicorum externorum de Fernelii doctrina singulari testimonium accederet, inprimisque Ioannis Cratonis Vratislaviensis, medici Cæsarei clarissimi, qui in Isagoga, quam in artem medicam doctissime simul & ad tyronum captum aptissimè scripsit, Fernelii honoris causa meminimit, ejusque scriptis multum se adjutum fatetur ingenue. Typographo vero, hanc editonem urgenti, quamvis Platonis illud crebro occinerem, οἱ ἄγαν σπεύδοντες βραδύτερον ἀνύουσιν, in mora tamen periculum à plagiariis esse dicebat, quod superioribus annis Mompessuli divendita fuissent à quodam de medicamentorum compositione fragmenta, nomen Fernelii præferentia: & hic quendam esse constaret, qui Φερνελίσκον sic vulgo appellari οἷον μετεμψυχωθέντα σμικρόν τινα Φερνέλιον tantisper affectavit, dum sub eo nomine (velut amictu scenico) notatus, populari sermone & rumore percrebresceret vulgoque jactaretur: nunc autem postquam famosus etiam apud mediastinas mulieres evasit, eum ob cujus nominis splendorem & celebritatem tantopere famigeratus est, aperte odisse, calumnari, & improbitatis etiam damnare non veretur, quia secreta scilicet quædam sua posteris non prodidit, quæ tamen ipse, ut alia longe plura & ἀῤῥητότερα artis arcana, ad gravissimos quosque morbos à se inventa posteritatem celare nolit. Cæterum ne longius excurrat oratio, quid in præsentia habeas à nobis, & in posterum expectare debeas, paucis accipe. Hac editione exhibemus libros s ptem Physiologicos, totidem Pathologicos, & tres Therapeuticos, ab ipso authore accurate omnes recognitos, & locis quamplurimis, quam antea multo auctiores redditos, & medicamentarios quatuor nunc primum luce donatos, qui ad Therapeuticæ septenarium explendum desiderabantur: ut totum opus uno & viginti libris constaret & absolveretur. Nam duos de Abditis causis adjecimus, non ad totius integritatem, sed ad Physiologiæ, Pathologiæ & Therapeuticæ locorum difficiliorum diffusiorem & enulceatiorem per dialogismum explicationem. Nostra quoque scholia in septimum Therapeuticæ librum edidimus de autoris consilio & jussu, strictim illa quidem à nobis & carptim enodata, quum cur adjectum subtractumve, immutatum ant retentum, antiquatum aut novatum in medicamentis tam simplicibus quam compositis quid esset, causam reddimus. His fruere, dum tibi de particularibus morbis curandis septem alios libros apparamus, seorsum altero opere Enchiridii forma, quo facilius circumferri possint, excudendos. Horum primus qui febrium, & septimus qui morbi Gallici curationem continet, ab authore ipso perfecti absolutique reliqui tantum sunt inchoati. Hos, ἂν Θεὸς θέλῃ perficere licebit ex aliis authoris scriptis, quæ partim adversaria sunt, partim rescripta & responsa de variis morbis, ad ducenta fere relicta, præter commentarium cui titulum fecit, OBSERVATIONES EORUM QUÆ CURANDIS MORBIS NOVA DEPREHENDIMUS, & alia in pluteis & forulis reperta: in quibus, quæ propria sibi author & peculiaria ad graviores morbos habuit remedia, continentur, multo longoque medendi usu & frequenti meditatione probata. Ex hoc instructissimo penu prolixe tibi depromentur quæcunque ad publicam utilitatem pertinere videbuntur. Conficiendorum vero & parandorum medicamentorum formula ad pharmacopœos, & Prognosticum opus, quia adumbrata duntaxat sunt ab authore, non nisi longiore tempore absolvi edique possunt. Interim vale: Lutetiæ Parisiorum, Calendis Martiis 1567.

INDEX

INDEX
CAPITUM.
PHYSIOLOGIÆ

Liber Primus,

In quo partes corporis humani describuntur.

Liber secundus,

DE ELEMENTIS.

Liber tertius,

DE TEMPERAMENTIS.

Liber quartus,

DE SPIRITIBUS ET CALIDO INNATO.

tus

Liber quintus,

DE FACULTATIBUS.

Liber sextus,

DE FUNCTIONIBUS ET HUMORIBUS.

Liber septimus,

DE HOMINIS PROCREATIONE ATQUE DE SEMINE.

PATHOLOGIÆ,

Liber primus,

DE MORBIS EORUMQUE CAUSIS.

De Morborum Causis.

Liber secundus,

DE SYMPTOMATIS ATQUE SIGNIS.

Liber tertius,

DE PULSIBUS ET URINIS.

IOANNIS MAGIRI
APPENDIX
AD FERNELIUM,
DE PROGNOSTICIS SIGNIS.

THERAPEUTICES
Universalis, seu Medendi rationis,
Liber Primus,
DE CURA MORBI.

Liber secundus,
DE VENÆSECTIONE.

Liber tertius,
DE PURGANDI RATIONE.

quam

Liber quartus,

DE SUMMIS MEDICAMENTORUM GENERIBUS ET FACULTATIBUS.

Liber quintus,

DE USITATA MEDICAMENTORUM MATERIA.

Liber

Liber sextus,
DE
EXTERNORUM
MEDICAMENTORUM
MATERIA.

PRÆCIPUA,
Libri septimi,
DE COMPOSITIS MEDICAMENTIS LOCA.

PATHOLOGIÆ,
Liber quartus,
DE
FEBRIBUS.

FEBRIUM CURANDARUM METHODUS GENERALIS.

7. Fe-

Liber quintus,

DE PARTIUM MORBIS ET SYMPTOMATIS.

Liber sextus,

DE PARTIUM QUÆ SUB DIAPHRAGMATE SUNT MORBIS.

DE LUIS VENEREÆ CURATIONE PERECTISSIMA LIBER.

Liber septimus,
DE
EXTERNIS CORPORIS AFFECTIBUS.

LIBER CONSILIORUM.

54. Pro

Liber primus,

DE

ABDITIS RERUM

CAUSIS.

Liber secundus.

Finis Indicis Capitum & Consiliorum.



AD

HENRICUM II.

GALLIARUM REGEM

Christianißimum,

IOANNES FERNELIUS,

AMBIANUS.



QUAECUNQUE olim causa, Christianissime Rex, homines late dispersos passimque bestiarum more errantes ad civilem vitæ communitatem convocaverat, eadem quoque ad instituendas artes humanæ societati necessarias excitavit. Ea autem (sive rerum ad vitam conducentium fuerit necessitas, sive politica hominis natura, sive ratio gloriæ stimulis concita) non modo inventas quondam institutasque artes alit, tuetur atque conservat: sed præclara quæque ingenia ad eas magnificentius augendas exornandasque continenter accendit. Tandiu sane inveniendarum atque exornandarum artium homines desiderio tenebuntur, dum illorum vitæ societas communitasque manebit. Ita enim hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint. Medicina vero una ex omnibus artibus Deorum munere & benevolentia hominibus concessa, ad eorum utilitatem salutemque tuendam in primis est constituta. Quicquid igitur diuturna meditatione longoque medendi usu quotidie observatur, id in commune bonum ingenuo liberalique animo conferendum. Neque eorum æstimationibus utendum standumve judiciis, qui permultos causantur nobilissimos

 &cla-

& clarissimos scriptores extitisse, quorum scientia ubertateque rerum & copia, ars medendi inventa consummataque sit: quique non ultra progredi oportere contendunt, omnemque scribendi laborem ut supervacaneum refugiunt & aspernantur. At certe, sive quod rerum omnium quædam sit vicissitudo, quicunque ad unamquamque rem æstimandam momentoque suo ponderandam severiore & æquiore utuntur judicio, probabiliore consilii causa ac ratione putant, vix ullum veterum huic ætati satis esse posse. *Galenum* namque (qui medendi artem ab Hippocrate præclare institutam, post Herophili, Dioclis, Archigenis, Athenæi, aliorumque præcepta, auxit & illustravit) Asiaticæ redundantiæ insimulant: quod πολύγραφος nimium, multa artium librorumque congerie (nam prę ter ducentos & quadraginta quos de aliis disciplinis, de medicina supra quadringentos conscripsit) multorum studia restinguat, & ad rem properantes detineat. Eum quidem fatentur mira persuadendi necessitate disputasse subtilius; sed quod initio minime statuisset universam artem complere, brevem præcipiendi legem non observasse: ea identidem locis compluribus inculcasse, nunc huc nunc illuc studio reprehendendi avide ferri; sicque sæpius ambiguitate lectoris animiū distrahere. *Aræteum, Aëtium, Paulum, Alexandrum, Actuarium*, reliquosque Græcos juniores nimium concisos existimant, nec satis ratione niti; nec artem universam, sed eam maxime partem quæ in actione tota versatur, perstrinxisse. *Arabes* autem barbare, spurce, fœde in Latinum traductos, pharmacopœos & circumforaneos potius quam veros medicos experientesque genuisse. Quumque nullis demonstrationum legibus, sed puris nudisque verbis singula persequan-

quantur, multa illos dicere, perpauca docere. Addunt & illi, permultorum morborum causas hactenus ignoratas fuisse, unde alii dissentaneam, alii prorsus nullam curationem acceperunt. Vacuandi quoque leges turbide adeo & inconstanter traditas, & controversiarum obscuritatibus sic implicitas, ut sępius inter peritissimos haud facile constet quodnam usurpandum remedii genus. Plurimas denique medicamẽtorum compositiones nulla certa ratione concinnatas empiricam nimium redolere vetustatem. Horum querimoniis & sermonibus quum sæpe intellexisses, *Invictissime ac Humanissime Rex*, artem medendi mancam adhuc & solum inchoatam esse, & ætatem dierumque numerum multa produxisse, ad quæ nulla ingenii acies penetraverat, sine quibus tamen artis absolutio non sit perfecta: communi hominum saluti consulens jussisti, ut veterum medendi præceptiones pleniore doctrina pluribusque observationibus illustrarem atque locupletarem. Id nimirum compertum habens, quod omnibus est in confesso, nullam toto terrarum orbe civitatem esse, in qua philosophiæ ac medicinæ controversiæ doctius crebris disputationibus dirimi, aut pluribus artis operibus nova simul ac vetera probari examinarique possint, quam in hac tua Parisiorum Lutetia; idque propter summam urbis tum celebritatem tum frequentiam, in quum non è Gallia modo, verumetiam ex omnibus propemodam Europæ regionibus admirabiles ac sæpe inauditi morbi vel curandi vel dijudicandi perferuntur. At ego principum obsequiis civiumque nostrorum officiis implicatus, non citra valetudinis meæ & rei familiaris dispendium, magnis lucubrationibus hoc scribendum opus suscepi: atque eo certe lubentius, quod doctorum virorum hortatu ac precibus

quasi

quaſi ſtimulis ad perficiendum acrius incitarer: qui aliis compluribus, non mihi uni, vivendum eſſe proponebant. Quanquam autem magnum hoc & ſumme arduum provinciæ munus eſſe video, judiciorum tamen ſeveritate minime deterritus, quicquid periculi eſt ſubire, ingeniique vires experiri, honeſtum cum primis & generoſum eſſe duxi. Si ſummam, quæ deſideratur, perfectionem non ſum aſſequutus, eam tamen conatus ſum adumbratione quadam exprimere. Cognito enim veterum judicio, & omnibus perlectis qui de Philoſophia atq; Medicina aptius poſteris tradiderunt, non quæ cogitatione ſola plerique fingunt atque comminiſcuntur, ſed quæ, vera ac ſolida, ac optimis quibuſque, tum Græcis, tum Latinis, tum Arabibus, firmiſſimis argumentis probata, ad medendi uſum conducere obſervaveram, excerpſi, & in unum contuli. Quid de quaque re controverſa ſentiendum putarem, libere pronuntiavi; non uni alicui me addicens, ne aut in arrogantiam, aut in errorem magnopere incurrerem. Sic multorum lites diremi, dubia ſtabilivi, obſcura illuſtravi, abdita protuli, nova quam plurima & hactenus incomprehenſa paſſim adjeci: adhæc rationibus, argumentis, demonſtrationibus, ſigis, teſtimoniis, exemplis uſus ſum frequenter. Cæterum ubique modum tenui, & rem omnem ſic temperavi, ut neque Lectorem immodica profuſione verborum onerarem, neque brevitatē nimium conciſa ſuſpenderem, neque vel experientiam ſolam, vel rationem ſequerer. ſed viam brevem primum cognoſcendi; deinde agendi curandique indicarem. Quod igitur tibi quondam Regi deſignato inchoatum opus devoveram, idem nunc amplo diademate inſignito, multis partibus auctum & locupletatum, non dubitavi hoc etiam armorum procinctu & tur-

bu-

bulentis rebus nuncupare: id ſcilicet perſpiciens, in graviſſimis te occupationibus leviora non aſpernari. Summa quippe natus humanitate ſuaviſſimiſque moribus, neminem unquam, ne offenſus quidem, acerba animadverſionis ſeveritate videris perſequutus: ſed tua clementia & animi lenitate ſic omnia piis juſtiſque legibus prudenter moderaris, ut te omnes mirifice colant, venerentur ac obſervent. Bella certe varia, eaque acerrima, pro veteri Galliarum jure, proque externorum tibi fœdere devinctorum libertate, terra marique cum hoſte potentiſſimo jam diu geris quam feliciſſime. Ac nihilominus omnia toto tuo imperio ditioneque ea tranquillitate adminiſtrantur, leges tam pie ſancteque ſervantur, literarum ſic vigent ſtudia, philoſophiæque genus omne ita excolitur, ut placidiſſima omnes frui pace videamur. Nullus uſquam turbulentus errantium militum inſultus, diſciplinæ militaris ſumma obſervatio, infima quæque plebecula ſuis libere potitur; nec uſquam niſi magna æquitate tuorumque benevolentia vel nummos vel commeatus vel alia in immenſos belli apparatus comparas. Tantarum rerum adminiſtratione merito omnes in te uno probitatem, vigilantiam, providentiamque ſingularem, omnium denique virtutum cumulum admirantur & ſuſpiciunt. Præclara hæc proſperis cœpta auſpiciis Deus Opt. Max. bene fortunet, & nominis tui memoriam rerum gerendarum magnitudine conſecret immortalitati.

****** IOAN-

JOAN. FERNELII,

AMBIANI,

IN

MEDICINAM

PRÆFATIO.

Homini.

RERUM *omnium quæ naturæ lege imperioque continentur princeps homo, etsi divinorum caducorumque particeps, amborum societate gaudet; excelsiorum tamen ardenti desiderio inflammatus parce ea sequi debet, quæ sordida, vilia atque abjecta persequitur impetus belluarum. Id execrandum profecto & detestabile videatur, si, quam sui partem suscepit homo cœlestem atque divinam, sic eam aut turpitudine vitiorum contaminari, aut blanditiis voluptatum irretiri, aut mortalium rerum cura atque solicitudine obrui sinat; ut oppressa ac perdita nequeat aliquando recreare sese & altius extollere. Qui enim eum vitæ cursum tenent, ut solis sensuum blandimentis illaqueati ferantur, nihilo mutis animantibus videntur præstantiores: quoniam & bestiæ necessaria vitæ præsidia inquirunt, & parant, summaque tum sui tum prolis cura ipsis inest, uti & voluptatum. Generosissimi vero sapientissimique hominis est, mentem corporis inquinamentis obsitam ad rerum præstabilium contemplationem erigere; ut quantum unus inter hæc omnia excellit, perspiciat, & corporis hisce compagibus licet implicatus, mentis agitatione tamen fiat originis suæ memor, & consors divinitatis. Hæc summa humanæ vitæ perfectio, hæc optima maximeque divina ratio vivendi: qua qui insignes olim fuerunt, Dii rite sunt habiti, & amplissimis honoribus affecti, tum quod alta sapientia essent admirabiles, tum quod magna fructuosaque beneficia in homines contulissent. Inde accenso cæteris animo inflammatoque ad gloriam, ut multiplex erat mentis impetus & intentio, utque varia erant ea quorum studio capiebantur, complura disciplinarum genera perpolita sunt; quæ partim necessitate, partim studio cognoscendi fuerant inchoata.*

Non corpus sed animus excolendus.

Quem qui excoluere honoribus affecti.

A quibus nata disciplina.

Tria philosophiæ genera à mente contemplante. Naturalis philosophia. Theologia.

Alii operum naturæ concentum eximiamque formam & pulchritudinem admirati, & earum rerum suavitate pellecti, quæ corporibus innixæ, mutabiles, mortalesque sub sensum cadunt; ortus earum causasque magnis sudoribus sedulaque vigilantia scrutati, naturalem philosophiam condiderunt. Alii

animi

animi sublimioris impulsu in res divinas acerrime intenti, illas quidem sempiternas, immutabiles, separatas nulloque sensu comprehensas; quoad fert humana fragilitas, theologiam cognitionemque Deorum prodiderunt. Intervenerunt alii, medio contemplationis genere ducti, qui mathematicas disciplinas erexerunt: illustres quidem illas, & demonstrandi subtilitate certissimas. Has Plato divinarum naturaliumque rerum confines & intermedias statuit, quod sempiternæ sunt & immutabiles, sed in corpore positæ atque subjectæ sensibus. Sunt hæc tria jam multis seculis celebrata sapientiæ studia, ex rerum quas versant varietate nata, mentis unius sublimioris contemplatione formata. Non enim vitæ illa commodis, non voluptatum illecebris, non ullis denique fortunæ corporisque bonis aptantur, neque in res tanta contemptione despicatas se demittunt: sed propriis coercita finibus in se tota tanquam in orbem vertuntur; propter se, non ob aliud-quicquam mortale, expetenda, utque potissimum inscitiam erroresque turbulentos ab animis depellamus.

Mathematica. Contemplationis præstantia.

Cæterum qui animo minus excelso, nec satis ad philosophandum nato comparandoque fuerunt, ii item ne otiosam ætatem & sine contentione inertem traducerent, hominum aut commodis aut voluptatibus destinati, mentis illius πρακτικὴν, id est, agentem dixerunt, concitatione inferiores pepererunt disciplinas, prudentia omnes & arte comprehensas. Horum enim quicunque in hominum moribus conformandis, & recte vivendi instituto omne studium collocassent, ii ad moralem facultatem aditum fecerunt, & ad civilem & œconomicam; quæ moderatrice prudentia administrantur. Accedit his historia, rerum gestarum memoria & antiquitatis commemoratio; uti & Geographia, locorum gentiumque descriptio sine qua ne illa quidem illustratur atque spendescit. Omneis porro artes excitarunt, quicunque non actus hominumque mores, sed effectus & opera sunt persecuti. Primum ut animi sensa locutione (hæc enim effectus est, quod linguæ organo fiat, actus vero nullus corporei instrumentis ope indiget) exprimerent, grammaticam concinnarunt, quæ emendate loquendi ars est, & poësim numeris astrictam, & rhetoricam, quæ ornate copioseque dicendi doctrina, & dialecticam, quæ recte disserendi est ratio. Ad humani corporis sanitatem vel tuendam vel recuperandam medicina; ad alimentorum vitæ necessitatem agricultura; ad ædificiorum extructionem architectura inventa excultaque est. Sic textores, fabri, aurifices, sutores, zonarii, pistores, lanii, fictores, pictores, librarii, aliique innumeri suas artes hominum commodis, aptaverunt. Sic musici, cantores, tibicines, histriones, gladiatores, saltatores, lenones, scurræ, aleatores, quasdam artes celebrarunt ad hominum delicias atque voluptatem, quæ aut prorsus sordidæ, aut parum ingenuæ sunt.

Mens agens artium effectrix. Circa actus & mores disciplinæ. Circa opera sunt artes. Utiles. Voluptariæ.

 Sed

Philosophiæ & artis differentia. *Sed quum omnis philosophia rei in quam incumbit materiam excutiat & ponderet, artis id erit cujusq; proprium, ut in materiam quæ sponte suapteq; natura prodiit in lucem effectionem quandam & facultatem inserat, quæ sine hominum aut mente aut manu per se ipsa non accederet. Non enim ars materiæ, sed artificium in materiã extrinsecus confert quod aut stabile est ac firmum, velut in extructis ædibus: aut fluxæ atq; præceps, ut in tibicinum harmonia. Hæc igitur sunt philosophiæ (quæ mater omnium bonarũ est artium) studia, hæc prudentiæ, hæc artiũ discrimina; summaq; disciplinarum genera, quæ tum diversa mentis agitatio, tum rerum quas tractant varietas quam maxime disjunxit.*

Unde philosophiæ & artium dignitas spectetur. *Iam vero id inde scrutemur, quam sit ars unaquæque vel disciplina præstans & ingenua, quantoque dignitatis splendore aliæ aliis præluceant. Deorum cœlestiumque animorum actio præstantissima sententiis omnium judicatur, quod in rerum optimarum contemplationem penitus incumbat: beluarum vero (quæ vitæ necessitati serviunt, & ad voluptatem omni impetu feruntur) humilis, vilis & obscœna. Hæc si ad humanas transferimus actiones, nobilissima summeque liberalis & ingenua videbitur hominis contemplatio, omneque genus philosophiæ præclarum: illiberalis autem & sordida omnis opificum industria, quorum labor & opera non ardua vis animi censeatur. Inter hæc autem ars consedit, quæ suo genere tanto digniore quæque loco ponetur, quanto præter cæteras animum sublimiore contemplatione excolit, per quam intelligentiores sumus, & meremur sapientes appellari: idque maxime si non illa odium offensionemque hominum in se struat, sed haud mediocriter frugifera sit & fructuosa, cum aliis omnibus tum ipsi quoque artifici. Quænam igitur videri debet inter artes principatum obtinere; cujus adminiculo his corporis inclusi compagibus vitam transigere possumus beatam atque tranquillam?* Marco Tullio *sola naturæ cognitio contemplatioq; rerum haudquaquam placet, sed ignava ac iners prorsusq; manca, & duntaxat inchoata habetur, si nulla comitetur administratio rerum, nec sit ad hominum commoda societatemq; tuendam comparata.*

Medicina artium utilissima. *Si omnes omnium artium commoditates, facultates atque copias dispicis, nihil est* Medicina *melius, nihil optabilius, nihil hominum generi datum præstabilius. Nam si est vita cunctis mortalibus charissima; si lux ea cum primis expetenda, in qua vivimus, spiramus, & jucunda consuetudine inter nos conjungimur; si ea primum est & præstantissimum munus animantibus attributum: ars quæ illam servat, continet, ac tuetur, quo pacto non sit omnium præstantissima? quid ea potest homini magis in votis esse, quæ infestissimos humani generis hostes, morbos, inquam, & adversam valetudinem propulsat? quæ vitam incolumem ab omni ærumna & languore liberam quam diutissime tutatur? Ut corporis firma constitutione nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores:*

sic

ſic imbecilla & labante illa nihil laborioſius, nihil calamitoſius. Qui ergo in hoc periculum diſcrimenque adductis ſubvenire & opitulari queat, tantum abeſt ut in illorum offenſionem incurrat, ut etiam illos ſumma conſuetudine & amicitia ſibi conjungat, atque quaſi pro numine, inquit Hippocrates, *colatur. qui* de arte *tantas opes reſtituerit, per quas externæ quoque fortunæ obtineri poſsint, illarumque uſus jucundus atque dulcis habeatur.*

Cæterum ad ea quæ medicina ratione perluſtrat converſus, quam præclara & Præſtantiſſima. *nobili contemplatione rerum plurimarum naturas perſequatur atque perveſtiget, intelliges. Vt enim admirabilem hominis fabricam naturamque explicat & evolvit. ita rerum cunctarum ortus & occaſus, ipſamque omnium ex elementis compoſitionem, animalium ſtirpiumque proprias vires (tametſi non abſolute, quatenus tamen homini ſalutares ſunt aut peſtiferæ) inquirit atque parat. Quin & altius ſubiens, quæcunque ex patefactis terræ faucibus eruuntur, ſcrutatur; indeque ſublata cœlorum & ſyderum converſiones, & quæ inde fluunt dimanantque virtutes orbis inferioris moderatrices obſervat. Hæc au-* Aliarumque ſcientiarum & artium indiga. *tem quia non aliter quam certa demonſtrandi ratiocinandique via obtineri poſſunt, quis eat inficias, mathematicas arteis & dialecticam aditum ad hæc patefacere? ac multo etiam magis rhetoricen atque grammaticen deſiderari: ſine quibus non modo copioſe ornateque dicere, ſed ne emendate loqui quidem liceat? Quod ſi ea vel neceſſariæ ſunt, vel opis quiddam & auxilii conferunt, & cen gradus quidam & aditus ad medicinam jaciuntur atque patent; medico quidem omnes erunt perdiſcendæ: quod (ut inquit* Ariſtoteles *(ejuſdem ſit finem ipſum, & ea quæ finis gratia ſunt, cognoſcere. Quis enim eum pictorem non in magna gloria & laude ponat, qui præter operis lineamenta & pigmentorum aſperſionem, novit tabulam perpolire, colores juſta temperatione permiſcere, penicillum in omne varietatis genus conformare? contra vero eum non vituperet, & tanquam rudem ignarumque damnet, qui nullam iſtorum cognitionem habet, ſine quibus majora percipi non poßint? Idem quoque de medicina ſtatuo, ut nemo hanc tentet vel à limine ſalutare, qui non antea illis diſciplinis meritam & juſtam operam impenderit, ſitque illarum inſtitutis liberaliter informatus. Tanta igitur rerum cognitione præcellit medicina, ut omnium quæ mundus complexu ſuo coërcet, naturam atque vires ſolerter conſequatur, quas demum ad unius hominis (cujus præcipua illi cura eſt) commoda ſalutemque referat, ut illorum uſu & appulſu integram corporis valetudinem conſervet, adverſam depellat: quanquam non ſemper hunc ipſum finem attingit. Hinc nos ſic illi* definitionem *adhibebimus.*

Medicina eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam, profligandoſque morbos, comparata.

Ex Galen. ad Thras. cap. 5. Medicina quid. Medicina genus.

Quoniam enim quæcunque medicina ratione perlustrat, ad hominum utilitatem refert & accommodat, artis nomine universam contineri *par est. Non enim ut quispiam existimaverit, partim scientia, partim ars dicenda, tametsi ex multis constet theorematis, quæ ipsa quidem sola per se scientia continentur. Verum quoniam omnium medicinæ partium inter se quam aptissime cohærentium & concordantium ea est conspiratio, is consensus, ut homo salvus & incolumis servari possit, æger autem in integrum restitui, ex ipso fine universa artis nomen accipiat.*

Subjectum.

Porro autem ut cujusque artificis interest, subjectam, quam tractat, materiam *omnino perspectam habere, quo expeditius in omnem artificii speciem & decorem flectere illam possit & torquere: ita & medico* humani corporis *natura primum cognoscenda est omnibus suis partibus absoluta. Quod sane totius medicinæ subjectam materiam esse confirmamus; non autem morbos ac vulnera. Vt enim dum fictor in rudi adhuc & informi ære Herculis effigiem imprimit, hæc artificium est & summum artis opus, æs vero materia, quam varie tractat; ita & dum medicus ex ægro corpore sanum facit, unum idemque corpus manet, quod subjectum est & materia.*

Forma.

Quæ depulsa ægrotatione comparatur sanitas, *species est &* forma.

Efficiens.

Hujus autem efficiens causa, medicus: aut potius ars medendi. *Dum enim hæc præceptiones tradit, unde procuratio est valetudinis, dicitur sanitatem efficere. Sic enim* Aristoteles *artem nimirum id esse statuit, à quo demum omnis motio proficiscitur. Medicus est artis perinde atque naturæ minister: cujus est officium curare apposite ad sanandum.*

6 Ethicor. cap. 4.

Finis.

Finis *autem cujus gratia sanitas procuratur, est* vitæ functionum integritas.

Itaque totus in hæc duo incumbit, ut sanitatem in corpore conservet, ut morbum depellat. Atqui neutrum plane conferre potest, nisi eorum quot differentiæ sunt & genera, quæ causæ, & quibus signis noscuntur, jam ante perspectum habeat & cognitum.

Ex introductorio cap 7. Divisio Medicinæ in Physiologiam, Pathologiam, Prognosticen, Ὑγιεινήν.

Quocirca totius medicinæ partes quinque *sic ordine collocabuntur.*

Omnium prima *existet* φυσιολογική, *quæ hominis integre sani naturam, omnes illius vires functionesque persequitur.*

Altera παθολογική, *morbos & affectus indagans, qui præter naturam homini possunt impendere, & quæ illos causæ efficiant, quæ signa demonstrent.*

Tertia προγνωστική, *signa explicans, quibus medici futura præsentiunt, & quis morborum decursus, quis exitus sit futurus.*

Quarta ὑγιεινή, *quæ firmam corporis constitutionem bona vivendi lege conservat,*

ſervat, & imminentia mala arcet; ſimul ægrotis propriam & accommodatam victus rationem decernit.

Omnium poſtrema *pars* θεραπευτικὴ *ægram corporis affectionem ſalutarium uſu & admotione propulſat, ſanitatemque reſtituit: quæ ut ſumma totius Medicinæ artem via & ratione condit, variaque præſidia ſuggerit, quibus tum toti corpori, tum cuique laboranti particulæ opportune ſuccurrit.* Therapeuticen.

Ex his igitur quinque partibus medicinæ conſtituitur: quarum tres priores in contemplationem & ſimplicem rerum cognitionem feruntur, duæ poſteriores omnino in actione conſiſtunt, omne ſtudium in tuenda ſanitate, aut abigendis morbis collocantes. Vnde à quibuſdam quinque partes in duas redactæ ſunt, theoreticen & practicen, quarum hæc opus omne perficit, aut lege vivendi, aut medicamentorum viribus, aut manus opera & adminiſtratione, quæ imponit, ſecat, incidit, uritque ferramentis. Vnde jam practicæ non partes, ſed ſpecies tres ſtatuentur, διαιτητικὴ, φαρμακευτικὴ, χειρουργική. *Etenim affectionum varietas tot curandi genera peperiſſe creditur.* Quæ cum ea coincidit qua Medicina in Theoreticam & Practicam dividitur.

His ita in genere primo aditu ſtrictim breviterque conſtitutis, ſingula deinceps accuratius perſequi par eſt, primumque, totius hominis natura qualis ſit, explicandum.

JOAN.

INDEX
RERUM ET VERBORUM
Locupletissimus:

IN QUO

Numerus prior. tomum priorem vel posteriorem, Posterior paginam indicat A. vero columnam primam B. secundam denotat.

Ama-

 Astra-

Calcu-

Cara-

b 2

E.

F.

G.

H.

I.

Iuni-

M.

Morbi

N.

O.

Omen-

P.

S.

T.

V.

FINIS.



JOHAN. FERNELII AMBIANI, PHYSIOLOGIÆ LIBER PRIMUS, DE PARTIUM CORPORIS HUMANI DESCRIPTIONE.

CAPUT I.

Quo doctrinæ atque demonstrationis ordine ars medica constituenda sit.



Um liber solutusque est animus, nudas & apertas rerum substantias perspicue cernens, clarissima omnium cognitione fruitur: in hoc vero corporis velut ergastulum conjectus, obrutusque oblivione tanquam densa caligine, in summa versatur ignoratione rerum. At nihilominus semina quædam etiamnum retinens divinitatis suæ, rerumque maximarum dulci recordatione quasi igniculis accensus, perpetuo sciendi noscendique desiderio flagrat. Hinc magno cum labore & studio multa recuperat perscrutaturque sensuum ope, atque in ea primum incumbens, quæ sensibus sunt obvia, occultiora tandem ratione colligit sola mente comprehensa. Ita quidem à sensibus tanquam à certis rerum internuntiis stabilita olim fuerunt disciplinarum principia, è quibus demum perfecta omnis humana cognitio ducta derivataque est.

Methodus est vel

Resolutiva. Hippocrates, libello De præceptis statim initio.

Hæc summa est investigandi facultas, quam probatissimi quique Philosophi *ἀνάλυσιν*, id est, *dissolutionem* appellarunt: quæ nimirum vel à toto & universo ad partes & singula; vel à composito ad simplicia; vel ab effectu ad causam, vel à posterioribus ad priora serie deducens, abditiores illas causas investigat, ex quibus singula ortu processerunt.

Compositiva.

Huic adversa est altera *componendi ratio*, quam maxime natura nonnunquam & ars ipsa sequitur: ex partibus ea totum; ex simplicibus compositum; ex causis effectus; ex prioribus posteriora nectit, atque id omnium primum statuit, quod dissoluendo postremum fuit pervestigatum.

Illa ut in Philosophia, (*Φύσις γὰρ τοῦ σώματος, ἀρχὴ τοῦ ἐν ἰητρικῇ λόγου,* inquit Hippocrates de locis in homine.)

Doctrinæ suæ philosophi initium ab analysi duxerunt, quibus curæ fuit omnia dilucide atque certo demonstrationis nexu confirmare. Sic Geometriam & Arithmeticen *Euclides*, sic Astronomiam *Ptolemaus*, sic & Philosophiam *Aristoteles* posteris tradidit, eaque solida doctrinæ suæ fundamenta jecit, è quibus multa tandem producerentur incredibilia vulgo & monstri vel portenti simillima.

Ita in Medicina sequenda est.

Hos igitur quasi vestigiis odorati, tradendæ medicinæ initium ab humano corpore ducemus, quod & artis subjectum existit, & omnium primum sensibus occurrit notissimum: à quo dein per minima quæque deducti, ad ea denique mentis impulsu feremur, quæ cogitatione sola comprehendi possunt.

CAP. II.

CAPUT II.

Quid hominis corpus à cæteris distat animantibus, quasque partes habet cum illis communes.

Corpus animæ gratia constructum & quare.

UT uniuscujusque animantis, ita maxime hominis corpus animæ gratia conditum est; non modo ut diversorium, verum etiam ut organum accommodatum illius insitis viribus expromendis. Atque ut mens, dicente *Aristotele*, formarum est præstantissima, & ratio artium omnium ars vel officina, quod una omnes omnium animantium vires potestate contineat; ita & illius organum instructissimum est, & conformationem pulcherrimam consequutum.

10. Ethicor. cap. 7.

Unde ἄνθρωπος Græcis homo appellatus, quasi ἄνω τρέπων ὦπα, vel ἄνω ῥέπων, cœlum versus erectus.

Itaque homini corpus datum est, tum figura, tum partium commoditate princeps, quod ut divinæ mentis munere fungeretur, tria obtinuit quæ cæteris animantibus negavit rerum natura. *Primum* quidem figuram celsam & rectam, quæ in cœlum suumque conditorem se attollens, cœlestes igniculos & semina divinitatis suæ testatur. *Deinde* summo corpore cerebrum amplissimum, animi ejusque partium sedem: ut enim animus permultis facultatibus prędictus est, ita homini quam cæteris animantibus domicilium capacius dari par erat, idque pluribus instrumentis contineri. *Præterea* manus exporrectas belluis denegatas, quibus facile persequatur quęcunque mens jusserit. Licet quidem & claves soli homini datas, & alia multa multo aliter atque cæteris animantibus informata numerare; sed quę tamen sint illorum trium usibus accommodata: ut sit partium omnium summa symmetria, ex cujus præstantia signum quoddam & specimen sapientis conditoris ostenditur. Hæc igitur homini, quod rationis esset particeps, sunt attributa.

Quædam propria habet.

Quædam cum aliis animantibus communia.

Cætera obtinet cum aliis quoque animantibus perfectis communia. Nam cum summa omnium actio in sensu ac motu consistat, omnia peræque partes in hæc accommodatas acceperunt, ossa, cartilagines, vincula, nervos, musculos, tendones, & alias quibus hæ aluntur, maximeque venas & arterias.

Partes nimirum motui & sensui dicatas. Cerebrum; spina medullam & nervos.

Sensus atque motus primæ partes effe- A ctrices sunt, cerebrum, spinæ medulla, atque nervi. A *cerebro* omnis motus atque sensus, à quo *medulla* in omnem spinam fusa porrigitur: ab hac demum *nervorum* frequens propago, per quos universum corpus movendi sentiendique vires accipit.

Ossa. Et quare.

Cum vero minime tutum esset nec decorum, vermiculorum serpentiumque more repere hominem tot rerum principem, firmis *ossibus* illi natura corpus erexit atque stabilivit: ut tanquam propugnacula essent adversus omnes impetus, & stabilimen atque robur corpori sustinendo; haud secus atque basis & columna ædibus subjecta.

Vt & quare Articulos.

Cæterum non in animante (nec enim B commodum atque utile fuerat) os unicum idque solidum positum est, sed quo in omnem partem flecti moverique posset, ex variis discretisque compactum. Utque elegantiore artificio naturæ hoc opus constaret, idcirco *articulis* ita juncta & continuata sunt ossa, ut cujusque extremitas alterius sinum & capacitatem subeat. Ea structura Græcis est ἄρθρωσις. Ossium extrema sic apte composita, articulos appellamus.

Vincula.

Quoniam vero periculum erat ne motu violento ossa sejugata distraherentur, neve dum artus animal quocunque vult inflectit, contorquet, porrigit, aut contrahit, C ex sedibus exciderent, natura omnem ossium copulationem & structuram arctissimis firmissimisque *vinculis* extrinsecus rotundo ambitu colligavit, quæ articulos non sinant motus agitatione divelli. Validum quidem est vinculum, durum atque firmum, sensu vacans & impatibile, sed quod tamen in angustum adduci possit & relaxari.

Cartilagines.

Addidit & articulis munitionem, dum ossium sinus & summas partes, quæ supercilia à quibusdam vocantur, omnia denique extrema *cartilaginibus* obduxit oblinivitque lubrica lævique materia, quo sint in motibus ab attritu & quassu tutiores. Iisdem

dem quoque auriculas, nares, extremasque costas munivit, ut duriorum corporum occursui cederent, & infracta permanerent. Quemadmodum autem articuli & quæ dicuntur cartilagines, sic & vincula expertia sunt sensus, quæ nil mutuantur à cerebro, qua de causa ne se ipsa quidem movere possunt.

Nervos. At nervo *nervis* quorum è cerebro aut è spinæ medulla est origo, prima sentiendi movendique facultas data, qui tamen quoniam molles sunt, soli transferre nequeunt ossa, tam magna pondera.

Tenones. Ut hæc igitur moverentur, necesse fuit motus instrumentum quoddam creari ex ambobus temperatum, nervo solidius & durius, vinculo mollius, quod in sensu & robore mediam inter illa naturam obtineret. Id quidem est τένων, qui cœpit à nostris *tendo* appellari, ex tenuibus nervi & vinculi fibris intextis concretus.

Tenuia quasi fila tutum non erat sine firmamento in omne corpus distribui, ossaque prægrandia movere: quocirca natura medias inter illa regiones molliore substantia inferciens, quasi rimas explevit. Ea

Musculos est *caro simplex*, fibris ad robur circunjecta, ac veluti molle stragulum data cadenti aut recumbenti animali, utque præsidium quoddam omnibus particulis principibus obtenta, ne aut vulnerentur, aut frigore rigeant, aut æstu contabescant. Quod igitur ex nervi & vinculi fibris duntaxat contexitur, tendonem dicimus: qui vero præterea carnem habent fibris inductam & impositam, *musculi* appellantur & lacerti, hi plerumque in tendonem desinunt.

Nunc autem si omnia conferre volumus, *quæ ad motionem* vim quandam & locum obtinent, ossa primum & maxime impelluntur cienturque: quæ illis motum afferunt instrumenta, sunt tendones, lacerti, nervi, duriores præsertim: movendi principium, cerebrum & spinæ medulla: partes quarum beneficio movetur animal, articuli, cartilagines, vincula. Hac igitur partium commoditate motum fieri congruebat.

Quæ ad sensum. At *in sensu* longe impar & dissimilis est ratio. Cum enim motio actio quædam sit, sensus vero perpessio verius quàm actio; haudquaquam sensus eum apparatum ornatumque partium, quem motus desiderabat. Nam tactionis sensus, quem omnes ex æquo animantes participant, nervis nervorumve fibris in omne corpus diffusis indigebat; quibus susceptę tractabiles qualitates cum spinæ medulla & cerebro, quæ (ut aliquando demonstrabimus) sensus & motus principia sunt, continuatione communicantur. Cæteri autem sensus quibus animantes perfectiores sunt præditæ, nervis item constant, per quos sensum capiant. Partes in singulis instrumentis circunjectę nervis, horum duntaxat gratia consistunt. Ex quibus perspicuum fit, homini quia animal est, cerebrum, spinæ medullam, nervos, & cæteras quas connumeravi partes ad motum aut sensum concurrere.

De quibus rursum sigillatim dicemus, ab iis exorsi quæ cæteris quasi fundamenta jaciuntur.

Quo ordine de his partibus dicendum. Etenim hominem arte descripturi, σκελετὸν, id est, aridum & osseum primum extruemus; quem deinde vinculis, nervis, lacertis, venis, arteriis, cute, reliquis denique partibus interioribus adornatum perpolitumque reddemus. Sic ex simplicibus hominis partibus universi compositionem perspiciet qui volet, & luculentius quam si consectionis ordine compositiores partes seorsim scrutetur. Harum siquidem inspectione, nihil certum sciri, nihil plane cognosci ac percipi potest, earum, quæ simplices in omne corpus feruntur.

CAPUT III.

De Ossibus.

E Galeno de ossibus, cap 6 7. 8. 9. 10. 11. OMnium ossium sedes & origo spina est, quam veteres carinæ in navigio primum jactę compararunt: cui ceu fundamento latera, prora, puppis innixa cohærent. Atque ut hac clitellarii muli perferunt gravissima pondera, ita in homine corporis moles hujus ope stat & erigitur.

Ad necessitatem actionum, cum hominem flecti curvarique oportet, pluribus coagmentata & compacta est ossibus tanquam

Spina dorsi ἄκανθα. quam nodis, quæ vertebræ nobis dicuntur, omnes osse sacro suffultæ.

E Galeno de ossibus cap. 6 7 8 9 10. 11. Universa siquidem spina quatuor in partes fusa exporrectaque est, *os sacrum, lumbos, dorsum, & collum.*

Partes habet. Lumbos. Dorsum. Cervicem Os sacrum. *Os sacrum*, quod & latum appellant, primo aspectu unum atque continuum videtur, at aqua vel oleo ferventi diu multumque demersum, sex quasi vertebris constare. Cujus ab ima parte os aliud appensum demittitur, quod Græcis κόκκυξ, nostris *cauda* dici possit: hoc quoque compactum quatuor ossibus teretibus, gracilibus, & magna ex parte cartilaginosis.

Supra os sacrum *lumbus* quinque ossibus consedit;

Vertebrarum multitudo. Cui *dorsum* insidet vertebris structum duodecim;

Proxime *cervix* septem.

Itaque triginta sunt omnes in spina *vertebræ*. Omnium os sacrum est amplissimum, cui tum magnitudine tum crassitudine succedunt lumborum vertebræ, arcto cavo mediæ perfossæ. Reliquę superiores quantum situ ab infima, tantundem & mole distant: ut sit illarum ad occipitis radices continuata quædam attenuatio.

Foramen. Cæterum quæ in summis inest interior *capacitas*, medullæ labenti pervia, omnium est amplissima; inde vero tantum coarctatur, quantum dilapsa processit. Ut semel dicam, superiores vertebræ interceptis inanitatibus amplæ sunt, mole graciles: contra inferiores, omnes mira compage ad δυσπάθειαν contextæ.

Figura. Atque ut his structura foret tutior, *figuram* variam acceperunt. Qua quidem intro ad intestina vergunt, rotundæ sunt & in orbem convolutæ, læves, nullis tuberibus exasperatæ, sed ut nodi (hinc σπόνδυλοι nomen invenerunt) aliis alii superpositi columnam exprimunt: quibus est substantia tenera magis & rara, ac spatiis inanibus intercepta.

Processus. Extra multiplices efferuntur *productiones* (ἀποφύσεις appellantur à Græcis) densiore illæ & compactiore substantia, à quibus externa facies spinæ speciem refert.

Alii enim *processus sunt è medio prominentes, alii transversi utrinque additi, alii sursum deorsumque ducti*, per quos vertebræ texuntur & cohærent.

A Supremis duabus exceptis habet cæterarum unaquæque inferiore ex parte mediocres utrinque ramos *deorsum* spectantes: ex superiore vero alios majores extumescentes *sursum* exigit. Talis autem est vertebrarum contextus, ut processus sursum evecti modicos *sinus* habeant, qui alios quoque processus à superiore vertebra delapsos excipiant: sex inferioribus vertebris maxime conspicuum est unamquanque superiorem insinuari in aliam subjectam sibi. At vero summas duas nullus processus, sed ambiens membrana copulat. *Sinus.*

Sola autem suprema medium *eminentem* quasi ramum & extimum non novit: hunc reliquæ omnes ad decimam usque dorsi, quæ est omnium decimaseptima, deorsum

B porrigunt: in rectum vero quæcunque illi subjectæ sunt.

Tertium ramorum atque processuum genus qui *transversi* dicuntur, è vertebrarum omnium atque ipsius sacri ossis lateribus utrinque prodeunt parte externa. Insunt hi longiores in lumbis, sed graciles quasi pro costis diducti. Breviores in superioribus, qui toto dorso in tuberculum desinunt, ubi costæ nectuntur. Sex in cervice summis, transversi ramusculi in longum perforantur: septimæ raro, cæteris nunquam: tametsi singulæ quæ ad lumbos tendunt, parte interna plurib. patent foraminibus, & quasi angustiis in quas venulæ commeant, quorum nihil in reliquis magnopere videas. *Tenuia foramina.*

C Vertebrarum processuumque omnium extrema cinguntur & circumfunduntur *cartilagine* permulta: in hanc vincula crassa, dura, & valida inseruntur, quorum beneficio interiores vertebrarum nodi cohærescunt, utpote quæ inter nodos fusa nexu illos firmissimo colligant: Externæ vertebrarum partes processibus implicantur, sursum deorsumque spectantibus, ut aliis aliæ nexæ, & omnes inter se aptæ colligatæque videantur. Præter hæc tamen vinculum membranis validis intextum universam spinam extrinsecus obvolvit. *Cartilago. Ligamenta. E Galeno de ossibus cap. 1.*

Hæc de spina satis, jam *de capite*. CAPUT.

Hujus verticem calva integit summa parte globosa & rotunda, introrsus concava. *Calva.*

In hac *suturæ* sunt tres: una in priore parte, *Sutura.*

te, quam στεφανιαίαν, id est, coronariam vocant, quia è temporibus utrinque in summum verticem per transversum viam capessit.

Alteram λαμβδοειδῆ dixere, quæ in occipite posita, à capitis imo & posterioribus utrinque partibus sursum contendens, in angulum coit ad A literæ figuram.

Tertia ὀβελιαία in capitis longitudinem porrigitur, ἀπὸ τῆς λαμβδοειδοῦς angulo in mediam coronam excurrens. Hunc in syncipite concursum βρέγμα Græci nuncupant. Atque in iis sunt dentatæ more serræ rimarum connexiones, nec vinculis nec cartilagine vinctæ, sed suis quasi dentibus pectinatim intextæ.

Supra aures vero duæ sunt illis dissimiles commissuræ ab obeliæa intervallo pari disjunctæ, à squammæ specie λεπιδοειδεῖς dictæ, per quas ossa quæ petrosa vocant subditis ossibus *squammarum* modo, & (ut nonnulli dicunt) imbricatim agglutinantur.

Ossa calvæ. Ea autem sic enumeres.

Quæ occipitii. Parte postrema *os occipitis* id quod cerebellum nominant concludit; quod triquetra sutura circunseptum, ad posteriora deorsum vergit. Omnium quæ in capite sunt illud maximo foramine perterebratum, quo medulla è cerebro in spinæ fistulam delabitur. Huic utrinque sinus adjuncti, in quos prima vertebra additamentis quibusdam & appendiculis inseritur. Inde factum os multo angustius ad cerebri radices contendit, ubi per transversam commissuram vix pollicem longam, ei ossi arcte connectitur, quod Græcis à cunei specie σφηνοειδὲς est appellatum.

Syncipitis. Occipitio latera capitis innituntur, quæ *syncipitis*, nonnunquam & τοῦ βρέγματος *ossa* dici solent: hęc ad summum verticem acta utrinque ei commissuræ assident, quæ recta in capitis longitudinem fertur.

Lapidosum. Subter hæc, duo sunt ad suam quodque auriculam: quæ *à Lapidis specie* & duritia λιθοειδῆ dixerunt. In horum cavo ossa duo visuntur *malleo* aut *incudi* similia.

Styliforme. Ab utroque processus quasi surculus intro subit στυλοειδὴς. §. in quo foramen, quo soni admittantur, intro fertur ad cerebrum.

Extra promittuntur duæ eminentiæ, altera mammę similis parte postrema sub auris via, altera teres & procera sub temporibus eminens, quæ ossi jugato committitur.

Frontis. *Os* sextum *frontis* est, quod in superciliorum sede ubi eminet duplex est, concluditque gemina facie inanem capacitatem in nares derivatam. Pars superior coronaria sutura cingitur; inferior in oculornm cava reflexa, summum in his parietem facit.

Faciei commissura. Finitimum hoc *ossibus faciei*, à quibus tenui commissura disterminatur, utrinque à temporibus & saxeis ossibus prognata, quæ oculorum cava dirimit, inde ad summum nasum se applicans, ubi superciliis interjecta vallis est.

Os sphenoides. Jam his totique cerebro ceu basis quædam substernitur os σφηνοειδὲς, quod qua parte occipitis ossi jungitur, angustum est & rarum, attamen profundum. Parte priore frontis ossi occurrit & annectitur, in ea via quæ in nares proclivis fertur. Varia in hoc cernuntur utrinqne *foramina*, per quæ sentientium nervorum propagines dimanant in sensus. Sub interiore ejus facie capacitates duæ latent, in quibus est illud rete plenum admirationis, aliaque cerebri arcana. *Processus* concavos emittit ab alarum similitudine πτερυγοειδεῖς vocatos: alterum sursum ad cava temporum, frontis ossi & ei quod à lapide nomen habet commissum: alterum canalis & tubi instar deorsum ad postremos dentes versum, qui reflexo extremo palatum terminat eique committitur. Ex Galeno de ossibus cap. 3.

Nunc de facie.

Faciei ossa. Faciem totam geminam discernit ea *commissura*, quæ ab intervallo superciliorum per medias nares inter primores dentes producta, palatum in longitudinem secat.

Maximum in ea est *os malæ*, in quo dentium superiorum radices figuntur: excurrit id intro ad palatum: pars vero eminentior sursum effertur ad nasi latus & majorem oculi angulum. Supra radices dentium maxillarium capacitas ingens concluditur, ad oculi sedem sursum lata, quam alba ac similis glandis substantia communit.

Superiore maxilla (quam proprie malam *Celsus* appellavit) *ad radices primorum* qui secant *dentium*, ossa duo sita sunt, intus duntaxat lineis distincta: rursumque duo perexigua quo loci interstitium est narium, & unde superius labrum enascitur. Quæ qua-

tuor tenuissima cum essent & obscuris lineis separata, maxillæ superioris partes effecimus, ne quemquam forte multitudo tanta obrueret.

Ex Galeno de ossibus cap. 2. Inter oculum & aurem apparet os editum, *jugale* vocant, durum quidem & temporum musculo tanquam præsidium & propugnaculum, cujus pars posterior ossi, cui à lapide nomen est, in eo exortu copulatur, qui oblongus ab aure adversum spectat: pars infera ossi maxillæ, supera ad oculi parvum angulum frontis ossi cohæret. Τὸ ζύγωμα.

Nasi ossa. *Nasus ossa* duo gestat, quadrangula, procera, à jugo nasi deorsum per illius longitudinem ducta, in quorum extrema cartilagines inseruntur alæ vocatæ.

Oculi ossa. Utriusque *oculi* fossæ tria substituuntur ossa, præter ea quæ veluti parietes sunt aut B frontis, aut malæ, aut zygomatis, aut productionum quæ à cuneo manant. Horum siquidem omnium extrema in oculorum sedes concurrunt, lineis discreta conspicuis. Trium quæ dixi *maximum*, ad minorem oculi angulum collocatur, quod à zygomate & frontis interiore pariete, obscuræ vix dirimunt commissuræ. *Alterum* conspiciendum magis fossæ parte infima, fere ab eo malæ foramine quo nervus in labra superiora deducitur, intro recurrens, auricularis digiti latitudine. *Tertium* ob longum terragonum ad oculi angulum majorem positum, malæ superioris extremo à latere annexum.

Ossa palati. Inter palatum & cerebri basim usque ad nares utrinque diversa disjecta sunt ossa; C tenera quidem atque tenuia, sed quæ tertii hujus propagines videri possint. Ea varie contexta *spongiæ formam* referunt, ut dubitare non liceat, tertium illud hoc esse, quod Græcis σπογγοειδὲς appellatur.

Præter id ad summam nasi radicem, intus fixum hæret aliud tenue & latum, magno illi obtrusum foramini, quo è cerebro in nares cursus est: hoc varie pertusum more *cribri* Græcis ethmoides dicitur, ab eo diversum quod est spongoides. Ἡθμοειδὴς.

Illius è medio mittitur eminetque ad cerebrum quasi verruca prædura: deorsum autem per medios narium sinus ducitur ἔκφυσις laminæ specie, quæ nares æque discriminat, geminasque reddit: hanc nobis liceat *Macrobii* verbo *narium interstitium* A appellare, cui cartilago innascitur, nasi pars infima. Parte interiore alterum existit palati interstitium, quod malæ propago quædam est, ut ipsa quoque mala geminum. Id à supera palati parte natum, cuneo innectitur pede firmissimo, sursumque sese erigens, dum narium instertitio occurrat & committatur, interiorem palati cavernam dirimit, facitque geminam. Hæc veteres anatomici, tanquam nulla essent, silentio præterierunt, quæ (quoniam tenella) minime in iis capitibus cernas quæ putida sunt atque confecta; verum singula monstrabit purgatio diligens, moxque ex fervente oleo facta dissolutio.

Ex Galeno de ossibus cap. 5. *Ossa maxillæ inferioris.* *Maxillam inferiorem* duo conficiunt ossa mento extremo strictissime agglutinata. Utrinque summis ab extremis duo veluti cornua prominent: alterum prius, quod tendones ex temporum lacertis asciscit: alterum posterius, in exiguum sinum τοῦ λιθοειδοῦς, quod sub audiendi via se inserit, non quidem cartilaginosa aut serrata compage firmatum, sed vinculis, quæ motum liberum & expeditum cardinis modo maxillæ permittant, ut sit mobilis una ex omnibus capitis ossibus.

Numerus omnium ossium capitis. Hac enumeratione, quæ integra & absoluta censetur, *totius capitis ossa* duo sunt & viginti: sex calvæ, deinde cuneus, duo zygomata, faciei undecim, maxillæ duo. In facie enim numerantur malæ ossa duo, nasi totidem, in oculorum antris sex, ethmoides seu cribrum unum, cujus narium interstitium portio quædam est: palati autem interstitium apophysis est malarum. In horum numerum si quæ ad primorum dentium radices sunt, rursumque duo ad narium ingressum posita referes, erunt omnia sex & viginti. Galen. de musc. diss. cap. 13.

Os hyoides. In *linguæ radice* à cæteris discretum os existit, quod ab υ specie ὑοειδὲς appellarunt.

Dentes. Utraque porro maxilla crebro perfossa quibusdam quasi *alveolis*, ut in singulas fossas singuli *dentes* infigantur.

Primores, οἱ προσθιοι καὶ τομικοί. Hi autem quaque mala fere sexdecim sunt, raro plures, pauciores nonnunquam: ex iis quaterni primores dicuntur à nostris, à Græcis (quia secant) τομικοὶ & τομεῖς. Post hos canini sunt utrinque duo, ultra quos maxillares utrinque quaterni, quorum duo vel plerunque tres ultimi & intimi, qui aliis nunquam, Ex Galeno de ossibus cap. 4.

nunquam, aliis sero gigni solent, genuini vocantur.

Post hos Canini οἱ κυνόδοντες. ab his maxillares, quos γομφίους καὶ πλατεῖς καὶ τοὺς ἔνδον καὶ μυλίτας vocant.

Primores & canini unica *radice* nituntur, maxillares binis aut ternis aut quaternis, atque inferiores una minus quam superiores.

Is est ossium capitis numerus, eaque structura.

Deir Genuini id est, σωφρονιστῆρες καὶ κραντῆρες.

** Ex Galeno ibidem cap. 12. 13.*

Thorax. Costæ. Sternum.

* *Thorax* totus dorso innititur, cujus duodecim articulos numeravimus, unde & *costæ* utrinque duodecim. Proditum est à *Galeno* nonnunquam unam deesse; unam raro accedere, quod inter portentosa connumerem. Itaque unicuique vertebræ, ad radicem transversi processus, sinus inest leviter concavus, qui costæ principium extanti tuberculo, quod illius est caput. Illinc costa originem ducit, quæ non ita longe transverso processui arcte devincitur: deinde inclinans curvatur, cumque ita multum prodiit, protinus in os pectoris curvata resilit. Septem superiores integræ atque perfectæ cum pectoris osse committuntur extremis cartilaginosis, & in leves sinus illius ossis conduntur. Nectuntur autem tenuibus membranarum vinculis, quæ sunt tam multa, ut omnia velent & obducant, atque vix à sensu noscantur.

Os ipsum *pectoris* quod στέρνον appellant, ex septem ossibus constat in transversum cohærentibus, ut singulis integris costis singula pectoris ossa respondeant.

Cartilago ensiformis.

Ab ossis hujus extremo dependet *cartilago* oblonga, quæ à Græcis ξιφοειδὴς, id est, ensis effigie ducta nuncupatur, à junioribus malum punicum.

Reliquæ *inferiores quinque costæ* neutiquam ad os pectoris perveniunt, sed inchoatæ & quasi mutilæ in cartilagines finiuntur, quæ sursum retortæ inter se quasi conglutinatæ cohærent: inde nothas & adulterinas appellarunt.

De humero & brachio, quæ his veluti affixa innituntur, dicendum.

Regionem totam quæ pone pectus sita est, *scapulas* appellant, in quibus ossa duo sunt lata, figura triquetra, externa facie tumescente, interiore reducta. Hæc sunt ὠμοπλάται Græcis, Latinis scoptula operta, nonnunquam & scapulæ. Quæ in dorsi spinam devexa sunt, lata videntur & prætenuia: hinc paulatim crassiora facta coarctantur, tandem eminent ad extremum acutiora. Id genus ossis alteri nulli commissum, costis posterioribus velut innatat, parte ima non mediocriter cartilagine obductum, ubi validis musculis nervisque constringitur. Extremum autem angustius (*cervicem* quidam appellant) quasi in acetabulum desinit, quod humeri caput excipit. Interiore ex parte exiguus acutusque ductus exit; qui à *corvini* rostri similitudine κορακοειδὴς vocatur à Græcis. Alterum quasi ramum externum, magnum quidem & à suprema ossis parte natum ἀκρώμιον dicunt: solius is est hominis, sub finem leviter sinuatus, qua jugulum clavesque admittit.

Claviculæ. Ex Galeno ibidem cap. 14. 15. 16.

Os enim in pectore summum *jugulum* est, quod supremæ costæ incubans dextra lævaque ad scapularum ossa promanat, acromiis (ut dixi) affixum. Duo sunt juguli ossa, pectoris ossi in transversum commissa, quæ & figura & crassitudine sunt inæquabili, plurimumque more fistulæ perforata.

Nunc de toto brachio.

Brachii ossa.

Sunt omnes ejus partes numero tres, *humerus. brachium & manus.*

Humerus.

Humeri os est unicum, medium teres, durum, medulla inundans, omnemque in partem leviter gibbum, partibus extremis tumidis & cartilagine obductis. Summum ejus *caput* grandiusculum est, globosum, in scapulæ sinu (κοτύλην Græci appellant) collocatum, cui validis vinculis tum intus tum foris ambientibus astringitur. In hujus parte externa patula rima inest, ceu via qua ingens tendo cum nervis in brachium tuto commeat. At *imum* humeri ad cubitum spectans non globosum, sed uno & altero tuberculo utrinque turgidum est, altero extrinsecus minore, interiore altero atque majore. Inter hæc *sinus* duo sunt, in quibus cubiti summa pars trochlearum modo convolvitur: duoque quasi vertices extant in orbem flexi, cava item duo, quorum posterius multo majus est adverso.

Brachium duobus struitur ossibus, quorum majus *cubitus* Latinis & πῆχυς Græcis appellarur, minus vero illi insidens *radius* est, Græce κερκίς.

Cubitus.

Illud summo suo capite medium quasi verticem habet, qui in medium quoque humeri sinum se inserit. Extant & processus

ſus duo peracuti, utrinque medium verti- A ces fínientes, poſterior qui major eſt, dum cubitus tenditur, in poſterius humeri cavum ſe recondit: prior vero, cum is flectitur, in adverſum.

Radius. *Radius* ſuperiori ſuo *capite* rotundo & leviter ſinuato, exiguum humeri nodum excipit, illicque robuſtis vinculis cubito illigatur. Quod in articulo extra prominet, ἀγκὼν appellatur, cui adverſus eſt flexus, quemadmodum genu poples.

Cubiti radiique *media* hiantia ſunt & disjuncta, quæ tamen rurſum inferiore parte ad primam palmæ partem coëunt, occurritque cubitus minimo digito, radius pollici: à cubito proceſſus exit στυλοειδὴς, cui palmæ pars ſumma inſiſtit.

Ex Galeno ibidem cap. 17. & 18. *Carpus.* *Brachiale* nonnulli vocant primam ſum- B mamque palmæ partem, quam & καρπὸν nominant, oſſiculis octo conſtructam: *uno* quidem *ordine* tribus, è quibus unum geminum eſt: *altero* quatuor, quæ omnia ſunt exigua, dura tamen nec medulla perfuſa, nervoſis cartilaginoſiſque nexibus per συνάρθρωσιν conſtricta. Totius figura à ſummo leviter tumens intus ſinuata.

Metacarpus. Succedit illi μετακάρπιον, id eſt, ima palma, oſſibus quinque contextum, quibus eſt carpo per συνάρθρωσιν adhæſio. A ſingulis ſinguli digiti directe porriguntur, uno pollice dempto, qui oblique μετακαρπίῳ videtur additus.

Digiti. Ex ternis oſſibus *digiti* conſtant ſinguli præter pollicem duobus conſtitutnm, prioriſque nodus conſequentis ſinum perpe- C tuo ſubit.

Breviter, oſſibus quatuordecim continentur aptanturque digiti, tredecim palma utraque, duobus brachium, unico humerus, præter ea perexigna, quæ σησαμοειδῆ vocantur, in juncturis conſtituta.

Ex Galeno ibidem c. 19. 20. 21. 22. 23. *Hæc de ſuperiorum partium oſſibus; nunc de inferioribus.*

Oſſa coxarum variis prædita nominibus. *Os ſacrum* magnos rectoſque ſtipites & proceſſus utrinque emittit, quibus aſtricta ſunt oſſa coxarum longe valentiſſima. Horum autem partes, quanquam diſcretę non ſunt ob amplitudinem; varia tamen nomina invenerunt: nam ſummæ, *ilium* oſſa dicuntur, quæ inteſtina ſuſtinent ac tuentur: imæ *coxendicum*, quæ à lateribus ſinus rotundos habent: hinc in priora ductæ partes, oſſa ſunt *pectinis*, quæ amplis patent foraminibus, & media commiſſura arctiſſime conglutinantur. Utraque coxendix grandi cavatur veluti acetabulo, in quod conjectum femoris caput convolvitur.

Femoris os unicum. *Femoris* enim (ut humeri) os eſt ſingulare, cujus pars ſumma cervicem habet exertam, quæ tamen intro converſa in coxendicis acetabulum reconditur. Ab ea cervice exigui duo manant proceſſus, majorem qui foras exilit alii γλουτὸν id eſt, natem, alii τροχαντῆρα magnum dixerunt; minorem vero, τροχαντῆρα parvum. Extremum inferius tuberculis eſt diſcretum duobus, quibus cruri cohæret.

Cruris duo: Tibia. Eſt quidem crus omnis ejus partis, quæ inter genu & talum interjecta eſt, *tibia* vero grandioris in ea oſſis nomen: hoc ſummo capite gemino ſinu excavatur, ut duplex quoque femoris tuberculum exciperet.

Et ſura. Alterum in crure os minus extera parte conſtitutum brachii radio conſimile, Græcè περόνη, & *ſura* Latine appellatum, ad uſque genu non aſcendit, ſed tanto brevius eſt, quanto parte ima longius apparet oppoſita tibiæ appendice: attamen duo hæc oſſa ſupra infraque conjuncta, mediis partibus diſſociantur atque dehiſcunt.

Patella. Femoris & tibiæ in genu compagem regit firmatque extrinſecus *patella*. os quidem parvum, rotundum & cartilaginoſum, nulli oſſi conſertum, ſed aliis quaſi incubans nexumque vi tendonum atque membranarum; cui poples eſt à tergo.

Malleoli. *Talus.* *Ex Galeno ibidem cap. 23. 24.* Tibiæ ſuræque partes infimæ non modice utrinque prominentes, & carne nudæ, *malleoli* ſunt. Hæ talum à lateribus ne excidat arcte comprehenſum firmant, quem ex tranſverſo demerſum attingere vix poſſis. Excipitur autem tibiæ fornicatum extremum ea parte tali cui & aſtragalo nomen eſt, quæ ſurſum ſpectat, quæque dimidiatæ propemodum rotulæ formam refert, ob id πετρωρος Græcis appellata, eaque ut firma baſi crus ſuſtentatur, pes vero ipſe quoad licet per ejus oſſis quadrum flectitur & extenditur.

Calx. Talo *calx* πτέρνα Græce nominata ceu baſis altera ſubjicitur, os totius pedis longè maximum & firmiſſimum, oblongum, omnino nec teres nec quadratum, ſed

ex quadrato latescens & introrsus arcuatum.

Tarsi ossa. *Monti pedis* nuncupato, quam ταρσὸν & summam pedis plantam vocant, ossa quinque impacta sunt, inæquabilia: imæ vero plantæ (πεδίον Græci appellant) totidem, figura tereti & oblonga.

Metatarsi. *Digitos* omnes explent ossa quatuordecim, singulos quidem præter pollicem terna, ut sit totius pedis structura ossium sex & viginti, ut totius manus uno plurium.

Digitorum. Ossa sesamoidea. Inter digitorum tum manus tum pedis articulos, ossa sita sunt σησαμοειδῆ, rotunda quidem & plerunque adeo exigua ut sensum omnem effugiant, quemadmodum quæ in corde, in gutture, in linguæ radice, in aliisque nonnullis partibus haberi traduntur.

In his jam omnem videor ossium descriptionem & numerum implevisse.

CAPUT IV.

De cartilaginibus, articulis, & vinculis.

Eadem habet Sylvius c 2. Isagog. Anatom. ex parte ex Avicenna fen. 1 doct. 5. cap. 1. MUlta sunt à nobis de cartilaginibus in A ossium explicatione quadam consecutione proposita, adeo ut nunc, cum neque illarum usui, neque propriæ substantiæ rationi tradendæ incumbimus, pauca de illis dicenda restent.

Cartilagines ossium extrema jungunt. Plurima ossium extrema *cartilago* cingit, nullus articulus non lævitate illa oblinitur, nullus expedite obvolvi circunducique potest, neque nervis aut vinculis conjungi, nisi quædam materia intercedat.

Costarum Præter eas autem aliæ quædam extant in *costarum* præsertim (quæ adulterinæ vo- B cantur) extremis, ubi ossium, ex quibus prodierunt, figuram retinent, cum inferiores mutuo colligatæ concurrant, superiores vero in suam quæque sedem ad os pectoris applicentur.

Nasi, &c. Aliæ *os* ipsum *ambiunt* atque prehendunt, aliæ extrema *nasi* communiunt molliuntque, uti & malum punicum è sterno pendulum.

Quædam sola & per se consistens. Aliud cartilaginum genus solitarium *per sola & per se consistens*, vixque ulli ossi impactum: in quo eæ numerantur, quæ in ciliis sunt o- C culorum (ταρσοὺς appellant,) quæ in articulis, in faucibus, in epiglottide, in larynge, in aspera pulmonum arteria, in cordis basi: omnes quidem non ossium, non motus, sed firmitudinis & solidi roboris gratia conditæ. In quod genus ea fortasse referri possit, quæ crassa densaque & perfossa medium genu articulum implet, de quibus rursum sigillatim suo loco verba faciemus.

Ex Galeno de ossibus initio. Jam vero *ossium congressus & adhæsio* duobus modis fit, *altera per articulum, altera per coitum*, illam ἄρθρωσιν, hanc συμφυσιν Græci vocant.

Ossium connexio multiplex. *Per hanc* quidem ossa quorum non est motus diversus, quasi unum atque idem sint inter se, nexu indissolubili cohærent: idque vel inter se strictim conserta, nullius corporis interpositu, ut cum mollia & rara sunt, veluti in sterno atque mento; vel medio quodam corpore ceu visco agglutinata, quod aut cartilaginosum est, ut in pectine, aut nervo aut carne plenum.

Per articulum vinciuntur ossa mobiliter: quod si obscurior segniorque motus est, ut in costis, in spina dorsi, & metacarpio, Græcis dicitur συναρθρωσις, ceu firmior quidam articuli nexus. Hujus generis suturam esse voluit *Galenus* & serratam compagem, qualis est in calva frequens, similiter dentium insitionem & commissuram, quæ nihilominus videri possint aptius in συμφύσεως genus conferri.

Sin vero conspicuus est & facilis ossium motus, velut in cruribus, in brachiis, in manibus atque pedibus, διάρθρωσις est, quasi laxior articuli copulatio, licet non omnium par sit eadem laxitas.

Ex his promptum facileque fit, ossium quæ numeravimus adhæsiones, ad suum quanque genus redigere.

Nunc de vinculis.

Vinculum quid. Ex Galeno lib. de ossibus & Administ. Anatom. iis locis ubi de his ossibus agi, quæ vinculis contenta Non quicquid ossa colligat, hoc statim nomine dignamur: sed id duntaxat nervosum prædurumque corpus, sensus expers (nisi forte obtusi,) solidum & exangue, quod à summa ossis cartilagine in adversi caput inseritur.

Id nequaquam una est ubique figura vel magnitudine, sed à loci conformatione & usus necessitate varium; raro nervosum, at

ctuntur. at fere membranosum est, id quod extrinsecus articulum cingit.

Capitis & maxillæ vincula. Quæ in calva sunt ossium commissuræ, compage dentata cohærent, non vinculis, ut neque reliqua tum faciei tum capitis ossa. Verum inferiorem maxillam ad aurium radices vincula connectunt utrinque prævalida. Caput & cervicem firmant duo, ab imo ossis, cui à lapide nomen est, ad primam dorsi vertebram, rursumque duo ex eodem prope loco ad clavium extrema sternique summa protensa: & quod à tergo ex occipite ad mediam inter ὠμοπλάτας sedem procurrit. Omnia hæc quidem ingentia, robusta, procera, tereteque figura.

Spinæ vincula. Universam autem *spinam* extrinsecus ambit vinculum unicum, amplum, crassum, validum atque nervosum: è secunda colli B vertebra in ossis sacri imum & coccygem desinens, omni fibrarum genere contextum, & quasi inprogressu complicatum, in medias vertebrarum sedes se conjicit, quo cartilagini immistum constantiori illas adhæsione nectat. At *summam vertebram* minora quædam eaque tenuia & laxa imo capiti illigant. Insunt & sua *costarum* capitibus, astricta illa quidem parumque laxa: qualia propemodum & illarum extrema cartilaginosa devinciunt. Lata *scapularum ossa* vertebris subditisque costis copulant membranæ firmissimæ, & qui illis sunt interjecti musculi.

Brachii vincula. In illorum sinum qui summa est cervice, *humeri* caput illigatur vinculo, quod instar solidæ membranæ è sinus supercilio ad hu- C meri verticem pertinens, tum caput ipsum tum cervicem in circuitu ambit atque firmat. Præter id tria numerantur quæ illi insident rotunda, duo tanquam nervi, tertium paulo his amplius. Humeri vero pars ima *brachio* adhæret eo vinculi genere, quod est omnium articulorum commune, nempe quod ab ossium extremis ortum, illa extrinsecus circumligat, devincit, & continet: membranosum id, & validum, laxum tamen & flexibile quocunque velis: aliud illi opem confert minus latum, brachium continens, ne circumactum exiliat. Apud *carpum* ex communi illo genere unum est, quod tum imum radium imo bra- A chio, tum vero utrumque carpo nectit, omnia tamen laxe circunsepit. Id mox longius porrectum, omnia insuper quæ in carpo & metacarpio ossa recensuimus copulat tegitque. Cæterum singuli *digitorum* articuli propriis ambiuntur colliganturque vinculis, quorum quæ extrema sunt, unguium radices mittunt tanquam fruticentur.

Cruris vincula. Jam vero *coxendicum* ossa coeunt in pube per cartilaginem, similique copulatione ossi sacro pone connectuntur. Amplo sinu & quasi acetabulo coxendicis, caput femoris excipitur, illique adhærescit, tum communi illo vinculi genere, tum alio novo intus recondito, quod è summo femoris capite in medium sinum figitur: rigidum id, rotundum ac breve: ut nervus cartilaginosus censeri possit. His similia sunt *in genu* duo: alterum circumfusum: alterum intus ab ea parte natum, qua summi in tibia sinus inter se committuntur, per cartilaginem perforatam trajectum, inter imi femoris nodos medium se conjicit. Aliis quoque duobus latera stipantur, quæ ut nervi quidam sunt cartilaginosi. Quatuor ad istorum proportionem *tibiæ* partem imam pedi connectunt: præter quæ alia astant tria iisdem prope sedibus circumjecta. *Pedis digitorumque* articuli perinde ut in manu vinculis cohærescunt: unde omnis absoluta jam videtur vinculorum explicatio.

Ex Galeno 15. de us. part cap 1. Genitalis vinculum. Unicum superest, quod à pectinis osse natum *in penem* contendit: rotundum id & unum ex omnibus concavum, quodque à publico cæterorum munere deficere videtur.

Talis quidem est omnis vinculorum insertio, quæ quanto nexus robore vinciant & illigent tum artus, tum ossa quæque corporis dum hæc conderemus, patefecit comes ille Sebastianus Francisci Galliarum Delphini instructum exercitum in Carolum Imperatorem ducentis veneficus: qui quem Lugduni præpotentium quatuor equorum in contrarias partes horam prope distrahentium nisus discerpere dilacerareque non potuit, nedum sua compage dissolvere; nisi cum districti gladii in articulorum nodos infixi adactique sunt.

Nunc autem aliò nobis properandum.

CAPUT V.

CAPUT V.

De musculis & tendonibus.

Ex Galeno 1. de motu musculi. cap. 1. 2.

LAcertorum substantia quanquam non ut ossium simplex videtur, hic tamen statuo de illis facere verba, quod in partibus externis primas obtinent.

Musculi compositio. *Conditus* est enim qui dicitur *musculus* nervorum fibris ad motum accommodatis; his caro circuncrevit tanquam fulciens illarum robur atque confirmans: venæ & arteriæ conspersæ, illæ quidem ad alimenti distributionem, hæ ad nativi caloris custodiam: omnia demum circumscripte tenuis membrana complectitur, musculumque definit.

Tres sunt illius in longitudine *partes*, origo, medium, & exitus: quas solent quidam *caput, ventrem, & caudam* appellare. Plane nervosum est caput, venter omnibus quæ numeravi constat, extremus tendo contextis confusisque nervorum & vinculorum fibris concrevit: ut natura media donatus, durior & robustior ad motum fieret quam nervus, at vinculo mollior & infirmior: hoc rursum sensus acumine superaret, ab illo vero plurimum deficeret. Non omnis musculus tendonem habet, sed is duntaxat qui os moturus in summam illius cartilaginem, aut in vinculum se inserit. *Substantia.*

Figura. *Figura* quidem hic, uti & musculus, varia præditus, prout loci ad quem pertinet conformatio ferebat. Quocirca non unus idemque esse potest tum musculorum tum tendonum numerus: sed cum alias unius musculi plura sint capita pluresque tendones, alias plurium una sit origo unicusve tendo, singula seorsum ex propria cujusque circunscriptione æstimare dinumerareque liceat, hoc modo.

Ex Galeno de Musculi dissect. c. 4.

Musculi frontis. *Frontem* unus musculus tegit, latus & tenuis, à summo vertice ad supercilia & oculorum radices diffusus, à quo non ut à cæteris eximas cutem, sed sic illi est innexus, ut sit amborum motus unus, qui supercilia sursum adducit evehitque.

Ex Galeno de us. part. cap. 9. *Palpebra.*

Palpebræ superioris (inferior enim perstat immutabilis) *duo* sunt *lacerti: unus* ex majore angulo qui propter nasum est, ad tarsi medium ejectus, cujus contractione palpebra attollitur: *alter* ex minori angulo eodem attingens, qui oculum claudit: utrique enim ob tarsi firmitudinem palpebra tota cedit.

A

Ex Galeno de dissect. cap. 5. *Oculorum.*

In *orbe oculi septem* continentur, *quatuor* recti, quorum vis est movere sursum, deorsum, ad majorem minoremque angulum: *duo* præterea oblique positi illum circunferunt: *septimus* opticum ex cerebro nervum obvolvit & quasi circumvenit & obvallat, ne qui tener & mollis est, vehementer concussus laxetur aut obteratur, oculusque demum excidat: quod in illius quoque paralysi solet accidere. Ex fibrarum quas emittit varietate, alii hunc duplicem, triplicem alii esse dixerunt; cum tamen sit fibrarum quæ in eo sunt omnium idem usus.

B

Maxillæ. Ad *inferiorem maxillam* excurrit *latus musculus*, qui supra os petrosum & tempora ambit, deinde contractior factus, sub os jugale se recondit, prolapsusque longius, non à fine, instar cæterorum, sed à medio tendonem emittit magnum & prævalidũ, in summum maxillæ adactum: quo sursum illa adducitur, & os clauditur animalis. In tanta motus vi & impetu illi venit *adjutor alius* in ore delitescens, qui post maxillares dentes sursum in os capitis erigitur. *Os* autem *aperit* maxillamque diducit *musculus* ex tuberculo pone radicem auriculæ natus, deinde applicatus imæ parti maxillæ adusque mentum: hujus extrema carnosa sunt; pars media quæ amygdalas integit membranosa, veram tendonis speciem ostentat. hujusmodi figura & compositio cęterorum nulli concessa. *Musculus circumducens* maxillam μασητὴρ, id est, molitor dictus, quod mandendo plurimum valeat, trianguli speciem refert, cujus summum ad tempus figitur: latus unum ad jugalis ossis imum; alterum ad inferiorem maxillam protenditur; tertium velut basis illa copulans per maxillæ longitudinem excurrit. Ut autem necesse fuerat motum ejus multiplicem in mandendo & varium fieri, ita nervorum fibris diversis omnisque generis hunc implicari contexique par erat.

C

Ex maxillæ igitur lacertis maximus is

 est

est qui ad tempora pervenit, secundo loco masseter appellatus, tertio qui illam aperit, minimus adjutor.

Ex Galeno ibid. cap. 2 & 3. *Labrorum.* Ad *labra* utrinque pertinent *musculi duo*, capitibus quidem conspicui, obscuri vero dum in cutem sparsi obliterantur: prodeunt quidem à malis & oblique feruntur, alter in superum, alter in inferum labrum. Quatuor hi officio concordes, labrorum motus octo possunt efficere, quatuor quidem rectos, sursum, deorsum, ad dextram, ad lævam: alios quatuor, cum vel plurimum separantur disjunguntúrque labra, vel coëunt & alliduntur, vel invertuntur, vel intro adiguntur.

Nasi. Ex Galeno ibid. cap. 9. 10. & 11. Eandem quam illi originem sub temporibus habet exiguus musculus, illos aliquantum comitatus, mox deinde oblique in *alas nasi* deflectens, utrinque unus.

His ergo musculis facies tota comprehenditur.

Capitis & Cervicis. In *collo* & *cervice* complures sunt, qui caput universum movent. A tuberculo, cui nomen est à *mamma*, utrinque ad claviculam & sterni summum profertur *unus*, tendonem illic magnum comitatus: hic caput & cervicem deflectit non omnino recte, sed aliquantulum oblique: quem alii simplicem, alii triplicem statuere solent ex fibrarum varietate.

Duo alii sub *œsophago* siti, ab osse capitis in primam & secundam colli vertebram inseruntur, quorum est solum caput in priora flectere immota cervice.

Retro autem *octo* sunt *exigui*, qui in ambitu ab osse capitis in primam & secundam vertebram se figunt: ipsumque articulum multo robore confirmant, uti & duo qui sub œsophago jam sunt descripti. Quatuor ex his recti sunt & in rectum motus agunt, duo obliqui, reliqui item duo obliqui, at situ adverso.

His alii insident octo ab occipitis osse per totam cervicem ejecti, quorum duo summi ampliores sunt, ut reliquos possint contegere. Variis præditi sunt nervorum fibris, quæ omnes è septem colli vertebris dimanarunt: unde aliis plures, aliis pauciores octo creduntur. Hi caput retrorsum flectunt, cum hoc autem cervicis aliàs duas, aliàs tres, aliàs omnes vertebras.

Ex Galeno ibid. & 7. *Lateribus colli utrinque duo* insunt magni atque validi, alter ex secunda vertebra in A priora, alter ex prima retrorsum contendit: caput & cervicem ad dextram lævamque conversione modica flectunt. Horum est igitur, caput & cervicem movere, quos una quidem ratio quatuor & viginti, alia octo & viginti dinumerat. de us. part. cap. 11. & 12.

Laryngis & Gulæ. Tres porro cartilagines quæ in structura sunt *laryngis*, *musculi* complures continent: *quatuor* enim *primam secundæ* nectunt, & huic illam adjungentes laryngis partem imam occludunt.

Alii *quatuor secundam tertiæ* copulant: quorũ contractu summa pars laryngis aperitur.

Duobus aliis *prima tertiæ* cohæret, quorum interest summam partem laryngis intercludere. Sunt & *alii duo* ad totius basin & radicem, qui istis veniunt adjutores.

B Præter istos laryngem alii *octo* circunstant, *qui illum vicinis corporibus copulant*, cumque necessitas est, distendunt vel contrahunt. *Quatuor* hærent in faucibus, *duo* è pectore sursum ducti, fauces & gulam ad alimentum deducẽdum deorsum vellunt: *duo* reliqui sursum, quorum situs est adversus.

Ex Galeno de Muscul. [illegible] cap. 13. & 14. Os in radice linguæ, ὑοειδὲς dictum, nectunt atque stabiliunt *octo musculi*. *duo* ex inferiore maxilla nati, *duo* sub mento, *reliqui* ex tuberculo, quod est ad aurium radices.

Linguæ. *Ad linguam* illinc quoque *duo* protendunt per latera, *duo* ex ossis parte suprema per linguæ medium: inter utrosque alii *duo* in longitudinem porriguntur ab ossis lateribus prognati.

C Similem propemodum productionem habent *alii duo*, quos edit inferior maxilla. Octo his musculis lingua quoquoversum flectitur, omnesque naturales obit conversiones.

Præter quos *nonus* est conjugii expers, ab osse quod ὑοειδὲς Græci vocant ductus, qui linguam intro contrahit atque reducit. Idem hic laxatus atque porrectus linguam exerit & foras expellit: quod cæterorum musculorum nulli datum est, ut motuum fit opifex contrariorum. Est enim simplex sua cujusque actio, qua ad capitis sui & ad nervi originem adducitur. At cùm nullus nervus in linguæ extremum extrinsecus inferatur, qui foras illam rapiat, probabilius est hanc eductionem illi musculo attribuere, quam cum quibusdam fateri motum quendam voluntarium in nobis esse, cujus

jus nullus musculus aut nervus sit author.

Ex Galeno ibidem cap. 17. & 23

Hactenus qui superant claviculas musculos conjunctè recensuimus: nunc reliquos separatim persequamur, qui alterutra parte corporis continentur.

Pectoris musculi.

Pectori foris sparsi sunt musculi, qui ipsum attollentes ad animam ducendam sunt usui, è quibus à summis scapulis, *unus* ad primam costam pertinet: *alter* ad sextam, *tres* præter hos à collo in varias pectoris priores sedes profecti, id latius explicant.

Est & *alius* parte posteriore ab imis partibus scapularum ortus, qui in tres veluti digitos discretus injectusque mediis costarum qua maxime curvantur, pectus universum revellit atque distendit.

Subter hos autem jacent musculi *inter costas* positi utrinque *duo & viginti*: in singulis nempe illarum intervallis duo, quorum *interior* attollens animæ inducendæ, *exterior* deprimens ac stringens remittendę author est. Ex anatomicis tamen nonnulli utrosque ad sui principium adducentes thoracem constringere prodiderunt. Quidam ex fibrarum varietate quatuor suos esse prodiderunt, ut sint inter costas omnes octo & octoginta.

Aliorum quorundam musculorum vis est *pectus deprimere* & coarctare, quorum *unus* per dorsum excurrens septem superiorum costarum radices fibris attingit, quem eo nomine pro septem plerique connumerant. *Alius* per claviculas ad cartilaginum extrema penetrat, quoad musculum rectum abdominis contingat ac subeat. Horum contractio costarum extrema depellit atque stringit.

Ex Galeno ibid. cap. 8. Scapularum.

Eorum autem qui *scapulam* duntaxat movent, *magnus unus* est & amplus ex capitis osse secundum dorsum productus, *alterque* tenuis illum semper comitatus scapulam sursum attrahit.

Duo alii hanc retro abducunt, quorum unus ex colli; alter ex dorsi vertebris proficiscitur.

Alius ex dorsi principio in ossis lati caput desinens, id ad colli latera convellit.

Ad priora autem convertit *gracilis* eodem insertus, sed ex occipitis osse natus.

Sursum scapulam evehit, is quem mox dicemus humerum quoque sublevare.

Ex Galeno ibid. cap. 18. 19. 20. Humeri.

Deorsum vero trahit, qui ab interiore pectore emergens, in partes scapulæ imas disseminatur, isque simul humerum deprimit.

Hos musculos alii majores integunt, quorum tendones *in humerum* perlati, multiplicium ejus motuum fiunt authores.

Unus mediocris ex mammarum sede in humeri caput se confert, ipsumque ad pectus adducit.

Alius ex summis partibus eodem porrectus, quo humerus, ad thoracis superiora trahitur.

Alius magnus ex toto pectore ortus mammæ figuram conformat, & ad interiorem mediamque humeri partem desinit. Geminus is est, cujus pars duntaxat inferior incitata humerum infra depellit, superior altius erigit: ambæ intentæ æquabiliter ad pectus adducunt.

Sub istius parte inferna *alius* enascitur; quo humerus quoque deflectitur.

Omnibus his imminet *biceps musculus*, cujus alterum caput ex interiore clave prorumpit, humerumque tendit, & inclinat moderate: alterum ex osse lato scapularum derivatum, eum similiter extendit, simulque ad exteriora reflectit: ambobus autem æque intentis is porrigitur in rectum, neque quoquam flectitur.

Huic assidet *alius* è vertice lati ossis tractus, cujus est totum brachium attollere.

Sub quo *alius inferior*, id ad dorsi media æqualiter reflectit.

Sequuntur *alii duo* musculi ex infimo lato osse profecti.

Alius deinde illis inferior; qui ad posteriora simul & inferiora deducit.

Est demum *exiguus* quidam *sub ala*, cujus ope humerus citra ullam inversionem costis illiditur.

Sunt itaque omnes ad humeri articulum decem & tres, qui in humeri os infixi id ipsum varie contorquent.

In humero qui Brachium movent.

Brachium (hoc & multi Latini ulnam vocant, uti Græci ὠλένην) quicunque movent, humeri os undique obvallant.

Quorum *duo interiores* illud inflectunt, *unus* quidem major ab interiore humeri sede in priorem radii regionem diffusus, *alter* minor à summo humero intro conversus ad ulnam, alteri oblique insidet ad X. literæ similitudinem. Hi pariter intenti cubitum omnino flectunt: at sursum aut deorsum convertēt, si alter altero magis intendatur.

Duo externi ſunt illis oppoſiti obliquam A poſitionem nacti, quorum attractu cubitus prorſum extenditur.

Quatuor autem ulnam circumferunt, qui ex humeri ima ſede nati parte plurima in radium inferuntur, & illum oblique poſiti omnes retorquent. Ex his *duo* qui radium in pronum convertunt, in profundum demerſi; *qui* vero illum ad ſupinum ducunt, extra quidem poſiti ſunt.

Ex Galeno ibid cap. 21. *Carpi.*

In brachio muſculi ſunt duplices, alii carpum, alii digitos movent.

Ex his *qui carpo* movendo ſunt, *duo* hunc quidem intro agunt, in interiore brachii regione ſiti: *alter* hinc ad parvum digitum, *alter* ad magnum porrectus.

Duo alii eundem extendunt, & ab extera brachii parte tendones mittunt: *hic* quidem B ſupra parvum digitum, *hic* vero ſupra pollicem. Iidem quoque muſculorum tendones, carpum tum pronum, tum ſupinum ferunt: veruntamen in pronum motum, natura inſuper *quintum muſculum* illis adminiſtrum dedit, qui ab exteriore brachio duplicem tendonem in medium carpum funderet, alterum indici alterum infami digito incubantem.

Eorum autem in brachio muſculorum, qui *digitis movendis* ſunt, tres parte interiore ſibi incumbunt, atque mediam regionem tenent. Omnium *maximus* & intimus eſt aliis ſubſtratus, qui ad quatuor digitos, tendones tanquam habenas emittit, quorum ope & beneficio primus & tertius uniuſcujuſque articulus inflectitur. *Alter* illi inne- C xus in ſecundos articulos fibras explicat. *Tertius* ſummus & cuti proximus, tendonem tenuem latumque ſub omnem cutem interiorem manus diffundit, ut promptior ea ſit in omne opus, & ſenſu alacriore polleat.

Qui *digitos erigant*, *quatuor* ſunt in extera ulna, regione media: *unus* quatuor digitos extendit, ſuum cuique tendonem impertitus. Sub hoc *alter* ad inferiorem brachii regionem declinans, digiti minimi & medici lateribus tendones injicit. Supra vero *alii duo*, quorum hic in pollicem, ille in indicem & medium digitum fibris tendonum expanditur. Trium poſtremorum vis eſt, quinque digitos in tranſverſum atque pronum deducere.

Ex Galeno ibid c. 22. *Manus.*

Manum ſummam *muſculi* integunt *ſeptem*, omnes interiore facie conſpicui: ex his *duo maximi*, alter ſub pollice, alter ſub minimo digito, ubi palma altior & editior. Hi quos diximus tendones juvant, quorum eſt digitos ab aliis plurimum deducere. *Tertius* medius inter pollicem & indicem illum adducit. *Quatuor reliqui* funiculis & tendonibus flectentibus ad digitorum radices cohæreſcunt, tenueſque fibras in digitos effundunt, per quas illos in ſupinum convertant.

Præter hos *alii* numerantur *undecim* exigui, ſub palmæ lato tenuique tendone, è quibus *duo* ad primum cujuſque digiti articulum pertinent: *trium* reliquorum unus ad primum pollicis, duo ad ſecundum. Per hos nexus firmantur & expeditiores fiunt ii motus, quos explicavimus.

Ex Galeno ibid cap. 24 & 25. *Dorſi externi.*

Dorſum ut non oſſe unico conditum eſt, ita neque id unicus utrinque muſculus à capite ad os ſacrum excurrens movere poſſit: ſed cum ſingulas ſeorſum vertebras flecti oporteret, à ſingulis earum intervallis (primum ſi demis) ſinguli utrinque muſculi exierunt. Illorum fibræ oblique ducuntur, ut pariter intentæ dorſum ejuſque vertebras erigerent alias ad poſteriora, alias ad latera quoquo verſum inflecterent. Quocirca *exteriores* à tergo utrinque numerantur *tres & viginti.*

Interiores.

Interiores vero, qui ſpinam in pronum & priora incurvant, *utrinque duo, unus* à capite ductus per colli perque thoracis quinque ſuperiores vertebras, œſophago comes aſſidet, *alter* lumbis inſternitur, ab ultima thoracis vertebra pergens in os ſacrum.

Ex Galeno ibid c. 26. *Abdominis muſculi.*

Ventris inferioris abdomen muſculi conſtituunt octo, duo quidem recti in longum projecti, *duo tranſverſi, quatuor obliqui.*

Sunt autem eo ordine contexti ut à cute & adipe proxime *duo* ſequantur *ex obliquis*, qui utrinque à quarta & quinta coſta nati, horumque muſculis pectinatim implexi, per ventrem oblique feruntur membranoſa tenuitate, ac denique arctiori extremo oſſi pectinis applicantur.

Recti hos ſequuntur à quinta aut ſexta coſta ſupra malum punicum, directo tractu permeantes in pubem.

His proxime ſubſunt *reliqui duo obliqui*, ex coxarum oſſibus in adverſi lateris coſtas

stas adulterinas evecti. A

Ex Galeno ibid c. 27. 28. 29. 30.

Omnium infimi *transversi*, utrinque ab ilibus juxta lumborum musculos externos orti, membranæ specie ventrem integunt, dum in oppositam regionem desinant.

Genitalium

Viro testiculus uterque *binis* fulcitur ab imo ventre prodeuntibus musculis: *feminæ* vero, quia testes intus gerit, *unico*.

Vesicæ cervicem musculus *unus* ambit in orbem, cujus vis est exitum & quasi ostium occludere & urinam continere: cum autem fluere desierit, vehementer expellere, ne quid insideat reliquiarum.

In pene quatuor sunt, duo ad latera, qui intenti porum amplificant atque dilatant ad seminis effusionem: *duo supra* ex pectinis osse nati, penem arrigunt, impetumque naturalem juvant.

Podicem quatuor omnino musculi complent, *unus* rotundus in orbem ductus, cujus est podicem coangustare, hunc igitur σφιγκτῆρα dixere Græci. *Alius* podicem in transversum finit, illumque sed quam superior laxius constringit: *duo obliquè* supra rotundum utrinque evadunt, per quos laxatus podex sursum revellitur.

Ex Galeno ibid. c. 31 *Musc. in coxa femur moventes.*

Jam vero qui *femur movent* à coxendicis osse profecti, ossi femoris impinguntur, quorum *alii crus extendunt*, *alii sursum adducunt*, *alii circunducunt*.

Ex his *qui extendunt*, *unus* totum coxendicis articulum tegit parte posteriore, qui triplici capite enascitur, definit autem in duos tendones affixos post femoris capiti. *Alter* post illum ab externis partibus ossis ilium, C in summam partem magni τροχαντῆρος immittitur, qui extendit, introque trahit caput femoris. *Tertius* post hunc ex eodem osse in trochantera magnum pertinet abditis partibus, qui modice femur porrigit & convolvit. Idem præstat & *quartus*, ab osse sacro in trochanteris posteriora demissus. *Quintus* omnium qui in toto corpore sunt maximus, os femoris universum ambit, & ad genu usque cingit: cujus complures extant fibræ, aliæ posteriores à coxendice, aliæ ab osse pectinis derivatæ: utræque dum articulum intendunt, crus stabiliunt atque firmant. Aliæ his altiores femur intro adducunt: omnium altissimæ aliæ id ipsum ad priora superioraque convellunt.

Qui vero *femur inflectere* solent, minores sunt illis: *unus* superior & rectus duobus capitibus exortus, ad parvi trochanteris summa unico tendone pertinens: *alter* illi proxime semper assidens, sed humilior. *Tertius* ex osse pectinis parte priore excidens, oblique femori circuntensus, qui sursum ducit, intro simul declinans. *Quartus* ex tuberculo ossis ilium nervosa tenuitate in genu contendit, illius patellam conscendens: cujus est non solum femur inflectere, sed & crus omne sursum afferre.

Aliud est præterea eorum musculorum genus, qui *femur intro movent*: in quo genere *præter alios duos*, quos enumerans jam dixi à pectine derivari, *unicus* est ab hujus parte priore femori circuntensus, desinensque in B genu caput interius.

Circunducunt autem id *duo* maxime, *unus* ortus ab occultis, *alter* à summis partibus pectinis, qui coeunt ad coxendicem, illamque circumplicant, in femoris demum posteriora apud magnum trochantera pertinent. Eundem motum, licet infirmius, efficere valent *quidam* ex his *quos* paulo ante *recensebam*.

Femur integunt & obvallant ii, quorum tendones ad *crus* profecti *movent* illud: sunt autem numero *decem*.

Ex Galeno ibid. c. 32. *Musc. qui in femore positi tibiam movent.*

Tres maximi parte priore positi recta ad genu progressi, *unus* quidem ad patellam duntaxat, *duo* reliqui in unum tendonem amplum desinentes, qui patellam continet illigatque subditis ossibus, hinc autem in crus devolutus totum extendit trahitque sursum. *Illis utrinque astat unus*: *hic* quidem interior ex ossium pectinis commissura pergens in cruris latus: *hic* vero exterior ab extremis partibus coxendicis in alterum cruris latus concedit: horum obliqua est motio. Medium inter hos spatium à tergo implent *alii tres* ordine positi, quorum ad tibiam ductæ propagines, illam subducunt in suam quisque regionem. *Nonus* angustus & procerus ex ilium osse prodit, in poplitis eminentiorem partem ductus, insertusque tibiæ capiti, quam prorsum explicat. *Decimus* omnium minimus, qui in poplite situs genu inflectit.

Ex Galeno ibid. cap. 33. 34. 35. *Musc. qui in tibia positi pedem movent.*

In crure musculi oriuntur, qui *pedis tarsum pediumque* movent.

Tres prior pars continet, *unum*, tibiæ ossi impo-

impositum, ex quo tendo bipartitus exit, A ad pedis pollicem utrinque ductus. *Alterum* suræ circumvolutum, cujus tendo in minimi digiti radicem abit. Hi sunt qui æque intenti pedem sursum movent: altero vero actionem obeunte, motus in obliquum torquetur. Inter illos *medius* insistit alius minor, qui per mediam tibiam recta ad quatuor fertur digitos, hosque contractus extendit. Huic *utrinque unus* assidet trifariam divulsus. Quocirca tametsi præcipui tres sunt, collatis tamen omnium propaginibus atque usibus, sex aut septem rectius numerari possunt.

Parte autem *posteriore tres* in magnum tendonem desinunt, eum, qui ad calcem primum pertinet, sed hinc demum excedens in omnem plantæ cuticulam disseminatur, B perinde ut qui in manus palma dicebatur. *Quartus* per profundum deductus, in eam regionem se profert, quæ ante pollicem est. *Quintus* sub illis demersus ad calcem effunditur, qui deinde toti inferæ pedis regioni communicatur, maxime vero medio digito, & ei qui pollici est proximus. *Sextus* inter cruris ossa consertus, duplici tendone tanquam loro ad duos qui superant digitos profertur. Hi duo posteriores pedis articulos inflectunt.

Præter hos tamen in eundem usum *alii* sunt *in pede siti*, quibus tria motus genera data sunt. *Pedis musculi.*

In *pedio* enim quod metacarpio manus proportione respondet, *decem* numerantur, è quibus singulis digitis bini per latera assident, qui pariter & æque tensi illos æqualiter flectant, inæquabiliter vero contracti illos intro per obliquum ducant.

In tarso qui ad carpi proportionem est, consistunt *alii quatuor*, quorum tendones in medios digitorum (præter pollicem) articulos desinunt: *illic & alii duo* visuntur, ad pollicem minimumque inflectendum projecti.

Pedis pars superior decem gerit ad radices digitorum positos, qui bini per cujusque digiti latera affixi, illum possunt vel sursum æqualiter erigere, vel in alterutrum latus retorquere, prout varia fuerit illorum contentio.

CAPUT VI.

Quis usus partium interiorum, quarum beneficio vivimus & nutrimur, quæ illarum necessitas.

His constitui poterat corpus; non moveri.

QUas supra recensuimus corporis partes, satis esse viderentur ad omnes tum humanas, tum animales functiones obeundas, si in eis considere posset & conti- C neri illa vis animi omnia ciens & agitans motibus suis: pulchrumque foret si ex illis duntaxat & cerebro constans homo, sentiret, moveretur, ac intelligeret, citra ullam viscerum & intestinorum opem.

Quare cerebro opus. At vero quoniam sentiendi illa & movendi facultas nequit sine vitali consistere, quæ ut corpus omne tranans temperatione caloris omnia conservat, ita principi alteri in *cerebro* positæ tum sustinendæ, tum functiones suas obituræ, spiritum suum velut materiam confert & impertit: idcirco *cor* velut principium gignendi spiritus induci commodum erat, ab eoque arterias produci, per quas spiritus in omne corpus diffunderetur: pulmonesque illi assidere, quorum esset mollitudo ad hauriendum spiritum aëremque aptissima: ipsum denique diaphragma & musculos thoraci circumjici, per quos dilatari contrahique possent. *Quod induit corde.*

Porro autem quoniam eorum & universi *corporis substantia*, tum ab insito nobis calore, tum à circunfluo aëre aliisque causis assidue dissipatur ac *diffluit*, neque diutius potest consistere, nisi idoneis alimentis resarciatur detrimenti dissolutionisque jactura: maxima fuit alentium partium commoditas, earumque corpori injecta necessitas. *Quibus, geniti spiritus cum consumat corpus, alentibus partibus fuit opus.*

Itaque interiorum *corporis tres* omnino factæ sunt *regiones*, propriis quasi sepimentis obvallatæ: *supra* in cerebro, sensus rationisque sedes: *media* pectore comprehensa, spiritus ac vitæ domicilium: *infima* subter diaphragma & abdomen, naturæ altricumque partium officina. *Ex Aristotele 1. de Hist. Anima. c. 7.*

Ita enim immortalis Dei providentia hasce partes sordibus inquinatas atque fædas, *Quæ in infimam sedē relegata.*

das; in *locum imum* velut in sentinam corporis relegavit, proculque amandavit, ne teтris nidoribus cor & cerebrum principum facultatum sedes atque sensus ipsos contaminarent conturbarentque. Hic enim locus habetur veluti regiarum culina, in qua partes quædam tanquam coci alimenta instruunt, cæterisque præparant, quarum sunt ministerio destinatæ.

Harum princeps jecur, quibus partibus utatur. Inter illas *princeps* est *jecur*. cui ventriculus subministrat cibum ex parte coctum: alii ministri complures illorum eluviem culina excludunt: viæ tandem multiplices, per quas tum fiat eductio, tum purioris alimenti distributio.

Oesophagus enim à linguæ radicibus in ventriculum illapsus, quæcunque accepta sunt illi suppeditat: concoquit autem hic paratque jecori: intestina genitas concoctione cibi reliquias dejiciunt: quicquid purius est, jecori suggerunt venæ quæ dicuntur mesaraicæ, ut hoc rursum altera coctione in sanguinem jecur convertat. Hinc orta genitaque supervacanea in diversa rapiuntur. Lien siquidem id deducit sibique jungit, quod in sanguine velut fæx & limus subsidebat: fellis folliculus secretam bilem: renes dilutum humorem, quem demum in vesicam profundunt. In hæc autem opera vias ductas habent & directa, quæ in se ex jecore pertinent, sibique adhærent.

Quarum omnium & particularũ unde constant maximus consensus est. Tot igitur talesque partes, uti & eas quæ A generis propagationi dicatæ sunt & nuncupatæ, par erat imo ventre comprehensas teneri: quæ tametsi peculiarem sibi actionem singulæ obtinent, hanc tamen ad communem referunt jecoris commoditatem & usum. Jecur autem ad cordis, ambo ad cerebri necessitatem: omnia denique ad sensuum mobiliumque partium gestiones & opportunitates, ut videri possit eximius *partium omnium concentus*, & in unam summamque animalem actionem concors omnium conspiratio.

Quinetiam partes illæ cum minime simplices sint, sed aliarum certo numero constent, propriaque substantia, magnitudine, conformatione, situ, nexu atque consensu: his singulis quandam adhibent commoditatem B toti, cujus gratia aut redditur illius actio concinnior, aut illæsa integraque conservatur. Horum enim nihil temere conditum est, sed cujusque instrumenti propria functione perspecta, nullo negotio quid illa conferant deprehendi poterit.

Quæ in quaque parte spectanda. Quoniam igitur non functiones usúsque partium hoc loco, sed meram corporis historiam persequimur, hæc ad pleniorem partium dinumerationem præfati, sigillatim explanemus quam quæque corporis pars interior *substantiam*, quam particularum suarum *compositionem*, quam *figuram & conformationem*, quam *magnitudinem*, quem *situm* atque *consensum* ad actiones aptum obtinuerit.

CAPUT VII.

De partibus interioribus infero ventre conclusis.

Ex Introductorii c. 10.

VEntrem externa circumscriptio comprehendit & metitur, quæ ab ima mali punici parte, utrinque per cartilaginosa costarum extrema (hypochondria Græci vocant, nos præcordia) ad ilia & inguina tandemq; ad pubem porrigitur. Quod extrinsecus illum integit atque abdit, id universum abdomen perhibemus, Græci ἐπιγάστριον. cute, adipe, musculis octo & peritonæo compactum.

Ex Galeno 6 de Adm. Anat. c. 4. & 4. de us. part. c. 10.

Peritonæum Omnes enim musculos quales suo loco diximus, succingit interior *membrana, peritonæos* inde dicta, quod à spina utrinque emergens umbilico prioribusque ventris partibus ipsi denique diaphragmati & pubi C connexa, quæcunque venter inferior continet, tensa illa prensat atque circumsepit. Quanquam enim *tenuis*, firmissima tamen multum roboris & virium habet, ne intestinorum pondus sustinens atque coërcens, divulsa facile disrumpatur: *mollis* simul illa, ut quodammodo laxari possit, dum venter quavis de causa turgescit. *Duabus membranis* continetur, quæ ad posteriora cernuntur juxta spinam cunspicuo separatæ: parte autem ventris priore usque adeo cohærentes & implicatæ, ut una eademque censeatur.

Ex Galeno 6. de Adm. Anat. c. 5. & 4. de us. part. c. 11.

Omentum. In ventris autem detecta capacitate primum conspicitur *omentum*, quod Græci

ἐπίπλοον dixere, quod veluti innatet, summumque intestinis insideat. *Duabus* id clauditur ex peritonæo natis *membranulis*, firmo adipe conspersis, quem venæ & arteriæ exiles passim penetrant. Prima illi *origo* juxta spinam est sub diaphragmate, unde surgens altero quasi extremo in ventriculi fundum defigitur, à quo mox delabitur, ventrem imum contegens, hincque reflexum colo intestino committitur, qua id ventriculum contegit, ut sic duplicatum veram marsupii speciem exhibeat. *Obtensum* autem imo ventriculo & priori intestinorum regioni, tanquam tegmentum quoddam, insitum in illis calorem tuetur ac fovet.

Omento detracto desectoque in apertum proferuntur intestina, multis involucris ventriculo, hujusque continuata stomacho. Singularis enim in ventrem inferiorem communis patet per os ingressus, exitusque communis per podicem, quæ quasi portæ duæ continuatione communis viæ consentiunt.

Ex Galeno de usu part. lib. 4 cap. 7. & 8. & lib. 6. cap 5.
Gula.

Quandoquidem ab ore in ventriculum *stomachus* prolabitur, quem aliter Græci οἰσοφάγον, nos gulam appellamus: is velut intestinum quoddam procerus *figura*, per cervicis interiora devolutus, moxque sub pulmones demersus in quinta dorsi vertebra considit. Hinc paulum exurgens, mox ut se erexit, diaphragma penetrat, atque demum summo ventriculo à læva committitur. Unde videri possit œsophagus ceu via quædam esculentis potulentisque devorandis ad *ventriculum* directa.

Ex Galeno 4. de usu part. c. 7.
ventriculus.
Ejus Figura.

Hinc autem velut commune receptaculum & prima concoctionis officina. In eum quippe usum ampla huic intus est *capacitas*, simulque *figura* species rotunda & globosa, ut in se plurima concluderet & amplexaretur, at nihilominus ob ductuum & canalium insertionem in modicam longitudinem se diffundit.

Situs.

Positus est sub septo transverso, & à malo punico initium ducit medio corporis spatio, nisi quod leviter in sinistrum deflectit: huc enim maxime superior ejus contorquetur, inferior autem magis in dextram. Posterior pars universa spinæ insidet, cum qua ad primam lumborum vertebram cohærescit: os vero quod veteres cor appellare consueverunt, non illi, sed diaphragmati veluti pendens & sublatum affigitur.

Consensus.

Neque vero illis duntaxat, sed omnibus denique circumsedentibus partibus *nexu* atque consensu junctus est jocinori, lieni, intestinis, cordi & cerebro; idque membranarum, venarum, arteriarum, aut nervorum communione & interjectu.

Pylorus.

Ab ima ejus parte qua ad dextram sub jocinoris fibras in profundum se ab abstrusit & abdidit, *exitus* est ad intestina, πυλωρὸς dictus, quod prolabentia è ventriculo alimenta tanquam janitor cohibeat. Hunc autem parte superiore *arctiorem* natura condidit, quod dura nec plane contrita fameliçi plerunque demittimus: at è ventriculo nihil excidit, nihil elabitur quod non exquisite (siquidem id potuit) perfractum sit & comminutum. Duo intus *glandulosa tubercula* πυλωρῷ assistunt, quæ dum applicant sese, propiusque admovent, viam exitumque claudunt, reserant vero dum relaxata se abducunt atque divellunt; non nutu quidem & arbitrio nostro, sed naturali duntaxat impulsione.

Ex Galeno de usu part. lib. 4. cap. 17. & 18. & lib. 5 cap. 3. Et 6. Adm. Anat. cap. 9.
Intestina.
Usus.

Hinc exordium capiunt *intestina flexuosis gyris* circumjectuque longissima, extremo continuata podici: Exportandis purgandisque fæcibus condita quidem sunt: at tantam totque gyris implicitam circunductionem natura ad absolutæ distributionis munus accommodavit, ne alimentum confestim elabens, gulæ insaturabilique abdomini nos subjugaret, & ne sordido dejiciendi crebrius ministerio indignæ hominis dignitate, servituti nos manciparet. Itaque in tanta vix longitudine vix ulla potest alimenti portio foras elabi, quæ non ante cuipiam sugentium venarum ori se applicuerit, ut inde quicquid utile est & alendo corpori idoneum, capiatur in jecur.

Numerus.

Omnium porro intestinorum *unus* est continuusque *ductus*, unus & idem usus, ut proinde unum videri possint, nisi figura, magnitudo, substantia, situsque ea disjungeret: quamobrem *senario sunt numero* veteribus comprehensa.

Ecphysis seu δωδεκαδάκτυλον.

Quod protinus ab ima ventriculi parte *enascitur* omnium arctissimum, ἔκφυσις id est *exortus* dicitur, duodecim digitos *longum*, nullis *intortum* anfractibus: recta sub jecur & venam portam se *recondit*.

Proxi-

Ieiunum. *Proximum* illi *jejunum*, inde *nomen* habens quod inane perpetuo videtur: nulla enim cunctatione extrudit quæcunque accepit, affluentis in se bilis acrimonia lacessitum. Id modice *involutum* ad spinam ex dextris retorquetur, *longius* quam duodenum & laxius.

Ileon. *Tertium* εἰλεὸν, quod ilibus nomen dedit, *tenue* quidem & exile, sed tamen *maximum* ex omnibus *& longissimum*, in *orbes* plurimos atque anfractus actum, indeque *nomen* sortitum, quasi flexuosum multisque gyris convolutum, quod subter umbilicum ad ilia & coxas utrinque *positum* eminentiores totius ventris regiones occupat, è quo plurima fit alimenti in jecur distributio.

Cæcum. *Quartum est cæcum*, à quo alvi fæces speciem primam & nomen habent: ab alimentis siquidem dum per tenuia intestina ferebantur, sucta est & allecta purior utiliorque substantia, reliquiæ vero supervacuæ sunt fæces: quod nomen tum primum his inditur, cum ad hoc intestinum pervenerint. Cæcum *idcirco dixere*, quod gressui introitum adversum non acceperit, sed hos vicinos adeo ut plerunque in unum coire videantur: *figura* enim parvum aliquem oblongumque ventrem repræsentans, reni dextro secundum coxam *insidet*.

Colum. Hinc sequitur κῶλον, quod per jecoris cava primum *obrepit*, ubi folliculum bilis attingens illique nonnunquam annexum, amarorem coloremque luteum contraxit: inde paulum exurgens ventriculi fundo insternitur: hinc ad sinistrum hypochondrium contendens, lieni accumbit: mox in posteriora, demergitur cohæretque reni sinistro, à quo demum laxius apud coxam sinistram eminet.

Rectum. *Sextum* inde postremumque in os sacrum devolvitur, rectaque pergit in podicem: unde *rectum* appellatur intestinum, plerisque alvus.

Unum cōlon præter cætera plurimis quasi *cellulis* discretum extumescit, nisi qua parte sinistro reni assidet: hic enim læve conspicitur, & multo angustius se ipso factum: quod ut in coxam sinistram sese extulit, à recto intestino angustia quadam velut strictim premente vinculo facta, perspicue disjungitur. In cōlo fæces diutius commoratæ vel potius ex viæ anfractibus

A hærentes, effigie sua conformantur: deinde vero elapsæ, in alvo capaciore, quemadmodum urina in vesica, tantisper retinentur, dum laxato musculo qui podicem ambit atque intercludit, illas jubemur extrudere.

His paucis liceat gulæ, ventriculi, & intestinorum usum, figuram, magnitudinem, atque situm deprehendere: compositionem vero seu partium numerum & substantiam, ita in singulis investigemus. *Ex Gal no 4. de Adm. Anat. c. 7. & 4. de us. part. c. 17.*

Gulæ, ventriculi, intestinorum, compositio. Gulam, ventriculum intestinaque omnia duplex *tunica* cingit atque componit: quarum interior nervi & membranæ, externa carnis potius est æmula. Illius *fibræ* è ventriculo in rectum & longitudinem porrectæ, ad ipsam quoque gulam pertinent,

B ut ventriculo, gulæ, totique ori interior tunica communis censeri possit. Externa tum ventriculi tum gulæ in transversum fila producit, sed ea in ventriculo corporea magis atque carnosa, in gula membranosa & nervosa. Medio inter eas tunicas spacio unus ventriculus inspersa gerit varie intexta fila, quæ in obliquum effusa ipsi gulæ omnino desunt. Cæterum utraque in intestinis villos suos profert transversos & in orbem actos, reliquorum autem illic prorsum nullus inest. Si qua insuper videtur extima tunica has extrinsecus obducere & ambire, quæ subditos eosque transversos villos simul committat, ea sane non propriæ harum substantiæ, sed peritonæo accepta referri debet, è quo reliqua quoque

C viscera ambientes tunicas communiter acceperunt. Hinc colligendum videtur, gulam in ventriculi partibus numerandam esse, intestina vero minime: sed hæc ventriculo connecti, nequaquam ab eo nasci & exoriri. Superiora intestina quæ tria esse prodidimus, prorsus sunt membranosa: inferiorum tunica interior multa carne prædita est, quam insuper *adeps* intus oblinit copiosus, ut ejus beneficio ocius in proclive, quasi per lubricum, præcipitentur alvi rejectanea. Hic autem omnium intestinorum cum sit communis, in crassis tamen quam tenuibus inest multo densior atque cumulatior. *Ex Galeno 4. de usu part. c. 20. & 6 de Admin. Anat. c. 6. & com. 4. in lib. 6. Epid. textu. 7.*

Mesenterium. Intestinorum omnium communis est per μεσεντέριον; quod & μεσαραιον dicitur, copulatio, quo velut proprio vinculo lumborum

rum illa vertebris anneҫtuntur. Ex his enim meſenterium primam *originem* duxiſſe videri poteſt, eiſque per lumborum & oſſis ſacri longitudinem aduſque podicis extremum cohærere: ibi enim acceptis à peritonæo membranarum productionibus ſeſe mox latius explicat, ut demum crebris flexuoſiſque marginibus quaſi implicata inteſtina adhæreſcant. Semper autem *geminæ* excurrunt *membranarum productiones*, dumque ad devincienda inteſtina progreſſæ meſenterium componunt, tuto inter eas conſertæ ſunt *venæ* frequentes, ab inteſtinis tanquam viæ in portas jocinoris directæ, quas proinde meſareas & meſaraicas appellant. Intexuntur his & *arteriæ* complures ab Aortæ trunco, qui lumbis accubat, ad inteſtina diffuſæ. Sparguntur illuc quoque multi *nervorum* quaſi ſurculi, quos ſexta cerebri conjugatio promittit. Media inter vaſa nervoſque ſpacia *adeps* occupat atque implet: in hunc ad vaſorum diremptus & diductiones, adenes, id eſt, *glandulæ* inſiſtunt, quæ tum fiſſiones illas divelli non ſinant, tum inteſtina ſuo madore proluant. Itaque à meſenterio vaſa, nervos, & membranas demes, adipe glanduliſque reliquum omne refertum conſpicaberis.

Ex Galeno 5. de uſ-part. cap. 2

Pancreas.

Supra meſareon primis lumborum vertebris inſidet caro *πάγκρεας* appellata: plurimis ſcatet ea *glandulis*, quibus & ſua mole *venarum, arteriarum, nervorumque* tenues illic ramos ſuſtentet ac fulciat. *Diffunditur* enim à ſepto tranſverſo deorſum ad renes: utrinque autem ad jocinoris lieniſque ſedes. Duodenum inteſtinum atque ei per tranſverſum innixam venam portam, hujuſque rivulos in ventriculum & lienem trajectos, tum denique arteriarum ductus & tubos nervorumque tenuitates, quotquot illic ſunt, amplexu illa firmo *comprehendit*.

Ex Galeno 6. de Adm. Anat. cap. 8. & 11. Et 4. de uſ-part. c. 13. & 14.

De his hactenus. Nunc de jocinore cæteriſque viſceribus.

Jecur.

Viæ ab inteſtinis ad *jecur* ductæ ac directæ, venæ illæ quidem ſunt meſaraicæ, quę illuc è ventre alimentum devehunt. Id enim primam & principem ſtatuimus nutriendi officinam, quod ingenita ſibi facultate ſanguinem efficiat proferatque. eſt enim ipſa illius actio Græcis *αἱμάτωσις*. *Magnum* id datum hominibus, præſertim hel-

A luonibus abdomini ſuo natis, ſubter quidem *concavum*, ſupra & extrinſecus prominens, fere in *fibras* quinque (Græci *λοβοὺς* appellant) diſſectum: quamvis conſpectum à nobis eſt (nec raro) ſolidum nulliſque fibris divulſum. *Dextram* corporis regionem ſub ſepto tranſverſo obſidet, ab eo digiti latitudine disjunctum, ne forte obeſſet illi quaſi flabello præcordia ventilanti. *Inſidet* autem leniter ventriculo, omnemque illius editiorem partem non modo dextram, verum etiam priorem fibris ſuis amplexatur. Ex ſepto tranſverſo ex dextris præcordiis atque ex ſpina id *pendet* ac nititur, quibus atque ventriculo per medias membranas & venam cavam adhæreſcit. Vix denique pars ulla corporis habetur, quacum illi per

B venas aut arterias non intercedat *communio*. *Membrana* integitur tenuiſſima, in qua exilis *nervus* ſenſu præditus è ſexta cerebri conjugatione excidens abſumitur: multis *arteriis*, ſed quamplurimis *venis*, ut quarum initium eſt & origo, conſpergitur, quas illius *caro* (*παρέγχυμα* Græci vocant) ſtabilit atque firmat, propria quidem viſceris ſubſtantia atque moles, primuſque *αἱματώσεως* effector & author. Similitudinem autem gerit ſpeciemque ſanguinis ardore toſti, exhauſtoque vapore aridi atque concreti.

Ex Galeno de uſpart. lib. 4. c. 13. lib. 5. c. 4. & lib. 6. de Adm. Anat. c. 12.

Cyſtis fellis.

Ex jocinoris porro majore ſæpius fibra *bilis folliculus* parte cava reſima quæ *propendet*, veſicula quidem ex ſimplici *tunica* conſtans, omni ſtaminum genere intexta, ex-

C purgatæ è jecore bilis flavæ receptaculum. Duo enim bili ferendæ *ductus* in illam pertinent: alter ex eo loco ubi vena porta jecur ſubit, quo bilem in ſe allicit: alter ad duodeni terminum jejunique initium, aliàs autem in ventriculi fundum projectus, quo bilis exuperantia exigitur atque expellitur. Hac enim ſolent inteſtina ad fæcum dejectionem quaſi adhibito ſtimulo acui & irritari, ipſæ autem fæces ſubflavo colore infici. Hanc veſiculam nonnunquam deprehendimus ſub nigris *calculis* iiſque duris ac ſolidis confertam.

Ex Galeno 6. de Adm. Anat. c. 10. & 4. de uſ-part. cap. 15. & 16.

Splen.

Lien parte ſiniſtra ſub præcordiis ex adverſo jocinoris *poſitus* eſt, viamque veluti porum quendam ex illius cavo ſuſcepit qua craſſam lutulentamque ſuccorum eluviem, & humores melancholicos prolectet & in

ſe

se recondat. *Figura* is oblonga & propemodum tetragona, aliàs rotunda linguæ bubulæ speciem offert: qua ventriculum cingit, concavus, extrinsecus intumescens. Non una omnibus *magnitudo*, ut neque *color* unus, sed facile commutabilis ex naturarum varietate. Turgescit enim hoc viscus humorum appulsu, quos laxa *raritate* combibit. Perexiguum simiæ ac prope nullum: visum est aliquando mole sua & *magnitudine* jecur superare: quod adhibitorum medicorum sententia existimatum est jecori ad sanguinis confectionem opitulari. *Conditus* est sub costas adulterinas. in longum ventriculo incumbit, cui sicut & omento connexus *adhærescit*: appensus autem est connexa parte non è septo, ut jecur, sed è peritonæo gracilibus membranis, à quo *tunica* etiam hunc extrinsecus integens & obvelans emergit, quam exilis *nervus* permeat tactibilium qualitatum judex & æstimator. *Venæ* intro se inferunt, per quas ex jecoris cavo succus ater quasi haustus allicitur: *arteriæ* insuper plurimæ & eæ amplæ ab aorta mox ut è septo transverso excidit accepta, quarum spiritu & calore raptam melancholiam attenuat, & in utile accommodatumque sibi alimentum convertit. eo enim enutritur tenui, nigro tamen & squalido. Quod à nutritione reliquum fecit, crassum quidem & vinaceæ fæcis æmulum, in os ventriculi per venæ suæ extremum eodem pertinens desinensque profundit. His vasis diffusum circumjicitur lienis corpus, non id quidem *caro* simplex, sed παρέγχυμα rarum, molle, fungosum & solutum, excipiendis fæcibus destinatum.

Ex Galeno 6. de Adm. Anat. c. 13. & 5. de usu part. cap. 5. 6. 7. 8.

Renes.

Ad renes & vesicam ipsa nos rerum series jam accersit.

In lumborum vertebris ingens illa vena cava considit, quæ à jocineris convexo illuc prolapsa, mox deinde in femora & in omnes quæ subjectæ sunt partes velut in ramos sparsa diffunditur. Huic utrinque accumbunt *renes*, alliciendo è sanguine sero (οὖρον Græci vocant, nos urinam) accommodati. *Positi* sunt enim paulo infra jecur, è quo id maxime deducunt, ac dexter lævo fere altior est, quanquam aliquando is depressior comperitur. Incubant ambo musculis dorsi inter[illegible] ci dicunt, inanibus iis subjecti partibus, quæ inter costarum extrema & os coxæ interjectæ sunt, κενεῶνες propterea Græcis appellatæ. *Inhærent* autem illis vincti *tunica* è peritonæo ducta, quæ eos ipsos velat & contegit, sensum simul illis quendam obtusum impertita. *Geminos* quidem illos natura condidit, ne uno præpedito aut obturato, ejus humoris cessaret profusio, qui longe copiosissimus est in nobis. Visus est cui secundum naturam unicus esset, sed qui quod numero diminutum fuerat, mira magnitudinis mole exæquaret compensaretque: gemini autem cum habentur, minores eos esse optima ratio est. Qua venam cavam spectant, *sinuati* sunt: extrinsecus ad illa gibberi oblongi, & quasi in retusæ lineæ speciem curvati. Ne autem immodica laxitate exceptam urinam sinerent fusius elabi, compacta densaque *substantia* firmati sunt, quam multus circumcirca concretus *adeps* involvit. Sua utrique *vena* (emulgentem recentiores dixere) è proximis venæ cavæ sedibus derivatur, in resimam partem inserta. Similis est *arteriarum* ex majore quæ lumbis est annexa propagatio: & utrorumque vasorum tenuiores rami, in renum substantiam dispersi oblitescunt. *In medio* concavus est *sinus* propria membrana succinctus, quæ proprie incerniculum est percolandæ urinæ: non enim cum multis existimandum est, id in rene sinum medium dirimere, sed quem renes dilutiorem sanguinem per venas emulgentes quasi suxerunt, in suam deinde substantiam recondunt vice alimenti: hinc quod plane aquam aut serum refert, in intimam capacitatem per incerniculi membranam colatum excidit, moxque per οὐρητῆρας profunditur in vesicam.

Ruf. Ephes. lib. 2. c. 12.

Sic enim appellant Græci *ductus* & vias *urinæ*, quæ ex reducta parte emergunt, & deorsum ad vesicàm contendunt. Proceri ii quidem & valentes, qui tametsi simplici *tunica* ut venæ præditi sunt (hinc plerisque venæ albæ nuncupantur) nihil tamen his cum emulgentibus communionis intercedit, nec ulla societate copulantur: sed vesicæ prorsus sunt assimiles, cujus propriam substantiam planè referunt. *Pro*[cedunt] autem à renibus in coxarum re[giones], unde mox in vesicæ latera retorquen-

Vreteres.

Ex Galeno 5. de usu part cap. 8. 11. 12. 13.

quentur, eaque subeunt, non quidem directo, sed obliquè: membranam enim findunt, in quam (quasi ea duplex esset) sese medios insinuant, ne si directus pateret ingressus, qui in vesicæ capacitatem inciderat humor, retrocompelli regerique facile posset.

Vesica. Itaque urinæ receptaculum est *vesica*, ubi tanquam in laguncula quadam ea asservatur, dum ratio & arbitrium jubeat extrudere. *Globosa* illa quidem, quo fieret humoris capacior, sub os pectinis in coxarum antrum *dejecta* reconditur, recto intestino innixa affixaque. *Hæret* autem illi ipsique coxarum ossi membranarum interjectu, quas peritonæum expromit · ex eoque genere *tunica* illam extra circumsepit, quam supra monuimus omnium esse viscerum B communem. Propria enim vesicæ *substantia* simplex est membrana, sed quæ triplici staminum genere contexitur. In hanc *venæ* complures tendunt, per quas alimentum capessit: similiter & *arteriæ* tenues quæ illuc vitæ spiritus effundant. Conspicuus est & *canalis* vietus jam totus & emeritus οὔραχος Græcè dictus, è fundi tumentiore parte in umbilicum surrectus: hoc olim dum utero gestaretur infans, necdum pudendo mejeret, urina è vesicæ capacitate in umbilicum confertim redundabat. *Cervix* qua urinam reddimus particeps est carnis, utpote musculo cincta quem supra σφιγκτῆρα diximus appellari, cujus est exitum intercludere, ne nolentibus nobis effluat urina. Fœminæ brevis est cervix, mari produ- C ctior, ut quæ in extremum usque penem porrigitur.

Ex Galeno lib. 1. de semine c 12. initio 15. & 17.

Testes. Sequuntur nunc *testes* δίδυμοι Græcis dicti, quos inter prima gignendi instrumenta commemorant: quia in eis facultas insit σπερματικὴ, id est, seminalis. *Substantia* ii quidem molles & quam apte glandulæ assimilaveris, & in qua vis illa potissimum consídet. *Albi* sunt ii, *figura* oblongi, rotundi, & cavernosi: maribus extant atque eminent proprio involucro conclusi pendente ab inguinibus: huic scroto nomen est, Græcis ὄσχεον appellatur.

Ductus tanquam tubi in hos pertinent (quidam *vasa seminaria* dixerunt,) quorum plane dissimilis est exortus: *dexter* enim ex vena cava emergit paulum sub rene, *lævus* A autem è vena sinistra emulgente. Ab ortu lento longoque anfractu concedunt in ilia, geminis fulti tunicis: neque ut urinæ ductus lumbis innituntur & adhærent, quippe qui extra peritonæum supra os pectinis sint emersuri. Sua utrique comes est *arteria*, quæ simili atque vas ipsum tum ortu, tum productione fertur, ut dextra ab arteria majore statim erumpat, sinistra ab emulgente arteria. Assistunt illis & exiles *nervorum* propagines è sexta ea cerebri conjugatione, quæ per septum transversum infra procurrit. Hæc itaque vasa mox ab origine sensim ad latera deflectunt, tum dein sustolluntur ad ilia & supra pectinem, in scrotum denique elabuntur per inguina, gemina peritonæi tunica nusquam non obvallata. Hæc plerunque videas ad mediam usque productionem puro syncerοque conferta sanguine rubere, adeo ut venas esse judices: ubi vero longius fuerunt progressa, albescit quicquid in eis concluditur, quasi rudimentum futuri seminis. Testium illa corpus intro non subeunt, sed tenero id circumvectu amplectuntur super epididymida.

Epididymis. Est autem ἐπιδιδυμὶς involucrum mollius, quod testiculo propter caput incumbens, mediam inter illum & vas seminarium sedem occupat.

Parastatæ. Ab eo quem dixi circumvectu, mox *vasa* ad os pectinis *resiliunt* atque reflectuntur, hincque quasi præcipitata in declive coxarum spatium aguntur, dum cervici vesicæ utrinque astent. Hunc demum comitantur adusque penis radicem, ubi in unum eundemque canalem confluunt, qui ab urinæ ductu diversus est: sed et hi quoque ambo dum pudendi medium attigerint, eodem concurrunt, ut tandem extremo pene unicus cernatur. Vasa hæc per quæ semen è testibus foras jaculamur, quanquam appellatis seminariis cōtinuata sunt, nomen tamen commutarunt, dicunturque Græcis παραστάται, nobis quasi astites. Duplices itaque ductus testibus, uni latores, jaculatores alteri.

Quomodo hæc vasa per medium peritonæum deferantur. Sed quo fit omnis horum progressio majoribus quasi theatris ante omnium oculos proposita & aperta, de eis & peritonęo non alienum fuerit pauca rursus admonere, quæ à veteribus prętermissa sæpe dissectionibus

nibus indicavi. Peritonæum universum duplex est, cujus una tunica venæ cavæ, arteriæ majori, renibusque substernitur: altera superior hæc contegit omnia, ut undique cincta suas quoque productiones omnes, geminas inter tunicas tutissime mittant profundantque. Itaque exterior peritonæi tunica quam dixi renibus substerni cum ad os pubis jam propius accessit, in sese quasi reducta coactaque velut canalem quendam efficit laxiorem, quo permeant ductus latores seminarii, remeantque jaculatores parastatæ. Hinc devolvitur in scrotum, ubi laxius se explicans, omnia illius interiora sublinit succingitque. Alteram peritonæi tunicam huic continuatam diceres parte ventris priore; adeo ei firme adhæret. Divellitur autem atque distrahitur juxta os pectinis. hoc enim ipsum ea non conscendit, sed ventris coërcita finibus, illius duntaxat interiora complectitur & ambit. Ex quo intelligi potest, nusquam perforari peritonæum, ut quodam veluti foramine ductus seminarii in scrotum illabantur, quæ tamen *Galeni* reliquorumque omnium est assertio: sed in omni enterocele atque epiplocele, tunicam interiorem necessario disrumpi, externam vero duntaxat laxari.

lib. 6. de Adm. Anat. cap. 13

Sed jam ad orationis contextum me refero, gignendi partes quales in fœmina sint, enarraturus.

Ex Galeno libello de uteri dissect. primis novem capitibus.

Uterus.

Alterum instrumentum & tanquam nostræ procreationis hortus est *uterus*; qui propria legitimaque actione semen excipit, concipit, & fovet, eousque dum fœtus absolutus consummatusque fit. Virginibus quidem admodum *exiguus*; mulieribus, etsi uterum gestaverunt, nisi ubi gravidæ sunt, non multo major quam ut manu comprehendatur. Simplici *tunica* is continetur; sed ea crassa densaque & carnosa, quæ omni valentium *staminum* genere intexta, late cum necessitas est possit explicari. *Figura* illi rotunda, nisi quod ad cervicem paulo sit longior, pyro majusculo similis. *Positus* est in coxarum capacitate, quæ mulieribus quam viris est amplior, quippe quæ infimo loco & quam proxime os sacrum, claudere complectique debuit rectum intestinum: super hoc vero uterum, huicque insidentem vesicam, quæ os pectinis jam attingit. Astringitur itaque *nectiturque* uterus vesicæ, atque recto intestino, tenuibus ex peritonæo ductis appendiculis: similiterque coxarum ossibus validis, sed tamen laxis *vinculis*, quæ ad illius *cornua* pertingunt. Sic enim appellarunt ingentes processus, qui curvatis inflexisque cornibus assimiles, utrinque ab uteri introitu sursum ad ilia coxarumque ossa incurvati retorquentur.

Ex Galeno ibid. & ex lib. 4. de us. part. & lib. 2. de Semine.

Testes.

Horum in extremis fixi hærent mulieris *testiculi* compressiores, minores, molliores & humidiores quam maribus: vasis seminariis circumfunduntur, ab eisque cinguntur, quorum eadem atque in maribus est origo. *Considunt* tamen in lumborum musculis, nec extra peritonæi capacitatem excedunt, cum nec ipsi testes extra sint. Quocirca brevis illis est *via*, at non directa, sed pluribus gyris anfractibusque flexuosa quam maribus, ut viæ brevitas flexuum multitudine compensaretur. A testibus per cornua iter est in uteri interiorem sinum, per quod acriter contendit *Galenus* semen eodem intrudi & inferri. At qui nostra memoria viri celebres habiti sunt, alii vetustissimum *Herophilum* sequuti, è testium involucro iter esse censuerunt in nervosam uteri cervicem, juxta illius os interius: *alii* è testibus tum in cervicem, tum in capacitatem uteri vias duci volũt, quorum ego sententiæ subscribo. *Venæ* arteriæque plurimæ sparsæ diffunduntur in uteri corpus, quarum ortus ab iis tum venę, tum majoris arteriæ ramis trahitur, qui utrinque ad coxas & crura contendunt. Ab eis itaque alii rivuli in corpus uteri ad nutritionem obliterantur, alii patente ostio exituque in uteri sinus desinunt. Hęc *acetabula* dicimus, Græci *κοτυληδόνας*, per quæ tum menstruus sanguis statis temporibus emanat, tum in prægnantibus alimentum fœtui confertur: reliquo tempore connivent: maxime autem in angustum deducuntur iis, quæ è vita excesserunt, ut nequaquam illa sensus internoscat. Quidam ex memoratis illis rivulis in extremam proferuntur uteri cervicem, per quos menstruum virginibus aliquantum erumpit.

de uteri diss. cap. 9.

HEURNIUS. *Paullo ante quam vena cava in duos ramos crurales dividatur, emittit quasdam venas in priorem uteri tunicam, quæ à peritonæo est, & in cervicem exonerant sese fluxu menstruo; quod autem uterus hâc venâ non alatur patet, quod uno simplicique*

simplicique tenore feratur ad cervicem, nec ramos A *per uteri substantiam spargat.*

Dissectus in longum *uterus duos sinus* promit; dextrum ac sinistrum, nullo septo discretos, inanes & admodum leves, *angustos* adeo ut fabam majusculam vix capiant. Communis est ab iis *via* in os uteri, quod est arctissimum, eique glandi simile, quæ in extremo est masculi genitalis. *Cervix* id sequitur, partim lacertis, partim membranis & nervis condita, ea longitudine ut foras in obscœnas mulieris partes desinat. Substernitur hæc cervici vesicæ, eique per communem musculum penitus implicatur. Itaque feminis tria extant foramina, supremum vesicæ perangustum, medium vulvæ, podicis infimum. B

Ex Avic. Uteri cervicem medio circiter progressu plerique tradunt in virginibus exili *membrana* dirimi venulis conspersa, quæ primo concubitu profuso sanguine disrumpi solet, unde ὑμὴν & ὑμένειον Græcis appellatur: at potius censeo cervicis latera nondum venerem expertis, duntaxat quasi conglutinata connivere, quæ primus concubitus magna ex parte divellit. Extra in obscœnis vulvæ est ostium cartilaginosum, rugosis cuticulis implicatum, quæ arcent ne aura frigidior intro subeat: in cujus rimæ medio interiacet musculosa caruncula, quæ νύμφη Græcis & κλειτορὶς appellatur, virilis penis præputio assimilanda. lib. 3. Fen. 21. tract. 1. cap. 1.

Quæcunque circa fœtum solent in utero nasci, cum illius conformationem scrutabimur, cumulate sumus tradituri.

Quocirca satis videor omnem ventris inferioris descriptionem implevisse.

CAPUT VIII.

De partibus vitalibus.

MEdius in corpore venter cordi ac vitæ destinatus est, utpote cujus domicilium sedes habetur: nam cordis gratia pulmones tanquam stragula creati sunt, qui illius fervorem frigidiore hausto spiritu temperant. Circumscribitur hic venter supra jugulis seu clavibus, infra diaphragmate, circumcirca dorso, costis atque pectore. Ex Galeno 5. de Adm. Anat. c. 8.

Diaphragma. Etenim διάφραγμα, quod nos cingulum & *septum transversum* appellamus, præterquam quod inspirationis primum est instrumentum, alvique fæcibus exturbandis opitulatur, cordis quoque regionem ab infimo ventre & intestinis tanquam paries interjectus dirimit. Id verè *simplex est musculus*, isque rotundus, cujus summum caput in costarum extremis statuitur, ubi multæ carnis est particeps: desinit autem in medium, quod membranosum est & tendoni finitimum. *Annexum* id malo punico, circumductumque per brevium costarum (νόθαι Græcis appellantur) extrema, retrorsum simulque deorsum oblique contorquetur ad duodecimam dorsi vertebram. Tres insignes *canales* id trajiciunt, gula, arteria major, & vena cava. Alitur vivitque *venis* & *arteriis* è proximo susceptis, parteque media exiles *nervos* admittit, de quibus posthac plenius verba fient. Id utrinque valens tegit *membrana*, subter quidem peritonæos, super, *ea quæ costas succingit.* Ex Galeno 7. de Adm. Anat. c. 2. 3. 6. & 7. de us. part. cap. 3. Pleura.

Hæc enim est quæ omnem thoracis capacitatem intus oblinit obducitque, inter quam & costas congestus humor pleuritidem committit. Ea igitur primum è dorsi spina per costas utrinque subtensa diaphragma quoque universum integit, sublataque in os pectoris medium, laterum concursu duplex facta, mox in dorsi spinam (pulmones medios deducens) recta dilabitur. C Itaque omnem pectoris capacitatem dirimit duplex hæc membrana, quam *interseptum* possis appellare, aut (si Festi verbum placet) dissepimentum: cujus beneficio si alter sinus incommodum acceperit, alter salvus & incolumis servari possit. Hæc ipsa venas majores, arterias & nervos, rursum indidem gulam, pulmones, denique cor ipsum firmo nexu fulcit, ac è pectoris osse sustinet, ne pondere suo propendentia in sese & in dorsi spinam concidant.

Si accurata fiet hærentium membranarum distractio, cernetur inter eas abditum περικάρδιον. Est autem id membrana cordi circumjecta, quam illius involucrum & capsam Pericardium.

capsam appellamus. *Substantia* nervosum, constans & durum, unum ex omnibus è cordis capite natum: cæteris enim in thorace membranis omnibus una succingens tanquam parens ortum præbet. Cordis *figuram* id æmulatur, eo quidem aliquanto majus: non enim proxime adhæret, sed inani intervallo disjunctum est, quantum cordis pulsatio desiderat. Ne quid tamen frustra conditum videretur, natura in hoc spatii tenuem *humorem* aquæ persimilem conjecit, quo semper cor maderet, ne forte ardore assiduo torreretur.

Ex Galeno 7. de Adm. Anat. cap. 7. 8. 9 10 11. & 7. de us. part. à cap. 7 usq. ad 17.

Cor. Ejus Figura. Situs.

Pericardii è medio *cor* erectum figitur viventibus, nulla illius parte circum oppressum. Caput, quod & basin recte nuncupes (est enim *figura* pyramidis) sub osse pectoris ad quintam costam *consedit*, turbinato autem mucrone infra lævam papillam in priora thoracis eminet, ubi insignis & conspicua pulsatio tangentibus nobis deprehenditur. Summis pulmonum fibris ita circumplicatur, ut his universum quasi sepultum conditumque mergatur. Quæcunque timida atque ignava sunt animalia, *grandius* iis cor datum est; ceteris autem pusillum aut mediocre. Cordis autem *caro* densa est, roboris nacta plurimum, vixque patibilis: ita enim exigebat vis illa fervens innati caloris, & perpetua necessarii motus agitatio. Non enim motionis hujus potestas in nobis sita est, ueque huic imperandi jus habemus, quæ naturæ legibus, non (ut quæ musculorum est) nostro arbitrio perficitur. Ex quo perspicuum evadit, cor neque musculum esse, neque ex musculis compluribus coagmentatum. *Villis* id contexitur quoquoversum exporrectis, quo motus omne genus impleat atque præstet, in quibus tamen roboris multo plus inest quam in musculis: ut quos ex semine, non ex nervorum aut vinculorum tenuitatibus ei datos esse, posthac evidens erit. Cordis talem substantiam conveniebat crasso necdum attenuato sanguine nutriri, quem iccirca infert *ramus, ex vena cava* nondum dextrum cordis sinum subeunte, in exteriorem ambitum productus. Quibuscunque porro animantibus pulmo datus est, iis in corde *geminus* est *sinus*, dexter ac sinister: in piscibus, ut mutis, ita pulmone destitutis, unicus apparet, & in conspectum se dat. *Dexter* modice concavus est, pariete cinctus tenuiore: *sinister* altior in extremum cordis verticem pertingit, pariete crassiore obvallatus. In hoc siquidem plurimus isque attenuatus spiritus contineri debebat, cujus cor principium est atque origo: in illo autem sanguis densior concretiorque spiritu, atque is paucus, qui alendis pulmonibus satis esset. Utroque cavo carnosa nervorum stamina intercurrunt, atque utriusque bini sunt *canales*. In dextrum enim *vena cava* è jocinore per septum sublata, de sinistro suo pariete amplum sed brevem ramum inserit. Ex eodem cordis sinu alia rursum vena surgit irrepitque in pulmones, qua jam attenuatus sanguis idoneum pulmonibus alimentum provehitur. Duplici autem tunica hanc natura munivit, ne simplex præ sanguinis tenuitate hac atque illac perflueret: hinc *arteriosæ vena* nomen illi impositum. Nihil huic quidem commercii intercedit cum vena cava, quandoquidem duplex simplici non continuatur neque cohæreſcit: totam igitur hanc ex corde nasci oportebat. Ex duplici enim tunica constant quicunque exeunt canales ex corde, simplici vero qui illuc inferuntur. In læuum cordis sinum ex pulmonibus canalis incurrit, quo ductus de aëre frigidior spiritus, è pulmonibus in cor transilit. Quatenus hic aërem spiritumve transvehit, arteria dictus est: veruntamen quod nondum crassior hic aër in vitalem spiritum conversus sit, una duntaxat tunica ei satis erat; iccirco *arteria venosa* nuncupatur. Ex hoc ipso sinu emergit *arteria major* ἀορτὴ, in corpus omne diffusa: quæ cum ad tenuissimi spiritus custodiam tunica duplici condita sit, nihil cum arteria venosa communicat. In majoris autem arteriæ exortu quædam animantes, ut cervi, ut damæ, *os* tanquam radicem aut basin gerunt: quod scribit *Galenus* reliquis quoque omnibus inveniri, minoribus quidem velut membranam, mediocribus velut cartilaginem, majoribus (ut elephantis, bobus, & hominibus) os cartilaginosum. Cor auritum esse multi prædicant, huicq; utrinque è capite *auriculas* eminere. Sic enim placuit illis nervosas membranas appellare ob sinuum introitus positas, quarum in primis est arteriam venosam

Magnitudo. Substantia.

Fibra.

Duo sinus.

Vasa cordis.

7. de Adm. Anat. c. 10.

Auricula.

D venamque

venamque majorem fulcire, quæ tenues A vix alioqui pulsationis impetum sustinerent. Dein etiam ita conditæ sunt, ut sanguinem & spiritum cor in se promptius attraheret, sibique ventilationem moliretur, ipsis nimirum follium instar agitatis atque inflatis vicissim & concidentibus. Cæterum mirificum hic naturæ arcanum contemplemur in appellatis *valvis* positum: quę quidem membranæ sunt in canalium atque vasorum extremis, quarum dilatatio extremitates obturat, contractio recludit. Iis vasis & canalibus qui in cor subeunt & materias invehunt, membranæ foris intro spectant, ne quod intromissum fuerat, refluere possit: vena cava membranas tres pro valvis accepit, arteria venosa duas quę ambitum interiorem circundant. Duobus aliis è corde promptis ductibus, diversa est valvarum constitutio, ut quę foras spectent & apertæ sint, ne quod aliquando è corde effusum fuerat, in id ipsum remeet: ejusmodi sunt in majore arteria & in vena arteriosa, in utraque quidem ternæ. Sic igitur rerum natura tulit, ut dum cor contractis in se rectis staminibus atque villis dilatatur (qui motus Græcis διαστολή vocatur) materias prolectet: in sinum quidem dextrum, sanguinem ex vena cava, in sinistrum, aërem ex pulmonibus. Horum quidem tum valvæ depressæ connivent, ut haustæ materiæ cedant: aliorum autem distentæ patent, ne tum pariter quicquam de se cor extrudat. Mox vero contractis transversis villis, coarctatur cor, (συστολή dici solet) acceptasque materias de se refundit: spiritum quippe ex cavo sinistro in arteriam majorem: è dextro sanguinem attenuatum per venam arteriosam in pulmones: hocque tempore istorum valvæ depressæ sunt, aliis stantibus atque sublatis.

Ex Galeno 7. de Adm. Anat. c. 5. & lib. 7. de us. part. c. 1. usq. c. 11.

Atque hæc de corde satis.

Pulmonis usus.

Pulmo spirandi officina nullo vel minimo puncto temporis intermisso movetur, spiritum identidem reciprocando ducit redditque. Haustum hunc conficit præparatque cordi, ut jocinori alimenta ventriculus: cujus demum accessu innatus calor ventilatus refrigeretur, & vitalis spiritus alatur foveaturque tanquam pabulo. Quocirca pulmonum *caro* mollis facta est, levis, rara, spongiæ assimilis, ad hauriendum concipiendumque spiritum aptissima. *Figura* quæ ungulam bubulam æmuletur. Eam præ se fert *molis amplitudinem*, ut in viventibus pectoris universum cavum impleat: at ei qui ex hac vita migravit exilis collapsusque flaccescit, nec si fistula infletur, tumorem tantum referre possit, quantus in vivente extabat. *Considit* in dorsi vertebris, quibus & pectoris ossi intersepientis membranæ vinculo committitur. Illum eadem *geminum* facit, una quidem parte in dextris costis, altera recumbente in sinistris: atque utriusque binæ sunt insignes *fibræ*; præter quas minor quædam aliarum velut soboles, in dextra parte tanquam stratum subjicitur venæ cavæ contendenti B ad claves & jugula. *Tunica* pulmo obducitur prætenui, per quam pus aut sanies in pectoris capacitate per suppurationem aliumve affectum congesta permeare possit, & quasi sucta pervadere, hincque per exiguas arteriarum fistulas ad majores, tandem vero ad asperam arteriam atque foras tussi propelli. Triplici *vasorum* genere retis modo implicatorum pulmonis caro sustinetur & cohæret: *vena arteriosa*, quæ è sinu cordis dextro nata in omnes pulmonis particulas sparsa diffinditur: *arteria venosa*, quæ ex omnibus ejus particulis tenues rivos tanquam radices excipiens, trunco unico in sinistrum cordis sinum intruditur: *aspera* denique *arteria*, quæ à faucibus ortum ducens in duas regiones primum bivio distracta, mox C deinde in minores tandemque in minimas dissecta, in pulmonem universum decurrit. Itaque trium vasorum extrema in ejusmodi tenuitates sectione discerpuntur, ut in pulmonem prorsus absumptæ oblitescant, nec usquam continuatæ cernantur. Quocirca aër in pulmones haustus inspiratione, primum quidem asperas arterias duntaxat implet, neque continuo in læves illabitur, quas venosas appellavimus: verum illinc in substantiam pulmonum diffusus conficitur, atque jam satis extenuatione præparatum, cor distentum lævium arteriarum ductibus prolectat & attrahit. Ergo ut ab ore via in ventriculum directa ferebatur, sic & altera ex eodem ducit in pulmones, ut iccirco recte bivias fauces possis appellare. Proxime enim

Substantia. *Figura.* *Magnitudo.* *Consessus.* *Compositio.* *Fauces.*

nim cervicis vertebras intus gula recondi- A tur, esculentorum potulentorumque via.

Aspera arteria. Extra parte priore & obvia in longum huic adhærescit *guttur*, τραχεῖαν ἀρτηρίαν vocant, qua solus spiritus deducitur. *Fistulam* plane refert brevem edendæ voci aptissimam, cujus pars *membranis*, pars *cartilagine* continetur. Hanc enim complent in dimidiatos orbes ad C literæ speciem actæ cartilagines, interjectis membranis copulatæ. Quin etiam his intus alia densa subtenditur, cujus villi in rectum abeunt: alia extrinsecus velut tegumentum omnem cingens arteriam: his etiam suffultæ venulæ tenues alimentum fundunt atque subministrant. Eam profecto fieri decebat arteriæ compositionem, quæ tracto redditoque spiritui assidue pateret, & vocem sua B vem ac splendidam suggereret laryngi: nam mollior absonam atque absurdam, siccior vero intentam, & clangori persimilem emisisset. Ergo quantum hujus arteriæ supra claves extat, perfectos orbes haud quaquam accepit: nam quicquid parte posteriore gulam attingit, sola membrana cingitur, ut crassioribus esculentis in ventriculum illapsuris locum daret cederetque. At vero quantum arteriæ sub clavibus in pulmones confertur, gulæ non cohæret: quocirca cartilaginosos orbes perfectos obtinuit.

Ex Galeno fragm. de vocal. inst. diff. cap. 4. 5. 6. 7. & lib. 7. de us. part. c. 11. usq. ad cap. 18.

Larynx. Summum arteriæ caput λάρυγξ appellatur, proprium edendæ vocis instrumentum. Ex *tribus* hic magnis *cartilaginibus* absolvitur, quarum maxima veterum scuto C similis, foras prominet, nobis tangentibus obvia: illic quidem firma atque dura, at parte posteriore membranosa. Interior hujus capacitas (longa enim est & ampla) reliquas minores duas includit cartilagines parti posteriori objectas, sic inter se vinculis nervosis obstrictas, ut tribus hisce compactus larynx, cartilaginosus totus esse videatur, orbisque figuram implere. Inferum extremum asperæ conjunctum arteriæ, quam summum patet amplius: hoc enim præcipue modulatur vocem. Quoniam igitur larynx simplex cartilago non est, dilatari certe potest vel coangustari, claudi vel recludi nostro nutu & arbitrio. Clauditur quidem in spiritus interclusione atque comprehensione: coarctatur angustiorque fit, cum vox elidi debet: at prorsum laxatus patefit, dum inspiratio respiratiove simplex inducitur. Motibus tam variis atque distantibus natura multiformes *musculos* adhibuit, quos supra viginti commemoravimus, proprios quidem duodecim, communes octo. Sex inter hos ex imis nati partibus, laryngis cartilagines deorsum vellunt atque deducunt, habentque idcirco *nervorum* tenuitates ex infernis partibus allatas. At cum omnium interiorum nervorum è cerebro communis sit origo, istos quoque è sexta conjugatione, ad pectus, cum iis qui ad os ventriculi contendunt, aliquantum derivari compertum est, hincque ad sex memoratos laryngis musculos reflecti: inde *recurrentes* nervi sunt appellati. In eo autem loco unde regrediuntur, sinister maximam arteriam, qua parte ex corde in dorsum flectitur ac detorquetur, circumplicat: dexter vero eum arteriæ ramum circumvectus amplectitur, qui in alam dextram procedit: his tanquam radicibus innixi sursum replicati nervi atque conversi motum ei persimilem obeunt, qui in architecturæ machinis trochlearum ope completur.

παλινδρομοῦντες καὶ φωνητικοί. recurrentes & vocales nervi.

Laryngis introitum summumque ostium, ne quid mandendo devorandove in id incidat & illabatur (alioqui enim semper pateret) contegit occluditque membrana cartilaginosa, oblonga, fistularum linguæ assimilis, unde ei nomen ἐπιγλωττίς: magnitudine paulo amplior laryngis ostio, quo id firmius obseraret. Hæc dum inspiramus atque respiramus, sursum erigitur: incubat autem laryngi dum cibus demittitur, ne quid hujus abundanter & universe irruat in arteriam. Pusillum siquidem præsertimque potus influit, neque tamen incommodat, sed dum membranam irrigat madefacitque pulmones, prodesse creditur, hoc argumento quod utrinque laryngi additæ sunt *glandulæ*, quæ humore suo subditas illas partes imbuerent. Non igitur inter vorandum arcte obseratur, quemadmodum dum spiritus intercluditur: tum enim eatenus depressa epiglottide obturatur larynx, ut ne minimum quidem conclusi spiritus erumpere possit & excedere. Id autem quia præstat epiglottis, simul vero quia eadem ducti redditique spiritus modum accessu recessuque

Epiglottis.

Ex Galeno lib. 11. de us. part. c. 10. & 11.

ſuque ſuo temperat, hincque omnes vocum varietates modulatur, primum illa nimirum ſtatuitur vocis inſtrumentum.

Lingua. Cæterum *lingua* ori indita explanatæ diſtinctæque vocis fictrix atque moderatrix eſt, & mentis voluntatiſque nuntia. Eadem ſapores dijudicat, eximio & voluptario guſtandi ſenſu prędita. *Subſtantia* illi rara atque laxa, ut humore ſaporum vectore facile imbuatur: quocirca *tunica* cingitur prætenui, quæ toti quoq; ori communis eſt. Novem ſtruitur *muſculis* undique conſtitutis, quos media linea ad dextram lęvamque dirimit, ut hoc, uti & reliqua ſenſuum inſtrumenta, geminum foret. Cumque ſumme volubilis eſſet & incitata, ne forte indomita plus æquo in loquacitatem ſolveretur, ſubdito *vinculo* tanquam habenis cohibetur. *Venis* præterea duabus majuſculis totidemque arteriis perfunditur: duobus item *nervorum* conjugiis, altero duriore, quod in muſculos diſtributum motus efficit, altero molli internoſcendis ſaporibus deſtinato. Pertinet autem irrepitque hoc genus magna ex parte in externam ambientemq; tunicam.

Lingua ad radicem qua latior eſt faucibus cohæret, oſſe valido quaſi baſi nititur ſuſtentaturque, quod ὑοειδὲς Græcis dicitur, literæ Υ ſpeciem habens. Huic utrinq; aſſiſtunt glādulæ, quas peculiari nomini noſtri *tonſillas*, Græci παρίσθμια dixere: perpetua quibus vis eſt eructandi ſalivam, ut madefiant lingua, larynx, arteria, ipſiq; pulmones. Ex Galeno 7. de uſ 9. part c. 1. Os hyoides. Tonſillæ.

Columella. Inter eas ab extremo palato dependet caruncula rotunda, voci ad ſuavitatem atque modulationem velut plectrum conducibilis, Græcis γαργαρεὼν, quibuſdam ficto nomine gurgulio, at proprie *columella* dicta: quæ dum humoris influxione tumet & inflammatur, uvæ nomen accipit.

Palatum. Hinc *palatum* ad primores dentes extenditur, cui perinde atque linguæ per nervum vis data eſt ſapores internoſcendi: ad vocem id juxtà ac reliquæ oris partes neceſſarium, multis ſcabrum aſperitatibus (*Plinius* crenas appellat) quibus cibum ad concoctionem præparet. *Hæc ſunt univerſa quæ oris mediique ventris capacitate continentur, de quibus hoc loco dicere ſtatueram: nam dentium ut oſſium explicationem proprio loco complexi ſumus. Quocirca ad capitis interiora tempeſtivum eſt ſermonem transferre.*

CAPUT IX.

De capite.

Ex Galeno lib. 9. de Adm. Anat. & lib. 8. de uſ. part cap. 8. uſq. ad lib. 9. cap. 8. Calva. Cerebrum humanæ mentis arx & domicilium, cogitationem rationiſque ſedes, motus omniſque ſenſus fons & origo: corporis ſummam partem tenet, ſurſum ſpectans, cœlo proximum. Ut enim hujus univerſitatis parens menſque illa rectrix in cœlo excelſiſſimo loco conſedit, ita decebat cerebrum noſtrę mentis arcem *ſummo corpore* collocari. Quoniam vero id viſcerum præſtantiſſimum, futurum erat irruentibus extrinſecus injuriis obnoxium, naturæ providentia undique circumſeptum eſt oſſeo tegumento, quod ſupra *calvam* appellavimus. Hanc utrinque obvelant *membranæ*, quarum interior *craſſa meninx* appellata villis compluribus calvæ ſuturis adhæreſcit, qui inde foras elapſi fuſius latiuſque circumjecti alteram exteriorem membranam conficiunt (Græcis eſt περικράνιος) capitis muſculoſæ cuti proxime ſubjectam. Craſſior dura illa meninx cum eſſet, cerebro ut propugnaculum adverſus calvæ occurſum data eſt: altera autem ſubtenuis atque mollis, idoneum cerebri involucrum, ei quam proxime adjunctum, quod & locis compluribus altius demergitur, ut interiores cerebri capacitates oblinat. At vero geminatę atque duplicatę meninges altius impulſæ, primum cerebrum à cerebello, quod Græcis eſt παρεγκέφαλις, prorſus diſterminant: rurſumq; cerebrum ipſum parte priore ſitum, in dextram lævamque per ſumma duntaxat dirimunt: ut partes cerebri tres ſint, omnes geminis membranis ſejunctæ, omneſque iiſdem ſupra ſubterque ambientibus cemprehenſæ.

Meninges. Pericranium.

Cerebrum. Cerebrum ſub his homini ſpectatur maximum, quod ſit plurimarum virtutum ſedes. Pars prior (ut dixi) gemina *geminis* quoque *vētriculis* intro reconditis excavata, amplis iis quidem, ſed magis viventibus quam morte conſumptis, quibus nimirum coanguſtantur omnia. Ex primis hi cerebri partibus initium ducentes, ad medias fere regiones accedunt, inde paulum reflexi in imam ſedem detorquentur, qua baſis eſt cerebri, Ventriculi duo priores.

rebri, & os quod à cuneo nomen habet. Illuc ventriculorum rivi confluunt, ubi locus est qui χοάνη, id est, *infundibulum* πύελος, id est, pelvis, appellatur. Huic subter crassam meningem subdita est *glandula* rotunda, aperte concava, glandulam mox excipit sustinetq; tanquam basis os σφηνοειδὲς, à dextra lævaq; pertusum, cui mox subjiciuntur ossa adusq; palatum spongiæ modo rara, unde σπογγοειδῆ vocantur. Quæcunque igitur in ventriculis tempore congeruntur supervacanea, sensim per rivorum ductus in pelvim illabuntur, hinc in glandulam, cui tantisper inhærescunt, dum per cunei foramina in os spongoides, & in palatum pedetentim instillent, forasque deturbentur.

Plexus choroides. In illa autem ventriculorum cava, *venarum arteriarumque rivuli* è summo cerebro pariter cum tenui meninge devehuntur, quæ inter se colligatæ atque implicitæ, contextus eos conformant, qui χοροειδεῖς appellantur, quique capacitates intus succingunt & implent. Ex inferis quoque partibus, atque ex ipso contextu admirabili, per ea quæ modo commemoravi foramina, arteriæ tum in cerebri corpus, tum in ejus ipsius ventriculos emergunt evaduntque, illis contextibus ut dixi innexæ. *Rete admirabile.* Nam ex colli arteriis rami sursum evecti, cum jam in cerebri basim permanarint, easque capacitates attigerint, quæ cuneo ossi subditæ sunt, mox in tenuissimas arterias easque plurimas dispersæ multiformi varioque nexu citra ullius membranæ copulationem, *reti assimilem contextum* conficiunt struuntque, (Græcis hic πλέγμα δικτυοειδὲς nuncupatur) qui os cunei non prorsus excessit, sed medius inter id & crassam meningem collocatur. Hujus tenues arteriæ omnes tandem in majores duas confluunt, quæ per cunei ossis & crassæ meningis foramina elapsæ, in cerebri corpus ejusque ventriculos commeant, eo quem dixi modo distributæ.

Jam vero prioris cerebri secretio ac diremptus quem in longum fieri memoravi, nequaquam adusque cerebellum perducitur, sed circa medium insistit, ut sit priorum duarum partiũ in mediam quandam eamq; individuam concursio. Sic propemodũ qui prioribus partibus condũtur *ventriculi*, propriis ductibus in *tertium* quẽdam confluunt *(Tertius ventriculus.)* se ipsis longe minorem, quique nulla succingente membrana, sed sua duntaxat duritia consistat, tanquam fornix aut camera, unde καμάριον dictus est & ψαλλοειδής.

Cerebellum. *Cerebellum* quod à cerebro duplicatæ meninges sejungunt discluduntque, occipitis osse tegitur: cerebro quidem *durius* atque siccius, cujus pars extrema per spinæ fistulam illapsa, in ossis sacri imum trajicitur, à qua ut ex arboris caudice rami, sic duriores nervi proferuntur. *Quartus ventriculus.* *In eo ventriculus* inest atque sinus prioribus minor, major autem fornice: qui initio latius patet, at vero arctatur extremo suo in mucronem compressus. A medio fornice *canalis* est proprio tegumento velatus, qui unicus pertusis meningibus cerebrum committit cerebello. *Conarium.* Ad ejus introitum sita est glandula diversæ atque cerebrum substantiæ, quæ venis & arteriis in cerebrum fusis pro firmamento esse creditur. κωνάριον hanc appellant. Partes quæ à dextra & à læva canali assistunt, tument extantque adeo, ut plerunque applicatæ sese contingant: atq; idcirco tanquam hominum *clunes* per illius longitudinem porrectæ, γλουτία dictæ sunt. *Nates.* His utrinque copulata est tenuis & valida mẽbrana, quæ canalis superiora contegit. *Vermicularis processus.* Membranæ in longum incubat epiphysis vermi similis, hinc σκωληκοειδῆ appellant, reliquo quidem cerebro durior, ex multis constans particulis, quas tenues membranæ vinciunt copulantque, ut produci contrahiq; vermis ritu possit. Hujus dorsum glutiis & copulanti membranæ adhæret, quod sua crassitudine glutiorũ distantiam propemodum implet. Itaque vermis hic dum longius extenditur porrigiturq; per canalis longitudinem, fitq; idcirco subtilior, inter glutia procumbit, & obturat canalem: contractus autem in sese ampliorq; factus, inter glutia delabi nõ potest, quinimo revolutus secum una retrorsum vellit sublevatque membranam, quæ glutia conjungit: quocirca tantum is canalem patefacit quantum retrorsum abscedit.

Hæ partes quas edant Functiones, quos usus præstent. Ea est omnium partium cerebri historia. Quarum *actiones* sic in commune conferuntur. Priores ventriculi omnium maximi, crassiores *cerebri sordes* (nam tenues per suturas evadunt & foras se dant) suscipiunt & congerunt, quæ quia cerebrum amplum, frigidum, humidumq; habetur, quamplurimæ ex circumjectis partibus eo confluunt:

Inde stillant per priora in os summum narium, quod una cum adhærente membrana spongiæ modo pertusum est: alias per pelvim subditaque foramina dilabuntur in palatum, quanquam iis addita glans cursus celeritatem retardat.

Alter porro *usus* præstantior est, ad quem natura ventriculos accommodavit, dum vitales ex corde *spiritus* in retis contextum effusos illicque præparatos, in priores ventriculos transmittit, ubi deinde vi innata cerebri in animales conversi, in omnes sensus in medium ventrem, tandemque in postremum diffluunt, ut ad sensus motusque functiones suppetant satisque sint. Similis est cogitationum ratio, quas rerum sensibus comprehensarum spectra atque imagines in ventres illos evectæ suscitarunt.

Ex Galeno de odoratus instr. c. 2. & 9. de us. part. c. 8.

Has autem vias, quas ab externis sensibus intro natura produxit, deinceps exponemus.

Papillares processus.

Cerebri partibus prioribus *tubercula* duo extant & eminent *mammarum papillis simillima*, quæ summo narium ossi spongiæ æmulo objecta insident. Sub his exiles proceræque productiones mollioribus *nervis comparatæ* sese expromunt, quas in nervorum numero veteres nunquam collocarunt: at his tamen odoratum atque vim eam, quæ odorationes æstimet, concesserunt, ut una inter cæteras sentiendi vires è calva non exiliret. Si quādo priores cerebri ventriculi mucosa eluvie affluunt & abundant, tubercula stillant in nares subditas, ut intelligi possit in hæc vias è ventriculis patere.

Ex Galeno de nervor. dissect. c. 2. 3. 4. 5. & 9. de us. part. cap. 8.

Iam vero nervorum qui ex ventriculis in sensuum instrumenta contendunt, propagationes hæ sunt.

Prima nervorum cerebri conjugatio.

Omnium *prima* in oculos trajicitur atque infigitur, cujus nervi insignes sunt, & inter cæteros maxime concavi, dicti Græcis ὀπτικοί, molles ii & ampli, per quos videndi spiritus invehitur. *Duo* quidem sunt ut oculi diversis enati locis, sed qui à media cursus via quasi decussati *coitionem* faciant, moxque diducti in suum quisq; è regione oculū fertur.

Secunda.

Altera propagatio est *nervorum oculos moventium*, qui quanquam opticis substrati post eos inferi videntur, *exortu* tamen in priores cerebri partes magis vergunt & accedunt, unde nonnullis primi solent existimari. *Exiles* quidem, duri atque validi, in eos musculos dispersi, qui oculos obsepiunt atque movent.

Tertia multiplex.

Tertia conjugatio ad *gustatum* pertinet. Ea quidem à prima statim radice *permultis constat nervis* iisque tenuibus, & quasi in unum compressis atque coarctatis, quorum complures *in linguæ externam tunicam* fusi gustandi sensu eam instruunt & illustrant; hique ab ima cerebri parte *nascuntur* secundum quam linguæ situs est. *Reliquorum vero pars in superiorem, pars in inferiorem maxillam abit*, sed via multo diversa. *Unicus ad inferiorem* pergit: qui cum ramulis gustum linguæ præbentibus, per declivia patente quidem osse atque crassa meninge primum deturbatur: at mox ab illis se subducens durior firmiorque factus, ut qui motum præstiturus est, in temporis eum musculum qui *molitor* appellatur sese infert: inde recta in inferiorem maxillam multis villorum tenuitatibus divaricatur, aliis in dentium radices, aliis in gingivas & inferum labrum effusis. *Qui superiorem maxillam* adeunt, statim ad oculorum sedes adducti, cum iis durioribus nervis commeant qui oculos movent, perque illorum foramina excidunt: transmissi deinde sub oculos ad os malę quod plurimum eminet, id perforant, ut inde diffusi in gingivas dentesque superiores, in cutem faciei prætensam, & in superum labrum dispergantur. Simul autem dum hi malæ foramen evaderent, unum de se prætenuem ramulum in id foramen conjecerunt, quod in osse nasi ad oculi angulum majorem majorem vergit: hic inde in narium capacitatem illapsus, in eam membranam spargitur, quæ naribus cum palato & ore communis est.

Ex Galeno de nervorum diss. c. 5. 6. & 9. de us. part. c. 9. & 10.

Quarta.

Quarta societas & convenientia, post tertiam proxime *originem* sumit, cujus nervi quam illius exiliores quidem, sed tamen duriores sunt. Quanquam vero utrique primo exortu concursionibus inter se cohærescunt, ut confundi, & è calva eodem foramine excedere & prodire videantur, mox tamen ut aliquantum sic processerunt quarta conjugatio hinc se subtrahens, *in palatum & in tunicam ori subtensam* decurrit.

Quinta.

Quinta conjugatio binis nervis continetur finitimis, proximeque inter se conjunctis, ut plerisque singuli putentur, cum tamen iis plane diversa sit *origo*. Horum itaque qui utrinque duo sunt, *prior audiendi ner-*

vus appellatur, quod auris corneolum introitum subeat, crassa meninge sic arcte involutus, ut à quibusdam existimetur ab ea proficisci & initium ducere. *Posterior* in id ossis lapidosi angustum anfractibusque flexuosum foramen se devolvit, quod cæcum nuncupant: forasque ad aurem emergens & durior factus, *in temporis musculum*, in genas, atque in partes auri circumjectas explicatur, ei tertiæ conjugationis propagini opem laturus, quam dixi in tempus & maxillam inferiorem excurrere.

Ex Galeno de nervor. dissect. cap. 7. 10. & 9. de us. part. cap. 11.

Sexta multiplex.

Sexta (quæ *interioribus corporis partibus tangendi sensum præbet*) pone hanc ex ima cerebri parte *profertur*, & per suturæ cui λ nomen posuit patens extremum, calvam exit, *compluribusque* statim *ramulis* exoritur, quos securitatis gratia, natura, eadem sepiente membrana, quasi in unum conjectos obstrinxit. Quocirca ii, quanvis negligenter spectantibus unicus videantur, tot tamen vere sunt à prima statim origine, quot omnino particulæ, in quas dispartiri disseminarique debent, diligentius intuenti duodecim aut etiam plures apparent. Omnes dum *per cervicem feruntur*, propemodum conjuncti apparent, utrinque cum arteriis sociati quæ inibi sunt. Longius autem progressi *bipartitò dirimuntur*. *Alteri intro* per costarum radices abeunt membranis vincti, hincque deorsum pergentes lumborum interioribus musculis incumbunt, sic eo cursu deducti dum ossis sacri extremum contingant. Hoc longo viæ tractu omnia prope intestina & viscera quæ sub diaphragmate posita sunt, lien, renes, vesica, testes & universum peritonæum, tenuitates quasdam ab illis acceperunt, per quas tactum participant: hunc enim sensum proxime è nervis cerebri asciscere decebat. Cæterum in prolapsione & transitu, spinæ medulla illis duriores nervos è vicinis sedibus dispergit, ut ex amborum permistione simul cum tactu roboris constantiam & firmitatem attexeret. *Alteri hujus conjugii nervi* ad œsophagum inclinant, cui utrinque connexi assistunt, pariterque demissi ori ventris se impingunt, in reliquum ejus corpus adusque fundum disjecti, in exilesque exhausti tenuitates. Syncera autem est hæc propago, nequaquam durioribus nervis uti superior implicata. Nihil ab hac ne minimum quidem septo transverso impartitur: ad cæteras autem partes, œsophagum, asperam arteriam, pulmones, cor atque jecur, in transitu villi quidam emergunt ac dimanant, adeo ut principes hæ partes quibus gubernamur, synceris istis è cerebro nervis præditæ sint & instructæ, continuataque cognatione sibi consentiant. Ab hac propagine ubi jam in thoracis spatium aliquantum processit, rami quidam retorquentur ad laryngis musculos: suntque ii nervi recurrentes, de quibus abunde supra dixi.

Ex Galeno de nervor. diss. cap. 8. 9. & 9. de us. part. cap. 12.

Septima.

Septima postremaque conjugatio ab extremo cerebri *erumpit*. qua jam spinæ medulla elabitur: inde cum sexta *digreditur*, *maximaque parte* in villos musculorum linguæ interiores solvitur, quos ipsos multifariam intexit. *Minima* quædam hujus conjugii portio in rectos laryngis musculos effertur: *alia* vero neque ea modica in primos amplosque lacertos, qui scapulas sursum adducunt: *alia denique* in eos qui tonsillas ac fauces involvunt. Quocirca recte videtur hæc nervorum *linguam moventium* conjugatio dici; quam reliquis sicciorem durioremque haberi ipsa plane origo commonstrat. *Hæ sunt omnes è cerebro nervorum origines atque progressus.*

Ex Galeno 11. de us. part. c. 12

Iam vero ne quid eorum, quæ ad caput pertinent, desideretur, de sensuum instrumentis tempestivè hic agendum duxi.

Auris.

Auris ad auditionem *introitu* semper patet duro, & multis anfractibus flexuoso, ne sonus derepente affatimque intro subiens sensum lædat. Nam imum anfractum *crassior meninx* succingit & obducit: audiendi autem *nervus* in eam ipsam membranam fusus explicatur, quæ foramini per transversum objecta, invectum sonum ictumque aërem excipit, defertque in cerebrum commune sentiendi principium. *Extra* autem quæ appellantur *auriculæ prominent* cartilaginosæ, multisque flexibus externis injuriis oppositæ, ne quid ex in opinato intro irrueret, neve appulsæ voces laberentur atque errarent: pars superior eaque durior *pinna* dicitur, inferior quæ mollis, *fibra*.

Ex Galeno de inst. odorat. c. 2. & 8. de us. part. cap. 6.

Nasus.

Nasus homini tantum altior eminentiorque in facie, quo quasi integumento nares occultantur, tum odorum spiritusque via, tum mucosæ eluviei emungendæ rivus. Illac siquidem hausti ductique spiritus pars

tracta irrepit in cerebrum, pars in asperam arteriam & pulmones rapta delabitur. Nares æque disterminat *interseptum cartilaginosum*, ab imo ad summas nasi angustias & palati superiora protensum. Nam tota hæc regio plurimis foraminibus pervia est, per quæ cerebri supervacua influunt, in nares quidem per os cui à spongia nomen est, in palatum vero per id quod speciem cribri gerit: tametsi è naribus in fauces communem viam patere ostendunt, quæcunque illinc huc regeruntur imprudentibus nobis.

Ex Galeno lib. 10. de us. part. c. 10. prioribus.

Oculi. 8. de us. part. 5.

Assistunt utrinque *oculi*, pars corporis preciosissima, qui tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere, & eminus quæcunque nocitura sunt, aut pro futura, prospiciant. Horum gratia (si *Galeno* creditur) caput in altis editisque partibus corporis collocatum est, quia cerebrum ob breves opticorum nervorum ductus oculis proximum esse debuit, illic sublimi loco positis. Ii ut reliqui sensus *gemini* parte priore, in quam progredi solemus, in antra concava reconduntur & latent, utiliter excelsis undique partibus *circumsepti*.

Primum enim à superiore parte *supercilia*, ab inferiore *malæ* leviter eminent, & *nasus* in medio quasi murus oculis interjectus, à dextra & à læva temporum ossa.

Palpebra.

Palpebris integuntur mollissimis tactu, ne læderent aciem, quarum *inferiores* fixæ & immutabiles conquiescunt, ut & genæ inter has atque malas collocatæ: *superiores* pupulas claudunt, ne quid obiter incidat, easque aperiunt cum celeritate maxima. Palpebrarum extrema *cilia* sunt, dura cartilagine firmata, quæ ταρσὸς appellatur: huic infixi pili eriguntur, quibus tanquam vallo quodam muniuntur oculi ad leviorum occursus: hosce pilos Græci βλεφαρίδας dixerunt.

Cilia.

Musculi.

Lubrici facti sunt & mobiles, ut aspectum quocunque vellent facile converterent, ob idque utrinque *septem* his *musculi* circumjecti, è quibus unus sursum, alter deorsum, duo ad dextram lævamque trahunt, alii duo illos circunferunt, septimus sustinet & illigat. Ex *tunicis* quaternis atque externis humoribus conditi sunt. Prima tunica & extima ἐπιπεφυκὼς, id est adnata & adhærens appellatur, cujus interventu oculus tenetur & adhærescit. Altera cornu similis, κερατοειδής. Tertia uvæ, ῥαγοειδής. Quarta araneorum telæ, ἀραχνοειδής.

Tunica.

Humores.

Humorum extimus est ὑδατοειδής, ab aqua dictus, alter ὑαλοειδής, vitro fuso similis, intimus κρυσταλλοειδής.

Compositio.

Omnium autem *compositio* hujusmodi esse deprehenditur. Adhærens tunica oculi posteriora contegit, excipitque musculos omnes, ex pericranio hæc quidem nata: proxime illi adhærescit cornea universum oculum undique cingens, quæ tametsi à dura cerebri meninge proficiscitur, quàm illa tamen durior firmiorque externis rebus objicitur, pellucida quidem, ut per eam cerni posset. Hac concluditur humor ab B aqua aut ab ovi candido nomen habens, quem mox ῥαγοειδής universum comprehendit. Quoniam vero hæc tunica à posterioribus partibus corneæ propemodum adhærescit, à prioribus autem longissime distat, idcirco his conceptus humor totus pene in priora confluxit. Ut granum uvæ, sic ῥαγοειδής parte priore & media foramen habet, quod pupula Latine, κόρη & γλήνη Græce vocatur, è quo acies est qua cernimus, hoc enim rerum spectra spiritusque prosiliunt: nascitur autem hæc ex tenui meninge. Rhagoidem circumcirca proxime succingit arachnoides, colore nigra, arteriis venisque conspersa more secundarum uteri, ex videndi nervo tenuissime fuso dilatatoque nata, qui ex cerebro nonni- C hil secum detulit ejus contextus qui χοροειδής appellatur. Itaque inter has tunicas palam est nihil prorsum intercedere. Quantum superest interioris capacitatis, id replet vitreus humor copiosissimus, is quidem & crassitie vitro fuso similis: in quo proinde crystallinus veluti innatans stabilis & constans insistit, nulla tunica diremptus. Positus autem is est non in vitrei medio, sed parte ejus priore, pupulæ prorsum objectus, ut ea sede medium totius oculi velut punctum occuparet. Humorum hic durissimus glaciem concretam aut crystallum referens. Figura non plane globosa, sed qua pupulam spectat pressior ac planior. Alitur vitreo humore, vitreus autem per venas è cerebro cum arachnoide derivatas.

Hæc de videndi sensu.

Gustatui

Gustus. *Gustatus* ore continetur, undique septus ad usum & incolumitatis custodiam, quodque cibi & potionis judex sit. Quocirca lingua & palatum ejus instrumenta cnm sint, satis videntur ante suis locis explicata.

A

Tactus toto corpore æquabiliter fusus est; cujus idcirco propria instrumenta non prius definire possim, quam reliquorum omnium nervorum propagatio sit absoluta. *Tactus.*

CAPUT X.

De nervis.

PArtium dissimilium instrumentorumque corporis omnem jam videor compositionem planam fecisse, ut omnis illarum descriptio facta explicataque putetur: nunc autem ad similarium partium expositionem reversus, eas primum verbis amplectar & expediam, quarum beneficio reliquæ omnes indigent, communique opera gubernantur: hæ sunt venæ, arteriæ, & nervi. De his quidem supra, obiter duntaxat, & (ut dicere solent) profunctorie dictum: nunc vero plenam absolutamque illorum propagationem exponemus, qua legentis animus saturari possit. Ne autem de cœpto viæ cursu deflectam, quam de nervis paulo ante suscepi tractationem hic persequar.

B

Spinæ medulla. E cerebro, tanquam è radice caudex, profunditur *spinæ medulla*, quæ cerebri substantiam accipiens, ejus aut pars est, aut profecto vicaria; tanto durior quanto longius processerit.

Ex Galeno 9. de usf. part. c. 14. *Nervorum duriorum origo est.* Ut enim prior cerebri pars usquequaque mollis est & tenera, posterior tantum dura quantum progreditur, ita sentientes nervos natura omnes è priore illa parte, moventes vero, utpote *duriores & ad motionum impetus sustinendos* roboris plurimum nactos, *à posteriore & ex spinæ medulla derivavit*. Convenit enim ut è simili unumquodque nascatur, vixque à duro potest molle quicquam proficisci; quanquam durum quippiam ex molli prodit, non primo quidem statim exortu, sed dum progressus longitudine aut regionis per quam ducitur siccioris natura arescens, durius robustiusque se ipso redditur. Sic enim supra proditum est, complures è tertia conjugatione moventes nervos emersisse, & è sexta recurrentes, qui longo viæ tractu, moventium vim & naturam acceperunt. Attamen neque hos inter exquisite duros collocare possis, quod ab illorum robore plurimum descis-

C

cant, ut idcirco ratum sit & constans, omnium exquisite durorum, cerebellum & spinæ medullam principium esse & originem: de quibus jam pleniorem orationem instituo.

Ex Galeno 23. de usf. part. c. 8. *Ejus progressus & compositio.* Itaque *medulla per spinæ fistulam in extremum sacri ossis progrediens*, duobus *involucris* convestitur, quæ à cerebri meningibus proferuntur, & quæ eundem ac meninges usum præstant. Supra hæc tertia quoque tunica fortis atque nervosa circumjicitur, ne dum spina inflectitur, flexa quoque medulla disrumpatur. Sequuntur *vertebrarum* nodi, *vinculis* suis inter se connexi atque conjugati quos præterea universos *alia tunica* extrinsecus integit & firmissime colligat. Hic missum facio tenacem & glutinosum *humorem*, quo plurimo vertebræ ad motus proclivitatem circumfusæ sunt.

Ex Galeno de nervor. dissect. c. 11. 12. 13. 14. 15. *Medulla* igitur tamquam caudex *ramis plurimis fruticatur*, in omnes artus, sensus motusque gratia, propagatis: *à singulis* quippe *vertebris bini* eo, quem nunc dicturus sum modo, expromuntur atque proferuntur.

Prima nervorum è spina conjugatio. *Prima* atque summa hinc surgens conjugatio, exilium est nervorum, qui ex medulla orti per obscura summæ vertebræ foramina prodeunt: quod non, ut reliquos omnes, per articulos compagesque elabi tutum esset, ut qui tenues frequenti motu divulsi frangerentur. Pusilli autem cum sint, non extra musculos huic vertebræ incubantes procurrunt.

Secunda. *Altera συζυγία* insigniores nervos ab ea mittit regione, quæ inter primam secundamque vertebram à lateribus posita est. Horum *pars maxima* circum aures, & in capitis posteriora ad summum usque verticem effunditur: *pars reliqua* in circumjectos omnes musculos irrepit, primæ implicita conjugationi.

Tertia. Ex his foraminibus, quæ inter secundam & tertiam vertebram utrinque hiant, alia

proficiſcitur conjugatio, ad eos muſculos ſeſe applicans qui maxillas movent, & ad eos qui caput retro deflectunt. atque hæc eſt *tertia.*

Quarta. Huic *quarta* confuſa in muſculos effertur capiti cervicique communes, quorum eſt caput retro detorquere: in eos præterea qui maxillas movent, in eas denique particulas quæ pone aures ſitæ. Erumpit autem ex eo foramine quod inter tertiam vertebram intercedit.

Quinta. *Quinta* conjugatio ſimul atque è proximo articulo prodierit, altera propagine quartæ permiſcetur, ſimiliter ac ea diſtributa: altera vero *ſextæ.*

Sexta. Hæc autem poſt quintam vertebram excidens, ad ſcapulas plurimum derivatur: inſuper vero proximis utrinque ſeſe attexit, & tenues de ſe villos in ſingulas cervicis vertebras emittit. Eadem quoque diaphragmatis nervo implicita atque inſerta, non modice eum adauget & amplificat. Qui enim diaphragma moturi ſunt nervi, è cervicis medulla omnes prodeunt, plurimi autem (ut multis viſum eſt) ex quarta conjugatione. In partem diaphragmatis mediam quæ nervoſa eſt & muſculi principium cenſetur, hi ſe penitus inſerunt: in ipſaque via fulciuntur interſepiente membrana thoracis. Duo alii per initia *his copulantur* nervi, qui tamen mox inde intro ſub os pectoris evecti, tandem in diaphragmatis ſummum & ad mali punici ſedem contendunt: horum eadem origo quæ ſuperiorum eſt.

Septima. *Septima* conjugatio ſub vertebra ſexta emergens, maxima ex parte in brachium porrigitur: villi autem reliqui proximis implicantur annectunturque in caput, in cervicem & diaphragma diffuſi.

Octava. Similis propemodum & *octavæ* conjugationis diſtributio, cujus tamen in cubitum & ulnam multiplex proceſſus, totus abſumitur, nec ultra pergit; attamen hujus nihil quicquam in ſeptum tranſverſum promovetur.

Ex Galeno de nervor. diſſect. c. 16. & 17. & 3. de Adm. Anat. cap. 3. 4. 10. 11.

Nona. *Nona* poſt octavam vertebram nata, in manus extremas tota properat, hoc dempto quod ſuperior ſibi adjiciens quaſi arripuit: ſed hujus quoque nonnihil abit in vicinum muſculum, qui primus atque ſummus in thorace, medium inter primam ſecundamque coſtam ſpacium tenet. Itaque nona hæc productio cum ad cubiti flexum carne quidem nudum ſe appulerit, ne forte periclitaretur, inter oſſium tumores atque nodos ſe abdidit, illincque tuto triplici propagine in manum disjicitur, una quidem intus ad minores digitos, altera in majores fiſſa: tertia in ſummæ manus externam regionem inflexa. Cæterum non hæc modo, ſed octava quoque & ſeptima, dum per humerum fertur, intro via tutiſſima pergit, multis integentibus muſculis communita.

Decima. Sequitur *decima* conjugatio, quæ ipſa ſecunda quoque dorſi cenſeri debet, quemadmodum quæ dicta proximè eſt, dorſi prima ſtatuitur. Etenim vertebra quæ omnium eſt octava, ſi eadem quoque dorſi prima ponitur, conſequens eſt eam conjugationem quæ ſub illa erumpit, dorſi quoque & thoracis primam exiſtimari. Itaque ex ſingulis quæ *in dorſo* ſunt vertebrarum compagibus, ſingula nervorum conjugia in proximos emergunt muſculos, tum in eos qui inter coſtas poſiti ſunt, tum in eos externos qui per ſpinæ longitudinem excurrunt, ῥαχίτας hos Græci vocant. Quin & horum nervorum extrema ſeſe latius demum explicant, dum qui ex verarum coſtarum radicibus exierunt, in humeros, in ſcapulas, in circumjectos thoraci muſculos, in reliquas demum omnes pectoris particulas tenuiſſime fiſſi ſparſique diffunduntur: qui vero ex breviorum coſtarum nati ſunt vertebris, in abdominis muſculos abeunt.

Nervi ex dorſo.

Nervi ex lumbis. *E lumbis* quicunque nervi efferuntur, partim in externos poſterioreſque muſculos perreptant, partim in interiores, iis nervis implicati quos diximus è ſexta cerebri conjugatione eodem derivari.

Nervi ex oſſe ſacro. *Ex oſſe ſacro quatuor* qui utrinque excidunt, ex ſuo quiſque foramine in crus univerſum iter habent.

Nervi omnes quot. Ex quibus colligi poteſt, *omnes è ſpinæ medullæ* tractus conjugationes *eſſe novem & viginti:* octo quidem è cervice, à dorſo duodecim, quinque ex lumbis, ab oſſe ſacro quatuor. Sunt qui ab hoc quinque expromi judicent, ut ſint omnes triginta.

Lib. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 6. *Avicennas* quoque è coccygis & caudæ extremo nervum conjugii expertem deducit: at re vera hic inter vincula annumerandus

Ex Galeno ibid.

Nervorum ex lumbis distributio in crura.

randus est, neque præter eas quæ hactenus proditæ sunt à nobis, ulla seorsum & per se conjugatio deprehenditur.

Sic autem deducuntur, ut, qui nervi ex infimis duabus lumborum vertebris atque ex ossis sacri quatuor foraminibus emerserunt, omnes fere in unum quasi fasciculum conjecti, parte posteriore qua coxa rimam amplam agit, in crura protrudantur pone articulum, amplo aperti abditique musculo. Simul autem musculis qui inibi sunt, prout fert dignitas atque magnitudo, suum cuique ramum impartiunt. Unde mox alii in crura sparsi deorsum per interiora feruntur, qui ad pedis inferiora concedunt: alii vero per exteriora, in pedis priora atque A superiora pertinentes: alii media inter hos regione positi in musculos suræ dirempti absumuntur. Id unum solerter (siquid aliud) natura prospexit, ut illos ossium, cartilaginum, atque vinculorum quasi propugnaculis cinctos & obvallatos traducat.

In partes genitales & iis vicinas.

At vero non omnes qui ex lumbis & ex osse sacro prodierunt, sic continuo per posteriora deorsum commeant, sed ex his non pauci tenues rami per amplum pubis foramen exeunt, alii in exiguos musculos qui circa podicem, vesicam, penem, & testes habentur, alii in peritonæi, vesicæ & uteri membranas, alii in cutem quæ femur circumfundit adusque genu dispertiti.

Hæc est universa & integra nervorum consectatio.

Ex Galeno de venar. & arter: dissectione cap. 1.

CAPUT XI.

De venis.

Venarum origo.

IEcur *venarum* esse *originem* hic pro hypothesi constituam, cujus tamen veritatem multis posthac rationibus illustrabo. Hujus è parte concava venæ plurimæ in ventrem & intestina dispersæ finduntur, arboris cujuspiam radices imitatæ. At vero pars convexa venam crassiorem edit atque profert, quæ arboris caudici comparata ramos admodum multos in omne corpus diffundit: quorum ea vis est & *facultas*, ut è jecore in omnes partes corporis alimentum distribuant, non modo tuborum ductuumque similitudine, sed concoquendi quoque viribus insigniti. Præter reliquas autem attrahendi facultas in illis plurimum viget, cujus causa in simplici *tunica* omnes *villos* in longum porrectos acceperunt: simplex autem tunica satis erat quæ sanguinem utpote crassiorem coërceret atque contineret, neque periculum erat hinc illum diffluere.

Usus.

Compositio.

Divisio venæ portæ.

Iam vero vena omnes hac quæ sequitur distributione disjectæ dispartitæque sunt.

A jecoris introitu resimaque parte vena grandis excedit (*portas* appellarunt.) à qua velut à communi quodam initio, rivuli complures in ventrem & intestina tanquam à trunco radices aguntur.

Gastrica.

Ac primum duo ab ipso statim egressu cernuntur, *alter minor*, isque superior, qui comite arteria multis ductibus totus in ventriculum abit, aliis quidem in ecphy- B sin, aliis in superiora dextraque protensis.

Mesenterica dextra.

Alter rivus *multo major*, alias sub duodenum intestinum, alias sub jejunum se demergens, idque transiliens, in mesaræon contendit: quod priusquam attingat ei quod pancreas dicunt nititur ac fulcitur, cui sane & duodenum, & ductus qui ad bilis vesiculam tendit, & reliqua quæ inibi sunt vasa inhærescunt.

Splenica.

Ex eo loco *rivus in lienem* emittitur, qui omnium secundus haberi debet: è quo in transitu venæ plurimæ capillorum modo tenues in ventriculi fundum permanant. Hujus quantum reliquum est, in lienis substantiam multis quasi radicibus discissum se inserit: quæ tamen dum ex liene efferuntur & emergunt, in duos rursum rivulos C concurrunt: unus in *os ventriculi* parte tumentiore se infert, alter in *omenti* partem sinistram retorquetur.

Vas breve.

Gastroëpiploica.

Mesenterica sinistra.

Tertius è caudice rivus in pancreas primum immersus, mox deinde per mesaræi radicem quæ spinæ adhærescit, longo tractu in ilia sinistra procurrit: multisque rivulis dissectus omnem coli intestini productionem irrigat, ut proinde ad hoc totus hic tubus pertinere videatur: atque huic quidem isthac deductione comes assidet arteria.

Epiploica dextra.

Post hunc alius in dextram contendit, per pancreum in duodenum sparsus intestinum, bilis folliculo fere è contraria regio-

ne objectus. Nihilo hic obscurior superioribus, multos quasi surculos in omenti dextram regionem profert. Atque è pancreo hi quidem distribuuntur. A

Epiploica sinistra. *Reliquus stipes* qua jam mesenterium attingit, rivo quinto prædictis obscuriore omnẽ omenti partem sinistram perreptat. Ubi vero per mesenterium aliquãtum jam processit, totus *in duos finditur*: horum rursus uterq; in duos: omnem demum in quamplurimos tenues: quorum pars maxima in gracilia omnia intestina ipsumq; cæcum multiplici sobole dispergitur: pars quædam minor in mesaræi glandulas immissa desinit. *Mesenterica dextra.*

Ea est *venarum mesenterii* propagatio, quæ in unam ad jecoris portas constitutam, omnes tanquam in truncum radices confluunt. Hęc porro jecur mox ut subiit, alios in id ramos spargit, fere quidem in singulas fibras singulos, sed qui demum sectione partitioneque multiplici in omnem jecoris substantiam exhausti obliterentur. B

Ex Galeno ibid. cap. 2. Vena cava. Quæ etenim ab ejus convexo emergit, ampla illa quidem ac proinde *cava* nuncupata, ex quamplurimis quoque rivulis & quasi radicibus per intimam jecoris partem diffusis, exurgit: at hæ nihilominus neque illis quas modo dicebam ex portis in singulas fibras distribui, continuatæ sunt, neque ad illas extremitatibus sese applicant, neque aliud quicquam pręter jecoris substantiam illis commune intercedit.

Venæ cavæ divisio in ramum ascendentem & descendentem. Cæterum *vena κοίλη*, id est *cava* dicta, ipso statim è convexo egressu, bipartitò finditur, quasi in duos prægrandes ramos dirempta: alter *sursum* per diaphragma in cor evadit, alter *deorsum* secundum lumborum vertebras contorquetur. C

Rami ascendentis. *Ille* quidem haudquaquam dorsi spinæ infidet, sed per medias thoracis regiones, diaphragmate, intersepiente membrana, corde & pulmonis fibra suffultus, per sublime ad claves & jugula concedit, plurimosque ramos eo tractu profert ac diffundit: primum *in diaphragma* duos qui deinde multifariam fissi longe lateque sepandunt.. *Vena phrenica.*

Mediastinæ. His proxime exeunt capillorum modo tenues venæ, *in membranam thoracis intersepientem* & in cordis involucrum, quarum extremitates haudquaquam paucæ, in priores thoracis partes & in malum punicum irrepunt.

Coronaria. Altius autem ubi vena cava cordi jam assistit, eam tanquam ramum promit, quæ *cordis externa ambire* spectatur, & in ejus molem sparsa exhauriri, ut per quam densior cordis substantia nutriri debeat, non autem eo sanguine quem suis ventriculis conceptum, caloris spiritusque beneficio tenuiorem fecit atque puriorem.

Vena cavæ ad cordis sinum dextrum apertio. Supra multo capacior alia in dextram aurem dextrumque cordis ventriculum demersa illabitur: hanc multis non venam, sed aptius membranam dicere placet, ex sinistro venæ cavæ pariete profectam, quæ dextrum *sinum involvat* & obtegat. In cordis corpus non altius hæc penetrat, neque jam ipso ingressu venę speciem retinet, sed mox ut cor attingit, in illius substantiam degenerat prorsumque oblitescit: quod sane argumentum *Aristotelicos* eo adduxit, ut venas omnes è cordis substantia nasci putarent.

Vena arteriosa. Ex hoc cavo dextro venæ novum genus emergit, quæ in pulmones surrecta, arteriarum modo tunica duplici obvallatur, cujus ante propagationem expedivimus.

azygos. Paulo supra cordis aurem dextram, cava vena aliam rami specie edit, quæ solitaria omnisque *conjugii expers* (hinc ἄζυγος Græcis appellatur) in quintam dorsi vertebram primum delapsa, mox deinde per spinæ longitudinem excurrit in imam partem diaphragmatis. Hanc eandem non paucæ corporum dissectiones ostendunt à cava derivari antequam ad cor accedat. Eadem per spinam incedens utrinque in omnia intervalla costarum ramos effundit, supremis duntaxat duobus aut ad summum tribus exceptis, quæ aliunde prodeuntibus venis ali posthac exponemus. Hi autem rami statim è radice & ortu surculos de se foras emittunt in externos dorsi musculos: longius vero progressi per costarum longitudinem tandem extra thoracem foras erumpunt & eminent.

Reliqua vena cava contendens ad jugulum, intersepienti membranæ à dextera committitur, in quam complures venulas prætenues conspergit: moxque in quinta & minima pulmonis fibra tanquam in substrato pulvinari recumbit.

At vero priusquam *jugulum* attingat, totus venæ cavæ truncus apud glandem, quæ inibi

Vena subclavia. inibi ingens conspicitur, in duos amplos ramos dirimitur, qui mox ad axillas festinant inclinati. Huc autem flectuntur per per summa & interiora thoracis, cum nondum supra claves evecti sunt.

Axillares. Excedunt vero & emanant *in axillas* per id spacium, quod inter claves & primam thoracis costam intercedit: hinc merito interiores venæ dici solent.

Ab his nondum foras elapsis, multæ in progressu surgunt utrinque propagines.

Primumque ex eo loco ubi vena cava in duos ramos distrahitur, exiles venæ in proximam adjectamque *glandem* abscedunt.

Mammaria. Ab ipso deinde ramorum exortu alii tenuiores protinus *in os pectoris* contendunt, eique subditi adusque malum punicum decurrunt, quo tractu in singula costarum intervalla partis prioris ramulos explicant: quorum unusquisque alteri cuipiam venæ fit obvius, quam ex illa conjugii experte diximus extremum foras emittere. Jam itaque utrarumque venarum (tametsi interiores hæ sunt) extrema extra thoracem evadunt, tum in mammas, tum in externos musculos inspersa.

Intercostales. Præterea vero ex eisdem amplis ramis insignes venæ in *tria costarum* suprema intervalla multifariam diffinduntur.

Et ex iisdem fere sedibus aliæ mox in scapulas & quosdam interiores cervicis *musculos* se conferunt. *Musculæ.*

Cervicales. Post quas aliæ emergunt, quæ in *cervicis spinam* demersæ, per interiora foramina supremarum sex vertebrarum irrepunt dum caput attingant.

Has igitur propagines effundunt rami ampli venæ cavæ, priusquam ex thoracis capacitate excedant. At vero uterque protinus *ut de thorace emersit*, aliis rursum *quatuor* quasi surculis fruticatur. *Ex Galeno ibid. cap. 5. 6. 7.*

Scapularis externa. Quorum *unus* in eos exteros musculos abit, qui ex humero in medium pectus & supra mammas procedunt.

Alter in axillarum glandes: atque hi ambo exiles sane sunt.

Scapularis interna. *Tertius* in eos musculos se proripit, qui scapulis subjecti sunt, in eumque musculum qui inibi spectatur maximus.

Thoracica. *Quartus* omnium amplissimus externas thoracis partes irrigat & alit, hinc demum ad costarum extrema derivatus. Occurrunt autem istius propaginis tenues rivi extremis earum venarum, quas ab imo & ex intimis thoracis emergere proditum est.

Quas autem derivationes in brachium atque deductiones faciat hæc vena interior, postea quam ex axilla evasit, paulo post edicetur.

Iam vero ut quæ supra jugulum in cervicem & caput inferuntur venæ conspicuæ sint, ad eum redeamus venæ cavæ diremptum, quem prope, glandem sub jugulis fieri commemoravimus.

Iugularium ortus. Ex iis itaque venæ cavæ ramis, quos tanquam magnos duos stipites in axillas exporrigi dixi, qua parte claviculis assistunt, utrinque insignis una vena surgit in cervicem. Ante hanc autem alius ramus prior glandi atque citerior emittitur, qui per cervicis intima deductus gulę utrinque unus assidet. Quocirca quatuor ex ea quæ sub clavibus est regione venarum propagines sursum contendunt, quas tum primum *jugulares* mos est appellare, dum collo insertæ sunt, & supra claves emerserunt. *Iugulares.*

Internæ & externæ. Duæ ex his quæ pariter cum gula sursum in fauces & oris intima sparsæ feruntur, *interiores jugularia* dictæ sunt, quod altius conditæ perpetuo delitescant: aliæ autem quæ subter cutem existunt, *externa* & eminentes sunt *jugularia*.

Earum divisiones & rami. Harum vero utraque mox ut à primo exortu supra claves evasit, in aliis quidem corporibus simplex omnino persistit, in aliis *finditur in duas*, quarum *altera* priore colli regione recta ad caput ascendit: *altera* principio quidem deorsum veluti deflexa claves circumplectitur: moxque sursum reducitur, alias solivaga, alias interiori conjuncta.

Vena cephalica. Multi ab ea *rivi defluunt*, *unus* quidem frequenti sobole in proximos musculos disjectus, *alter* major atque obliquior, qui è clavibus sensim discedens, ad humerum per externa deflectit: hanc iccirco *venam humerariam* & externam mos est appellare: tametsi illic minimè exhausta oblitescit, sed longius progressa cubiti flexum petere contendit. Unde perspicuum est, humerariam venam non minore, imo plerumque majore societate atque commercio cum vena cava coire, quam cum cervicis & capitis interioribus. Quin & illam nos plerumque observavimus tanquam ramum erum-

erumpere atque nasci exteriore vena: mox ut thoracem egressa ad axillam festinat, ut proinde secta nihil aliud quam interior illa conferret. *Tertius* ramus ab externa colli vena productus, & in scapularum musculos deflectens absumitur. *Quartus* humilis eôdem in musculum ingentem demittitur, ei plerumque occurrens venæ, quam à basilica in humerum efferri jam diximus.

Ad capitis externa. Quod porro *externæ* istius *jugularis reliquum* est, qua jam ad aures sese applicat, varie distractum atque disiectum, *alios* ramos in faciem & tempora, *alios* circum aures & capitis posteriora, alios intro in cerebrum diffundit. Sic autem longius quoquoversum progredi videntur, ut dextræ venæ sinistris, * priores posterioribus extremis suis obviæ, in summo vertice concurrant. At qui intro se inferunt, ad auris radicem quo loco inferior maxilla superiori committitur, viam habent & introitum, qua maximus in cerebrum patet accessus.

Interioris jugularis propagines. *Interior* autem *jugularis* sursum ascendens gulæ assistit utrinque una: cumque jam ad maxillæ regionem sese extulerit, iis qui effusi sunt ab externa ramulis alios complures immittit atque conjicit: quique hac confusione implicati sunt, *alii* in fauces & guttur pertinent, *alii* in eos musculos qui penitus laryngi circunjecti sunt, *alii* insignes in linguam, alii in palatum & circumductas ori partes.

Vena narium. Hinc interiores jugulares supra palatum emergunt, cervicis intima secutæ, dum capitis basin attingant: quo ductu in eas partes quæ inter palatum & basin positæ sunt, ramulos effundunt: quorum tandem extrema desinunt *in nares*.

Vena frontis. Ex eisdem fere sedibus ramulus unus editur proferturque inter primam & secundam cervicis vertebram, moxque alter occiput & primam summamque vertebram, qui tamen hinc elapsus in pericranium quibusdam dissipatur, aliis integer patente foramine in occipitis osse intro se recondit per meninges ad verticem diffusus: solet hæc à quibusdam *vena puppis* appellari.

Ad interiora capitis. *Reliqua jugularium* extremitates, per suturas quæ occiput & os cunei copulant evadunt in cerebrum, moxque è basi media eo pergunt, ubi duplicata crassa meninx cerebrum à cerebello dirimit: sicque geminationis illius firmitate suffultæ, sursum irrepunt in cerebri summum quasi fastigium, in quo vacua regio in est, quam supra *torcular* diximus appellari. Quinetiam venæ quas dixi ad aurium radicem intro invehi & inferri, mox propaginibus multis dispersæ, à lateribus media inter calvam & crassam meningem via, in unum quoque torcular omnes utrinque commeant. Hic enim locus est in quem cerebri alimentum magna ex parte confertur: è quo demum id rivis tenuissimis, quos jam venas vix ausim dicere, in omnem cerebri substantiam profunditur.

Plexus choroides. Ex Galeno ibid. cap. 3. & 4. Quin & illi rivi juxta cerebri glandem tenuissime dissecti, in priores ventriculos concedunt, ibique exilibus arteriis implicati, contextum illum struunt atque componunt, qui *à Chorio*, id est à secundis fœtum involventibus, nomen habet.

Ea nimirum est omnis venarum in caput & cerebrum dispersio: nunc autem ad eas redeundum quæ in brachium directe feruntur.

Vena brachii basilica. *Basilica vena*, quæ & interior brachii vena & axillaris appellatur, statim ut ex ala excessit, in amplum humeri musculum & in eos fere omnes qui illi assistunt, propaginem mittit, inibi penitus exhaustam, reliqua tota alias simplex alias gemina ad inferiora oblique deflectit, atque subter cutem emergens ad cubiti nodum festinat. Quo tamen priusquam adveniat, in medium cubiti flexum venam trajicit manifestam, ex qua solet ea quodammodo nasci, quam mediam mox appellabimus. Hinc longius procedit basilicæ truncus, eoque interim viæ spacio ramos dispergens interiores cubiti musculos, subter cutem ad carpum accedit, ubi in venas complures neque eas quidem obscuras diffinditur, quarum fit ad minores inferioresque digitos distributio: è quibus multis nominibus ea celebratur, quæ inter medium & minimum digitum interjicitur.

Cephalica. *Cephalica* altera brachii vena, quæ eadem externa est & humeraria, à clavibus per cervicis musculum flexuosa declinat in humerum, à quo mox recto tramite deorsum contendit, simulque venas prætenues spargit

* GOUPILIUS *putat, nullam esse venam, nullumque manifestum meatum, quo occiput fronti consentiat. de partib. corp. l.* 1.

git in partes eas quas peragrat. Cum autem in nodum cubiti proxime appulerit, tripartito secta ramum unum in brachii superiores musculos recondit: alterum in cubiti flexum oblique detorquet, qui manifeste conspicuus cum altero coitionem facit, quem nunc diximus eo quoque è basilica trajici: fitque istarum congressu *media quadam vena*, omnium in cubito extantium maxima. Tertium autem ramum efficit reliquus processus, qui per extremam cubiti regionem in carpum excurrit, frequentique sobole in superiores manus digitos effunditur: in quibus ea numeratur, quam inter pollicem & indicem consertam, capitis venam dixere.

Mediana.

Cæterum *media vena* è brachii flexu discedens radium ascendit, evadensque in externa, ramis diffinditur duobus: è quibus alter deorsum deflectens, rivulis basilicæ suos quoque permiscet: alter sursum evectus cephalicæ ramis se complicat & inserit.

Quomodo soleat in his venis natura ludere.

Hæc venarum esse solet in brachium & manus distributio, quæ tamen in *non paucis variari* cernitur, & nonnunquam ejusdem hominis in dextro ac sinistro dispar. Plerunque vena nulla existit media: est qui cephalicam, est qui basilicam in apertum non proferat: deprehensum quandoque, eam quæ pollici assistit, à basilica; eam autem quæ minimo digito accumbit, à cephalica derivari: tanta videlicet in iis ostenditur naturæ varietas, ad quæ nulla necessitatis lex cogit: atqui non in venis (ut neque in stirpibus) una semper & similis est necessaria fruticantium ramorum projectio.

Ex Galeno de venar. & Arter. diss. cap. 8

His omissis tempestivum jam fuerit venarum inferiorum propagationem explicare.

Rami venæ cavæ descendentis adiposa.

Vena cava simul è jocinoris convexo expromitur, ramum ingentem *ad inferiora* lumbosque contorquet: quos antequam attingit, pendulus is etiam tum & veluti appensus, prætenues alios ramos in thecas & *involucra renum*, atque in adjecta illis corpora utrinque profert.

Continuo autem ut ille lumbis insedit, in renum corpus eas venas infert, quas dixi junioribus *emulgentes* appellari: à quibus plerunque fibræ tenues in ipsa quoque involucra concedunt.

Emulgentes

Spermatica

Ab emulgente sinistra vas exit *seminarium*, quod multis flexibus in testem sinistrum abit: dextrum autem vas non item, sed ex ipsius cavæ trunco majore duci solet.

Lumbares.

Jam vero cum sub renes truncus hic pervenerit, ad dextram lævamque exiles venas spargit in transversos *abdominis musculos*, & in omnes ventris partes inanes, quæ inter costas adulterinas & suprema coxarum ossa mediæ interponuntur. Præter quas aliæ in singulas *lumborum* vertebras utrinque permeant, per ea vertebrarnm foramina se inferentes, per quæ diximus nervos foras excidere: atque ex his aliæ tenui membrana cinctæ in spinæ medullam, aliæ majores in eos musculos erumpunt, qui spinæ extrinsecus accubant, hinc simul in externa posterioraque corporis longe lateque diffusæ.

Rami iliaci & eorum surculi.

At ipsa vena cava cum ad postremam vertebram ossisque sacri initium appulsa est & adducta, in duos tota funditur ramos amplissimos, in crura oblique prolapsuros.

Quo priusquam pertineant, plurimas in circumjecta loca conjugationes edunt: *primam* quidem retrorsum in ψόας interiores lumborum musculos.

Secundam exilem in proximas peritonæi partes.

Tertiam in os sacrum & instratos illi musculos.

Quartam in podicem & rectum intestinum, in quibus hæ numerantur, quas hæmorrhoidas præ cæteris nuncuparunt, quanquam inter eas quæ fere septem sunt, una ex loco medio disiunctionis ramorum venæ cavæ prodire solet.

Quinta conjugatio ad vesicam ejusque cervicem flectitur: eademque mulieribus ramos alios in uteri fundum, alios in ejus partem imam atque cervicem demittit, qui ipsos quoque testiculos quadam ex parte ambiunt.

Sexta in musculos rectos effertur abdominis, per quos dein in thoracis cartilaginem & imam regionem mammarum evadit, extremitatibus occurrens iis venis quas paulo ante dixi ab axilla in thoracis externa demitti: unde intelligitur, venas quæ ad mammas provehuntur, ex eadem aut ex proximis inter se radicibus derivari.

Septima in os pectinis ejusque lacertos.

Octava

Octava ex commissura ossium pectinis elapsa, in genitale tum maris tum fœminæ pertinet.

Nona in musculos crurum interiores figitur.

Decima subter cutem ab inguinibus per ilium regionem ascendens, iis venis fit obvia quæ extrinsecus per thoracis latera deorsum trahuntur.

Rami crurales & eorum surculi. *Reliqui* amplorum ramorum ductus, in suum quisque *crus* proficiscitur: atque sub inguine productio *quædam* emittitur in priores femoris musculos, per quos sparsa omnis dissipatur: *altera* subter cutem per interiora femina deerat, ampla illa quidem & manifesta, à qua complures rivuli in subditas regiones penitus deducti sunt.

Hæc eadem paulo *supra genu tripartitò finditur*, ramumque *unum* per priorem & interiorem tibiæ regionem recta dejicit in subjectum malleolum, ubi clarus atque conspicuus, *saphena* dici solet. *Saphena.* *Alterum* maximum per poplitem recondit in abditos atque posteriores cruris musculos, ubi frequenti ramorum sobole disperditur. *Tertium* per cruris posteriora retorquet: qui dein sub cute per externam tibiam in subditum malleolum decurrit: longius autem progressus, supra infraque in minores digitos abit, quemadmodum primus extremis rivulis majores pedis digitos circumplicat.

Medius iis qui per poplitem abit in suram, fere bifariam scinditur, & extrema fere duo disjicit, alterum ad inferiora, in superiora alterum, qui utrinque assidentium venarum rivulis implicatur.

Hæc universa sunt quæ de venarum distributione atq; numero dicenda videbantur: nam quæ ex *umbilico* in jocinoris concava irrumpunt, vietæ jam atque emeritæ, in venis habendæ non sunt, ut neque *in fœtuum secundis*, quæcunque innasci solent & fruticari, corporis partes censeri debent.

CAPUT XII.

De arteris.

Ex Galeno 16. de us. part. cap. 12. & 13.

Arteriarum usus. ARteriarum non longe impar nec dissimilis est, atque venarum descriptito. Spiritus enim vitalis in omne corpus effusi cum hæ canales sint atque ductus, debent utique in omnes partes corporis derivari. At nihilominus arteriarum quam venarum minus frequens est propagatio: quod sanguis crassior in exiguas proculque remotas partes, vix nisi venarum ductibus possit commeare: spiritus autem sanguine multo tenuior ab extremis majorum arteriarum elapsus, per cæcas occultasque partium vias, in distantiora possit evadere, nullo in id arteriæ adminiculo indigens. *Et cum venis societas.* Hinc fit ut arteriam semper vena comitetur, nisi cum ortus varietas eas conjungi non permittit: arteriam enim quæ ex corde secundum spinam delabitur vena nulla sectatur, ut neque eas quibus contextus ille struitur admirabilis. At non peræque unaquæque vena comitem arteriam obtinuit, tum quod in complures partes exiguas maxime sub cutem diffusæ sunt venæ, quibus nulla erat arteriarum necessitas. Itaque insignioribus & magnitudine præcipuis venis, ubicunque natura potuit, comites dedit arterias: quod qua ratione in singulis effecerit, definiendum deinceps breviterque describendum.

Ex Galeno de venar. & arter. dissect. c. 9. & 10.

Arteria aorta. *Arteria venosa.* Ex lævo cordis ventriculo vas prodit amplum, quod omnium *arteriarum* tanquam *truncus* & stipes habetur: arteriæ autem ex eodem in pulmones ejectæ, simplicique tunica venarum modo conditæ, huic pro radicibus erunt: iis nempe venis comparatæ, quæ ex mesenterio in jocinoris portas ducunt vehuntque alimentum; sic enim & ipsæ ductum de cælo haustumque in pulmones spiritum cordi subministrant.

Coronariæ. Cæterum truncus is quem dixi, protinus ut è corde prosiliit, duas arterias *in illius ambitum reflectit:* alteram in mediam ejus regionem, alteram ad basin circaque dextrum ventriculum.

Aorta divisio. Mox totus in *duos* eosque dispariles *ramos* diffinditur: quorum qui amplior, in quintam dorsi vertebram in lævum torqnetur, *inferas* corporis partes peragraturus: in partes autem *superas*, quod eæ minus multæ essent, minor alter effertur.

Hic

Arteriæ ascendentis divisio in ramos subclavios & eorum surculos.

Hic itaque pulmone sustentatus ad jugulum pergit; ipsaque via ramum profert *in alam sinistram*, ex quo interim propagines defluunt: *una* quidem in tria suprema costarum intervalla, quæ extra thoracem elapsa ad spinæ musculos posteriores sese applicat: *altera* in pectus & mammas ad extremas usque costarum cartilagines effusa: *tertia* in foramina supremarum sex in cervice vertebrarum, pariter cum vena comite ad medullæ membranas adducta. *Reliquus* hic ramus in scapulam & brachium sinistrum sparsus evadit, basilicam venam plurimum sequutus.

Stipitis autem *pars* major ad jugulum contendens, à læva dextrorsum reflectitur: quæ cum ad ingentem glandem, cui ganglio nomen est, pervenerit, *ramum unum* ad intimam jugularem sinistram, *alterum* ad dextram porrigit: externæ siquidem venæ jugulares, conjuges arterias non acceperunt, uti neque cephalicæ, quas per humerum in brachium proferri diximus.

Arteria ad brachia.

Hujus demum arteriæ quicquid reliquum est, necdum supra claves egressum, *in dextram axillam* iter habet, pares obiter nec dissimiles propagines spargens atque ea quam diximus ad lævam deflectere. Ex quo perspicuum est, dextrum arteriæ ramum longe editiorem sinistro existere.

Arteriæ Carotides.

Carotides porro duæ arteriæ posteaquam supra claves cum interioribus venis jugularibus in cervicem emerserunt, sursum recta festinant, quo tractu in singularum vertebrarum foramina rivulos edunt, qui medullæ membranis impliciti pariter cum illis in caput efferuntur.

Earum divisio & surculi.

At carotides ipsæ in maxillæ confinio bipartito *scinduntur*, ut utriusque pars *una* retrorsum & in posteriora, *altera* in priora & adversum spectet atque flectatur. Quin & hujus *duo insuper* sunt *rami*, alter in linguam & interiores maxillæ lacertos, *alter* foras eminens propter auriculam in temporum musculos effunditur, qui demum in verticem summum ascendens, oppositæ arteriæ extremis explicatur. *Pars* vero quam *in posteriora* flecti dicebam, *duos* æque *ramos* promit magnitudine præcipuos, quorum qui *minor* apparet, per extremum suturæ à Λ nomen assumentis, irrepit in calvam ad cerebelli basin, hoc tamen transitu dispersis in partes circumjectas ramulis. *Major* ramus partim per id foramen quod ad infimam est auriculam, permeat in calvam, eo quidem deductus ubi geminatio est crassę meningis: partim sursum ad cuneum & cerebri basin evehitur, in multas exilesque arterias diductus, quæ variæ utrinque insertæ atque implicitæ nullius membranæ interpositu, contextum admirabilem constituunt, cerebri basi substratum, atque in osse cunei reconditum. Ex hoc demum arteriarum contextu tanquam ex radicibus in stipites concursantibus, arteriæ duæ surgunt, quæ per crassæ meningis foramina scandunt in cerebrum, mox subtilius dispertitæ, aliæ in cerebri corpus evadunt, id ipsumque ambiunt: aliæ ejus ventriculos producuntur, quæ assumptis pariter venarum & arteriarum fibris è summo torculari delapsis, contextum illum choroidem componunt.

Ad cerebrum.

Rete admirabile.

Plexus choroides.

Ex Galeno ibidem.

Hæc omnis est arteriæ in superiora distributio.

Descendentis distributio.

Ramus alter totius arteriæ à quinta dorsi vertebra in quam ex corde deflexerat, secundum spinam *ad os usque sacrum* decurrit, semperque ad lævam paulum declinat, ut œsophago in thorace, & venæ cavæ per lumbos incedenti, det locum.

Primus in tanta productione *ramulus* editur in eam pulmonis regionem, quæ spatium inter quintam vertebram & cordis basin medium implet, cujus extrema in asperam arteriam sursum adducuntur.

Intercostales.

Alii deinde *rami* in singulas utrinque vertebras exeunt: quorum *propagines aliæ* in costarum intervalla proferuntur, in eosque musculos foras evadunt, qui priori thoraci extrinsecus insternuntur, *aliæ* fere bifariam sectæ partem non modicam ad spinæ dorsique exteriores musculos, partem alteram in spinæ medullam utrinque inferunt, per ea foramina per quæ diximus venas emitti, nervos autem expromi.

Cœliaca.

Cum jam *septo transverso assidet arteria*, *duos in id ramos*, unum ad dextram, ad sinistram alterum transmittit. Sub hæc autem ventriculo, jecori & lieni suum cuique ramum impertit.

Mesenterica.

Ex eisdem prope sedibus alios in intestina per *mesenterium* disseminat.

Emulgentes.

Nec longe ab his duo prægrandes concedunt in renes, quos nonnullis placuit *emulgentes*

gentes arterias dicere, à quibus fibræ tenues in renum thecas desinunt.

Spermaticæ

Succedunt his arteriarum rami, quarum est *in testes* transvectio: * solet autem quæ ad sinistrum pertinet, aut tota ab emulgente arteria nasci, aut profecto nonnihil ab ea mutuari: quæ vero ad dextrum spectat, ex majori trunco proficisci, quanquam est cum quippiam sumit ab emulgente dextra: procurrunt autem & involvuntur testibus hæ pariter cum venis seminariis.

Lumbares.

Ut supra de venis attuli, ita & nũc illis comites arterias statuo è singulis *lumborum* vertebris ad ilia abdominisq; musculos efferri.

Arteria iliaca & earum surculi.

Perspicuum satis esse potest, *arteria truncum*, multis ramorum projectionibus majore ex parte exhaustum, multum jam extenuari atque minui, cum os sacrum attingit, ubi jam totus *in duos ramos* finditur, quos subjecta crura excipiunt. Atque cum ad hunc usque locum vena cava utpote minor & levior, arteriæ ampliori ac densiori incubaret, hic primum in crura divaricatis illis, arteriarum rami tuitionis causa venis invehuntur.

Ex primis crurum ramis utrinque arteria una, adultis quidem arescens & emerita, per quam conceptui vita tenebatur, permeat in umbilicum. Hinc quoque in os latum & illi adjecta corpora, quædam excurrunt propagines venis similiter distributæ: omnium autem maxime insignes apparent, quæ in *lumborum musculos* interiores, in *mulieris uterum*, in utrisque sexus *genitale*, in *vesicam & podicem* adeunt.

Arteriæ crurales.

Quæcunque post has *in crura* devehuntur, cum venis majoribus altius demersæ intima permeant, in ramos effusæ & absumptæ, qui neutiquam ut venæ subter cutem extant. Cum enim illarum quam venarum major nobis esset necessitas, penitus illas abstrudi atque delitescere tutius erat, & minus crebra propagatione diffundi.

Quid igitur simile inter se, quid diversum acceperint venæ & arteriæ, ex his perspicuum evadit. Nunc quod integram absolutamque reddat orationem, præstandum, atque de reliquis partibus similibus tractatio superioribus nectenda.

* *Vtraque ex majori trunco enascitur.*

CAPUT XIII.

De membranis & cute.

Hoc caput ex Galeno iis locis ubi cum partes membranis præditas describere indicavimus.

Membranis omnes partes donatæ, quæ vel tunicæ. vel Membranæ propriè dictæ.

Tanta inest in corpore *membranarũ* commoditas, tanta necessitas, ut nullam natura partem prætermiserit, quam membrana non integat, comprehendat & fulciat. Sive enim os est, sive cartilago & vinculum, sive musculus atque tendo, adde nervos, venas, arterias, intestina, viscera denique omnia, propriis quibusdam membranis convestita, & iis veluti conclusa contineri cernuntur.

Has quidem ex usu atque officio, quod veluti tegumenta partes singulas ambiant atque definiant, *tunicas* proprie dixerunt.

Præter quas tamen aliæ quædam partes disterminant, aliæ sustinent, connectunt aliæ, quibus commune *membranarum* nomen est inditum.

Ex Galeno de Adm. Anat. lib. 6. cap. 7. à quibus diversa est membranosa partium substantia.

Ad hoc genus referri minime possunt *tergora* ea duo, ex quibus conditus est ventriculus, ut neque ea ex quibus intestina constant atque uterus, utraque vesica, venæ & arteriæ: quæ quanquam nominis inopia tunicæ dici solent, Græcis χιτῶνες, longissime tamen ab earum quas tradimus natura recesserunt. Illæ siquidem propriam ventriculi, uteri, & aliarum quas dixi *partium substantiam* complent. Hæ vero partes integre jam formatas convestiunt, disterminant aut sustinent. Illæ ex propriis fiunt villorum productionibus, quorum ope naturales attractionis, retentionis, aut expulsionis motus obeuntur. Hæ nullum villorum genus noverunt, sed sui undique similes, omnis motus naturalis expertes sunt, solius sensus compotes. Discriminis hoc postremo argumentum efficax, quod ventriculus, intestina, uterus, cæteraque ejus ordinis, cum ex propriis tunicis tanquam ex substantiis composita sint, hoc tamen insuper membranæ genere teguntur, quo firme cohæreant, teneantur, & sensu polleant certiore.

Ex Galeno 1. de decret. Hipp. cap. 9.

Membrana in genere quales.

Quas itaque hoc loco proprie *membranas* appellamus, sunt eæ quidem tenues & *leves*, ne

ne quas obvallant partes, pondere suo premant: *densæ* tamen ac robustæ, ut arcere possint externas injurias, ipsamque partium substantiam continere ne fusa dissipetur. Latissima in his differentia spectatur, prout varia est partium quibus addictæ sunt natura. Aliæ enim *simplices* sunt tenues & pellucidæ, *duplices* aliæ crassæ & valentes: *figura* singulis attributa ex loci & partis quibus accommodantur conformatione. Ex his vero præstantissimæ quæque, quibus partes principes obductę sunt & obtectæ, proprium nomen acceperunt: reliquarum vero perpaucæ.

Ex Galeno 9. de Adm. Anat. c. 1.

Quale Pericranium.

Pericranium appellatur quæ calvam extrinsecus ambit, duplex illa quidem & firmissima.

At scapulas, costas singulas, humeros, brachiorum, manuum, reliquarumque partium ossa, quæcunque seorsum integunt, promiscue atque communiter περιόστια dictæ sunt.

Periostium.

Membrana musculi.

Musculum unumquenque sua quædam *membrana* sepit & obvallat, eaque simplex multoque tenuior quam periostios, cujus universum genus nullum adhuc nomen invenit.

Meninges.

Ex interioribus autem quæ cerebrum involvunt, *meninges* appellantur, altera crassior, tenuior altera: quarum productiones omnem *spinæ* medullam, ex hacque ductas nervorum propagines circumsepiunt. Supra quas tertia quædam illis firmior, spinæ fistulam intus succingit: itemque quarta extrinsecus universam spinam tegit & illigat.

Spinæ memb.

Oculorum, &c.

Quæ quatuor in *oculorum* sunt structura, proprias appellationes eas sortitæ sunt, quas suo loco explicavimus.

Ex Galeno 7 de Adm. Anat. c. 2.

Asperam arteriam tum quæ intus, tum quæ foris continet illiusque cartilagines connectit, proprio est nomine destituta: similiter quæ gulam, quæ stomachum oblinit, rursum vero quæ vel pulmones, vel jecur, vel lienem, vel denique renes ambit.

Mediastinum.

Pleura.

At vero quæ thoracem medium dirimit inter pulmones illapsa, dissepientem membranam appellavimus: eandem qui volet cum Festo *dissepimentum* nuncupet: cujus ima ex parte pericardium nascitur, & è summis membrana utrinque costas *succingens* ὑπεζωκὼς ὑμὴν Græcis vocata.

Ex Galeno 6. de Adm. Anat. c. 4.

Ita propemodum è *peritonæo* (quod duplex est infimi ventris membrana) tenuiores aliæ prodeunt, tum quæ diaphragma succingunt, tum quæcunque ventriculum, intestina, jecur, lienem, renes, vesicam, uterum, omentum atque mesenterium contegunt & obducunt, quibus propria seorsum nulla obtigit appellatio.

Peritonæum

Vide Galenum de format. fœtus c. 2.

Membranarum ortus.

Membranis omnibus prima *origo* est ex partium quas involvunt substantia atque mole, è qua pingue crassumque recrementum foras circum illam emergens ac pedetentim succescens, dum fœtus conformatur, coit in membranam. Accipit hæc robur & omnem *sentiendi vim* ex nervorum sentientium tenuitatibus in se consperis contextuque miro consertis & implicatis, ut idcirco à multis falso existimatum sit omnem membranæ substantiam à nervis tractam esse. Cæterum fidem id confirmat, quod è sexta cerebri conjugatione conspicuos cernimus nervos sentientes, & in membranam dissepientem, & in eam quæ costas succingit, illabi: alios quoque in ventriculi, hepatis, lienis contegentem membranam, maxime vero in peritonæum, è quo demum omnium partium inferiorum tegumenta surgunt. Talis propemodum fieri deprehenditur ad ossium musculorumque membranas distributio, sed quæ tamen sit ab eorum nervorum vilis, quos emitti spinæ medulla: adeo ut ex his colligere sit, membranarum substantiam, tametsi non universa à nervis defluxit, ab illis tamen omnem sensus potestatem accepisse.

Sensum nervis, non ortum debent.

Ex Galeno lib. 3. de Adm. Anat. cap. 2.

Hæc de membranarum ratione satis.

Cutis.

Cutis non dissimilem videtur conditionem sequuta, quæ membranarum modo à prima conformatione *ex semine concrevit*, ut corpus universum obiret atque circundaret, tanto reliquis membranis *crassior*, quanto corporis universi moles amplior: at paulo *rarior* quidem effecta, & crebris edilibusque spiraculis pervia, ut interiorum exhalationi pateret: mediam inter carnem nervumque *naturam* adepta, existimari potest ex paribus quodammodo eorum portionibus componi. At revera propria illius substantia qualem dixi ex semine texit originem: sed quam tamen subditarum *venarum* & *arteriarum* extrema subeunt, quo alimentum

tum spiritumque profundant. Eodem *nervorum* tenuitates è subjectis partibus inferuntur, compluribusque locis longa propagine consperſi apparent, per quos cuti tangendi ſenſus aſciſcitur.

Ex Galeno l. 6. Epid. comm. 2. text. 30.

Cuticula.

Super hanc quæ vera eſt & germana, altera veluti exile tegumentum poſita eſt, quæ *ſumma cutis* & *cuticula* nobis, Græcis ἐπιδερμὶς eſt. *Denſior* quidem quam vera, ab exiccatis illius ſordibus, non ex ſemine procreata, quam per exuſtionem ignium vi oborta puſtula, conſpicuo cernimus à vera cute divelli, atq; in intertrigine diſcerpi & atteri.

Ex Galeno 17. de uſ. part. c. 1.

Cutis foramina.

Contextu illa perpetuo univerſum corpus obtegit, niſi qua *perforata* vel exitum vel introitum præbet in corpus, velut in auriculis, naribus, oculis, ore, genitali, atque podice. Cum ſubjectis partibus illa quidem minimum habet *commercii*, ſed duntaxat ex nervorum, arteriarum, venarumque fibris velut appenſa, illis cohæreſcit, ut iccirco tota propemodum detrahi poſſit. Paucæ enim partes ſunt quæ non deglubantur. In fronte ſic cum ſuo muſculo implicita cutis coivit, ut omnem voluntariū illius motum ſequatur, qualem & reliqua pene tota facies accepit: vix enim hanc aliud eſſe judices, quam ſummā muſculi faciem vehementer ſiccatam & quaſi torridam. Veruntamen in labris non is modo coitus, ſed tanta ineſt confuſio, ut neq; muſculum, neq; cutem ſeorſum queat ſenſus internoſcere. Ejus propemodum generis ingenerata eſt manuum palmis plantiſq; pedum; tum ut ad prehendēdi munus quoquoverſum aptius inflecterentur, tum ut tangendi facultate exquiſitiore pollerent: alibi (ut dixi) nuſquam confuſa ſubjectis partibus prorſus adhæreſcit.

Connexio.

CAPUT XIV.

De carne mollibuſque partibus.

Solidas atque præduras corporis ſimplices partes jam omnes videor attigiſſe, ut nunc mihi *de mollioribus* quæ carnis ſpeciem habent, dicendum ſuperſit.

Ex Galeno 2. de temper. cap. 3.

Caro quid.

Ne hic autem à vulgato nominum uſu diſcedam, placet id molliorum partium genus univerſum, una *carnis* appellatione complecti. Simplex ea nuſquam inveniri poteſt, quæ per ſe ipſa conſiſtat, ſed ſolidioribus villis adnata atque circumjecta, vi ſua & multitudine concretam ex ſe molem univerſam, carnis nomine deſignat.

Caro triplex.

Univerſi autem ejus generis ambitus *in tres tribui ſecarique ſolet differentias: una* muſculorum eſt, quæ proprie caro dici debet, *altera* glandularum, *tertia* viſcerum, quam Græcis παρέγχυμα vocari diximus.

Muſculorum.

Ex Galeno lib. 1. de ſem. c. 11.

Muſculorum caro tota ſanguine madet quo plurimo perfunditur, unde ſuam ea *originem* duxiſſe exiſtimatur. Non enim aliud atque ſanguis eſſe videri poteſt, qui circa villos concreſcens inanitatemque inter eos mediam implens & quaſi infarciens, robur iis accerſit & continet, ne per motus periclitentur. Quocirca ſatis videor de ea tranſegiſſe, quum omnem muſculorum numerum atque ſummam recenſui: niſi quis pręterea inde diſcrimina quædam ſtatuenda puter, quod *alia* humida ſit, mollis, laxa, rara, aut ſpongioſa: *alia* è contrario ſicca, dura, aſtricta, denſa, aut compacta.

Ad quam caro ſimplex pertinet.

Neque profecto diverſi cujuſdam ea generis (quamvis ſit *purior*) cenſeri debet, quæ aut gingivas, aut majores oculorum angulos implet, ut neque glans obſcœnarum partium in extremo poſita.

Glandularum.

Glandularum porro ingens eſt numerus, quæ cum omnes ex craſſa denſaque materia concreverint, hoc tamen *diſcrimine* ſejunctæ apparent, quod aliæ aliis ſunt rariores, neque omnes una pariliſque ſubſtantię ratio comprehendit.

Ex Galeno 14. Meth. Med. c. 11.

Hinc & *illarum uſus diverſus* evadit, magna varietate diſtinctus.

Quæ vel denſior,

Quæcunque *denſiores* ſunt, præter alias commoditates, in locum fiſſionis tum venarum, tum arteriarum, quaſi pro firmamento conjectæ ſunt.

vel mollior.

Quæ vero *mollitudine* ſua ſpongiam quodammodo referunt, eas natura quibuſdam vel gignendis vel recipiendis humoribus accommodavit. In hoc genere eæ numerantur, quæ *circa linguæ radicem* poſitæ, perpetuo quodam munere ſalivam eructant: & eæ rurſum multo majores, quæ laryngi utrinq; aſſidentes linguam & os ſubditaſque partes madore proluunt. Has Latinis *tonſillas*, Græcis παρίσθμια, appellari diximus.

mus. Huic quoq; generi ascribuntur, quę *in mammis* sunt frequentes, laxæ, turgidæ, dum præsertim lac[illegible]e circumfluunt, alias vero densæ & contractæ. Finitimi *testes* his sunt, quorum tamen substantiam ad viscerum rationem spectare credibilius est.

Prioris autem *generis* sunt, in cerebro quidem κωνάριον, & *glandula pertusa* quæ supra basin in pelvis cavo collocatur, deinde *parotides* juxta aures collocatæ, & *ganglium*, θυμὸν Græcis vocatum, sub jugulo parte summa pectoris: tum præterea quæ *in axillis* sunt ingentes, tum eæ ex quibus πάγκρεας magna ex parte conditur: itemque *lactes*, quo nomine humidas glandulas per mesaræon sparsas dici volunt, atque insuper quæ *inguinum* capacitatem implent: aliæ denique complures quibus *vasorum in brachiis atque cruribus diductiones* confirmantur, quas sigillatim percensere fastidiosum magis, quam utile putavi.

Ex Galeno 1. de semine c. 10. & iis locis ubi eum de his visceribus agere indicavimus.

Sed neque *figuram* earum aut *magnitudinem* persequi commodum est, quæ cum sit sua cuique attributa, multiformi varietate distinguitur.

Parenchymatis. Jam vero in *parenchymate* appellato major existit dissimilitudo, non modo ex figura atque magnitudine, verumetiam ex sua ipsorum substantia, quæ similis & uniusmodi nequit & diversis inveniri.

Ea quidem ex affuso sparsoque humore primo *ortu* compacta est, unde recte affusio dici videtur: at non ut in musculis ex syncero soloque sanguine, sed vel prorsus vel plurimum ex semine: atque ut varia futura erat cujusque visceris conditio atque necessitas, ita multiformis est hæc substantia comparata.

ad quam pertinet cordis. Unius *cordis parenchyma* proxime ad musculi carnem accedit. Hoc tamen divortio sejunctum, quod durius multo ac siccius vi seminis: circum triplex staminum genus attexitur: illa vero quæ in musculo, non item.

Iecoris. Ab hoc *jocinoris propria substantia* est, quam concreti atque torridi sanguinis speciem habere putant, cum tamen palam sit, fieri non posse, ut quod gignendi sanguinis principium statuitur, id ipsum prorsus ex sanguine concrevit. Ex quo enim sanguine, cum nullus ne maternus quidem, in fœtus utero gestati corpus addi aptarique possit, qui non ante sit jecoris ejus opera confectus.

Renum & testium. *Renes* atque *testes* quanquam glandularum naturam exprimere videntur, in hoc tamen genus parenchymatis asci sci debent, ut qui non glandularum more arteriis atque venis robur & firmitudinem addunt, sed eximia vi pollent, qualis est à semine, nostri ortus initio, visceri sua cuique concessa.

Lienis & pulmonis. At *lienis* substantia propius quam illi carnis naturam æmulatur: deinde vero *pulmonis*, ut idcirco in dubium venire & ambigi non debeat, quin hi sint in genere paranchymatis.

Cerebri & spinalis medulla. Multo gravissimam quæstionem atque controversiam faciunt *spinæ medulla* & *cerebrum*, quæ quoniam in principibus habentur, ortus sui primordia semini (ut reliqua viscera) accepta referunt, debentque annumerari inter partes similes. At ne diversum in his genus præter omnem omnium veterum sententiam constituendum sit, in carnis universum genus conjici necesse est. Neque vero id obsistit quod natura sint frigidiore: etsi enim ut musculorum ita intestinorum nec paucorum viscerum caro omnis calida censetur, non propterea tamen universum genus tale sentiendum est, cum præter cerebrum & spinæ medullam glandulæ complures, quæ tum in cerebro, tum in aliis locis positæ sunt, frigidæ appareant.

De *venarum, arteriarum, intestinorum, aliarumque partium* carne, quæ propria cujusque assignari solet, alia posthac disputatio plenior adducetur.

Plurima quoque huc alia se ingerunt multis implicata difficultatibus, quę tamen quoniam nondum in disputandi genus delabor, explicare hoc loco non statui, in suum quæque ordinem posthac relaturus. Hic tamen postremo ad futuram aliquando disputationem animadvertendum duxi, *non omnem spermaticam partem ilico solidam* esse, ut neque carnem omnem ex sanguine expressam esse & effectam: sed si in partium differentiis signandæ erunt repugnantiæ, parti solidæ mollis opponetur, quam plerique carniformem dixerunt; spermaticæ sanguinea; simplici composita; similari dissimilaris; informi instrumentaria: de quibus proprio loco singillatim differetur.

Parti carnosa non opponitur solida.

CAPUT XV.

De adipe, medulla, pilis, & unguibus.

Ex Galeno de temper. cap. ult. *Adipis procreatio.*

MEmbranæ atque cuti *adeps* copiosus & uberior increscit: ex pingui quidem & tenaci eaque frigida sanguinis portione *genitus*, quæ è venis excidens moxque affusa frigidis exanguibusque membranis, tanquam congelans similiter atque crassius oleum frigore durescit. Hinc corporibus quibus frigidior est natura, copiosus, calidioribus vero paucus innascitur: qui æstibus, immodicis laboribus, & inediis, fundi atque dissipari solet. *Albescit* autem ex earum partium natura quibus apponitur & cohæret.

Ex Galeno 11. de simpl. cap. de pingued. *Differentia.* Quoniam igitur illi primum ortum confert tum sanguinis tum loci in quem inciderit natura, horum certe differentia magnam *illius dissimilitudinem* suscitabit: ut sit alius alio crassior ficciorque; vel tenuior atque mollior.

Hos autem nominis varietas toto prope genere disjunxit, ut id quidem *sevum* appellare mos sit, quod crassius & magis terrenum est: *adipem* vero qui humidior & liquidior. *In Sevum.* li. 11. c. 37. *Vnde corn gera* (inquit *Plinius*) *una parte dentata & quæ in pedibus talos habent, sevo pinguescunt: bisulca scissisve in digitos pedibus, & non cornigera, adipe.* *Et Adipem.* Horum enim humidior temperatiorque natura, uti profecto & hominis, cujus corpus puro synceroque adipe oblitum est atque delibutum.

Neque tamen is passim sui similis, sed pro partis vi & natura dispar. *Ventris.* *Venter inferior*, ut qui magna ex parte membranosus est, & longe dissitus à fonte caloris, multo adipe confertus est, eoque duriore ac ficciore, qualis potissimum renes ambit & obsepit.

Pectoris. Quæ *sub pectore* partes conditæ sunt, minus adipis congesserunt, ejusque mollioris: qualis circa pericardium & cordis basin videri solet.

Crurum. Hac propemodum lege qui circa musculos & cutem *crurum partiumque inferiorum* concrevit, durior ficciorque deprehenditur, quam qui thoracis & brachiorum musculos atque cutem perungit.

At nihilominus neque frigidissimis neque succissimis locis gaudet, quod cujusdam sit caloris particeps. Hinc *cerebri meninges* nullus circunfundit, ut raro membranas quæ *ossa* convestiunt. *Nulla in cerebro.*

Sic in *hominum naturis* qui vel *calidissimi* sunt, vel *frigidissimi* atque *siccissimi*, adipem nullum coacervant, neque huic gignendo idoneam materiam habent in venis: qui vero à mediocritate *in frigidum humidumque devergunt*, multo maxima illius copia redundant: & quoniam eorum sanguis totus in adipem proclivis est, non potest cordis immodicus calor illius concretionem circa pericardium, quanto minus in reliquis partibus, inhibere & arcere. Quocirca his multo promptius materiæ vis abit in adipem, quam cordis reliquarumque partium calor possit dissolvere. *Alia atque alia pro diversa hominum natura.* Qui *naturæ mediocritatem* sunt consequuti, sanguinem media conditione obtinent: atque hujus pinguior portio quæcunque in carnosas calidasque partes influet, vi caloris tota dissipabitur & evanescet: quæ vero in membranas infertur, illarum frigore ea veluti conglaciat. Ex Galeno 2. de temperam. c. 4.

Iam de medulla.

Medulla alia spinæ, alia ossium. In majoribus hæc *ossium capacitatibus* concrescens non minus consistit quam adeps: at maxime durescit quæ in *spinæ fistula* continetur, eoque magis quo longius à cerebro profluxerit, cujus illa ceu stipes quidam est & portio longius exporrecta. Hæc quidem nullius ignis vi liquescunt aut dissipantur, quin potius soliditatem acquirunt: reliquorum ossium medulla non minus quam adeps calore liquata dilapsaque diffunditur. Unde intelligi potest quantum illarum inter se genera distent.

Ex Galeno 11. de us. part. c. 18. *Hæc inest amplæ cavitati ossium crassior.* Itaque quibus animantibus ossa non ut leonum vel aquilarum robustissima & solidissima esse debuerunt, maxima his interior *capacitas* interjicitur, cujus gratia cum duritie levitatem quandam ad motum sunt consequuta. Non tamen inanis ea derelicta est, sed medulla multa refercitur, quæ ex communi ossium alimento per tenues venas eo penetrantes affluente, illic *conditur atque reponitur*, quæ deinde sensim multoque tempore præparationem accipiens *albescit*

bescit atque *concrescit*, dum sit idonea ossi nutriendo, cujusmodi in humerorum, brachiorum, femorum atque crurum ossibus plurima comperitur.

Cavernulis vero liquidior. Reliqua omnia in quibus ingentes illæ cavernæ non insunt, seu quod gracilia, seu quod minus ad motum sint necessaria, in laxitatibus exilibus humorem concludunt, medulla quidem liquidiorem magisque fusum, sed qui tamen illi proportione quadam respondet.

Cerebrum & spinæ medulla alium (ut dixi) suæ substantiæ modum habent.

Porro autem ungues atque pili licet in partium similarium numero non sint, consistentiam tamen habent & proprium usum, ut illorum quædam hic ratio nobis sit ineunda. *Ex Galeno 3 de Adm. Anat. c. 11.*

Vnguium ortus. E summis digitis *ungues* emergunt, tanquam clausulæ eorum tendonum qui ad extremos digitos desinunt. Ab his enim excrementi & eluviei quiddam semper emanat, quod in unguium radices confluens, *materia* fit illis perpetuo augescentibus. *Lati* quidem facti & modice *duri*, ut summis digitis firmitas conferretur ad exiguorum apprehensionem. *& constitutio.*

Pilorum procreatio. Sic *pilis* ex crassiore & fulginosa humorum eluvie *ortus* ducitur, quæ per angusta cutis spiracula tanquam foras propulsa, impacta hæret in transitu, ut non sponte vacuari possit, sed alia sursum è profundo sublata hanc ferit impellitque, tum hanc rursus alia, & multo tempore conjunctæ aliæque super alias impactæ, corpus quoddam reddunt & conformant angustum ex transitus angustia stipatum: quod denique à sui simili eluvie vehementer ictum foras propellitur, jam veri pili formam adeptum: huncque in modum quasi succrescendo semper augescit. *Ex Galeno 2. de temper. cap. 5.* Non omnibus æque *locis* provenit, sed his maxime quibus cutis sicca calidaque plurimum inest: frigida enim & humida huic proferendo continendoque ineptissima. Ubi sicca duraque cutis, ut in capite atque mento, prolixior rigidiorque pilus profertur, & in animantium genere iis fere, quibus tergora densa sunt & dura, ut capris, ut suibus. Pilorum & unguium *radices* tenellæ sunt & molles: quod vero ex cute extat, validum ac prædurum. *& constitutio.*

In homine *pili partim simul, partim postea gignuntur. Ingeniti* quidem sunt in capite, sed proprie in palpebris & superciliis, quos ab ortu pari semper magnitudine natura custodit, & ne augerentur, in durissimam & similem cartilagini cutem infixit. Stabiles hi quoque & erecti non ad decorem modo, sed ut vallum quoddam oculis objecti, ne quid extrinsecus incideret, aut è capite deflueret. *alii congeniti.* Qui *post gignuntur*, primum erumpunt in pube & ano, mox in alis, postremo viris in mento. Atque hi quidem, ut omnes qui reliquo sunt corpore, tum ornatus, tum tegumenti gratia producti. *alii postgeniti.*

His jam finem facio, quod decursa & planissime exposita jam videantur omnia, ex quibus admirabilis comparatur fabrica membrorum, solersque partium descriptio atque historia contexitur.

CAPUT XVI.

Confectionis ratio.

Alio ordine cadaver describendum. Ex Galeno 1. de Adm. Anat. c. 2. PArtium *corporis humani enarratio* eum cursum exitumque tenuit, qui seorsum singulas primum similes atque simplices, deinde compositas explanaret: sic enim existimavimus omnia magis perspicua futura, si ad naturæ imitationem ex simplicium æstimatione compositi cognitionem caperemus.

Alio ejus partes monstrandæ vel in pluribus cadaveribus. Quisquis volet quæ ante conscripta sunt dilucide consequi, sibique in apertum & *ante oculos ponere*, eam quam monstro sæpe viam terat, & alio cadavere musculorum, deinde ossium exiccatorum aptisque compagibus revinctorum, alio viscerum interiorum confectionem instituat: alio venarum, quam à jecore, alio arteriarum, quam à corde inchoabit: alio denique nervorum, quos à cerebro atque spina in sensus artusque singulos studiose diligenterque prosequatur: hæc enim summa est & conducibilis investigandi ratio.

At plerique omnes ex *uno eodemque corpore* omnia aut certe quam plurima sibi commonstrari rogant. quorum nunc desiderio *vel in eodem.*

satis-

satisfacturus, quo quæque loco, quove ordine, qua industria (nulla earum partium quæ varie implicitæ sunt aut disrupta aut confusa) exhiberi possint & expromi, ad dicendum aggredior.

Cadaver quale eligendum.

Cadaver in primis delectum sit bona carnis habitudine, integra constantique ætate, statura mediocri & apposita, incorruptum & partibus & omnibus absolutum, nec morbo, nec vulnere interremptum, verum suspendio, stragulis, aquave extinctum.

Instrumenta qualia.

Id præcelso editoque scamno volubili collocabitur, medio *theatro* perflabili, considente spectatorum corona: instructi paratique consectores & administri, qui ad manum & in promptu habeant novaculas, scalpella, uncos, stylos teretes, serras, terebras, malleolos, acus, funiculos, modiolos & spongias.

Quid enarrandum.

Qui autem *confectioni præest*, *enarrata* principio humani corporis dignitate, qua id cæteris præstat animantibus, eoque tres in ventres & in artus distributo, omnes horum externas sedes explicet, quæque illis veteres tum Græci tum Latini nomina indiderunt. Hæc præfatus, mox de universa corporis cute deque ei subdito adipe dicere instituat.

Ventris exterior. confectio.

Quod dum facit, jubeat *inferiorem ventrem* aperire atque detegere, adhibita novacula *cutem* findere è medio pectoris osse ad os usque pectinis: rursumque per transversum è lævis ad dextra ilia, ut communis linearum sectio cadat in umblicum. Sublata deinde cute, umbilico autem intacto, gemina cutis exhibenda, *epidermis* densior, *vera*, quamvis crassior, rarior tamen & crebris foraminibus pervia. mox qui huic *adeps* adhærebat, in conspectum se dabit. Ab his *musculorum* abdominis explanatio facienda, quo interim spatio administri, octo musculos suo quosque ordine secernent, eas *venas in rectis* intactas servantes, quæ ex pube in mammas efferuntur. Post hæc de *peritonæo* dicendum: quod tum exemptis omnibus qui in abdomine sunt musculis, consectores solum atque nudum relinquent, aut saltem id similiter atque cutem lineis duabus secabunt, extremis hujus in coxas & hypochondria retortis, ut totus jam venter inferior detectus in conspectum veniat. Succedit de *umbilico* brevis quædam expositio, quæ dum fiet, ministrorum erit umbilici vasa separare & expurgare. Hæc quoniam complura sunt adversis disjecta locis, ne forte intestinorum confectione pereant, dijungi debent, & venæ quæ in jecoris cava pertinent, in dextrum hypochondrium, arteriæ vero & ductus qui ad fundum vesicæ spectant, in pectinem vel inguen reclinare.

Ex Galeno 5. de Adm. Anat. c. 6.

Ex Galeno li 6. Adm. Anat. c 4. & sequentibus quibus eum agere de illis partibus antea indicavimus.

Ventris interioris sectio.

Aperto ventre infimo, innatans *omentum* conspicitur: quod recitatis iis quæ de eo jam conscripsimus, duplex proponatur, ejusque ad ventriculum & colum intestinum adhæsio. Id mox eximatur, quoniam nondum ejus ut neque venarum potest ortus conspici. Priusquam autem alio res procedat, decet hoc loco *intestinorum viscerumque omnium situm* speculari, ut his nondum à naturali sede dimotis, observare liceat quæ partes quibus in cute locis, subditæ sint atque respondeant: quod quidem non leve momentum ad medendi artem obtinet. Deinde vero suscepta intestinorum narratione, consectores id quod *rectum* appellant, eo loco ubi ad coxam sinistram eminet, locis duobus obstringent funiculis acu trajectis, medioque inter hos spatio illud execabunt, mox intestina omnia à *mesenterio* sensim scalpello divellent & quasi diffuent, servato quidem quam maximo licet mesenterio. Simul autem observare convenit situs adhæsionesque singulorum, compluriumque *vasorum insertiones:* e quibus ne forte præter modum sanguis effluat, tutum erit venam quæ ad portas & jecoris vincire, citra ullam aliorum perturbationem. Ut autem ad *jejunum intestinum* propius accedatur, id antequam sub venam quæ ad portas est se conjiciat & recondat, duobus item vinculis excipiendum erit, medioque spatio consecandum, ut ilico omnia intestina hinc in modiolos transportentur, in quibus demum quisquis volet possit exemptorum substantiam, figuram, tunicas, villos, reliquaque omnia nullo periculo nulloque labore contueri.

Viscerum commonstratio.

Nunc autdm *viscera* omnia denudata se produnt, quæ tamen quo se apertius ante oculos proponant, sanguis qui in ventris capacitatem ex occulto influxit, omnis hauriendus & spongiis exorbendus est, ac in

in modiolos exprimendus. Explicandum

Meſenterii.

deinde eſt *meſenterium* cum ſeptem venis quæ in portas confluunt: quod eo interim tempore à miniſtris pandetur atque extendetur, ut quæ dicuntur conſpicua fiant omnia.

Pancreatis.

Succedit illi *pancreas* media inter meſenterium atque ventriculum ſede. A quo

Ventriculi.

deinde *ventriculi* ſequitur narratio, quem aqua per os & gulam demiſſa nonnulli impleverunt, ut ſuo ſe tumore manifeſtius promeret, naturalemque ſitum teneret. Quem ut omnes conſpexerint, pyloron ab ejus ima parte deductum, hincque jejunum per pancreas in meſaræi oras excurrens

Cyſtis fellis.

perſequi decebit. Hinc omnibus in ſuas ſedes quantum fieri poteſt reſtitutis & inviolatis, tempeſtivum erit *bilis veſiculam* ſermone uſurpare, mox eam ſublatis leniter fibris B jocinoris in apertum proferre, atque eum

Pori choledochi.

ipſius tubum, quem per pancreas in jejuni inteſtini ſubſtantiam infigit.

Sub hæc vero *venam quæ ex portis* per pancreas ſub jejunum demerſa in meſaræum contendit, & ejus in ſeptem ramos enarratam

Vena portæ.

diſtributionem nunc lucide contueri datur; ſed ramum eum maxime qui ex ingenti illo ſtipite in ventriculum & lienem concedit, ſua comitatum arteria, quæ ab aorta è diaphragmatis ſedibus in jecur excedit. *Si gracile* & extenuatum corpus erit, ſingula quæ dixi primo ſtatim obtutu oculorum futura ſunt obvia: *ſin obeſius*, ex trunco in primis qui ad portas eſt, deinde ex ramis ejus ſingulis, adeps ſummo digito leniter eximendus, ne quicquam dilaceretur C aut pereat. Quæ ut perſpecta ſatis fuerint, pancreas quidem intactum relinquetur: at meſenterium extirpandum & radicitus tollendum eſt, ſecta quidem vena portæ ſub eo loco quem vinculum obſtrinxit, & adacta novacula per meſenterii radicem, quæ

Arteriæ cæliacæ nervorum. Lumborum.

arteriæ majori in longum adhæret. Hoc ipſo autem opere ſpeculari liceat *arteriam* & *nervum*, qui è lumbis in meſaræum diffunditur, ſimulque primas *omenti radices*. Obſervandum hic ſedulo, ne quod ſubjectorum vaſorum, quæ perampla lumbis accumbunt, aut punctum aut vulneratum diffluat. Sanguis denuo qui recens illapſus eſt, exhauriendus, corpuſque omnino ſiccandum.

Jam hoc ordine conducit *jecur* atque *bilis*

Iecoris. Follis fellis. lienis.

A *folliculum*, mox *lienem* contemplari, & omnia quæ de illis ſigillatim dici ſolent, ſeorſum planius commonſtrare. Ne tamen ea labefactetur ſocietas, qua hæc cum ſuperioribus conjunguntur, nondum diſcindi aut eximi commode poſſunt, aut ſi forte id ulla ratione efficere cogemur, prius quæcunque circunſtant vaſa arctius vincienda ſunt, maximeque vena cava mox ut emerſit è jecore.

Renis integri.

Poſt hac de *renibus & urinæ viis* habendus eſt ſermo: ac tum temporis *membranulas* quæ illic complures extant, quaſi exortus tum meſenterii, tum omenti, atque ſuperiorem peritonæi membranam (id enim duplici conſtare proditum eſt) adjectumque renibus *adipem*, adhibitis uncis atque B ſcalpellis conſectores circumcident & amputabunt. Sic enim nuda & aperta omnia, clariora exiſtent, *arteria major*, eique aſſidens

Arteriæ aortæ. Venæ cavæ. Nervorum lumbalium.

vena cava, *nervi* utrinque per lumborum muſculos propagati, & quicunq; demum proceſſus ab eorum ſingulis, tum in renes, tum in teſtes atque veſicam contendunt. Quoniam autem in hunc ordinem de renibus & viis urinæ mentio debet incidere, *emulgens* tum vena, tum arteria vincienda eſt;

Emulgentium.

dextra quam ſiniſtra potius, quod ab hac ſiniſter urinæ canalis derivetur.

Renis aperti.

His tum inde diſſectis vaſis, *ren dexter* extirpabitur *inciditurque* parte tumentiore, ut qui intus latebat *ſinus*, jam in conſpectu ſit, utque ſtylo terete hinc in *canalis* inſertionem trajecto, omnis ratio exprimendæ tranſmittendæque urinæ cognita fit.

Veſicæ.

Cum autem ad *veſicam* oratio transfertur, *cutis* ab imo ventre dextrorſum per penis radicem ad ſcroti extremum interſcindetur, detectum nudatumque *os pectinis* dijungetur, obtuſiore novacula in medium cartilaginoſæ commiſſuræ mallei plumbei ictibus adacta, ipſiſque coxis in poſteriora magna vi retortis. Diductis his ipſoque pene in ſiniſtrum inguen reducto, tota veſica propalam eſt, & quæcunque ei aſtant particulæ.

Vaſorum ſpermaticorum.

Spermatica vaſa atque *teſtes* jam explicare decet, parteque ſiniſtra quam integram reſervavimus, id ipſum vas *ab emulgente* per medias peritonæi membranas perſequi adusque coxam ſiniſtram.

Teſtis.

Inde *teſtis* ſiniſter abripietur à ſcroto, peni-

tusque diducetur, quo manifestius patefi- A ant quæ in eo sunt omnia. *Parastata.* Quin & *parastates* indicandus est intro ad vesicæ cervicem recurrere, & in *penis canalem* confluere: omnia denique quæ plenius suis locis à nobis sunt prodita.

Vrethra. *Hæc demum ut eximantur, vinciendæ* secandæque sunt emulgentes, tollendique renes, item ductus urinæ, vasa spermatica, testes, genitale ac vesica, vena tamen cava & aorta quantum maxime fieri potest illæsis. Si alicunde sanguis largiter affluet, aut constringendus continuo locus erit, aut consuendus, quantumque sanguinis circunfluet spongiis combibendus.

Vteri. Porro autem si forte mulier consecatur, quæcunque de *utero* dici debuerunt, modice sublata duntaxat vesica, hic aperte com- B monstrabuntur, *situs, cornua, testes, canalium insertio, cervix, ostium geminum, omnium denique venarum* quę adhunc utrinq; feruntur, infixio.

Uterum autem ut una cum cæteris ministri abstulerint, solum restabit intestinum *Vena hæmorrhoidalis.* rectum, in cujus *hæmorrhoidas* è ramis venæ cavæ derivatas, animum sensusque intendere convenit. Hoc tandem ejecto nihil in ventre inferiore præter venas & arterias reliquum erit.

Ex Galeno lib. 7. & 8. de Adm. Anat. c. 2. & sequentibus, ubi eum de illie partibus agere antea indicavimus. Quocirca his duntaxat manentibus velim deinceps ad vitales partes transiri: in quas dum incumbent consectores, eorum administri *crura* interim deglubent ac nudabunt, ut quæ in hæc permeant *venarum, arteriarum, nervorumque* propagines ac *musculi*, suo quæque loco & ordine clarius in C conspectu & oculis sint omnium, *Crurum.* in quibus administrandis non alium cursum teneri velim, quam qui de illis supra est à nobis conscriptus.

Partium thoracis exteriorum. In *thorace* igitur primum *cutis* detrahenda, sub qua *musculi, mammarum glandulæ, subditæque costæ* enarrari commonstrarique debent. Hinc *capacitas interior* adeunda, ducto scalpello ex punico malo per os medium pectoris in summum jugulum, ut costis deinde in contraria versis ac retortis, *dissepientes membranæ* (quas diximus geminas haberi) divelli, & in suum quæque latus distrahi possint. Id autem si factu operosum nimis & fallax lubricumque videatur, altera dissecandi consuetudo inveteravit, quæ discissis utrinque extremitatibus costarum cartilaginosis, os universum pectoris tollit: quod tamen dum fit, cautio adjungenda est, ne vena cava quæ ad jugulum est vulneretur: simul vero nervi proponentur, qui firma adhæsione ossis interiora pervadunt. Hinc dissepientem membranam stylus alter in longum, alter in transversum actus, *Interiorum.* alioqui lapsuram, excipiet atq; continebit.

Quibus ita recte constitutis, omnia quæcunque *thoracis capacitas includit* recenseri aperteque depromi poterunt. Primum quidem *diaphragma* è costarum extremis, natum, iisque supra subterque annexum: deinde vero membranarum tum costas succingentium, tum intersepientium adhæsio *Diaphragmatis.* mutuaque societas.

Pulmonum. Quibus apertis *pulmones* describere contemplarique expedit, ut ii cor amplexentur, omnemque capacitatem impleant: quos tamen qui volet ori folle addito, aëre spirituque distendere, is præter *situm* eos quoque *motus* studiose comprehendet, qui in viventibus nobis obeuntur.

Ab his *pericardium* supra aperietur, observato *humore* quem concipit.

Pericardii. Mox suscepta *cordis* tractatione, *situs* ejus omniumque *canalium* qui tum in id inferuntur, tum ex eo spectant in pulmones, *Cordis.* observandi. Quanquam autem qui operi explanando præficitur, hic quadam orationis continuatione cordis ventriculos & valvulas, horumque substantiam atque magnitudinem forte expedit, nondum tamen cor incidi debet, neque cæterorum quicquam quæ tum illic, tum sub diaphragmate posita sunt divellendum, ne uno quovis rupto aut lacerato, germana naturalisque constitutio una pereat. Quocirca istorum ut aliorum complurium plenior commonstratio in posterum differetur.

Vena cava. Nunc vero utilis se offert *venæ cavæ* speculatio, quam minister, dextrum pulmonem manu molliter extollens, indicabit è jecoris convexo per diaphragma *sursum commeare*, hacque parte dextra ad jugulum festinare, processuque *propagines* in diaphragma & pericardium edere, ramo cordis ambitum irrigare, *pariete suo sinistro* illius dextrum ventriculum subire atque circumplecti, pauloque supra, venam conjugii expertem in quintam dorsi vertebram dejicere, quæ mox deorsum excurrens *multis*

rivulis

rivulis octo utrinque costas inferiores alit. A

Nervorum. Omnibus hanc ipsam constitutionem servantibus, commodum est de *nervis è sexta cerebri conjugatione* huc missis verba facere: de hisque rursum *qui è dorsi modulla* in singula costarum intervalla utrinque porriguntur. Hi enim nunc conspicuò discerni poterunt, ut & ii sane qui per costarum radices utrinque ad inferiora contendunt, & qui per dissepientem membranam in medium diaphragma se inferunt, & qui per sterni concava in diaphragmatis summa apud malum punicum figebantur. Qui autem una cum œsophago ventriculum subeunt, posthac apertius eminebunt.

Jam pars adversa adeunda est, sinisterque pulmo similiter erigendus, ut simul atque *arteriarum è corde distributio* recitabitur, majoris illius trunci dejectio in spinam, ejusque in *duos insignes ramos* sursum deorsumq; latos *Arteriæ aortæ* diremptus spectetur. Quæ omnia quo cunctis clariora evadant, interim dum arteriarum atque venarum productiones memorabuntur, jugulum atque guttur detegendum adusque oris interiora, findendaque est maxilla inferior, adacto cultro in eam menti commissuram multo arctissimam atque contumacissimam, quæ primores inter dentes consedit. Quod si non facile præstari potest, maxilla infirmiore loco *Ramorum subclaviorũ* obteri debet, aut serra desecari. Cum autem sic nuda & in medio posita erunt omnia, tum *venæ cavæ*, tum *arteriæ diductio* omnis quæ apud ganglium *in alas*, *in humeros*, in ipsam denique *cervicem* fit clarius elucebit. C

Quod si illarum productiones in extremum animo est promovere, decet admi- *Brachii.* nistros per otium eas in *brachiis* consequutione quadam retegere: at prius tamen cautione quadam vinculis excipiendi sunt rami omnes, statim ut è stipitibus suis emerserunt.

Nervi recurrentis. *Nervi recurrentes* hunc jam ordinem tenent, utrinque ab arteriarum ramis quos circumplicant, ad laryngem sursum perspicue reducti.

Partium oris. Post hos sunt *guttur, larynx, epiglottis, tonsillæ, lingua*, & quicunque huc nervi pertinent atque venæ: deinde *columellæ, palatum & dentes*, quorum non minus perspicua est inspectio, quam expedita atque brevis explicatio.

His ita permixtè universè citraque ullam disruptionem aut ademptionem commonstratis, expedit demum singula solerter eximere, simulque illa denuo seorsum rimari, quo prorsus & usquequaque perspicua sint & tanquam in clarissima luce exposita.

In primis itaque *& vena cava & aorta* sub ganglio execabitur, prius tamen vinctis ut dixi ramis omnibus qui illinc sparguntur, maxime vero iis qui in cervicem & caput excedunt. *Exemptio partium interiorum. Thoracis.* Vena cava ea rursum sede quæ inter diaphragma & cor posita est, ipsa quoque aorta arteria in trunco majore statim ut ex corde emergit in spinam, discindetur, adhibitis prius utrinque vinculis. *Summa lingua, asperaque arteria* um demum ab œsophago sensim detrahetur: infixa novacula ad dissepientis membranæ radicem, tota B dirimetur adusque diaphragmatis concursum: deinde vero arrepta sublataque lingua & aspera arteria, mox *pulmones* insequentur, itemque *dissepiens membrana, pericardium, cor*, & quæcunque vasa in id pertinere diximus: restabunt duntaxat œsophagus & ramus aortæ qui spinæ dorsi accumbit. Horum jam extirpatorum debet accuratius substantia percipi: itemque figura, magnitudo, partiumque numerus, quam maxime autem ventriculorum cordis, valvularum & vasorum in pulmonibus constitutio, quæ dum reliqua administrabuntur, ingenti lebete ebulliri poterunt proximo spectatorum conventu minutatim excutienda & explicanda.

Ut autem quæ reliqua sunt viscera eximantur integrius, *vena cava* eo loco qui inter jecur & renes medius interponitur discindenda: tum deinde *œsophagus* subdito scalpello una cum adhærentibus ei nervis, *Abdominis.* qui tum manifestissime se promunt, secernetur: moxque novacula per diaphragmatis radicem acta, id primum, deinde ventriculi, jocinoris, atque lienis vincula circuncidet. Apprehensa tum gula, multa protinus consequuntur, nempe *ventriculus, jejunum intestinum, jecur, lienis, & venæ portæ atque cavæ non exigua portio.* Hoc autem ipso opere decet animum ad *arterias* adhibere, & ad *nervos* qui ex spinæ compluribus locis in hæc viscera proferuntur. In singulis cum exempta fuerint, licet substantiam, figuram, magnitudinem, partiumque numerum seorsum ad unguem explorare atque saga-

ſagaciter inquirere: at ſitus & connexio non niſi cum omnia hærent in corpore, nondum de ſuis devulſa ſedibus, certo perſpici poſſunt. Jam vero extis omnibus ſublatis, *aorta* ſpinæ accumbere aduſque renes ſola conſpicitur, in qua complura cernere eſt earum arteriarum foramina, quas in diaphragma, ventriculum, jecur, lienem, meſenterium, atque renes efferri diximus, omnia quidem inter ſe finitima, eo ſitu ubi initium eſt lumborum. Locus ſane & occaſio hic pulchre offertur ad venarum arteriarumque in omnes artus diſtributarum conſectionem: hanc tamen non alia via atque ratione adminiſtrandam ſtatuo, quam quæ ſupra eſt à nobis expoſita.

Ex Galeno 9. de Adm. Anat.

De capitis partibus exterioribus.

Quocirca de capite præcipiendum jam eſt.

Poſt ejus *capillos* atque *cutem*, plerique ſolent *calvæ oſſa* omneſque *ſuturas* ediſſerere, quod dum fit calva tota ſerræ crebris impulſionibus circumciditur, moxque ſenſim extirpatur, ut qui è meningibus per ſuturas in pericranion emanant *villi* ſpectentur.

Interioribus.

Meninges.

De hinc autem inito ſermone de *meningibus*, *craſſior* illa uncis ſublata, ex fronte in occiput deſecabitur, in qua quo turgidiores & illuſtriores conſpiciantur venæ, cervicis venæ & arteriæ conſerventur arctioribus vinculis obſtrictæ. Sub hac *tenuis* altera meninx ſimiliter uncis extollenda palamque indicanda: hinc proximum erit oſtendere ut ambæ inter priores cerebri partes junctæ demergantur, utque cerebrum à cerebello copulatæ diſterminent.

Cerebrum & ejus partes.

Ab his autem cum *cerebri* completa erit deſcriptio, pars ejus ſumma ad dimidium fere minutatim reſecabitur, dum detracta ſuperiore illa *medullæ* portione, priores intus *ventriculi*, quique in eis *contextus* eſt *choroides*, pateſiant: dumque ſenſim ablato eo quaſi *fornice* qui ventriculum medium integit, *canalis vermi ſimilis* ab hoc in cerebellum trajectus, animadverti poſſit oculiſque luA ſtrari cum glutiis utrinque aſſidentibus.

Nervorum conjugationis partes.

Priuſquam hinc ultra pergatur, *ſeptem nervorum conjugationes* explicari commonſtrarique ſigillatim debent, cerebri quidem lateribus molliter alterne ſublatis: hæ ſiquidem diu incorruptæ manent.

Rete mirabile.

At *contextus admirabilis*, ut & certe vermis atque glutia, tridui quatriduive cadaveribus præſertimque ſtrangulatis flacceſcunt atque contabeſcunt, vix ut ea clare detur internoſcere. Recens autem extincto animante contextum illum choroidem è prioribus ventriculis perſequi conveniet
B aduſque lacunam & cerebri baſin, è qua ut craſſa meninx evulſa fuerit, glandula in conſpectum veniet, ſub qua & oſſe prætenui quod veluti ſumma eſt cunei facies, *contextus* ille *mirabilis* integer pleniuſque cernetur.

Cerebellum.

Poſtremo autem *cerebello* detecto *ventriculus* obſervabitur, illiuſque in ſpinæ medullam derivatio: itemque *venarum* & *arteriarum* extrema illuc ex inferis partibus allata.

Spina dorſi.

Quod ſi præterea *ſpinam* omnem in longum diffindere placet, erunt perſpicui ſa-
C ne omnes prodeuntium *illinc nervorum exortus*, quos qui volet cum muſculis conſequutione quadam ad extremum perſequi, deſtinatum in id corpus conſecabit, eum prorſus ordinem imitatus, quem ſupra de nervis ac muſculis conſcripſi.

Senſus organa.

Senſuum ſpeculari *inſtrumenta* nullius eſt laboris aut induſtriæ, quin & omnis oculorum compoſitio non minus ex bubulis quam ex humanis animadverti poteſt.

Quocirca hic jam rei finem pono, cum ſumma & generalis ratio adminiſtrandæ conſectionis ſatis ſuperque explicata videatur: nam ſingula quæ unuſquiſque nullis adminiculis, ſed (ut dicitur) ſuo marte minimaque meditatione ſuffecerit, hic fruſtra viderer perſequutus.

PERORATIO.

Anatomes neceſſitas & præſtantia. Vide Galenum 2. de Adm. Anat. c. 2.

Firmiſſima artis medicæ fundamenta jactavimus, dum deſcripta humani corporis conſectione, omnes ejus particulas ſingillatim ob oculos propoſuimus: quarum cognitioſi ſenſuum fide atque conſtantia firmabitur, vim quodammodo jam adipiſcitur aut communium evidentiumque notionum, aut earum quas Geometræ non demonſtrare, ſed poſtulare ſolent ut ſibi concedantur: ex quibus poſthac aditus ad demonſtrationem facilis patebit.

Si

Si praeterea fructus commoditasque spectabitur, confectio eam subjectam materiam explicat, in qua omnia quaecunque ars praecipit versari examinarique debent. Vt enim qui rerum gestarum memoriam repetunt, non illas recte possunt animo concipere, nisi prius locos & regiones quibus obtigerunt vel sensibus lustrarint, vel sibi quodammodo ipsi cogitatione depinxerint: sic profecto si quaecunque solet ars medendi tractare percipienda sunt, necesse est humanum corpus perspectum habere, in quo omnia contemplemur & quasi penitus animo cernamus. Huc atque illuc errans & vaga est omnis rerum cognitio, futilis parumque stabilis memoria, quae in hoc tanquam solio non confidit atque sustinetur. Res quidem quam verba multo sunt constantiores. & quibuscunque vel morbo, vel aetate ingravescente, vel diuturnitate temporis mentis sensa vanescunt, iis prius nominum quam rerum cognitio atque memoria deponitur. Vnde cum tanta in rebus & in locis vis insit admonitionis, non sine causa ex his veteres cognitionis & memoriae duxerunt disciplinam. Itaque ut ad historiae fidem Geographia, sic ad rem medicam corporis humani descriptio pernoscenda.

Libri I. de part. corp. humani descriptione finis.

LIBER SECUNDUS, DE ELEMENTIS.

PRÆFATIO.

Avicē. lib. 1. f. 1. d. 1. c. 1.

QVi parce ac leviter in philosophia *artium omnium procreatrice versati, medendi artem discendam tradendamve suscipiunt, satis superque se facturos existimant, si humani corporis anatome decursa, è vestigio ad singulorum morborum cognitionem curationemque festinent. Hoc dum illi compendio sibi viam parant, moliunturque brevem ac facilem artem, in perpetuae obscuritatis latebram praecipites se devolvunt, & quasi luce menti erepta, densam noctem ac tenebras ob oculos offundunt. Est enim ipsa ratio lux mentis, quam qui despuunt, neque rerum causas intueri, neque quid quaque in re verum sit exquirere, neque falsa dijudicare possunt: sed omni aevo singulari illo splendore destituti, caeco quodam & temerario nixu sursum deorsum trahuntur: dissolutam & sine nervis ac articulis huc & illuc fluctuantem futilemque rerum confusionem animo consequuti, cunctis in rebus quasi modo nascentes obhaesitant, nihil ratum, nihil comprehensum, nihil fixum habentes, sed semper in ancipiti & eo loco stantes, à quo levi momento possint dimoveri.*

[Q]ui ad [do]ctrin[am] fe[stin]ant, nun[qu]am solide [me]decinam [di]scunt.

At vero qui admirabili quodam philosophandi studio *concitati, conabuntur in ea curricula venire, in quibus celebrium virorum impressa sunt vestigia, ii rerum cognitione primum accepta quae sensibus obviam inciderunt, rudi earum contemplatione minimum tenebuntur, sed ultra progressi, mentis agitatione eo se conferent, unde tanquam praegressis ex causis illae suam originem traxisse videantur. Hinc sensim penetrabunt altius, donec id tandem cogitatione pertingant, in quo expleta mens tanquam in extremo consistat.*

[Qu]i qui è [fun]damentis [...] tene[n]t solide. Avicē. præfa[tio]ne. [Fun]damen[ta t]radenda [...]ne reso[lu]ve.

Quum igitur humanum corpus anatome in partes sensu conspicuas dissolutum jam sit, ab his deinceps ad ea transeundum, quae cogitatione sola discuntur.

Et altius investigandum.

Ex quibus elementis pars unaquæque condita ſit, & quæ ſit elementorum permiſtio.

Quæ temperatio, quæ vires ac facultates lateant in illis.

Et quo ſpiritu quove calore ſerventur.

Quum analyſi hæc inventa perceptaque fuerint, compoſitionis dein ordine conſpicuum fiet.

Quæ ſint effectrices omnium cauſæ.

Qui ab his gignantur humores.

Quæ partium ſingularum functiones ſint, & quæ naturalis omnium adminiſtratio.

Ex Ariſt. 2. de part. Anim. cap. 1. Ex Galeno de uſ. part. cap. 1. & morbor. diff. cap. 3.

Sic univerſa contrahetur phyſiologia, quæ naturalem de homine contemplationem demonſtrationis vi conſtituit.

CAPUT I.

Humani corporis in partes tum compoſitas, tum ſimplices diſſolutio.

Humanum Corpus unum videtur; varium tamen eſt.

*Vmanum corpus unum* efficit tum A continuatio ſerieſque partium tum omnium conſentiens & in molitionem unam conſpirans illa cognatio. Id autem ſimplex cum minime ſit, *varium* efficitur partium diverſi generis ſtructura, & earum multiplici figura: quæ non modo locis diſcluſæ jacent, ſed etiam aliæ ex aliis ſunt conditæ, aliſque aliæ figuris inſignes, prout ſua cujuſque conditio & facultas poſcere videbatur.

Conſtatque partibus majoribus.

Itaque *corpus univerſum, in caput, thoracem, ventrem & artus dirimi diſtrahive poteſt*, ex quibus coagmentatum appparet.

Hæc ipſa *rurſum* in alia: *caput* quidem in faciem, oculos, frontem, naſum, auriculas, aliaque plura: *thorax* in pectus, latera & pulmones: *venter* in abdomen ſubditaque viſcera: *artus* in tota crura & brachia: atque hæc in humeros, cubitus & manus.

Quæ iterum minoribus.

Rurſum vero hæc ſingula minutius conC ciduntur, ut *manus in digitos & palmam.*

Vſque dum ad ſimilares deveniatur.

Digiti in alia, ut *in cutem, venas, arterias, carnem, nervos, tendones, vincula, cartilaginem, membranas & oſſa.* Similiter cætera membra qui penitus introſpiciet, ſentiet unumquodque in hæc omnia vel certe plurima diſſolvi, ultra quæ jam nihil vel diligentiſſima ſenſuum obſervatio poſſit cognoſcere. *Sui enim hæc undique ſimilia ſunt, unam parilemque omnino ſubſtantiam adepta:*

Quænam ea ſint.

unde primum *Ariſtoteli* ὁμοιομερῆ, id eſt, ejuſdem naturæ partes nuncupantur, quæ *ſimplices* quoque dici poſſunt, in quibus nimirum tanquam ſenſu minimis corporis *diſſolutio* conſiſtit.

Ex illi... nuo con... nuntur ſimilare...

Sic quidem ultimæ ſunt & extremæ, quæ tamen, *ſi compoſitio ſpectabitur*, primæ fient omnium. Ex harum enim compactione aliæ partes conſtant, quas ὁμοιομερεῖς, id eſt, naturæ diſſimilis, appellant, ut plerique ſimplici nomine illas *ſimilares*, has vero *diſſimilares*. Illas præterea primas & ſimplices, B has compoſitas: quod illæ iſtarum gratia habentur, & tanquam materia quædam in diſſimilarium compage & coagmentatione ſubſternuntur.

Quæ... magis v... minus c... poſitæ.

In compoſitis modus ſtatuitur, *ut hæ minus, hæ* vero *magis compoſitæ* judicentur.

Ita qui... partes a... duntur compoſi... ne divi... tur & ... ter ab o... inorgan...

Eſt autem & cum diſcernendo *partium geſtiones & munera* ſpectantur, atque tum quoniam officiorum actionumque gratia, corporis partes conditæ ſunt, omnem eam partem, cujus opera communem toti corpori actionem edere poſſumus, *inſtrumentum* licet appellare, & quaſi ſubſidium ad aliquid agendum.

Deinde ex actionum geſtionumque differentia & ordine, *inſtrumentorum differentiæ* ponuntur. Sic univerſum corpus animæ inſtrumentum ſtatuimus, & viſionis oculum, concoctionis ventrem, comprehenſionis manum, progreſſus pedes.

Quæ... vel m... vel mi... organa.

In his vero & digitus minus eſt inſtrumentum quam manus, & hæc minus quam brachium,

id ad or- i ratio- s requi- ur. brachium, hoc denique minus quam corpus universum.

Quoniam vero organum non sui ipsius, sed obeundi muneris gratia est constitutum, ut opus efficiat, debet apparationem quandam & instructionem in id obtinere, unde & nomen invenit. Est autem ea figuræ concinnitas, quæ sua est cujusque, & qua adempta instrumenti ratio perimitur. Nihil enim quod rude & informe, instrumenti nomine dignum est, sed quod formatum & instructum & aptum corpus est ad opus, id idoneum illius est instrumentum.

ontra stotel. cit. Quocirca si exquisita petetur nominum ratio, instrumentariæ id est formatæ parti objicietur pars informis, & ὁμοιομερὲς ἑτερογενεῖ: atque hæc oppositio est in substantiæ genere, illa vero per figuram.

ti simi- organi- on oppo- r. uas ra- s. Unde perspicuum est, *eos rerum genera permiscere*, omniaque turbare, *qui parti* (ut ita dicam) *similari instrumentariam opponunt*, perinde atque si albo dulce contrarium facerent.

Sed & ea quæ diversorum sunt generum, si enuntiantur de eisdem, palam est contraria non esse. Atqui venas & arterias ossaque plurima simili natura cum sint, instrumenta tamen omnes appellant ob figuræ speciem.

Ea nequaquam instrumenti ratio est, ut ex partium varietate concretum sit, cum ferream securim opifices plerumque totam exhibeant, sed ut idonea figura sit instructum.

Neque demum similaris corporis necesse est quodvis fragmentum totius appellatione dici. *Solvitur objectio.* Quo errore quidam adducti, venæ & arteriæ tenue fragmentum, cum viderent neque arteriam neque venam appellari, dissimilium partium esse censuerunt, ignorantes, illa non substantiæ, sed figuratæ substantiæ nomina accommodari. Necesse quidem est similarium fragmenta similem integris substantiam obtinere, at non ilico eadem quoque appellatione dici.

Ergo hoc difficultatis ut claudatur, quæcunque in corpore pars diversi generis apparebit, eadem mox & instrumentaria judicetur: hoc enim natura prospexit, ut particularum dissimilium compositioni, figuram & conformationem quandam conjungeret. *Sed dissimilaris omnis est organica.* At non sic licet reciprocare, ut quæ pars instrumentaria sit, eadem statim ex varia natura constet, sitque dissimilaris. *Non contra.*

CAPUT II.

Pars corporis quæ proprie sit, & quot similares proprie dinumerentur.

stotel. e part. ma. 2. *tes corpora sunt ma. tamen s sunt partes.* 1. me. med. 5. *corpo- sid.* ra A- n. l. 1. c. 2.

PLurima habet *humanum corpus continetque* simplicia, sine quibus neque diu, neque convenienter conservari potest: ut spiritus, lac, semen, sanguinem, utiles humores, & quæ ab his defluunt supervacanea suis quibusdam receptaculis concepta: preterea ossa, cartilagines, vincula, tendones, membranas, nervos, venas, arterias, cutem, carnem, itemque adipem, medullam, pilos & ungues. hæc omnia quidem simplicia, sed quibus non ex æquo partis appellatio attribui potest.

Pars enim, est corpus toti cohærens, communique vita conjunctum, & ad illius functionem usumve comparatum.

Itaque sanguinem in venis vel *humores* toto corpore fusos partes non dicimus: uti neque *spiritus* impetu cordis impulsos in arterias.

Hos enim corpora in præsentia non dicimus. Illi quanquam sunt corpora, uti & & oculorum humores, nusquam tamen hærent conjuncti, sed fluxi deerant quasi vase conclusi.

Siquis humor intus forte concrevit, hæsitque ventriculo aut lieni, quia tamen illi vere conjunctus non est, neque communem vitam accipit qua regatur, pars haberi non debet, ut neque *calli*, neque *verrucæ*, neque *tophi*.

Sed neque *ex carne tumorem* undelibet erumpentem, licet alatur & vivat, partem vere dixeris: quia præter naturam & prodigiosè cum sit, nullam functionem nullumque usum toti, sed potius incommodum affert. *Nec tumores p. n.*

Sic neque *oculi dimidium*, pars est corporis simpliciter & absolute vocanda, quod nul- *Nec frusta partium.*

lam.

Galenus Art. Med. cap. 9. & 1. de us. part. cap. 11.

lam functionem nullumque sola officium exhibeat: cujus & aliud argumentum est, quod neque organon neque ὁμοιομερὲς recte appelletur.

Nec pili nec ungues.

In horum quoque numero habendum est *tenue ossis* aut nervi fragmentum.

Jam vero omnibus hac ceu lege quadam comprehensis, scrutemur *num pili & ungues corporis partes & esse & dici possint*.

Ratio. 1.

Illi quidem è corporis materia consistunt, hærentque toti firmissime, propria quadam circumscriptione definiti, neque profecto præter usum condonati mortalibus: attamen quod non ita conjuncti sunt, ut communi totius vita fruantur, in partibus corporis non habentur. Non enim illi ossium aut stirpium more vivunt, nec alimento intro adacto tractove nutriuntur, nec incrementum in latum & profundum ut in longum suscipiunt, sed materia quadam vice alimenti (proprie siquidem alimentum non est) illis ad radicem posita junctaque, in longitudinem atque molem ampliorem proferuntur, haud secus atque lapides qui in terræ sunt visceribus, aut domus dum extruitur: quod ex his palam fiet, quæ de nutritione posthac dicentur à nobis.

Object. 1.

Non pauca tamen his objici possunt.

Nam pueris una cum dig tis ungues quoque in longum atque latum increscunt, pariterque in profundum, & ætate crassiores durioresque evadunt. Eadem est & in pilis ratio, qui provectis quam pueris ut longiores ita crassiores sunt & rigidiores.

Object. 2.

Deinde vero quod ungues & pili non crescunt in immensum, sed definitam incrementi legem & metam habent, quemadmodum & stirpes, fidem facit eos vera nutritione increscere. Si enim admota duntaxat ad radicem materia atque subjecta adaugescunt, quoniam continenter suggeritur & accedit (hoc testimonio quod derasi vel præcisi semper subnascuntur) continua adjunctione deberent tandem in immensum luxuriare atque grandescere. Atqui contra fieri cernimus, his ut plantis constitutos incrementi limites, quos prætergredi non liceat. Quocirca his ut stirpibus videtur alimetum omnem substantiam intro subire, quod prima ætate alit & auget & tandem cessante incremento tantum alit.

Hæc quidem non mediocriter *urgent*, sed *illa magis, quod* pili vel ungues præcisi omni ætate vel decrepita & præcipitata recrescunt. Ratio 2.

Deinde quod hecticis & tabidis, quibus reliquum corpus non augetur modo, sed etiam plane exhauritur & liquescit, ii soli diffunduntur & grandescunt: neque his modo, sed etiam vita destitutis corporibus. Quibus aperte convincitur, non naturæ attrahentis beneficio, sed excrementi redundantis vi & egressu ab radice duntaxat illos increscere. Emergit autem id præparatum pulsumque vi caloris, indicio quod defunctis non semper augescunt. Ratio 3.

Solvitur object.

Quod pueris ætate procedente in latum sparguntur, efficit partium à quibus prodierunt amplitudo: quod vero fiant crassiores, excremento tandem sicciori aduſtiorique facto acceptum refertur.

2. Object. Aristot. de part. Anim. c. & 6.

Quod autem, cum ad justam magnitudinem pervenerunt, non ultra promitti trahique possunt, tametsi materia ad radicem suppetit, unum ex his est in quibus non aliud quam mirari liceat Dei & naturæ providentiam.

Spina medulla pars est.

De *medulla* autem nihil ambigi potest eam, quæ *in spina fistula* tenetur, non aliter quam cerebrum corporis partem esse: quandoquidem non usu modo, sed proprio quoque perfungitur munere, & vitam habet, cujus ope trahit & in se recondit alimentum.

Non ossium medulla.

Cæterum quæ *in exilibus ossium cavernis* est, ut liquidi humoris speciem ostendit, ita non pars corporis est, sed ossis alimentum, quod à sanguine primum deductum ab illius natura mox deficit, sensimque mutatum in ossis naturam tandem facessit.

Similiter *quæ majores implet ossium laxitates*, ut crurum, ut humerorum, quanquam firmior solidiorque subsistit, alimentum tamen est ossis tanquam commeatus aliquis congenitus datusque ab ortu, propterea quod ossis soliditas non facile aliud sinit extrinsecus intro commeare. Medulla quidem vi ossis atque tepore albescit & concoquitur, raptaque sensim in ossis naturam absumitur. Quod igitur in ea laxitate manet tanquam superabundans ad futuram necessitatem, id medulla est, quam *Aristoteles* concoctum excrementum (sic vocant succum

succum corporis supervacaneum) appellavit, non tamen inutile & rejectaneum. Quamobrem decepti videntur qui ut adversas sententias in concordiam adducerent, medullæ partem alteram utilem, inutilem alteram, totam vero partim alimentum partim excrementum esse prodiderunt. Ea ne præpropere desit, illapsi extrinsecus alimenti subsidio sustentatur, eo indicio, quod quæ in juventute rubro colore perfusa erat & sanguineo, ætatis progressu alba fit, & ut reliquum corpus adipata. Cæterum illius nulla est vera nutritio, neque sanguinem prolectat sibique jungit, quod vita nulla constet, ut neque sanguis neque quisquam alius humor.

Nec adeps prima ratio.

Similis est ac fortasse major in *adipe* ratio. Quem palam est è sanguinis portione præpingui, hanc autem ex alimenti concoctionisque probitate generari, quæ dum affluens in animalis pulpam non absumitur, sensim exaggerata in molem, è venis jam delapsa in adipem concrescit à frigido. Quod si illius efficiens est frigidum, quomodo corporis pars esse possit?

Secunda.

Quem confirmamus humorem in venis nondum partem esse; qui putemus extra venas frigoris vi concretum partem fieri? Si quis est huic argumento locus; videbitur similiter gelati in ventriculo sanguinis grumus, pars esse corporis, si modo illi adherebit. In carne ratio diversa, quod hæc ut cætere partes omnes non exconcrescente, sed ex converso mutatoque sanguine gignatur.

A

Tertia.

Est & aliud quod adipem ut medullam à communi partium notione secludit: nam per inedias, per alimenti & sanguinis penuriam, cedit verti turque in utile partibus alimentum: atqui pars nulla partem alteram nutrit, neque alia alii fit nutrimentum.

Quarta.

Deinde omnes tum simplices tum compositæ, propria quadam circumscriptione continentur, quam (tametsi in ampliorem molem diffunduntur) similem servant, nisi

B

præter naturam sint affectæ: adipem & medullam nulla propria circumscriptio aut figura, sed vicinarum duntaxat partium ora & extremitas circumjecta claudit.

Unde intelligi potest, in partium numero & ordine non pilos, non ungues, sed nec medullam nec adipem esse.

Solvitur Authoritas Aristotelis 2. de part. Animal. cap. 2. Galenus de inæquali intemp. c. 2. & Avicen. fen. 1. doct. 5. c. 1.

Scio *Aristotelem* partes simplices, alias molles & humidas dixisse, alias duras & solidas: atque inter illas sanguinem, adipem, me-

C

dullam, genitale semen & lac recipere. Quo loco is quicquid in corpore tenetur, partis appellatione complectitur. Nos vero accuratius ea sequimur, ex quibus ad medendi artem fructus percipi possit.

Ergo decem partes similares sunt.

Ergo quæ vere existimari debent partes simplices, hæ restant: os, cartilago, vinculum, membrana, tendo, nervus, arteria, vena, caro, cutis.

Satis multa de partium differentiis: unde huc digressa est, eodem redeat oratio.

CAPUT III.

Partes similares corporis elementa, quid Elementum, & quæ principia dici debeant.

Ex Gal. 1. de Elem. c. 1. & 6.

Partes similares Elementa corporis.

Corporis universa moles tametsi varia compositione structa apparet, sectione tamen in eas dirimitur distrahiturque *partes*, quę *similares* cum sint, jam non ultra in alias distribui possunt: sunt illę quasi retexẽdo postremæ, quas simplices, sensus percipit, cogitatio autem ratioque nostra omnium primas ortu & compositione judicat. Quare *corporis elementa* illas statuere conveniet.

Elementum quid.

Elementum enim corpus est simplex, ex quo quidque primum constituitur.

Simplex, quod distrahendo ultimum offenditur, quodque divisione minimum est, aut si magnitudine & mole præditum est,

A

in diversas tamen species partiri nequit. Simplicium connexione compositum emergit, cujus eas duntaxat partes elementi appellatione designamus, quæ omnium primæ fuerant, & ex quibus compositionis successus originem duxit.

Hoc constat principiis.

Simplicem partem antecedunt *forma* & ea *materies* quam informem nudamque intelligimus: verum quia corpora non sunt, illas ab elementi notione abducimus. Principia quidem sunt, quæ singula separatim minime subsistunt, concursione implexuque suo corpus efficiunt.

Compositis corporibus, tum principia,

 tum

Elementorum & principiorum discrimen. tum *elementa* insunt: sed hæc quidem *corporea* sunt, ex principiis condita, quæ & per se sola consistunt, & in totius sunt genere: *principia* autem simplicissima habentur *incorporea*, nec in totius genere, quæ seorsum minime subsistunt, implexuque mutuo corpus instruunt.

Quare ad sensum partes similares elementa. Itaque quas ejusdem naturæ diximus corporis partes, si sensuum testimonio credimus, *elementa* sunt *corporis*, quæ prima subjecta sunt nobis. *Semen* autem *genitale & maternus sanguis principia* statuentur, non quæ componunt, sed quæ corpus efficiunt: hic enim ceu materies quædam est, illud ut causa efficiens, quod nimirum omnis generis partes conformare suo loco dicetur. A Hæc esse corporis elementa falso quis affirmet, cum id minime constituant, nec in eo præterea serventur: ejus vero causæ sunt & principia. Ad hunc modum stirpis principia æstimanda sunt semen & succus è terra libatus ac haustus: elementa, radix, lignum, medulla, cortex. *Semen & sanguis, principia.*

Quibus priora elementa universi. Sed enim de rebus omnibus cum duxerimus non esse sensuum ope, sed mentis acie æstimandum, non alienum sit inquirere ordinem similium partium: quæ cum sint *elementa* ante oculos posita, num alia quædam sint *illis priora*, quæ ad sensus permanare non possint: an item illis inferantur jactatæ & pervulgatæ quatuor illæ rerum naturæ, *terra, aqua, aër, & ignis.*

CAPUT IV.

Quibus rationibus terra, aqua, aër, & ignis, rerum omnium elementa dicantur.

Ex Galeno 1. de elem. cap. 2. *Elementa plura sint necessum est.* SI quæ in natura sunt rerum omnium communia *elementa*, quæ rebus omnibus promiscue gignendis sese accommodent, illa sane & *plura* esse necesse est, & quodammodo contraria & affectioni subjecta. Nam quod unicum & simplex est, non habet à quo afficiatur, cum à se ipso pati non possit.

Neque plura *unius* similisque *rationis* si fuerint, invicem agent, sed mutuo se fovebunt tanquam unum sint.

Qualitatibus contrariis prædita, & substantia mutabili. Quinimo si forte illis contrariæ qualitates deferantur, nisi his pariter *substantia* insint *mutationi* affectionique *subjecta*, suo illa congressu ne minimum quidem mutabuntur, sed illæsis substantiis nihil dissimile sibi compositum reddent.

Quare Atomi elementa esse non possunt, His argumentis tanquam fustibus vis illa & turbulenta *concursio atomorum* immutabilium, per inane volitantium, *in exilium relegata*, & de natura mundoque depulsa videri possit. Itaque ut ligna, lapides, & animantia mutationem patiuntur, sic & ea facile mutantur, ex quorum concretione patiuntur, sic & ea facile mutantur, ex quorum concretione hæc communi ortu prodierunt.

Qualitates contrariæ & valentissimæ. Si facile mutabilia sunt, necesse est omnino prædita esse *qualitatibus valentissimis*, quarum dissidio & repugnantia non ipsæ B modo qualitates sese obtundant, sed & adjectorum vicinorumque corporum substantiæ totę immutentur atque convertantur. At quænam hæ sunt validissimæ? *Ex Aristot. 2. de ge. & cor. ca. 2. & 3. Gal. 1. de Elem. c. 9.*

Sunt tactiles. Quæcunque corpori infunditur qualitas, in unum aliquem quinque sensuum cadit: atque ut suum quæque sensum movet, sic illi quadam proportione respondet. Unde cum sit tactus sensuum primus, isque plurimum corporeus, quæ hunc feriunt qualitates omnium primæ sunt & maxime corporis participes: quod certe efficit, ut ab his summis doloribus afficiamur aut voluptatibus. C Quocirca non candor aut nigror, non dulcedo aut amaror, non quæ cæteros sensus, sed *quæ solum tactum concitant*, qualitates omnium sunt potentissimæ.

Ex harum autem genere aliæ sunt principes, aliæ ex his ortæ, quæ in molli, duro, crasso, tenui, lævi, aspero sunt corpore, quæ variæ dicuntur & quasi multiformes. Harum quippe ortus principib. illis refertur acceptus, quæ omnium & *primæ sunt & potentissimæ*. *Et quidem primæ.*

Quare corpora quibus summe insunt, sint Elementa. Elementa igitur ex quorum concursione omnia gignuntur atque concrescunt, si conversionibus mutationibusque sese plurimum exagitant, debent his ipsis qualitatibus pollere, & quibuscunque corporibus illæ naturaliter summæ insunt, hæc ipsa

ipſa in prima rerum omnium elementa aſſeruntur.

Sunt autem ea, terra, aqua, aër, & ignis.

Quæ quatuor & quæ ſingulis qualitates inſint. Eſt quidem calor ſummus *ignis*, qui ceu fervor quidam eſt & exuperantia caloris.

Aër calidus, uduſque, ceu halitus, cujus humor diſſipabilis, quædam eſt fluxio per cuncta rerum meabilis, levitate ſubtili ambientem locum implens celerrime.

Humor *aquæ* pergelidus quidam liquor eſt.

Ut *terræ* ſiccitas firma quædam conſtantia & ſtabilis gravitas, quibus ſubſidit & ſuis clauditur limitibus, cum cætera elementa nonniſi externo contineri poſſint.

Aqua licet maxime humectet, non tamen maxime humida. Quanquam igitur *quæ aqua perfunduntur multo plus madent*, quam quæ aëre reſperſa ſunt, id tamen non ob pleniorem aquæ humorem accidere putandum; ſed quod is in craſſiore fluxaque ſubſtantia poſitus, dum in vias receſſuſque corporum inferitur, conſiſtit, retentuſque diutius illa afficit, madidioraque reddit, quod aër præ tenuitate efficere nequit. Verum mador hic quem appello, non humor eſt is quem diſquirimus.

Nec ignis idem maxime ſiccus quia maxime exiccat. Neque præterea *ignis* inde quod *maxime deſiccat*, ſiccior quam terra judicandus. Id enim non per ſe, ſed caloris interjectu efficit, quatenus corporum humorem ſuo calore exhaurit ac diſſipat: ac terra affuſum humorem combibens per ſe ſola ſiccat. Aër perinde ac ignis ex accidenti madidum linteum exiccat, uti & frequentes balneæ, dum uberiorem è corpore ſudorem exciunt evocantque.

Sic autem *qualitates* hæ, quatuor rerum naturis *ſummæ* obtigerunt, ut quemadmodum puro igne nihil calidius nihilque levius, ſic terra nil ſiccius, nil gravius, ne plnmbum quidem vel aurum; aquam ſynceram nullius medicamenti vis gelida evincit, ut neque aërem ullus humor. Summæ præterea ſic illis inſunt, ut ne minimum quidem poſſint augeſcere, remitti vero poſſint: quod argumento eſt, eas qualitates licet ſummas, infinitas tamen non eſſe, quandoquidem infinitum nihil minuitur finita portione detracta. *Sed elementorum qualitates quadam ſumma.*

Eſt porro ſua cuique elemento *retuſior altera qualitas*, ſimplex illa quidem, ſed quæ ſummum generis ſui gradum non impleat. Ea in igne ſiccitas eſt caloris comes, in aëre calor, in aqua humor, frigus in terra ſiccitati copulatum. *Quædam remiſſæ.*

In his quæcunque qualitates eodem nomine, eodem & illæ genere continentur: atque licet eorum quibus inſunt corporum ratione diſtent, affines tamen ſunt, tum natura, tum mutationis prompta commoditate. *Ejuſdem tamen generis.*

Itaque ingentes quatuor naturæ toti mundo conſertæ ea ſunt rerum omnium primordia, quorum nobis propoſita fuerat diſquiſitio.

CAPUT V.

Corpus hominis, ut cæterorum omnium, ex quatuor elementorum concretione necti & contineri.

Ex Galeno 1. de Elementis c. 7. & 8. Ex his quatuor elementis etiam hominis corpus conſtituitur. SI quatuor ea ſunt rerum primordia, ex quibus ſurſum deorſum ultro citroque commeantibus, mundi natura eſt continuata, neceſſe eſt eorum viciſſitudine, cum reliquorum omnium, tum *hominis corpus* conflari, *ex hiſque* ceu ex primis rerum initiis conſtare. Quod tametſi vel ſimplici argumentatione in medium propoſita planum eſſe debet, inductione tamen res quaſi ob oculos poſita, veritatem plenius illuſtrabit.

Nam ex iis ſemen & ſanguis corporis principia conſtant. Lib. 7. Una manet omnium firma conſenſio, corporis univerſitatem ex partibus diverſi generis primum conſtitui, deinde diſſimiles has conſimilium ſtrue & compoſitione integrari. Jam vero docendum, haſce conſimiles ex primorum quatuor elementorum concurſione naſci. Has quidem olim ex *ſemine* ortus ſui primordia duxiſſe, fiet poſthac promptum & obvium demonſtratione: ſimul eaſdem adoleviſſe *materni ſanguinis* beneficio, qui alimenti vice ſuffectus eſt. Parentum ſemen ex parato ſanguine factum eſſe, extra omnem controverſiam eſt, adeo ut nemo qui rem perſpexit, ambigat, omnem partium ſubſtantiam à ſanguine aut proxime aut tandem proceſſiſſe. Nomine ſanguinis quatuor humorum

mixtam congeriem appellamus: hanc vero esculenta potulentaq; ingesta nobis innovarunt. Hęc porro sive animantium carnes erant, sive pisces, sive terrę fruges & stirpiũ fructus, à promiscua elementorum concursione aliquando sunt procreata; eo sane ordine quem pulchre nobis cecinit *Lucretius:*

Lib. 2.

Sic tempestivis ex imbribus humida tellus
Vertit se primum in frondes, & pabula læta
In pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
Naturam, & nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.

Nihil enim simplici elemento nutriri, ut neque nasci potest. Stirpes quæ prodierunt è terra, non illinc omnia traxerunt, sed si ea stirpibus alimentum datura est, necesse est humore perfundantur: unde agricultura deductiones rivorum, agrorum irrigationes adacta necessitate excogitavit. Atqui si puram aquam terræ consperges, nihil aliud quam lutum reddes, alendis stirpibus ineptum atque minus accommodatum. Oportet igitur si quod apparabitur congruens illis nutrimentum, crassioribus naturis duas reliquas contrarias inseri & temperari. Sic neque pisces alit aquà syncera, sed quæ terræ, aëris, & ignis simul est particeps. Proinde ita rerum natura comparatum videmus, ut reliquorum vis & substantia in terram & aquam penetret, utque aër & ignis inferiora perfundant, unde rerum plurimarum exortus fieri conveniret. Itaque rerum omnium corpora à primis illis naturis & rerum seminibus derivantur, alia quidem statim & proxime, alia longa

A adeo rerum serie, ut cum multorum corporum ortus intercesserint, incredibile videatur à simplicibus illa naturis defluxisse.

Quinetiam eodem *omnium* spectat *interitus:* quia natura rerum obitus conficiens, eo singula refert, unde fuerunt accepta. Homines cum solutis corporum vinculis è vita excedunt, quantum innati caloris dissipatur, id omne in universam ignis naturam revolat: spiritus substantia partim in ignem, partim in aëris regionem offusam nobis refunditur: profluens humor aqua rursum fit aut halitus, qui tum aquæ, tum aëri confinis est: solidiores partes quibus crassior inest firmitudo, ubi sensim fuerit aqueus humor exhaustus, tandem dissolutæ in cinerem & terram abeunt: neque admodum dissimilis est reliquorum in occasu comparatio.

Et corpora nostra interitu dissolvuntur in elementa.

B

Nam sua cuique locis ex omnibus omnia plagis
Corpora distribuuntur: & ad sua secla recedunt,
Humor ad humorem, terreno corpore terra
Crescit, & ignem ignes producũt, æther aque æther.

Quod eadem ratione inductus invenit.

Hoc mirus *Hippocrates* ante natam omnem C philosophiam divino afflatus elogio omnium primus attigit, promulgans nimirum, homine animã agente singula in propriam naturam discedere, atque in eas naturas refluere, ex quibus unumquodq; consisteret.

Nam paulo ante aperte confecerat, hominem non posse ex unica re constare, cum dolore affligeretur, sed ex calidi, frigidi, humidi & sicci temperatura: quibus utique nominibus quatuor ea quæ diximus primordia, non solas qualitates complexus videtur.

CAPUT VI.

Contra juniores, qui elementorum solas vires, non item substantias in nobis putant inesse.

Hanc opinionem Avicennæ adscribit Averrhöes & eam refutat lib. 3. de cœlo 1. 67. Sed intelligit hic Fernel. Thomam & Scotum illum de gener. & corr. c. 10. hunc 2. Sent. Distinct. 15. q. 1.

VIdemus apud multos *juniores* puerilem vereque inanem percrebuisse sententiam, qua ii vetere spreta philosophia decreverunt, *non elementorum substantias, sed qualitates duntaxat in nobis asservari.*

Esse calidum, frigidum, humidum & siccum, ex quibus constamus, non substantiarum, sed qualitatum nomina.

Nusquam synceras quatuor rerum naturas haberi, mixtionis expertes.

Sed neque eas quæ nos circunfundunt, A si rei gignendæ adhibeantur, species suas præterea retinere, verum protinus evanescere, quando nova compositi forma ex permistione succedit.

Primum membrum hujus opinionis.

Quæ tanquam *absurda ut funditus evertamus,* decet sigillatim illa minutatimq; excutere.

Secundum.

Ergo *calidi, frigidi, humidi, siccique appellatione*, alias qualitates, alias vero corpora quibus inhærescunt, intelliguntur. Corpora vero aut summis hisce qualitatibus excellunt, aut depressis prædita sunt. Quæ

Tertium. Ex Galeno 1. de Elem. cap. 6. & 8. *Primi membri confutatio.*

Et nomine qualitatis substantias qualitate affectas intelligi. Hippoc. cit. loc. Athenæus apud Galen. 1. de Elem. c. 6.

ex depressis constant, vario sunt ordine, quandoquidem & panem, & carnem, & vinum, & piper, aliaque innumerabilia dicimus esse calida: uti cartilaginem, membranam, nervum & os, sicca. At quæ qualitatibus excellunt, non ita sunt multa, sed quatuor omnino, terra, aqua, aër & ignis, quibus qualitatum exuperantiam inesse diximus. Si quis igitur hisce nominibus aliud quam elementa significet, in tam multiplici rerum varietate perturbatus omnino & confusus erit. Quocirca credibile est, *celebres authores* nominibus his simpliciter pronuntiatis ea corpora solum designasse, quæ in suo genere excellerent.

Cum ex calidi, frigidi, humidi, siccique temperatura omnium corpora constare proditum sit, quis tam cæcus in contemplandis rebus est, ut qualitates puras animo concipiat, ut ex qualitatibus constitui corpora asseveret?

Secundi confutatio. Nostra Elementa è puris constare. Galenus 1. de Nat. hum. t. 38.

Quod afferunt illi, synceras *nusquam haberi elementorum naturas*, ridiculum sane est & dementiæ proximum. Nam quæ apud nos extant, impura tametsi forte sunt omnia, *syncera tamen ustiam* esse necesse est, quæ principia sint & veluti fontes à quibus ista fluxerunt. Hæc enim norma, hæc regula, hæc præscriptio naturæ, ut omnia ordine quam optimo ducat: atqui optimum erat & ornatissimum, impura ex puris, imperfecta ex perfectis quibusdam manare. Potuit autem natura omnia sic efficere quam optima, & mundi elementa seorsum pura (uti & cœlum) collocare. Quid igitur illa esse prohibet, si esse possunt?

Imo & alicubi adhuc pura esse.

Ad universi medium terra simplex est, gravissima, siccissima, omnis expers humoris: ad cœli concava interioremque faciem ignis est levissimus & ardentissimus, neque tamen pellucidus. neque perspicuus & illustris, ut noster, qui fumus quidam est accensus. Etenim tenuissimus ille cum sit, nihil solidum admixtum habet: non igitur lucere potest: lux quippe non tenuissimo, sed denso flagrante corpore effulget. Hac ratione, & quod præterea effectio omnis ab efficiente quodam fit corporeo, à quibusdam eum neque urere neque luculenter calefacere proditum est. Mediis autem spatiis interjecta quæ sunt, extremorum mutationes turbulentas sustinent, quorum communione impuriora fiunt. Quod si extremorum confusione suam substantiam non exuerunt, palam est, iisdem exemptis puram simplicemque substantiam restitui. In summa vero, etsi quæ apud nos extant, vera non sunt elementa: quia tamen iis proxime accedunt a quibus olim manarunt, par utrorumque ratio censetur.

Tertii confutatio. Formas in mixtione non perire.

Illud autem quod ajunt, *elementorum formas evanescere, cum in compositionem in ea concreverint*, quantum obscurat & inquinat omnem philosophiæ splendorem? Idem enim fieri putant in elementorum permistione, quod in simplici rerum transmutatione. Ubi recens aliqua forma in subjectam materiam commigrat, pellitur vetus atque decedit: ceterum dum ex elementorum temperatione corpus innovatur, illorum formæ nihilominus in hoc manent. Adeo ut si illis congredientibus herba nascatur, in ea serventur illorum substantiæ: dumque rursum herba concoctione in sanguinem, tandem vero & in carnem mutabitur, licet herbæ forma intercidat nova nascente, nequaquam tamen elementorum formæ exeunt, sed stabiles permanebunt quoad ulla compositi ratio constabit, quamvis non una & perpetua permistionis proportione.

Lib. de natura hum. t. 13. 14.

Sic enim de his statuerunt viri præclarissimi. Primus *Hippocrates*, qui *singula quæ ad gignendū confluxerunt, talē vim ait in corpore retinere qualem contulerunt: & omnia per interitum eo recedere unde sunt accepta*: quod fieri neutiquam posset, nisi pristinas illas naturas retinuisset.

5. Metaph. cap. 3. — 3. de Cœlo cap. 3.

Huic accedit *Aristoteles*, qui locis compluribus *elementum* definiens id maxime ubique solet inculcare, *quod cuique composito primum inest & in quod ultimum corpora dividuntur:* imo & *alio loco* palam affirmat, *in carne atque ligno aliisque similibus ignem atque terram facultate, &* (ut dicere solent) *potentia inesse, hacque ex illis manifeste segregari.* Quod si illorum substantiæ occidissent, qui fieri posset ut demum sejungerentur?

Hæc sane portentosa fuerat opinio, quadum juniores veterem philosophorum disciplinam permistionisque rationem assequi minime valuerunt, ab illorum sententiis temere defecerunt.

Neque igitur unquam hujusmodi captiosa probabilitate fallatur, *latius exponenda videtur tota permistionis vis atque ratio.*

Ex Aristotele. 1. de gener. & corr. c. 10. & Aphrodisæo de Mixtione statim post medium.

CAPUT VII.

De elementorum permistione diligentior inquisitio.

Corpora permisceri possunt divisibilia.

PErmistioni aptissima sunt ea corpora quæcunque in exiguas tenuesque portiones facile *dirimuntur*, qualia sunt mollia, tenera, fragilia, liquida, subtilia: è diverso autem dura, firma, solida, arida, crassa, omnium minime permistioni cedunt.

Contraria.

Neque vero fieri potest ut illa vere misceantur, nisi *contrariis* inter se pugnent *qualitatibus*, per quas pariter agentia atque patientia mutationes conversionesque subeant: nam neque candorem lineæ, neque medendi scientiam corpori permisceri putamus.

Paribus viribus coëuntia.

Quæ igitur contraria sunt, & in communi materia pugnantes qualitates acceperunt, si dirimi facile secarique possunt, ea tum substantia, tum qualitatibus ad permistionem sunt accommodata.

Mistionem efficient, dum *paribus* quodammodo portionibus infusa temperataque *coibunt*.

Se mutuo retundentia.

Tum enim mutua vi & effectione pugnantium qualitatum, sic illorum *substantiæ* totæ *frangentur* comminuenturque, sic & *qualitates* omnino temperatione confusæ *se retundent*, ut illa demum neque substantias, neque qualitates puras servent & integras. Hæ quidem nequaquam dissipatæ aut extinctæ oblitescunt, sed repressa duntaxat exuperantia ad moderationem mediocritatemque referuntur.

Atque ita fiunt corpus unum mistione.

Hinc *corpus unum* prodit consimile, quod re ipsa simpliciter unicum jam est: nam contraria quæ in permistionem venerant, non energia, id est efficacia vel actu, sed potentia duntaxat supersunt & manent.

Mistio quid.

Ea omnino diversa à confusione.

Ad hunc igitur modum perfecte fit *mistio:* quæ est *diversorum in unum atque idem concretio.*

Aqua aquæ, aut vinum vino simili infusum non permiscetur. Nam licet substantiarum quædam fiat in totum *perfusio*, hæc tamen integra manent, non hebetata. quod enim contraria non essent, nequaquam se ipsa mutaverunt. Neque si milii & sinapis grana, aut etiam adamantem, sapphirum, & margaritam plane lævia facta contritaque confuderis, aliam permistionem induxeris, quam quæ deprehenditur à sensu, quæ potius collocatio quædam est, & quædam exiguarum partium compositio. Rursum si lana aut spongia oleo humoreve quopiam perfunditur, tametsi non sensu modo, sed reapse confusa sunt illa, nihilque re vera sit vel minimum spongiæ quod humore conspersum non madeat, quia tamen in unum atque idem illa non concurrunt, sed suas ipsa naturas seorsum retinent illæsas, naturali permistione vacant. Imo si quatuor elementorum substantiæ optime confusæ cohærescant, nisi pugnandi vi & potestate retundantur temperenturque, in unum minime coalescent. Quod cum *Empedocles* affirmasset, elementa exiguarum partium apposita solo permisceri, id juste *Aristoteles* argumentis incessivit.

Lib. 1. de gen. & corr. c. 6.

Et à generatione.

Ergo iis legibus quas ante dixi observatis, diversorum fiet in unum concretio, & præterea si viribus quodammodo paribus illa concurrant: nam tametsi reliqua consentiunt, si desit hoc postremum, *mistio utique non erit, sed procreatio.* Cum enim contrariorum vires præter modum impares sunt, quod minus est & imbecillius, ab ampliore & potentiore victum perimitur, in illiusque naturam facessit. Neque enim amphoram aquæ mille amphoris vini, neque lignum igni, neque alimentum corpori permisceri dicimus; sed illa occumbere, nova autem oriri. Nisi igitur quæ in temperationem trahuntur permaneant & consistant, non erit ulla connexio, sed aliquo pereunte gignetur aliud.

Manent enim in mistione substantia.

Unde planum fit, aliud esse miscere, aliud gignere, aliud permistionem, aliud ortum: & eam opinionem non posse defendi, quæ elementorum substantias perire, solasque qualitates in mistione retineri arbitratur.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

Utrum elementorum substantiæ, an qualitates solæ, totis totæ perfundantur.

Ex Aphrodisæo, qui hanc fuisse opinionem Chrysippi asserit initio lib. de mixtione.

QUandoque igitur mistorum elementorum substantias in concretione haberi perspicuum jam est, investigatione dignum videtur, ut illorum apta fiat adhæsio mutuaque complexio. Corporum *substantias totas totis commisceri* ac penitus in sese penetrare, multi ex *Plotino* opinati sunt.

Non quod substantiæ se mutuo penetrent. Etiamsi simile in lana aqua perfusa videatur.

Qui cum viderent sudores è cute nostra emanare, neque illam perfodi vel secari: rursum *lanam aquæ perfusam permadere totam*, affirmare non dubitaverunt, totum corpus in mistione per aliud totum penitus induci, ipsumque quoquoversum subire, materiam materiæ injici, molemque moli. Etenim aquę materiam in lana esse dixerunt, non quibusdam modo inanibus spatiis con- B clusam, sed per totam illius substantiam fusam: tota enim madet, nec ulla pars ejus expers est humoris.

Ad hunc modum non solum qnatuor elementorum qualitates, sed eorum quoque substantias permisceri in compositione partium similarium prodiderunt.

Id enim falsum est.

At vero ista *qui possint sibi constare, concipere arduum est*; & supra captum cogitationis.

Dum in corporibus macerandis humor solidioris substantiam pervadit, *manifestum est*, & apud omnes in confesso, majorem toti molem accedere. Nam & lana madefacta occupat locum ampliorem. Quod si est, necessarium consequitur, aliam alio si- C tu collocari materiam. In quibus vero non amplior videtur moles evadere, ceu liquore perfusis cineribus, aut cuticula sudante, necesse est quos vocant poros & angustas vias latêre, in quibus aër, aut spiritus tenuior, aut aliqua materia cum esset, exhalatur, cedensque liquori ingressum præbet.

Et fieri nequit. Ratio prima.

Si enim nullum intervallum medium intercipitur, *quomodo fieri posse credemus*, ut in solidum & undique inaccessum aliud corpus penetret; nisi confectiones utrinque fiant, qua demum transitus fit? Atqui si hoc modo corporum substantiæ totis immiscentur, fit saltem illorum adusque minima divisio, sic ut hujus minimum corpu- A sculum, illius minimam particulam contingat. Id certe indignum philosophia videri solet, credere aliquid esse in rerum natura minimum, quod dividi nequeat. Omne quidem corpus sectione infinitum est, neque ad extremum & individuum perduci potest dividendo.

Secunda.

Quinetiam si illuc veniri potest, continua fractione comminutioneque facta, corporum substantiæ in sectiones absumentur, & tanquam in nihilum redactæ se mutuo destruent.

Tertia.

Ad *postremum* vero quum exiguum quiddam permiscetur majori corpori, quomodo usque adeo distendi aut secari poterit, ut per universum majus se diffundat, & cuique individuo hujus aliud individuum minoris accedat?

Fieri igitur non potest, sed ne intelligi quidem, ut corporum substantiæ mutuo se penetrent, & eodem prorsum situ constitutæ sint & collocatæ: nec fieri potest ut in ampliorem molem diffusæ per minimas sectiones confertæ colligentur.

Nec cum Averrhoe lib. 3. de cœlo. t. 67. *substantiæ intenduntur & remittuntur.*

Rationes istæ fortasse *Averrhoidem* eo necessitatis adegerunt, ut non commentitium quiddam modo, sed somnio quoque simillimum adferret: qui ut hanc substantiarum permistionem tueretur, elementorum *formas* à perfectarum substantiarum dignitate & universo genere detorsit, ut non in qualitates, sed in medium quoddam & inauditum genus transferret. Illas quidem *intendi* posse & *remitti* per eandem materiam æquabiliter fusas, qualitatum comparatione & exemplo pariter exporrigi.

Ut probatū est 1. de abd. rer. caus. cap. 3

Cujus opinionis levitas *alio loco* à nobis refutata, fusiorem hic disputationem non desiderat.

Ex Aristotele 1. de gen. & corr. ca. 5. & 10. *Vide* lib. 1. de abd rerum causis c. 2.

Quocirca missis lubricarum opinionum fluctibus atque jactationibus, in tutum & tranquillum portum nos recipiamus. *Elementorum substantias mistio totis totas non inserit, sed qualitates duntaxat miscet atque confundit*, ut per totius compositi molem æquabiliter sint fusæ.

Primum

Primum enim quatuor illæ mundi simplices naturæ dum paribus quodammodo viribus confluunt, *in exiguas*, non autem quam minimas *portiones* se distrahunt, eoque se ordine componunt, ut quæque tandem alterius diversique generis cuipiam cohærescat, nihilq; sensu notari possit quod non ex quatuor earum portionibus constet.

Integris formis.

Hoc positu exiguæ portiones suam *formam*, qualem ante permistionem, *integram* quæque *retinent*: neque enim intensionem neque remissionem substantiæ ferunt.

Qualitatibus refractis Ex Aristotele 1. de gen. & corr. text. 35.

At vero elementorum *qualitates* contrariæ totis totæ se permiscent, & mutua quadam repugnantia *sese vicissim ad moderationem quandam redigunt*, fitque illarum confusione temperamenti quoddam similare genus per universam compositi molem diffusum. Quanquam igitur substantiæ καθ' ὅλου temperari nequeunt, sed duntaxat continua appositione connecti; qualitatum tamen consummata est permistio.

Quibus nova superinducitur forma.

Quumque hæc absoluta fuerit, temperamentum accedit æquabiliter toti conspersum, *& nova protinus forma inducitur*: ac tum vere efficitur diversorum in unum atque idem concretio. Quoniam enim à forma & ejus vi totum subsistit, consentaneum est, id ipsum ab unica & consimili, unum simplexque fieri.

Sub qua latent formæ elementorum.

Quæ porro in hoc genito simplici corpore manent exiguæ *elementorum portiones*, suis quidem *formis* integræ subsistunt, non tamen liberæ aut sui juris, sed implicitæ, vinctæ, & quasi *intercepta* mutua qualitatum pugnantia, atque etiam dignioris formæ præsentia. Unde pristinas sibique inditas vires expromere non valent, neque ignis urere, neque aqua impendio refrigerare. Solum igitur potestate insunt: atque sic, ut, cum temperamento per obitum dissoluto ad se redibunt, partesque propriis elementis reddentur atque restituentur vniversitati, nullius imperio obstrictæ in libertatem vindicentur resumantque pristinas vires.

Et habent se instar materiæ.

In hunc modum mistæ temperatæque *elementorum portiones, materia fit* totius, simplici formæ substrata.

Addita vero forma sola misti speciem constituit.

Hæc autem *forma* seu perfectio sui ubique persimilis est adeo, ut non modo particulæ quæ sub aspectum recidunt, & quæ ex tenuibus elementorum portionibus constant, sed & ipsa elementorum fragmenta, quæ seorsum non aliis permista substantiis intelligimus, *totius speciem* gerant. Mistum enim jam est horum unumquodque, totiusque temperamentum accepit: nihil igitur prohibet quo minus compositi totius species immigret in omnia.

Nec absurdum, duas formas eidem inesse parti: unam ut præparationem, alteram ut perfectionem.

Neque vero *flagitium est fateri, duabus illa formis ornari*, quarum una actu præsentique imperio, altera ad tempus abrogata & antiquata, potestate duntaxat insideat. Ergo quæ fuerant olim diversa, ignis, aër, aqua & terra, nunc in similaris corporis compositionem dum confluunt, eandem similitudinem speciemque gerunt, omniumque fit in unum atque idem concretio.

Hæc fuerit nobis tanquam levis armaturæ prima disputationis excursio, quæ simplices rerum naturas persequuta sic coëgit, ut in ὁμοιομερῶν compositionem conjecerit omnes ac illigaverit.

Libri secundi de Elementis finis.

LIBER

LIBER TERTIUS DE TEMPERAMENTIS.

CAPUT I.

Quid temperamentum, utque id perperam definierit Avicennas.

Ex Aphrodisæo de mixtione, statim post medium.

Elementorum confinio proxime juncta est atq; connexa *temperamenti* proprietas, quæ quodammodo propago & soboles permistionis est. In hac cognoscenda atque tractanda rerum continuata series expostulat, ut ab elementorum vi & natura rursum exordiamur, & ab ea maxime qua modo ac plane paulo ante destitimus.

Principes qualitates in mistione virib. quodammodo æqualibus debent concurrere.

Simplices mundi naturæ, quo in permistione integræ & incolumes servarentur, & ne si pauca multis, aut parva magnis componerentur, debiliorum occasu ea quibus multum esset roboris ac virtutis potius accrescerent quam perfunderentur, *æquales quodammode esse debuerunt*. Hanc æquabilitatem *non magnitudine* molis, non pondere metiri licet, quod terrę quam cęterorum elementorum uberior est in nobis copia: *sed potestatis vi & efficientia*, cui omnia plane accepta referuntur. Vis autem ea atque facultas non nisi efficientium & principum qualitatum, quæ in mistis elementis sunt, observatione æstimatur.

Hæ perraro usquequaq;, sæpius quodammodo pares confluũt, nempe mediocritate quadam, quę non utiq; individua, verum *latitudine* definita limitibus coërcetur, in quorum ambitu mistio contineatur: hos autem ultra citraque interitus est atque dissipatio.

Quarum Harmonea Temperamentum est.

Quæ igitur intra mediocritatis hujus limites inciderit principum qualitatum concursio, ut mistionem, sic & continuo temperamentum progignit. Est autem *temperamentum, non ipsa mistio, sed mistionis ratio*. Poterit & id earum quę in mistis elementis sunt principum qualitatum harmonia & concentus definiri. Ut in cantu & fidibus soni longis locorum intervallis distracti, aut conjuncti quidem, sed dispares & non pro rata portione distincti, concentum haudquaquam efficiunt, nisi primi cum ultimis temperati, & medii utrisque respondentes æquabiliter dulci sono aures compleant: ita neq; divulsorum elementorum qualitates, neq; coëuntes illæ quidem temperamentũ efficient, nisi moderata & cõcordi quadam mediocritate sese mutuo complectantur.

Quare non est ipsa mistio.

Non igitur ipsa rerum primordia per se & absolute perpensa temperamentum sunt: neque illorum mistio, sed mistorum comparatio. Tametsi re ipsa & subjecto finitima sunt & plurimum consentiunt elementorum mistio & eorum proportio, rationibus tamen illa disjuncta sunt.

Non desunt qui temperamentum à mistione hoc discrimine sejungunt, quod hæc maxime elementorum propria sit, illud vero qualitatum.

Non tamen sola qualitatum moderatio.

Nos autem illa tametsi quodam ordine se consequi videmus, sic tamen juncta sunt, ut *sola* neque mistio citra efficientium qualitatum opem, neque sine elementorum omnium substantia temperamentum induci possit. Non enim si quis aquam & ignem paribus quodammodo portionibus coire statuat & coalescere, mutuaque repugnantium qualitatum vi temperationem quandam inferri, ea protinus temperamenti rationem subeat, ut neque ex duobus illis facta perfusio, exacta mistio censetur. Perfectum enim non est, sed inchoatum, atque mancum, quod ex duorum triumve duntaxat elementorum connexione fit: cujusmodi est plurimum genus eorum, quæ ex sublimi deturbantur, μετέωρα Græci vocãt.

Sed virium quæ à qualitate sunt & mole.

Quocirca temperamentum concentus quidam est quatuor principum qualitatum ex omnium elementorum permistione.

Hanc temperamenti rationem cum minime perspiceret, nec satis animo complecteretur:

Ideoque nec quinta aliqua qualitas. *Fen. 1. li. 1. Doct. 3. cap. 1.* ... cteretur *Avicennas*, subabsurdam commentus est definitionem: qua primarum qualitatum effectione mutua, *quintam qualitatem* eamque simplicem *emergere confirmat*, quæ una superstes reliquis in congressu pereuntibus, omnium vires potestate complet, easque quasi suo sinu complexuque recipit.

Prima ratio. Id autem quam *absonum* sit, quamque secum pugnet, hoc inprimis patefacit, quod fieri nequit ut omnes per actionem qualitates dissolutæ evanescant, neque non ea tandem superet, quæ validior cum esset, conflictus principia dedit.

Secunda. *Sed* esto, donemus hoc, exorto temperamento omnes illas periisse: quænam tum restabit in genito corpore contrariorum repugnantia?

Tertia. Si plura illi non insident, atque ea contraria, qui fiet temperamenti per singulas ætates conversio? Quæ insita erit illi causa morbi, senii, vel interitus?

Quarta. *Adde* quod neque dum corpus dissolutione occidet, poterunt simplices naturæ in universitatem recurrere suis instructæ qualitatibus. Illas enim unde sibi resument, quæ jam dissipatæ in composito non manent?

Itaque novam illam qualitatem pro temperamento invehere, cum vanitas quędam sit opinionis, quæ multorum animos imbecilles diu multumque vexavit, nos clarissimorum philosophorum imitatione, ut elementorum substantias, sic omnino & qualitates in composito teneri fatemur, ex harumque perfusione & concentu temperamentum consistere.

CAPUT II.

Contraria in idem confluere, & unde singulorum vires æstimantur.

Averrhoes 2. de gen. & corr. text. 48. *De viribus ratione qualitatum.* QUam illæ varie comparari soleant, æstimari certo non ante potest, quam sigillatim cujusque *vires quanta* sint expenderimus.

Hæ qualitates summæ mixtis insunt. *Averrhois*, ut est in omnes fere contumeliosus, sic & *Galenum* erroris falso insimulavit, quod *summas elementorum qualitates* in temperatione haberi censuerit. Hæc dum paucis immutatis corrigere vult, omnia depravasse videri potest, qui tum species, tum qualitates elementorum ad mediocre quiddam in concretione retundi reprimique putat.

Lib. 1. de abd. rer. caus. In illa formarum remissione quantum sit lapsus, perpensum à nobis alio loco est.

Non mediæ. *Ratio prima.* Nunc vero si qualitates summas in confusionem quandam adductas, ait sese mutuo posse ad mediocritatem deducere, cur non similiter sese prorsus interimunt? Sunt sane media hæc, uti & summa, inter sese contraria.

Instantia. Scio opinationem quandam apud *neotericos* pervulgatam esse, qua illi instant atque urgent summo cum studio, contrarias qualitates remissis quidem gradibus convenienter congruenterque concurrere, summas vero haudquaquam posse.

Ejus solutio. Neque tamen ulla in id probilitate se muniunt: si enim repressæ qualitates peræque inter se pugnant ac summæ, neque modo extremis extrema, sed & media mediis adversantur, cur eæ quam summæ potius in idem coibunt?

Ratio secunda. Quemadmodum calor numeris quatuor definitus, & frigus pari recessu constitutum, cum miscentur, teporem ingenerant, sic prorsus accidere compertum est, si extremis illa numeris concurrant. Nam aqua quæ ex ferventissima & æque gelida paribus portionibus permiscetur, mox tepescit, ac si ex mediocribus temperaretur. Quis enim eo impudentiæ veniat, ut in eo tepore extrema derepente aboleri dicat.

Ratio tertia. *De categoriis cap. 10.* Nonne palam confirmat *Aristoteles*, media, extremorum copulatione congressuque nasci, hocque uno à privantibus, quæ στερητικὰ dicunt, diffidere? Nihil aliud teporem esse judices, quam calidi frigidique pari portione confusionem.

Lib. 1. de elem. c. 6. *Ratio quarta.* Ergo summas elementorum qualitates in permistionem & temperamentum coire *Galeni* fert opinio, non illa jacet suis patrociniis destituta: sed præter commemoratas hac se fulcit sustinetque ratione, quod æquales quodammodo esse cum debeant, non magnopere sese valent commutare atque infringere: quocirca permanent quales ferme puris simplicibusque elementis inside-

insidebant, hoc tantum discrimine, quod nunc per totas confusæ eandem communemque materiam obsident.

1. Objectio. Quod ab *Aristotele* scriptum videmus, summas in permistione qualitates summam vim concursu adimere, & adusque moderationem quandam reprimere:

2. de gen. citat. Solutio. De viribus id omnino accipiendum nobis est. Nam qualitates tametsi nullo modo repressæ sunt, contrariarum tamen perfusione quasi vinctæ inhibentur, ne suas summas vires exhibeant: hinc virium acumina exuperantiasque retudisse perhibentur.

Contrariarum autem perfusione inhibentur.

2. Objectio. Solutio. Ita contraria eodem subjecto contineri inficiamur.

Idcirco sane, quod simul illa una eademque sede dominari & excellere nequeunt, neque quicquam possit à contrariorum utroque nomen obtinere, sed ab eo duntaxat cujus vis præstat atque vincit. Ubi longo intervallo impares concurrunt qualitates, addubitare non licet mox à præcellente infirmiorem obliterari, nec continenter esse uno & eodem statu. Quinetiam quæ in permistionem & temperamentum venerunt, quodammodo pares, etiam si per initia non luculenter se vicissim demoliuntur, diuturnitate tamen & dierum numero, disparili proportione evadunt. Sic per ætates temperamentorum incidit conversio, sic morborum, sic senii & occasus ingenitam nobis causam circumferimus.

Et tractu temporis obliterantur.

Hactenus *Averroïdis* cavillatio effecit, ut in hæc, si non præter rem, longiuscula tamen oratione diverterim. Sed quam commentitia fuerit & futilis contentio, inde perspicitur, quod sive summas in permistione qualitates, sive illarum duntaxat dimidia manere statuamus, eadem utrobique proportio constabit, idemque temperamentum: nam quacunque proportione fuerint integra, eadem erunt & illorum (ut ita dicam) medietates.

Quinta ratio.

Sed labor fortasse longius: eo revertar unde huc declinavit oratio.

Quæ in misto corpore nectuntur elementa, neque suæ mobilis pondere, neque qualitatum ordine sive gradu, ut qui omnibus summus inest, sed virium comparatione temperamenti speciem proferunt.

Vires autem *qualitatis ordinem* ejusque in substantia *molem*, neutrum vero seorsum consequuntur, sed ex utrisque spectantur & consistunt. Qui enim in pusillo igne inest calor, eodem est ordine atque qui in ampliore consistit: minus tamen calefacit, quia non parem molem obtinet. Contra autem ignitum candensque ferrum tametsi depressiore quam flamma est calore, vehementius tamen & acerbius urit, quoniam densa multaque substantia præditum est. Neque igitur cui intensus est calor, id statim acrius calefacit, quam cui depressior est: neque quod fusum & ampliorem consequutum est calorem, id impensius calefacit, quam cui in angustum est coërcitus, sed utrinque virium ut dixi robur æstimandum. *Sed vires non in sola qualitate sed & mole consistunt.*

Id autem cum animo & cogitatione complecti difficile atque arduum videretur, medici juxta ac philosophi sensibus tanquam incorruptis & integris judicibus confirmandum duxerunt, omnium vires ex efficientia & operibus tactu convenienter æstimantes.

CAPUT III.

Temperamentorum differentiæ quot qualesque sint.

Ex Galeno 1. de temperam. c. 8. Harum virium diversitas temperamentorum differentias dat. Temperamentum temperatum.

HUnc in modum separatim examinatæ vires, si deinde in communionem & societatem relatæ comparentur, *temperamentorum differentias* ostendent.

Quatuor naturarum cum æquales vires in unum coierint, ut calidi, frigidi, humidi, siccique pares sint portiones, temperies illa conficietur, quam *temperatum* justumque *temperamentum* dixere, cæterorum legem & regulam.

Quodcunque autem ab hoc desciscit, & disparibus inter se elementorum viribus continetur, *intemperatum* immoderatumque appelletur & intemperies. *Intemperatum.*

In ea dispari copulatione necesse est omnino, *aut unum reliquis tribus excellat*, *aut* ad summum *duo*: tria nunquam possunt. *Idque vel simplex vel compositum.*

Cum igitur quatuor sint ea, ex quibus tempe- *Simplicia quatuor.*

Simplicia quatuor.

temperamentum absolute conficitur, singulorum exuperatione *simplices quatuor* creantur temperaturæ: *calida* quidem in qua calor frigori antecellit, humoris autem & siccitatis æqualitas est: *frigida* in qua frigus vincit atque dominatur: *humida* cujus humor primas obtinet: *sicca* ubi humore siccitas potentior est, paribus iis quæ in altera oppositione sunt contrariis.

Conjugatæ quatuor.

Quatuor sunt & *conjugatæ* temperaturæ, quæ duorum simplicium exuperantia processerunt seque extulerunt. Nam duæ cum sint oppositiones limitibus quatuor conclusæ, neque unius utraque possit extremitas principatum obtinere, fit necessario ut non plures duabus excellant. Eodem rationis momento fit, ut quamvis sex numerando percenseantur conjugationes, illarum tamen quatuor duntaxat possit natura consistere. Hæ sunt *calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca*: quas conjugatas quatuor temperaturas aut compositas appellant.

Ex Galeno ibid. c. 9.

Novem igitur sunt temperamentorum genera, quæ permistionis differentias & proprietates consequuntur: unum temperatissimum, quod paribus omnium conflatum portionibus extremorum medium possedit. Intemperata octo: simplicia quatuor, totidem composita.

Horum temperatum nullam, in temperatum magnam latitudinem admittit.

Temperatissimum quod est, individuum & omnis *expers latitudinis* quasi punctum intelligitur: *cætera* quæ ab hoc recesserunt, *longe lateque fusa* sunt: neque enim quæ calida dicimus, omnia pari à mediocritate intervallo distant, neque aut frigida, aut humida, aut sicca, uno eodemque omnia sunt ordine. In compositis porro evincentium qualitatum aut par est recessus, aut alias alia antecellit. Etenim calidum siccumque appellamus, sive illa pari sunt ordine, sive calidum sicco præstat, sive contra A siccum calido. Unde intelligitur octo cum sint imparia temperamenta, uniuscujusque tamen ex majore minoreque recessu innumerabilia fieri discrimina, ex quorum proprietatibus tum similium partium, tum infinitæ corporum naturæ & proprietates consurgunt atque constant. Hoc præclare *Lucretius* poëmate cecinisse visus est:

> *Debent nimirum non omnibus omnia prorsum* Lib. 2.
> *Esse pari filo.* Et rursum. Lib. 4.
> *Semina multimodis in rebus mista tenentur,*
> *Constituunt eadem fruges, arbusta, animantes,*
> *Verum aliis alioque modo commista.*

Ex Gal. ibid. c. 4.

Et temperatum aliis diutius persistit integrum.

Si affines in permistione qualitates erunt, *constans diuturnumque temperamentum* B fiet: sin discordes, inconstans prorsusque mutabile. *Quod mediocre* definivimus, id (quia in summa rerum æqualitate, vix ulla potest aliam vincere atque dissipare) omnium diutissime speciem suam tuetur & sustinet, idque tum à se, tum ab externis causis minus afficitur: deinde quæcunque illi confinia & finitima sunt: quæ autem ab illo abscesserunt & longiore intervallo disjuncta sunt, celerius intercidunt atque dissolvuntur.

Non ita calidum humidum.

Calidum humidumque omnium minimum C statu suo permanet (quanquam fortasse id unum præter cætera in plurimos annos vitam perducit) adeo ut ne constare quidem ipsum posse multi sint opinati: cum enim assidue nulloque puncto temporis intermisso humor vi caloris dissipetur, pro calido humidoque temperamento, brevi tempore calidum simpliciter irrepet: hoc deinde in calidum siccumq; traducetur. Sub hæc vero dum absumpto exhaustoq; humore, calor alimento fomentoq; destitutus sensim languescet, siccum absolute succedet: ab hoc vero cum jam calor plurimũ disjectus atque fusus extabuerit, siccum & frigidum, quod omnium vere postremum statuitur.

CAPUT IV.

Quid justitia, quid pondere temperatum? utrumque in rerum natura vere subsistere.

Ex Galeno 1. de temperam. c. 5. & 6. & lib. 2. cap. 1.

Hi qualitatibus.

SImplicia quæ diximus quatuor *rerum initia*, omnium quas mundus habet substantiarum *extrema* summe contraria tenent: horum *in medio collocata* sunt *reliqua* eorum quę gignuntur intereuntque corpora, & animalium & stirpium & inanimorum omnium.

quod exacte medium temperamentum ad pondus est.

omnium. Quodcunque *medium ad unguem* obtinebit, *extremorum exacta aequalitate permistisque paribus viribus concretum*, id εὔκρατον, id est, temperatum appelletur: quod ipsum & in universa substantia vere ac prorsus *pondereque* (ut dicere solent) *medium* habetur.

Quod in suo genere medium temperamentum, ad justitiam est.

At vero si in toto vel corporum, vel viventium, vel animalium genere, vel in uniuscujusque animalis specie extrema sint constituta, extra quae nihil possit illiusmodi consistere: totius comprehensae latitudinis medium quiddam mente complectemur, quod quia ab extremis illis pari abest intervallo, & εὔκρατον, id est, temperatum, & σύμμετρον, id est. consentaneum atque moderatum dicetur: non quidem simpliciter, sed in suo genere vel specie. Id quasi *justitiae ritu temperatum* omnino *est, quod generis sui decoram* B *illam & consentaneam aequabilitatem est adeptum, qua tanquam numeris omnibus & partibus absolutum, salubriter, integre & naturae suae congruenter se gerit, omnibusque muniis, ad quae natura sua ducitur, incorrupte fungitur.*

Quod in aliis, aliud.

Alia autem inanimorum, alia stirpium *mediocritas*, alia animantium: & in animantibus, alia rursum hominis, alia leonis, alia equi, alia canis. Neque leo temperatus eodem est temperamento atque homo temperatus.

A quo qua discedunt temperamenta, intemperata quoque dicuntur.

Jam vero quia intemperatum id dicere mos est quod à mediocri medioque discessit, fient sane hujus ut & temperati complures differentiae. Leonem verbi gratia designare licet in specie sua frigidum, qui C tamen in animalium atque in universe substantiae genere, imo fortasse & alteri se frigidiori collatus, calidus sit. Hunc substantiam quidem calidam, & animal calidum, at vero leonem frigidum esse quis recte dixerit: alias simpliciter, alias comparate pronuntians.

Intemperatum enim vel simpliciter, vel comparate dicitur.

Illud unicum.

Hoc triplex.

Quod enim ab universae substantiae medio recessit, id simpliciter intemperatum est, parem non obtinens extremorum portionem. At *comparata vel genus generi confertur*, quomodo animal calidius, stirps frigidior est: *vel speciei species*, sicque leo calidus, homo autem frigidus est. vel *singula singulis*, quae aut eodem sunt genere, aut in diversis. Comparate autem contraria de eodem enuntiari nihil prohibet, cum sit homo leoni comparatus frigidus, formicę vero calidus.

A Tot igitur modis & temperati & intemperati notiones usurpare consueverunt. Quibus qui involutas ambiguitates non distinguent, eos necesse est in salebras incidere operosisque nexibus implicari.

Temperamentum ad justitiam datur.

Quod *justitia temperatum* appellant, id omnium medicorum firmatum est consensu, qui illud in omni tum genere, tum specie *inveniri* non dubitant.

Temperamentum ad pondus negant Arabes.

At vero quod vere & quasi *pondere temperamentum* intelligitur, nec haberi, nec in rerum naturae ordinem (tanquam sit repugnantia) *admitti* posse, contentione decertant *Avicennas, Averrhoes*, & quicunque in Arabum familiam se tradiderunt. Fieri enim non posse existimant, ut ex paribus contrariorum viribus mistum quippiam emergat, quod nulla actio, nulla ad moderationem repressio illorum concursu obtingat.

Sed male. Prima ratio.

Hinc *Avicennae* temperamentum (qualitas nimirum quinta ex elementorum confusione recens nata) fieri nullum potest usquequaque & sine ulla exceptione medium, sed id necesse est in extremorum aliquod esse propensius.

Caeterum multo aliter res habet.

Nam si elementorum summae qualitates ut & substãtię in permistione non pereunt, sed asservatę temperamentum constituunt; nihil prohibet, aequis illas portionibus mistas, exquisite temperatum proferre, quod in proportionis situm est aequabilitate. Licet enim in illa aequabilitate non tanta sit mutua qualitatum actio, quae vel abolitionem vel repressionem contrariorum moliatur: tanta tamen est ut paria contraria possit confundere ac vere permiscere in unum temperamentum: minus enim virium & inaequalitatis contrariorum temperatio desiderat, quam illorum dissolutio atque occasus.

Altera ratio.

Ergo perfecte & aequo pondere temperatum in natura rerum haberi, tum per haec palam fit & apertum, tum etiam quod dum ex frigido humidoque temperamento in calidum siccumque quiddam abit, necesse est per hanc deduci mediocritatem. Ea autem ubinam & quomodo subsistat, in conspectu atque oculis omnium mox erit, ubi internoscendi temperamenti summam rationem attigero.

CAPUT V.

Hominis tactum, discernendi temperamenti legem esse & judicem.

Ex Galeno ibid. & 2. de temp. cap. 2. *Temperamenta ex Elementorum viribus cognosci nequeunt.*

QUisquis compositi corporis temperamentum ex inferis elementorum portionibus æstimare volet, cognitionem multis obstructam difficultatibus & à rebus obscuris petitam suscipiet: *occulta* enim sunt & penitus abditæ *simplicium vires*, adeo ut judicii nostri infirmitas, quanta sit cujusque in concretis portio, invenire sepoſſe diffidat.

Sensu optime noscuntur. Ratio 1.

Horum igitur siquid certum reddi potest, *id* non nisi *sensuum beneficio comparandum*, per quos notiones rerum in animis imprimuntur.

Quicquid enim animo cernimus, id omne originem traxit à sensibus. Quemadmodum colores internoscimus consuetudine oculorum, & de odoribus judicaturi olfactui fidem habemus: sic opinor & de principibus qualitatibus quæ sub tactum recidunt, non est tactui fides abroganda, sed cuique sensui de iis quæ perceperit & de propria objecta re judicaturo, tanquam exploratori & vero nuncio credendum.

Ratio 2.

Si quis forte spreta fideli sensuum constantia & authoritate, omnium quæ objectantur demonstrationes requirit, quibus olorem album esse, corvum nigrum, ignem calidum, glaciem frigidam sibi persuadeat, is profecto desperata cognitione certi, omnia in suspicionem & ignorantiam trahet.

Lucret. lib. 1.

Quid referemus enim quod nobis certius ipsis
Sensibus esse potest, quo vera ac falsa notemus?

Sublatis sensibus, qui quasi fundamenta quædam sunt scientiarum, nihil jam quicquam relinquetur, unde sumi possit demonstrationis exordium.

Idem Lib. 1. & lib. 4.

Invenies, primis ab sensibus esse creatam
Notitiam veri, neque sensus posse refelli:
Qui nisi sint veri, ratio quoque falsa fit omnis.

Cum igitur sint illorum judicia tanquam communes animi notiones Geometris appellatæ, si quid illis ad demonstrationem præponetur, jam omnis doctrinæ ratio in confusam perturbationem acta concidet, atque ex posterioribus superiora necessario connectentur.

Et quidem quæ actu, Hominis tactu.

Ergo *quod ἐνεργείᾳ* inest, re ipsa, aut (quod dicere solent) *actu*, calidum, frigidum, humidum, siccumve est, id *tactu* liceat internoscere, non leonis quidem aut equi, aut canis, sed *solius hominis* tactu, qui tum dignitate tum temperamenti mediocritate cæteris antecellit. Qui enim eam aut asino potius quam homini animantium prudentissimo ac sapientissimo, discernendi scientiam defert, præterquam quod ridiculus habetur, rerum cognitionem nobis adimit, asinis vero largitur, à quibus nunquam possumus erudiri. *An* (ut inquit *Tullius*) *dum bestiæ loquantur expectamus, hominum consentiente authoritate contenti non sumus?* Ne quis igitur angustos sensus nostros reddat, aut nos omni rerum cognitione privet, hominis prudentiæ præstantique naturę tactus temperiem committemus, quæ reliquorum omnium lex sit & regula.

Orat. part. Mal.

Sed hominis temperati.

Atque ejus potissimum *hominis, qui* optimi sit habitus, quique omnium judicio *temperatus*, si non omnino, at certe quasi justitia quadam censeatur. Is itaque quod omnium quæ sub sensum veniunt calidissimum est, velut ignem aut aquam quæ ad summum ferveat, calidissimum quoque decernet: nivem aut glaciem frigidissimam: quod paribus illorum modis dimensionibusque perfusum componetur, id ut in medio extremorum situm, sic in calore & frigore temperatum pronuntiabit, neque si manum in id demittat, inde quicquam afficietur aut sentiet. Rursum terram vel cinerem, vel tale quippiam quod plane sit aridum, si pari aquæ modo conspergatur, ut humidi siccique vere medium obtineat, id demum tangens atque tractans neque durum neque molle sensu percipiet. Unde inde intelligitur hominis utcunqne temperati tactum illis esse persimilem, esseque hunc vere medium omnis exuperantiæ, calidi, frigidi, humidi & sicci.

In cute digitorum.

Is autem cum *per* totam *cutem* æquabiliter fusus sit, quæ rerum externarum appulsus sentiat, palam fit, hanc quoque omnium extremorum vere mediam haberi, & omnis

nis ſuperationis expertem, eam præſertim quæ manum integit, maximeque *ſummos digitos*.

Quocirca huic rectè internoſcendorum temperamentorum æqua æſtimatio regulaque cognitionis & judicii defertur.

Si ea præter naturam ſe non habeat. *Si* modo ab his quæ extrinſecus occurrunt, ut à calore, ut à frigore, *nihil ſit converſa*, neque ullam commutationem acceperit, neque uti foſſoribus callo ſit obducta. Quæ enim ſic affecta erit, improba & iniqua æſtimatione in errorem inducet: ita A quidem monente *Lucretio*.

Denique ut in fabrica ſi prava eſt regula prima, Lib. 4.
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſum eſt:
Prava, cubantia, prona, ſupina, atq; abſona recta,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Quocirca in judicium & tactus æſtimationem cutis adhibenda eſt, quæ talis omnino perſtiterit, qualem natura eam conformavit: nam & mox erit manifeſtius, ex ſua illam compoſitione temperiem accepiſſe.

CAPUT VI.

De ſingularum partium corporis humani temperatura.

Ex Galeno 2. de temper. cap. 3. Sed quæ tactu inventa, ratione confirmantur. VT primum tactus æſtimatione, ſic rurſum ſubſtantia & compoſitione partium corporis humani temperamenta noſcuntur. Sanguis totus natura calidus eſt, ex hoc caro tota ferme condita eſt, quæ idcirco compoſitionis partium tanquam lex quædam nobis eſſe poteſt. Cernuntur & in nobis quædam uſque eo frigida, ut nemo ea poſſit in dubium & controverſiam adducere: quod genus ſunt oſſa, cartilagines, & exanguia omnia: quæ tanto ſunt frigidiora quanto minus ſanguinis & carnis adepta ſunt. *Quæ & cutis temperata eſt.* Inter utraque plane medium quiddam eſt cutis, ex ambobus æque permiſtis conſtituta, tanquam ſanguine & carne præditus nervus. Conſtat enim ex carne molli, & nervo duro: ac proinde duri molliſque, & humidi ſiccique medium C occupavit. Quo fit ut ab utriuſque oppoſitionis extremis pari intervallo ſejuncta, æquis eorum portionibus temperetur, neque iis quidem compoſitis modo, verumetiam per totas commiſtis. Quocirca ut ſenſus judicio, ſic & fabrica compactioneque, *cutis* videtur *media temperie* contineri.

Partium calidarum ordo. Reliquarum autem ſimilium temperamenta ſic illius comparatione dimetimur. Spiritus omnium quæ in corpore ſunt *calidiſſimus*, hoc ipſo cor minus calidum, deinde ſanguis, poſt hunc caro ſimplex: hanc ſequitur jecur, hoc lien, lienem renes: cutis his ſuccedit temperata.

Frigidarum ordo. Ab hac in *frigidum* propenſus eſt adeps, deinde cerebrum: hoc frigidior ſpinæ medulla, hac frigidiores ſunt nervi molles, de- B inde ſequuntur duriores motibus accommodati, ab his eſt vena, deinceps arteria, poſt hanc membrana, his omnibus frigidior eſt tendo, hoc rurſum frigidius vinculum: chondroſyndeſmos proximus eſt: deinde cartilago: os ei finitimum: ab hoc pilus eſt, ultimo loco pituita omnium quæ in corpore ſunt frigidiſſima.

Siccarum ordo. Quæ alterius oppoſitionis ſunt qualitates, illis à natura hoc modo ſunt inditæ. Pilus omnium eſt *ſicciſſimus*: hunc ſuo quæque ordine deinceps conſequuntur, os, cartilago, chondroſyndeſmos, vinculum, tendo, membrana, arteria, vena, nervus motui deſtinatus. Ab his cutis ſuccedit temperata.

Humidarum ordo. Hinc in *humidum* jam abit nervus ſenſui deſignatus: cor hoc ipſo jam eſt humidius: deinde ſunt renes, jecur, lien, caro ſimplex. His ſuccedit pulmo, poſt hunc eſt ſpinæ medulla, dein cerebrum, mox oſſium medulla, adeps proxime illi eſt, ſubſequitur ſanguis, poſtremo pituita omnium quæ in nobis ſunt, ut frigidiſſima ita humidiſſima.

Poſteriorum ordo tactu. Hæc poſterior *humidorum ſiccorumque ſeries tactus* judicio confirmata eſt, cui & ſubſtantiæ compoſitio prorſus conſentit. Cum enim in nobis dum vivimus non ſumma ſit vis frigoris, per quam valeat quicquam in duritiem concreſcere, neque extremus is calor inſit, qui concreta liquare poſſit: quicquid tactu molle deprehendetur, id quoque humidum; quicquid durum, id ſtatim ſiccum cenſeatur. Sic igitur dum in nobis vigebit moderatus vitæ calor, humidi ſic-

cique

cique tactus erit æquus æstimator & arbiter.

Primum tactu & ratione cognoscitur. Cæterum *altera oppositione* qua ad veterum imitationem partium temperamenta digessimus, neque tactu omnia, neque substantiæ compositione, sed *nunc hoc, nunc illo,* alias utroque modo singula dimetimur. Cor tactu solo definitum est calidissimum, quod dissecto animantis pectore, digitisque in sinistrum cordis sinum immissis, sentiatur hic locus omnium qui in animali sunt calidissimus. At si substantia spectetur, cor simplici carne frigidius existet. Venæ & arteriæ quia spiritus & sanguinis contagione incalescunt, possent perinde atque cor calidæ censeri: cæterum ex compositione qui exangues sunt, inter frigidas habentur.

Unde quoque colligendum temperamentum Pulmonis. Porro autem *pulmonis* sive compositionem, sive calidum biliosumque nutrimentum, sive cordis vicinitatem & adhæsionem respicies, illum sane jecore tum calidiorem tum multo sicciorem judicabis. Quid igitur *Galeno* in mentem venit ut humidum hunc statuat, nisi fortasse ab inducto aëre frigido & ab irruente defluxione, atque omnino ab excrementis illi temperamenti rationem indidit? *Loco citato.*

Adipis. *Adeps* concretione frigidus censetur, cujus tamen substantia ad inflammationem apta & habilis calorem significat.

Cerebri. Gal. lib. 2. de us. part. cap. 2. 3. *Cerebrum* substantiæ compositione *Aristoteles* frigidissimum prodidit: hoc *Galenus*, tactum judicem cum adhibuerit, cumque à circumfuso quovis aëre refrigeratum lædi cognoverit calidum esse contendit.

Itaque de partium temperaturis nonnisi distinctione adhibita quicquam certo licet pronuntiare.

CAPUT VII.

Ex Galeno 2. de temp. cap. 1. & ult.

De universi hominis temperamento: neque vivus omne calidum esse.

Totius corporis temperamentum unde sit. Dissimilium partium atque *totius animantis temperamentum,* ex similium compositione, imitatione quadam exprimimus. Nam os, nervus, aliaque similia, suis substantiis integra manent in nobis, neque similiter atque elementa in confusionem adiguntur, qua sese vicissim convertant. Ab his tamen singulis calidis, frigidisque, par est, tum *humores* quosdam atque vapores, tum vero *& spiritus*, communiter in omne corpus erumpere, qui deinde variis præditi qualitatibus variisque temperamentis, in unum commeantes atque confusi, sese demum temperent, fiatque ceu unum totius temperamentum, non illud quidem simplex, sed ex multorum concursione conditum.

Hinc eorum *error* plane *coarguitur* qui simplicem qualitatem id esse proponunt, cum apertum & perspicuum sit, similem quamque partem proprium & ingenitum retinere temperamentum, neque ex mutatis illis simplex unum totius effici.

Cutem eodem esse temperamento atque totum corpus. Ea communione evecti tum vapores tum spiritus, *in corporis extima* in ipsamque cutem confluunt, eamque sic afficiunt, ut hac moderatione prædita, eo prorsus sit temperamento quo & universum corpus: siquidem ab his quæ extrinsecus imminent causis, adventitiam illa constitutionem nullam acceperit. Quo fit ut solius cutis contactu liceat de universi corporis temperamento pronuntiare.

Totum corpus esse temperatum ad pondus. 1. Ratio. Quemadmodum igitur ante demonstratum est, cutem universæ substantiæ medium obtinere, sic fiet puto ex his manifestum atque promptum, *hominem* qui justitia sit temperatus (quales plerique passim visuntur) eundem quasi *pondere* & iu universa substantia *temperatum* inveniri.

2 Huc accedit, quod singulæ partium temperaturæ seorsum æstimatæ, in commune relatæ si comparentur, calidæ frigidis, & humidæ siccis, omnium quædam æquabilitas accersetur, & cognoscetur homo partium suarum compensatione temperatus.

A quo levi de causa decidit. Tales plerunque sensus comprehendit exili *quadam latitudine* à medio disjectos: nam exquisite & ad unguem temperatus, ut individuo quodam ceu puncto diutius consistere non potest, sic quasi regulam & cæterorum exemplar illum cogitatione quam re potius complectimur atque infor-

Non semper ad calidum humidum. formamus. Palam est autem, alios quosdam ab hoc deficere, alios superiores esse, A & hi verbi gratia calidi sint, illi frigidi: idcirco neque vivens omne dominatu calidum haberi.

Cæterum quo hæc illustriora clarioraque evadant, incudi illa reddere & *iterum tundere* consilium est.

Quod enim explicatum à nobis est *hominis temperamentum, ex partium omnium prima commoderatione, & ex spiritus tum vagi tum fixi affusione* id componi tenerique sentiendum.

Duplex enim corporis temperamentum Mortui; quod frigidum. Quandoquidem propria cujusque *partis temperatura* quam quatuor elementorum B permistio tulit, non alia inest viventi atque *animali* jam primum *extincto*. Si enim derepente id suffocatum de vita decessit, corporis partibus quæ superant non sic puncto temporis sua potuerunt temperamenta perire, neque fieri potuit ut quædam elementa tam subito evanescerent aliis recens genitis, novaque proportio illis accederet nondum mutua affectione commutatis. Quocirca ut demortui ita vitam agentis unaquæque particula frigida videtur, atque si ea quæ ex primorum elementorum comparatione est temperatura spectabitur, plus terræ quam cæterorum obtinere.

Galenus 1. aph. 14. 15. Spiritus qui corpus regit, id calidum. Unde intelligitur, *viventis* eum *calorem* C qui per corpus diffusus omnia regit ac moderatur, & cujus appulsu vita inest, cujus excessu mors irruit, à partium temperamentis differre, neque ab his proficisci. Sic propemodum & stirpibus suum quendam inesse calorem, cujus ope alantur, increscant, atque generent: quo demum pereunte omnis quoque naturæ actio intermoritur: licet quæ tum supersunt, folium, lignum, cortex, ut vetus nomen, sic suum ex elementis temperamentum retineant.

Calorem hunc in cunctis viventibus tum animantibus, tum stirpibus non solum inesse, verum etiam principatum tenere, celeberrimi quique philosophi prodiderunt. Cum enim omnis ab illo naturæ sit actio, calidum vincere, & in actionibus superare, pronuntiant: neque modo formicam aut salamandram, sed & papaver quoque & mandragoram, quod non nisi excellente calore & nutriantur & increscant, calida constituunt. Quem in modum confirmavit *Aristoteles* omne animal natura calidum humidumque esse, qualis vita quoque ipsa censetur: demortuum vero, frigidum siccumque singula sic sensus judicio fuisse comprobata. *Lib. de longitud. vitæ. c. 2.*

Jam vero quod in presentia scrutamur *corporis temperamentum*, neque hoc illud est, sed ex *utroque quodammodo complexum* tenetur. Neque enim salum vitæ calorem qui functionum opifex est spectamus, ut ab hoc vivens omne, calidum judicetur: neque solum primam illam & vere materiatam ex elementis concretionem, qua unumquodque frigidum est: sed id proprium perfectumque temperamentum est, quod ex prima elementorum confusione & ex fervido calentique spiritu integratur. *Quod ex utroque conflatum est, id esse temperatum.*

Hoc itaque totius est corporis uno tactu internoscendum: quo judice stirpes omnes re ipsa & actu frigidas censebimus, animantes vero alias tota specie calidas, alias frigidas, humanam speciem omnium mediam, in qua hic calidus, ille frigidus est, alius mediocritatem tenet ceu lex quædam cæterorum. *Ratio. 1.*

Hic siquidem in extremorum medio positus, ex paribus constat portionibus, terræ, aquæ, aëris & ignis: si modo aëris ignisque appellatione non solum ea quæ vere sunt elementa, sed & genuinus spiritus & æthereus ille noster calor comprehenditur: quomodo à præclaris tum philosophis tum medicis fieri animadvertimus: dum censent animam à corpore sejungi non posse, quin simul naturali sua temperie corpus deseratur. *Ratio. 2.*

Caput VIII.

De partium interiorum temperamento: utque id tactus non simpliciter discernat.

Galen. 2. de temp. c. 3. de ulf. pulf. cap 2.

Vt totum, ita & partes interiores, ratione crassamenti frigidæ, ratione spiritus insiti calidæ.

Ad integrorum imitationem si *partium interiorum temperamenta* paulo altius exquirimus, fient singulæ *concretione frigidæ*, accedente autem *spiritu* & calore qui vitæ comes est, *calidæ: amborum comparatione, alia calida, alia frigida, quædam ut cutis temperata.*

At vero (*dicet aliquis*) viventis *interiora* si contingere dabitur, quæcunque pars adeatur, seu cerebrum, seu os pituitave sit, eam sine controversia *tactus calidam cognoscet.* Quocirca ille si æstimator est interiorum partium constitutus, omnes promiscue calidas censuerit. Et revera nihil intus cohiberi experimur, quod tangente sit cute frigidius.

Ratione spiritus influentis ea quoque calida.

Sed huic disceptationi obsistendum est, & quæstionis obscuræ solutio nobis pervestiganda. Omnes quidem intus partes tangenti calidę sentiuntur, neque tamen temperiem singulæ calidam adeptæ sunt, quod *is calor non insitus* illis sit, *sed assumptus* magna ex parte & adventitius. Illis enim præter primam ex elementis temperiem, & præter spiritus calorem, à quibus integrum fieri diximus viventis particulæ temperamentum, alius quoque calor ex cordis vicinitate & ex vaporibus accedit, ei quadam similitudine respondens, qui nobis ex igni aut ex meracioris vini potione accersitur.

Sed is ad temperamentum non pertinet.

Quoniam vero hic partium substantiam non complet, in temperamenti notione nequaquam comprehenditur: cæteroquin cordis vinculum & capsula, quæ tota est membranosa, calidiori sit temperie, quam pedis aut tibiæ caro.

Ob eum tamen solus tactus nequit interiorum partium temperamenta judicare.

His rebus adductus vix fieri posse statuo, ut de proprio *interiorum partium temperamento solus tactus* decernat, quippe cui syncerum illud & purum non occurrit, sed multo perfusum externo calore. Judex tamen bonus is esse possit una cum ratione, quæ substantiam atque structuram explorabit.

Quamvis queat totius.

Solus vero satis est de totius integrique corporis, cum reliquorum animantium tum hominis, ex æquo & bono judicium facere: atque his potissimum videtur accommodatus.

Caput IX.

Multis ex causis ingenitum temperamentum mutari: quaq; id ratione accidat.

Ex Galeno de inæquali intemp. cap 3. ul. 7

Multas causas immutare corpus.

Humanum *corpus* patibile cum sit & affectioni subditum, *ab adversis causis*, sive prægressæ illæ sint, sive antecedentes, sive proximæ & continentes, *multa soles perpeti* atque sustinere. Sic enim plerunque à cibo pleniore, à vini potione, ab æstu, à balneis, ab exercitatione incalescit vehementius, quemadmodum contrariis ex causis refrigeratur.

Non tamen mutare temperamentum.

Quæcunque ab illis inducta corpori fuerit affectio, per summa illius diffunditur & inhæret, mutabilis & inconstans, adeo ut si per se & solitariæ suæ naturæ id relinquatur, levissime transfuga à se ipsa desciscat, & tota quam mox tanquam adscita & *adventitia exolescat.* Itaque quoniam hac evanescente corpus ad se pristinamque constitutionem redit, temperamentum autem constans est & firma corporis habitudo, constat illam temperamenti speciem minime permutare.

Nisi continua actione proportionem commutent Elementorum.

Cæterum si forte illarum efficientium causarum *assiduus* sit *appulsus*, nulloque puncto temporis intermissa adhæsio, fieri quidem contingit, ut tum demum *temperamentum, ipsaque elementorum proportio commutetur:* quod hac fere ratione obvenit.

Primum vi causarum, qui in corpore divagatur spiritus, aut aër diffusus in cæcos & abditos recessus, incalescit, si quidem causæ erant caloris effectrices: hinc in humores & teneram corporis substantiam sensim calor prorepit, tum demum solidiorem molem occupat. Pergente autem causarum impetu, necesse est singulas ordine suo exiguas frigidorum elementorum portiones

tiones obteri, & à pristina constitutione in contrariam calidioremque facessere. Hæ quandiu sic mutatæ suam adhuc speciem retinent, temperamentum etiamnum manet nihil mutatum: adscitus enim duntaxat & arreptitius is calor est. At vero cum diuturnitate fiet imbecilliorum partium (non enim omnes adversis æque obsistunt) tanta decessio, ut frigidorum elementorum plures portiones & fragmenta pereuntibus formis in calidorum naturam contendant: tum primum toti immigrat temperamenti mutatio. Summotis vero tum causis, cum corpus non ultra illarum vi pulsabitur, quæcunque partes supra modum incaluerant, nondum tamen formis suis spoliatæ, ad superiorem temperamenti modum sponte sua recurrent: calidæ vero hæ quidam permanebunt quarum jam species exolevit. Quoniam igitur per illas firmus & stabilis toti calor accessit, erit pro earum multitudine aucta caloris proportio, aliudque invectum temperamentum.

Sive causa sint externa.

Quemadmodum autem ab iis causis quæ foris sunt, ita multo promptius & proclivius ab esculentorum protulentorumque longo usu, si quidem illa immoderato erunt calore, corporis temperamentum in calidius traducetur.

Sive interna.

Huic obiter subtilior solertiorque meditatio succedit.

Cum enim corpus humanum ex variis sit particulis constitutum, aliis quidem *mollioribus*, ut carne, ut nervo, aliis solidioribus, ut membrana, cartilagine, osse: quæcunque harum magis patibiles sunt, *primæ à sua commoderatione decedunt*: *solidæ* vero non nisi longo tempore & ingenti causarum incursione, è statu dejici & deturbari possunt. Quinimo cum sint illæ fibris quibusdam firmissimis intextæ, quibus plurimum inest firmamenti & roboris, sic illas duco aut nunquam ulla vi labefactari posse, aut tenuiter usque adeo & parce, *vix* ut *toto ævo* insigne quicquam perpeti possint.

Easque facilius immutare partes humidiores.

Difficillime solidas.

Itaque quorundam ego judicium sequutus, *insitum* illud & primarium corporis cujusque *temperamentum in illis* constituo, cujus tanta vis est & soliditas, ut quoque sive contrariorum longa consuetudine, sive ætatum decursu fiat mutatio, *in id* tamen ingenitum temperamentum magna semper sit *propensio* atque proclivitas: corpusque primam naturam semper redolens, expeditius eo se referat unde decessit.

Quibus solidis ingenitum temperamentum inest.

Quare in id semper propensio

Exempl. 1.

Ex quo fit ut qui à prima origine sit intemperatus, quamvis arte in mediocritatem vindicetur, vere tamen temperatus nunquam sit, neque ei prorsum similis, cui temperies sit ingenita, sed illius duntaxat effigies quædam & adumbratio. Quinetiam duos si fingamus diverso natos temperamento, qui forte quibusvis ex causis in eandem corporis conditionem pervenisse videantur, non tamen iisdem prorsum gaudent & oblectantur. argumentum proculdubio diversa his superesse naturæ primordia, quorum non parva etiam nunc restant vestigia.

Exempl. 2.

Quæ cum *Hippocratis* intima ratione animoque lustraret: universa uno complexus est *aphorismo*, quo prodidit, *per morbos minus periclitari quorum naturæ morbus convenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori, quam quibus non convenit:* eo plane significans, nobis aliam ex ætate temperaturam inesse, aliam ingenitam quæ ipsa est natura, aliam ex temporis & victus consuetudine.

aph. 25. l. 2.

Exempl. 3.

Quæ diversæ cum sint & plerunque pugnantes, in uno corpore consistunt: sed aliis quidem partibus, ut hæc carni atq; mollioribus, illa fibris duntaxat penitus insideat.

CAPUT X.

Quid ætas, quod ætatum differentiæ, utque illarum progressu cujusque temperamentum vertatur.

Ex Galeno lib. 2. de temp. cap. 1 2

Vt adventitia causa immutant, ita & ingenita.

VT multa nos assidue circumstant incommoda, quorum vi huc illuc traducimur, sic intus nobis ingenerata & *ab ortu tradita est causa, cujus necessitate temperamenta decursu vitæ commutemus.* Hæc est illa mortis ac interitus pernicies, hæc intestina calamitas, quam nulla ars, nulla humana industria effugere, sed ne reprimere quidem possit. Etenim si cui ab ortu temperato vel *Æsculapius* præsit, qui illum ab iis quæ foris

sunt,

ſunt, aut quæ intro ſumuntur cauſis, ſalvum & incolumen ſic tueatur, ut nullum inde corpus detrimentum capiat: is tamen à ſemet ipſo ſuaque ſponte magis magiſque conficietur conſumeturque, donec extremum vitæ ſpiritum edet.

Ad mortem uſque.

Cujus per ſpatia mutatio, ætas.

Illucdum contendit, plurimas hoc interim ſpatio mutationes neceſſario ſuſtinet. Has qui annorum ſpatiis & intervallis dimenſi primum diſcreverunt, ſimul *ætates* appellarunt.

Ut ſit *ætas id vitæ curriculum quo luculenter corporis conſtitutio per ſe ſuoque nutu mutatur.*

Non quævis aut proceritati, aut colori, aut erumpentibus pilis, ſed quæ duntaxat temperamento & primæ conſtitutioni omnium functionum cauſę incidit converſio, ea ætatum ſingularum diſcrimen facit.

Rurſum neque ipſius temperamenti ab externis cauſis, aut æſtu immodico, aut cæli ardores aut intemperatiore vivendi conſuetudine mutatio, ſed quę ab interiore ſit & ſemper aſſidente interitus cauſa, unica diſcernit ætates.

Immutant autem continue in ſiccus.

Quocirca *ætatum differentiæ* plurimum inter ſe diſſimiles, ex ea ipſa quæ incidit varietate ſtatuentur.

Vitæ ingreſſu ut omnis animans ex ſemine & ſanguine fluxis humidiſque rebus nuper genitus eſt, ita & *humidiſſimus* videri poteſt: cui caro præhumida & muccoſa, nervi vincula, imo & oſſa tenera flexibiliaque; adeo ut facile ſequantur quocunqe ducas.

Hinc in dies longius procedens plus pluſque *ſiccatur* & areſcit, ut cum extremam ſenectutem attigerit, non modo oſſa arida ſint & humoris expertia, ſed etiam caro nervoſa atque dura. Qui ergo ſenſim ætate progrediens ſenſim quoque exareſcit, quanto ortui erat vicinior, tanto humidior: quantum vero in vitæ extremum declinabit, tantum & ſiccitate contabeſcet.

Sed alia caloris in vitæ decurſu mutatio.

Unde intelligitur *quod in medio* extremorum ſitum eſt tempus, id quoque *humoris* ſummæque *ſiccitatis* eſſe particeps atque *medium* obtinere.

Hanc quidem ab humido in ſiccum animantium progreſſionem omnium ſententiæ confirmant.

Cæterum quod alterius eſt oppoſitionis, animal ſtatim ut *in lucem editum eſt*, ingenti *calore* affluit, quantum immutabilem perſiſtere ad medium vitæ curſum exiſtimant.

Hinc ſenſim langueſcit in extremum, quod omnium eſt *frigidiſſimum* & morti jam ſimile [illegible]

Hujus oppoſitionis quod *medium* eſt, haudquaquam principio ſed extremo quam maxime adverſatur.

Ita enim *Galenus* ſingularum ętatum temperamenta tactione explorans, cum pueros, juvenes, adoleſcentes millies conſideraſſet, præterea eundem infantem puerum adoleſentemque factum, hunc nihilo calidiorem deprehenſum confirmat, nec puerum quam ætate florentem, nec ætate florentem quam puerum. *2. de temp loc. cit.*

Illius authoritati ut poſteri omnes id conceſſerunt, ſic neque ipſi tot ſeculis confirmatam opinionem repudiabimus: quamquam fieri poſſe vix intelligo, ut qui infantes, pueros, ætate florentes, tactu expenderit, nihilo ſit ipſe tot annorum prolapſione vel temperamento, vel tactu immutatus: at ſi qua illi mutatio incidit, quomodo tactu tanquam firmo & conſtanti judice uti potuit ad ætatum ſecretionem?

Iſtorum proximus liber pleniorem diſputationem conferet.

Unde variæ ætatum temperamenta vere.

Nunc vero ſi *totius vitæ curſum partiemur, junctiſque duarum oppoſitionum extremis* ſuum ætati cuique temperamentum adferemus, fiet ſane *vitæ exordium* calidum & humidum, *extremum* frigidum atque ſiccum: *medium* ſicci & humidi exactam temperiem accipiet, attamen in calido frigidoque nondum id, ſed quod illi deinceps eſt, mediocre apparebit.

Et ad ſenſum.

Si non abſolutam illam & individuam temperiem, ſed *qualem ſenſus* judicat, inveſtigamus, temperata ætas cenſebitur, quæ punctum *vitæ medium* modico intervallo antecedit, & ab hoc in aliquanto majus poſt ſpatium porrigitur. *Quicquid mediam hanc ætatem anteit*, calido humidoque vincit & excellit, at non peræquè. Initium ſiquidem calidum eſt & humidiſſimum, quod vero ſequitur ſimili calore viget, humore autem longe eſt inferius: ut quamvis ſiccum id non ſit, ſed ne ad mediocritatem quidem depreſſum, initii tamen collatione ſiccum plerunque judicetur. *Quod à medio in extremum vitæ tempus extenditur*, id omne frigido & ſicco tenetur, hoc tamen diſcrimine ut pars ultima *Galen. 3. Aph. 25. uſque 31.*

ultima tum frigido, tum sicco excellat: nam quæ illam præcurrebat, & frigore & siccitate erat temperatior.

Ætates autem quinque sunt. Adolescentia.

Universæ igitur *vitæ quinque omnino sunt ætates* suis temperamentis insignitæ.

Omnium *prima adolescentia* in annum fere quintum & vicesimum producta, hinc nomen habens, quod tum corpora ab humoris ubertatem plurimum adolescant.

Humoris autem major minorque copia *complures illius ordines* secernit. *Infantium* ætas, omnium humidissima ad tertium quartumve annum provehitur: hinc ad decimum *pueritia*, inde ad decimum octavum *pubertas*, ad vicesimumquintum *adolescentia*, totius appellationem sortita.

Iuventus.

Secunda vitæ ætas quæ florida appellatur, *juventus* est, ad tricesimum quintum aut quadragesimum annum excurrens, cujus propria est venustas, agilitas, & ferocia: calida quidem parceque humida, quæ idcirco prægressæ ætatis comparatione solet calida siccaque censeri.

Constans ætas.

Succedit constans & matura sui ubique fere similis, temperata, vix annum attingens quinquagesimum.

Prima senectus.

Illinc ad quintum & sexagesimum ingravescens est ætas & præcipitata, *prima* illa *senectus*, que siccum frigidumque corpus efficit, frigidum tamen minus.

Vltima senectus.

Omnium postrema vitam claudens ætas est decrepita, frigidissima atque siccissima: quæ & ultimum senium dici solet.

Galenus 2. de temp. cap. 2. *In his ætatibus non omnes inveniri temperamentorum differentias.*

Hinc eorum manifeste proditur atque detegitur *error*, qui temperiem ipsam, quatuorque temperamentorum conjugationes vitæ ætatibus quadam proportione contulerunt. Neque enim ulla est ætas calida & sicca absoluto sermone, quod vincenti siccitati abundans calor nativus comes esse non possit: neque ulla ne senectus quidem frigida & humida est, cum ex propria partium substantia atque commoderatione, non ex humorum aut supervacaneorum affluentia, temperamenti ratio spectetur.

Nec iisdem annis ætatem definiri.

Illis quidem annorum numeris, ut crebro ejusmodi temperamentorum mutationem adferentibus, ætates circumscripsimus, tametsi alias plerunque ad alios limites excurrunt, cum vel multo brevior erit vitæ cursus, vel longius prorogabitur, ad annum fortassis centesimum.

Sed quacunque temperie quis praditus: similem esse temperamenti, per ætates decursum sive temperatus.

Ad originem autem quodcunque quispiam temperamentum acceperit, id necesse est proposita ratione ætatum decursio commutet. Velut si forte *temperiem* is *nascens extulerit*, neque ulla deinceps externa causa illam convertat, procedentibus annis nutu suo proprioque impetu sic ille ducetur, ut in pueritia atque adolescentia calidus sit & humidus, florida ætate calidior atque siccior, ætate matura absolute temperatus, aliis deinceps ætatibus frigidior ac siccior evadat. Quæ tametsi ita sunt, attamen is judicandus est & puer temperatus, quod inter pueros mediocritatem obtineat, & puber quoque & adolescens itemque juvenis, & constans, & senex temperatus: ita enim comparate dici videtur. At vero absolute atque simpliciter non singulis his ætatibus, sed ea duntaxat quæ matura constansque est, temperatus erit, parem sortitus extremorum portionem. Hujus æstimatione tota pueritia simpliciter calida est, uti & universa senectus frigida atque sicca.

Sive calidus siccusque.

Qui porro *calidus siccusque* natus fuerit, inter pueros calidus siccusque vivet, & hanc innati temperamenti conditionem ac speciem, per omnes ætates quodammodo retinebit: ut & cum senium attigerit, calidus atque siccus inter senes persistat. Quandiu tamen in pueris est, humidus calidusque simpliciter est. Cum autem senex evasit, frigidus atque siccus: at ætate media calidus siccusque simpliciter.

Proprium temperamentum tantum media ætate æstimandum.

Sic enim fit ut cujusque *proprium*, & quod à natura ingeneratum vocamus *temperamentum*, tale *media* duntaxat *ætate*, quæ omnium temperatissima est & cuique familiarissima, pure consistat atque splendescat.

Vnde majus momentum temperamentis ab ætate quam à natura esse.

Oriuntur itaque & manant temperamenta tum à primigenia natura, tum ab ætate quæ illi comes est individua: cumque id quod à natura prodiit, comparate duntaxat, quod vero ab ætate, simpliciter dici soleat: consequitur, æstimandis temperamentis, *ætati quam naturæ vim* tribui *majorem*, & eam quæ ex ætatum decursu fit temperamenti speciem, ei tum victoria tum nomine præferri, quam natura ortusque contulit.

De his jam satis multa.

CAPUT XI.

Temperamentum nullum biliosum, sanguineum, pituitosum, aut melancholicum dici oportere.

Galenus 2. de temp. cap. ult. *Temperamenta ab elementis.*

Ab *elementorum viribus* primo similium partium, ex his deinde corporis universi compositionem ductam esse, rationibus confirmatum est, ut proinde palam esse debeat omnem temperamenti rationem elementis primum deberi, his acceptam referri, in iis sitam esse, ut quæ totius substantiam compleverunt.

Non ab humoribus nasci.

Humores ipsaque supervacanea corporis partes non esse, sed eo duntaxat contineri, idcirco & ab *Hippocrate* contenta dici, superiore quidem libro dictum à nobis est, & posthac plenius fusiusque demonstrabitur. Quocirca *neque ab humoribus*, neque ab illis supervacaneis potest corporis ejusque *partium temperamentum* æstimari: neque demum ab illorum dominatu & ubertate fas est temperamento cuiquam nomen imponere.

Quare ea ab humoribus non denominanda.

Hinc fit *ut ii laqueis inexplicabilibus sese involvant*, qui nullo nominum rerumque delectu, *hunc* (verbi gratia) *bilioso temperamento esse pronuntiant*, illum sanguineo, pituitoso, aut melancholico alium: cum hæc non temperamentorum, sed dominantium humorum sint nomina.

Prima ratio.

Cui enim sanguinis ejusque optimi plurimum inest, is jure sanguineus dici debet, ut cui bilis flava exuperat biliosus, cui atra melancholicus, cui denique pituita pituitosus. Humorum istæ redundantiæ confinibus sibi temperamentis haud semper respondent: quod non raro candidos & molles, eosque tactu frigidos observare fit, quibus ingens bilis copia quotidie rejicitur: uti & alios hirtos, subnigros atque graciles, qui hujus eluviei minimum congesserunt.

Secunda.

Videas *præterea* non paucos prima origine frigidum siccumque temperamentum adeptos, quos tamen melancholicos esse minime judices, neque atræ bilis proluvie suffusos.

Tertia.

Quin & senes extremi, quorum ætas frigido siccoque lacessitur, minimum melancholiæ coacervant, sed siquis his superfluit noxius humor, is maxime pituitosus est: unde & senes à supervacuorum redundantia pituitosos esse omnes confirmant. Hinc multi rerum affinitate capti, eos quoque frigido humidoque temperamento prodiderunt, quos nihilominus superior ea demonstratio arguit & insimulat, qua confectum est, eum temperamenti statum ætate nulla posse recipi, sed continuo, ut editum est animal, annorum numero & diuturnitate corpus siccius evadere.

Quarta.

Huc accedit, externarum causarum vi, multoque magis alimentorum varia substantia & facultate, alias bilem, aut flavam, aut atram, alias pituitam in nobis congeri ac succrescere, cujus nequit origo corporis constitutioni tanquam efficienti causæ tribui.

Quinta.

Quis *quæso* tam delirus sit, ut in eo humore temperamentum collocet, qui totus interdum præter naturam est, cui nulla cum corpore communio familiaris intercedit?

Singulis tamen ætatibus suos humores abundare.

Ergo quamvis qui *prima ætate* per vasa sparsus est humor, purioris *sanguinis* speciem ostendat, proxima dein ætate is corporis ardore siccitateque ad flavæ bilis naturam trahatur, tertia omnium fiat humorum quædam moderatio, quarta melancholicus humor, postrema pituitosus ob caloris coctionisque infirmitatem redundet: quoniam tamen hunc ordinem externarum causarum plerumque vis invertit, neque corporis perpetuo una est & eadem atque humorum conditio, sed plerumque diversa non utique ex humoribus, sed ex constitutione propria definiendum est corporis temperamentum.

A quorum abundantia denominari corpora possunt.

Quæ humorum sunt nomina, periti artificis non est corpori accommodare: quare nullum prorsus temperamentum sanguineum dicere permittimus, ut nullum biliosum, nullum melancholicum vel pituitosum; quamvis alias *biliosum hominem*, alias sanguineum, pituitosum aut melancholicum, recte appellemus.

Videor equidem jam omnem de temperamentis disputationem complevisse: cui nihil attinet illorum internoscendorũ signa subjungere, in propriam tractationem commodius relata.

Libri tertii de Temperamentis finis.

LIBER

LIBER QUARTUS DE SPIRITIBUS ET INNATO CALIDO,

CAPUT I.

Calorem quendam in nobis cunctisque viventibus inesse, eumque divinum.

Prater elementa à quibus oriri temperamenta dictum est.



Niversam hominis naturam cum altius investigare & persequi conaremur, primum quidem concretum hoc corpus in minimas quasque similes particulas anatome dissolvimus. Hinc vero aliam earum compositionem, siqua erat, speculantibus, deprehensum est, *unamquamque ex primis simplicibusque rerum naturis*, terra, aqua, aëre & igni constare: ex harum permistione varias enasci temperamentorum differentias, quorum sua cuique parte proprietas insideret.

Nondum autem ab hac contemplatione digressi, rursum scrutemur ecquid præterea parti cuique penitus inhærescit aut assidet, quod pleniorem illius cognitionem faciat. Quid illa sint vetustioribus medicis celebrata, innatus calor, spiritus, humidum primigenium, quid natura, atque triplex in similaribus substantia; ut hæc singula consistant, unde & quibus viribus gubernentur. Quoniam autem unus *calor* præ cæteris sensum manifeste ferit, *ab hoc ceu notiore inducto exordio*, reliqua serie quadam quasi conserta ex aliis alia nectemus.

Gal. 2. de nat fac. c. 4

Inest quoq; parti calor innatus.

Quod probatur.

Animantium generi communi lege est à natura tributum, ut insiti vi caloris vitam agant. Primum enim illas, dum in vivis numerantur, caloris temperatione perfundi, morte vero consumptas hoc prorsus extincto refrigerari, vel *sensus ipse declarat*, nullaque id alia demonstratione, sed unius est sensus prestantia confirmandum, ceu communi quadam animi notione.

Sensu.

Quanquam vero in stirpibus minus aperta & evidens est caloris inspectio, eas tamen non minus quam animantes hoc salutari calore conservari, omnemque omnium salutem hinc oriri, perspectum ei fiet qui naturæ opera effectusque æstimabit:

Constans enim est & rata sententia, *omnia viventia propter inclusum in se calorem vivere*, illius beneficio alimentum trahere, conficere, eoque nutriri ac sustineri, augescere, procreare, animantes præterea sensu affici & moveri: quantoque perfectiora hæc fuerint opera, tanto caloris vim atque substantiam uberiorem adesse. Quod si ulla id ratione suaderi debet, unius Solis præstantia spectetur, qui dux & princeps moderatorque mundi cuncta viventia luce sua lustrans, illa pariter caloris sui temperatione fovet, & ad ea quæ dixi opera suscitat. Hæc si externo calore fota agunt, impediuntur frigore, nonne optima ratio est, quempiam in eis caloram inesse operum effectorem, eumque Solis maxime calori concordem esse & consentaneum?

Ratione.

Recte igitur *Aristoteles* vitam uno calore contineri, sine calore neque animalia neque stirpes vivere, tanquam protritum & pervulgatum memoriæ mandavit, qui & mortem caloris extinctionem esse definivit. Itaque hujus imitatione una *omnium philoso-*

Authoritate.

Gal de trem. c. 6. Averrh. lib. 2. colliget cap. 7.

Hic calor.

philosophorum consensio vitam calore finit, mortem caloris extinctione.

Hic calor non est prorsus elementaris. Quantuluscunque inerit calor in corpore, id ipsum vita fruetur, & quas dixi functiones licet obscuras de se promet, neque *extremæ senectutis frigus*, quod in temperamento dominatur, hujus potest caloris superare vires. Hoc vivunt serpentes, quas tamen temperamento frigidas commemorant. Hoc vivit papaver, mandragora, & *universum frigidarum stirpium* genus.

Ex quo jam video posse quasi connexum quippiam effici, *calorem hunc supra elementorum naturam esse.*

Prima ratio. Ab eo enim contrariorum quod suppar est ac infirmius, alterius excellentis conspectu nihil quicquam agi potest, sed *tota misti actio in id quod exuperat tanquam in vincentem causam refertur.* Atqui in earum stirpium quas connumeravi temperamento, calor depressus est, & inferior quam frigus: non igitur hic vi & operibus potest frigus superare, neque in hunc tanquam in efficientem causam possunt vitæ functiones referri. Quocirca siquis calor vitæ functionum effector est, ut certe est, nequaquam is esse potest qui in temperamenti mistione diminutus est ac mutilus. Quare necesse est hunc vitæ calorem præstantioris cujusdam esse originis, neque ignei elementi rudiorem naturam redolere, quemadmodum *alio loco* uberius disputatum est à nobis. *Lib. 2. de abdit. c. 7.*

Secunda. Hinc præclara & eximia quadam mentis agitatione videtur *Aristoteles* mortem definiens, *vitali* huic *calori* non frigus tanquam contrarium *opposuisse*, sed *extinctionem*, quæ ejus ipsius est privatio. Ut igitur lumini contrarium nihil est, sed adversæ tenebræ illius sunt privatio, atque si vel minimum luminis corpus illustret, id ipsum illuminatum dicimus: sic & de vitali calore statuo, qui quantuluscunque corpus possideat, id ipsum regit atque moderatur, calidumque denuntiat. *De vita & mort. c. 4.*

Tertia. Qui volet hujus essentiam plenius cognoscere, ob oculos sibi proponat sulphur & arrhenicum, quæ *calidissima* quidem cum sint, & igneo elemento confertissima, ut plerunque nos urant, tamen *vitali hoc calore destituta jacent*, sic uti & universum inanimorum genus: quod argumentum plane convincit, igneum non esse, neque ab elementorum mistione hunc ortum quem proponimus calorem.

Quarta. Quinetiam animantis demortuæ *cadaver*, tametsi partium ac totius structuram figuramque retinet, caloris tamen hujus ne minimum quidem habet: *haberet* autem *si ab elementis nasceretur*, cum in partibus singulis aliqua supersit & resideat quatuor elementorum permistio. Unde intelligi potest, calorem eum per quem vita inerat, non ex prima elementorum mistione, sed aliunde ortu recondito fluxisse.

CAPUT II.

Spiritum quendam cunctis datum viventibus, qui vitæ calorem continet.

Ex Gal. 1. Aph. 14. & 3. de nat. fac. cap. 14. *Inhæret quoque alicui subjecto fluxili.*

Quoniam igitur calor is indissolubili adhæsione corporis moli consertus non est, sed ab ea separari sejungique potest, necesse est, extra molem eam sit, tanquam assumptum quippiam & adventitium. Atqui cum nequeat simplex calor in qualitatis genere constitutus, sine sede & vehiculo in omne corpus permeare, huc illucque momento diffundi, qualiter tamen hunc à corde per omnes arterias partibus singulis impartiri cernimus, fuit opinor necessarium *hunc corpore aliquo fluxu & profluente contineri.*

Et quidem spiritui. Cæterum nullus humor ad hoc aptus erat & habilis, ut tanta celeritate corpus omne trajiceret: quocirca necesse fuit calori materiam substerni substantia tenuissimam, pernicitate velocem, quæ simul fovendo calori familiaris esset ac amica. Atque cum ejusmodi sit aërea, aut si rectius appellare velis *ætherea*, optima ratione debuit talis calori subjici, quæ semper ætheris modo incensa ardet, cuique perpetuo calor insidet, ut neutrum possit ab altero dirimi.

Plato quidem rarius eam materiam calore perfusam, spiritum appellavit, ignem frequentius, ut interdum calorem. *Ex Gal. 9. de plac. cap. 7.*

Spiritus nomina apud veteres. *Aristoteli* crebro spiritus est dictus, nonnunquam calidum atque naturalis calor: alias

alias quidem à tenuitate & velocitate, alias à viribus & effectu ratione nominis desumpta.

Planius *Hippocrates*, qui nusquam addubitavit hunc spiritum nuncupare, ex eo quod eximiis viribus cum præditus sit, oculorum tamen effugit obtutum: etenim & aërem, & ventum, & auram, & unamque substantiam quę sub aspectum non cadit, sic dicere consueverunt.

Ex Galeno 3. de loc. aff. cap. 7. *Eos spiritus necessario dari ut animam corpori connectant.*

Ad hujus profecto imitationem *Stoici*, spiritum ex splendida, perspicua, nec aspectabili substantia constare, recte quidem prodiderunt, eo tamen falsi, quod hunc tum naturæ, tum animæ substantiam esse pronunciant, nihil eo præstantius, nihil divinius investigantes.

Quo autem *spiritus necessitas atque substantia* plenius *demonstretur*, repetenda sunt & replicanda veterum philosophorum decreta.

Consensus Academicorum.

Quorum primi *Academici* cum perspicerent fieri non posse ut *naturæ quam maxime dispares*, nullius idonei *medii interjectu societatem inirent* coirentque, animum nostrum à summo rerum opifice conditum, priusquam emanaret immigraretque denso huic & concreto corpori, censuerunt corpore quodam illustri, puro & astro simili tanquam simplici veste indui: quod immortale & sempiternum nunquam ab animo absolvi devellique posset, & sine quo non fieret hujus mundi incola. Ab hoc deinde alterum corpus animo circumjecerunt, tenue illud quidem ac simplex, sed tamen impurius, minus illustre & splendidum superiore: non ab summo id opifice procreatum, verum elementorum præsertimque tenuiorum permistione concretum, à quibus nomen inveniens aëreum & æthereum appellatur. Duobus hisce corporibus jam stipatus animus, in tertium hoc mortale caducumque corpus, seu potius in tetrum & tenebricosum carcerem tanquam exul dejectus, terrarum fit hospes: donec effracto carcere alacer & liber in patriam reversus, municeps fiat & civis deorum.

Aphrodisæus in præfat problemat.

Hanc corporis atque animi communionem confirmans *Alexander Aphrodisæus*, spiritum quem proposuimus ait perquam idoneum vinculum illis interponi, qui adversas naturas interjectu suo conciliet atque contineat. Is enim extremo utrique familiaris & accommodatus, cum non

A sit prorsus sine corpore, crasso quidem corpori inferi potest: cum vero tenuior splendidiorque sit, potest cum animo connecti. Sicque utriusque quodammodo particeps, naturam corporis expertem cum natura corporea copulat, immortalem cũ mortali, puram cum impura, divinam cum terrena.

Hæc quanquam mentis corporisque communionem nonnisi spiritus interjecti nexu fieri demonstrant, eadem nihilominus & cæteris animæ partibus caducis par est accommodare. Etenim animæ pars mortali conditione genita, impura licet neque ut mens syncera sit, longo tamen intervallo terreni hujus concretique corporis statum antecedit, ut citra vinculum ei nequeat inhærescere. Quocirca recte prodidit *Aristoteles, in semine spumosoque corpore spiritum, in spiritu naturam contineri, quæ proportione* B *respondet elemento stellarum*: aperte quidem significans, spiritum hunc inter corpus & divinam illam naturam, tanquam commune quoddam vinculum interponi. Neque vero menti solum, sed & unicuique animæ parti caducæ proprium spiritum attribuit, omnemque animæ facultatem affirmat corpus aliud participare, idque magis divinum, quam quæ elementa dicuntur; atque prout nobilitate obscuritateve animæ inter se differunt, ita & hujus corporis naturam distare.

Aristoteles 2. de animal. gener. cap. 3.

Quapropter si tum *Aristotelis* tum cæterorum rationes judicio certo ponderemus, palam fiet unamquamque animæ partem C spiritu quodam ceu fundamento niti, per quem tum corpori insidet, tum omne officii munus exequitur.

Spiritus quid.

Est igitur *spiritus corpus æthereum, caloris facultatumque sedes & vinculum, primumque obeundæ functionis instrumentum.*

Eos dari in corpore probatur. Primo.

Quisquis illius substantiam & statum nondum plene sit assequutus, corporis nostri structuram contemplatus, *arterias adeat, in cordis sinum* & in *cerebri ventriculos* introspiciat, quos dum *inanes ac nullius prope humoris participes* videbit, neque tamen frustra ac temere tantos à natura conditos, hæc quidem mente contrectans, mox opinor cogitatione comprehendet prætenuem auram eos tum implevisse, dum in vivis fuit animal, quæ tamen eo animam agente levissima cum cum esset, sine sensu evanuerit.

Secundo. Hujus fovendæ gratia inſpiratione aërem introducimus, qui non modo corpori refrigerationem (hæc enim ſatis poſſet aliunde comparari) ſed pabulum quoque ſumminiſtrat. Corporis autem denſa moles, ejuſmodi ſubſidio haudquaquam indiget, ut quæ craſſiore recreatur alimento ex A omnium elementorum permiſtione concreto: quare neceſſum eſt, *aërem hauriri* & attrahi, ut finitimæ & cuipiam in nobis ſui generis ſubſtantiæ jungatur, eique *velut in paſtum* cedat. Si nulla in nobis eſſet tenuis & ſpirituoſa ſubſtantia, vix ulla profecto nos ad inſpirandum neceſſitas impelleret.

CAPUT III.

Corporum quæ incenduntur exemplo, materiam tum caloris tum ſpiritus in nobis cognoſci.

Galenus de marcor. cap. 3. & de tremore c. 6.

NOn alienum inſtitutis meis arbitror, ſuſceptam tractationem exemplis illuſtrare, quæ licet de medio ſumpta erunt, rei tamen omnis pleniſſimam fidem facient.

Spiritus hos retineri humido ut flammam. Igni ſummus fervor ineſt & caloris exuperantia, maxime vero flammæ, quæ proprie noſter ignis eſt & appellatur. Ea autem fumus eſt aut aëreum corpus accenſum, neutro ſeorſum, ſed junctis ambobus abſoluta: hujus enim tanquam materia fumus eſt, cui flagrans calor accedens flammam efficit.

Eam enim indigere aëre. Flammam *ambiens aër* tuetur idoneus, neque craſſus neque humore multo madens: quem ſi ſepimento quodam circumcludimus, ut tum eo nequeat liber affluere & illabi, mox flammam peranguſte coarctatam marceſcere reſtinguique conſpicamur. Neque ideo ſolum aër deſideratur, ut vel refrigerationem flammæ præſtet, vel fumoſam exuſtamque illius fuliginem excipiat: C quia ad utrunque ſatis eſſet accommodatus aër denſus & humidus, qui tamen flammam fovere non poteſt. Reſtat igitur ut tenuis & ſyncerus aër idcirco ſit neceſſarius, ut flammæ tanquam pabulum accedat, & libero flatu alius aliuſque accedens, quaſi paſtionem ſe offerat flammæ devorandam. Velim equidem animum cogitationemque referri ad ignem, qui in medicis cucurbitulus aut in anguſto conclavi diligenter obturato concluditur. Hunc enim magnam ambientis aëris partem abſorbere, id plane declarat, quod dum rimæ, vel tenuiſſimæ patefient atque reſerabuntur, confeſtim ac repente ſumma vi novus intro aër irruet & ſe ingurgitabit, ut eum nimirum reſarciat qui ante fuerat exhauſtus.

B Quibus apertum eſt, flammam ut fumoſa ſubſtantia, ita & ambiente aëre foveri atque ſuſtineri.

Præter hæc autem tertium illi fomentum & pabulum confertur, ex *præpingui quadam materia*, cujuſmodi in lucerna eſt oleum. *Et humido oleoſo.* Hoc quidem corporum omnium celerrime promptiſſimeque inflammatur, quod tenui ſubſtantia, multo aëre ſpirituque perfuſa, continetur: deinde adeps, ab hoc reliqua deinceps corpora quæ illius conditionem quodammodo imitantur. Quanto enim unumquodque ad olei naturam propius accedit, tanto deprehenditur magis habile & aptum ut inflammetur: quo autem abeſt longius, hoc ineptius. Unde conficitur, corpus omne quod inflammari poteſt, olei cujuſdam eſſe particeps, hujuſque ſolius gratia conflagrare: quodcunque autem olei eſt expers, flammam non alere.

Quod humidum oleoſum Chymicorum ſulphur omnibus corporibus ineſt. Videbor hoc loco magnum quippiam & veteribus inauditum offundere, ſed quod longe ſit veriſſimum, & multis hujus ſeculi experientiis confirmatum. *Nullum* enim *corpus* eſt ad inflammationem propenſum, *ex quo ſyncerum oleum arte non elici poſſit.* Non adeps, non cera, non pix, non reſina, non terebinthina, non ullum deneque ligni ſtirpiſve genus: nulla radix, nullus flos, nullus fructus, nullum ſemen: atque in animalibus nulla pars eſt, ſive os, ſive nervus, ſive membrana aut caro: nihil denique in ſtirpium aut animantium genere vitam habuit, quod non poſſit oleum de ſe profundere, aliud quidem affluentius ſoloque preſſu, aliud parcius majoreque induſtria: hujus etiam cauſa quæcunque vivunt inflammari poſſe, compertum habemus.

Quin

Quinetiam inanimarum genus quæ complectitur inflammationi subjecta, eadem quoque oleo sunt finitima. Nam sulphur, quicunque metallorum naturas perscrutantur, terræ adipem vel oleum appellant, quod moderato calore coctum cogitur atque concrescit. Ergo quæcunque vivunt aluntur que corpora, pinguem & olei similem continent humorem.

Præter quæ corporibus inest humor alimentaris

Præter hunc vero & alio perfunduntur, qui minime est ad inflammationem idoneus, sed superiore magis tenuis & profluens, ab elementis ascitus & confertus in cæcos arctosque viventium corporum recessus, qui quidem concoctione mutationem atque vires jam accepit, nondum tamen in illorum substantiam plane conversus: hunc *humorem* dicere placet *alimentarium.*

Et tertio humor elementaris.

Ab hoc demum diversus est aqueus humor, quo tanquam visco terrenæ corporum partes junctæ cohærent, quique rerum omnium ex elementorum permistione concretarum est communis. Universum inanimorum, sive lapidum, sive metallorum genus, hoc ipso conglutinatum sustinetur: at alimentarium aut olei similem humorem neutiquam novit, sed hi viventibus duntaxat proprie tribuuntur, ut intelligere sit, eosdem ad vitæ calorisque tuitionem partes primas obtinere.

Triplicis hujus humoris in stirpibus demonstratio è destillatione

Triplex id humorum genus quisquis volet perspectum sibi esse, in *materia è sylvis cæsa* cogitationem defigat. Virentes enim stirpium ramos, aut ceram, aut picem, aut resinam in stillans vaporarium qui conjecerit, substrati ignis vi *primum aquam* dimanare sentiet, ab hac *dein oleum:* quod non prius elici potest quam illa plene exaruerint: sic enim mos est exsiccata omnia deligere, è quibus oleum elici debet.

Si quis porro ligneam materiem viridem recensque cęsam igni mandet, principio videbit ægre incendi, propterea quod multo scatet humore, quem è terra pro alimento sibi hauserat. Is enim est, qui ab ejus extremis dum incalescit emanare solet. Hoc consumpto reliqua substantia prompte à flamma depascitur, quia purior manet pinguis illa quæ olei speciem gerit, alio liquore nullo madefacta. Hanc cum omnem ignis depopulatus fuerit, flammæ tum nihil prorsus erumpet & evolabit: in subjectis tamen *carbonibus* sua insuper inerit soliditas, *ex relicto aqueo humore* tenaci & cohærente, quem in elementorum concretione acceperant: quo tandem exeso dissipatoque cinis duntaxat aridissimus reliquus erit.

E carie stirpium.

Idem propemodum temporum diuturnitas iis affert arboribus, quæ in sylvis erectæ senio siccescunt. Primum enim exhaustus *alimentarius humor* deficit, quo tempore dominatur *oleo similis humor*, possuntque illæ ocyssime succendi. Hic vero annis procedentibus adeo exhauritur, ut inflammari prorsum nequeant, cum putrida ligna vulgus appellat, quæ solo constant *aqueo humore.* Postremo autem & hic atteritur, qui tanquam glutinum erat terrenis partibus connectendis: tum igitur dissoluta soliditate caries invadit, quæ extrema est omnium consumptio. Stirpis reliquæ omnes, itemque fructus, semina, animantium particulæ, easdem propemodum mutationes diuturnitate subeunt.

Ergo si rem universam in caput referemus, in corpore quod accensum conflagrat, sive id lignum est, sive lucerna, sive quidvis aliud, flammæ proxima materia est fumosus quidam vapor, halitus modo efflatus: in hoc qui summus inest fervor, species quædam est & perfectio flammæ: hæc autem aëris circumfluentis continuo accessu fovetur. Halitus porro ex illa olei substantia suscitatus emergit: quæ flammæ pabulum est. Ea autem olei substantia in subjecta densiore, aut ligni, aut ellychnii materia consistit, utranque vero alimentarius humor olim fovit, neque sinens dissipari resarsit, copiosioremque exaggerans eandem auxit.

CAPUT IV.

Humidi primigenii, quod tum caloris tum spiritus subjecta est materia, demonstratio.

Humidum quod retinet spiritum.

AD hæc autem si, quæ corporis nostri sunt, transferimus, spiritus quem in nobis inesse demonstravimus, quia tenui est ætherea substantia insito calore perfusa ei proportione respondet quæ proprie flamma appellatur. Neq; enim calor ipse solitarius, neque substantia tenuis quam seorsum cogitatione comprehendimus, sed quod ex amborum societate nexuque conditum est, vere ac proprie spiritus dicetur.

Oleosum est.

Hunc autem alit *sustinetque pinguis & oleo per quam similis humor*, non is quidem adeps quo partes quam plurimas oblini cernimus; sed alius multo dissimilis & aëreus, qui in partium similarium substantiam consertus omnem effugit oculorum aciem, arte tamen & industria potest (ut præmonuimus) secerni.

Quod humidum primigenium appellamus.

Is tum spiritus, tum innati caloris fundamentum est atque prima substantia, quem proinde de cętero *primigenium placet appellare.* Is enim primus est, & communis viventium omnium, in quo spiritus calore perfusus primum & per se considit, adeo ut neutrum esse possit aut diutius permanere citra illius humoris opem. Inest autem in similaribus quibusque particulis ejus generis humor, quem omni viventium generi esse datum, supra ratione confecimus.

Lib. de longitud. Vitæ c. 2.

Hunc plane expressit Aristoteles, dum ait: *Calidum autem ipsum in nonnullis pingue habetur, quæ res simul efficit ut neque facile inarescat, neque facile refrigeretur. In nonnullis alio sicco præditum est.* Hæc ille.

Triplex enim in nobis quoque humidum.

Revera enim non solum hic pinguis, sed etiam *triplex commemoratus humor* tum nostrum calorem, tum omnem solidæ partis substantiam continet atque firmat. Os (hoc unum in primis ad exemplum adhibere liceat) quandiu in animante constitutum alitur & continet in se vim caloris, alimentario madesit & conspergitur humore angustis spatiis affuso. Ab animante autem delectum id avulsumque, ignis cedit ardoribus, incenditurque celeriter, ob pinguem eum humorem qui ad inflammationem est habilis: cum vero is jam incendio absorptus fuerit, superstes etiam tum erit ossis constantia & firmitas: idque communis illius ceu visci vi & beneficio. Eadem fere & in cæteris similaribus est ratio.

Sine primigenio spiritus non consistit.

Triplex itaque cum sit omnis earum humor, elementaris, primigenius & alimentarius, duo quidem propriam illarum substantiam complent, tertius illis adventitius quodammodo & externus. Quocirca vitam etiamnum agente animali, hic quidem absorberi siccarique potest, at reliqui duo nunquam funditus, sed neque majore ex parte disperdi possunt: nam priusquam in id discrimen res veniat, *propria detracta materie spiritus calorque emarcescet*, & animal vitam naturæ reddet. Dissipata enim materia quę spiritus est caloris propria est sedes, quæ spiritum continet atque servat, qui fieri potest ut spiritus substantia & calor diutius persistat?

Sine spiritu tamen primigenium.

At vero qui integra valetudine frigorum vi intolerabili adeo opprimuntur, ut quam mox è vita excedant, iis *calor interclusus extinguitur, superstite* quodammodo spiritus *materia.* Vehemens insuper animi deliquium si hominem rapit, & caloris & spiritus substantiam una in brevi dissipat, citra ullam primigenii humoris jacturam. E contrario autem hujus dissolutionem fieri manente spiritus substantia, aut hanc quidem manente nativo calore dissipari, naturalis rerum ordo haud patitur.

Hoc ab ortu alimentarium postea accedit.

Primigenius is quem proprium dixi viventiũ humorem, quatenus substantiæ nostræ portio quædam est, *à prima* statim *origine* susceptа, *ab alimentario* distat atque secernitur.

Hoc cum spiritu connexionem habet, non autem elementare.

Ab *aqueo* autem abest, quod tametsi uterque ingenitus est nobis, hic tamen omnium corporum vel inanimorum communis, nihil societatis, nihil commercii habet cum calore & spiritu: ille vero plurimum, ut qui eorum sedes est & fomentum. Hic idcirco est quem præ cæteris nativum humorem appellarunt, alio proprio sit forte inepto nomine, humidum radicale: nos id ut primigenium, ita dicere possumus vitale & salutare humidum, quod spiritus & caloris totiusq; vitę fundamentum est & pabulum.

CAPUT

CAPUT V.

De triplici similaris partis substantia, & de cæteris humorum differentiis.

Ex Gal. lib. meth. 10. cap. ult. & 11. meth. cap. 1.

Unde apparet partem similarem non prorsus esse simplicem.

SImilarem vocatam particulam simplicem, compositionis expertem, & sui undique similem sensus estimatione judicamus, primamque illi structuram ex elementorum temperatione nasci. At vero ne sic ad unguem ea temperatio per omnes ejus particulas æquabiliter diffusa est, quin aliæ aliorum sint elementorum magis minusve particeps: neque cogitatione modo, sed etiam (si quis studiose penitusque introspiciat) sensu varietas quædam animadverti potest.

Unde si facilis & accurata quæritur rerum distinctio, *pars quæque similaris ex aliis quibusdam substantiis est condita*, hæc vero ex primarum simpliciumque quatuor naturarum concretione. Quoniam vero substantias illas nondum partes corporis appellamus, similarem partem compositam dicere usus non admittit, compositionem duntaxat existimans eam quæ ex aliis quibusdam particulis consurgit.

Sed constare parte.

Substantiæ autem illis tres sunt omnes in parte similari positæ, *solida, carnosa & spirituosa*: his enim utar recentiorum verbis.

Solida.

Solida primum est lineamentum & stamen illud stabile atq; constans per quod toti robur inest & firmamentum & qua tanquam basi reliquæ substantiæ innituntur.

Carnosa.

Hanc enim ea quæ *carnosa* appellatur undiq; circumfundit & obvallat, infercitq; spatia inter fibras vacua, quasi rimas expleat: hinc & partis moles recte dici consuevit. Commune quidem illi carnis nomen est inditum, sed cujus substantia in magna sit varietate. Quę enim musculorum fibris innascitur, proprie caro appellari solet: quæ autem visceribus, ut cordi, ut jocinori, renibus, lieni, & pulmoni, eam παρέγχυμα Græci dixerunt nos affusionem: intestinis, gulę, ventriculo, utero, utrique vesicæ, arteriis, venis, nervis, & membranis quęcunque insidet, commune illa quoque nomen mutuatur, ut unicuiq; parti similari sua sit caro.

Spirituosa.

Spirituosam substantiam supra satis persequuti sumus, prætenuem nempe & æthe-ream eam quæ partis similaris essentiam complet & absolvit: illa quidem in solida substantia primum & maxime consistit, omniumque functionum est opifex.

Solida substantia rursum constat.

Quo autem clariora sint omnia, & hæc superioribus quasi annexa consentiant, *solidam substantiam ex aliis rursum constare* meditemur, nempe ex *terreno crassamento*, (hoc interim verbi à *Columella* mutuabor) cujus constantia atque firmitas aqueo humore continetur: mox ex *humido primigenio*, quod vitale & *spiritus* fundamentum appellavimus. In hoc igitur naturalis spiritus (qui est ætherea substantia paulo ante commemorata) radices egit ab ortu quibus innititur: inde tanquam seminario prodiens, in carnosam quoque substantiam propagatur, sicque calorem & naturam secum proferens, his partem similarem universam perfundit. Ergo omnes quæ in similari corporis parte sunt substantiæ, numerantur carnosa & solida: in solida crassamentum illud terrenum, humidum primigenium, & insitus spiritus. In crassamento præter terrenam substantiam, aqueus est & *tenax is humor*, cujus interventu partes ejus cohærent, firmaque id soliditate consistit.

Crassamento.

Humido primigenio.

Humido elementari.

Ne quid autem hic intactum & quasi prætermissum desiderari possit, quod partium similarium perfectam cognitionem tradat, in aliam huic proximam contemplationem animum relaturi, quatuor *humorum, quos secundarios proprie appellant*, genera, ab optimis quibusque medicis celebrata, istis comparemus. Quod in solida substantia partis similaris primum inest crassamentum, humorem id in se continet aqueum, qui cum sit omnium corporum communis, ad hunc numerum minime referri debet. Neque is humor primigenius qui nobis insitus est & viventium proprius, naturalisque spiritus sedes, in solida substantia positus, quem leviter & inconsiderate videtur *Avicennas* cum aqueo eundem fecisse, à quo partium robur & firmitas existit.

Ex Gal. 1. de nat. fac. cap. 10. Avicen. fen. 1. lib. 1. doct. 4. cap. 1.

Præterea insunt partibus solidis humores secundarii.

Sed secundariorum unus constituendus est.

est is humor, qui carnosa vocatur substantia, & qui ceu *concretus liquor* solidis fibris adhærescens, moles fit similaris partis: hunc manifesto videre licet in carnibus, dum igni immodice terrentur, liquari & plurimum defluere ferrique in prunas largiter.

Gluten. Alter est qui ceu proximum partis alimentum illi jam annectitur & *agglutinatur*.

Ros. Deinde accedit qui nondum quidem agglutinatur & adhærescit, sed *roris vice* in partis substantiam diffusus propriusque adductus illi apponitur.

Demensum. Postea is humor existit qui *in exilibus arteriis venisque* continetur, hinc mox ex earum finibus in vacua partium loca influxurus. Hunc quidem esse constat purioris sanguinis portionem multiplici coctione exquisite elaboratam, & ex qua pars similaris alatur. Quocirca tres hi posteriores nequeunt ad similarium substantiam pertinere: quanquam varia commutatione in corporis naturam tandem commigrabunt. Qui *in majoribus venis* reconditur sanguis, ad hæc secundariorum humorum genera neutiquam pertinet, sed eos quatuor primos ac principes humores ac vere succos recipit, de quibus suo loco futura est commemoratio.

Ad quos sanguis majorum vasorum non pertinet.

Jam vero si præscriptum *ordinem invertemus*, ex sanguine qui in venis concluditur majoribus, quatuor humores secundararii, consequutione quadam fient. Cum enim sanguis jam in extrema & ora exilium venarum arteriarumque perductus est, primus humor tum appellatur: secundus autem cum jam vice alimenti in partium substantiam influxit iisque apponitur: tertius ubi circum partium villos & stamina concrescens illis annectitur & agglutinatur: quartus quum jam illis assimilatur & in earum propriam carnem convertitur. Itaque secundariorum humorum solus hic quartus est in essentia partis similaris.

CAPUT VI.

Quid innatum calidum, quæ ejus substantia.

Ex Gal. 1. aph. 14. & 15. 5. sumpl. 9.

Quare jam evidens est nobis inesse.

VT autem rerum ordo compositioque disciplinæ sibi constet, in quartum hunc humorem toto animo omnique studio incumbendum, explicandumque plenius, quid causæ erat, cur eum in cunctis viventibus inesse, tot tantisque rationibus contenderemus, quantumque momenti & ponderis ad rem institutam obtineat.

Spiritum calidum. Quicquid vitam agit, salaturi calore perfusum continetur & regitur: atque is calor qualitas quum sit, totus tamen divinus est atque cælestis, & in *æthereo spiritu* subsistit. Cum autem hujus beneficio & munere corpus alioqui frigidum, universum quantum est concalescat, necesse est ei vim inesse caloris valentissimam, quæ si pariter siccitate comitaretur, nos impendio adureret: atqui non urit: eam igitur necesse est humoris temperatione perfundi, viventiumque calorem ac spiritum idoneo convenientique *humido contineri*. quod illius subjecta est & indissolubilis materia: quemadmodum in his corporibus quæ apta sunt ut inflammentur, flammæ sedes & pabulum aëreus quidam est humor.

Eumque hærere in humido.

At quoniam complures sunt humorum ordines, compluresque in nobis differentiæ, æstimandum nunc est, quisnam eorum, salutaris istius caloris sedes esse possit. Postrema duo humorum genera alimenta duntaxat, nondum autem corporis partes haberi, ex dictis fit manifestum: quare in promptu quoque est, horum neutrum eam esse quam investigamus innati calidi substantiam. Neque præterea ea fuerit aqueus humor ex quo suam consistentiam accepit partium solidarum crassamentum: ut qui omnium fit corporum communis. Restat igitur innati calidi substantiam esse, vel carnosam vocatam substantiam, vel id humidum quod radicitus inhærens vitale & primigenium appellavimus, quodque olei cujusdam speciem ostendit. Consentaneum autem magis est & ad veritatem propensius, in hoc quam in illa potius calorem vitæ collocari. Permanens enim est & constans humidum hoc primigenium, in solida substantia firmatum, neque nisi annorum ætatisque decursione imminui potest: carno-

Est in humido primigenio.

carnosa substantia frequenter omni ætate, ut augeri ita detrahi & extenuari videtur. Illud siquando jacturam accepit, non resarcitur: hæc marcore exhausta, rursus in amplam molem assurgit: nam carnosæ substantiæ magnitudo variatur, etiamsi præterea non augetur animans. Itaque si innatus calor vitæ opifex, tuto nos debet in extremum regere atque moderari, par est utique hunc in stabili humido permanere. Quin & nostræ originis contemplatio, vitalem calorem una cum humido primigenio à semine, carnosam autem substantiam à materno sanguine derivari commonstrat.

Etenim prima fœtus conformatione dum similarium partium procreatio institueretur, corpus ipsum seminis, primum in quędam rudimenta sese extendit, deinde vero in exactam speciem. Dum enim ea rudimenta ponerentur, videri poterat corpus seminis, adumbrationem quandam partium similarium lineamentis suis exhibere, quę quasi fibrę erant & stamina filis quibusdam tenuissimis araneorum similibus contexta. Hæc est igitur constans & vere solida partium similarium substantia ex puro semine concreta: ad quam deinde sensim influens & illabens sanguis maternus, villos & stamina undique circumsedens illic concrescebat, fiebatque substantia carnosa ex sanguine: quæ affusa inspersaque locis inanibus, moles est partium similarium. Quancunque autem solidior illa substantia ab ortu conditionem acceperit, eandem totius vitæ cursu retinet. Nam stamina ex humido liquidoque semine creata, quam diuturnitate magis magisque succescunt, dum ad extremum senium (quod aridissimum est) veniant, semper tamen ejus humidi quod a semine contraxerunt, aliquid sibi in omnem vitam recondunt: quod ut recens natis & infantibus plurimum est, senibus exiguum, ita interjectis ætatibus mediocre. Quantulumcunque id ipsum est, quod in vitæ extremum reconditur, secum id spiritum & calorem ex semine advexit, hosque retinet tum sibi tum solidę substantiæ perennes & dissolubiles. Ex quo intelligi potest carnosam similarium partium substantiam à sanguine, solidam vero & quicquid in ejus compositione inest, sive crassamentum, sive humidum primigenium, sive spiritus, sive insitus calor, *id omne olim à semine natum processisse*, & tanquam illius quædam portio sit incorrupta, seminis naturam plurimum redolere. Hinc rursus perspicuum evadit innati calidi quam exquirimus substantiam, præstantem illam quidem & vitæ conservatricem, non ad carnosam quæ ex sanguine prodit, sed ad primigenium humidum, quod suam semini originem refert acceptam, pertinere.

Ergo si qua illius promenda est definitio, *calidum innatum est humidum primigenium insito spiritu & calore undique perfusum.* [Galen. 5. simpl. c. 9. *E quibus omnibus innati calidi definitio innotescit.*]

Id nempe humidum cui spiritus & calor ab ortu est inditus, in quo salvus viget & conservatur. Tribus ergo illis conjunctim innatum calidum continetur, quanquam hoc ipso nomine quidam spiritum ingenitum appellant, at rarius nec satis proprie. De his hactenus, nunc de natura.

CAPUT VII.

Quid natura medicis, & quæ ejus substantia.

[Ex Galeno 1. Aph. 19.]

QUod generatim atque universe physici proponunt hoc loco contrahentes, naturam esse definimus vim primam & causam per se nostri opificem & conservatricem. *Hominis* enim *natura* est quę non aliud quicquam procurat, & quæ soli addicta homini, quem conformavit, gubernat quantum potest longissime. Etenim ne frustra condidisse videatur, edito illa operi in omni vita insidet, id nunquam deserit, sed ejus gubernacula tractans, partes omnes in suum quamque opus ducit & concitat, ut illa ipsa simul omnium functionum causa censeri debeat. [*Hoc calidum innatum vere hominis natura est.*]

At illius substantiam quænam sit pervestiganti, vis & potestas caloris prima in mentem venit, cui solet omnis effectus causa palam attribui. At vero qualitas syncera caloris, etiamsi divinus hic sit ac plane cœlestis, tamen functionum opifex non erit, neque dum intensione crevit, continuo integriores firmioresque functiones expromit,

promit, niſi pariter incrementum accipiat ſubſtantia caloris: quocirca neceſſarium eſt naturæ nomen atque finitionem, non uni calori ſed illius quoque ſubſtantiæ accommodari: quod & omnes philoſophi nunquam accidenti attulerunt, ſed alteri compoſitæ rei principio.

Moderato autem cuique calori qui aut in ſanguine, aut in quovis humorum genere, aut in ſpiritu, aut in corporis ſubſtantia ſitus eſt, naturæ nomen non niſi promiſcue & fuſa nimis appellatione aptari poteſt. Aptius quidem ſpiritum ingenitum quicunque is fuerit, naturam dixeris. Verumtamen ſi proprie agendum eſt, naturæ ſubſtantia eſt *calidum innatum* quale ſupra circumſcripſimus. Id enim animal ab initio conformavit, auxit, & tanquam omnium operum naturalium cauſa nutrivit. Natura igitur perinde atque innatus calor tria comprehendit, humidum primigenium, ſpiritum, & calorem, omnia quidem uno eodemque ortu ex ſemine prognata.

Non ſolida quoque & carnoſa ſubſtantia.

Quum veteres naturam & vitium ſubſtantiam tum ex ſpiritu tum *ex carnoſa* ſpecie tum *ex ſolidis* ipſis ſimul junctis conſtare & compleri pronunciant, potius ea quibus ſuſtinentur vires, enumerant, quam proprie naturæ nomen uſurpent, cum carnoſa illa ſpecies nequaquam ſit à ſemine contracta: quæ autem vere natura eſt, tota ex ſemine naſcens, animal effinxit, huicque totius viæ curſu moderatur. Quæ pure natura dicitur, carni non eſt ingenito, ſed in hanc ex ſolida ſubſtantia cui peculiaris eſt, confertur. Corporis natura, quę & innatum calidum, in ſolidæ partis craſſamento tanquam in materia conſiſtit: ut hæc ſolida ſeminaliiq; ſubſtantia aliorũ omnium more, ex materia & natura conſtitui intelligatur.

Ex Galeno 2. Aph. 14.

Tres tamen illa ex elementis conſtant.

Cæterum hæc ipſa principia, non ut quę ſolent accurate à phyſicis tractari, ſimplicia ſunt & omnis compoſitionis expertia: ſed etſi forte ſenſu ſimplicia judicantur, cogitatione tamen *ex primis conſtant elementis* ſe prioribus. Craſſamentum enim quod ſubſtratum atque ſubjectum eſt, ex denſis terreniſque elementis plurimum quidem conditum eſt, non tamen tenuiorum prorſus expers. Natura quæ in illo viget, humido primigenio & ſpiritu calido perficitur, que aëris atque ignis plurimum in compoſitione acceperunt, ſed tamen terræ & aquæ nonnihil, licet id omnino minimum: ut medicis nulla prorſus ſubſtantia ſit, quæ non ex quatuor naturarum temperatione ſit concreta.

Vnde non male earum temperamentum quoque natura appelletur.

Hinc fit ut rurſum naturam quodammodo liceat appellare primum id *corporis temperamentum*, quod à prima ſtatim origine ex elementorum & caloris divini perfuſione contractum eſt. Illic tanquam in prima functionum omnium cauſa conſiſtunt, quicunque caducæ naturæ limitibus coërciti, nihil ſupra hanc divinius quicquam neque ipſam animæ ſubſtantiam inveſtigant. His igitur natura eſt temperamentum in ſpiritu & humido primigenio ſitum: quod quoniam caloris dominio vincit, calorem quoque nativum appellant.

Alia vocis naturæ Significat. 1. De nat. hum 1. 17. & 12.

Tot modis natura dici ſolet: nam quod *Hippocrates* aliquando quatuor humorum congeſtionem, aliquando corporis formam & figuram hoc nomine ſignarit, præter uſum eſt & conſuetudinem loquendi.

His jam decurſus, plenius adeunda nobis eſt innati calidi & ſpirituum tractatio, quorum gratia hic à nobis liber fuerat inſtitutus.

Caput VIII.

Vt innatum calidum ætatum inclinatione, ſtatus mutationem ſubeat.

Ex Galeno 1. Aph. 14. 1. De San. tuend. c 2. *In ortu ſummus eſt tum calor tum humor.*

Abundanter calida humidaque eſt innati calidi ſubſtantia, eo cumulatior & plenior, quo magis ſit caloris humoriſque particeps. Talis eſt omnino in ſemine miſtiſque ortus noſtri primordiis, quæ caloris atque humoris nativi ſummum habent complementum, ut alias nunquam plenius affluere poſſint. Quæ ortui proxima eſt ætas, tanto iſtorum abundantia circumfluit, quantam nulla ætas conſequuta aut arte aut induſtria poteſt excedere, ſed ne parem quidem atque primo ortu acceperat, vel exquiſitiſſima vivendi lege conſervare, alioqui perpetuari & ſempiternis ſeculorum ætatibus ſuſtineri poſſet animans.

Temperatus tamen. Illa porro summa cum sint infantium ætate, *moderata tamen esse dicimus*, ipsamque innati calidi substantiam bene temperatam. Qui enim in hac calor inest, licet sit summus, quia tamen humido perfunditur, mitis est omnino & blandus, nulla feriens acrimonia. Sic & humor licet uberior, haud tamen diffluit, sed calore coërcetur: sic summa quæ sunt, ad moderationem quandam exquisite sunt temperata, ut infantibus & puerulis redundans humor, pari quodammodo spiritu & calore sit aspersus.

Humor ætate exsiccatur. Hinc ætate progrediente sensim *vi caloris membra siccescunt*: simul quoque & robur & incrementum consequuntur, non modica quidem humoris portione in accretionem profusa. Id itidem sentiens *Hippocrates*, ait *corpus quodcunque augescit & robur accipit, necessario calidum esse, illaque ob innati calidi vim conferri.* (2. de natura humana. t. 13.) At vero cum jam ossa, nervi atque membranæ non ultra sequi ducive possunt, incrementum omne sistitur: tum vero membris summum robur inest, summæque vires insunt ad animalium operum functionem. Quæ profecto argumento sunt, ætatem floridam humidum primigenium jam siccius obtinere. Cæterum hæc ætas inter extrema medium occupavit, neque ut senium ingenti siccitate inarescit, neque ut infantium ætas humore multo affluit: atque in ea mediocritate tametsi humor non satis ad incrementum suppetit, satis tamen est quo possit ingenitum calorem & spiritum, quantum à primordiis acceperat, quodammodo asservare.

Calor usque ad statam ætatem æqualis sentitur, quia ensim acrior fit. Ita enim existimant *parem adolescenti atque infanti insidere calorem*, quia quantum substantiæ caloris perpetuus ille fluor ab ineunte ætate dissipavit, tantundem qualitatis & acrimoniæ genuit attulitque adolescentia: quandoquidem ficciore facta materia solet calor omnis vires suas vehementius proferre. Hac igitur vicissitudine quia disperdita substantia qualitas increvit, parem calorem sensus æstimatio illis fortasse decernit.

Imminuitur ejus copia. (2. De nat. hum. t. 12.) At vero infantis plurimus est naturalis calor, isque blandus & halitus similis, ut substantiæ æstimatione *Hippocrates hominem prima die calidissimum* statuat. Juveni autem caloris substantia, non potest non esse ad quandam paucitatem atque exilitatem redacta, quam ob causam is revera minus est calidus: at si qualitas spectatur, calore est acri & intenso. Qui calidissimus est infans, is pariter bene temperatus est, ad cunctas naturæ perfunctiones accommodatus. Hujus vero comparatione juvenis intemperatus censetur, qui acrem igneumque calorem est consequutus, quem etiam adventitium externumque appellant: non quod extrinsecus assumptus sit aut accesserit (illuc enim suopte impetu invectus est & sublatus) sed quod bene temperati limites egressus & extra eos positus, non similiter atque ille ad naturæ munera vires habeat. Itaque infantes nativo calido excellunt, juvenes adventitio: multoque magis qui febre jactantur: at nativus in istis non inest pristino æqualis, nedum major.

A vigore ætatis etiam qualitas remittitur. Sed ad nos jam redeamus. *Ab summo ætatis vigore sensim qualitas* & acrimonia caloris *marcescit*, & paulatim collabitur, usque eo dum is extremo senio languidus contabescet. Quicquid enim subest tanquam calori pabulum, id universum incendio deflagrat ætatis vigore, ut tum acerrimus calor omnia vorans sese nequeat amplius effundere. Hinc vero quoniam nimium exesa dissipataque insiti illius & primigenii humidi substantia, non est satis apta pari calori fovendo, necessum est ut dum sensim humidum absumetur, calor quoque pariter obsolescat: & (ut ait *Hippocrates*) *dum corpus arescere incipiet, defluens ad ruinam frigidius efficiatur*: diebusque postremis quanto plus homo extabescit, tanto frigidior necessario reddatur, ut sui ipsius ratione sit postrema vitæ die frigidissimus. (*Consumpto humido primigenio.* 2. De nat. hum. t. 14.)

Hac igitur ratione innati caloris alias stbstantia, alias qualitas ætatum progressu ad ruinam defluens, in perniciem agitur.

Atque ita Calor se ipsum destruit Cæterum quoniam exhausto pabulo calor una restinguitur, si hic causa est quæ pabulum absumit, ut certe est, fiet protinus idem *calor interitus sui causa*. Gaudet quidem & jucunde fruitur humidi commercio, cujus etiamsi interitum non expetit, ipsum tamen necessario affert: sublato autem humido consequens est & calorem tolli. Unde hic calor dum conservari & perfici naturaliter desiderat, semet ipsum is conficit & interimit: & quem sui occasu & obitum non intendit, eũ tamen conficit.

 Sed

Non per se, sed ex accidenti. Sed quoniam nihil quod genitum est & natura constat, primum & per se sui exitium molitur, sed quam longissime prorogari & in rerum natura consistere peroptat, ne ipse quidem calor per se & ex instituto, sui interitus causa fuerit, verum ut dicere solent *ex accidenti* & alterius interjectu. Nam aliud quippiam agens, ipse quippe humidum conficiens, se ipsum pariter diripit atque vastat. Quocirca non alia est ortus nostri, alia interitus causa, sed quæcunque nos genuit & moderatur, ea tandem extremum vitæ diem morte conficit.

Objectio. *Dixerit hic aliquis.* Si summus ætatis vigor calorem profert tactu acerrimum, senectus autem ignavum & inertem. necessitas est, medio transitu moderationem quandam percipi caloris, qualem & superior de temperamentis tractatio confirmavit. Quid est igitur quam ob rem non hanc similiter ut infantium ætatem, aut fortasse convenientius liceat in temperatis numerare?

Solutio. Nunc *sane diversa* nobis atque tum est temperati ratio: illinc enim temperamenta tactu & qualitatis ordine, hic substantiæ copia & ubertate dimetimur. Quæ enim floridæ succedit ætas, tactus judicio temperatum præbet calorem, at vero paucum id est, nec ei simile quod summe expetitur laudaturque omni vita, & quale infantium ætati inest plurimum, naturæ muniis congruentissimum. Pollet enim hæc ætas ejus humidi facultate, quod tum naturæ jucundissimum, tum calori affine temperiem accersit, subsidiumque confert ad actiones. Altera vero quia siccior, adventitio calore continetur, qui tamen tactione mediocris deprehenditur. Etsi igitur quicunque nativus calor integer est & valens, is continuo est temperatus: non id tamen retro commeat: ut qui temperatus sensus judicio confirmatur, is nativus sit & nostræ naturæ familiaris.

Magna enim caloris & humoris innati societas. Hic animo tractare & contemplari liceat rem cognitione dignissimam, *humidi quippe primigenii, atque caloris societatem.* Tanta enim est horum consentiens, conspirans, & continuata cognatio, ut semper mutuas operas conferant, nihilque unum efficere possit alterius ope destitutum. Juveni siquidem etsi par quodammodo atque puero calor insidet, naturæ tamen operibus ille obscurior & infirmior est quam puer, quod quadam ex parte exhausto humore factus sit aridior. Quod plane argumentum est humorem insitum non minus atque calorem ad naturæ opera conferre.

Calor tamen sine humore potest perire. At certe *illa esse diversa*, declarat quæ per ætates incidit mutatio: dum altero constante alterum sensim dissipatur. Huc pertinet quod humidum tanquam fomentum & pabulum est caloris, calor autem illius beneficio sustinetur: hic ut efficiens est præcipuum, humidum vice materiæ substernitur calori, magisque patitur. Quibus magna vi frigoris insitus calor repente extinguitur (quod hyeme per Alpes iter facientibus tempestas Aquilonia inferre solet) humidum fere superest: quid enim potuit insperata & repentina morte id tam subito disperdere?

Non humor sine calore. At vero contra humidum evanescere dissolvive non potest superstite calore. Qui extrema senectute confracti, naturæ necessitate mortem oppetunt, iis una cum calore innatum humidum disperditur, ut illius nihil restet aut certe perexiguum, quod non sit satis asservando calori. Itidem fere sustinent qui tabifica febre arescentes immatura morte decedunt.

CAPUT IX.

Vt innatum calidum per anni tempora & per regiones mutetur & multiplex illius appellatio.

Ex Galeno 2. Aph. 15. Vt per ætates, ita & per anni tempora innatum calidum mutatur in quantitate. QUalem ætatum decursio affert calidi nostri commutationem: talem existimavit *Hippocrates* ex anni temporibus nobis obvenire. Etenim hyeme copiosa in nobis substantia caloris affluit: æstate vero dispersa decedit. Hyeme quidem circumsepientis nos aëris frigus corpora contingens, calorem cum sanguine & spiritu, quorum est comes, intro repellit in profundum, forisque cutis spiracula astringens, caloris substantiam cogit & ita coërcet, ut nihil ejus aut minimum possit effluere: sicque

que illa partibus intimis vires colligens, multo quam prius robustior evadit. Æstate contra, quoniam ambientis fervor corporum spiramenta laxat, & interiores tum humores foras elicit, necesse est substantiæ caloris plurimum in confinem aërem diffluere atque dissipari, exiguum vero intus contineri. Ver & autumnus istorum moderationem quandam invehunt. Hunc igitur in modum anni tempora caloris substantiam augent minuuntve.

Et in qualitate. Ejus vero *qualitatem sic commutant*, ut æstas ferventissima exiguam quæ in nobis concluditur substantiam torreat ardore, efficiatque ut temperata quæ fuerat, naturæ metas plerumque excedens, adventitia reddatur. Hyeme ex frigoris sævitia substantia caloris nihilo fit frigidior, sed priorem statum retinet, iis maxime corporibus, quæ plurimo sanguine & calore prædita sunt. *Qua ratione.* Exanguia autem (cujusmodi eorum sunt animalium quæ per hyemem degunt in latibulis) ut omnia frigorum injuria læduntur, sic plurima extincto calore de vita decedunt, imo & inter homines ut omnium externæ saltem partes refrigescunt, ita quicunque imbecillo sunt corpore, aut sine sensu & motu tanquam delumbati jacent, aut prorsus ex hominum vita demigrant. Jam vero calidi commutationē quæ per anni tempora fit, si quis eiconferat quam ætatum inclinatio protulit hyemis parte postrema, ut ineunte ætate, uberrimū deprehendetur innatum calidum: vere autem eam sortietur conditionem quam in pueritia & adolescentia: æstas proportione respondet florenti ætati: autumno ob eam quæ æstate fit dispersionem, pauca est substantia caloris, sed ea minus acris quam æstate, unde possit autumnus inclinanti & præcipitatæ jam ætaticonferri. Sub autumni finem hyemisque ingressum, calor in nobis modicus inest: qui quoniā corpus etiam tum laxum est & patens, prompte refrigescit, eique non admodum fit dissimilis qui senectutem de crepitam tenuiter fovet.

Similis & innati calidi ex regione varietas. *Regionum varietas similis vere mutationis est occasio.* Quanto enim ad Austrum & medium illum circulum, qui Solis ardore torretur, magis inclinata est, tanto paucior hominibus inest calidi substantia, ipsa vero qualitas acrior. Contra quantum regio ad Aquilonem vergit, tantum in corporibus abundat beneque temperata est innati calidi substantia, nisi forte cum ad ultimas terræ regiones acceditur, in quibus præ frigore vix ullum animal hyeme vitam agit.

Existit autem hoc loco *quæstio subdifficilis*, qui fieri possit ut hyeme quam æstate innatum calidum sit uberius: nunquid forte tum augetur ea partium solidarum substantia quæ olim à semine dimanavit?

Cum assiduo substantiæ fluore corpus nostrum sensim dissolvatur, neque vitare possimus ingenitam nobis senii ac interitus necessitatem, fieri certe non potest quin de propria innati calidi substantia continenter quædam fiat decessio, non modo majoribus illis ætatum decursionibus, sed & quovis anni tempore tum calido. *Hyeme tamen verum calidum innatum non augetur.* Quanquam enim ambiens aër minus hyeme quam æstate dissipat, interior tamen noster calor non minus pabulum suum populatur & conficit. Quod si forte coërcitus, intus calor concoctionem augeat, & benigni succi copiam exaggeret ad partium nutritionem, instauretque humidi nativi portionem quæ perpetuo illo fluore periit, perspicuum tamen est quicquid accedit instauratione, plurimum ab ejus integritate deficere quod evanuit, quodque olim fuerat à semine comparatum: alioqui immortale fieret animal. Quo fit ut de innati calidi substantia quotidie magis magisque detrahatur, neque possit ulla hyeme abundantior esse quam æstate pretergressa: quemadmodum neque florentium ætati potest vel optimis alimentis par ei comparari, quam infantium ætas præ se ferebat.

Sed tamen *Hippocratis* sunt illa: *Ventres hyeme & vere natura esse calidissimos, tum vero & magnam innati cal di copiam inesse.* *Nec id dixit. Hippoc. 1. Aph, 15.*

Ab hoc igitur Medicinæ parente cum nefas sit descivisse, verborum illius vim & bene dicta sic interpretari consilium est: eo loco innatum calidum non eam puram substantiam appellasse, quam solidæ partes à semine contraxerunt, & quam aphorismo superiore, crescentium ętati plurimam esse prodiderat: verum vel eam impuriorem jam factam auctamque uberioris alimenti appulsu, vel omnem substantiam quæ moderato & miti calore sit prædita, sive ea pars nostri sit corporis, sive m.nus. Hac

notione sanguis & arteriarum spiritus ipsaque corporis moles innati calidi substantia sunt; sicuti & eadem naturæ appellatione diximus quandoque contineri: qua etiam pubescentibus plus calidi inesse quam infantium & puerorum ætati, quivis recte censuerit. Veruntamen calidum hoc impurum est, neque innatum id ipsum est, quod à prima origine semen nobis indiderat. Itaque naturalis calidi substantia cum

Duplex enim calidum, innatum appellatur.

A bifariam dicatur, aut purior illa partium solidarum à semine ducta, aut ea ipsa nutritione aucta factaque impurior adultis; atque etiam liquidem omne corpus mediocri calore perfusum, sive id sanguis sive spiritus est: fieri quidem haudquaquam potest, ut una eademque nominis ratione, crescentium ætas & hyems plurimum habeat innati calidi: sed qui ita pronuntiat, necessario ὁμωνυμίαν inducit.

CAPUT X.

Nativi tum caloris, tum spiritus differentiæ hosque partibus singulis insitos, aliunde influentibus gubernari.

Ex Gal. 5. de simpl. cap. 9. *Calidum innatum singulis partibus insitum esse.*

PArtem *unamquamque similarem innato calido* & proprio spiritu *instructam* esse quoad in vita sit animans, neque citra opem illorum posse unquam consistere, perspicuum jam est & evidens.

Similares partes non uno eodemque omnes temperamento tenentur, sed os frigidius est aridiusque nervo, nervus, uti & membrana, carne frigidior atque siccior. Quoniam igitur compositæ rei temperamentum ex simplicium quibus constat permistione nascitur, fit necessario ut eæ substantiæ quas parti cuique similari datas esse meminimus, diversam in hac atque in illa parte tum speciem tum substantiam sortitæ sint, neque una temperamenti lex atque modus insit omnibus. Quare qui *in osse* inest *spiritus, ab eo distat qui in nervo*, hic rursum ab eo qui moderator est carnis. Sic humidum primigenium ipsamque innati caloris substantiam aliam os adeptum est, aliam nervus, aliam caro, uti & pars unaquæque similaris. Est autem in his varietas non modo ex substantiæ multitudine, sed ex primorum elementorum unde conditę sunt temperatione profecta.

Singulis similaribus diversum. Ratio 1.

Ratio 2.

Qui partium functiones studiose animadverteret, & quod neque os nervi neque nervus carnis substantiam gignere possit aut resarcire, neque contra; hac adductus functionum discrepantia, quæ illas tota specie discludit, mox opinor causas quæ illarum sunt effectrices, pari intervallo disjunget. Hæ autem quum sint spiritus & innatum calidum, quibus naturę substantiam compleri diximus, consequens est, toti-B dem statui spirituum innatorum, totidem & humidorum & calidorum & naturarum varietates, quot partium similarium differentias numero dimetimur, ut uniuscujusque partis sua hæc sint, cæterarum nulli eadem prorsus impertita.

Ex Gal. 7. de placit. cap. 3. 12. Meth. cap. 5.

Quæ *partes corporis principatum obtinent*, jecur, cor & cerebrum, tum natura, tum spiritu præpotente valent, ut non se ipsis duntaxat gubernandis dent operam, sed alios de se *spiritus* tanquam jugi *de fonte promant*, in omne corpus propriis ductibus derivatos. His quicunque partibus singulis ingeniti sunt spiritus, aluntur: his in vires functionesque suas concitati, constantem & perpetuam operum functionem edunt.

Partes principes influentes spiritus promunt tres.

Unde intelligitur, præter innatos spiritus qui stabiles & in unaquaque parte fixi C sunt, *tres* insuper errantes & vagos influentesque existere, unum *naturalem* è jecore per venas in corporis extrema diffusum: alterum *vitalem*, quem cor assiduo per arterias emittit: tertium *animalem*, qui in cerebri ventriculis genitus, hincque per nervos profectus, partes irrigat sensus motusque compotes. Hunc quidem in cerebri ventriculis viisque sensuum contineri, quemadmodum & in arteriis vitalem, inter omnes medicos jam plane constat: at *naturalem ex jocinere proferri*, non usque adeo est sensu compertum.

Naturalem *Vitalem.* *Animalem*

Cæterum si vis est ulla demonstrationis, neque sunt omnia sensuum testimonio fulcienda, conficient supra adductæ *Aristotelis* rationes, si qua in jocinere communis & influens statuitur naturalis facultas, illinc

Naturalem etiam dari Aristotelis probatur.

linc quoque naturalem spiritum dimanare; qui ejus distribuendæ sit vehiculum. Non enim sanguis ad id muneris satis est accommodatus, qui nempe crassior mediam inter corpus facultatemque substantiam non est sortitus. Ergo universum animal gubernant principes tres facultates, totidem spirituum vehiculis, ex suis quæque fontibus, per proprios canales in omne corpus distributæ.

Galen. 7. de placit. cap. 4.

Partes omnes his insitis & influentibus spiritibus gubernantur.

Nulla pars in nobis aut calorem aut insitum spiritum, aut vires ab ortu datas potis est retinere *citra influentium spirituum vires*, sed brevi omnia conciderent à principiorum viribus & favore destituta. Itaque quum sint partium corporis aliæ principes, ut cerebrum, cor, & jecur, adde si videtur & testes: aliæ ab his natæ & quasi earum viribus subservientes, ut nervi, arteriæ, venæ, seminis vasa: reliquarum omnium insitę vires influentibus inde viribus gubernantur.

Aliæ manifestius ut musculus: *aliæ obscurius*, ut os, cartilago vinculum. In has enim partes tametsi neque vena inseritur quæ sanguinem, neque arteria quæ spiritum perferat: satis tamen hæc in illas derivari declarat assidua quæ fit earum nutritio. Neque enim citra influxum possint eæ persistere & vita teneri. Nulla igitur se ipsa duntaxat gubernatur: nisi id fortassis ita accipiendum quis velit, quod non per manifestos & patentes ductus, musculorum & interiorum viscerum modo regatur. Hæc si quidem ut uberiores spiritus atque vires acceperunt, sic venis, venis arteriis atque nervis indigent, quibus manifesta sit & conspicua gubernatio.

Influunt per venas arterias nervos.

Ex his denuo planum fit & apertum, tum vitalem, tum naturalem spiritum in omne corpus effundi atque diffluere, eoque pertingere ubi neque vena, neque arteria est: harum enim adminiculo non ubique indiget: *animalem autem spiritum nusquam posse citra nervos* aut eorum villos atque stamina contineri, aut vires suas prodere. Optima id quidem ratione a natura institutum, quod pars unaquæque nutritione & vita, non autem sensu & motu indigeret.

CAPUT XI.

Naturalem spiritum fieri materiem vitalis atque animalis utque spiritus & aliæ substantiæ partibus ingenitæ alantur.

Ex Galen 7. de placit. c. 3. 12. Meth. c. 5.

Naturalis spiritus procreatio.

Hac autem ratione insiti spiritus & aliæ solidarum partium substantiæ servari nutririque solent. Alimenti purior magisque aërea portio, concoctione in eam transit sanguinis tenuiorem substantiam, quæ vaporis speciem quandam exhibet. Ea tum à spiritu jecori ingenito vim accipiens, ejusque ubertate penitus perfusa, *spiritus fit naturalis*, reliquo sanguine tanto præstantior, quanto jecoris molem vis ei naturaliter insita præcellit.

Vitalis spiritus creatio.

Hujus spiritus quantum per venam cavam una cum sanguine effertur, & in cor invehitur, illic denuo caloris vi accuratius elaboratum tenuatumque, in aëris prope speciem mutatur: atque ex dextro cordis sinu per communes eosque arctissimos aditus, in sinistrum sinum viam capessit & permeat, ubi hausto per pulmones aëre temperamentum, materia quædam fit, cui calor & vis concessa vitalis, *spiritum profert vitalem* per arterias toto corpore diffusum atque consertum.

Spiritus animalis ut generetur.

Quæ portio istius per cervicis arterias in cerebri basin rapitur, tertio contextus illius admirabilis anfractu mitigata, mox in cerebri ventriculos per contextum alium choroidem appellatum confertur. Illic exhausto per nares elaboratoque aëre, fomentum incrementumque recipit, & vi proprietateque spiritus qui cerebro est ingenitus, conversione quadam *spiritus fit animalis*, æthera plane imitatus, ad motum, ad sensum, ad omnes denique animales functiones apte comparatus.

Unde iterum concluditur naturalem spiritum dici debere.

Itaque vapor ille sanguinis in jocinere natus, si vitali spiritui, deinde & animali sese materiam & quasi alimentum exhibet, *debet* primo statim *spirituum ordine collocari.* Quantum hic à vitali, tantundem profecto & vitalis ab animali tenuitate differt: etenim naturalis, vaporem æmulatur, vitalis aëreus est, animalis autem æthereus. Vitalem peræque ac animalem, si spiritum dicimus, quid non pariter naturalem eadem appellatione notemus? Quæ in substantia spiri-

spirituum varietas inest, efficit quidem ut non unius ejusdemque ii sint naturæ: at genus unum communemque appellationem eos participare quid quæso obstabit?

Is instaurat insitum spiritum.

De his quidem ita sit statutum. Qui *naturalis* spiritus est appellatus, supra reliquos hoc peculiari munere preditus est, ut quam propriæ facultati se vehiculum exhibuerit, *alimentum* deinde se offerat ei alendo *spiritui*, qui suus est cuique parti similari congenitus. Ita enim convenit unamquanque hujus substantiam convenienti atque idoneo foveri alimento.

Reliquam sanguinis partem solidum humidumque primigenium.

In eo porro humore qui per ora venarum in partium vacuas regiones tanquam ros aliquis confluxit, quicquid crassius & concretum magis est, id solidæ substantiæ crassamentum, in alimentum sibi allicit atque jungit: quicquid autem tenuius est, & olei cujusdam particeps, humidum illud primigenium fovet & alit: vapor illinc sublatus una cum naturali spiritu, ingenitum partis cujusque spiritum continet, simul vero & circunfundentis nos aëris per diastolen transmissio.

Reliqua quæcunque similari parti insidet substantia, id sibi allicit reponitque in alimentum, quod in affluente humore medium est inter vaporem & crassiorem substantiam. Itaque particulæ toti similari alendæ unus sanguis sufficit: sed cujus singula convenientibus earum singulis accommodantur, ut suo posthac loco plenius afferetur.

Quarti libri de Spiritibus & Innato Calido finis.

LIBER QUINTUS
DE
ANIMÆ FACULTATIBUS.

Caput I.

Quid anima.

Absoluto tractatu de corpore.

TErreno concretoque *corpori quicquid finitimum* natura nobis ingenuit, quicquid affine in unum quasi concentum nexuit, sive aspectabile, sive abstrusum id & sensibus incompertum foret, sic omne *superior commentatio explicavit*, ut nihil insuper desiderari posse confidam, quod ejus fabricationem & structuram plenius adornet.

De anima sequitur inquirendum. Ex Arist. lib. 2. de anima ca. 1. & 2.

At quoniam non in solius corporis, sed in hominis qui ex corpore & animo constat, meditatione versamur, quum ad exitum jam perducta sit corporis tractatio, nunc *animi ejusque partium & facultatum contemplatio* jure *adeunda* videatur, si quidem ullum est studium & percipiendi hominis atque cognoscendi.

Cumque ejus natura ignota, ex operationibus per vestiganda.

Involuta nimis & obscura animæ cognitio, & quam ceu minus obviam non sit promptum attingere. Quocirca sensus nostros effugientem illam, *solis functionibus operibusque* proditis, cernere mens possit: uti & unamquamque reconditam causam ex effectibus qui conspicui sint & objecti sensibus, ea solet excutere. Itaque dum in vivis est homo, plurima munera exequitur, quæ morte consumptus ne minimum quidem dem attigerit: quod argumentum sane est horum, munerum non corpus ipsum efficientem causam haberi, sed in esse quippiam viventi, quo sit is præstantior atque potentior demortuo, & quo ad obeunda munia se comparet.

Quæ operationes animæ non sunt

Inest quidem iu homine quædam actionum habilitas & efficientia: ipsa denique vita quæ propria quædam est viventis functio: verum *actionem* veterum philosophorum more *animam sensere*, quæ dormientibus nobis extra corpus divagetur, vigilantibus

tibus in id remeet, nisi forte immodico sopore longius profecta remigrare non possit, *anile* sane & plenum superstitionis est. Quare quum sint actiones in eorum accidentium genere quæ continenter abeunt prolabunturque, quemadmodum & motus omnis, neque à se ipsis unquam firme subsistant: necessarium est, quoties actiones obiri cernimus, superiorem his causam mente complecti, quam illæ velut umbra corpus consequantur.

Sed earum causa.

Ergo actionum vitæ stabilis & constans quędam in nobis est causa, qua presente vita actioq; omnis perficitur, qua decedente simul vita perit atque dissipatur. Hanc, tantisper dum nequeunt aliter illius essentiam cognitam habere, omnes quidem animam esse profitentur.

Ut sit anima *principium & causa functionum viventis corporis.*

Et quidem corporis viventis sive organici.

Nihil vero refert si quis organici corporis perfectionem esse statuat. *Quod* enim vivens est corpus, id *continuo* naturale est & *organicum*. Nam quatenus vivit alimento sane utitur, organaque adeptum est tum ad concoctionem, tum ad alimenti distributionem accommodata, sine quibus neque alimento uti possit, neque vivere. Ergo quum vivens omne corpus statim sit organicum, quicquid illi vitam conferet, actionesque vitales inducet, anima censeatur: ea autem totius est perfectio.

τοῦ ὅλου ἐντελέχεια

CAPUT II.

Animæ genera, partes & facultates quot & quæ sint.

Ex Arist. lib. 2. de anima c. 2.

Animarum Animatorumque differentia.

Viventis corporis species est anima, cui vita tanquam propria peculiarisque actio comes est & socia. Cuicumque igitur illa insidebit, id animatum reddet pariter & vivum, animamque sortietur ceu veram essentiam, vitam vero ut propriam illius functionem. Unde exquisita animatorum ab inanimis differentia per animam & *animatorum ordines ex animæ differentiis* vere decernuntur. At nihilominus quoniam plerunque relicta essentiæ obscuritate, ad ejus proprias fūctiones quæ manifestiores sunt, divertimus, idcirco ex his plerunque differentias recte nobis comparamus. Sic philosophi præstantissimi & animam vita definierunt, & ex vitæ differentiis animæ genera protulerunt.

A vita desumuntur.

Quos & nos hic sequuti, ab infimo viventium ordine per singulos gradus ad hominis usque naturam progressione facta, ex vitæ functionibus, quod alia corpora solius naturæ beneficio vivant, quæ φυτὰ, id est, terra edita dicuntur, alia sentiant, alia ratione & intelligentia predita sint, *tres viventium differentias* mente complectimur, *naturale, sentiens, & intelligens*: tres quoque animæ species iisdem nominibus insignitas, quæ sunt naturalis, sentiens, & intelligens: quibus hæc respondet viventium genera, φυτὸν, id est, terra editum sive stirps, brutum, homo. Etenim proprie illa inferiorum generum conditionem subeunt, quod disclusa disjunctaque separatim subsistant: quod nunquam in idem coire conciliarique possint: quodque sigillatim de unoquoque animæ nomen enuncietur.

Qua triplex anima

Naturalis.

Quæ enim in satis ac stirpibus *naturalis* inest: ea sane est anima, à qua & stirpes animatas dicimus, licet nondum animalia: quę item belluis præest *sentiens*, ea quoque anima est, quæ non animatas modo, sed etiam animalia illas efficit. *Intelligentem* demum hominis mentem nemo fuerit qui animam esse non dicat. Sic autem sejugatæ sunt atque distractæ, ut neque quæ hominis intelligens est anima sit sentiens, neque quæ belluis sentiens imperat, sit naturalis, ut neque homo bellua, est neque bellua stirps: alioqui in magnam confusionem adigerentur rerum species. Quinimo eidem nequeunt pariter insidere intelligens & sentiens, vel sentiens & naturalis: quoniam neque complures substantiarum formæ, revera ejusdem esse possunt subjectæ materiæ, neque idem liceat belluam & fruticem appellare, neque belluam & hominem.

Sentiens.

Intelligens.

Ex Galeno 9. de plac. cap. 9.

Ea nomina generum animæ partium quoque sunt.

Hæc igitur tria sunt discreta animæ genera. Efficit autem nominum inopia, ut *iisdem quoque appellationibus tum facultates* animę designentur: unde permagnis sæpe obscuritatibus scripta latent involuta. Ita enim quic-

quicquid intelligens est continuo sentiens esse dicimus id est sentiendi facultate præditum, & quod sentiens est, id quoque fatemur naturæ facultatibus teneri: ut hæc non principium formarum, sed vel partium, vel facultatum sint nomina.

Partes animæ quæ. Partes animæ eas dici velim, *quæ sociatæ atque connexa, in totius unam & integram substantiam conspirant, quibus seorsum singulis non apte potest totius nomen accommodari.* Quæ tria modo ante oculos posuimus, intelligens, sentiens, & naturale, *in homine* quodammodo comprehenduntur, ut *partes sunt animæ*, non autem ut genera: eadem disclusa sedibus, genera constituunt.

Eæ tres in anima intelligente. 2. de anima cap. 3 Animæ partes geometricis figuris recte visus est *Aristoteles* contulisse. Inter primas B est trigonus, qui neque ex aliis se prioribus constat, neque ab angulo in angulum alterum exporrecta linea dividi potest Secundus ab hoc est tetragonus, qui trigonum potestate concludit: ut pentagonus tetragonum atque trigonum. Ut igitur in pentagono qui simplex est figura, trigonus & tetragonus ut partes insunt potestate duntaxat, non re ipsa (neque enim illic trigonum neque tetragonum, sed pentagonum duntaxat figuræ nomen & rationem habere dicimus, alioqui non simplex esset, sed jam ex compluribus composita figura) sic procul dubio intelligentem animam homini simplicem inesse statuendum est, cujus partes sint sentiens ac naturalis, non hæ quidem energia, sed potestate duntaxat C consistentes. Ea est partium animæ ratio.

Harum partium non sunt alia partes minores: sed facultates suæ singulis. Appetens vero, cogitatione fingens, & ad locum movens, neque genera, neque partes sunt animæ, sed *unius ejusdemque partis facultates*, ejus nempe quæ sentiens appellatur. Hæc non animantium ordines atque gradus secernunt: ut quædam sentiant quæ loco nequaquam moventur: sed adeo inter se connexa sunt & apta, ut dissolvi nunquam possint, & cuique animanti universa pariter inhærescant. Omnium quippe animantium tactus saltem est communis: hoc autem primo sensu quicquid præditum est, statim voluptatis atque doloris est particeps, potestque pestifera à salutaribus secernere, & quodam desiderio ad res salutares accedere: unde fit ut quicquid sensu ullo præditum est, id ilico appetitu quodam ornatum esse videatur. Quum autem res salutaris sensu percepta in communem sensum referetur, tum orietur voluptatis & eximiæ delectationis comprehensio, hæc vero deinde appetitum concitabit: sic comprehensione & appetitu impulsum animal eo trahitur moveturque ut optata consequatur & teneat. Quo fit ut quæ pars animæ sensu pollet, eadem pariter & phantasiæ & appetitus & motus facultates habeat.

Itaque non modo perfectiora animantia, sed & muscæ & vermes & universum insectorum genus, quinetiam ostreæ & conchylia & spongiæ, & quę inter frutices & animalia ambigunt, ζωόφυτα Græcis appellata, plantanimes à quibusdam dici cœperunt: hæc tametsi sede stabili vitam degunt, compuncta tamen in sese coguntur, diffunduntur vero lætorum occursu: indicium sane quod tum motu, tum sensu valent & prædita sunt. Ceterum ut in illis sensus appetitusque plurimum obscurus inest, ita & motus incertus atque confusus: ut hac ratione nonnunquam censuerit *Aristoteles* Lib. 3. de anima c. ult. motu illa privari, & eorum quæ sentiunt quædam loco moveri, quædam non moveri. Quocirca appetens, cogitatione fingens, & ad locum movens, nequaquam nova quædam animæ genera constituunt, sed quum sentienti ea semper insint & assideant, in id ipsum genus pertinent, cujus vires & facultates recte dici possint.

Est enim facultas *vis illa & potestas quam anima tanquam de sinu suo promit, & ad munerum functiones profert.* *Facultas quid.* Id autem perinde est atque si dixeris insitam & vernaculam animæ proprietatem: quæ ipsa quidem est accidens, sed animæ intimum atque adeo intestinum, ut plerisque illius essentia putetur. Hinc non raro unaquæque pars animæ, facultatis appellatione describitur. At cui exquisita nominum rerumque notio curę fuerit, is non essentiæ animæ, sed viribus quæ ab illa dimanant, facultatis nomen aptabit. Quotidianus quidem usus licet opera facultatibus referat accepta, ea tamen primum ab animæ substantia emanare censemus, quæ una facultates ad opus impellit.

Una siquidem *anima substantia facultatibus* & viribus se fundit atque ostentat: haud secus ac pomum, quod revera unum varias spargit

spargit qualitates, odorem, speciem, & colorem. Magnes lapis vim obtinuit, qua ad cœli se vertices convertit aspectumque refert, vim aliam qua ferrum ad se prolectat. Aloë vim & facultatem habet purgandi, ventrem corroborandi, vulnera conglutinandi, & obducendæ cicatricis. Itaque dum una animæ essentia complura de se profert opera, varias in hæc facultates accommodat, ut sit sua cujusque operis facultas, neque sint unius & ejusdem facultatis opera diversa.

Ea complures & quot opera, tot sunt facultates.

Unde quum *par* sit *operum atque facultatum numerus*, ex illorum differentiis harum quoque differentias liceat numerando percensere. Ergo cum uniuscujusque quatenus unum est & uno modo se gerit, unicus sit modus: si anima quæ simplex est substantia, aliis aliisque motibus varia efficit opera, varias quoque in hæc vires facultatesque tanquam instrumenta confert: quibus multifariam se exhibens diversos promit effectus.

Facultates non esse animas aut partes ejus probatur.

Has autem *facultates neque animæ substantiam, neque ejus ullam partem esse* inde intelligitur, quod illæ nonnunquam exolescunt atque pereunt integra superstite animæ essentia. Etenim vis & facultas augescendi post vigorem annis confirmatum intercidit & aboletur: quæque viridi ævo constans fuerat, exitum certum habet in ætate, tametsi eadem superest animæ substantia. Quinetiam nullo seminis concursu, sed quadam putrida colluvie quæcunque ultro suaque sponte prognata sunt: quæcunque collatis perfusisque diversorum generum seminibus emerserunt, ut mulus, ut leopardus; quanquam anima continentur sentiente, facultatis tamen gignendi sunt expertia: siquod ab eis semen editur, sterile id toto genere est ac minime fœcundum.

Ex quibus perspicuum est facultatem ab animæ parte hoc potissimum distare, quod illa possit ab animę substantia sejungi atque discludi, pars nulla queat separari quin tota simul anima disperdita solvatur. Facultas quamvis ingenita sit animæ, tamen accidit & inhæret: pars animæ substantia est & quædam illius ceu portio. Hæc seorsum constituta aut in stirpibus aut in beluis subsistit, illa disjecta nunquam consistit citra animæ ex qua pendet adhæsionem.

CAPUT III.

Quot primæ partis animæ sint facultates, quæ naturales appellantur.

Ex Aristot. 2. de anima cap. 4.

In functionibus anima princeps est causa.

QUoniam igitur facultates ex operibus internosci, & ex horum multitudine illarum numerum animadverti proditum est: quot uniuscujusque partis animę facultates sunt, quot earum differentiæ, nullo negotio potest recenseri. Opus unumquodque effectione quadam completur, & in lucem prodit: eaque effectio motio est efficientis. Efficiens igitur quippiam id præcurrat necessum est, aut fortasse complura, quorum tamen unum statuatur tanquam primaria aut *princeps causa*.

Facultas animæ instrumentum.

Hujusmodi est anima quę quum inter omnia quę in nobis sunt vi & efficientia præstet, propriis facultatibus quasi causis adjuvantibus & *instrumentis* tum corporeis, tum incorporeis, utitur ad omnia quæcunque obit. Facultates autem proximæ & continentes operum sunt causæ, quarum observationem atque cognitionem satis superque medico sufficere plerique censuerunt: in earum igitur investigationem nobis est diligentius incumbendum.

Ex Gal. 1. de nat. fac. cap. 4. 5.

Naturalis partium animæ facultates tres.

Partium animæ omnium ea prima statuitur quæ omnium viventium communis, natura & animæ *pars naturalis* dicta, sola stirpes regit atque moderatur. Hujus gestiones tres uti & tria opera cernimus in omni tum stirpium, tum animantium genere, quæ defecta non sunt & oblæsa ut mulus: eæ sunt, procreatio, nutritio & accretio: opera autem sunt stirps surgens è semine, aut qui utero geritur fœtus ac fingitur: augescens stirps aut animal: hoc salvum & vita conservatum. *Tres* præsunt ilis effectrices *facultates, procreatrix, altrix* & quæ *auctrix* appellatur.

Ex Gal. ibid. cap. 7.

Eo tempore quæque facultas dominatur.

Quo tempore fœtum gestat fœmina, omnes tametsi in commune idemque opus conspirant, *procreatrix*. tamen illa vis dominatum habet: edito jam partu ea languescit, moxque aboletur ut dentes emiserit quum-

quumque ab editione nulla jam pars gigni videatur, dentium duntaxat gignendorum gratia hæc manet incolumis : deinde *augendi facultas* viget, dum ad magnitudinis conſtitutum certumque modum hunc provexerit. Quod reliquum eſt vitæ tempus, in ſolius *altricis* eſt poteſtate: quæ quum vitæ totius ſit comes & conſervatrix, primis illa vitæ ætatibus aliarum duntaxat erat adminiſtra & auxiliaria: ut in utero ea quæ ad augendum valet, procreatrici ſubſidio venit atque ſuffragatur. Itaque prima ſeminis natura ab initio tribus illis eſt inſtructa facultatibus,quas inde naturales appellarunt. Hæ ſunt unius ejuſdemque partis animæ multæ vires, quę propriis ſe operibus exuſcitant & expromunt.

Si fœtus utero geſtatus tribus illis continetur, editus vero dum adoleverit duabus, reliquo vitæ curriculo unica, quonam illæ avolarunt? perieruntne prorſus, an illic præterea ignavæ jacent & quaſi feriatæ?

Quo corpus aptius ad ejus operationes admittendas. Perſiſtit una quidem facultatum ſubſtantia in diem vitæ ſupremum, neque à ſuis illa viribus manet deſtituta: quorſum enim genito jam animali eoque edito debeat procreandi vis perire? quid illam ſuſtulerit? Verum quoniam prima illa ſeminis natura quo vires ſuas exprimat, *idoneo corporis* alicujus & caloris *adminiculo* indiget, citra cujus opem ne minimum quicquam efficere poteſt : quum certe aut mutila erit & violata corporis integritas, aut ad effectionem materia deficiet, tum illa vacabit finemque conſtituet operi. Ut igitur magnetem allio perunctum quia ferrum allicere non poteſt, trahendi facultate orbatum dicimus aut ſaltem præpeditum: & cui ſuffuſio oculi aciem perſtringit, is obcæcatus dicitur, eique adempta cernendi facultas aut certe impedita: ita & qui ſenio confectus effœtum corpus & emeritum adeptus eſt, augeſcendi aut partes novas gignendi facultatem non habet : & quæ in illo eſt naturalis pars animæ ſi forte illæſa ſtatuitur, intercepta tamen eſt & corporis vitiis irretita.

Ex Gal. ibid. c. 6. Jam vero quæ & *quot ſingulis naturalibus facultatibus ſubſint partes*, excutiendum explicandumque eſt.

Procreatio quod. Procreatio *motio eſt qua ad novam ſubſtantiam perducit*.

A Dum autem quævis ſubſtantia in alteram commigrat, ut ſemen in os aut in cartilaginem aut in nervum,ea propriæ eſſentiæ commutationem & converſionem neceſſario ſubit, alioqui enim eadem ſubſtantia maneret: ſimul vero eadem in aptam & convenientem naturæ ſuæ figuram conformatur : hiſque duobus abſolvitur ejus procreatio, ſubſtantiæ commutatione & conformatione. Ergo quum ſit ſua cujuſque actionis vis quædam efficiens, erunt ſane procreatricis facultatis *immutatrix* & *conformatrix* (hæc quidem uſu mollienda ſunt) non ut duæ ſpecies,ſed utique partes, quibus illa abſolute completur. *Una* partis uniuſcujuſque ſubſtantiam qualem cernimus, ex ſemine produxit: *altera* figuram illi compagemque & ſitum propriis uſibus idoneum contulit. *Procreatricis facultatis partes duæ ſunt.*

B Ergo *quot* ſunt in nobis *ſimilarium partium ſubſtantiæ, totidem* plane recenſere licet *immutatricis* illius *partis ſpecies* quarum jam quæque ſubſtantiam propria quadam commutatione extulit. Alia enim oſſis, alia nervi eſſentiam complevit, & ſimiliter uniuſcujuſque partis ſubſtantiam ſua quædam facultas ingenuit, cui liceat à partis natura nomen imponere. Ad hunc prope modum multas quivis inſtituere poſſit conformatricis partis differentias, ut ſua cuique inſtrumento præſit, quæ propriam ei figuram atque poſitionem aſcivit. Omnes hæ quidem ad immutatricem & conformatricem referuntur ac pertinent, quæ duæ unius procreatricis ſunt partes Hujus autem C proprium hoc munus eſſe diximus, partes ſingulas ipſumque adeo fœtum perficere. *Utriuſque iterum tot ſpecies quot partes ſimilares ſunt.*

Quæ in adultis nobis *facultas ſemen conficit*, & in fœtus conſtitutionem exhibet, procreatrix dici non meretur, alioqui quæ vel ſanguinem vel lac vis generat, procreatricis quoque que nomen ſibi vendicaret: neque qui ſemen confert proprie generator eſt: non enim hic fœtus particulas effingit aut profert. *Vis quæ ſemen generat dici non debet procreatrix.*

Abundanter igitur ſic enumeratæ videri poſſunt quæcunque procreatrici parent facultates. *Ex Gal. ibid. c. 8.9.*

Altrix porro eſt *quæ adjectum alimentum in corporis ſubſtantiam convertit eique aſſimilat.* *Altrix facultas quæ.*

Quum enim corporis noſtri ſubſtantia aſſiduo fluore variis ex cauſis continenter diſſi- *Ejus functio.*

dissipetur, neque tamen præpropere absumi & consenescere id sinant alimenta, proprium certe altricis facultatis munus est nonnihil substantiæ disperditæ resarcire: quod quidem vel par est ei quod effluxit, vel eo uberius vel parcius.

Nutritio. Actio qua id efficitur *nutritio* est, nempe *adjecti alimenti in corporis substantiam conversio & assimilatio.*

Et quotuplex. *Quæ omnino triplex* deprehenditur, *una* priorem corporis habitum conservat, *altera* extenuat, *tertia* saginat & amplificat.

Animans omne quoad vitam degit, necesse est quodammodo nutriri, sive firma id, sive ægra sit valetudine: nunquam enim otio perfruitur illa vis altrix, ut quam plane naturalem esse constat.

Quæ à procreatione diversa. Objici autem potest corpori nihil assimilari, quod non plene conversum sit & commutatum: atqui ea commutatio nutritio est: non *aliud* igitur fuerit *nutritio quam procreatio*, in qua ex alimento tanquam ex materie, portio quædam substantiæ corporis progignitur.

Verum id quidem, dum os aut nervus alitur, aliquid fieri: at nihil prorsus fit quod ante non esset. Prius enim & os erat & nervus, neque ad hæc simpliciter facta est mutatio, neque ad substantiam se suis viribus sustinentem & solitariam, sed ad eam quæ pars sit alterius. Sunt qui non inepte hoc statuunt discriminis, nutritionem motum esse ad materiam, quæ prius existente forma ornetur: procreationem vero motum esse ad formam. Commutationem igitur quæ ad substantiam simpliciter & per se fit, procreationem: quæ vero fit ad substantiam alteri jam per se consistenti adhærentem, hanc nutritionem appellemus.

Ex Gal. 1. de nat. fac. cap. 7.

Auctrix quæ, auctio quid. Augendi facultas est, *quæ corpus quoquoversum porrigit atque profert.*

Ipsa autem illius gestio accretio est, nempe *corporis quoquoversum porrectio atque prolatio.*

Eam in solidis consistere. Quod corporis esse dico, non de unaquaque parte accipiendum: non enim si quid in majorem carnis molem atque tumorem dilatatur, id continuo augescit: sed tota incrementi ratio *ad solidas* duntaxat animantium *partes*, maximeque ad ossa pertinet, quæ si crescunt, animal pariter universum crescit, quanquam id ipsum fortasse tum macie extabescit.

Quoquoversum autem *porriguntur*, dum in longitudinis simulque latitudinis & altitudinis dimensiones contendunt atque diffunduntur, quod solius naturę est opus: nulla enim ars potest corpus, quantumlibet tenerum atque sequax, integra continuatione in omnem partem dilatare, sed si inlongitudinem protrahetur, necessario fiet aut latitudo aut altitudo contractior. *Et in omnem dimensionem fieri.*

accretio à procreatione differt. Augetur autem proprie quod ortum jam est, & integram formæ suæ absolutionem obtinet. Si enim ad hanc etiam nunc progressio fit (veluti quum domus exædificatur) non utique accretio, sed constitutio quædam est. Si pristina species excedit (ceu dum aqueus humor raritate diffusus vertitur in aëra) occasus quidem est & interitus, non accretio. Imo neque si aqua sic raritate funditur ut suam insuper speciem retineat, augeri tum putetur, sed rarescere: quia veterem suam soliditatem non retinet. Quod igitur accrescit, integra id jam specie absolutum est, neque illam incremento mutat, & pristina continuatione soliditateque corporis servata quoquoversum porrigitur & extenditur. Ex his palam fit quantum *ab ortu* vel interitu *distet accretio*: in illis ad novam substantiam, hic ad amplitudinem & molem fit progressus: gignitur quod nondum est neque speciem obtinuit; augetur quod forma perfectum consistit.

ad complementum nutritione indiget. Si quod augetur pristinam soliditatem debet asservare, necessum est hanc *nutritione* alimentique appulsu *confirmari*, ut quod auctum est in ampliorem molem fusum, inde sibi robur firmitatemque conciliet. Sic igitur accretioni affinis est & conjuncta nutritio, ut nequeat citra ejus opem compleri.

Est tamen ab ea diversa. Existimari hoc loco fortasse possit, ætate adolescendi dum sequax est corpus, pleniorem uberioremque nutricationem, esse eam accretionem quam proponimus: quod ipsum sequutus *Avicennas* censuit incrementum fieri non posse, nisi uberior alimenti fiat accessio, quam propriæ substantiæ decessio. *Lib. 1. f. 1. doc. 6. c. 2.*

Prima ratio. At vero plerunque cernimus, tum pueros, tum adolescentes febribus diuturnis-

que morbis oppressos, grandi macie torreri atque attenuari, qui tamen interea incrementum capessant. Hi quum parcius alantur, plane declarant, accretionem neque pleniorem nutricationem esse, neque illi perpetuo tanquam comitem assidere.

Secunda. Quinetiam quod sit uniuscujusque viventis corporis certus & constitutus incrementi modus, ad quem non nisi pedetentim statisque temporum spatiis pervenitur: quod etiam plerique eo sint statu, ut licet uberrime se saginent atque pinguescant, nunquam tamen liberalem illam proceritatem attingant: palam detegit altricem facultatem ab ea quæ in augendo est, non modo appellatione, sed & functionibus & editis operibus plurimum dissidere.

Augendi facultas non quemadmodum altera circa alimentum negotiatur, sed circa corporis partes solidas: his enim quoad sinunt, in omnem partem efferre atque dilatare, proprium illius est munus. His auctis tum deinde altrix facultas adnititur alimentum apponere, affigere & assimilare; non modo quantum effluxit, sed & largius ac fusius, quo laxiores factas capacitates affatim impleat, conservetque pristinam earum soliditatem atque robur. *Tertia.*

CAPUT IV.

Quatuor facultatum subsidio altricem indigere.

Ex Gal. 1. de nat. fac. cap. 12. 2. cap. 1. *Harum facultatum administræ sunt quatuor.* Facultatum naturalium numerus ut impleatur, ad altricem reversione facta, quæ illi tanquam auxiliariæ vel *administræ* parent, huc referendæ videntur. Sunt autem hæ, *attrahens, expellens, continens, & concoquens*, quarum necessitate corpus alitur & sustinetur.

Nulla enim est ne minima quidem corporis particula, quam non alimenti benignitas attingat. Id autem non eo appellit per se impetuque suo motum, quemadmodum nos ex instituto quonam & arbitrio in forum concedimus: sic enim nunquam in superas, sed omne in inferas partes quæ sub jecore sunt, gravitatis pondere fluminis instar illaberetur. Quare necesse est aut alieno externoque pulsu agitatum illuc protrudatur, aut allectum trahatur. Atqui ex ventriculo aut jocinore, si per venas in omne corpus pulsum excurrat, utile pariter ac inutile permixte illuc confluet, neque quod familiare est & amicum, parti cuique suum conferetur. Restat igitur ut sit *sua cujusque particulæ vis attrahendi*, quæ quod illi familiare est & conveniens, ex sanguinis mole privata benignitate prolectet. Quum enim partium corporis perampla sit varietas, ob quam non omnes unius & ejusdem alimenti suauitate pascuntur, neque eisdem deliciis capiuntur, erit cujusque partis quædam vis & facultas, quæ quod sibi aptum erit & jucundum veluti fuget & alliciat. *1. Attractrix.* *Ejus necessitas.* *Ex Gal. ibid. c. 14.*

Sic stirpes è terra amœnum succum, sic lapis heraclius ferrum, sic & purgantia medicamenta unum quempiam è corpore humorem, natura substantiarumque similitudine trahunt. *Et in aliis rebus exempla.*

Ea si est facultatis attrahentis necessitas unicuique parti ingenita, necesse est simul & *expultricem quandam inesse*, quæ quod inutile est & supervacaneum depellat. Ut enim convenientis amicitia atque desiderio res unaquæque trahit, ita par est eandem odio & offensione concitatam, quicquid sibi noxium est & infensum extrudere, aut certe respuere. *2. Expultrix.* *Ejus necessitas.*

Trahit porrro ut quod familiare est sibi annectat, ejusque suavitate perfruatur, & sibi tandem prorsus assimilet: quod dum efficit, id necessario *continet* & conservat (alioqui enim nequaquam eo frueretur.) *3. Retentrix.*

Dum autem diutius continet, id ipsum proprio calore mitigat, immutat atque *concoquit*. Quare præter attrahentem & expellentem necessaria quoque intelligi potest continens atque concoquens facultas. *4. Concoctrix.*

Est & altera demonstrationis horum necessitas. Unumquodque alimenti genus, seu panis, seu caro, seu fructus quivis aut vinum sit, si animo & cogitatione complectamur, plurimum à corporis nostri natura distare videbitur, neque posse in nostram substantiam converti, planeque assimilari nobis, nisi multifariam varieq; mutatum. Neq; vero id universum concoctione mutari *Alia demonstratio quatuor facultatum naturalium.*

mutari potest: nam quantumque benignum & familiare sit alteram partem idoneam ad corpus alendum, alteram discrepantem habet & ineptam. Hanc quidem convenit è corpore ejici, ne succorum salubrium commodis officiat: quare vis quædam & facultas in nobis admodum necessaria est, quæ perniciem tantam exturbet. Alimenti quicquid utile relinquitur & ad corpus nutriendum conveniens, nisi in partes corporis singulas accedat, eas alere non potest: atqui ad eas non adit suopte impetu: necesse est igitur alliciatur & attrahatur. Tractum autem adjectumque nisi aliquantum retentum quasi adhærescat, concoqui non potest: non enim quod assiduo huc illucque rapitur, concoctionem facile subit, ut quæ non sit momento temporis compleri potest. Quapropter quandam in nobis necesse est vim inesse, quæ alimentum contineat: in summa vero quatuor facultates naturales suas cuique parti insidere, quæ nutrici auxiliariæ sint & ministræ.

Ex Gal. 1. de nat fac. c. 11. & 12.

Nunquid quæso *aliquæpiam* his insuper addendæ sunt & afferendæ? Alimentum quum jam in partem influxit, primum quidem ei apponitur, deinde agglutinatur & adhærescit, tum demum perfecte assimilatur, neque ulla nutritionis integritas potest existere, quam non præveniat agglutinatio, & ante hanc appositio, variæ quidem functiones ex propriis effectis conspicuæ. Cæterum hæ non ex aliis, sed ex *narratis duntaxat facultatibus processerunt.*

Ad eas facultates referri.

Etenim *oppositio* attractionis est finis, & idcirco unaquæque pars alimentum trahit ut id sibi jungat & apponat: *agglutinatio* vero tum retentionem, tum concoctionem consequitur, estque necessarium ut dum alimentum concoctione concrescit sitque crassius retentum id parti simul affigatur. Ipsa porro *assimilatio* naturalium functionum suprema & tanquam finis, concoquendi facultate perficitur.

Appositionem. *Agglutinationem.* *Assimulationem.*

Hæc autē facultas summa quum sit in quā reliquę contendūt, una prę cęteris jure debuit altrix facultas appellari. Huic aliæ subministrant, omnisq; nutritio quatuor duntaxat naturalium facultatum ope completur.

CAPUT V.

Præter eas quatuor, non aliam quandam esse naturalem appetendi facultatem, aliam internoscendi, aliam secernendi.

Ex Galeno ibid. &. 2. cap. 6.

NOn levi quidem disputatione philosophi medicique certant, sitne in stirpibus appetendi facultas quæ illas ad trahendum impellat. Omnes quidem mirifice congruunt naturalem quendam appetitum rebus inesse: atque ut animantia nonnisi appetitu animali incitata progredi & incedere, sic neque stirpes, neque corporis nostri particulas quicquam allicere aut depellere, nisi illius naturali appetitu odiove stimulatas. Quod enim familiare sibi jucundumque est, idcirco trahunt & alliciunt, quia illius desiderio tenentur: quod vero nociturum & adversum est, id quia despuunt & aspernantur, expellunt. Cæterum in hoc tota controversia est, num ut in animalibus, ita in stirpibus, & in his quę sola duce natura reguntur, *propria quædam instituenda sit appetendi facultas.*

Appetitionem.

Hanc equidem minime necessariam duco, sed quæcunque attrahit, eadem quod familiare est atque salutare appetit: hoc autem jucundum est & amicum, quia simile: similitudo quippe amicitiam, amicitia desiderium seu appetitus attractionem movet. Sic propemodum & quæcunque expellendi facultas est, eadem quod noxium & pestiferum est aversatur & respuit, quia inimicum atque dissimile.

Hinc autem alia difficilior quæstio existit: stirpesne ea sensu quodam ut nos percipiant & internoscant quæ sibi salutaria pestiferave sunt. Non pauci illas quemadmodum & corporis nostri particulas naturali quadam cognitione duci arbitrantur, iisque vim tribuunt *internoscendi salutaria à pestiferis.* Hanc discernentem & quæ suavia insuaviaque distinguit facultatem, sensum quemdam appellant, non utique ceu aspectum, auditum, odoratum, gustatum, aut tactum: sed proprium quendam & naturalem sensum, qui quæ nutrire possint & quę

ſecus, duntaxat dijudicet. Itaque non modo ventriculum, jecur, parteſque ſingulas, verumetiam frutices exiſtimant ſuavium & idoneorum ſenſu atque voluptate affici, hæcque ſi deſint protinus appetere, quia vero appetant eadem attrahere, ut tandem optatis fruantur & voluptatis fructum percipiant. Hæc *Platonis* conſulta eſſe perhibent, quem conſtat ſtirpes nonnunquam animantes appellaſſe.

Internotionem utiliũ ab inutilibus.

At vero *Ariſtoteles* his adverſatur, qui ſatis omnibus atque plantis vim illam inſidentem ſalutarium & idoneorum attractricem, cenſet appetitu ſolo naturali impelli, citra ullam utilium cognitionem. Neque ullam ſtirpibus vim ineſſe poſſe, quæ idoneum ab alieno diſcernat & internoſcat, ſed hoc altioris duntaxat illius eſſe facultatis quam communem ſenſum appellant. Appetitus autem is, ut cæteris quibuſque rebus eſt ſuus, gravibus ut deorſum ruant, levibus ut in ſublime convolent: ſic propemodum magneti purgantibuſque medicamentis appetitus eſt ingenitus attrahendi quod ſibi affine eſt & amicum, ſtirpibus convenientem ſuccum è terra ſugendi. Hunc vero appetitum incitat & impellit. non ſenſus aut cognitio, ſed penuria & indigentia ejus quod familiare eſt & jucundum. Ergo ſubſtantiarum convenientia atque ſimilitudo amicitiam parit, quumque ſimilis atque jucundi erit indigentia, hæc appetitum ſuſcitabit naturalem, appetitus attractionem, eoque fruetur attrahendi facultas ſi quidem præſens id eſt, nec aliunde impedimentum obtingit. Nulla igitur neceſſitate introducenda eſt diſcernendi & internoſcendi facultas, cujus conſilio atque prudentia ſtirpes corporiſque noſtri particulæ regi viderentur.

Cont. Averrhoem. lib. 2. coll. cap. 7.

Secretionem

Non aliter quæ *de ſecernente* & ſeparante *facultate controverſia* eſt, dirimitur. Quod enim renes ſerum à reliquo ſanguine ſecernant, quodque natura in morbis poſt concoctiones, humores ſecernat & ſupervacuos exigat, quo tempore fiunt judicationes: quod denique oporteat concoctionem præire, ſubſequi vero ſecretionem, & poſtea evacuationem, ut bona ſit criſis, omnes quidem fatemur.

At vero ea ipſa ſecretio non propriæ cujuſdam eſt facultatis, ſed aut excernentis aut attrahentis opus. Quæ enim facultas poſt factam in morbis concoctionem confuſos in venis majoribus humores puros ab impuris ſecernit, eadem eſt expultrix, quæ nihil depellere poteſt, quod non ante à reliquis quaſi evulſerit. Quæ vero ſupervacuos humores è jecoris ſanguine ſecernit, ea eſt attrahendi vis, quæ tum in liene, tum in bilis folliculo conſiſtit, & quæ ſerum ſeparat à ſanguine, eadem eſt vis attrahendi renum. Sic & è ſanguinis mole quæ in venis eſt majoribus, partes ſingulæ quod ſibi familiare eſt, eadem facultate ſecernunt qua attrahunt. Quocirca ſecretio non propriæ cujuſdam facultatis eſt opus, ſed vel expulſionis vel attractionis initium.

Caput VI.

Aliis partibus alias facultates naturales eſſe valentiores, iiſque propria quædam functionum inſtrumenta deſtinata eſſe & attributa.

Ex Gal. 3. de nat. fac. c. 8. & 11.

Naturalium harum facultatum & functionum propriæ aliæ.

Partes corporis tanta conſenſione inter ſe conjunctæ ſunt ut omnes communiter totius commodis utilitatique inſerviant, omniumque uſus in id uno quaſi concentu conſpirent.

Harum *actiones* quæ *naturales* appellantur, duplices exiſtunt: *aliæ propriæ* uni cuipiam addictæ parti, ut oſſi, ut cartilagini, & reliquis quoque omnibus: nulla enim pars eſt in nobis vel minima, quæ non ſe ipſam alat atque conſervet: *aliæ communes* omnium partium gratia comparatæ, quales ſunt quæ in ventriculo & jecore præter proprias conſiſtunt, ad totius partiumque omnium utilitatem & commodum natæ.

Aliæ communes.

Communes,

In quibuſdam partibus magis vigent.

Sic œſophago manifeſta vis eſt alimentum trahendi, ſic ventriculo, ut & jecori præter proprias, communes illæ omnes inſideat, *inter quas* tamen vis illa ad concoquendum *valens excellit*. Sic in inteſtinis ex-

pultrix

pultrix validiſſima, concoctrix infirma ineſt, reliquæ duæ deficiunt. Renibus eliciendæ è venis urinæ facultas præſtantiſſima, eique profundendæ & dejiciendæ non imbecilla: reliquarum autem ii ſunt expertes. Sic denique utero vis continendi robuſtiſſima, qui fœtum novem integris menſibus reconditum gerat: nec parum huic validæ allectandi ſeminis & fætus enitendi vires, at concoquendi prorſus nullæ.

Et illis pro instrumentis fibra data. Itaque partes illæ ut & aliæ nonnullæ, quæ non modo privato, ſed publico quoque munere funguntur ac vigent, *instrumentorum ſpeciem acceperunt*. Et iis muneribus ad quæ in primis ſunt propenſæ ſtaminum *villorumque* proprium *genus* adeptæ ſunt.

Quæ triplicia. *Triplex* autem eſt hoc illorum genus: alia enim *recta* ſunt in longitudinem porrecta, alia *tranſverſa* quæ ad pares rectoſque angulos in illa feruntur & incidunt, *obliqua* alia quæ oblique & ad impares angulos in recta incidunt.

Concoctrici vero calor. Quanquam igitur concoquendi vis nullum ſtaminum genus, ſed *humidum* duntaxat *calorem* nobis ingenitum ad concoctionem accommodat, reliquæ tamen quę motu quopiam munus ſuum explent, villis indiguerut. attrahens quidem rectis, tranſverſis expultrix, continens obliquis.

Quomodo fibræ operentur. Ut enim in muſculis villi nutu noſtro & arbitrio contracti & ad ſuam originem quaſi reducti motum efficiunt: ita & naturalibus inſtrumentis, *recti* villi ſolius naturę *Recta.* inſtinctu contracti brevioreſque facti alimentum attrahunt: *tranſverſi* autem aſtricti, *Tranſverſa.* ſubditam capacitatem in anguſtiam adducunt, & quicquid ea concipitur detrudunt: cæterum *obliqui* villi quia intenti, nec an- *Obliqua.* guſtiorem partem reddunt, ſervata quadem naturali æquabilitate & conſtantia, omnia plane continent, nihilque vel attrahunt vel expellunt.

Cuicunque igitur naturæ inſtrumento triplex hujuſmodi facultas acceſſit, triplex etiam villorum genus eſt conceſſum, alias tunica ſimplici ut in utero, alias ut in ventriculo duplici. Quibus vero iſtarum virium unica data eſt, ut inteſtinis, iis (tametſi geminæ ſunt tunicæ) ſimplex villorum genus obtigit. Quapropter facultatum parti unicuique aſſidentium numerus ex functionum varietate cognitus, villorum differentias explicat: è contrario quoque villorum varietas confectione cognita renuntiat quot cujuſque partis ſint facultates, gulæ ventriculi inteſtinorum, arteriarum, venarum, uteri, utriuſque veſicę, & aliorum, ſi plura his publica naturæ ſunt inſtrumenta. *Gal. 3. de nat. fac. cap. 15.*

At vero *quæ ſibi* duntaxat *privatiſque commodis dant operam*, ut oſſa, ut cartilagines, etſi quo ſe alant naturalium facultatum ſpecies omnes aſſequutæ ſunt, *nullius* tamen *villi opere indigent*, ſed ingenita vi omnia efficiunt & edunt. Neque porro ventriculus neque inteſtina ut ſe duntaxat alant & conſervent, ſuos villos ad proprii alimenti attractionem & retentionem, aut ad ſupervacaneorum depulſionem appllicant & accommodant. *Propriæ facultates fibris non indigere.*

His jam videor univerſam principum naturæ facultatum ſummam attigiſſe, nec non reliquarum omnium, quarum illæ operâ & miniſterio utuntur, numerum percenſuiſſe: quocirca tempeſtivum erit ad animantium facultatum differentias ſermonem tranſferre.

CAPUT VII.

Externæ ſentiendi facultates.

Ex Gal. de dif. ſympt. cap. 3. Facultates animales duplices.

F*Acultatum animalium* quæ non utique ſtirpibus, ſed ſolis animantibus obtigerunt, unde & illis nomen acceſſit, *duo* prima ſummaque *genera* exiſtunt: aliæ *rationis* ſunt *particepes*, hujus *expertes aliæ*, quæ ſenſus duntaxat impetu feruntur.

Quæ brutis animantibus ſupra naturalem illam vim moderatur, præcipuamque adminiſtrationem tenet ſentiens anima, tota quidem eſſentia ſimplex eſt, ſui tota perſimilis, neque ut corpus ex partibus coagmentata diſparibus: alias unum ejuſdem generis nequaquam id eſſet quod ex ea conſtaret.

Hujus tamen unius effectione & opera animal cernit, odoratur, audit, guſtat, tangit atque tractat: quinetiam movetur, rerum diſcrimina internoſcit, cogitatione fingit, *Quæ, ut & quæ ſub illis omnino ſunt diverſa.*

fingit, somniat, meminit. Hæc unius & ejusdem sunt essentiæ munera, non tamen ea dum exequitur & perficit, uno similique modo se semper exhibet; sed ut varia corporis instrumenta ad effectionem accommodat, ita alias aliter sese exprimens illa profert. Unde quum si discretæ sint horum munerum gestiones, ut possint singulæ seorsum atque separatim consistere, neque unaquapiam concita sit necesse alias continuo proferri, aut una præeunte reliquas omnes pariter occumbere: optima fit ratione ut *sua sit cujusque propria quædam facultas*, sintque totidem sentiendi facultates, quod functionum differentias numerando percensuimus.

Omnes autem quot sint. Universum igitur animalium facultatum genus ita partiemur.

Ut *aliæ rationis*.
Aliæ sensus sint effectrices.
Harum autem quæ brutis animantibus imperant,
Aliæ *externa sentiunt*.
Aliæ *loco movent*.
Aliæ *cognoscunt*.

Ex Arist. 2 de anima cap. 7. 8. 9. 10. 11. Quæ demum externa sentiunt, *quinque* statuuntur.
Cernendi, odorandi, audiendi, gustandi, atque *tractandi*.

Qua videt animal, ea ipsa facultate nec audit, nec odoratur, nec gustat, nec tangit, uti neque ex adverso fieri quicquam potest: tanta scilicet est inter eas distantia, quam & instrumentorum & objectorum in quæ incumbunt varietas peperit.

Ex organi quasi forma sunt sensus externi quinque. Quodcunque sentimus, id quemadmodum cæterorum corporum unumquodque, ex subjecta materia & specie constituitur: sentiendi instrumentum tanquam materia est, *sensus* tanquam *forma* & ratio.

Visus organum. *Aspectus* qui facultas est videndi, tanquam forma *in crystallino oculi* humore consedit, qui pellucidus primum est cernendi organum: circumfusum id humoribus, tunicisque septum, quæ usum ei conferunt, ut melior completiorque sit visio. Cernit quidem simpliciter oculus crystallino, integre vero ac perfecte visus instrumento.

Objectum. Sub hunc autem sensum veniunt ii maxime *colores* qui corporibus per summa insident. Eos enim hic unus præ cæteris internoscit discernitque singulos, cæterorum autem nullus. Quocirca cernendi facultatem eam esse definimus, *quæ in oculo sita coloris citra materiem, per medium re ipsa conspicuum excipit*.

Quum autem unisquisque sensus à prima anima quasi præcisus abjunctusque videatur, & sua cuique spiritus portio illinc ad functionem & ministerium tributa sit, poterit reliquis ad visus exemplum finitio accommodari propria.

Præcipuum *audiendi instrumentum* est *aër* quidam prętenuis auribus ingenitus, membrana obductus, ad aurium intimam capacitatem positus, quo audientis nervi à cerebro ducti extremum pertingit. Hic enim ingenitum eum aërem atque spiritum, qui primum est audiendi instrumentum, ambit, quemadmodum opticus in oculo nervus crystallinum humorem: sic in omnibus per influentem spiritum & per nervum maxima instrumento societas intercedit cum intimo sentiendi principio. Huic igitur aëri insidens audiendi facultas *sonum* vere percipit, ejusque discrimina dijudicat. *Auditus organum.* *Objectum.*

Odorandi proprium *instrumentum* extra calvam non excidit, respirantibus quibusque animantibus opertum & penitus conditum in iis *extremis cerebri, quæ ad nasi summum* pertinent. Unde intelligitur hos quinque sensus non quod foras exprompti sint & promineant, sed quod externarum rerum propriis organis cognitionem capiant, idcirco externos appellari. Illic constituta odorandi facultas, per narium ductus, una cum spiritu haustos rerum *odores* comprehendit, qui subjecta ejus sunt materia in qua solet versari. *Odoratus.* *Organum.* *Objectum.*

In his porro maxime nervis quos ad linguam, ad palatum, ad fauciumq; regionem dispergi narravimus, *gustandi facultas* consedit, rerum *sapores* internoscens, *spongiosæ* ejus *carnis* adminiculo qua lingua prædita est. *Gustus.* *Objectum.* *Organum.*

Cæterum *vis tangendi* nullo proprio conclusa organo coërcetur, quum tactus ad animantis vitam maxime videretur necessarius; toto corpore æquabiliter fusus est. In his autem *nervis* potissimum collocatur, qui *duriores* jam facti intro forasque commeant: per quos corporum omnium *tractabiles qualitates* animadvertit. Hæc non ut colores, sapores, odores, aut soni, uno possunt *Tactus.* *Organum.* *Objectum.*

sunt nomine designari, multis quidem contrariorum pugnantiis discretæ: quarum extrema sunt calor & frigus, humor & siccitas, mollitudo durities, asperitas lævitas, gravitas & levitas.

Is ut reliqui sensus quoque unicus.

Hinc *nonnulli complures tactus* instituerunt, qui has seorsum differentias perciperent, quasi ex objectarum qualitatum varietate sensuum numerus petatur.

Non sic autem, sed ex organorum differentia facultatum numerus æstimandus: Atqui unum est atque simplex tactus instrumentum.

Ex Aristot. 2. de anim. c. 5. Sed non ut reliqui omnia sua objecta percipit.

Distat præterea sensus hic à cæteris, quod *non omnia subjecta* prorsus *sentiat*: quæcunque enim objecta sibi temperatione similia offenderit, non sentiet, quia ab illis nihil patitur. Sensus autem non nisi perpessione quadam fieri potest. Reliqui vero sensus eas omnes quæ sub se recidunt qualitates sentiunt, ab hisque patiuntur: quia dissimiles sunt omnes.

Potestate tamen ut reliqui similis objectis est.

Commune autem est omnium sensuum, ut sit unusquisque *potestate talis, quale id ipsum est quod percepturus est*: hoc enim extrinsecus positum sensum impellit ac movet: quod si sensus ab subjecta re afficitur, necesse est tum similitudo tum dissimilitudo quædam intercedat. Inter motus quidem initia, similitudo: quum finis attingitur, dissimilitudo: quod quomodo fiat, plenius suo loco recitabitur.

Omnes præterea objecti privatione & excessus agnoscunt.

Commune præterea est, ut unusquisque tum *subjectas sibi res* cognoscat, tum earum *privationes*, tum vero *excessus* immoderatos, sed via ratione que diversa. Quandoquidem propria objecta & idonea blande impulsus excipit, privationes nulla irruptione, nullo invitamento lacessitus: excessus autem & exuperantias non citra offensionem oblæsionemque sustinere potest: unde & illas quia graves sint & violentæ, multi non sentiri putant.

Ex Arist. de sensu cap. 2. Sed organi constitutio ne plurimum differunt.

Itaque *distant* inter se sensus omnes, longeque sunt diversæ atque sejunctæ eorum facultates, non modo ex rei quæ comprehenditur natura, verumetiam *ex proprio cujusque instrumento*. Hoc *visui* aqueum est & pellucidum: nam oculus multiplici humore perfusus est, à cerebro constitutus atque profectus, quod omnium partium humidissimum est & frigidissimum. *Auditui* aëreum est instrumentum, *odoratui* igneum, quemadmodum & odor exhalatio quædam est fumosa & ignea: *tactui* instrumentum datum est plane terrenum: *gustatui* (quia ceu tactus quidam est) id etiam terrenum, sed humoris quoq; alicujus particeps.

CAPUT VIII.

Interiores sentientis animæ facultates.

Ex Arist. 3 de anima c. 2. 3.

Sentiens anima duas *cognoscendi facultates* obtinet, *externam*, in sensus quinque tanquam in species distributam, & *interiorem*.

Sensus interni tres.

Hæc porro *species habet, vim discernendi communem, vim fictricem, & eam qua meminit atque recordatur.*

Has quidem omnes unius animæ non tanquam partes, sed utique facultates esse, perspicuum ex iis sit quæ de partium & facultatum discrimine à nobis sunt prodita; quæ quemadmodum diversæ sint, & ab eadem essentia dimanent, deinceps aperiendum.

Ii in cerebro siti.

Sentiens ea & cognoscens anima *in cerebri* quidem *corpore* tanquam in arce & propria sede penitus *insedit*, quod inde proprium sentiendi instrumentum appellant. Id etiam primarium sensum dixere, quod reliqui sensus externi ei omnes circumjecti proxime assideant, in quos & in omne corpus nervorum propagines dispersæ sunt, quibus anima vires suas effundit.

Ubi species ab externis sensibus recipiunt.

Ut enim ab orbis ambitu lineæ pares tanquam radii in centrum devergunt, sic à sensibus viæ quædam & foramina patent, per quæ *haustæ rerum imagines in illud* tanquam in arcem *confluunt*.

1. Sensus communis.

Harum autem æstimator & arbiter est princeps ille *sensus*, quem *communem* & intimum appellant. Nigrum ab albo potest unus aspectus discernere, & calidum à frigido una tangendi facultas: quæ vero dulce ab albo discernat, atque eorum quæ variis sub-

subjecta sunt sensibus differentias dijudicet, facultatem quandam esse necesse est istis præstantiorem. Nullus enim externus sensus de dulci & albo potest judicium ferre, quod ea non unus idemque sentiat: quemadmodum si ego hoc, tu vero illud separatim perceperis, à neutro certe nostrum diversa illa cognoscentur. Quoniam igitur multorum sensuum subjectam materiam, non modo homines, sed beluæ quoque internoscunt, necesse est vim quandam esse communen & promiscuam, quæ varias illorum imagines complectatur, quæ & similia & discrepantia dijudicet. Hæc est *discernendi* & internoscendi interior *facultas*, quam primam communis ille & intimus sensus expromit.

Has discernit.

Hic autem substantia est animæ sentientis, idque principium quod universum *animantium genus constituit*, à quo & animantes omneis vel quæ infimo sunt insectorum ordine, sentientes appellamus.

Et hic est qui animantium genus constituit.

Hic tanquam rex atque princeps sedem stabilem & domicilium certum habet in cerebri corpore, è quo tanquam è suggesto rerum omnium imagines à ministris & nuntiis sensibus extrinsecus allatas & ante se positas contemplatur, omnesque sensuum actiones observat.

Al. Aphrodis. 1. de anima cap. 18.

Nec discernit tantum sed & dissentire judicat.

Hic ille est quo nos *visu videre*, & auditu audire *cognoscimus*. Hic imaginum discrimina constituit, ac de illis suum promit judicium.

Ex quo intelligitur communem hunc & intimum sensuum *cum externis quinque* quodammodo *eundem esse*, hosque ab illo omnes tanquam a fonte rivulos derivari: & vim illam primam sentiendi è cerebro in sensuum instrumenta se diffundere, eorumque famulatu uti & opera. Hæc autem quia se varie gerunt, & unius opificis usibus sese multifariam accommodant, idcirco quinque exteriorum sensuum facultates constituere par est, sed quarum sit una eademque cum sensu principe substantia,

Et quodam modo idem est cum externis.

Ea est igitur principis sensus una facultas, quæ externarum rerum varietates discernit, internoscit, & judicat.

Altera est vis & *facultas conservatrix*, quæ *impressiones* & vestigia sensuum excipit, continet, & *recondit*. Quum enim externus sensus in subjectam rem incumbit, simul quoque in eam fertur interior & princeps illa sentiendi facultas, quæ rem una percipit atque sentit: ab externis rebus lacessiti sensus simulachra spectraque ab eis emissa recipiunt, quæ deinde interiorem sentiendi vim impellunt: hæc tum formas atque imagines rerum quas sensus præbuerunt, retinet & consignat in se. Digressis sublatisve rebus istæ diutius inhærent, & quasi exsculptæ conservantur: hoc indicio quod tum abstractas res sensus ille cognoscit ac percipit, ut cui earum custodia esset concredita.

2. Memoria has species conservat.

Arist. 3. de anim. ca. 5. Aphrodis. 1. de anim. cap. 19.

Effigies illæ spectraque rerum cerebro inustæ atque insculptæ, objectum efficiuntur facultatis ejus quæ fingit, quemadmodum res externæ sensuum. Hos enim externæ, illam interiores qualitates existimulant. Ab illis ergo excitata alia quædam *facultas* quæ *fictrix* appellatur, & quæ tertia est interiorum, objecta spectra apprehendit & concipit: atque ut in sensu tria quidem sunt, res objecta, vis sentiens, & actio quæ ex illorum congressu intervenit, ita hæc quoque ratio tribus continebitur, simulachro facultate fingendi, & ipsa actione, qua externis rebus abjunctis facultas ob simulachrum versatur. Hæc proprie effictio appellatur, nempe motio facultatis circa rerum duntaxat simulachra atque vestigia. Ex iis autem confusis & permistis plerunque *multa fingendo inducit* atque profert, *quæ sub sensum non venerant*, ut homines volantes, boves alatos, hocque à superiore facultate diffidet.

3. Imaginatrix his ex speciebus nova effingit.

Unde quum in multa feratur nunquam sensu percepta, & quodammodo vim imitetur rationalem, ab *Aristotele* intelligentiæ larga appellatione comprehenditur.

Avicenna lib. 1 fen. 1 doct. 6 c. 5.

Neque catantum memoria est qua species asservamus.

Jam vero rerum simulachra aut leviter cerebro impressa, mox evanescunt, aut altius quasi in thesauros condita, diu tanquam affectiones aut habitus insistunt & asservantur: *hæcque imaginum conservatio*, cujus ante mentionem feci, *memoria* est, quę pueris atque senibus infirma & inconstans esse proditur; illis quod imaginum impressionem servare atque retinere; his vero quia admittere & recipere non possint. Hanc confirmat tueturque meditatio & cogitatio, quę ipsa crebra est repetitio atque recursio imaginum, quatenus imagines aliorum sunt.

Est

Sed & ea qua ex rei ſimilitudine ejus reminiſcimur.

Eſt & *altera memoriæ ratio*, quum quis affectionem illam & ſimilitudinem rei alterius ſpectat & intuetur, cum temporis præteriti cognitione quo facta eſt impreſſio: tum enim meminiſſe dicitur, ipſaque ſpectandi actio memoria eſt, ſed ratione, ut dixi, diverſa: illa ſiquidem quod imaginem conſervaret, hæc vero quod *imaginis apprehenſione rem ipſam repræſentet*. Illa perpeſſio & affectio quædam eſt, hæc vero actio: aut ſi dicere mavis, illa memoria eſt patiens & ſuſtinens, hęc vero agens.

Ariſt. de memor. cap. 1. & 2.

Unde perſpicuum eſſe poteſt, inter bruta ea duntaxat meminiſſe, quæ ſenſum & notitiam temporis habent, & quæ ſimulachro ſpectato, ſentire poſſunt ſe aliquando rem ipſam noviſſe.

Rurſum eandem animæ partem tempus cognoſcere & meminiſſe, ea autem ſentiens eſt anima. Hæc tamen non proprie & per ſe tempus ſentit, ſed quatenus motionem & effectionem agnoſcit, quam tempore aliquo acceperat.

Memoria ergo proprie quid.

Sic igitur definiri poſſit, Memoria eſt *rei abſentis per imaginis ſpectationem, cum temporis præteriti cognitione repræſentatio.*

Fit autem hæc memorandi facultate concita ſtimulataque ab imagine, quatenus imago eſt, exemplarque ſuum refert.

Summa eorum quæ de internis ſenſibus dicta ſunt.

Itaque ut omnes ſentientis animæ interiores facultates functioneſque *in ſummam referamus*; externarum rerum ſimulachra hauſta è ſenſibus in principem intimumque ſenſum commeant. Horum beneficio *princeps ſenſus* res externas cognoſcit, diſcernit & judicat, eoque munere vis diſcernendi ſe exhibet atque promit. Simulachrorum ſi altior fiat impreſſio, tum *conſervatrix* erit *memoria*, cujus facultas conſervandi ex cerebri conſtitutione intelligi poteſt qualis quantaque ſit. In ſpectra & ſimulachra *princeps ſenſus* incumbens, ſi ſeorſum illa verſat ſpectatque, ut nihil præterea externarum rerum tractet, tum *fingere dicitur*, & ipſa ſentiendi actio effictio eſt, quam propria fingendi comminiſcendique facultas exprimit. Si vero illa non in ſe confideret, ſed ut ſimulachra & imagines externarum ſunt rerum: tum *meminiſſe* dicitur, ipſeque actus memoria eſt, propria memorandi facultate completus.

Gal. 5. de loc. aff. cap. 2. *Eas ſedibus non diſcludi*

Hac omnia in ſenſu primario inſunt, neA que alterius partis animę aut cerebri eſt effictio, alterius vero memoria, ſed in *ſubjecto eodem, inſunt* & ejuſdem partis animæ functiones. Unde intelligitur, eos ab antiqua celebrique philoſophia defeciſſe, qui vim illam ad fingendum aptam cerebri parte priore, memoriam poſteriore collocarunt. Nam utraque totius eſt cerebri, in cujus toto corpore fuſa eſt princeps ſentiendi anima. Sed de his poſthac fuſius.

Ariſt. de ſom. & vigil. cap. 1. *Præter hos non dari facultatem ad quam ſomnus pertineat.*

Satiſne videmur *omnes ſentientis animæ facultates connumeraſſe?* anne præter illas quædam ſint quibus ſomnum capimus & dormientium irrepant inſomnia?

Plane conſtat ſomnum & inſomnia animantibus tanquam munera propriaſque functiones attribui: at nequaquam his obeundis aliæ quædam ſunt facultates. B Nam ſomnus & vigilia plurimum inter ſe diſtant, & vere oppoſita ſunt: hæc quidem ut actus eſt, ille hujus eſt privatio: quare & eodem ut ſubjecto recipientur conſiſtúntque, & unius ejuſdemque facultatis erunt.

Eum enim eſſe quietem ſenſus communis.

Cuicunq; ſenſus ineſt, eidem & vigilia & ſomnus ineſt. *Senſus* quidem *incitatio* & motio eſt *vigilia; illius* autem *vinculum* & quaſi carcer *ſomnus eſt* & immutabilitas. Cæterum non unius cujuſpiam privati ſenſus affectiones hæ ſunt, ſed primarii illius & *communis*, quo ſopito neceſſe eſt reliquos etiam ſenſus cõſopiri, & tanquam ſatellites ejus affectioni accumbere. Itaq; quum primum illud ſentiendi inſtrumentum nempe cerebrum, ex laſſitudine aut longis excubiis impotens & C incontinens ſui redditur, cęteris officinis ſimul defeſſis, neceſſario ſomnus obrepit, in quo vacationem quandam feriarum vice habent ſenſus omnes, quod eorum vires durare & ſufficere operi non poterat. Quamobrẽ neceſſarius eſt cunctis animalibus ad incolumitatem ſalutemq; datus & ad quietẽ

Ariſt. de inſomn. cap. 1. *Nec aliam ad quam inſomnia.*

Similis propemodum & *inſomniorum ratio*.

Nam quum ſit inſomnium viſum id & *ſimulachrum, quod ortum & profectum à ſenſibus in ſomno animalibus ſe offert & obverſatur*, id ejuſdem partis animæ ejuſdemque inſtrumenti eſſe debet atque ſomnus, & qua parte dormit animal, eadem ſomniat. Dormit autem ſomnumque capeſſit communi & principe ſenſu, hujus ergo erunt in ſomnia: non utique quatenus ſentiens eſt, ſed qua-

Ea enim tantum sunt imaginationes somni tempore.

quatenus cogitatione fingit, & evagantibus simulachris lacessitur.

Interpellatur vis illa fictrix motione & impulsione variarum imaginum: idque maxime noctu & dormientibus, quo tempore absolutis sensibus iisque functionum suarum vacationem habentibus, minima quæque simulachrorum vestigia advolant confluuntque ob fingendi vim: quæ per vigilias sensibus opere vario detentis, & mente vivis cogitationibus obruta, offunduntur supprimunturque.

CAPUT IX.

De appetitu & movendi facultate.

vide c.xix. Ex Arist. 3. de anima c. 21. *Præter sensum est etiam Appetitus.*

SUpra sentiendi cognoscendique vires alia quædam est *vis appetendi* quam & appetitum dixerunt, clara quidem & aperta functione se promens. Nullum enim animantis genus est, quod non aliquando impetu atq; perturbatione incitetur, quod non rei cujuspiam desiderio pulsetur & æstuet. Ea illius interior agitatio & animæ motus, appetitio quidem est, Græcis ὁρμὴν appellata. Huic nihil commune intercedit cum reliquis functionibus interioribus, sed à singulis dissidet, à discretione, memoria, & effictione, quanquam eas, præsertim vero effictionem, naturali quodam instinctu consequitur. Quocirca & facultas quæ illius est effectrix, à cæteris distabit, easque tanquam assecla comitabitur, eritque sentientis animę summa atque suprema facultas, quæ cæteris tanquam finis aut princeps insideat.

Isque triplex.

Neque vero solum *hominibus*, sed & *beluis* & *stirpibus inanimis* sua quædam inest appetitio, ut nihil prorsum natura constare possit, quod non appetendi facultas impellat.

Cæterum id lato peramploque discrimine: quandoquidem & stirpes alimentum proliciunt, & omnia generis cujuscunque sint inanima, proprio quodam motu aguntur, *naturali appetitu* concitata. Eodem & corporis unaquæque particula, si quando inanita fuerit, quod sibi familiare est alimentum ad se convertit & rapit ex venis. Hujus *summa vix in jecore* considet è quo tanquam è fonte in omne corpus diffusa, partium singularum vires sustinet.

Naturalis. *In jecore sedem habens.*

Alter ab hoc *appetitus* est communis ille sentiens, *in cerebro* situs, cujus tamen seminaria in alias quoque partes funduntur: maximos quippe ignes & incendia in testes pudendaque & in os ventriculi natura conjecit: in illos quidem libidinis (sic enim proprie appellatur, quanquam hoc nominis quandoque ad omne cupiditatis genus accommodant) in hoc vero liguritionis & cupediæ. Conjecit & fomitem in cor qui ambitionis author est & excandescentiæ. Atque duo hi fomites quum sint distincti sedibus, unus cupiditatis, alter excandescentiæ, uno tamen eodemque appetitu reguntur, qui sentiens est & animalis.

2. animalis. In cerebro.

Universum ergo animantium genus, sentiente illo communi appetitu ducitur, quem idcirco animalem dixerunt: perfectionem enim hic & absolutionem continet omnis desiderii animalis atque bruti. Quicquid sensu ullo præditum est, ejus rei quam senserit comprehensione in appetitum ducitur, quo demum illam consectatur aut declinat.

Isque triplex.

Hunc qui volet poterit ex ortus sui modo in complures species distrahere, ut alius *ex jecoris* virtute in pudenda & in os ventriculi diffusus, illecebram & incitamentum inde accipiat: alius *ex cordis* impetu & fervore, *alius, nempe sentiens*, ab his quæ foris occurrunt stimuletur & excitetur: omnes quidem animales, sed variis orti principiis.

Is triplex, Cupiditas Excandescentia, & Desiderium

Tertius præter hos est *appetitus* qui quid *cum ratione* desiderat, qui mentis rationisque consilio obtemperat, qui immanes & importunos ferinosque ardores refrenat & coërcet: ea est *voluntas* libera, homini quidem familiaris, omniū princeps & regina.

3. Appetitus rationalis.

Appetitum *animalem* acuere solent & incitare *quæcunque bona videntur*, tametsi talia fortasse non sunt: at *mentis* appetitum ea duntaxat qua reapse & *vere bona sunt* possunt incendere, soloque veri boni desiderio is capi & deliniri potest.

Objectum 1 & 2 appetitus est bonum etiam apparens. Rationalis tantum vere bonum.

Itaque quum tres omnino sint animæ partes, si suus cujusque esse debet appetitus *tres* quoque *erunt appetituum ordines*.

Summa dictorum de appetitu.

Natu-

Naturalis qui stirpium est: *animalis* sive A brutus, qui beluarum; *tertius rationis particeps*, hominum. Hoc enim præcipuo homo viget, quanquam est etiam reliquorum particeps.

Rursus vero *animalis appetitus*, aut *cupiditas* est, nempe libido vel cupedia, aut *excandescentia*, aut eorum quæ sensus annuntiaverit *desiderium*.

Hac de appetitu satis: nunc de movendi & progrediendi facultate.

Facultas movendi. Animal omne moveri & incedere, atque sui incessus finem quendam habere, cujus gratia moveatur, demonstrari hinc potest, quod rerum omnium agendarum status quidam sit finis. Motionem & progressionem animal suscipit, ut rem eam consectetur, quæ speciem boni & jucundi præ se fert, aut eam declinet quæ tristis & adversa judicatur. Quocirca triste aut jucundum finis est, cujus gratia animal motum intendit, persequens aut fugiens. Hoc quidem postremum attingitur & obtinetur, omnium tamen primum ad motionem inducit, hujusque initium affert. *Arist. de mot. anim c. 8.*

Quomodo ab objecto excitetur. *Immobile* enim *objectum* quum sit, primo sensum movet externum, deinde primatem atque intimum, ab hoc vero cogitandi fingendique facultatem, quę quum rem subjectam ut jucundam & voluptariam apprehenderit, simul insurgens appetitus illius desiderio tenetur: atque hic si promtus est & efficax, confestim animal impetum facit vel ad actionem. Unde hoc recte ut alia plurima videtur *Aristoteles* demonstrasse, cognitionem & appetitum principia & causas esse actionis atque progressionis animalium, ab hisque animalia cieri concitarique ad motum.

Hanc diversam esse ab appetitu & à sensu. Cæterum quod appetitum proximam causam statuat quæ animal movet & conturbat, quodque nullam insuper movendi facultatem instituat, cui sit hoc muneris præcipue concessum, non satis dilucide singula videtur exequutus. Nam revera *movens illa facultas est à sentiente & ab appetitu diversa*.

Prima ratio. Primum enim vulgatum est & contestatum, alia sensus, alia motus esse *organa*, aliosque nervos: unde obtingit, ejusdem artus, velut cruris aut brachii, motum perire illæso tactu, qui in omnem cutem fusus est: contraque tactum aboleri salvo motu & incolumi.

Quinetiam motio diversum quiddam esse intelligitur à sentiendi functione, omnisque *sensus perpessione* quadam & affectione accepta obiri solet: *motus* uero non nisi *adnixu* & roboris contentione. Quibus plane conficitur, sentiendi atque movendi non modo instrumenta, sed etiam obeundi rationes & efficientes facultates plurimum dissidere. Quod si est, consequens est continuo animalem appetitum, qui à sensibus & cogitatione ducitur, illaque perpetuo comitatur, omnino à progrediendi facultate differre. *Secunda.*

Jam uero singula persequamur, *imperfecta animalia* quæ solo tactus *sensu prædita* vitam B agunt stabilem, ut conchylia, ostrea, conchæ: sensu quidem illa doloris atque voluptatis tenentur, & fingendi cogitandique facultatem, licet obscuram inexplanatamque, quemadmodum & animalem appetitum, acceperunt. At illa tametsi compuncta sese contrahunt & in angustum se adducunt *nequaquam* tamen *progredi* compertum est, neque organa motus habere. Quod si progredi non possunt, neque ad incessum facultatem habent. Quorsum enim hęc data illis esset sine musculis, sine ullis quæ his proportione respondent instrumentis, quæ sunt ad motum perquam necessaria? Nunquid otiosam & inertem illam omnique opere & negotio vacuam? nunquid in tantis C rebus natura committens fortuito atque frustra illam ingenuit? Quæcunque igitur appetendi vis est in illis, ea nulla ratione movet. Quocirca præstat vim moventem ab appetente & sentiente, quæ semper comites sunt & conjunctæ, nunquam separabiles, sejugare; quod eorum quæ sentiunt animantium, alia moventem vim habeant, alia hujus sint expertia. *Tertia.*

Huc demum persuadendi necessitas ex iis accedit, quæ perfectioribus animantibus ipsisque hominibus nervorum resolutione prehensis obvenire solent: illis enim *motus periit*, quum *interiores animæ vires plene constent*, atque adeo ipse appetitus. Contra vero accidit furore aut delirio percitis: tum enim non mens, non memoria, non appetitus, sed neque sensus ipsi integre valent: atque tametsi interiores omnes *Quarta.*

animæ functiones læduntur, incessus tamen firmissimus plerumque est & constans musculorum robur. Ex quibus perspicuum est aliunde quam ab appetitu progressum institui & gubernari, esseque moventem vim ab appetente diversam.

Quinta. Sed & hæ *sedibus disclusæ* apparent. Etenim movendi facultas in totius cerebri corpore sedem habet, maxime in parte posteriore, quam Græci παρεγκεφαλίδα vocant, à qua tum spinæ medulla tanquam caudex, tum plurimi moventes nervi ortum habent. Sentiendi vero & appetendi facultas parte cerebri priore domicilium habet, quam constat sentientes nervos, eosque molles in sensuum organa profundere.

Sententis tamen animæ esse facultatem. *Non* hinc tamen *existimari velim* promoventem illam vim, quam à sentiente loco ac sede disiunxi, ab eadem etiam *substantia dissidere*, tanquam ea sit pars animæ diversa: sed totius sentientis summa vis est & ultima facultas quæ seorsum collocatur, uti visus vel auditus. Ea autem quemadmodum omnes externæ sentiendi vires, appetitus potestati subest, cujus imperio compulsa, continuo quamcunque jussa fuerit corporis partem promovet.

CAPUT X.

Quam unaquæque sentientis animæ facultas sedem habeat, quod agendi instrumentum: neque omnes omni inesse animanti

Anima sentiens in cerebro sedem habet. FAcultates ex operibus discerni, & suum cujusque operis instrumentum haberi ad proprias functiones accommodatum, supra quidem in genere est proditum. At particulatim *sentientis animæ propria sedes* propriumque instrumentum est *cerebrum*, quod abditum & reconditum ad interiores quaslibet functiones comparatum est, sed ratione varia latoque discrimine.

Sed pro diversis facultatibus diversa ratione. Cerebri substantia mollis vel dura *memoriæ* sedes est, & instrumertum excipiendis rerum spectris: ejus temperamentum, quantitas, & figura, una cum insito spiritu, *discernendi*, cogitatione *fingendi* ac *memorandi* facultatibus inserviunt & proprie accommodantur.

In *appetitu* autem exultat cerebrum, & effusum lætitia gestit: sensui & motioni interiores sinus & capacitates quatenus receptacula sunt spiritus, pro instrumentis destinantur: duo quidem priores *sensui*, medius & postremus *motioni*, cui & glutia appellata, & ductus ille vermi similis, subsidio sunt, eo quem enarrabimus modo.

Pro quibus & diversa instrumenta habet. At quoniam facultates opus suum foras depromunt, externis quoque *adminiculis indigent*, sed quæ à communi illo cerebri fonte deriventur. Visus, auditus, atque gustus foris quum sint, *nervos* habent concavos per quos vis influat: similes habet & olfactus quanquam intimus est: atque hi *molles* sunt omnes à priore cerebri parte nati. *Nervi molles instrumenta sensus.* Tangendi sensus paulo durioribus instructus est, quos sexta cerebri conjugatio ad interiora viscera forasque ad cutem diffundit, nullius motus authores.

Duri motus. Jam vero exquisite *duri* sunt moventes appellati, qui tametsi motum voluntarium non efficiunt, vim tamen motus effectricem in musculos devehunt, qui propria sunt movendi instrumenta.

In his vero paulum insistamus, & scrutemur quæ ratio esse possit, ut inter eos nervos quorum similis est structura, alii moventes sint, alii sentientes. Et ne qui fortasse causentur alios è cerebro, alios à parencephalide & spinæ medulla proficisci, eandem statuamus utriusque originem.

Non ob duritiem & mollitiem. Gal 9 de us. part. c. 14. & 9 de plac. c. 3. Quid causæ est igitur, cur eorum qui à cerebro nati sunt, hi ad motum accommodantur, ad sensum autem illi? Eadem utrisque est origo, spiritus similis in hos influens. Compositionem eandem facit *Galenus*. Quænam igitur sortitio hæc est, quæ discriminis ratio? *Duriores*, (inquit) *sunt qui movent; molles qui sentiunt*.

At qui è sexta conjugatione in viscera, in cutem, & in corporis extrema porriguntur tangentes nervi, multo iis sunt duriores, qui in oculos è secunda conjugatione protenduntur motum eis præstaturi. Neque id modo ex longo viæ tractu, sed ab ipsa statim origine, quod posteriorem quam illi originem acceperint. Quocirca tam

tam variæ hujus facultatis causa non in mollitudinem aut duritiem referenda est.

Sed ob compositionem.

Quoniam igitur alio in compositionem; Hujus vero compositionis quænam est ratio? dicam paucis, differam pluribus. Cerebri corpus motu agitatur assiduo, nullo tamen tangendi sensu præditum, contra vero quæ id ipsum ambiunt meninges, immobiles per se sunt, præsertimque crassior: tactu autem eæ valent exquisitissimo: quæ singula ut *Galeni* fide confirmata sunt, ita etiam vulnerata apertaque calva contrectantibus nobis sunt deprehensa. Hæc autem morborum eventus plenius declarant, quod in delirio & phrenitide (quæ ipsa phlegmone est substantiæ cerebri) nullus plerunque dolor affligit, multoque minus in sopore & lethargo, qui tamen cum putredine est: at si vel minima occasio aut humoris aut etiam vaporis acrioris in meninges effertur, gravis dolor excruciat. quæ cerebri & meningum diversam naturam commonstrant. Atqui spina & nervi omnes vel eo authore medullam habent à cerebro, eamque meningibus convestitam, quæ singula talem vim & naturam habent, qualem ab exortu acceperunt.

Vim movendi esse à cerebro, sentiendi à meningibus.

Quocirca necesse est, *medullam* in spina atque nervis (tametsi ea non ut cerebrum motu agitatur) *vim* duntaxat *moventem*, ejus vero *membranas vim sentientem* & tractabilem tum suscipere, tum aliis particulis conferre. Si enim corpus cerebri sensus est expers, multo magis quæ in spina aut nervis est medulla. Unde enim & qua conditione vim novam accepisset? Aut quomodo cerebri corpus vim illi sentientem conferat, quam non habet?

Quare qui ex utrisque constant, sensum & motum præstant.

Itaque quicunque nervi & *tangendi & movendi vim* obtinent, utriusque functionis instrumenta sunt, parte tamen diversa.

Qui ex meningibus, sensum.

Qui *sentientes* dicuntur, solius tactus, nullius autem motus authores sunt, quod genus ii sunt qui è sexta conjugatione in interiora viscera & in extimam cutem abeunt. Hi quanquam non à solis meningibus (ut nonnulli quondam censuerunt) producuntur, ab eis tamen substantiæ suæ plurimum receperunt, à cerebro minimum: statim enim à tenui meninge orti ut ad crassiorem appulerunt, multum incrementi, roboris & virium illinc asciscunt sibi. Quapropter tactum duntaxat, non item motum efficiunt.

Qui ex cerebro maxime, motum.

Contra vero qui *ex spina* orti, magnam cernuntur medullæ copiam suo exortu continere.

Ergo prior cerebri pars sensus, posterior vero motus principium est atque sedes, meninges autem tactus sunt origo: omnium autem animalium functionum efficiens est cerebrum suis meningibus convestitum. Qui nervi multa medulla conferti sunt, movendi instrumenta existunt, tangendi autem ii quos majore ex parte meninges protulerunt.

Et quomodo.

Hoc si exquisitius pronunciandum est, motus voluntarii proprium organum est musculus: qui quum ex simplici carne, ex vena, arteria, atque nervo conditus sit, ex *nervo* tamen, qui inter cætera principatum habet, cuique *præcipua movendi functio refertur* accepta, vim omnem assumit. Hic in musculi principium, quod caput appellant, inseritur primum in paucas portiones distributus, sed quæ rursum in alias tandemque in fibras prætenues diffindantur. Omnes rursum in musculi fine coëunt, ubi nervum parem atque principio referunt, qui aut in tendonem aut in os aut in membranam intruditur.

His ita de instrumentorum ratione constitutis, promptum fuerit *vulnera* quæcunque paulo ante infligebantur eadem *persanare*.

Unde apparet quædam animalia sensum sine motu posse habere.

Itaque si movendi facultas eandem cum sentiente substantiam est sortita, neque hæ disjunctæ sunt animæ partes, cur non omnia quæ sentiunt animantia ut rerum comprehensionem quandam & appetitum habent, sic etiam progrediendi vim sunt assequuta?

Quia, inquam, motus instrumenta non acceperunt, quibus deficientibus necesse est & functiones & earum facultates deesse.

Imo quosdam tactum sine reliquis.

Quanquam igitur *tactu omnia prædita* sunt animantia, quod unus ad salutem & conservationem maxime sit necessarius, eoque dempto animal effugere non possit tractabilium qualitatum exuperantias, quarum occursu mors statim struit: *reliquis* tamen *sensibus*, qui boni cujusdam & locupletioris notæ, *non necessitatis gratia* conditi sunt, non omnia instruuntur animalia: imo vero ab eis-

eisdem homo quandoque tum ortus tum morbi vitio deseritur, quum ab idoneis instrumentis destituitur.

Sensus vero internos plurima. Alia animantia solo tactu vigent, cui alia gustum, alia alios denique sensus adjecerunt. *Interioribus* autem *facultatibus* quia minus distinctam hæ instrumentorum rationem desiderarent, *plurima* (ut ante dixi) constant animantia, sed quędam obscurius, quędam magis insigniter efficienterque.

Pauciora motum. At vero *progrediendi facultate ea duntaxat* vigent, quibus spinæ medulla, aut ei simile quiddam accessit.

Avic. f. 1. lib. 1. doct. 6. c. 5. Gal. 4. de loc. aff. c. 2. Haud dissimulanter hoc loco adeunda est, sed funditus evertenda juniorum prope omnium absurda & futilis opinio, quæ *memoriam cerebri ventriculo postremo, phantasiam vero, id est, cogitandi fingendique vim prioribus collocavit.* Hæc ex Arabum factione primum orta, nullis rationibus stabilita, partim ficta pueriliter, partim effutita temere, ita demum jactationem habuit in populo.

Internos hos sensus sedibus non discludi. Verum quæ supra productæ sunt à nobis rationes, palam faciunt memoriæ atque imaginum facultates una eademque essentia contineri, sede una firmari, circa spectra eadem negotiari, similique uti instrumento corporeo, quanquam est afficiendi ratio diversa. Quandoquidem fit nec raro ut causa efficiens una, eodem usa instrumento diversos idcirco promat effectus, quod dissimiliter id adhibeat operi, aliterque vires intendat. *Ratio 1.* Hoc si potest tactus efficere, ut ante proditum est, in ipsum multo facilius præstabit princeps ille intimusque sensus, qui quanquam in organo est corporeo, *subjunctiones* tamen occultas *obit* potius *accurata ingenii intentione* & observatione ad res adhibita, quam organorum ope. Omnes enim eæ functiones in illius sunt potestate quas dum vult exhibet. At non sic externæ, quæ quia exprompta sunt nec liberæ, ab instrumentorum necessitate pendent. Quare occultas illas & interiores facultates, *non est necesse sedibus & instrumentis disjungere.*

Ratio 2. Si *Aristotelis* & Peripateticorum rationibus illi non cedunt, audiant saltem universam Græcorum medicorum familiam, qui omnes ad unum iisdem principiis informati, læsa memoria non modo occipiti, sed *toti cerebro remedia adhibere jubent*: id ratum habentes, partem animæ φαντασικὴν, quæcunque ea sit, hanc eandem & recordari, & rerum impressiones conservare. Pluribus non ago, quod ipsa illorum declinatio ad libidinem prorsus efficta videatur.

Quomodo autem fieri possit, quum sint illæ facultates in eadem sede, ut uniuscujusque actio impediatur aliis constantibus & integris, ex his quæ de functionibus trademus fiet posthac illustrius.

CAPUT XI.

De Intelligentiæ Facultatibus.

Ex Arist. 3. de anima c. 5. 6. 7. 8. & Aphr. 1. de anima c. 21. usque 28. Omnium animæ partium princeps ac regina, mens est ac *intelligentia* qua præditus homo unus cæteris antecellit animantibus: quæcunque enim præstantiora edit opera eorum effectrix est & opifex intelligentia.

Intelligentiæ Objecta. *Res incorporeas* ab omnique materia sejugatas & nudas, universales rerum notiones atque formas, hujus opera omnium animantium unus homo cognoscit.

Instrumentum nullum. Unde statim hujus essentiam simplicem esse, individuam, ab omni materia & corpore abstractam abjunctamque deprehenditur: *neque* demum *ullius instrumenti corporei* opera indigere, alioqui particeps fieret corporis: hisque potissimum à sensu distare. Jam vero si instrumento corporis intelligentia non opus habet, neque profecto ei miscetur, neque ab ejus qualitatibus afficitur, prorsumque impatibilis evadit.

Quare incorporea. Itaque *intelligentia simplex* est, incorporea, separata, impatibilis, immortalis, atque æterna, imitatione Deo proxima, homini divinitus & extrinsecus accedens.

Omnis tamen ejus actio ducta est à sensibus. Omnis tamen ejus quæ in nobis fit *actio* atque cognitio (quam etiam intelligentiam dicere solemus) *ab hisce* rebus tracta est *quæ sub sensum* recidunt, hoc argumento, quod quem natura cecum surdumque progenuit, is non possit Geometriam edoceri, neque qui odoratu captus est, aut gustu, potest ullam de saporibus & odoribus cogni-

gnitionem animo concipere, & qui non ſentit, nihil diſcere, nihil intelligere.

Quocirca ex ſpectris & imaginibus rerum externarum, quæ omni materiæ ſpoliata communi ſenſu continentur, neceſſum eſt primas & ſimplices intelligendi notiones proficiſci. Ut externarum rerum qualitates ſenſibus ſubjecta ſunt materia, ita illarum *imagines* interiore ſenſu conceptæ, atque ab omni corporea labe expurgatæ, *ſubjiciuntur intelligentiæ.* Hæc autem in illas incumbens, intellectiones, elicit, & de illis multa cognoſcit, quæ ſenſus movere non poſſunt: ab imaginibus tamen primum cietur, quemadmodum ſenſus à rebus externis.

Per Phantaſmata.

Ergo quum intelligentiæ obverſantur puræ imagines, ſi ex illis debent abſtractæ quædam formæ confici, neceſſe eſt facultatem adeſſe, quæ illas materiæ ſordibus prorſus vacuas & abſolutas excipiat, & tanquam theſauros conſervet. Solent Peripatetici hanc *intelligentiam patibilem* appellare, quæ pro ſubjecto quodam & gremio data formis & notionibus excipiendis illis quaſi ſubſternitur.

Quare intelligentia duplex: Qua recipit phantaſmata, & patibilis, dicitur:

Quoniam vero quicquid in rerum natura conſiſtit, præter materiam, effectionem & perfectionem demum conſequitur, ſine qua temere & fortuito naſceretur: neceſſarium eſt patientem intelligentiam ab altera quadam perfici, quæ dignior quodammodo quum ſit & præſtantior, *agens intelligentia* nuncupatur.

Hæc tota patibili intelligentiæ immergitur intexiturque, atque ex his tanquam ex materia & ſpecie fiet res una. Itaque ſentiens anima tanquam materia quædam ſubſternitur patibili intelligentiæ, hæc autem materia fit intelligentiæ agentis, quæ proprie *maxime debet ſpecies cenſeri*, & ſimplex formarum forma: at quam quum natura proceſſerit, non ultra progreſſura receptui canit, nullam præſtantiorem, nullam nobiliorem formam inveniens: cæteræ autem quæ illi ſuppares ſunt, nunc materiæ, nunc formæ conditionem ſubeunt.

Et intelligentia agens.

Quæ quaſi forma eſt præcedentis.

Ex duabus naturis tanquam ex materia & ſpecie ratio atque *mens* conſtat, ipſa quidem incorporea, impatibilis & immortalis, tota quidem divinitus adjecta nobis. Hoc autem rectius accipi velim, nempe quod intelligentiæ agentis appulſu nulla fiat concretio, ſed hæc una eademque ſit, atque intelligentia patibilis, fiatque ex illis res ſimplex, quæ tamen duarum rationes obtineat. Neque reapſe intelligentia patiens alteram agentem tempore præcedit: nam ſimul ac rerum notiones acceperit, per illas cognoſcit: ſed ut accipiendi & agendi, ſic & illarum intelligentiarum diverſa eſt ratio.

Et utraque mentem abſolvit.

Quaſcunque mens ſingulas & individuas rerum imagines atque notiones materia liberas, intelligentia patibili exceperit, eas dein agente intelligentia tractans *apprehendit*, atque primum quidem ſingulares, mox deinde univerſas ex illis formas elicit. Hic duæ jam ſe promunt intelligentiæ facultates, una patibilis, agens altera.

Agens enim intelligentia 1. Apprehendit.

Quoniam vero agens intelligentia non modo ſimplices illas rerum notiones apprehendit, ſed etiam (quemadmodum in nobis ipſis experimur) multas in unam componit, hincque alia affirmat, alia inficiatur, tertia quæ iſthæc efficiat ſtatuenda vis eſt intelligentiæ, quam *componendi facultatem* appellant.

2. Componit.

Enunciatione compoſita tum deinde judicare ſolemus, & decernere quid verum falſumve ſit, quid bonum & honeſtum quidve pernicioſum: quæ omnia efficit una *judicandi facultas.*

3. Indicat.

Hinc demum ex aliis alia nectentes, quam plurima complexione concludimus, ſicque inductione aut ratiocinatione ſcientiam aut opinionem comparamus, idque ejus facultatis opera quam *ratiocinatricem* appellant.

4. Ratiocinatur.

Supra has omnes extollit *contemplandi facultas*, quæ ſapientiæ rerumque æternarum ſtudio tenetur.

Quibus habitus comparantur. theoretici,

Quiſquis autem illius amore & ſuavitate non ſatis illectus, ad res caducas ratiocinandi vim convertit, omneque ſtudium ad humanas refert commoditates & uſus, is vice contemplationis, *actionis* ſibi *facultatem* adhibet.

Ποιητικοί,

Si quid autem recte facturus eſt, aliam facultatem accerſet ſibique junget, quæ conſultandi eſt & deliberandi.

Practici,

Ita iis inſtructus ſi, quam habet ſcientiam vel opinionem, bona conſultatione ad domeſticarum aut civilium rerum admi-

hi prudentiam, nistrationem conferat & accommodet, ut prudens inde dici consuevit: ita & *prudentia* facultate tum maxime utitur.

illi artes largiuntur. Sin vero illas ad vilioris operis & artificii constructionem adducat, artemque sibi pariet, *artificem facultatem* exhibebit.

Præter has voluntas est in mente. Quæ vel προαίρεσις. Hoc loco *voluntas* existit, non utique simplex & temeraria, sed libera & quæ boni cujusdam opinione per consultationem ducta, quod bonum est & utile seligit, unde electio à quibusdam dici solet, quam Græci προαίρεσιν nos consilii facultatem appellamus: hæc ab intelligentia non subjecto aut essentia, sed cogitatione duntaxat & definitionis ratione distat.

Ex consilio & proposito rem unamquamque persequimur, si bona ac utilis videtur: A si vero tanquam mala reprobetur, eam declinamus. Hincque surgit effectrix facultas *vel* βούλησις. quæ *consilii conatus implet* & exequitur, & qua ad rem persequendam impellimur: hæc autem est omnium facultatum intelligentiæ postrema.

Arist. de mem. c. 1. Nulla memoriam in intellectu. *Memoriæ & recordationis facultates* non primum & per se in intelligentia, sed in communi sensu collocantur, hujusque duntaxat interventu ad intelligentiam pertinere possunt, quemadmodum nos posthac in his quæ de functionibus tradentur, plenius disseremus.

Ne autem certos instituti mei limites pretergredi videar, his summatim decursis, quæ proprie Philosophum decent, ad unius vitalis animæ facultates me confero.

CAPUT XII.

De vitali facultate, quam Aristoteles eandem atque naturalem existimavit.

Ex Aphrod. de ani. in fine Arist. de mot. 10. & 11. de vita cap. 3. Vis naturalis & vitalis una & eadem sunt Aristoteli. EXplicaturo mihi vitalis nostræ facultatis substantiam atque præstantiam, A quamplurima obversantur involuta summeque ardua, quibus præclari philosophi *Aristotelis* patrocinio corroborati, contendunt nullam ejusmodi vim in nobis seorsum insidere. Is enim quum omnes animæ partes atque facultates sigillatim numerando percenseret, hanc omnino tanquam nulla seorsum esset, prætermisit, statuens nimirum naturalem vim omnium primam, cunctorumque viventium communem, quam eandem nullo nominum discrimine, nunc altricem nunc vitalem appellat.

Ratio 1. Hujus enim prospero favore & præsentia, nutritio atque vita in cunctis manet, B perit autem dum illius benignitas se subtrahit. Vitam quidem nutritione accretioneque definit, quod usque eo dum vita erit, nutritio quoque perstabit, hac autem deficiente, vita pariter tolletur. Itaque si eo authore unum *idemque* sunt *vita & nutritio*, itemque vivere ac nutriri: quæcunque facultas corpus alit ac sustinet, eadem vitam quoque tuetur, neque à naturali diversa est vitalis facultas.

Ratio 2. Quinetiam *insitum calorem*, cujus subsidio natura omnia concoquit corpusque nutrit, sine quo non possunt animalia, sed ne stirpes quidem consistere, vitalem appellat, quod inde sit omnium viventium ortus, & vitæ permansio, quodque eo deficiente, interitus fit omnium. Quanquam autem omnis vitæ & interitus causam huic ipsi calori acceptam refert, quem inde vitalem & salutarem consuevit appellare, nullam tamen in eo vim collocat, quæ à naturali sit diversa: sed hanc ut omnium primam in eo vitali calore constituit, ita & vitalem jure dici contendit. Non enim hic calor opifex est functionum corporis, sed animæ ejusque facultatum tanquam vehiculum & instrumentum, sine quo eæ neque alimentum conficere neque aliud quicquam possint efficere, sed ne consistere quidem.

Eamque residere in corde. Unde intelligitur illic facultatem versari, ubicunque calor fuerit deprehensus. Atqui plurimum in corde hunc vigere & flagrare sensus confirmat, illincque ubi plurimus est & uberrimus, tanquam à fonte quodam in omne corpus diffundi atque derivari. Qua constanti validaque ratione asseverat vitam & facultatem quæ semper cum istius caloris integritate simul est, universum quidem corpus sustinere, sed *totam ex corde tanquam è fonte* & principio quodam fluxisse, quod tum vitalis, tum naturalis facul-

cultatis prima ſit ſedes primaque origo.

A Hoc viſceris dignitatem & præſtantiam luculenter declarare, quod omnium in corpore primum vita fruitur, poſtremumque mortem oppetit.

Deinde ſedem quæ in corpore medio eſt, dignam quidem haberi, & tuto ſub pectore conditam, ubi arx vitæ commodiſſima ſtrui debuerat. Porro autem in quo principe corporis loco & in qua ejus loci particula vitalis inſiti caloris principium eſt, ibidem naturalem altricemque animam omnium quidem primam collocari: non enim hæc poteſt citra caloris opem aut alimentum conficere, aut corpus nutrire. Quocirca à perenni illo fonte caloris nequit vita & prima nutriendi facultas ſejungi.

Ariſt. 3 de part. Animal. cap. 4. *Et venas & arterias ex corde naſci.*

His demum tanquam conſequens annectit, cor primam eſſe & ſummam conficiendi ſanguinis officinam, hincque *venas perinde ac arterias propagari*, & in corpus univerſum proferri. Quicquid virium cor in perfectis animantibus accepit, id ipſum in exanguibus parti cuipiam tribui, quæ cordi proportione reſpondet: in ſtirpibus autem ei quæ media inter radicem & ſtipitem interponitur.

Imo & ſentientem animam in corde reſidere.

Sentientis porro *animæ ſedem eodem intruſit*, hac duntaxat ratione adductus. Animal omne qua animal eſt vivit, neque fieri poteſt ut id quod ei tribuit ut animal ſit, non etiam eidem vitam conferat. Quocirca concludit quocunque id principio animal eſt, eodem quoque id ipſum vivere, neque ſejuncta hæc diverſaque eſſe principia: alioqui enim ut duo principia, ſic duæ fierent cujuſque animantis animæ, & utrovis qualibet ex cauſa diſſolutio & extinctio, alterius ope animal etiamnum conſtaret atque viveret. Ex quo demum infert unam eandemq; eam ſubſtantiam eſſe qua id vivit & animal eſt: tametſi varia id diverſaque ſit ratione & cogitatione, neque qua ratione eſt animal, eadem ipſa vivit. Itaque ſi in corde aut in alia parte quæ huic proportione comparatur, vitæ fons & origo collocatur, ibidem eſt ſentiendi principatus, quo animal omne conſiſtit.

Jam vero in quo ſenſus, in eodem voluptas & dolor ineſt, perceptioque jucundi atque moleſti, ex quibus cupiditas naſcitur & appetitio. Præterea ex ſenſu ſurgit cogitatio & comprehenſio, ex hac autem & ex appetitione, inceſſus itioque animalis.

Ariſt. 3. de hiſt. anim. cap 5. *Et nervos à corde oriri.*

Unde plane & expedite conficit, omnes ſentiendi, cogitatione fingendi, appetendi, movendique vires è corde duci, externorumque ſenſuum in capite quidem poſitorum originem cordi acceptam referri, omneſque tum moventes tum ſentientes nervos illinc tanquam à fonte primo derivari.

Ita tamen animam in corde eſſe ut ex eo fuſa ſit quoque in ſingulis partibus.

Ergo anima illis inſtructa facultatibus in corde potiſſimum quidem inſedit, ex quo tamen *in omne corpus æquabiliter ſe fundit*, partibuſque ſingulis inhæret. Hoc plane declarant animalium quæ inſecta vocantur deſectæ partes, & ab arboribus avulſi rami: B vivunt enim priſtinaſque functiones etiamnum retinent, ſervarentque diutiſſime ſi nutriendi inſtrumenta non deeſſent. Id plane argumento eſt partes has tantam in ſe animi vim habere, quantam & ipſa olim integra. At perfecta animantia & homines, non viliori & abjectiori conditione vivunt, quam ſtirpes & inſectorum genus.

Ex quo fit, ut integri cujuſque viventis unica ſit anima, quæ univerſa corpus univerſum continet. Si dum id in partes diſtractum eſt, partium unaquæque propria anima regitur, fient tum complures animę, quæ prius unica fuerant. Quapropter in integro re ipſa quidem unica eſſe dicitur, at poteſtate complures, quod ex ea fieri multæ poſſint.

Quæ pro diverſis facultatibus organiſque actiones varias edat.

Unica autem & ſimplex quę in nobis inC eſt anima, diſpares longeque *diſſimillimas functiones* idcirco *edere poteſt*, quod varias facultates & diſparia partium temperamenta ad illas accommodat: quemadmodum unus idemque artifex, variis inſtrumentis diverſa plerunque & diſſimilia opera condit & reponit.

Ea igitur eſt *Ariſtotelis* de partibus animæ ejuſdemque facultatibus, & de communi earum ſede ſententia, ex omnibus philoſophiæ monumentis deprompta: ita ſibi quidem cohærens ſuiſque principiis conſentanea, ut nullis argumentis, ut nulla diſputatione quæ de univerſo ſit genere, convelli labefactarique poſſit.

CAPUT XIII.

Medicos Platonem sequutos, vitalem facultatem à reliquis disjungere.

4. De Republ. & in Timæo. Ex Gal. 7. de plac. c. 7. 9. Avicen. lib. 1. f. 1. doct. 6. cap. 5.

Attamen facultatis vitalis necessitas demonstratur

CÆterum si singula diligenter studioseque spectabimus, in quibus maxima multoque certissima vis inest demonstrationis, non pauca sane occurrent, quæ plane universa illa redarguant, commonstrentque luculenter, præter duas animæ partes, quæ pro certis atque concessis receptæ sunt, *tertiam, vitalem, eamque diversam, haberi*, cujus sit unius sedes in corde.

Ratione è pulsu.

Perennis enim & constans deprehenditur in nobis *cordis & arteriarum motio*, cujus assiduitate perpetua est spirituum procreatio. Hanc autem cujusnam facultatis opera fieri is enim nec animalis arbitrabimus? Non *animalis*, ut cujus motus omnis est ad arbitrium, qui orta defatigatione sensim ingravescit atque demum intermittit: cordis autem & arteriarum motus non est in nostra potestate ut nobis pareat, sed continuatus nullius causæ vi lacessitus, & qui nunquam interrumpi potest.

Neque è genere naturalis est.

Neque prẹterea hic à *naturali facultate* regitur, ut quæ corporis nutritioni duntaxat addicta est & mancipata, nec tam apertos motus solet expromere. Aut si hos profert in nobis, quid est causæ cur non similes efficit in stirpium genere, in quibus tamen nihil tale conspicitur?

Neque demum insitus & naturalis calor tantæ motionis est author, tum ob eas quas modo percensui rationes, tum quod is per se quum simplex sit qualitas, non potest esse efficiens causa motionis: alias enim naturam eum esse confirmaremus.

Lib. de respir, ca. 20

Sentire quidem recte videtur *Aristoteles*, motionem illam ex materiæ & refrigerationis necessitate quadam fieri: cæterum isthæc necessitas, incitans duntaxat & impellens, non autem efficiens causa recte possit existimari, sed aliam superiorem atque præstantiorem scrutari necesse est.

Erit igitur in vitali cordis calore vis quẹdam & facultas harum motionum, & aliorum quæ posthac referam operum effectrix, quæ vitalis quoque nuncupata, à naturali & à sentiente prorsus dissideat.

A In hæc fortasse quum penitus introspexissent, quicunque sub duce *Averrhoide* in hanc Aristotelis sententiam jurarunt, hac diligenti rerum observatione adacti sunt, ut vitalem eam facultatem intromittant, atque suscipiant, sed quam (ne violetur jusjurandum) modo quodam incomprehensivo somnient verius quam cogitent, in altricis illius & naturalis facultatis genere comprehendi. Itaque duas constituunt ei differentias, unam vitalem, alteram altricem, judicantque vitalem altrici in opem & subsidium fuisse additam. 2. col. c. 9.

Hoc illi commento probabile quiddam afferre videntur, sed tamen Aristotelis B mentem offundunt, qui unam eandemque vim nunc altricem, nuuc naturalem, nunc vitalem consuevit appellare. At mihi cum illis controversiæ nihil est, qui eo jam adducti sunt, ut nobiscum concedant tres in nobis facultates consistere naturalem, vitalem, & animalem, quarum gubernaculis corporis natura & integritas tenetur & cohæret.

Ratio 1.

Jam vero tempestivum est demonstrare, hasce tres, non modo cogitatione, sed re ipsa & essentia inter se distare, esseque sejunctas. Omnia enim quæcunque sic comparata sunt, ut possit eorum unumquodvis vel lædi & labefactari, vel prorsus interire C & *extingui, aliis constantibus & inviolatis, disjuncta ea sunt*, neque unam eandemque substantiam complent. Atqui in osse, in cartilagine, cui secundum naturam firma sit constitutio, nullus inest sensus nullaque *sentiendi facultas*: vitalis tamen & naturalis insunt, quarum beneficio alitur, atque uivit. Lethargus, sensus omnes morumque consopit, totamque vim animæ sentientem stupidam reddit, reliquis integre valentibus. Paralysis quamcunque partem vehementer prehenderit, sensu motuque privat, aliis permanentibus quæ partem non sinunt contabescere. Sicque multifariam vis sentiens aut omnino lædi potest, aut partem quampiam deserere,

Animalem facultatem lædi aliis illæsis.

re, aliis in nullam offensionem incurrentibus.

Cæterum in atrophia palam est, ex nutritionis errore *vim altricem* incommodo detrimentoque affici, necdum tamen alias concuti. Nec profecto desunt qui judicent partis cujuspiam nutritionem sensumque prorsus exterminari, vita duntaxat superstite, cum nempe ea liquefacta in totum extabescit, solamque vitalem facultatem retinet, quæ illius integritatem tuetur, obsistitque ne illa consumpta putredine dissipetur. Est enim putredo vitæ adversa, neque aliud quam vita obsistit ne pars in perniciem agatur. Quicquid igitur nutritione sublata integrum præterea manet neque putrescit, id sane vivit, vitalique facultate sustinetur. Hinc ut facere ita præclare olim dictum fuisse animadverto, hanc vim datam esse corpori pro sale, ne putrescat; quod hæc una possit omnem interitus perniciem retundere, arcere, præcludere. Hæc enim summa est illius actio, non ut corpus alat, non ut rerum occursum sentiat, sed ut vitam & integritatem conservet.

Naturalem laedi aliis illæsis.

Quinetiam quum quis pestilenti febre male torquetur, affligiturque cordis dolore, vomitione, animi defectione, quumque pulsus obscurus & imbecillis deprehenditur, quis tum ambigere potest *facultati* in corde *vitali*, cujus hæc sunt opera, negotii plurimum exhiberi, aliis quidem aut nihil omnino, aut multo minus agitatis? Ut enim alia morbi genera aliis solent facultatibus malum inferre, sic hoc maxime pestilens vitalem vim obsidet, oppugnat, atque demolitur.

Vitalem lædi posse aliis illæsis.

Itaque potest quævis una facultas noxam & incommodum subire, reliquis aut nondum aut non peræque læsis: quin fortasse potest in quapiam corporis particula vis animalis ex morbo perire, simul cum hac & naturalis, una superstite vitali: quorum omnium rationes posthac uberius afferemus. Unde plane perspici potest, tres illas non modo cogitatione, & (ut dicere solent) ratione, sed re ipsa propriaque substantia disjungi.

Quare vitalem à reliquis esse diversam.

CAPUT XIV.

Tres animæ facultates sedibus atque locis discludi.

Ex Gal. 1. de placit. cap 6. & 7. de plac. 3.

Has facultates non in uno corde residere.

Nulla vis animæ quæ potissimum obstricta sit corpori, quicquam potest efficere citra instrumenti alicujus subsidium. Quum autem vel animæ instrumentum vel domicilium offensionem acceperit, necessum est profecto, aut ipsius quoque facultatis substantiam lædi, si inde originem duxit, quod plurimi confirmant, aut certe (quod externis fit artificiis) effectus contortos & deteriores reddi, præpedirique functiones. Quare *si cor una est omnium facultatum sedes*, quoties id injuriam & incommodum accipiet, omnes hæ facultates necessario peræque lædentur. Hæc autem perspicue falsa esse & inania, declarant, quæ in pestilentibus aliisque venenatis morbis obtingere proditum est. Quin & posthac apertius erit, multis ex causis cor ejusq; actiones affici, cōstantibus aliis viribus.

Itaque tres eæ quæ sunt, non essentia modo, sed sedibus quoque & principatu disjectæ sunt, neque in eodem possunt solió considere.

Sed in diversis partibus singulas.

Quod si earum opera & effectus magna cum cura & diligentia intuebimur, non operosum fortasse fuerit propriam cujusque sedem designare. Perspicue cernimus esculenta potulentaque in eas partes quæ sub præcordiis positæ sunt, maxime in ventriculum illabi, ubi primum concocta, deinde *jecinoris vi* in sanguinem conversa, alendo corpori fiunt idonea.

Naturalem in jecore.

Cerebrum etiam tanquam *commune sentiendi principium* à sensibus omnibus circumsederi quis non videt? eosque per somnum comprehenso cerebro quasi vinctos teneri, excitari autem & operam quemque suam confere per vigilias liberato illo & soluto? At cor in somno semper cietur & agitatur, nunquam facta intermissione officii conquiescit. Hoc si sensibus prima est efficiendi causa, cur non eorum functio similiter perpetua fit & continens? Conquassato compressoq; vehementer cerebro, animans con-

Animalem in cerebro.

continuo sensus omnis motusque expers obtorpescit: cerebrique offensione fiunt oblivio, stultitia, deliratio, apoplexia, quibus tum principes tum sensuum præpediuntur actiones, ab hisque malis liberant quæ cerebro, non autem quæ cordi adhibentur remedia.

Male autem affecto jocinore ægre corpus alitur, alias atrophia extabescens, alias corrupto humore turgidum: quumque ei visceri valetudinis curatio adhibebitur, altrice facultate corroborata ad salutem corpus omne reducetur. Nemo est tam delirus qui constantibus his malis velit facere medicinam cordi, aut hanc si forte tentet, non hallucinetur, expectationemque suam decipiat.

Itaque sensuum actiones in capite, maxime, naturales in iis partibus quæ sub præcordiis sunt, explentur ac vigent. Ubicunque autem eæ plurimum eminent & apparent, ibidem consentaneum est vim & facultatem earum effectricem dominari, suum principatum habere: nam hac ista ratione ductus etiam *Aristoteles* vitæ principium in corde collocat, quod omnium primum vivit, postremum emoritur.

Vitalem in corde. Ex propriis igitur operibus, ex medendique ratione, altrix vis & naturalis in jocinore, animalis seu sentiens in cerebro, reliqua *vitalis in corde* constituenda videbitur.

Quod & probant vasa quæ ex illis oriuntur. Nunc autem mihi liceat rei fidem iis *ductibus* confirmare *qui facultatibus ad proprias functiones subsidio veniunt*: venæ quidem naturali, nervi animali, arteriæ vitali. Omnes quidem quemadmodum & ipsas facultates ex corde nasci prodidit *Aristoteles*, nequicquam a se ipse discedens: recte existimans, illic facultatem & partem animæ figi debere, unde illius instrumentum nasceretur, ductusque derivaretur. *Arteria ex corde.* *Ex Galeno 6. de pla. cap. 3.* Quocirca quum *arterias ex corde* duci, omnemque pulsationem hinc eas accipere, inter omnes conveniat, si præterea nervos è cerebro, venas è jecore primam originem duxisse commonstrem, *Vena à jecore.* videbor etiam planum fecisse, illud domicilium esse animalis facultatis, hoc vero naturalis.

Ut in arboribus universoque stirpium genere, majora minorum sunt principia, & truncus omnium amplissimus deorsum radices agit, sursum autem in ramos diffinditur, hi rursus in alios exiliores. dum tandem in tenuissimam sobolem undique propagetur atque fruticetur: hicque unus omnium consensus in trunco principium constituit, & eam vim quæ stirpi moderans, alimentum trahit distribuitque singulis partibus: ita sane in venis atque nervis statuendum videtur. Cæterum *vena cava* qua cordi assistit multo quidem tenuior est, quam ubi è jocinoris convexo emergit: quinimo hic in duos ramos diffinditur, quorum uterque duplo major est eo, qui ad cor sursum irrepit: quod plane argumento est non è corde, sed è jecore primam venis originem esse. *Prima ratio.*

Huc accedit, è cavis regionibus interioreque facie, jecur, *venam ad portas* emittere; quæ serpens multiplici lapsu & erratico, complures rivulos tanquam radices effundit in ventriculum, in omentum & mesenterium. His autem (venæ tametsi sunt) nulla intercedit cum corde communio aut societas, sed ne cum his quidem venis quæ è jecoris facie convexa emerserunt: quare stirpium exemplo jecur venarum origo constituendum est. Ex quo intelligitur partem in stirpibus inter radicem & truncum interpositam, quam *Aristoteles* cordi comparavit, jecoris potius quam cordis similitudinem speciemque gerere, ut in qua vis insit naturalis, eam prorsus exprimens quæ in jocinore consedit. *Secunda.*

Postremo ut perfectis animantibus arterias è sinistro cordis ventriculo nasci animadversum est, sic terrenis animantibus iisque vocalibus dexter ventriculus adjectus est, in eumque inserta vena cava, ut inde erumpente rejectoque sanguine pulmones alerentur. Muta autem animantia, ut pisces omnes, dextro sinu defici atque destitui, omnium judicia sensusque confirmant, quod aquatilia neque pulmones habent, neque vociferantur, neque spiritum ducunt. At nihilominus sanguine aluntur in venis recondito, ipsæque venæ omnium jecori sic affixæ sunt, ut aperte hinc derivari cernantur. In dextrum autem cordis ventriculum (ut quem non habeant) nec inseri, nec inde possunt educi. Quid quod vena *in piscibus vix cor attingit?* poteſtne inde exoriri unde longius abest atque dijungitur? *Tertia.*

Nervi à cerebro. Eadem propemodum sunt rationum pondera

dera in *in nervorum exortu*, quos palam est *cor non* attingere, neque ei *ulla communione jungi*: ut idcirco nemo (nisi qui in contemplandis rebus cæcus fuerit) existimet à corde tanquam à principio eos emanare.

Ratio 1.

2. At si diligenter *cerebri structura* animo sensuque lustrabitur, clarum erit & evidens, nervos omneis sentientes illinc deduci, ortusque sui primordia accipere.

3. Si substantia spectabitur, eos *cerebri tanquam surculos* arboris partes esse, sed quæ in extrema corporis progressæ, tum viæ longitudine, tum locorum per quos tractus est siccitate, mira soliditate durescant.

Spinæ etiam *medulla* vera cerebri soboles, qua foras excedit ampla quidem est, tanto deinde gracilior facta, quanto longius processit. Ex hac autem tanquam ex arboris stipite, quamplurimi utrinqne nervi adeo expresse & perspicue diffunduntur, ut nisi sensuum fides & præstantia tollatur, hæsitari non possit, omnes aut proxime aut medullæ interventu ex cerebri substantia prodisse.

Vetus olim fuit sententia, quæ ob duritiem eorum *ortum meningibus* tum cerebrum tum spinæ medullam circumplicantibus, acceptum referret.

Gal. 9. de plac. ca. 3. Non à meningibus.

Ab his fortasse nervi omnes involucra quædam acceperunt, medullæ tamen (quę ramorum qui in arboribus sunt exemplo, intus inseritur) origo cerebri substantiæ datur. Hæc autem prima est & præcipua nervi portio, quá valente motio omnis conficitur, & qua læsa concidit.

Ergo ex functionum proprietate, ex instrumentorum positu, ex ductuum ortu ac derivatione, in promptu & ante oculos esse debet, vim & facultatem animę naturalem in jocinore, sentientem in cerebro, reliquã autem vitalem in corde, quasi in sede propria constitui. Quibus etiam confectum arbitror, eas non modo simplices facultates, sed loco sedibusque disclusas haberi.

CAPUT XV.

Rationum quas adversarii proponunt confutatio

Ex Galeno 2. de plac. cap. 6. Et etiamsi aliud suaderet ratio.

At jam video Sophistarum verius quam Aristotelicorum turbam his obstrepere, qui tametsi plane vident naturæ functiones in jocinore, animales in cerebro, ut in ventriculo chylosin, & in oculo visionem: has tamen fateri nolunt facultatum esse sedes, ut neque nervos à cerebro, venas à jocinore proferri. Quid est causæ cur ita censeant? quoniam (inquiunt) non ut medici sensuum æstimatione, de his judicio decernimus, sed una duntaxat *ratione demonstrativa*. Quomodo? Quia princeps *Avicennas* scriptum reliquit, Philosophos qui vires omnes reponunt in corde, omnia altius prospexisse, investigasseque rationes magis necessarias: medicos vero quæ sensus duntaxat movent sequutos, facultates illas sedibus distraxisse.

Fen. 1. lib. 1. doct. 6. cap. 5.

Sensui tamen potius fidendum.

O delirationem incredibilem! desipientis enim arrogantiæ est *argumentationis necessitatem sensuum authoritati* anteponere. Sed quid necessitatem dico, quum nulla in id necessaria argumentatione, sed ne satis quidem probabili adduci possint? Nunquid quod sensu comprehensum est, potest ulla ratione convelli? Tanta est eorum in unius opinione pertinacia, ut errare malint, & in controversia concertationeque perpetuo versari, quam synceram puramque rerum cognitionem capere: atque quum perspicuis dubia debeant illustrare, dubiis perspicua tollere conantur.

Quænam autem est eorum tam firma constansque ratio? *Cor quia nobilissimum* est & vitæ fons, idcirco animæ omniumque ejus facultatum sedem esse & principium: cerebrum autem, jecur, ventriculum, reliquasque partes illarum instrumenta duntaxat esse: omnes in corde altissimis defixas esse radicibus, at illarum functiones aliis partibus alias comparere. Est igitur (inquiunt) cor principium, quod omnes facultates sinu complexuque suo continet atque fovet, non autem principium edendæ depromendæque functionis.

Nec ratio aliud suadet.

Hac interpretatione, quam pleriq; quasi ex tripode dictã inspiciunt & admirantur, putant *Platonis* medicorumq; observationem *Aristotelis* argumentationibus reconciliare, sicque omnem se controversiam dirimere.

Sed

Sed quam vanus & irritus hic labor, velle eos qui ex instituto distracti sunt, in concordiam adducere?

Cor, inquiunt, omnium est facultatum origo, quia nobilissimum. *Quasi vero* rex qui totius est imperii nobilissimus, omnium subjectorum vires in se unus comprehendat: & quia penes illum sit omnis necis & vitæ potestas, idcirco subjectis propriæ vires non insint, quibus quæ sua sunt procurent.

Sed potius suadet id ipsum.

Expendamus autem ponderemusque diligentius controversam hanc rem, & plenam dissensionis inter doctissimos. Si jecur & cerebrum non primariæ sunt sedes, sed instrumenti duntaxat rationem acceperunt, hocne à conformatione & figura solum habent, an etiam à temperamento? Ab utroque (opinor) cauti nec incallidi respondebunt: cæterum temperamento quam conformatione plus effici, sanguis enim in jecure, & *spiritus animalis* in cerebro, à substantiæ proprietate & temperie potius quam à conformatione procreatur.

A spiritus generatione desumpta.

Quoniam igitur ex temperamento vis quædam & facultas enascitur, quæ causa est efficiens, in unaquaque particula ut temperamentum, sic & ingenitam oportet quandam facultatem inesse, quæ functionum ejus est opifex. Hoc quidem & illi tanquam plane consequens fatentur; quum vitalem spiritum ex corde videant per carotides arterias in contextum admirabilem, & in cerebri ventriculos efferri, illicque in animalem converti. Isthæc autem conversio uudenam & à quo prodiit? Nonne ex vi aliqua quæ cerebro propria insideat & ingenita sit? Neque hoc illi diffitentur. Necesse est ergo hanc istam vim insitam quæ spiritum gignit animalem, animalem quoque haberi: qui enim fieri posse intelligemus ut hoc aliud gignat, cujus vi nulla & potestate sit præditum?

Gal. 7. de plac. ca. 3.

Lib. 1. fen. 1. doct. 6. cap. 4. *Ea enim vera generatio, non alteratio tantum est.*

Multi quidem ajunt hoc fuisse *Avicennæ* decretum, ne dicam *subterfugium*, spirituum omnium ut certe facultatum unam esse eandemque substantiam: atque quum ea sit vitalis spiritus in corde, portionem quæ in cerebri ventriculos contendit, temperationem quandam adipisci obeundis animalibus functionibus idoneam. Hunc tamen spiritum vim novam illinc nullam consequi, quæ non ante fuerit, neque substantia, sed qualitate duntaxat mutari & nova constitutione, quæ spiritum illum vitalem aliter atque prius versans ac præparans, efficit ut ad functiones animales accommodetur, & animalis in eo facultas nunc primum sese expromat. Prius enim hujus facultatis substantia ei spiritui insidebat, quum adhuc in corde tenebatur, nondum tamen ea se functionibus exprimebat, quod impedita esset nec rebus consentaneis & adjuvantibus instructa.

Solers ista quidem & subtilis rerum notatio, sed tamen *falsa* nimis & fallax assensio. Spiritus dum in contextu admirabili atque in cerebro propriam temperiem mutavit, nonne simul substantiam & speciem mutavit? Si speciem, nonne & facultatem? Alias enim nulla fuerit toto corpore spirituum specie distinctio. Quod si fatentur, neque ulla profecto fuerit humorum specie differentia, sed solo accidente distabunt, sanguis, lac & semen. Et quicunque ingerentur cibi, non in ventriculo, non in jecore, non in venis, non in reliquo corpore, aliam quam in qualitate mutationem subibunt: erit una eademque omnium ubique substantia ac species, non eorum modo quæ in corpore continentur, sed ipsarum etiam partium. Hoc autem quid aliud est, quam rerum species ac differentias de medio tollere? quam omnia in idem substantiæ genus contrudere? quam rerum ortus & interitus in naturæ mundique exilium agere? quam omnia omnibus confusa permiscere ac perturbare? Quod si specie distant corporis partes, & qui ab illis convertuntur humores, cur non item spiritus substantia & specie inter se distabunt, quos palam est multo tenuiores esse, & facile mutabiles, ut expeditius quam illi partium quibus assidebunt, vim & conditionem subeant?

Itaque consentaneum magis est, cerebrum à corde, ita animalem spiritum à vitali, specie atque substantia differre, diversisque illos facultatibus teneri. Quicunque adversa sustinere contendent, multis astricti vinculis, eo quo minime volunt imprudentes revolventur.

Quare Aphrodisæus facultatum sedes admisit sed servientium.

Lib. de anima in fine.

Quocirca multo melius quam illi & luculentius *Alexander Alphrodiseius*, quamvis im-

impenſæ Ariſtotelicæ diſciplinæ ſtudioſus, cerebro, jecori, ventriculo, reliquiſque partibus proprias vires addixit: qui qunm alias eſſe diſtinxiſſet quæ famulantur & ſerviunt, alias quæ regunt & quaſi dominantur, ſubjecit animæ principatum in corde conſtitui, vires autem eas, quæ velut ſubjectæ famulantur, in varias corporis partes diffici. Nam quæcunque ad animalis facultatis demonſtrationem attulimus, eadem fere ad naturalem & reliquas accommodari poſſunt.

Quiſquis igitur volet naturalem contemplationem medicis obſervationibus confirmare, omni depoſita concertationis invidia, tres animæ facultates, vitalem, ani- & naturalem, eſſentia, ſede inſtrumentiſq: diſcludat. Nunquam enim futurum eſt, ut qui eas turbulenta confuſione connectet, quicquam in re medica vel dilucide demonſtret, vel certa intelligentia & ratione comprehendat. Hinc videas non modo *Alexandrum*, ſed reliquos prope omnes Ariſtotelis interpretes, vitalem facultatem à naturali diſcreviſſe, alios inſervientes quaſdam facultates, membris aſſignaſſe, alios non unam & eandem, ſed plane diverſam inſtrumentis originem dediſſe, indicium ſane vacillantis & fluctuantis opinionis tanta interpretationum varietas.

Quanquam vero unus *Ariſtoteles* admirabili ſcientia, atque judicio, in cæteris fere ſuſpiciendus eſt, & à nobis venerandus, hic tamen primus temere fregit authoritatem veteris diſciplinæ, atque ut novam conderet, partes illas animæ labefactavit atq; pervertit, quas mirifice *Plato* erat amplexatus. Verebatur enim ne ſi illas cum *Platone* admitteret, multas in homine animas, & hinc multa eſſe animalia fateri cogeretur.

Quâre id eam opinionem devenerit Ariſtoteles.

In has autem ruinas atque ſalebras ſi *Plato* incidit, ne illas quidem *Ariſtoteles* ulla declinatione vitare poſſit & effugere, ut qui alteram animæ partem immortalem, caducam alteram inſtituat. Hinc *Themiſtius* utrique opinioni impedimentum hoc accidere tradit, quod non ſimplicem, ſed concretam ex partibus animam dicit. Quid autem in his ſtatuendum ſit, paulo poſt fuſius diſſeretur à nobis, quum animæ ſubſtantia & integritas explicabitur.

Et quam immerito.

CAPUT XV.

Quid vitalis facultas cæteris præſtet & impertiat, in quibus inſit, quo accedat ordine, quid vita.

Ex Gal. 4. de præſ. ex pulſ. ca. 13.

Quid ergo animanti vitalis confert facultas?

ID quidem pervagatum vel apud idiotas omnium ſermone percrebuit, vivere ſtirpes, vivere animantia, vivere ſuperos: hos quidem ſolius mentis agitatione, iſta ſenſus impulſu, illas vero natura duce. Quum autem unus homo naturæ, ſenſus mentiſque viribus teneatur, ſitque naturæ vis altrix in jocinore, reliquæ in cerebro, quid eſt quod duorum iſtorum conſpiratione & mutuis officiis non ſatis gubernamur & conſervamur? Si omnis vitæ functionum cauſa ad hæc referri putetur, quid præterea *cor* nobis additum eſt? qua impellente neceſſitate conditum? *quanam illius actio* quam jecur & cerebrum non obeant? Aut igitur omnino id ſupervacaneum videtur, aut prima omnium facultatum ſedes.

Anemantibus nutrimentum perfectius

Hæc quidem ſunt quæ nonnulli inexplicabilia eſſe dixerunt & nondum comprehenſa, quæ tamen extricare & in perſpicuam lucem proferre conabitur. Animantium genus naturalem & altricem vim cum ſtirpibus quidem habet communem, eamque poſitam in jecore: ſed quæ tamen præſtantioris cujuſdam ſit ordinis & dignitatis: omnem quippe *nutriendi functionem animantia* lege quadam & *ratione perfectiore complent*. Stirpi alimentum eſt ſuccus impurus atque lutulentus è terra hauſtus: animanti vero id quod jam multiplici mutatione præparatum eſt, ut olus, ut fructus, ut caro. Facili promptaque coctione & rudi quadam alimenti converſione ſtirpes aluntur, animantes autem non niſi utilis alimenti multifariam facta concoctione, qua longa rerum ſerie in ſanguinem ac demum in corporis ſubſtantiam convertitur. Quoniam igitur tam mnltiformis eſt in animantibuscon coctio, & alimenum id perfectionis aſſequitur, quo nequit in ſtirpibus perve-

quam ſtirpibus prabet,

pervenire: necesse est omnino, vim quandam præstantiorem in animantibus quam in stirpibus nutritionem moliri, eamque aut generis cujusdam esse pręstantioris, aut acceptis aliunde viribus adjuvari. Hac ratione perfectis animantibus cor attributum est, cujus calor & facultas toti corpori, maxime vero jecori & cerebro impartiretur, omniumque functiones & munera compleret. At vero stirpibus quæ solius naturæ beneficio vivunt & vigent, unica vis altrix obtigit, eo sustentata calore, qui tanquam materia subjectus est.

Calidum innatum quod multo facilius quam in stirpibus dissipatur instaurat.

Hic porro languidus est atque iners, in omnem stirpis substantiam diffusus, nec facile dissipabilis, hoc indicio quod arborum defracti, avulsi aut abscissi rami aliquantum vivunt, possuntque insiti revirescere & fruticari. Sic profecto exanguia animantia, B quæ naturæ ancipitis sede stabili scopulis adhærent, ut conchæ: & quæ sponte sua intimoque motu huc illuc promiscue feruntur, ut apis, formica, vermis, & reliquum omne insectorum genus, quorum resectas partes seorsum moveri conspicimus: omnia quidem vitæ suę calorem exiguum habent, eumque toto corpore æquabiliter consertum, neque in iis ulla est sedes cordi vere comparata, è qua hic calor quoquoversum in omnes partes influit & illabitur: his enim ita positis, abscissæ partes neque vivere, neque moveri possent. Contra autem *perfectiorum animantium partes*, quum defectæ continuo vita priventur, argumentum, est, non ex se, sed *aliunde in-* C *fluentibus viribus eas sustineri*, neque proprio solum calore ut stirpes, verum etiam ascito gubernari, & supra vim jecoris naturalem, aliam ex corde vitalem advenire.

Animalibus spiritibus materiam prabet.

Porro autem vitalis facultas animali etiam succurrit & opitulatur, quod ei velut pabulum & *materiam suggerat, ex qua demum spiritus profertur animalis.* Hinc nonnullis existimatum est, vitalem animalis gratia potissimum conditam esse, quod ei plus quam naturali conferre videatur: quandoquidem præter materiam vim etiam subjicit qua in opus excitatur erigiturque, ut citra cujus opem vis animalis qualiscunque fuerat ex semine producta, ignava & languida otiaretnr. Itaque hæc omnium postrema recte constituitur, quæ in fœtu dum utero A gestatur, tum obscuras vires ostentat, tum minimum videtur necessaria: at quum jam editus infans hac luce fruitur, ea pectus distendens, deprimensque spiritum ducit ac reddit, nec tum exiguam opem fert cordi.

Toti animanti vitam.

Cæterum hæc ipsa vitalis facultas non modo cæteras omnes quum rudes adhuc & inchoatæ sunt perficit, sed etiam easdem *quod vivit animal tuetur, & ad agendum impellit.* Id plane declarant arteriarum interceptiones, quæ aut vinculis aut aliis quibuscunque causis opprimentibus inciderint: per has enim cordis aspiratione cohibita, mox repente tanquam attonitum corruit animal. In syncope tantisper dum vitale robur corporis partes non illustrat, reliquæ quoque facultates omnes pariter intermissionem faciunt: mox autem ut id excitatum revixerit ac se ipsum collegerit, omnes illæ quasi recreatæ recurrunt. Absonum autem & absurdum fuerit, existimare, hoc exiguo tempore partes corporis ab omni vi & facultate destitui: in quod tamen discrimen *Avicennas* adducitur, & quicunque statuunt facultates omnes à corde illabi. Hoc igitur temporis articulo, particulis suę insunt propriæ & ingenitæ vires, quemadmodum & cordi, sed quas tamen nulla vis princeps stimulet & incitet. At nihilominus si robur id vitale perdiu abest, nec influit (quemadmodum quum præceps & insolens syncope hominem tollit) inficiari nolim partium facultates tandem corruere & intercidere, animalque prorsus vitam dimittere: tanta quippe est vitalis necessitas, ut citra illius favorem reliquæ ne minimum quidem efficiant.

Unde vitalis merito appellata est. Ex Gal. de util. resp. cap. 1. Vita animantium quid.

Hinc recte *vitalis nomen* ei potius quam stirpium facultati est impositum, quod pręstantiore magisque salutari vitę genere corpora collustret, unaq; reliquarum omnium perseverantiam & firmitatem contineat.

Est enim animantium vita *facultatum actionumque omnium conservatio.* Hæc autem à corde cum spiritu caloreque defluit.

Quid mors.

Mors est *vitalis roboris omniumque facultatum extinctio.*

Quas autem horum definitiones prompsit *Aristoteles*, eas non modo ad animantes, verum etiam ad stirpes accommodavit, ut longe lateque paterent.

Vis

Vis porro ista vitalis, totius animæ pars non est, quod solitaria nusquam subsistat, quodque illius ope nihil seorsum vivat. Sed totius est animæ summa quædam facultas, quæ partes animæ perficit, tuetur, & quasi nexu conjungit.

CAPUT XVII.

De Facultatum concentu & principatus ordine.

Galen. 6. de placit. cap 6 Hæ facultates quamvis diversæ inter se tamen consentiunt.

TRes animæ facultates quanquam in perfecto animante substantia, instrumentis & sede sejunctæ sunt, fieri tamen non potest, ut posteaquam in uno eodemque corpore coierint, tum inde quasi divulso & sejugatæ prorsus distrahantur. *Mutua* enim *conspiratione* usque eo omnes *inter se* aptæ & *connexæ sunt*, ut unaquælibet reliquarum ope consistat.

At vero fieri potest ut cujuspiam particulæ una animalis facultas pereat aliis commorantibus: aut simul cum animali naturalis etiam pariter occumbat, una superstite vitali: quemadmodum fit dum in particulam per arterias dimanat vis spiritusque vitalis, à cerebro autem & jocinore nihil quicquam illabitur. Tametsi igitur dum vita est, semper nutriri animal verum est & compertum, non tamen id in particulis fieri est necessarium. Una vitalis cæteras perficit atque convertit, & ab eisdem mutuis juvatur officiis. Naturalis enim pabulum ei suggerit, animalis autem pectus pulmonesque agitans, tum alimenti tum refrigerationis ejus est effectrix. Animali porro reliquæ duæ materiam subjiciunt: naturalem autem vitalis per arterias illapsa tuetur atque auget, quæ ipsa animali perpetuo eget. Ex quibus intelligitur, indissolubili eas concentu teneri, nullam posse citra aliarum opem consistere, & unaqualibet intercidente, reliquas etiam pariter emori.

Quare una pereunte pereunt & alia.

Cæterum quoniam variæ & disiectæ sunt earum sedes, quarum incommodo tum spiritus, tum calor, & facultatum substantia offenditur, fieri quidem poterit ut una quælibet offensiunculam accipiat, aliis nondum læsis: quamvis ea si diutius inhæreat, in cæteras tum demum irrepat, fiatque omnium communis. *Hoc* autem *intercidunt ordine*, ut ab ea quæ in malum & perniciem primum incurrit, ea proxime laboret quæ majorem, postremo autem ea quæ cum illa minorem necessitudinem aut cognationem habet.

Quis ordo interitus sit.

Ab animali enim primum vitalis, deinde naturalis afficitur, à vitali animalis: ut cui illa materiam & vitæ formam ministrat, tandem vero naturalis: à naturali vitalis, mox animalis. Hunc ordinem tum rerum eventus edocuit, quoties pars unica princeps simplici morbo tenetur. Quod si unaquælibet facultas jacturam facere potest aliis nondum offensis, necesse est perurgente causa, eandem prius aliis, neque eodem omnes puncto temporis interire, licet exiguo post tempore unus sit omnium interitus.

Is itaque ex mutuo consensu affectionum ordo statuitur: cæterum in actione & administratione corporis, alius multo diversus. *Exortu* quidem prima est altrix, deinde vitalis, postrema animalis. *Quis ortus ortus.*

Nobilitate & principatu prima atque præstantissima est animasis, ab hac vitalis, tertia altrix ignobilis & abjecta: hæc enim vilium stirpium communis est: vitalis data animantibus, quia altricis actiones integrat & absolvit, ea præstantior utique videtur, obscurior vero & inferior animali, ut cujus causa maxime condita sit: finis autem in quem reliqua contendunt, splendore & commendatione clarus est. Quinetiam animales functiones, sentire, moveri, ratiocinari, contemplari, sapienter vivere, quia altioris gradus & dignitatis sunt quam solum ac simpliciter vivere, plane declarant vim harum effectricem omnium summam esse & principium tenere. *Ordo præstantia & dignitatis.*

In actionum autem & *vitæ necessitate* omnium prima vitalis statuitur, quod non modo reliquis materiam sufficiat, sed illas etiam suscitet, perficiat, mutuoque complexu tueatur & foveat. Sive enim particu- *Ordo necessitatis.*

cula quævis & motum & sensum habitura est, sive debet nutritionis commoda percipere, in eam necesse est spiritus & vis influat vitalis: quæ si lædetur, mox utriusque functio interpellabitur, quasi in utriusque opus communiter concurrat. Hujus itaque beneficio quum reliquæ indigeant, non autem è diverso, una omnium judicabitur maxime ad usum vitæ necessaria.

CAPUT XVIII.

Simplicem esse animam quæ his partibus continetur, hincque Aristotelicorum rationes dissolvi.

Aristotel. 2. de anima cap 3. *Partes animæ interposito vitalis facultatis jungi & unam efficere animam.*

Stirpibus ea moderatur anima quam naturalem altricemque dixerunt, ut quæ ejus duntaxat gratia & officio vita fruuntur. Beluæ eam ipsam quidem, atque insuper alteram sentientem sunt adeptæ. Ex his autem vitalis facultatis interpositu apte conjugatis, una fit totius anima, cui pars illa præstantior nomen dedit. In homine omnes hæ partes insunt, quibus tertia insuper accedit, mens appellata, tanta profecto familiaritate cum illis consentiens, ut *ex omnium concentu una evadat anima*, quæ intelligentiæ & rationis est particeps.

Non ut partes in toto.

Cæterum hæc *non* ex illis tanquam *ex discretis sejunctisque partibus* condita est, quoniam una simplex totius est forma, omnis expers coagmentationis & structuræ; verum nascitur ex illis, quemadmodum posteriores Geometricæ figuræ ex prioribus. Trigonus enim ad alterum trigonum si decenter aptetur, fiet terragonus, non composita quidem verum simplex figura: ad hunc deinde accedens accommodatusque alius trigonus pentagonum efficit, re ipsa quidem simplicem, at potestate compositum.

Sed ut in pentagono 3 angulum & 4 angulum.

Sic propemodum dum fœtus utero fingitur & conformatur, primum naturalis anima emergit seque prodit, deinde vitalis facultatis interventu & conciliatione, anima sentiens comparet & elucet. Hæc vero quanquam simplex est, ut in beluis, comitem tamen retinet vim illam naturalē, quæ tum immanens anima dici non potest, ne corporis unius & ejusdem aut revera complures formas, aut unam compositam fateri cogamur. Inest tum igitur ceu illius pars duntaxat & quædam facultas: quemadmodum quæ in osse, aut quæ in carne est forma, quum jam totius species appulerit, superérit quidem non re ipsa & energia, sed tanquam præparatio & facultas ministra formæ succedentis: quod plenius alio loco disputavimus. Postremo autem quum mens consilii rationisque particeps immigrabit, quæ sentiens fuerat anima, jam non reapse commorabitur & residebit, sed ut facultas quædam & superioris illius quasi præparatio. Lib. 1. dialog

Neque licet una anima pars materialis alia immaterialis.

Hoc loco dubitatione & rerum obscuritate æstuant quidam philosophi, qui putant fieri non posse ut simplex nostra sit anima. Etenim mens intelligentiaque nostra sempiterna habetur & immortalis, quæ extrinsecus nobis accessit: sentiens autem anima mortalis & caduca, quasi ex corpore procreata. Illa quasi separata & simplex, *corpori non permiscetur*, sed ei duntaxat ut navi gubernator assistit: hæc vero *in corpus penitus immergitur* à quo nunquam dijungi divellique potest. Illa denique, ut cogitet, ut contempletur & intelligat, corporis subsidio non indiget: hæc vero nihil efficere potest citra idoneam corporis ejusque organici præparationem, cujus certe perfectio quædam est & absolutio. Harum igitur rationum animadversione complectuntur & efficiunt fieri non posse, ut tam dispares diversæque naturæ, communi societate in unius ejusdemque simplicis substantiam coeant. Itaque sive *Platonis* sive *Aristotelis* sententia recipitur, hoc utrobique impedimentum accidere contendunt, ut non simplex, sed ex diversis partibus concreta sit anima. Sic igitur gravissimis hisce vexati implicatique rationibns hærent in salebra.

Ideo simplex esse non potest.

Cæterum quisquis quæ ad hanc controversiam litemque minuendam attulimus, animo & cogitatione comprehendet censebit, animam, quæ in nobis rationis & intelligentiæ particeps, non ex aliis tanquam ex partibus componi, sed *simplicem esse* & tanquam

quam reginam (quum accesserit) aliarum principatus obscurare, ut una præstantissima dominetur, quæ omnium vires atque facultates haud secus atque pentagonus, simplex illa comprehensas teneat. Quæcunque enim præstantior est & superior, supparis vires omnes habet. Hinc fit ut simplex ea & singularis, una *possit* omnia in nobis vel dissimillima efficere sed *alia* quidem *per se*, *alia corporearum facultatum adminiculis*. Ut enim soluta mens & libera cogitat, ratiocinatur, & meminit, sic talia efficit in nobis nullius corporis adiuta concretione mortali. Illa corporis soluta vinculis omnia sentit, idque pure, dilucide, & quale quidque sit: at vero his terrenis concretisque corporibus intersepta, non nisi quinque nuntiis externa cognoscit. Eadem naturæ utens facultatibus corpus universum alit, utens vitalibus hominis vitam sustinet. Hæc igitur omnibus fons est & principium movendi, quod à se non ab alio quoquam movetur.

Quia ea diversitas animæ tantum accidit quia corpori juncta est.

Qua potissimum ratione plane cognosci potest, *animam immortali conditione sustineri*: hinc etiam quod infinitam rerum innumerabilium cognitionem capit, memoriamque retinet, quod res occultas ab omnique sensu & corpore sejunctas investigat, quod tot res & tantas nullius concreti corporis subsidio efficit. Quæ enim his est ornata viribus, nequaquam concreta esse potest ex terrena mortalique natura, nihil admistum, nihil concretum, nihil coagmentatum capit. Itaque simplex quum sit, nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest. Nec interire igitur. Ex quo demum intelligitur omni illam turbido motu semper vacare, nec dolore nec ægritudine pulsari.

Animam enim nostram esse immortalem & immaterialem.

At multa è *corpore* existunt quæ illius functiones juvent & acuant, *multa quæ obtundant & impediant*. Corpore acri & vehementi quadam status conversione confracto, illa confestim emigrare cogitur.

Quæ mala quum adsunt, quid causæ est cur illa functiones suas non implet?

Et laso corpore animæ actiones lædi.

An propriæ substantiæ jacturam quandam fecit? At ea nec offendi nec labefactari potest.

Instrumentum illius violatum est? At nullum illi concedimus.

Quid igitur restat? Corpus quod *proprium illius est domicilium præpediri*, Ut enim opifex idoneis instrumentis instructus, si in tenebricosum aut arctum conclave contrudatur, nequit quæ artis suæ sunt efficere, sic anima vitioso corpore, quod est tanquam domicilium, coërcita, quæ sua sunt munia exequi non potest. Convenienti enim corporis mediocritate teneri desiderat, quæ si parum commutabitur, functionibus illa suis interpellabitur: sin multum, tantam illam discrepantiam perhorrescens, nec ferre potis, decorpore decedit.

Quia corpus ejus domicilium est.

CAPUT XIX.

De Moralibus Facultatibus.

Ex Gal. 3. de plac. ca. 7. & toto lib. 4. & 5. Explicatis natura & sedibus facult. nat vit. animal. Restant adhuc ea de appetitu explicanda. Is triplex. Rationalis.

Inest autem in homine aliud earum facultatum genus, in quibus mores versari proditum est à virtutum magistris. Est id quidem *genus* universum *appetens*, quod nimirum in totidem differentias distrahitur, quot animæ facultates sunt locis sedibusque sejugatæ. Siquidem supra enucleate disputatum demonstratumque est, unamquamque non nisi proprio appetitu ad agendum impelli.

Itaque ut animæ, ita appetitionis *pars altera rationis est particeps, altera hujus expers*. Has enim inter se distare atque sejungi puerorum mores demonstrant, qui iracundia æstuant rationis nondum compotes. Quinetiam adulti qui prudentia præditi sunt multorum plerumque importuna *cupiditate* flagrant, quæ insurgens ratio & obsistens dissuadere ac pervertere conatur: hincque frequenter acerrima pugna committitur, plane ostendens non unicam, sed duas saltem esse facultates, unam rationi obtemperantem, alteram voluptatum amicam.

Cupidam.

Quum autem ratio certamine fortassis evicta fuerit, qui ita vitiorum blanditiis & voluptatibus succumbit, iratus deinde se ipsum objurgat: tumque rationi assistens *iracundia* tanquam auxiliaria, partes ejus tutatur, cupiditatis ardores & impetus oppugnatura. Ex quibus intelligi potest non modo

Iracundia.

modo duas, sed tres in nobis facultates morales inesse.

Rationis particeps appetitio, voluntas nuncupata, cunstanter prudenterque quippiam desiderat.

Quæ vero hujus est expers partibus duabus tenetur, quæ sunt *cupiditas* & θύμωσις, illa in jecore, hæc in corde.

Cupiditatis rursum *partes* sunt libido & cupedia, illa in testes, hęc in ventriculũ effusa.

Quæ peccant vel in excessu vel in defectu.

Appetendi autem facultates iis quas dixi sedibus dijungi, ex propriis earum perturbationibus clarum erit & perspicuum, quæ sunt hujusmodi. *Libidinis* perturbatio aut ęgritudo est mulierositas, contraria autem offensio ejus atque fastidium, μισογύνεια, id est odium mulierum.

At *cupedia* perturbationes & ægrotationes habet, circa cibum quidem liguritionem, circa vinum temulentiam: offensiones autẽ, cibi & vini fastidium, & stuporem, quo qui tenetur, suavitatem cibi non sentit. Utriusq; autem mediocritas est tẽperantia.

vis animi in corde inhærens, ut in variam materiam quam utilem judicat, nec tamen obtinet (his enim causis duabus incitatur, privatione & utilitate) appetitione sua fertur & incumbit, ita variis perturbationibus conquassatur. Hujus est ambitio, quæ gloriam persequitur & honores: avaritia quæ pecuniam & opus avet: ipa quæ injuriam punire & vindicare cupit: metus qui futuri mali opinione conturbat. Quum vero jam bonis potitur, gaudio & lętitia animus exultat: sin mala inciderunt, doloribus affligitur.

Jam vero si quas partes corporis singulæ perturbationes exagitant, diligenter animadvertimus, constabit opinor quo quæque in loco facultas insideat atque inhęreat. Par est enim unamquamque facultatem in ea potissimum parte tanquam in sede constitui, quę illius perturbatione evidentius impelli & conquassari deprehenditur. Atqui dum iracundia, doloribus, gaudio, metu cæterisque hujus ordinis perturbationibus concutimur, conspicue & *insigniter cor* in nobis aut opprimi aut gestire percipitur.

Residet vero iracundia in corde.

Cupiditas sub præcordiis.

Qui vehementer esuriens aut sitiens inedia consumitur, huic tristi quodam languore *præcordia* contrahuntur qui mox lenitur mitiorque fit, ut cibi potusque quippiam demissum fuerit. Quinetiam uterum gerentes alienorum sordidorumque, ut luti, ut carborum, extraordinaria appetentia lacessitę, mox absolvuntur atq; liberantur, si qua potione ventriculũ ac jecur expurgent.

In delirio, oblivione, & stultitia, ut summus ille splendor rationis extinctus est, ita & *cerebrum* graviter afficitur, huicque non autem cordi adhibita præsidia, ex usu sunt & salutaria.

Rationalis in cerebro.

Hæc quum in aperto sint & cuique obvia, nihil jam ambigi debet, appetitionem eam quæ compos est rationis in cerebro tanquam in arce propriaque sede collocari: eam veroquę ad iram proclivis est & θύμωσις dicitur, in corde, quod unum inter omnia viscera maximo ardet incendio, ut hos possit impetus inflammare: postrema autem quæ cupeditas appellatur, subter præcordia, maxime vero in jecore considere.

Posteriores duæ quia variis ut dixi perturbationibus agitantur, patibiles quidem sunt & affectioni subditæ. atqui si patibiles, *mortales* etiam sunt & caducæ: necessum enim est affectionum diuturnitate contabescant.

Duo priores appetitus sunt mortales.

At vero *prima* quæ rationi obtemperat, ut nullis perturbationum fluctibus jactatur, nullisq; vitiorũ procellis obruitur, ita prorsus impatibilis & *immortalis* censeri debet.

Rationalis immortalis.

Hinc percipi potest hanc istam appetendi vim, incorpoream esse mẽtis supremę conditione: reliquas autem tum corpori immersas, tum nobis esse cum belluis communes.

Quamquam autem illa cum cæteris intelligentię facultatibus, una eademq; mentis substantia tenetur, non tamen cum illis confunditur, sed diligenter facultatis cujusque ratio discernenda.

Et hi appetitus omnes à reliquis facultatibus distinguuntur.

Sic quã in corde constituimus vim excandescentię, cavendum providendumq est ne cum vitali, tanquam una sint, confũdamus: nam tametsi eadem sunt sede eademq; substantia cõprehensę, diversas tamẽ facultates esse, effectuũ operumq; varietas renuntiat.

Ipsa propemodum in jecore posita cupiditas, ab ejusdem altrice vi quamplurimum differt, licet unius sint substantiæ. Ubique enim appetens facultas prior est suis comitibus quas quasi admotus stimulus ad agendum incitat & impellit.

Hæc de animæ facultatibus quæ primo sese offerebant: jam pari verborum contractu, earum functiones proximus liber decurrat.

Libri quinti de Animæ facultatibus finis.

LIBER SEXTUS
DE
FUNCTIONIBUS
ET
HUMORIBUS.

CAPUT I.

Alimenti in ventriculo confectio.

Dum de facultatibus.



Facultatibus cognatione tanta functiones cohærent, tamquam immutabili continuatione junguntur, ut aliarum ex aliis cognitio capi debeat, fueritque necesse nobis pariter *ambabus* superiorem sermonem facere, qui utrarumque omnes ex æquo differentias recenseret.

De functionibus quoque actum

Quot sint.

Quamobrem de functionibus dum hoc loco rursum dicere instituo, neque profecto enitor ut illas nobis adesse demonstrem, neque ut earum differentias enumerem, quippe quas omnes jam supra plene cumulateque sumus complexi.

Nunc explicandum quo modo obeantur.

Verum à facultatibus tanquam à causis conversione facta, articulatim distinctéque edisserere contendo, qua lege, quo ordine usæ suis illæ spiritibus, suisque particulis & temperamentis, tanquam instrumentis *functiones omneis suas compleant*, ut simul inde partium omnium corporis humani commoditates & usus in promptu sint & eluceant.

Quo id ordine.

Primum autem omnes sigillatim scrutabimur & explicabimus in homine jam genito omnibusque suis partibus absoluto.

Deinde in eo qui gignitur in lucemque profertur-

Ex Galeno 1. de us. part. 5. Et 1. de nat. fac. cap. 5.

Atque in illo quidem *naturæ* primum,
Deinde *animæ*,
Postremo *vitæ* functiones attingemus.

Nutritio circa alimentum.

Summum supremumque naturę munus est *nutritio*, quam ex *alimento* accepto illa perficit: hęc enim illius est tota materia, in quam *penitus incumbit*, quam varie tractans expurgat, convertit, propriisque ductibus in omnes extremasque corporis particulas diffundit atque confert.

tum versatur.

Alimenti præparatio in ore.

Quodcunque durius & solidius est alimentum, dentibus *in ore* constructis manditur, extenuatur, & molitur, nec levem inibi conversionem accipit, admiscetque sibi quodammodo animantis qualitates, ut pristinam speciem & naturam vix retineat. Quod sane potissimum efficit tum diligens confractio atque confectio, pituitæ oris perfusio, quæ ad alia quoque plurima non modicas facultates obtinet, tum oris calor, tum denique tunicæ ejus, quæ ipsi quoque ventriculo continuata est & communis, attrectatio.

Ex Gal. 4. de us. part. cap. 1. & lib. 5. c. 11

In ventrem depulsio.

Mansum jam & ad nutritionem præparatum alimentum, crebra agitatione & motibus linguæ detruditur, idque *excipit stomachus* via communis per quam illabitur in ventriculum. Est autem hic & cibi & potionis receptaculum: omniaque rectis in interiore tunica positis fibris à gula detrahit, atque eisdem gula ab ore prolectat, perinde ac si dicas ventriculum per gulam quasi per manum ab ore cibos eripere. Hęc porro actio è transversis villis, qui in externa sunt gulæ tunica, adjuvari videtur. Cum enim quippiam sive aridum sive humidum ab ore depellimus, transversæ fibræ quæ infra id ipsum sunt dilatantur, quę autem supra contrahuntur, idque adeo arcte ut inter devorandum plerumque haustus spiritus, tametsi tenuis est, simul impulsus

Ex Gal. 4. de uf. part. cap. 7. 8. & 3. nat. fac. cap. 4. 5.

pulsus & adactus remigrare vix possit. Itaque partim ventriculo trahente, partim detrudente gula, ciborum fit depulsio.

Ventriculi attractio.

Ventriculi attractionem incitat appetentia, & iis qui extra modum appetunt promptior celeriorque fit depulsio: cum enim fames immodica dominatur, venter cibos nondum in ore plane confectos, mandentibus etiamnum & invitis plerumque eripit, ut fame latrantem se obsonet.

Ventriculi retentio.

Quæ sib adduxit, sinu suo complexuque recipit: eadem continendi facultates & obliquatum fibrarum ministerio includit: *complectitur*, continet supra subterque & omni ex parte adeo compresse, ut his circumiici & prorsus adhærescere videatur, nec inane quicquam relinquat, siquidem convenienter & secundum naturam se habet. Alioqui cibus in tanta caducitate huc illuc fluitans, neque lateribus ventriculi coarctatus, haudquaquam plene concoqui posset. Tum igitur pylorum interclusum ac prorsus obsignatum reperire est, ut non modo arceat crassiorem cibum, sed nec liquidum ac maxime profluentem elabi sinat

Ea profecto ratione concludit cohibetque accepta, nec ante *legitimum* naturæque præscriptum *tempus* effluere quicquam patitur, nisi cũ aut magno copiæ pondere, aut qualitatis mordentis acrimonia lacessitur. Est atuem id legitimum tempus, quo plenam perfectamq; concoctionem absolvit.

Coctio ventriculi.

Hoc interim spatio *facultas concoquens*, cibum omnem mutat & conficit, nullis quidem fibrarum adminiculis, sed tum proprio ingenitoque calore & spiritu, tum eo quem ut lebeti magno circumjectus ignis, ita & proxime partes illi inferunt, jecur, lien, cor, diaphragma, vena cava, & omentum, quod illius calorem coërcet duntaxat atque continet. Cæterum propria ventriculi substantia concoctionis illius absolutionem perficit, idque non modo vulgatis & notis illis qualitatibus, vernm etiam tacita & recondita proprietate.

Itaque his omnibus tanquam ministris adjutus ventriculus primum quidem alimenta in unum cogit, & alia cum aliis, arida cum humidis confundit, simul vero omnia frangit & exterendo comminuit, ut jam partes omnes quandam substantiæ æquabilitatem adeptæ videri possint. Quæ dum ita exquisite permiscentur, necessario quum ex mistionis lege, tum ex affectionis natura mitigantur, & deposita omni qualitatum exuperantia in quendam mediocritatis ordinem adducuntur & recidunt, fitque uniusmodi ejusdemque naturæ substantia, *speciem quandam cremoris* consequuta. Hoc primum est consequentis facultatis opus, ciborum in cremorem conversio, quã & ventriculi & vicinarum partium solo calore fieri credibile est. At vero id concoctio nondum conferi debet, quod talem ars sola plerumque nobis exhibeat, sed duntaxat præparatio quędam ad concoctionem.

Coctionis ratio duplex.

Cremoris.

Chyli.

Posthæc vero cremor hic aptam & accommodatam nutriendo animali qualitatem atque substantiam sumit, tumque perfecte mutatur & conficitur: eaque mutatio & *id chylum* facta *conversio*, concoctio ea est quam definimus. Fit autem hæc non modo vi & ardore caloris, sed etiam tota ventriculi substantia, & insita quam diximus proprietate. Sic struthiocamelus ferrum coquit & exterit, quod non leo calidissimus, sed ne ignis quidem ardor effecerit. sic fruges aridas & præduras minutæ aves conficiunt, omnesque crudum quippiam subigunt & mutant, quod vix audeat homo attingere: sic coturnix veratrum coquit & mitigat, nobis prorsus inimicum, invictum, indomitum, & quod omnem corporis nostri vim, omnes conatus respuit & aspernatur.

Causa efficientes

Quodcunque autem idoneum & conveniens alimentum ventriculus acceperit, id demum vincit atque mutat, omnesque in id tum qualitates tum naturæ suæ vires confert. Hoc jam plene coctum tametsi ingratum gustatui videtur, potestate tamen viribus conveniens est & salutare.

Ex Gal. 3. nat. fac. 5.

Id ipsum autem concoctio est, nempe *in peculiare & propriam ejns ejus quod alitur qualitatem conversio.*

Hæc concoctio elixatio est.

Aristoteli quidem hæc ἕψησις existit, id est, (ut juniorum nomine utat) *elixatio:* est enim in humido facta coctio.

Non putrefactio.

Quidam ex veteribus hanc falso corruptioni annumerant, idcirco alimenta temporis spatio in ventriculo commutata *putrescere* existimantes, quod pristinam saporis odorisque gratiam non servent, sed prorsus injucun-

jucunda, gravi molestoque tum sapore, tum odore sensus feriant.

At illi parum cognitum habent eam concoctionis salubritatem, non gustatu, non olfactu, sed virium præstantia & substantiæ familiaritate ponderandam esse & æstimandam.

ventriculus concocti chyli benignitate fruitur. Ejus porro quod jam convenientem & familiarem qualitatem est adeptum, portionem quandam sibi arripit ventriculus: nam quod in cremore longe optimum est & congruens, id halitus specie ad se rapit, inque suas tunicas sugendo recondit, eis etiam adjungit & agglutinat: ex quo demum fructum voluptatemque percipit, & quodammodo saturatur.

At chylo non vere alitur. Veram hanc esse nutritionem à *Galeno* quidem videtur proditum literis: quod tamen nonnulli de interiore ipsius duntaxat tunica accipiendum interpretantur, hancque ex tenuiore benignioreque chyli vapore sustineri: externam vero ex sanguine alimentum capere per venas conspicuas ex jocinere in se pertinentes, atque directas. *Sed alitur sanguine.*

Ego vero ut hanc sic & interiorem illam sanguine nutriri duco, neque pastionem eam quam ex chylo ventriculus capessit veram nutritionem appello, sed ex qualitatis cognatione & convenientia oblectationem quandam & satietatem nutritionis æmulam. *Objectio.*

Responsio. *Exanguia* (fateor) non pauca animantia, ut conchæ, ut vermes, *succo aluntur*, qui veram sanguinis speciem non accipit: at non protinus existimandum est id ipsum in sanguineis obtingere, quod nihil quicquam præter sanguinem possit in eorum substantiam converti. Quocirca fieri non potest ut chylus proximum sit ventriculi alimentum.

Rat. 1. Quæ quidem mea assertio, ne inanis esse videatur, illa me causa movet, quod *dum fœtus utero continetur*, totus ventriculus maximeque interior ejus tunica, puro ac synceroro sanguine alebatur, nullo nimirum tum uspiam existente chylo. Nunc igitur quia cumulatius atque perfectius is ali postulat, optima ratione similiter ex sanguine nutrietur & incrementum suum capesset.

Quinetiam *ossa* quæ longiore intervallo quam ventriculus à sanguinis natura recedunt, *sanguine ali* fatemur: quanto magis igitur ventriculi membranæ sanguinem pro suæ naturæ custodia requirent? *Rat. 2.*

Qui fit igitur, inquies, *ut cibus* ventriculo conceptus, *famem* & appetentiam *sedet* atque saturet, si is neque ventriculum pascit neque nutrit?

Assumpta tamen chylo potest fames cessare. Fames quidem & animalis appetentia totius est ventriculi, præsertimque oris ejus, tum temporis potissimum excitata, quum supra modum exinanita ventriculi capacitate: ejus latera collapsa in sese concidunt, convelluntque graviter vicina sibi præcordia & quum interiores recessus, & quasi rugæ proprio humore exhausto inaruerunt.

Hoc interim spatio ventriculus tum se suamque capacitatem implere & quasi farcire, tum vero succi utilioris quippiam in interiores illos recessus recondere desiderat. Utroque autem desiderio eum laborare argumento est, quod modico cibo, qui interiorem duntaxat tunicam oblinat, saturari non solet, nisi ipsa etiam interior capacitas expleatur: quod etiam dominante fame, dum quis cibum capit, non protinus ut hic intro demissus est, sed aliquanto post satiatur desiderium, quum perutilem succum ventriculus in tunicam rapiens summa cum voluptate amplexatur, sibique apponit perinde ac si eo vere aleretur.

At certe ea nequaquam propria est nutritio: sed succus ille vacua tunicæ spatia referciens, in vaporem fusus & extenuatus ad extremum vanescit: isque sua potius qualitate quam substantia famem depellit. *Famem* dico *animalem* appetentiam: naturalem quippe una duntaxat sanguinis substantia per ventriculi corpus & molem effusa, satiare potest, dum in ejus naturam convertitur: cæterum animalem non modo sanguis, sed & quicquid qualitatis cujusdam suavitate præditum in ventrem demittitur, compescit. *Sed animalis.*

Caput II.

Vt è ventriculo per intestina & venas mesaraicas in jecur alimenti destributio fiat.

Ex Gal 4. de us. part. cap. 17. 18. 19. & 5. us. part cap. 3 & 3. nat fac. cap. 13. 14.

Concoctus chylus expellitur à ventriculo.

Posteaquam perfecte planeque cibos ventriculus concoxit, iisque abunde saturatus est, os infernum cui pyloro nomen est diducit, aspernaturque quicquid alimenti reliquum est, tanquam redundans ac molestum. Quamobrem tum otiosa & feriata continendi facultate, officiorum usa vicissitudine *expultrix exurgit*, quæ transversas fibras contrahens, ventriculum coangustat: atque jam confectum chylum a se excludit, detruditque per pyloron in intestina.

Cæterum quum sit ventriculus in naturalium instrumentorum numero, cautio etiam atque etiam adhibenda est, ne imprudentes hunc tanquam animal ratione intelligentiaque præditum producamus, quod providentia quadam & cura aliarum etiam partium saluti consulat. Non enim eo cibos concoxit, ut reliquis partibus alendis eos accommodaret, sed dum sinu complexuque eos continet & undique comprehendit, propriæ saluti atque voluptati dans operam, necessario eos commutat. Unde & idonea cibi portione jam expletus, *quod reliquum est tanquam onus inutile à se deponit* exigitque, non quod in reliquas partes conferre quicquam conetur, in idque viribus incumbat. Itaque dum sibi providet, & in eo maxime est occupatus, aliis etiam utilitatem & fructum affert, non quidem ex instituto, sed fortuito tanquam aliud quippiam agens.

Quod illi sit molestus.

Hac igitur via & ratione geruntur omnes ventriculi functiones, si modo integer est & incorrupta sanitate, nec quorundam injuriis lacessitur, quę vel magno copiæ pondere, vel qualitatis acrimonia stimulent.

Quæ sane quemadmodum & quæcunque posthac tradentur functiones, tum ex quotidianis naturæ operibus, tum ex vivorum atque mortuorum confectione comprobari solent.

Expellitur autem in intestina.

Quod ergo in ventriculo redundat alimentum, *in intestina protruditur*: exceptum autem (neque enim id trahunt, neque hujus gratia fibras rectas habent intestina) confestim prætervehitur à depellendi facultate, quæ in intestinis inest longe valentissima, ad cujus muneris functionem utraque tunica fibras obtinuit transversas & in orbem actas.

E quibus trahitur ad jecur.

Quoniam autem multiplex est intestinorum anfractus & flexuosa circuitio, haud ita facile alimentum perlabitur. In tanta igitur viæ longitudine, defluentis materiæ quicquid coctum est & salutare, potest opportune *in jecur per mesenterii venas transportari.* Vix enim fieri potest, ut in tam longo viæ tractu ulla succi portio præterfluat, quæ non ad cujuspiam venæ os aliquando sese applicet, & quæ si primum forte ambitum præterlapsa erit, secundo vel tertio, vel alio deinceps consequente non arripiatur, suctaque apprehendatur.

Quod non trahitur excrementum alvi est.

Quod autem hunc anfractum prætergreditur, ne raptum fuerit in mesenterii venas, tanquam inutile & supervacaneum in crassiora intestina dejicitur, quo simul ac pervenerit, excrementi appellationem sumit: honestiori nec inquinato verbo *cibi reliquias* appellant.

Gal. 5. de us. part. cap. 14.

Quod excrementum retinetur animali, excernitur naturali metu.

Hæc tum astringentibus se intestinis, tum relaxantibus tandem in alvum depelluntur, in quo tanquam in receptaculo resident dum propulsentur foras. Alvi extremum podex est, quem σφιγκτὴρ musculus ambiens atque circumfundens marsupii modo intercludit, nec quicquam ante elabi sinit quam ratio jubet. Dum autem arbitratus imperio hic relaxatus solvitur, naturaliter quidem expellentibus intestinis, nonnunquam vero adjuvantibus diaphragmate & abdomine, excrementa deturbantur. Ex quo plane intelligi potest *dejectionem* hanc prorsum *naturalem* esse, *retentionem vero voluntariam*, quæ solius sphincteris opera completur.

In intestinis vero ulterius chylus perficitur.

Quanquam autem non prius è ventriculo cibus delabitur, quam plena & absoluta concoctione sit mutatus, in ipso tamen *per intestina transitu elaborationem* etiam-

tiamnum & absolutionem completam *adipiscitur*, quod iners & otiosa nunquam esse possit quæ in eis est commutandi facultas.

Et intestina chylo fruuntur.

Simul vero eo transitu atque prolapsione, utile quippiam & conveniens intestina sugunt, sibique apponunt, quo demum (perinde ut de ventriculo ante commemoratum est) *perfruuntur*. Cæterum vera eorum nutricatio per venas fit mesenterii, quę sanguinem è jocinore revehunt, quemadmodum eędem vicissim chylū comportant.

Ex Gal. 4. de us. part. cap. 8. & 20.
Tractio autem contingit per venas mesenterii.

Ut enim arboris tenuissimæ radices è terra succum trahunt, itaque ad quodvis intestinum pertinent venarum ora, quantum chyli coctum est, & à reliquo cibo secretum, *id omne hauriunt* & exorbent: ab hisque venis minoribus ad majores permanat, dum tandem ad jecoris portas se applicet: ad hanc quippe regionem aditus est & introitus per multiplices admodum vias, easque perangustas.

Quæ & præparant jecori Chylum.

Præparant hæ quidem *chylum jecori*, conferuntque quasi rudimentum sanguinis, quale in eis per confectiones deprehendi solet, idcirco sane quod à jecore initium ducunt, cujus proinde naturam referunt & æmulantur.

Nulla aut exigua per arterias contingit.

Si *arteriæ*, quæ ad intestina feruntur ac pertinent, nonnihil etiam humoris è cibo alliciunt, id omnino *perexiguum* esse debet, quod crassior illic succus existat, fintque arteriæ spiritui halituique trahendo accommodatæ.

Qui unum sensum æstimatorem judicemque adhibuerit, mesenterii venas ventriculi & intestinorum nutricationi, non autem succorum distributioni destinatas esse contendet, quod omnes semper rubro, nunquam albo succo confertæ videntur: quodque in ventriculi & intestinorum substantia se figant, neque ad interiorem capacitatem apertæ sint.

Veruntamen quoniam aliæ nusquam viæ ex intestinis in jecur directæ feruntur, per quas alimentum influat, ratio magis quam sensus convincit eas etiam ad distributionem accommodari.

Existet autem mox quæstio non parum difficilis atque ardua, multum & sæpe quęsita, per *singulasne mesenterii venas* tum nutritio tum distributio fit: an potius aliæ ad nu-

A tritionem, aliæ ad distributionem aptæ & constitutæ.

Et quidem per omnes venas mesenterii.

Omnes una sana & communi conditione servitutis utuntur, nec ulla operæ varietas illas sejunxit: sed *singulis utrunque datum est*, tum ut in jecur chylum transportent, tum ut ex hoc in intestina sanguinem refundant: neque id quidem temporum & officiorum quadam vicissitudine, sed simul una eademque humorum congressione.

Quanquam autem eisdem venis permiscentur chylus atque sanguis, trahentium tamen partium naturæ & desideria causæ sunt, quod diversę diversa prolectent atque secernant, quemadmodum in alvi purgationibus non obscure fieri deprehendimus.

Superiores tamen ad distributionem, inferiores ad expulsionem magis aptæ.

Ad hæc vero sciendum probe est *superio-* B *res venas* quæ in ventriculum & gracilia intestina concedunt, *minus* sane quam inferiores *humoribus* è venis & ex jecore *purgandis* destinari. Nam in dysenteria multoque apertius in tenesmo, mordax & acris humor in crassiora intestina illabitur, quo tempore plerumque superiora nihil noxæ & incommodi ferunt, sed cocta alimenta continent atque distribuunt, tametsi alvus inferior continenter provocata humorem dejicit. Dum alimentis nonnihil purgantis facultatis permiscebitur, uno eodemque temporis momento nutritio fiet & infesti humoris secretio: hic per venas inferiores in alvum detrudetur exigeturque foras, *alimentum* vero *per venas superiores in* jecur raptum concedet.

Sola autem tractio ad chyli distributionem non sufficit.

C Ad hunc igitur modum *alimentum in jecur* perlabitur, *trahentibus* quidem *tum mesenterii venis, tum* vero *jecore* per venas: rapiunt autem id maxime ob convenientis cujusdam facultatis communem.

Rat. 1.

Veruntamen aliæ *permultæ sunt causæ quæ transvictione celeritatem addant*, vasorum amplitudo, succi tenuitas cum permeandi impetu, & attrahentis facultatis robur.

Sed adjuvat eam vasorum amplitudo & chyli tenuitas.

Ex qualitatis quidem cognatione, vinum quam aqua ocius in corpus assumitur: at substantiæ tenuitas & vis quædam penetrandi, causa est ut vinum album promptius quam rubrum & austerum in jecur pervadat. id enim expeditius trahentis vim consequitur.

Rat. 2.

Si distributio, exposita modo ratione, trahendo duntaxat perficitur, quomodo men-

te concipiemus *corporis habitum* ejusque venas *extra modum impleri*? quod in illo habitu athletico usuvenire compertum est & proditum. Nulla siquidem tum partibus abunde saturatis inest appetentia, quæ trahendi desiderium injiciat aut stimulet. Si igitur non appetunt, neque profecto alimentum rapient. Deinde pars unaquæque idcirco alimentum trahit, ut eo perfruatur: quod si jam plene fruitur, non est quod novi desiderio pulsetur, nec quod ad id trahendum sese comparet.

Rat. 3. Veritatem porro hujus rei impura eorum intemperantia illustrabit, qui tanquam gurgites & *voragines de poculorum magnitudine certant* & bibendo se superant. Quanquam enim multas vini amphoras exorbent & exiccant, quæ tamen ab illis depelluntur cibi reliquiæ, nihilo fiunt liquidiores: argumentum sane, quicquid vini absorbuerunt, in venas id omnino permanasse. Quinetiam si tenue ac potens vinum fuerit ingestum, & qui ad jecur patent aditus soluti fuerint, nec obstructio distributioni moram & impedimentum uspiam afferat, quale fere haustum fuerat, vixq; ulla ex parte commutatum profundi cernetur.

Rat. 4. Quod si aliquispiam omnem hujusmodi distributionem trahenti facultati attribuit, nec vinum quantumvis tenue existimat nisi tractum in venas pervadere, edoceat is quæso & planum faciat, qua ratione complura *meditamenta* angustas admodum vias, venasque prætenues subeant, & nullam non corporis partem peragrent. Non liceat ad trahendi facultatem confugere, eamque moleste obtrudere, cui nihil hic loci relictum est: nulla enim medicamentis cum corporis partibus affinitas intercedit, imo contra odio penitus insito, tacitisque discordiis plurimum inter se diffident, naturæ prorsus infensa. Quamobrem his non excitabitur vis appetendi, nec demum illius impulsu trahendi facultas insurget, quæ illa tam adversa in venas & corpus alliciat. Cæterum quum illa quoquoversum permeantia, omnia trajicere & pervadere medicorum curationes multis jam seculis comprobarint: quænam obsecro hujus alia potest causa probabilis afferri, quam quod illa aut substantiæ tenuitate, aut alia quapiam vi ingenita sibi, in corporis interiora penetrent? Hoc si est, quid quæso obstabit quo minus multa etiam alimenta prætenui substantia aliisque facultatibus valeant, quibus velut impulsa promptius ferantur ac permanent in corpus.

Quum quis ad mediocritatem & ad satietatem se implevit, omnemque cupiditatem tum ventris, tum reliquarnm partium saturasse creditur, *si crudus postridie se rursus ingurgitet*, an non potius humor in venas se protrudet, quam partium vi prolectetur? Si hæ satietatem expleverunt, cur pluribus & immodicis humorum ponderibus sese obruent? Rat 5.

At (inquiunt) ventris ori ingenita vis est appetendi, quæ cum sensu quodam eximio, indigentiæ atque plenitudinis molestiam percipiat, saturari quidem potest: reliquæ autem partes eo sentiendi munere destitutæ sunt, quæ quoniam *satietate nulla premuntur*, naturali quodam desiderio, tanquam stirpes, ex venis nullo puncto temporis intermisso alimentum rapiunt, neque fieri potest si materia suppetit, ut aliquando illæ trahendi finem faciant. *Nec tractio partium insatiabilis est.*

Hæc mihi videtur delicatior (ut ita dicam) molliorque ratio, quam philosophi vis gravitasque postulat. Si enim partes assidue trahunt, insaturabiliter explentur, estque naturalis earum cupiditas insatiabilis. Hoc vero quid aliud est quam partes perpetuo & *insanabili malo teneri*? quam morbum cum integra valetudine confundere atque omnia perturbare? Bulimum quidem & diabetem affectiones præter naturam dicimus, quod assiduo desiderio ad trahendum impellant, neque ullum agendi modum adhibeant. Similiter igitur & in nobis quantumvis bene valentibus, si partes corporis trahendi moderationem non adhibent, debent infirma atque etiam ægra valetudine censeri.

Jam vero quod illi proponunt *partes corporis nullum sensum habere* indigentiæ atque plenitudinis, quem exitum reperire possit æstimemus.

Hoc fixum atque ratum omnes habent, venas & habitum corporis, cum supra modum implentur, plenitudinis mole veluti pondere aliquo gravari: hinc gravissima mala impendere, quæ prospiciens *Hippocrates* jubet *habitum solvere sine mora*. Hoc & na- *Nec sensus ponderis in partibus nullus.* Aphor. 3. lib. 1.

& natura sæpe aggreditur, dum onere oppressa & quasi extincta, miris conatibus supervacuam molem per nares, per uterum, aut mariscas à se tanquam à cervicibus depellit. Deinde vero multis ante rationibus corroboratum est, partibus naturalem quendam sensum inesse convenientis & adversæ qualitatis, eoque naturale desiderium incitari. Quod si est, cur non item molesti ponderis atque gravitatis sensus inerit? jam si quis inest, ut certe videtur, cum ad mediocritatem partes implebuntur, earum cupiditas & naturale desiderium expleri satiarique debet. Quocirca si supra hanc mediocritatem eas impleri contingat, non id solum trahentis facultatis desiderio, sed iis maxime causis quas supra recensui, fieri necessum est.

CAPUT III.

Sanguinis & humorum in jecore procreatio.

Ex Galen. 4. de us. part. cap. 3. 12. 13. 14. Tractus ab Hepate chylus.

EX intestinis autem & ventriculo secretus à reliquo cibo succus is quo alimur, permanat ad jecur per quasdam illinc usque ad *πύλας*, id est, portas jecoris ductas & directas vias. Sic enim appellant venam in jecoris introitu peramplam, ad quam tenues mesenterii venæ pertinent.

In eo retinetur.

Huc totus chylus confectus jam coctusque perlabitur, qui tamen mox rursum dispersus in omne jecur distrahitur. Quas enim venas ad portas natura in unam conjunxerat, mox rursum in jecoris corpus disjecit, quæ quum tenues & admodum angustæ sint, non facile & celeriter potest succus distributionis impetu allatus per has pervadere. Quocirca is in jecore *diu multumque cunctatur*, & in transitu hæret: estque tarda ejusmodi transvectio loco retentionis & moræ, quæ absolutæ concoctioni necessario debetur.

Concoquitur.

Quum igitur tanta sit venarum per jecur disjectarum exilitas, succus totus ad ejus carnem propriamque substantiam proxime accedit, à qua universus usquequaque attingitur. Ob hanc vero moram diutinam, & ob exquisitam in jecore contagionem, chylo per minima quæque distributo, tum celerior tum integrior sanguinis C asciscitur species, quam si ampla capacitate, qualis est aut cordis aut ventriculi, conciperetur. Ad quod non parum confert quod quæ in jecore sunt venę, tenuibus admodum tunicis sunt præditæ. Quem igitur chylum ope venarum mesenterii præparatum, & rudi quadam sanguinis forma adumbratum jecur accepit, hunc per eam moram & contagionem, *vera & impressa sanguinis specie* ornat & perficit: cujus operis non quævis illius sine delectu particula, sed A quæ duntaxat illius propria est caro atque substantia effectrix est, quanquam reliquæ omnes in id usum quendam & commoditatem habent.

Et quomodo.

Dum ea caro quæ substantia concretum & coactum sanguinem exprimit, allapsum ex ventre chylum sensim enititur in propriam naturam commutare, sibique prorsus assimilare (est enim hic scopus unus in quem unaquæque particula caloris sui munus dirigit atque refert) primum quidem crassiorem reddit & colore rubrum: quumque jam ad quandam mediocritatem accessit, sanguis vere est & appellatur, tanto à B jocinioris substantia deficiens, quanto ventris chylum superat. Ex quo percipi potest sanguinis confectionem, non modo caloris beneficio, sed maxime *jocinoris ingenita proprietate* compleri.

Præsertim ab ingenita jecoris vi.

Hujus proportione eorum quæ in reliquis partibus gignuntur humorum, ut lactis, ut seminis concoctionem æstimari velim: ut non aliud sit concoctio, quam imperfecta & inchoata quædam assimilatio, seu gradus quidam & aditus ad assimilationem.

Concocto eo sanguine vere alitur.

Geniti jam *sanguinis portionem* quandam, familiarem ac benignam sibi jecur adjungit, agglutinat & assimilat, non ut ventriculus aut intestina chylum, sed *nutritione perfecta* illam *in propriam naturam convertens*. Reliquam vero sanguinis partem ceu redundantem & sibi supervacaneam, in venam cavam perlabi sinit, à qua in totum corpus distribuitur per venas sane quam multas, in omnes partes corporis pertinentes.

In ea autem concoctione non

Cæterum priusquã hanc distributionem oratione persequamur, sanguinis procreatione paulo altius repetita, investigemus qui-

nnus, sed plures humores proveniunt. quinam & quales *quotque humores una cum sanguine gigni* solent.

Mustum recens ab uvis expressum conjectumque in dolia, cernimus ab innato sibi calore effervescere, mutari, & concoqui: hinc supervacanea comparare quæ prius quidem confusa inerant, ac tum primum concoctionis vi secernuntur atque secedunt, alterum quidem gravius magisque terrenum: quod in fundo subsidens fecem appellant: alterum levius magisque aëreum, quod per summa innatat & flos vini dici solet. Simili profecto ratione chylus in jecur transfusus, cum humidus quidam liquor sit, quodammodo fervet & concoquitur, tandemque nonnihil crassum existit, feci respondens, nonnihil etiam tenue & leve flori consimile: hoc bilem flavam dicimus, illud melancholicum humorem.

Vt in vini confectione.

Ex Gal. 4. de us. part c. 4. 15 16. & 5. us. part. ca. 4 & 3. de nat. fac. cap. 13.

Hæc quidem supervacanea, quia sunt ad corpus alendum minus idonea, idcirco sanguini puro corporis alimento permisceri non par erat. Quamobrem *natura illa segregans*, flavam bilem in propriam vesiculam ad jecoris portas constitutam, melancholiam vero in splenem confert & reponit.

Bilis flava quæ segregatur à sanguine. Trahitur à vesicula.

Itaque *vesicula* proprio ductu & via ex jecore *bilem flavam attrahit*, eamque synceram, nec alio quoquam humore adulteratam, tum quod viæ angustia crassiorem illabi non sinit, tum quod ejusmodi attractio maxime ex humoris familiaritate & occulta convenientia incitetur. Quanquam enim mordax est & acris hic humor, vesiculæ tamen proprioque receptaculo tristis non est aut infestus, sed mutua cognatione jucundus & amicus, ex quo illa voluptatem & jucunditatis sensum percipit.

Cæterum *eo haudquaquam alitur*, quod usquequaque amarus sit nullo benigno succo perfusus, sed sanguine quem suscipit per venam conspicuam ex portis jecoris in suum ipsius collum insertam.

Sed vesicula eo non alitur

Cum bilis copia supra modum turgescit, onere se levat, quod *ab se in intestino exigit* atque deponit, idque via altera quæ magna ex parte in jejunum intestinum contendit. Hæc secretio tum intestina ad celerem reliquiarum dejectionem impellit, tum eas ipsas fulvo tingit colore.

Verum ad intestina dejicit.

Lienis porro parte concava venam gerit à portis jecoris allatam, qua is à squalido illo & *melancholico humore jecur expurgat*. Hunc enim insita facultate, qua sibi gratus est & suavis, attrahit & in se recondit, per venarum tenuitates diffundens.

2. Melancholia. Qua trahitur à lieno.

Assidua deinde opera summaque administratione *hunc elaborat*, comminuit, exterit, & in tenuiorem quoad licet succum commutat, ad hanc quidem actionem tum robur innati caloris, tum perpetuam arteriarum (quæ illic multæ sunt & ingentes) pulsationem accommodans.

Concoquitur.

Qui in splenem allicitur sanguis, eum qui in jocinore continetur crassitudine superat: verum cum in illius venis & arteriis elaboratus fuerit, non universus, neque crassior illius portio, sed *tenuior* duntaxat *lienis fit alimentum*, & in ejus carnem sensim illabitur. Id autem quamvis tenue sit, nequaquam tamen rubrum est, sed subnigrum, lienis colore: quemadmodum qui sanguis jecur alit crassus est & ruber: sic enim conveniebat unumquodque familiari & cognato sibi humore nutriri.

Et tenuiori ejus portione nutritur.

Crassior autem melancholici humoris portio quæ lienis vi nec molliri nec subigi potuit, tanquam ad nutriendum inepta, *in os ventriculi* proprio ductu quasi eructando ejicitur. Hæc quidem cum austera sit & acerba, ventriculum astringit & in angustum adducit, ut inde omnis illius actio firmior sit & validior.

Crassior ad ventriculum amandatur.

Deinde vero in ventris capacitatem relabitur: hinc una cum alimentis *in intestina* excidit: tandem vero, quia inutilis in cibi reliquiis inhærens cum eis foras propulsatur: non enim denuo in venas & jecur illinc traducitur, ut neque flava bilis, quæ jamdudum expulsa, alvi supervacua infecit.

Et intestina

Rursum autem vini comparatio ante oculos exponenda est, si *pituitæ* ortum atque substantiam placet animo percipere. Quod bimestre adhuc est, quamvis à fecibus & spuma expurgatum, gustatu tamen subcrudum, austerum & astringens deprehenditur, quod crudis partibus visum effugientibus perfusum sit. Has dierum numero vini calor evincit & concoquit, indicio, quod vinum annuum aut bimum qui degustabit, jam maturatum id, suave, plenum caloris & roboris percipiet. Sic in sanguine à quo utra-

Pituita.

Qua manet permista sanguini. utraque bilis secreta jam est, *crudus* quidam *humor confusus permiscetur*, cui perpurgando natura nullum instrumentum designavit, quod segregari excludique non deberet. Est enim quasi dimidio coctum alimentum, quod manens cum sanguine una rapitur in venas, ut per inedias & cibi penuriam *tempore mutetur* & integre coquatur fiatque sanguis commodus & salutaris. *Et tractu temporis coquitur.*

Hæc pituita non quemadmodum dictus supra melancholicus humor aut flava bilis, supervacua censeri debet, quum sit ad nutriendum apta: neque præterea muco mananti è naribus, neque ei lentæ crassæque pituitæ similis est quam in ventre & intestinis necessario gigni perhibent. Hæc enim ventriculi concoctione deficitur, ut ne succus quidem omnino sit: quam autem hic definimus, ea succus est, ex bono & percocto chylo genitus.

Reliquas tum pituitæ tum bilis differentias paulo post fusius persequemur.

CAPUT IV.

Omnes humores simul gigni, & ab uno eodemque calore.

Gal. 2. de fac. na. c. 8. Avicenna fen. 1. li. 1. do 4 c. 2.

QUum tam multiplex sit & *varia humorum natura*, fierine potest, ut omnium una sit procreatio, & ab eodem calore profecta?

Hos humores non à variis causis, Sanguinem *ajunt* ex mediocri temperatoque calore nasci, reliquos humores ex immodico: quod ipsum variis argumentis fulcire nituntur, iisque ab hominum naturis, ætatibus, vitæ generibus, ab anni tempore, regione & cœli statu ductis atque depromptis. Ex his enim quæcunque in calorem propensiora sunt, bilem, quæ in frigus vergunt, pituitam: ut mediocria sanguinem gignunt.

sed ab uno calore generari. Si in hoc procreationis humorum summa causaque tota consistit, quum in unoquoque homine *calor uniusmodi* sit & simplex, unicus duntaxat humor proferetur. Et cui acrior ille obtigerit, ex quovis sine discrimine tum calido tum frigido alimento, nihil præter bilem gignet. Contra vero cui natura aut ætate jam acta decursaque calor torpescit, tametsi calidiora erunt alimenta, meram pituitam procreabit. Hæc autem per se & perspicue sunt falsa & inter se vehementer repugnantia, quæ quotidie re & eventis refelluntur: quandoquidem in omnibus tum naturis tum ætatibus tum cœli constitutionibus, ex quocunque alimento, omnes humorum differentiæ gignuntur in nobis. Dum enim alimentum sanguinis formam commutatione nanciscitur, reliqui humores pariter ortum habent. Itaque quoniam hominis simplex est & ejusdem naturæ calor, consequens est, hanc *humorum differentiam non calori, sed alimento ascribendam* esse.

Atque ut apertius id explicem, locos eos penitus scrutabor ex quibus argumenta eruuntur. Nihil prorsus communi rerum natura dicitur & consistit, quod non quatuor illa pervulgata rerum primordia quadam mistionis temperatione compleant: maxime vero quæ alimenta dicuntur, ex illorum quadam mediocritate constant. *Varietatem vero à materia varietate provenire.* Hinc fit, ut chylus ex alimento factus, quanquam simplex & uniusmodi intuentibus apparet, revera tamen *partium diversarum mutua permistione concreverit*, quarum aliæ sunt & tenues, aliæ frigidæ & terrenæ, frigidæ aliæ & humidæ, ut aliæ calore humoreque excellunt. Quum igitur unus jocinoris calor in tam varium & multiformem chylum agit, quid difficile existimes varios humores inde procreari, quando maxime à naturæ interpretibus proditum est, ab efficiente causa simplici, complura diversaque gigni, ob eam quæ in materia est dissimilitudinem? *Rat. 1.*

Ut simplex omnino nullum potest alimenti aut chyli genus haberi, ita *fieri non potest*, ne ex gravissimo quidem morbo, *ut omnes chyli partes in unum simplicemque humorem commutentur*. Etenim si quis melle, alliis, porris, aut cœpis vescatur & vino meraciore, sitque is calidiore natura & ætate florenti, non idcirco duntaxat synceram ex his bilem, quamvis certe multam eam, & fervidum sanguinem suscipiet. Cui jecur temperatum natura obtigerit, id ex ea chyli portione quæ temperata sit & mediocri substantia sanguinem, ex calida & tenui bilem *Rat. 2.*

bilem flavam, ex frigida humidaque pituitam, A ex frigida atque terrena melancholicum humorem efficiet: omnia quidem ſui generis quandam mediocritatem adepta.

Si vero vel alimentum, vel jecur, vel utrunque in calidum verget, bilis quidem abundantior efferetur, eaque calidior, quemadmodum & ſanguis: & pituitoſus, aut melancholicus humor minus erit frigidus: nam unuſquiſque humor certa temperamenti latitudine circumſcribitur, per quam divagari poteſt. Ex melle non modo copioſior, ſed etiam calidior bilis quam ex lactucis progignitur: & cui jecur eſt calidum, plus bilis ejuſque calidioris ex ſimili alimento is coacervat, quam cui id in frigidum vergit. Eſt igitur ſanguis alius alio calidior frigidiorve, & bilis bile calidior, & pituitoſus melancholicuſve humor alius B alio frigidior, neque ſuus cuique ad unguem definitus eſt gradus. Ex quo intelligitur non omnes quæ in alimento ad bilem aptæ ſunt partes, in omnibus æque corporibus in bilem converti, nec omnes quæ pituitæ gignendæ ſunt, ſemper in pituitam abire, ſed varietatis plurimum afferri, ex efficientis caloris vi & alimenti materia, quarum juſta comparatio gignendi humoris ſpeciem definiet. Rurſum non omnem flavam bilem ab immoderato fieri calore, ſed etiam à temperato, aliam quoque ab imbecillo: ridiculum enim & abſonum videatur, ſi quis dicat temperatum aut frigidum jecur nil prorſum bilis habere, nec alimenta frigidiuſcula illius quicquam C proferre.

Objectio.

Quod *objici ſolet* bilem duntaxat fieri à natura, ætate, regione & alimento calidiore.

Solutio.

Non eſt uſquequaque verum, quod ab aliis etiam cauſa proveniat, attamen ab illis maxime redundantia quædam fit & affluentia bilis ſupra mediocritatem: quemadmodum jecur & alimentum ſi frigidiora ſint, pituita ſuperfluet: ſi temperata, ſanguinis erit ubertas: ſi temperatus calor & alimentum terrenum, melancholicus humor redundabit. Cæterum non ſimpliciter ex ſimilibus duntaxat cauſis ſingulos ortum habere neceſſitas eſt, quum omnes (ut dixi) ex eodem chylo unius caloris beneficio producantur.

Jam vero id multis ænigmatum obſcuritatibus involutum explicare conſilium eſt, *ut humores quatuor ſimul & uno eodemque temporis ſpatio gignantur.*

Et quo id modo.

Unus quidem jocinoris calor toti chylo æqualiter ſeſe exhibet, in eumque pari robore & conatu ubique incumbit: veruntamen *non* ejus *partes omnes parem mutationis modum ſubeunt*, quod non ſimilis ſit omnium conſtitutio. Hinc accidit, ut qui ex his diverſi fiunt humores, eodem tempore emergant atque compareant. Pituita enim ex frigida & cruda chyli fit portione, bilis ex calida atque tenui, ſanguis ex mediocri, melancholicus humor ex frigida atque terrena.

Quoniam igitur unus idemque calor in chyli partes omnes æqualiter penetrat, eaſque afficit, quocunque tempore ex mediocri portione ſanguinem effecerit, eodem ex calidiore bilem, ex cruda pituitam, ex terrena melancholicum humorem proferet: quum enim omnibus par elaboratio acceſſerit, tanta neceſſario conſurget humorum varietas.

Et etiamſi ex minori calore pituita, majori vero ea in ſanguinem mutetur.

At *inquiunt pituita* frigidior eſt & crudior, ex hac deinde, *ſi perfectius coquatur, ſanguis fiet*, ex hoc demum caloris vi & exuperantia bilis: ſic contendunt neceſſe eſſe unumquodque prius leviter quam perfecte concoqui, ſic gradatim ad ſummam perfectionem perveniri.

Non ideo leviter coctus humor pituita eſt.

His quidem rationibus urgent & pungunt quaſi aculeis, quas tamen refellere licet. Quanquam enim pituita dicitur ſanguis leviter & modice coctus, aut ſanguinis rudimentum & quaſi adumbratio, & quæ vi caloris perficiatur, fiatque ſanguis: non tamen contra neceſſe eſt, omnem ſanguinem parce concoctum pituitam dici, aut ex hac proveniſſe, ut prius pituitæ quam ſanguinis ſpeciem acceperit.

Hac enim ratione quicquid id eſt quo alimur, ſive univerſus chylus, pituita dici deberet quia nondum plenam concoctionem obtinuit. Quinetiam ſi ex pituita totus fit ſanguis, ex hoc deinde bilis flava, poſtremo atra, unus duntaxat humor erit in nobis, neque ſimul complures conſiſtent. Deinde vero quia omnis humor coctione cogitur craſſiorque fit, flava bilis ſanguine craſſior evadet, nullus naturalis exiſtet melancholicus humor, ſi ex bilis ardore gigni

gigni debet: nulla reddi poterit ſecernendorum humorum ratio, *omnia funditus evertentur* quæ de illorum ortu & differentiis veterum præceptis ſtabilita ſunt.

Non ergo humorum procreationes atque differentias ex unius caloris vi & gradu, aut ex ſolis qualitatibus, ſed etiam ex propria materia æſtimabimus, quæ ſua eſt cujuſque humoris propria & familiaris. Alia quidem ſanguini, alia melancholico ſucco, alia bili flavæ ſubjecta eſt materia: neque fieri poteſt ut ex puro ſanguine bilis gignatur & prodeat: ſed unumquemque neceſſe eſt ex convenienti & idonea chyli portione gigni, idque ſimul & unius ejuſdemque efficientis caloris opera.

CAPUT V.

Ut ſanguis à jecore delapſus per venam cavam in omnes corporis partes diffundatur.

Ex Avicenna fen. 1. lib. 1. do. 4. c. 2. & Gal. 4. de uſ. part. cap. 4.5.6.

POſteaquam ſuccus quem in jecore confici & ortum accipere demonſtravimus, à ſupervacaneis expurgatus fuerit, rubet jam ſyncerus *in eam venam perlabitur, quæ* in convexo jocinoris ſita eſt, & *cava* appellatur.

Ex Hepate ſanguis ingreditur venam cavam

E qua ſerum quo diluitur ſanguis.

Hoc autem loci aquoſo & tenui *humore ſanguis perfunditur*, quo tanquam *vehiculo* facile & expedite in graciles & perquam anguſtas tum meſenterii cum jecoris venas permanat. Hic humor quoniam alendo corpori minime eſt accommodatus, perfunctus jam illo vehendi munere, & ad reliqua deinceps inutilis, è jocinoris convexo ſecernitur & trahitur in renes, unde mox profunditur in veſicam. Idcirco enim venæ cavæ utrinque renes aſſident mox ſubter jecur poſiti, ut expeditius celeriuſque id muneris obeant.

Cæterum non omnem eum humorem proliciunt, propterea quod nonnihil illius retineri convenit, quo reliquus ſanguis per venas in omnes partes corporis pertinentes traducatur.

Trahitur in renes.

Itaque *renes* per ductus venarum emulgentium *urinam eliciunt*, ad id quidem incitati mutua & communi qua inter ſe conveniunt familiaritate.

Per amplam eam ductuum laxitatem fieri vix poteſt, ut ſyncera illa atque pura trahatur, ſed cum ea tum flavæ bilis plurimum, tum ſanguinis humidi ac tenuioris non modicum fertur. Urina quidem & quę cum ea tenuior eſt bilis, poteſt per exiles tranſitus qui ſunt in tunica ſuccingente interiorem renum capacitatem elabi profundique in veſicam: at ſanguis, nempe illis craſſior, inibi conſervatur, qui dein roris modo fuſus renibus primum apponitur, hinc annectitur, demum aſſimilatur, & in eorum ſubſtantiam faceſſit.

E quibus in veſicam profunditur.

Urina quum prælongis validiſque ductibus è renibus *in veſicam depulſa* fuerit, retro commeare non poteſt, quod obliqua ſit ductuum in veſicam inſertio. Coacervatur autem illic & continetur ut proprio receptaculo, ne continenter & intempeſtive eam reddere cogamur. Quum vero illius influxu veſica jam turgeſcit, aut acrimonia ad illam reddendam impellitur, contractis quas in ſe continet tranſverſis fibris, *urinam propellit* idque ſimul relaxato ex rationis præſcripto eo muſculo qui in orbem agitur, & qui tanquam cuſtos aliquis in cervice poſitus, inhibet ne ſponte proprioque impetu profluat urina. Qui in abdomine ſunt muſculi non parum eam expulſionem adjuvant, potiſſimum dum ad imum ventrem conſtricti veſicam intro protrudunt & impenſe contrahunt. Quin & muſculus ille in cervice cuſtos, dum ſub finem emiſſe urinæ ſe comprimit & coarctat, omnes quæ in cervice ſunt reliquias exprimit, maxime vero quum eæ aut acrimonia aut arenis moleſtæ ſunt & graves.

Veſica deinde & adjacentium partium conſtrictione expellitur.

Alitur vero veſica ſanguine.

Veſicam urina non *alit*, ſed *ſanguis*, qui per peculiares venas utrinque in illius cervicem inſertas influit, quemadmodum ſane tum uterum, tum bilis folliculum nutriri conſtat.

Hæc eſt omnis viſcerum inferiorum nutritio, & ſupervacaneorum ſecretio: nunc quæ reliqua ſunt ſimili compendio perſequamur.

Reliquum ſanguinis in corpus diſtribuitur per venas

Quando jecur quidem *ſanguinis* officina atque principium eſt, è fonte alimentum defluere & *in omne corpus diffundi* conveniret;

niret; ut justitiæ quadam mediocritate sanguis unicuique parti conferretur, venas inde tanquam à fonte rivulos sanguinem delaturos deduci par erat. Hæ etenim si defuissent, quæcunque jecori viciniores sunt partes, exuperantis sanguinis copia obrutæ mergerentur: quæ vero longiore intervallo distant, ab hoc destitutæ penuria languerent & extabescerent, quippe ad quas hic minime permanaret. Quemadmodum igitur qui hortum aliquem summo artificio irrigare connituntur, ab ipso fonte aut ab amplo quodam rivo tubos complures, tum magnitudine tum spatiis discretos, in omnes horti partes deducunt, sic existimantes humorem quocunque trahi commodius & consequi posse: ita profecto per venarum productiones è jecore, partes corporis omnes justa sanguinis mensura perfunduntur.

Ex Gal. 3. de nat. fac. cap. 3.

Pulsione & tractione,

At non ut aqua per rivulos, sic per venas sanguis sua sponte & impetu perlabitur: sed is tum jecoris *vi expellitur*, tum à propinquis venæ partibus *attrahitur*, quæ deinde in alias proxime consequentes extrudunt: ad huncque modum pellentibus quidem prioribus, trahentibus vero iis quæ deinceps subsequuntur, commoda fit sanguinis in extremas corporis partes distributio. Huc non parum momenti afferunt propriæ singularum partium vires, quæ naturali appetitu incitatæ, id ex præterlabente sanguine prolectant, quod sibi tota substantia familiare est atque jucundum, idque proprio venæ ductu ad se pertinente.

Mediis inter venas spatiis per poros venarum. Lib. 2. de gen. anim. c. 4

Quę *inter venas media* interponuntur *spatia*, quanquam ductus non habent in se directos, alimentum tamen suscipiunt, nec præparce, ut aliquis putaverit, sed abundanter: id autem halitus specie *per tenues* occultosque propinquarum *venarum transitus*, tum incidit, tum rapitur. Non enim ex solis vasorum finibus & osculis, verum etiam, ut author est *Aristoteles*, per quæque angusta venarum foramina alimentum effluit, & illabitur in carnem in aliasque particulas. Distributionis hujus non prius finis erit, quam in omnes corporis particulas nutrientis substantiæ qualitas perlata sit.

Ex Gal. ibid. c. 15. *Intermedio tempore in majoribus venis perficitur.*

Verum *hoc interim temporis spatio venæ* majores quem in se continent sanguinem (nunquam enim otio perfruuntur) multo *exquisitius elaborant* & conficiunt, idque aut insita sibi vi & facultate, aut ea quam à jocinore illapsam acceperunt: id enim communi medicorum consensu firmatum est, sanguinem in venis summum perfectionis gradum adipisci.

In minoribus qualitates partis accipit.

Sanguis autem simul ac è venis amplioribus in angustiores, quas unicuique parti natura dedit, attractus quasi derivatione quadam exciderit, omni tum qualitate, tum proprietate circumstantis particulæ sensim perfunditur, eaque commutatione partis naturam assumens, fit *primus humor ex quatuor secundariis*, quos ante commemoravimus.

Mox partibus aspergitur.

De hinc vero per oscula aut cæca exilium venarum foramina, roris modo multiplici lapsu & erratico in omnem partis substantiam influit, perque omnia spatia diffusus combibitur: fitque tum vera istius humoris appositio, quem non inepte quis *rorem* appellaverit, quanquam non aquæ similis est, sed superiore paulo crassior.

Agglutinatur.

Appositus jam hic continenter assiduo partium calore convertitur, concoctione cogitur crassiorque fit: deinde vero coactus parti *agglutinatur* & adhærescit: estque hic tertius humor ex secundis, qui partis tum qualitatem, tum temperamentum, nondum autem perfectam substantiam attigit.

Assimulatur.

Ad extremum vero naturæ vi & universa partis substantia ita concrescit, ita mutationem subit, ut ei demum perfecte & usquequaque *assimiletur*. Hoc opere quod veram nutritionem perhibemus, partis substantia quædam fit carnosa, quam in secundariis humoribus loco quarto collocavimus.

Itaque sanguis ut primum in pusillas partium venas adductus fuerit, sensim mutatione ad illarum substantiam & temperamentum accedit, dum perfecte assimiletur, & ex toto expressam earum naturam referat, idque nutritione quæ omnis concoctionis est finis, & summa totius functionis naturalis absolutio.

Atqui difficilius in esse & similes qualitates accipit.

Quocirca *sanguis* qui *ossa*, cartilagines, vincula, membranas, & nervos est nutriturus, quodammodo (inquit *Actuarius*) in angustarum venarum extremitatibus jam *albescit*. Quum vero inter illarum partium fibras atque

atque *in media spatia illabitur*, plenius sane convetitur, & quandam partis similitudinem gerit. Sic quæ in ossium cavernulis est medulla (hæc enim, non autem quæ in majoribus capacitatibus concrevit, ossis est proximum alimentum) perspicue jam ad ossis naturam accedit: cartilaginem mucco simile quiddam circunfundit: vinculis, membranis atque nervis lentus quidam humor circumjectus conspicitur.

Adspergitur.

Agglutinatur & assimilatur. Tale autem est proximum cujusque alimentum, quod quidem appositum jam est: deinde vero plenius confectum calore coactumque parti *agglutinatur* & adhæret, *in ejusque naturam* tandem *facessit*, idque propria partis vi & facultate, quæ proprie assimilans est, & altrix appellatur. Hæc alia est in osse, alia in nervo, alia denique in aliis, ut sua insit cuique peculiaris.

In carne citius. Simili prorsus ratione *totidemque interpositis mutationibus caro alitur*, non modo ea quæ musculorum, sed & quæ jecoris & quæ reliquorum est viscerum. Quum enim sanguis è venarum osculis in carnem incidens ei apponitur, calore mutatus similem parti substantiam sumit, nec fieri potest quin medio fere mutationis tempore crassior jam factus ei affigatur & adhærescat. Cæterum in hac *multo celeriores* fiunt mutationes, ut idcirco vix ullo sensu percipi possint, vixque fieri putentur. Carni enim proxima est sanguinis substantia, ut proinde levi facta mutatione ali possit: non sic autem ossa, cartilagines, vincula & membranæ, ut à quibus sanguinis substantia longius abscessit.

In venis & arteriis medio modo. Non dissimili ratione nutriuntur *venæ & arteriæ*, quæ quanquam proximum in se sanguinem continent, quo aluntur, hunc tamen non possunt levi momento in se convertere: sed quæ portio tunicis proxime assistit, primum *commutata* albescit, moxque tanquam *ros* in angusta foramina venæ aut arteriæ rapitur, quibus penitus apposita crassiorque facta *annectitur* tandemque *assimulatur*.

CAPUT VI.

Quot concoctionum genera, quis cujusque proprius sit humor, quod excrementum.

Ex Avicennæ lib. 1. fen. 1. do 4. c. 2. Ex Gal. 1. de tuend. sanit. 12. & de bono succo c. 5.

Antequam ita nutriat alimentum, multas præparationes accipit à calore.

FUnctionum igitur quæ natura duce ac magistra administrantur, summa atque suprema nutritio existit. Hæc autem à natura fit, quæ *spiritus calorisque appulsu* & opera *alimentum assidue exagitat*: id enim est & tanquam subjecta materia in qua versatur, & in quam vires exercet suas, dum plene & omnino in corporis substantiam fit conversum. At non derepente, sed longa continuataque rerum serie fit ea conversio: multorum enim operis concurrentibus varie commutatur, expurgatur, in omne corpus distribuitur, huicque ad extremum assimilatur. In ea longa distributione multiplex incidit concoctio, varii gignuntur humores, diversa item supervacanea.

Itaque assumptum alimentum quanquam ubique mutatur & omni corporis loco conversionem subit, (quandoquidem unaquæque corporis particula proprio calore in id incumbit, & quasi culturam subigendo adhibet) non tamen ubicunque fit, concoqui id jure ac merito aliquispiam dixerit. Non enim quævis vel levissima alimenti mutatio, qua id aut exteritur, aut mollitur, aut odore saporeve mutatur, sed duntaxat *quæ à nativo calore fit in alimento perfecta substantiæ conversio*, concoctio existit.

Quæ insignes concoctiones appellantur.

Concoctio quid. Quæ perfecta futura est concoctio, haud quidem exiguo brevique tempore, sed mora & cunctatione quadam absolvitur. Quocirca firmum ratumque esse debet, eo duntaxat loci hanc fieri, ubi alimentum diu multumque hæret, & vis illa continendi valens est, simulque concoquendi facultas copioso circumfluit & abundat calore.

Ea triplex. Hoc autem tribus tantummodo locis concessum videmus, è quibus etiam *triplex* existit *concoctio*, *prima in ventriculo*, *secunda in jocinore*, *tertia in singulis particulis*.

Sua quanque antecedit *præparatio*, suaque sequitur absolutio.

Suum cujusque *alimentum* tanquam subjecta materia, suus genitus *humor*, suumque *excrementum*.

Itaque *prima* omnium est chylosis, quæ *in ven-*

Primæ concoctionis opus.

in ventriculo magna caloris vi perficitur, vertiturque multiplex & varium alimentum in quippiam unius ſubſtantiæ, candidum id quidem & *ptiſſanæ cremori perſimile,*

Præparatio.

Hujus *præparatio* quædam prægreſſa eſt in ore, qua non atteritur modo & molitur cibus, ſed & levem converſionem ſubit, qualem manifeſto cernimus in ſubrubro vino, quod pauco momento ore conceptum tum ardorem tum ruborem deponit.

Abſolutio.

Ejus autem *abſolutio* in inteſtinis eſt, quæ ipſa modicam concoquendi more ventriculi vim obtinent. Quanquam enim è ventriculo valente & cui integritas eſt valetudinis, nihil prorſus excidit quod non plenam concoctionem acceperit, ſi quidem ad hanc aptum erat: quoniam tamen innatus partium calor nunquam otioſus conquieſcit, neceſſe eſt, quæcunque in inteſtina illabuntur, perfectius quodammodo mitigari & concoqui.

Secunda opus.

Secunda concoctio celebratur in jocinore, αἱμάτωσις Græcis appellata. Hac enim chylus è ventre hauſtus, propria jecoris vi quæ in ejus ſubſtantia potiſſimum inſidet, in *veram ſanguinis ſpeciem* convertitur, quam à chylo conſtat non modo colore, ſed etiam univerſa ſubſtantia plane diverſam eſſe.

Præparatio.

Hic ſane *adumbrationem* quandam in venis menſenterii prius accepit, in quibus jam ruber conſpicitur.

Abſolutio.

Perpolitur vero in vena cava aliiſque majoribus, in quas è jecore lapſus confluit: vires enim habent venæ non ſolum continendi diſtribuendique ſanguinis, ſed etiam concoquendi, haſque à jocinore originis ſuæ principio & quaſi fonte, quemadmodum à ventriculo inteſtina, mutuantur.

Tertiæ opus. Præparatio.

Tertia concoctio in partibus fit ſingulis, qua appoſitus adjectuſque ſanguis jam è priore natura deficiens, in *idoneam alendæ parti ſubſtantiam* convertitur.

Abſolutio.

Hæc *rudimentum* quoddam & primordium capit in venis exilibus, in quibus ante diximus ſanguinem à partis natura & calore jam mutari.

Illæ pro toto corpore ſunt.

Ejus autem *abſolutio* eſt perfecta aſſimilatio atque nutritio, omnium concoctionum finis.

Hæc pro ſingulis partibus.

Priores duæ concoctiones *in communem* totius corporis commoditatem & uſum comparatæ ſunt, *at tertia peculiaris* eſt & jam parti cuique ſua: neque hanc idcirco pars ulla parat & molitur ut alteri cuipiam parti, ſed ut ſibi duntaxat commodet atque proſit.

Ad quam & pertinet concoctio mammarum.

Mammæ quidem & quæcunque in eis ſunt glandes rapto tractoque ſanguine aluntur, hunc in ſuam naturam convertunt: at inſuper eædem ex redundanti functionis ubertate lac generant, quo partus alatur.

Teſtium.

Sic teſtes per vaſa ſeminis adducto ſanguine converſoque ſe nutriunt, qui adultis præſtantia roboris excellentes ſemen efficiunt, ex quo deinde procreatio fit & generis conſervatio.

Quanquam autem hæ partes actione ſua non ſe ſolum, ſed alia quoque juvant, quoniam tamen hæc extra corpus ſunt, neque in illius dominatu, non utiq; generalis, ſed peculiaris duntaxat concoctio dici debet.

Quot partium in humano corpore ſunt differentiæ, totidem ſtatuere licet peculiarium concoctionum varietates.

Primæ concoctionis humor.

Primæ autem illius generalis ad nutriendum idoneus humor in ventriculo genitus, proprio nomine *chylus* appellatur, & primum quod in corpore conſiſtit alimentum.

Excrementum.

Hujus autem *excrementum* eſt *ſtercus*, Grecis *ὑποχώρημα & σκα[illegible]*, quod revera in ventriculo cum utili ſubſtantia confuſum erat: ſed cum poſtea è ventriculo & è ſuperioribus gracilibuſque inteſtinis chyli portio tenuior rapitur in jecur, reliqua craſſior, impurior, & fecis æmula, in cæcum inteſtinum vel in colum, mox in alvum irruit, ubi primum fex alvi dici ſolet.

Secundæ humor.

Alterius concoctionis utilis humor eſt ſanguis, aut ſi univerſa complecti volumus, omnis humor quicunque à Græcis *χυμὸς*, à nobis *ſuccus* appellatur: quo nomine non modo purum ſyncerumque ſanguinem, ſed eos etiam qui cum ſanguine gignuntur humores naturales quidem & nutritioni accommodatos deſignamus.

Excrementa.

Supervacaneum autem ejus eſt *urina*, quæ è jecore & venis prolectatur in renes, ac profunditur in veſicam: ſimiliter *melancholicus humor*, quem lien ad ſe rapit: ex craſſa terrenaque chyli portione factus, quæ naturæ concoctionem ſubterfugit, neque potuit jecoris vi mutari. Eſt & tertium ejus excrementum *flava bilis* ea quæ in fellis veſicu-

ficulam reconditur: ex tenuissima hæc calidissimaque chyli portione (qualis plurimum est pinguis atque dulcis) assa & torrida, quasi flammeam acrimoniam assumit: quocirca excrementum vere est omnino supervacuum, nec alendo corpori accommodatum. Qui autem jam ab his expurgatus est reliquus humor, purus est & mediocris succus atque fœcundum animantis alimentũ, quod in omnes partes distribuitur.

Tertiæ concoctionis humores.

Tertiæ concoctionis opus & utilis succus est universum eorum *humorum* genus, quos aliquando diximus *secundarios* appellari, in quorum ordine eum primum collocavimus, qui in exilibus est partium venis, secundum qui tanquam ros in partes influit eisque apponitur, tertium qui affigitur, quartum qui jam in partis substantiam concedit eique assimilatur.

Excrementa communia.

Hujus quidem *supervacanea* sunt, quæcunque vaporis specie sine sensu per cutis spiracula exhalantur, & quæ paulo crassiora *sordium* strigmentorumque specie cuti extrinsecus adhærescunt, & *sudores*, qui tanquam reliquiæ sunt serosi humoris illuc evecti, & tenui bile perfusi. Hi enim si corpus patens nec cutis densa est, plerunque modice erumpunt, idque sponte & naturaliter. Qui vero per se extra modum emanant, ab humore quodam inutili preter naturam fluunt, neque possunt inter naturalia excrementa referri, ut neque puris, neque saniei, neque tuberculorum eruptio. Rursum qui à manifestis causis, ut à balneis, ab immoderata exercitatione, ab æstu fiunt sudores, non modo hoc excrementi genus, sed utilis quoque humoris, nonnunquam & tenuioris sanguinis quippiam proliciunt atque dissipant. Isthæc quidem supervacanea sunt communia, & quæ ab omnibus particulis promiscue dimanant, maxime à musculis & ab aliis quæ extrinsecus circumjectæ sunt partes.

Propria quibusdam partibus.

Præter hęc alia quædam in conspectum se dant, *sua quibusque partibus peculiaria*; quemadmodum pili & ungues partium solidarum sunt excrementa, renum autem & vesicæ ea quæ cum urinis redduntur, lienis quod in os ventriculi refunditur, pulmonum sputa quotidiana, cerebri excrementum est id, quod tum per palatum tum per nares defluit & emungitur: βλέννα & μύξα, id est, mucus, aut κόρυζα, id est, destillatio, solet appellari. Id enim ex cerebri nutritione tanquam inutile relictum est, retinetque quandam illius constitutionem frigidam atque humidam, quumque ex universo cerebri corpore in amplos ejus ventriculos abundantius congestum fuerit, tum demum illinc per palatum & nares exigitur. Quanquam autem id pituitæ temperamentum accepisse videtur, nequaquam tamen vere pituita est: hæc quippe in solo jecore gignitur, & in utilium succorum numero censetur: illud cerebri plane excrementum est: hæc potest in sanguinem concoctione converti, illud nunquam, sed caloris vi siccescit & in tophos cogitur. Hujus speciem præ se fert ea, quæ in ventriculo & intestinis gigni procrearique solet: pituita enim non est, sed ne succus quidem omnino: concoctionis autem primæ cruditas est quæ evinci non potuit, vel ex cibi crassa & tenaci natura, vel ex ventriculi intestinorumque imbecillitate concrescens. Quum etiam exanguis membranosaque sit ventriculi & intestinorum substantia, necesse est & propria illorũ excrementa (fex enim alvi commune excrementum est) alba, frigida lentaq; inveniri.

CAPUT VII.

De Sanguine, utque is consistat in venis.

Ex Hippo. 1. de nat. hum. t. 25. &c. Gal. ibid. & 2. de Elem.

Sanguinem non esse simplicem, demonstratur.

Licet è jecore erumpens *sanguis in venas*, ab omni supervacaneo humore purus expurgatusque sit, *non* tamen *simplex* is omnino est ac uniusmodi: sed ex variis eum substantiis cõstare demonstrat tũ ortus nostri tũ alendarum *partium* necessitas. Harum enim alia calidior percipitur, frigidior alia, rursus alia mollior, alia durior: quæ ut non omnes ex eadam similique substantia nasci, ita nec eadem nutriri sustentarique possunt. Seminis è quo gignimur materiam palã est non prorsum unius esse modi, sed in ea partes consistere varias, adhiberique crassiorem portionem solidis,

humidam mollioribus, calidam calidiori-A bus, frigidamque frigidis.

Rat. 1. Et quum deinceps *corporis partes aluntur* ex sanguine *singulas* ex simili quadam & *idonea* materia nutriri & increscere: ut idcirco non simplex, sed mixtus atque compositus, etiam in ætate provectis, sanguis appareat. Quomodo enim partium naturæ tam varie & longissime à se dissidentes, ex una eademque prorsus materia commode vitam suam tutentur?

Rat. 2. Semina in terram projecta, itemque *stirpes non uno omnes alimento* sustinentur, sed alia dulcem è terra succum, alia salsum, amarum alia, denique unaquæque quod sibi familiare est & amicum, pro alimento haurit, à quo si forte destituatur, mox extabescit & emoritur. Tantumne in stirpes be-B neficium atque privilegium natura contulerit, hominibus negaverit? In tam immensa hominum & temperaturarum varietate, omnesne eodem similique cibo gaudebunt? Si non omnes una cibi substantia æque servat ac sustinet, neque profecto tam multis & variis partibus quæ in nobis sunt alendis, simplex unum atque purum succi genus satis esse potest. Itaque sanguis qui è jecore emersit jecorisque venis concluditur, exquisite unus & purus esse non potest.

Rat. 3. Id vero aperte in eo conspicitur, qui *secta vena ex integre sano corpore sit emissus*. Nam præter serum in reliquo quod concrevit partes spectantur plane dissimiles: alia quidem tenuis, subrubra ac fervida per summa in-C natans, alia in imo crassa, subnigra ac vere terrena, alia medio situ in istarum mediocritate consistens, per quas & quarta quædam portio crudior effusa est. Quicquid in hac concretione cernitur, medici juxta ac philosophi sanguinem appellant, qui communi sententia, omnes corporis partes solo sanguine nutriri, id est, justa quatuor succorum commoderatione, pronuntiant.

Objectio. Quid igitur? *(inquies)* vitiosumne fuerit sanguinem purissimum in nobis contineri? Si enim debet is ex variis partibus ad nutriendum constare, videtur non esse procurandum ut purus atque syncerus in nobis gignatur, sed alimentorum usu varii succi erunt in nobis accersendi.

Solutio. Est hoc *(fateor quidem)* necesse: verumtamen non idcirco quærendà sunt alimenta, quæ varios illos procreënt: sed omnes ex optimo & purissimo quoque procedunt: vixque ulla vivendi ratio & facultas efficit, ut syncerus sanguis in venis coacervetur, qui tamen si talis consistat, nihil incommodi quicquam est allaturus.

Porro autem quicquid illud est in venis Gal. 3. de alim. c. 26. contentum, quod in partium corporis substantiam facessere debet, sanguinem id perhibemus. Hoc quidem discrimine à cæte- *Sanguinis nota propria est quod concrescat.* ris sejunctum humoribus, quod è venis foras, sive in ventrem, sive in vesicam, sive in uterum, sive in intestina, sive in thoracis spacium, sive in aliam denique capacitatem excidat, concrescit in grumum, quod cæterorum humorum nulli est concessum.

Proxima autem & continens *concretionis* *Concrescit autem propter fibras.* *causa, fibræ* eæ sunt, quas cunctorum animantium sanguis confusas in se continet. Neque enim cervos neque damas de hoc numero (ut *Aristoteles* fecit) auferam & ex- 2. de part. animali. cap. 4. cludam, nimirum in quibus jugulatis etsi non summe, coire tamen sanguinem videmus. Quod si à concretione alienus omnino is foret, nec corporis alendi, nec in solidiorem substantiam se convertendi vim & potestatem haberet.

Ita vero accurate diligenterque sanguini *Quomodo eæ fibræ in sanguine animadverti possint.* confusæ sunt fibræ, ita perturbatæ, nihil ut sensus in calido etiam nunc sanguine possit percipere, nihil ut in eo qui jam frigore coivit & conglaciavit. Veruntamen *sejungi hæ separarique hac ratione consueverunt*, si vel calens tepidusque sanguis per linteum transfundatur, vel crebra agitatione bacillo manuve concutiatur dum refrixerit, quo modo solent mulierculæ suillum præparare. Quin etiam quum incisa in malleolo saphena, sanguis ut mos est in pelvim tepentis aquæ profunditur, mox ut hæc refrixerit & ad exiguum tempus constiterit, tota tenuiore sanguinis portione tingetur, ad fundum autem delabentur fibræ illæ prorsus cohærentes & albæ, quæ quam plurimos specie quadam assimilatæ pituitæ in errorem induxerunt. Hæ quotiescunque exemptę detractæque fuerint, reliquus sanguis & à concrescendi ratione in quam sua sponte ferretur, & à nutriendi præstantia longissime distabit.

Fibras quidem *chylus prima concoctione con-* *Generantur autem eæ in ventriculo.*
trahit

trahit è ventriculo, qui fere totus quum nervosus sit, suam illi substantiam quadam tenus impertit, qualem obtinere videmus tum eorum plurima quæ vomitione redduntur, tum propria ventriculi intestinorumque excrementa, summe nimirum pituitosa ac lenta, illapsus dein chylus in jecur, veram sanguinis substantiam coloremque adipiscitur. Itaque concrescendi vim sanguis habet è ventriculo, cujus errore corpus omne quasi atrophia plerumque extabescit, sanguine fibris destituto. Hinc non paucos cernimus macie confectos, quibus tamen sanguis copiosus inest, isque bene temperatus: alios optimum corporis habitum & carnis molem consequi, licet sanguine constent calidiore.

Liquidus autem sanguis in venis invenitur. Maxima igitur & admirabilis in sanguine facultas, sed & magna vis est *venarum*, quæ *conceptum sanguinem coire nunquam sinunt*, nisi fortasse ex rara quadam & abdita morbi causa, ex qua vidimus quempiam post diuturnum languorem de vita exiisse, cui sanguis universus in venis concreverat, adeo ut demum coralli modo fruticans illinc eximeretur.

Non ob calorem, sed occultam qualitatem. *Non* igitur, quemadmodum *Aristoteles* affirmat, conservandi sanguinis facultas in venis est *ex caloris tepore*, quum & reliquum corpus omne tepescat, *sed ex ingenita* quadam *vi* & familiaritate, quę profecto efficit ut hic naturalis & legitimus locus sint sanguinis.

Hujus apertum id esto indicium, quod in mortuorum venis refrigeratus etiam sanguis non concrescat, quem tamen in viventium intestina, aut in ventriculum ac vesicam irruentem, tepor à concretione non præservat.

Quicquid igitur venæ concludunt, & intra se cohibent, sive crassum id atq; nigrum sit, ut liquidam picem repręsentet, sive flavum, sive prorsus album aut lividum, cujuscumque demum substantię sit aut caloris, si ex his profusum mox durescit atque coit, id uni versum sanguinis appellatione complectemur: quanquam non omnis hujusmodi secundum naturam esse, & vitio carere existimandus est.

CAPUT VIII.

Sanguinem in venis, non trium, sed quatuor humorum permistione contineri, quotque ejus sint differentiæ.

Ex Gal. 2. de Elem. cap. 2. *Sanguis hic vel bonus est, vel malus.* Qualiscunque autem is fuerit, chymus, id est, succus appellatur, qui interdum *bonus* est, ut in euchymia, interdum *malus*, ut in cacochymia: & uterque quoniam in partium substantiam effusus fibrarum vi concrescit atque coit, alere dicitur. Sed bonus, qualis in bono atque etiam in athletico habitu consistit, probe, malus vero vitiose, ut in utroque ictero, in leucophlegmatia.

Bonus constat quatuor partibus. Qui porro *bonus* ac laudabilis est sanguis, *ex partibus constat* & substantia & temperamento & colore variis. Has bonos succos appellant, quibus ex quadam temperamenti affinitate humorum supervacuorum nomina sunt indita.

Nam sanguinis pars tenuissima calidissimaque, *bilis* etiam appellatur: *melancholicus* succus, pars quæ crassa, frigida siccaque est: *pituita*, quæ cruda nempe, frigida est & humida: sola vero ea quæ tum sustantiæ tum qualitatum mediocritate quadam continetur, peculiari *sanguinis* appellatione notatur.

Non ut Turrisanus propter has rationes *Non defuerunt qui* sanguinem universum *existimaverint non ex quatuor, sed ex tribus* duntaxat permistis succis constare, nempe ex pituita, & bile tum flava, tum atra. Hi non aliud esse sanguinem putant, quam trium succorum mediocrem & commoderatam permistionem: neque præter hos quartum sanguinem purum in venis contineri, sed ne cogitatione quidem percipi contendunt.

1. Hac *potissimum* ratione, quod seorsum tres humores positi sunt, sanguis autem purus nullus extat.

2. *Addunt* sanguinem dum corrumpitur, in tres eos omnino humores converti, neque sanguinis quicquam seorsum manere. Cum igitur tres hi succi æquabiliter aucti sunt, sanguinem per id temporis dominari ferunt: sin inæquabiliter, eum duntaxat, qui reliquis est superior, à quo totum sanguinem

nem aut pituitosum, aut biliosum, aut melancholicum dici volunt.

3. Partibus tribus. Simillimam *demum* in lacte rationem haberi, quod tribus duntaxat substantiis continetur, præter quas nulla est quarta, quæ lactis nomine designetur, sed totum quod ex iis tribus idoneè temperatis consistit, lactis nomen sibi assumere.

Rat. 1. At vero si *partes chyli* intentis oculis & animo cernemus, & eas tum ex substantia, tum ex qualitatum conjugationibus spectabimus, non modo tres, sed quatuor fient earum differentię, ex quibus quatuor etiam succi provenient.

Rat. 2. Quinetiam si *partium* corporis, quas hi nutrire debent, *varietas* perpendetur, ut quædam se offerent, ad quas tres reliqui humores accommodari possunt, ita quædam etiam deprehendentur calidæ & humidæ ut caro, quædam temperatæ ut cutis, quæ non nisi puriore sanguine nutriri possunt. Quocirca necesse omnino est, prȩter tres reliquos succos, purum sanguinem etiam in venis haberi, eumque longe reliquos multumque superare.

Solut. rat. 2 adversar. Inepta igitur & iniqua censeri debet sanguinis cum lacte collatio.

Rationis 3. Nec dum sanguis corrumpitur: universa ejus substantia in bilem tum atram tum flavam facessit, sed etiam pars quædam manet, aut nondum corrupta, aut corrupti sanguinis speciem ostendens.

Quatuor humorum in sanguine proportio. Itaque qui intra venas grandiores coërcetur, *quatuor illis succis perfunditur*, sed *ea proportione*, ut in tȩmperata & mediocri constitutione purus sanguis multum antecellat, cæterisque præstet: ab hoc deinde pituita, quia dulcis est, potestque in sanguinem converti, & compluribus partibus nutriendis est necessaria. Tertio loco est melancholicus succus: omnium autem paucissima est flava bilis tum ob nunc commemoratas rationes, tum etiam quod illius quam bilis receptaculum capacius & plenius deprehenditur in nobis, quodque ex venæ sectione, si sanguis asservetur, plus subsideat lutulenti, quam per summum innatet biliosi.

Ii humores in sanguine non sunt ejusdem generis cum excrementitiis. Ea quidem est quatuor succorum in sanguine permistio. Cæterum id nondum satis liquet, *sintne ii* veri humores, & *quales in suis conceptaculis puros esse intelligentia sensuque comprehendimus*, anve ad illorum duntaxat speciem atque similitudinem accedant.

Magna quidem & controversiæ plena disputatio, quod difficile sit intelligere, ut humores puri ac veri consistant in venis. Etenim quæ (verbi gratia) proprie vereque *bilis* dicitur, usquequaque lutea est & prorsus amara, *ad corpus nutricandum neutiquam habilis* & accommodata, nimirum quæ ne proprie quidem vesiculæ, à qua ingenti sensus voluptate allicitur, alimentum sit. Ejus quippe substantia supra omnem sanguinis est mediocritatem, atque adeo à nutriendi benignitate descivit, ut nulla caloris efficientia, nulla concoctionis præstantia unquam possit in familiarem atque alimentariam reduci. *Rat. 1.*

Nec est quod *dicat quispiam*, non hanc synceram & puram, sed sanguini permistam corpus nutrire. *Exceptio.*

Si enim omni substantia totoque genere alimenti rationem excessit, quoquo modo benigniorum temperatione perfundatur, integram omnino pristinamque naturam reservabit, atque benigniora fortassis in corporis substantiam facessent, illa certe nunquam: quemadmodum neque lapidis aut ferri pulvis tenuissimus, quanquam cum pane est accurate subactus, nutriendi vires consequitur. Quocirca bilis ea quam in sanguine atque in venis teneri fatemur, vera haudquaquam est, neque ejus similitudinem speciemque gerit quȩ in folliculum reconditur, maxime si integre sanum est corpus. Hoc & sensu comprobamus, nullam animantium partem (sed ne pulmonem quidem, quem tamen unam præ cæteris ea nutriri asseverant) commanducatam bilis amarorem referre. *Refutatio.*

Quin & totus *sanguis dulcis* est in sanis, qui tamen si amara bili perfunderetur, ejus sapore inficeretur, quemadmodum si fellis tantulum lactis copiæ injicias. *Rat. 2.*

Præterea vera *bilis* si cum sanguine in corpus perferatur, ut in ictero, corpus *flavo defœdat colore*, nil autem tale sanis accidit.

Iisdem propre rationibus demonstrari potest, nec atram bilem, nec supervacaneam pituitam fieri posse conveniens usquam corporis alimentum. Ex quibus intelligitur quatuor humores, qui in sanorum sanguine continentur, synceros non esse, nec eorum natu-

naturam exprimere, qui in bilis foliculum atque in lienem conjecti sunt.

Sed prater naturam ex [illegible] *sanguini miscentur.*

At nihilominus, ab æstu, ab exercitatione, à balneis, à calidiorum causarum vehementiori occursatione, non ambigimus partem sanguinis tenuissimam in flavam bilem eamque amaram converti, quemadmodum & reliquas sanguinis partes persistente similium causarum impetu, in affinem sibi & finitimum humorem. Idem prope accidit, & quum ex vehementi obstructione orta putredo, sanguinis molem invaserit. His ergo ex causis *præter naturam alii humores à sanguine gignuntur* in venis.

Quinetiam plerunque in has permeant ex aliarum partium vitio: bilis quidem flava quum jecur immodico calore flagrat, aut quum vesicula fellis velut in ictero intercluditur: melancholicus siccus, quum lien vel obstructus, vel quavis ex causa imbecillior factus, non potest sanguinis limum prolicere: pituita, quum ob frigidiorem intemperiem ingens oboritur cruditas tum ventriculi, tum jecoris, ut in leucophlegmatia.

Ab his igitur causis puri atque vitiosi humores in venis sanguini permiscentur, è quibus illos demum cernimus per multa morborum genera foras subter cutem erumpere: Cæterum corpus quod omnino sanum & integrum est, quacunque etiam id temperie naturaliter sit affectum, si nec alimentorum vitio, nec aliis externarum causarum injuriis lacessitur, puros atque synceros humores nullos habet in venis sanguini permistos, sed eo duntaxat modo quem nunc exposui.

Neque hoc asseruit Hippocrates. 1. de nat. human. t. 29.

Viderine potest *Hippocrates* his contrarium attulisse? *Libro* quem *de humana natura* conscripsit, *hominem* ait, *quo ad vita fruitur, omnia in se continere, sanguinem, pituitam, & utramque bilem. Epoto enim medicamento quod pituitæ educendæ sit idoneum, pituita evometur: eo autem quod bilem flavam purgat, bilis: eo quod atram elicere natum est, atra bilis purgabitur: sin vulnus acceptum fuerit, sanguis profluet. Hæc autem accidere compertum est quovis die ac nocte, hyeme & æstate.*

Vere quidem hæc sunt ab *Hippocrate* pronuntiata, veruntamen quæ ex corpore, non è venis necessario, sed aliunde etiam detrahuntur, bilis quippe ex hepate & è proprio folliculo, pituita (si vere pituita dici ea debet) è ventriculo & intestinis, melancholicus humor è liene, in quibus locis solet eorum humorum aut potius excrementorum copia affluere.

Sed potius contrarium. 2. aphor. 36.

His etiam *qui incorrupta sanitate sunt*, idcirco *difficiles fieri* censuit *purgationes*, quod quum desint affines & cognati quos medicamentum trahat humores sanguinem id & carnes colliquefacit, quo ex his proprium alliciat humorem.

Quibus quidem verbis significat, sana corpora cum sanguine reliquos humores in venis revera non habere, sed potestate duntaxat: quia fieri potest, ut medicamenti, aut aliarum quas dixi causarum vis & vehementia, ex variis partibus sanguinis, varios excitet & proliciat.

Differentia sanguinis naturalis.

Hinc jam constitui possunt & explanari *sanguinis naturalis differentiæ*, quod alius substantia sit mediocri & colore ruber, qui pulcher rimus & optimus appellatur: alius magis flavus & consistentia tenuis, alius crassior atq; nigrior, alius demum liquidior & albior.

Præternaturalis.

Quum autem *à pristina natura discìscens*, vitio corruptelaque depravatur, & è limitibus jam excessit, non naturalis appellatur.

Excedit autem *bifariam*.

Alias paululum ob levem modicamque intemperiem substantiæve mutationem nulla ex parte in aliud humoris genus conversus: hic quidem etiam tum sanguis est, tamen naturalis minime.

Alias multum, quum vel proprio contaminatur vitio, vel alieno perfunditur humore, atque hic non simplex, sed in multis permistus est humoribus.

Hæc de sanguine: nunc ad cæterorum humorum differentias pergamus.

CAPUT IX.

Pituitæ & utriusque bilis differentiæ.

Ex Gal. li. de humoribus & cap. 9. lib. 2. de nat. fac. de atra bile cap. 2. & 3. &c.

Humor quid.

HUmoris quidem appellatio quanquam proprie Latinis qualitatem duntaxat eam designat, quę Gręcis est ὑγρότης, medici tamen ad omnem etiam profluentem & liquidam

quidam substantiam hoc nominis accommodant, *ut id sit humor* quod etiam Græci ὑγρὸν proprie dicunt, quicquid in corpore profluens liquidumque cernitur, sive id chylus est, sive mucus, sive sputum, sive urina, sive sudor, sive sanguis, sive pituita, sive bilis tum flava tum atra.

Humorum differentia. At quum genus hoc omne in species dividendum distribuendumque erit, percensebuntur quidem *humorum alii* toto *genere supervacanei* (hos supra universo excrementorum genere sumus complexi) *alii* vero ad *nutriendum* & corpus sustentandum apti.

Horum autem *genus duplex*, *chylus* & *chymus*, ille fortassis cremor, hic succus recte nobis appellabitur. Est quidem chylus in ventriculo: at succus in jecore ortus, & ad corporis nutritionem præparatus.

Succorum differentia. Succorum autem *alii primi* sunt & prægredientes, *alii secundarii* & consequentes, quorũ jam ante rationẽ breviter explicavimus.

Primi succi quatuor numerantur, *sanguis*, *pituita*, & *bilis*, tum *atra*, tum *flava*: hi enim singuli quemadmodum & secundarii, constitutionem acceperunt ad corpus alendum, licet id quandoque non præstent, neque præscripto fine potiantur.

Itaque *succorum alius naturalis*, qui & omnino utilis est, *alius non naturalis*, qui non satis probe alere potest.

Similiter *excrementorum aliud naturale*, quod in corpore optime sano naturæ legibus provenit, *aliud præter naturam*.

Excrementorum differentia. *Naturale aliud utile*, quod usum quempiam confert in corpore, ut bilis in vesicula, & quæ in liene est melancholia: *aliud prorsus inutile*, ut fex alvi, urina vesicæ, atque sudor.

Non naturale est, quod citra naturę pręscriptum à causis præter naturam gigni solet.

Itaque tum *pituita*, tum *utraque bilis triplex* est omnino, alia ad nutriendum apta quæ *alimentaria* dicitur, alia *supervacanea*, quæ aut *naturalis* est, aut *præter naturam*.

Bilis alimentaria. *Bilis alimentaria* est sanguinis pars tenuissima, per venas distributa, tum ut affines naturæ suæ particulas nutricetur & alat, tum ut reliquo sanguini qui præ crassitudine non sine multo negotio per venas perlaberetur, transvectionis promptitudinem afferat: quod quum præstiterit, siquid minus utile restet ac superfluat, id una cum sudoribus defluit & foras erumpit.

A

Supervacanea è sanguine tanquam excrementum in bilis vesiculam amandatur, proprio deinde ductu in intestina illabens, tum ea ad excrementorum dejectionem stimulat, unde & fulvo colore infecta comparent, tum lentam & adhærescentem illis pituitam detergit & exturbat, quæ alioqui immodice aucta, in gravissima incomoda deduceret. *Bilis excrementitia naturalis.*

Ea fere *flava* existit, & mediocritatem quandam tum substantiæ tum caloris obtinet: ex qua tenuis cujusdam humoris permistione, *altera* procreatur colore *pallidior* & substantia tenuior: utraque licet supervacua sit, naturalis tamen est, & naturæ legibus continetur in nobis. *Duplex Flava.* *Pallida.*

B

Gignitur & interdum *bilis præter naturam*, genere *quadruplex*. *Bilis præter naturam.*

Una est vitellina, Græcis λεκιθώδης appellata, quam flava à naturæ modo deficiens profert, dum caloris non naturalis acrimonia torretur, ut ex fulvo igneum colorem, & ex tenui substantia crassiorem dissipatione consequatur, quæ & colore & crassitudine omnino vitellorum crudorum ovorum speciem offerat, à quibus nomen sibi ascivit. *1. vitellina.*

Averrhois recte mihi videtur *Avicennam* erroris insimulasse, qui ut multa alia peccat, in vitellinæ opinione turpissime labitur, contendens nimirum, hanc fieri dum pituitæ aut melancholiæ portio flavæ bili permiscetur. Hinc in bile egregia illa comminiscitur majoris & minoris famæ genera, quæ quam plurimos in designandis febrium differentiis, mirifice (ne dicam ridicule (implicatos & circunretitos tenent. *Averrh. lib. 3. col. lig. cap. 3. cont. Avicen. lib 1. f. 1. doct 4. cap. 1.*

C

Hac enim opinione vitellinam bilem frigidiorem redderet flava & naturali, quam tamen multis partibus ardentiorem esse inter omnes constat. Adde quod simplicium humorum differentias denumeraturus, quasi inconstans aut certe jam sui immemor, ex eorum permistione nova quædam & inaudita simplicium genera invehere conatur.

Quas tres hactenus commemoravimus bilis differentias, omnes in jecore generantur atque in vasis. Præter has autem aliarum par numerus recensetur, quæ sæpius è præcordiis originem habent. *Tres hæ bilis species in stomacho generantur.*

Una est *porracea* Græcis πρασοειδής, altera

2. porracea *æruginis similitudine* ἰώδης dicta, tertia ἰσατώδης
3. æruginosa glauco aut *cæruleo colore glastum referens.*
4. glastea.

Harum gignendarum esculenta quædam vitiosa & mali succi non modo occasio, sed etiam *causa* fiunt, cujus generis censentur allium, porrum, cæpa, nasturtium, & sinapi, maxime eorum folia. Dum enim nequeunt à ventre devinci, neque in chylum converti, ac colorem suum magna ex parte retinent, primum ex illis fit porracea, quæ si infixa diutius hæreat & commoretur, persistente ventris incendio, in æruginosam commutabitur: hęc demum in eam quæ glasti colore tincta apparet, minus quidem viridis quam superiores, sed tanto illis deterior, quanto propius ad nigrum colorem accedit. Gignuntur & hæc genera nonnunquam in venis ac jocinore, idque per morbos graves & ardentissimos, qui vehementi caloris incendio bilem vitellinam exurunt, & in hæc genera deducunt, prorsus perniciosa quidem & exitialia.

Hæ generantur in ventriculo, hepatr, venis

5. atra. Ex his demum summe ustis fit & in conspectum se dat *atra bilis* ea, quæ omnium est humorum deterrima.

Melancholici humoris differentiæ. *Melancholiæ* autem multæ sunt *differentiæ.*

Vna quidem qualitatibus mitior, quæ cum sanguine in venas pervadens corpori *alendo est idonea.* Hanc medicorum præcipui visi sunt μέλαινα καλεῖν χυμὸν, οὐ μέλαιναν χολὴν, id est, atrum vocare succum, non atram bilem. Sicuti plerumque melancholicum succum vel melancholicum sanguinem, non atram bilem.

Alimentaria.

Excrementitia. *Supervacanea* est, quam lien sanguinem expurgans, è jecore prolicit & in se recondit. Hæc quemadmodum & quæ in folliculo est bilis, sanguinis quidem non autem corporis excrementum est, quippe quæ & lieni & ventriculo non mediocriter conducat. Quocirca naturalis est, & nondum atra bilis, sed ater humor nuncupari debet.

Præternaturalis atra. Quantum vero hujus vel exustione, vel non naturalis caloris vi putrescens, acidam aut acerbam qualitatem aut acrimoniam contraxit, (idem enim putredo quod vehemens incendium solet efficere) id quasi in cinerem conversum, convenit *atram bilem* nuncupare, quæ omnino præter naturam sit.

Ea triplex. Est autem *ea triplex,*

A *Vna ex melancholico succo* vel humore profertur, quæ aut putredinis aut caloris ardore quasi in cinerem convertitur. Hæc calida quidem, est acris & mordax, eo discrimine à supervacua naturali dissidens, quo fex usta ab non usta. Quem dico cinerem non ei parem existimo, qui exustis lignis manet: haudquaquam enim possunt humores omni suo liquore spoliari: sed ita summam dico humorum siccitatem & quantam maximam possunt in corpore ardoris vi consequi. *Ex melancholia.*

Altera species ex ea fit *bile* quam *vitellinam* dixerunt. Exustione enim hæc primum in porraceam, deinde in æruginosam, post in cæruleam, novissime in atram omnium perniciosissimam commigrat, quæ tanto certe deprehenditur malignior, quanto B bilis melancholia est acrior. Ea enim est quæ in terram impacta, fermenti more & quodam quasi æstu effervescens, hanc jactat & excutit: quæ sua crassitudine parti se affigens adhærescensque eam arrodit & exulcerat: quæ demum in perniciem semper excernitur: quanquam horum omnium vitiorum altera etiam quodammodo particeps est. *Ex bile.*

Ex sanguine nulla proxime bilis atra profertur. Nam si sanguinem statuamus vel incendio vel putredine in venis torreri & conflagrare, prius quidem necessario pars ejus in bilem flavam, pars in melancholiam migrabit, ex quibus deinde non aliæ quam duæ commemoratæ fieri poterunt atræ bilis differentiæ. Quum autem sanguis è venis C illapsus fuerit in ventrem, in intestina, aut in aliam interiorem capacitatem, illic quidem primum concrescit in grumos, tandemque putrescit. Excernitur is plerunque liquidæ picis modo nigerrimus, summe malignam ac vere venenatam qualitatem adeptus: hic tamen tum nomine, tum re ipsa ab atra bile differt, quandoquidem extra venas à se discedens non in alios convertitur humores, sed totus concrescens humor esse desiit, nec tum humor dici potest, sed corruptus grumus. *Nulla fit ex sanguine*

Neque ex pituita dulci fit bilis atra. Nam quæ ex cerebro stillat, aut quæ in pulmonibus, in ventriculo aut intestinis coacervatur, vehementi calore durescit, uti mox erit manifestius, nunquam in alterius humoris *Aut pituita dulci.*

moris speciem mutatur: quare neque potest ex ea atra bilis suscitari.

Sed atra bilis tertia fit ex pituita salsa. At vero *pituita salsa* quoniam caloris cujusdam præter naturam est particeps, si vehementius & prorsus torreatur, acrē *atramque bilem gignit*, quæ tertia species est: unde intelligi potest non omnem atram bilem ex melancholico aut biliosa humore nasci.

Ex Galeno & Avicenna loc. cit. Pituitæ differentiæ Alimentaria. Porro autem *pituita* quæ vere & proprie dici meretur succus est *alimentarius*, totiusq; sanguinis portio crudior, quæ & sanguis ex dimidio coctus appellari solet. Permanat hæc in venas, tum ut partes frigidas & humidas, cujusmodi est cerebrum, alat: tum ut si aliquando penuria erit sanguinis, in eum conversa reliquis etiam partibus in alimentum cedat. Neque vero ut sanguinis forma plene exornetur, necesse est in jecur ea recurrat, sed venæ ipsæ ad id operis perficiendum, satis virium & caloris obtinent. Cæterum neutra bilis potest ulla vi in sanguinis mediocritatem & benignitatem reduci. Licet enim quandoque adeo refrigeretur, ut fortasse qualitatum mediocritatem assequatur, non potest tamen substantiæ benignitatem recipere. Atque hęc quidem alimentaria pituita dulcis existit.

Ex qua aliæ duæ præter naturam emergunt.

Acida. *Vna* est quę *acida* vocatur summe quidem cruda, & quæ præter primam ventriculi confectionem, vix ullam aut minimam in jecore atque venis accepit. Paucus admodum calor ei inest, qui perfacile dissipatur & evanescit, atque tum pituita necessitate quadam coacescit. Par enim atq; una ratio est ac in plerisque fructuum succis, qui si non non multo præditi sunt nativo calore, postea quam sponte sua efferbuerint, mox in brevi coacescunt: quibus autem valentior impertitus est calor à natura, ii ut vinum generosum, diutius in integritate sua persistunt.

Altera pituitæ species *salsa* appellatur, ex dulci hæc putrescente nata: quum enim portiones ejus quædam vi putredinis assæ, reliquæ dulci substantiæ permiscebuntur, salsum hunc saporem inducent, quod & in maris aqua fieri demonstrant. *Salsa.*

Tres hæ pituitæ species *consistunt in venis*, prima quidem naturalis, reliquę duę pręter naturam: quarum omnium materia à jecore sumpta est & initium duxit, qualitas autem aliunde irrepsit à causis quę contra naturam sunt. *Hæ consistunt in venis.*

Supervacua pituita extra venas consistit, cujus sunt differentię quatuor. *Extra venas consistunt.*

Vna est pituita tenuis & *aquea*, qualis plerunque aquę modo stillat è naribus, aut è cerebro in plurimas corporis partes illabitur. *Pituitæ excrementitiæ. Aquea.*

Altera censetur *muco similis*, quam corporis calor ex illa tenui ob modicum lentorem, cujus particeps est, ad muci consistentiam coëgit. *Mucosa.*

Hæc si caloris vi & appulsu tantam adipiscatur crassitudinem, ut jam partibus conclusa possit adhærescere, *vitrea* tum appellabitur, quæ tertium genus est. *Vitrea.*

Ad extremum vero cum ex concretione sic jam durescet, ut à lapidis aut gypsi duritia non procul absit, quarta tum emerget, quam multi *gypseam* appellant. Hanc sæpe deprehendimus in pulmonibus & in digitorum articulis, recepto quidem ex destillatione principio, tandem in extremam tophi & calculi duritiem evasisse. *Gypsea.*

Ea certe omnis est atque integra humorum explicatio, ex qua liceat cognoscere qui ab excrementis, quive à venarum succis, ortus sui primordia acceperint.

Nunc de animalibus functionibus transigendum nobis est.

CAPUT X.

De Animalibus Functionibus.

Animæ sentientis. Quemadmodum altrix illa, quin potius tota naturali pars animæ, in unum corporis alimentum prorsus incumbit, suasque omnes in id gestiones confert: sic altera pars *animæ* quæ *sentiens* est & appellatur, *in iis rebus externis versatur, quæ circumjectæ sunt nobis*, totaque negotiatur ut illarum cognitionem capiat, suisque ministris & nuntiis sensibus rerum omnium notiones in se comprehendat. Hæc illius motitio, *Objecta.*

litio, hæc agitatio, qua assidue concitatur & impellitur, quæ qua ratione obiri persicique solet, verbis explicarè conabimur.

Sedes.

Sentiens anima quemcunque illa substantiæ modum est adepta, *cerebri corpus* tanquam propriam arcem ingenitumque domicilium *elegit*, omnium quas dixi facultatum vires in se suoque quasi sinu complexa.

Instrumenta 1. Spiritus.

Has quidem propriis quibusdam functionibus & muniis exponit, ad quas varia *instrumenta* confert & accommodat. Omnium primum *spiritus* est *animalis* appellatus, qui ex vitali per cervicis arterias in contextum admirabilem sublato, primum elaboratur, deinde in interiore altero cerebri contextu, qui à secundis nomen habet, vi cerebri ingenita in animalem convertitur. Illic nova specie & dignitate præfulgens, sentientis animæ vires consequitur, & ad illius cuncta munia illo se splendore aptat & comparat. Hoc plurimo conferti sunt ventriculi, interioresque cerebri sinus, unde tanquam è jugi fonte per nervorum ductus & canaliculos, tum in sensuum instrumenta, tum in musculos motores profluit.

Is varii.

Hic autem quum jam insidet, aliam fortassis speciem ex partis natura suscipit, qua particulatim illi addicta est, ejusque servitio prorsus mancipatur. Quod si est, *non unus idemque* fuerit videndi, audiendi, odorandi, gustandi, atque tangendi spiritus, quinetiam ab illis longius distabit qui motioni destinatus est.

2. Capitis crassamentum.

Alterum instrumenti genus ex crassiore magisque *terreno corpore* constat, ut in quo tum spiritus ille, tum externarum rerum imagines conceptæ servari debent.

Non una id eademque ubique *substantia* præditum, neque uniusmodi, sed multiplex & varium.

Interni sensus instrumentum cerebrum.

Interiorum motionum *cerebri* corpus instrumentum est, quod varia & multiplici sua conformatione ad omnes animi actiones agitationesque sese jungit & applicat.

Externorum organa.

Visioni vero *oculus* & qui ad hunc pertinent nervi, auris auditioni, odorationi nares & cerebri papillæ, gustatui lingua, tactioni tangentium nervorum propagines, ut motioni duriores & musculi in quos illi se fundunt, ancillantur & ministrant.

Varia hæc sunt instrumenta corporea, in hisque spiritus siti dispares & varii: sic & facultates quę ab illis omnem agendi rationem acceperunt, neque quicquam possunt citra illorum opem præstare, non modica varietate distinctæ sunt, tametsi omnium una est eademque substantia.

Quæ igitur sic comparata sunt organa, ut in subjecta conformataque materie familiarem quendam spiritum obtineant, in eoque spiritu facultatem, quæ organi species est & ratio, ea quidem idonea fiunt & concinna suis muneribus obeundis.

Quæ qualiter compleri absolvique possint, hoc jam contextu sigillatim aperiam.

Arist. 2. de anim. cap. 7. de sens. c.6.

E *sensibus externis alii contrectando* munere suo funguntur, ut tactus & gustus, qui non nisi conjuncta sibi percipiunt.

Sensus alii sine medio.

Alii medii cujusdam corporis *interpositu* sentiunt, ut visus, ut auditus & olfactus. Corpus autem id medium intercedens, aut aër est, aut aqua: utrunque enim elementum ad invectionem eorum quę sentiuntur idoneum est: nam colores & sonos per aërem percipiunt quæcunque terrenæ gradiuntur aut serpunt animantes, per aquam vero aquatiles.

Alii per medium fiunt. Ex Arist. 2. de anim. cap. 8. Gal. 11. de us. part. cap. 12.

Sonus ut fiat.

Dura itaque & solida corpora, quum aut in aëre aut in aqua invicem colliduntur, *sonum edunt*, ac strepitum, in hac quidem obscurum, in aëre vero perspicuum: maxime vero si illa levia sint concava & ampla, quæ celeribus & magnis ictibus confligant. Aër igitur qui inter dura corpora confertim & impetu in se incurrentia continetur, primum sonitum efficit.

Ut deferatur ad aures.

Hic quidem non illinc abjungitur, *ut ad auditum* ipse *accedat*, sed proximum sibi & continuum aërem commovet, atque hic repente alium, donec successione continenter ad auditum motus perferatur: quo more in fluctibus cernitur alter alterum trudere, qui pulsus deinde sequentem impellit. Hinc accidit, ut non simul ac corporum allisio conflictusque inciderit, sed aliquanto post ictum sonus audiatur, priusque à propinquo quam à longinquo.

Auditio ut fiat.

Sic exterior aër agitatus impulsusque, per aurium tortuosos & flexuosos anfractus motu perplacido, citra ullam turbam fertur, pervaditque adusque interiorem illum aërem membrana obtensa conclusum, & auribus ingenitum. Huic autem mem-

membranæ assidens, blande eam ferit & concutit, ut ea agitatione tota strepat & personet. Externus aër tum demum cum interiore illo continuatur & adhærescit, illiusque interventu audiendi spiritui, qui cum illo implicitus est, confertur: hoc demum exploratore & ministro recepta strepitus imago, ad sentiendi principium transmittitur.

Ex Arist. de sens. c. 5. & Gal. de odor. inst. *Odor quid. Vt deferatur.*

Sed hæc apertius judicabuntur æstimabunturque ex odorandi ratione. Nam cedrus, thus, aliique odores incensi calefactique suavem & jucundum odorem spirant, qui in arido quasi fumo situs est.

Hic sensim tanquam vapor per intermedium interjectumque corpus convolat & *sparsus evehitur*. Medium autem id corpus, aut aër est, aut aqua: nam pisces & aquatilia quæque, quamvis spiritum non ducant, odorari tamen comprobatum est. Quanquam vero jam odor propius ad nares appelletur, non tamen prius poterit respirantibus animalibus odorandi sensum movere, quam viæ quæ è naribus per os summum & meninges in cerebrum pertinent, patefiant, possitque una cum attracto ductoque spiritu, odor ut ad pulmones, sic ad cerebrum olfactumque permeare. At quibus promptus atque expositus in aperto est odoratus, neque operculo tanquam vallo quodam communitus, ut apibus & insectis (sic enim recentiores Latini, nec inepte appellant) ea ad odores è longinquo conveniunt, & citra ullam respirationem olfaciunt, ipsique odores non attracti illorum sensum feriunt & incitant. Quod ipsum piscibus & his quæ in humore degunt accidit. Nam sine anhelitu & spiritus reciprocatione videntur odorari.

Ex Arist. ibid. c. 7. de sensu cap. 2. 3. & Gal. 10. de us. part. primis 6. cap. *Color ut deferatur. Per medium illuminatum.*

Ad illorum similitudinem accedit & visio. *Color* enim aut fulgor perspicuum medium collustrans, in conspectum oculumque cadit. Id medium aut aër est, aut aqua, aut vitrum, aut cornu, aut aliud quod istorum naturam imitatur. Hæc autem si idonea futura sunt ad videndum, perlucida fieri oportet & luminis præsentia collustrari. At lumen neque corpus est, neque quicquam quod à corpore excidat aut defluat, alioqui pedetentim neque puncto temporis posset medium omne circunjectum illustrare, neque in perspicuum corpus omnino penetrare. Itaque lumen est *actus & perfectio perspicui, seu lucidi corporis præsentia*. Quicquid aspectum ciere debet, id si simplex color est, in medio perspicuo eoque illuminato oportet constitui: si vero splendidum & fulgens est, ut fungus, ut putre & præaridum lignum, ut vermis, & quicquid noctibus collucet, conspici quidem non potest in lumine, quia exiguum ejus lumen majoris splendore offunditur: at in tenebris istorum unumquodque videtur sensumque ferit, quod proximum & circunfundentem aërem leviter illustrat, ut se potissimum vendicet à tenebris. Ignis vero quod ancipitis sit naturæ, & in tenebris & in lumine videtur: noctibus enim suo lumine propinquum aërem illustrat, ut non is modo, sed alia etiam videri possint: interdum vero perspicuum jam medium tanquam color aliquis movet.

Visio ut fiat.

Fit autem *visio* quum perspicuum illuminatumque aërem medium rei color aut imago afficit, aër deinde adusque oculum protensus affectusque aspectum concitat. Tum enim rei *aspectabilis imago* per pupillam in crystallino humore *excipitur*. Hinc demum provehente spiritu, per opticos nervos in cerebrum & commune sentiendi principium confertur.

Et quidem.

Speciei receptione.

Hoc autem discrimine ab auditione & odoratione sejungitur: quod in his motione non derepente, sed paulatim per media facta, sensus feriatur: in visione autem non progressione, sed subito facta medii aëris mutatione, quemadmodum & luminis appulsu, rei species cernendi obtutum statim movet.

Non corporei effluvii.

Unde intelligi potest *non defluentibus* quibusdam quasi *exuviis* à re conspecta ad oculum demissis visionem fieri, quia non continuo ut objecta res est videretur: & prius propinquo quam distanti se proderet. Adde quod tanta coloris aut imaginis amplitudo exiguo oculo excipi non possit.

Aut emissione.

Neque præterea visio fit *foras à conspectu erumpente lumine*, quod cum alio externo junctum coeat: nec spiritus radio ab oculo per medium in objectam rem incidente, qui pari angulo resiliens in obtutum referatur. Quomodo enim tantus prodire possit, qui repente ad astra usque pertineat, omnemque interjectum aërem quantus est

eſt impleat? Quod ad iſtius fidem afferri ſolet de baſiliſco, aut muliere cui menſtrua defluit purgatio, inefficax prorſus & irritum videtur: nam neque baſiliſcus hominem interimit, neque mulier quum menſes profluunt, ſpeculum præſertim æneum polluit atque fœdat, videndi ſpiritu ab oculo manante, ſed tetro quodam & diro vapore, qui foras ut ab ore à reliquo corpore, ſic etiam ab oculis erumpit & emanat.

Hæc eſt eorum ſenſuum ratio, qui non niſi medii cujuſdam interpoſitu objectas ſibi res comprehendunt.

Ex Ariſt. ibid. cap. 10. & Gal. de inſt. odoratus. c. 2. 8. de uſ. part. cap. 5. 6.

Guſtus autem & tactus medio corpore non indigent, ſed conjunctione quadam & contrectatione functiones ſuas obeunt. Etenim ſi vel ſapor in guſtandi nervum, vel calor pungenſve ſtylus in nudum apertumque tangendi nervum incidit, eximie & acriter ſentitur, quanquam nulla caro media intercedit. At vero ſi aut pupillæ rem candidam adjicies, aut aëri qui auribus eſt ingenitus ſtrepitum inculcabis, aut in narium ductus odorem penitus immittes, nulla omnino vel obſcura erit perceptio.

Guſtatus ut fiat.

Itaque *ſapor* ſucco humorique permiſtus, aut (ſi rectius mavis) in humore conſtitutus (ejus enim qualitas quædam eſt & affectio) ſimulac adhibetur admoveturque linguæ, diffuſus cum humore guſtum incitat, moxque ſpecies ejus & imago vi ſpiritus in primatem ſenſum infertur. Quod ſi forte in duro concretoque corpore, ut in ſale, ſapor erit, id non ante poterit ſenſum movere, quam calore liquefactum & dilapſum diffundatur. Quicquid autem mollitie fluere & effundi non poteſt, guſtandi ſenſum prorſus non afficit: quemadmodum neque cui arida & ſcabra lingua ex morbo torretur, is bonus eſſe poteſt ſaporum æſtimator.

Ariſt. ibid. cap. 11. Tactio ut fiat.

Tactionem porro fieri conſtat, ſi tractabiles qualitates qualeſcunque eæ ſint, aut carnis, aut etiam nullius corporis interventu proxime ad tangendi nervum accedant.

Galenus Lib. 7. de placitis. cap. 5. 6. 7. Putat eam in nervo fieri.

Contendit *Galenus* in extremis corporis partibus tactum proxime fieri, nulla qualitate per nervos in ſentientis animæ principatum relata: nervum cerebri, veluti ſurculum arboris partem eſſe, in eoque cerebri totam vim contineri, quæ tractabilium qualitatum affectiones diſcernat: in eo autem ſenſus facultatem conſiſtere, in quo quidem & ſenſus ineſt doloris.

Sed fit in cerebro.

Quod profecto ſi conficit, idem de aliis quoque ſenſibus erat afferendum. Horum ſiquidem nervi tum molles ſunt, tum ſubſtantiæ cerebri finitimi, ut idcirco ad illius naturam propius debeant quam tangentes nervi accedere. Deinde vero quæ tangendi nervis interceptiones & obſtructiones obtingunt, ſubditis particulis ſenſum motumque adimunt: quod dilucide commonſtrat tangendi vim non eſſe nervis ingenitam, ſed à cerebro quemadmodum & reliquas continenter defluere & illabi: neque externum tactum poſſe rerum qualitates dijudicare, ſed inſtrumentum duntaxat ejus eſſe facultatis, quæ princeps in cerebro conſedit, illucque oportere omnium ſenſa conferri.

Hæc ſingula mihi ſatis videtur *Hippocrates* duobus confirmaſſe aphoriſmis, quorum altero ait, *Dolentes parte aliqua corporis, ſi omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat:* altero, *Duobus doloribus non eodem in loco infeſtantibus, qui vehementior eſt, alterum leviorem obſcurat.* 2. aph. 6. 2. aph. 46.

Quomodo receptis ſpeciebus agnitio contingat.

Hoc igitur omni ſenſui commune eſt, perpetiendo ſentiat: primum enim ſenſus omnis ab ſubjecti corporis qualitatibus afficitur, mutationemque ſubit. Hæc iſta mutatio ſenſus nondum eſt, ſed quæ *fit ejus apprehenſio* atque cognitio. Quum enim princeps illa ſentiendi vis ab arce cerebri per nervos in ſenſus ſingulos diſtributa, affectiones quæ illis obtigerunt percipiet, tum quodammodo & rudius ſentire dicetur: proprie vero quum eas cerebro communi, ſentiendi principio renuntiabit.

Quomodo cenſeri alteratio.

Senſum autem affici *immutarique ab externis qualitatibus*, non ſic proprie audiendum eſt, ut priore qualitate excuſſa novam accipiat: neque enim à colore albeſcit oculus, neque à ſono exacuitur aut obtunditur auditus, neque à dulcedine palatum dulceſcit. Sed ut aureum ſigillum in ceram, non aurum, ſed imaginem imprimit, ſic propemodum & res externæ ſola forma ſenſum impellunt, eorumque ſimulachra & ſpecies ſine materia ad ſenſum perveniunt, quas hic foris illapſas intra ſe admittit præalte condendas.

At vero quam ſenſus imaginum impreſſionem dicitur accipere, *non partium eminentia,*

tis, ut quæ annulo ſignatur, judicamus. Nam colori, ſapori, odori qualis figura decernetur? Nullam igitur ille converſionem mutationemve ſuſtinet, neque priorem ſtatum exuit, quin potius dum in rerum cognitionem & judicium incumbit, quem ſtatum habebat, agendo gerendoque excolit, perficit & confirmat.

Caput XI.

Senſus interioris functiones.

Rerum ſpecies in ſenſibus aliquantum conſiſtere.

QUæ ſic communiter in ſenſus omnes ab externis rebus invehuntur *imagines*, non modo habentur & conſiſtunt, dum ſenſus in geſtione actuque ſunt, ſed etiam quum abjunctis rebus externis ab opera diſceſſere, *moram* quandam *in illis trahunt* atque retinentur. Ita enim ſi quis de Sole in opacum ſe convertat deflectatque, primum offuſus nimio ſplendore nihil cernit, deinde veluti album quiddam aut viride, quod in puniceum mox ſe convertet, proxime in purpureum, atque ita deinceps in alia, poſtremo in atrum, à quo demum evaneſcit. Si quid rubrum aut viride conſpexerit, quicquid deinde ob oculos incidet, concolor apparebit. Si ociſſime in labentem amnem oculos conjiciat, ex ea vertigine quæcunque ſtant in littore moveri videbuntur. In aliis porro ſenſibus à validis ingentibuſque ſonis ſtrepitus relinquitur: à vehementi fœdoque odore, olfactus fœditatem aliquantum retinet; fitque in reliquis ſimiliter.

Ex aphrod de anim. c. 18. Gal. de diff. ſympt. cap. 3. de cauſ. ſympt cap. 8

Ex illis ad cerebrum commeare.

Jam vero ſenſuum inſtrumentis acceptę formæ illæ ſpecieſque rerum, mox per nervorum capacitates atque ductus vehente ſpiritu *in cerebrum commeant*: adeo ut quum ſenſus exterior rerum quæ foris ſunt occurſu pulſatur, interiorem pariter impellant & excitent illarum ſimulachra. Hæc enim ſenſus interioris objecta ſunt, in quæ is incumbit, quemadmodum externi in res externas ſibi objectas.

Ibi cognoſci.

Itaque ſpecies illæ rerum ab externis ſenſibus prætervehuntur & permeant in commune idemque principium, in quo ſita eſt primaria ſentiendi anima, huic ſenſus ſuis quique officiis omnia annuntiant ſpiritu invecta, quæ ante ſe poſita prima cognoſcendi facultate *comprehendit* ac percipit. Eſtque illius munus perceptio atque cognitio: quæ ſi fixa eſt, attenta & diuturna, *cogitatio* aut meditatio dici ſolet. Atque quanvis expers ea ſit corporis individua & una, quia tamen complurium poteſtatem habet, multa & varia cognoſcit, horum diſcrimina cernit, eaque tandem dijudicat. At nequaquam illa componit connectitque, ut ex eis verum aut falſum quicquam conſtituat, aut ullam argumentationem concludat: id enim ſolius eſt mentis & intelligentiæ, de qua mox dicetur.

Et de illis cogitari.

Distingui unum objectum ab alio.

Verum quæcunque comprehenderit ſimplicia & individua ſimulachra, aut ſeorſum *illa diſcernit*, aut temere congeſta, nulla copulatione, nulla complexione in acervum confert. Quo fit, ut actio ea qua vel gallina pullos primum cognoſcit, deinde diſcernit, vel ovis lupum inimicum prehendit, ſecretio potius cenſeri debeat, quam judicium aut exiſtimatio.

Et ſpecies illas in memoria aſſervari.

Sub hæc autem inſurgens & in opus erumpens conſervatrix illius facultas, ſuſcepta è ſenſibus ſimulachra amplectitur & continet, moxque tum propria vi & poteſtate, tum illorum adnixu & impulſu, *in cerebri corpore illa inſculpit* & conſignat, citra ullum materiæ veſtigium, ea autem diutius manent abeunte & ceſſante omni rerum cognitione. Hęc quidem eorum conſervatio quædam eſt memoria, quam frequens ſtabilit meditatio.

Iterum per phantaſiam apprehendi. Ex aphrod 1. de anim. cap. 19.

Spectra cerebro inuſta alias alia ſe magis minuſve *expromunt* & objiciunt animæ ſentienti, prout illuſtriùs obſcuriuſve impreſſa fuerint. Inter vigilias igitur quum externarum rerum turba & occurſatione primarius ſenſus non admodum diſtractus tenetur, tum ſimulachrorum ſtimulis agitatus in ea penitus incumbit, atque tum uſus, comminiſcendi illa & fingendi facultate, Græcis eſt *φαντασία*, illa quidem per ſe, & ut ſimulachra ſunt, obvertit, alias quidem ſimplicia & qualia fuerant inſculpta, alias commiſta atque confuſa citra ullam compoſitionem aut copulationem.

Neque

Nova fingi. Neque hoc tantum, sed ex illis quoque novas formas & simulachra *effingit*, quæ nunquam sensibus percepta fuerant, & in ea plerunque trahitur, quæ rerum natura & universi ordo non admiserit, ut in Sphinges, Hippocentauros, tricipites homines, atque in hujus generis monstra innumera.

Æstimari. Hæc eadem altius sese attollens, nonnunquam (ut ovis viso lupo) ex spectris horrendum quiddam & formidolosum comminiscens, *inimicitiam elicit* sensu non perceptam: at si delectamentum quoddam jucunde comprehendet, ut ovis conspecto benigno pastore, *amicitiam* suscipiet & inducet. Sic tamen illa fingens omnia commiscet & congerit, citra aptam compositionem, ex qua verum aut falsum elici possit, & citra ullam rationis complexionem, quæ serie quadam rerum & sententiarum ex aliis alias connectat.

Hæ quidem sunt beluarum functiones præstantissimæ, iis quodammodo respondentes, quas ratio & intelligentia in nobis efficit. Verum tamen quanto intervallo distent ab illis, palam & apertum fiet de sequentibus.

Ab actionibus autem discernentis facultatis hæ distant, & eo discrimine sejunctæ sunt, quod illæ sint comparationes & collationes quædam eorum quæ ex sensibus hausta acceptaque fuerant, hæ vero novæ sunt confictiones formarum, quæ sunt supra sensum, ab his ductę quæ aliquando sub sensum inciderant.

Et memoriæ tradi. Jam vero quum accidet primatem sensum sic derelicta servataque spectra contueri, ut non illa per se duntaxat contempletur, neque ex illis in novas effigies abeat, sed ex illis usus opera facultatis memorandi in res externas se referat, unde spectra illa prodierant, simulque percipiat se aliquando illas cognovisse, tum *meminerit earum*, eritque ipsa illius actio memoria, non illa quidem patiendi, sed plane efficiendi.

Eæ functiones sensus interni. *Ex Arist. de somno. cap. 1. Gal. 1. de sympt. caus. cap. 8* Eæ quidem sunt functiones omnes, quas primarius ille sensus & promiscuus inter vigilias facultatum suarum opera obit & exercet. At quando fieri non potest ut perpetua sit sensus agitatio, sed necessum est, quum spiritus vigiliis supra modum dispersiti fuerint atque dissipati, agitationis vigorem prolabi & quietem cessationemque suffici, tum procul dubio arctior *somnus obrepet*. *Ejus cessatio. somnus est.*

At quum multa corporei vaporis exhalatio vi caloris è vino & cibis in principem sensum efferetur, quod pueris & temulentis fere obtingit: aut quum larga frigidi humoris ejusque supervacanei copia superioribus sedibus se immiscuerit, velut in lethargo, ubi quasi nexu quodam & impedimento sic primus sensus offunditur, ut se minime possit extricare: somnus utique intercedit, & functiones omnes concidentes dejectæque, manus dant sopori. *Si arctior atque profundior somnus occupat*; non modo externi sensus, sed & interiores facultates consopitæ jacent, ut neque discernere, neque fingere & comminisci quicquam possint: nullamque in illas vim habet spectrorum trubulenta concursio. Unde tum *nullum insomnium offendit*, aut obversatur: eaque ratione statim à cibo non somniant animalia, neque quum primum egressa in lucem sunt, ut infantes. *Quæ si gravior, sopor.* *In qua nulla insomnia: Ex Arist. de insom. cap. 1. 2. 3. ut nec in leviori somno.*

Si vero contra accidat, ut *leviter quis obdormiat*, neque vaporis humoris ve copia discernendi comminiscendique vires obterat & præstringat, licet tum fortasse multa ante sensum visa, multæque motiones obversentur, eas tamen *insomnia non dicimus*, ut neque is vere somnus est, qui minimum à vigilia deficit. Quum enim hoc tempore & statu *incolumis sit & libera vis discernendi*, quæcunque tum simulachra vim illam fictricem exagitant & impellunt, internoscit & detegit, neque illorum errore trahitur: sed quum nocturna spectra occurrent, agnoscet tum se dormire, tum somnia ea esse quæ videntur, neque illis tanquam veris assensum adhibebit. Eodem prorsus modo afficiuntur, qui in leni nec profunda quiete, aut canum latratus, aut gallorum cantus excipiunt, de quibus tum quoque sibi somnia confingunt. *Si vis discernendi libera*

Cæterum dum ex causarum mediocritate sic placidus & *moderatus somnus* obrepit, ut *discernendi* quidem *vis offundatur*, fictrix autem facultas libera sit, nullisque quasi vinculis irretita, ex rebus quas vigilans gesserit, senserit, cogitaverit, *spectra plurima* in quiete *jactabuntur*, quę tanquam res verę sint dormiens intuebitur ac cernet. Vis enim discer- *Sin offuscata sit, insomnium est.*

discernendi tum vincta constrictaque non obsistit, atque iccirco ad ea quæ visa sunt quasi accepta sensibus veraque sint, assensum dormiens adjungit, nesciens se dormire. Atque id proprie somnium est, nempe *visum quod in quiete occurrit, tanquam verum sit existimatum*. Eadem propemodum ratio reddi potest eorum quæ delirantibus per morbos apparent.

Ex Gal. de præsag. ex insomniis. Insomniorum varietas ex corporis affectione provenit.

Cur autem & *unde accidat, ut tam multiplex & inaudita visorum copia obversetur*, & unde possit tanta illorum varietas trahi: non alio sane potest referri quam ad corporis humorumque affectionum variamque perturbationem. Affectio enim & comstitutio causa est ut in somniis atque deliratiobus, alii metuenda & horrenda terrorisque plena jactent animo, alii jurgia quædam furiosa & effrenata, alii delicias & voluptates plenas jucunditatis. Sic & perturbatio quæ corporis aut spiritibus aut humoribus obtigerit, causa est omnino ut spectra & effigies rerum vehementius agitatæ appareant, non quales veræ sunt, sed distortæ, præposteræ & portentosæ, quod frequens esse solet in temulentis, & in iis qui febre jactantur. Quibus autem quleta & tranquilla omnia consistunt, nec fluctuantia nec immoderate agitata, solidæ & incolumes à sensibus effigies se objectant, distincta digestaque somnia occurrunt, ad veri similitudinem expressa.

CAPUT XII.

Ut fiant appetitio atque morales actiones.

Ex Aphrodis. de anim. c. 20. Appetitus, id est ὁρμὴ καὶ ὄρεξις triplex.

APpetitio motus est & interior quædam agitatio, qua quod bonum est & utile quæritur. Quum autem, ut anima, triplex sit omnino, ea quæ naturalis appellatur cunctis rebus est ingenita, & nunquam separabilis semper illis insidet: reliquæ non item.

Causa quæ movent appetitum sunt vel interna.

Quæ sentiens & animalis dicitur, fit dum *appetitus* aut *ab iis quæ intus* sunt rebus *aut* ab iis *quæ extrinsecut* iruunt, *impellitur*. Res *interiores* sunt venereus ardor & stimulus in pudendis ortus ex semine: ventriculi maximeqxe stomachi exinanitio & immoderata siccitas: sanguis aut bilis in cordis sinubus effervescens. *Externæ* autem res sunt, quæcunque subjectæ sensibus illecebris & cupiditatum lenociniis eos prolectant & irretiunt.

vel externa.

τὸ ἐπιθυμητικὸν, id est libido quomodo fiat.

Itaque si in pudendis congesta est seminis copia, ea primo pruritum quendam & titillaiionem naturaliter invehit, hęc deinde sensum, mox vero interiorem sentiendi facultatem movet, non modo vigilantibus, sed & plerunque dormitibus nobis. Ab animadversione demum rei delectabilis ut appetitus impulsus fuerit, eam quam mox ardenter expetit, atque tum in conditionem stimulantis rei se convertens, *libidinem* parit, quæ ipsa est propria venereorum cupiditas & appetitio.

Cupiditas quomodo fiat.

Quum stomachus supra modum exinanitus tristi quodam sensu afficitur, comprehendens vis illa interior irritata, cibum & epulas concipit, illarumque spectra ibi obversat, quæ deinde appetitui oblata, eum invitant & alliciunt: hic demum concitus captusque rerum suavitate, in illarum desiderium fertur, & in eam cibi aviditatem irruit, quæ *fames* appellatur.

Fames.

Haud dissimiliter aridiore facto stomacho, *sitis* accenditur, quæ humidi frigidique desiderium, est. Utraque appetitionem, sitim inquam & famem, genus unum comprehendit, quod est *cupiditas* & cupedia.

Sitis.

Cæterum *circa cor bilis* aut sanguis effervescens, illud usque adeo incendit, ut odii, inimicitiæ, aut vindictæ imagines communi sensui objectet, quibus apprehensis excitatur animalis appetitus, qui cordis irritamento, compulsus in interiorem animi perturbationem, ceu bonum quoddam fit, incurrit: universum hoc appetitionis genus Græcis est θύμωσις. Quum porro rerum externarum blandimentis pulsatur vis illa interior apprehendens, mox in illarum desiderium communem sentiendi appetitum adducit, qui ardenti rei utilis desiderio ininflammatus, mox deinde peculiarem quendam appetitum irritat & illicit tanquam administrum, ut amborum communi concursu & opere appetitio proveniat.

Quomodo τὸ θυμῶδης, ira.

Quæ-

τὸ ἡγεμονικόν. *Rationalis.* Quæcunq; boni malive ſpecie nobis objecta fuerint, ea ſi *eam ratione* ſequimur aut fugimus, tum appetitio eſt rationis particeps: quum autem adverſus rationem incitamur vehementius,& delectationis vis eſt major quam rationis,tum contra mentis decret fallicitur appetitio quę ratione vacat.

Perturbationes quomodo excitentur. Primum igitur ab objectis illis turbido motu & inimiciſſimo mentis vitæque tanquillæ ratio concitatur & inflammatur, quumque illa ſe ſępenumero jactant inconſtanter, ut animi ſtatum conturbent, *perturbationes* inſunt.

Quomodo ægritudo fiat. Hæ autem cum jam diutius inveteraverint, & tanquam in venis medulliſque inſederint, tum morbi exiſtunt & *ægrotationes*, quarum omnium fons & veluti genus eſt intemperantia. Sic enim quum inſurgit vehemens vini appetitio, neque adhibita ratio hanc ipſam perſanat & reſtinguit, tum excitata jecoris & ſtomachi cupedia ſe ſatiat ebrietate, quæ ſi frequens erit, naſcetur demum ebrioſitas: hæc quidem ægrotatio eſt & affectio manens, illa vero perturbatio movens. Similiter ſolent cæteri intemperantiæ morbi enaſci, inhærere, & penitus inſeri.

ut à cauſis externis incitetur omnis appetitus. Sic jugi *formoſæ mulieris* intuitu & apprehenſione,communiſque illius & promiſcui appetitus incitatione, in teſtes & pudenda promotio fit & illapſio ſeminis ac ſpirituum: unde licet nulla prius ſubeſſet interior cauſa, tum nihilominus libido incenditur. Sic non modo homines ſed equi & beluæ, audito tubarum ſonitu ſtrepituque armorum, excandeſcunt, animique impetu rapiuntur.

Et quibus gradibus ira. Sic quum quis læſus eſt injuria, ejus apprehenſione vis animoſa cordis, quæ ejus eſt appetitus, Græcis dicta θύμωσις incitatur, quæ cum eam vindicare & ulciſci cupit, neque rationis manſuetudine lenitur, tum *ira* exardeſcit: hæc ſi mox deſiſtat, excandeſcentia dicitur: ſin inveterata ſit, odium: ſi acerbior, diſcordia: ſi ulciſcendi tempus obſervat inimicitia. Horum omnium offenſio contraria eſt verecundia.

Avaritia. Quum vehemens eſt de divitiis expetendis opinio, cordis appetitio non refrenata rationis liberalitate,in *avaritiam* effertur,cui contrariam offenſionem habet prodigus.

Quum denique maximi fient optimique judicabuntur honores, horum ſtimulis hęc vis inflammata, in *ambitionem* trahetur, cujus contraria eſt animi demiſſio & abjectio, mediocritas autem animi magnitudo. Sic quidem futuri boni opinione excitari ſolent cupiditates. *Ambitio.*

Cæterum futuri mali apprehenſio, ſi adeo vehemens erit, ut ſuperato ſpretove rationis imperio animus fortitudine non conſiſtat, tum *metu* conturbabitur: qui ſi malum propinquum eſt, timor: hic autem ſi permanet, formido: ſi laboris metus erit, pigritia dicetur: ſi valde concutiat, terror: ſi mentem de loco movet, pavor: ſi ultra proceſſit, exanimatio. His modis quæ cupiditas mala & contraria cenſuerit, ſolet effugere. *Metus.*

Ubi vero jam mala inſtabunt, aut ſperata bona non accedent, *animi* fient *ægritudines*: dolor quidem crucians, angor premens, luctus ex interitu, mœror cum fletu, lamentatio cum ejulatu, ærumna cum labore, afflictio cum vexatione corporis, ſolicitudo cum cogitatione, moleſtia permanens, deſperatio ſine ulla rerum expectatione meliorum. *Et quomodo ab illis. Ægritudines animi.*

Contra vero ſi potiatur rebus ſecundis, aut adverſis ipſe careat, *voluptate* perfruetur: hæc autem ſi placida eſt atque conſtans, gaudium dicitur: ſi profuſa & inanis, lætitia: ſi magis geſtiens, ſe efferens inſolentius, jactatio. *voluptates animi.*

Ex quibus intelligitur animalem appetitum unicum eſſe qui cupiditas appellatur, ſed dum ſingulis ſeſe accommodat, varias parit cupiditatum differentias, honoris, gloriæ & divitiarum ambitiones, quę ad & animi impetum referuntur, quaſque *Plato* ex corde naſci commemorat: quum vero corporis bona procurat, cupediam & libidinem exuſcitat, idque primum è jecore.

In qua bona feratur unumquodque genus appetitus. Unde quum tria ſapientiæ ſtudioſi bona ſtatuerint, alia corporis, alia fortunæ, alia vero animi: quumque omnis appetitio boni cujuſdam aut veri aut ementiti gratia fit, in idque referatur, quæ *ex jecore* ſurgit concitaturque appetitio, in *corporis bona* duntaxat irrumpit: quæ autem *ex corde* manat in *fortunæ* externis *bonis* verſatur: at quæ *animi* ſunt *bona*, hæc ſola *voluntas* appetituum regina conſectatur, de qua ſeorſum mox diſſeritur.

Caput XIII.

De Progressione & Tactione.

Ex Gal. 3. de loc. aff. cap. 7.

Appetitus porro incitat ad motum.

Quoniam vero una *appetitio* cuncta animantia *ad movendum impellit*, proximum his est ut de incessu atque tactione contemplemur.

A

Harum quidem operum facultates una continentur essentia, quæ in cerebri corpore collocatur: sed quæ tamen variis instrumentis usa: unicuique tum operi, tum facultati peculiare quoddam & idoneum accommodat. Non enim tutum fuerat essentiam illam *anima in cerebro* tanquam in arce positam, *in longinquis* & extremis *corporis partibus munia quadam obire, nisi satellitibus* & suarum virium quasi internuntiis uteretur.

Facultas autem in cerebro motum obit per instrumenta.

Quocirca in omnes sensus externos, in omnes corporis partes, quæ extra arcem illam & extra calvam positæ sunt, anima *spiritus emittit* tanquam administros & portitores virium quas à se diffundit, munus quamque suum expleturas. Interiores autem functiones & munera plene exequitur, citra ullum spiritus subsidium.

B

Itaque spiritus is vere primum censeri debet animæ instrumentum, quod ad externas functiones accommodatur: deinde nervi, mox sensuum organa & musculi. Quod magna quidem assidue fiat in motibus sensibusque spirituum dissipatio, necesse est magnam istorum vim & *ubertatem in arce contineri*. Eorum materia continenter è corde per carotides suggeritur, præparaturque in admirabili contextu, ac dein in choroide vi ambientis cerebri in animalem spiritum convertitur, qui priores ventriculos prorsus implet.

Præcipuum instrumentum est spiritus.

Cujus in cerebro copia continetur.

C

Ex his autem *in sensus & musculos, hac fere lege distribuitur.* Cerebri corpus jugi constantique agitatione, cordis more, ex se & sua sponte movetur, nunc se in amplum diffundens, nunc in angustum reducens: quapropter inter meninges inane spatium natura reliquit, quantum cerebri dilatationi conveniret. In eo motu dum cerebrum se contrahit, compressisque lateribus interiores sinus coarctat, spiritus *è prioribus ventriculis*, tum in posteriores: tum *in sensuum instrumenta profundit*. Dum autem sese latius explicat & aperit, ex contextuum arteriis vitalem spiritum, ex naribus aërem allectat & attrahit.

Qua motu cerebri ex anterioribus ventriculis.

In organa sensuum,

Hoc ipso temporis momento via quæ ex tertio ventriculo in postremum ducit, prorsus connivet, & ab insidente epiphysi, cui à verme nomen est, inter glutia concidente atque prolapsa intercluditur, ut nihil spiritus possit tum ex postremo illo sinu in medium remigrare. Contra vero accidit in cerebri contractione: epiphysi enim sublata, ipsisque glutiis amplius diductus, via patet liberior, qua spiritus ex tertio sinu in quartum influat. Quantum igitur cordi valvæ, tantum cerebro vermis & glutia conducunt.

Sic diffusi dispersique spiritus, irrigant implentque sensuum instrumenta: sic *postremus* ille *ventriculus* spiritu semper confertus est, qui levi quadam mutatione accepta in eam capacitatem illabitur & influit, quæ *per spinæ longitudinem* porrigitur. Excavata enim est tota hæc medulla medio intimoque ductu: & qui ab hac prodeunt nervi majores, suis ii quoque exortibus & initiis luculenter cavi sunt. Quocirca in hos etiam animalis spiritus è medulla defluens illabitur, qui demum in *extremas tenuissimasque nervorum fibras* diffunditur, tametsi hæ præ exilitate cavæ non sunt, neque ullam viæ productionem sustinent.

Et quartum ventriculum,

Et ex eo in spina medullam ac reliquos nervos labitur

Hoc igitur loco quam plurimi in quæstionem disceptationemque vocant & quærunt, *ipsane spiritus animalis substantia* dum motus sensusve instituitur, *commeet in nervos?*

Hanc quidem usque eo influere, dum manifesta sit medullæ & nervis capacitas, perspicuum quidem est, de quo etiam inter omnes plane constat.

At longius in reliquas partes dimanare, pauci admodum sibi persuaserunt. Quamobrem? Quoniam, inquiunt, hæ excavatæ non sunt.

Sua substantia.

Quasi vero spiritus, qui tenuissimus est, patentem alveum ubique desideraret, neq; sensim illabens possit nervos irrigare. Si ali-

alimentum quod nervos nutricatur & alit, in eorum substantiam irrepit & penetrat, si crassus & lentus humor, si pingue oleum instillatum penitus illos subit, quid causæ & est cur spiritus animalis, tenuis ille quidem ethereus, non possit omnem eorum substantiam quoquoversum pervadere? Quemadmodum igitur in nervos opticos oculorum, & in medullæ capacitatem, inque nervorum origines hunc illabi & influere sensus judicat, ita & eundem in reliquam illorum substantiam pertinere, hæc rationum momenta confirmant. Adde, intelligi vix posse qua ratione conveniens virium facultatisque distributio fiat citra vectorem spiritum.

Ac simul suas vires partibus largitur.

Quum vitalis spiritus in animalem commutatur, à cerebro ejusque meningibus novam speciem & *vires* novas assumit ascitque sibi: quas demum tanquam actionum opifices *in nervos* sentientes, tangentes ac moventes *secum provehit*.

Primo sua præsentia robur.

In his autem semper præsens adest, quoniam jugis illa quam commemoravi cerebri agitatio, eum assidue profundit atque distribuit. Quanquam vero semper in nervis dum sani sunt spiritus hic adest, non tamen necessario motum efficit, sed *nervorum duntaxat & musculorum robur* & firmitudinem tuetur ac continet.

Quidnam ergo aliud præter hunc spiritum, motionem sensumque conferet? estne hoc ipso quicquam præstantius?

Explicandum hoc planius & fusius est. Sensuum instrumenta nervique omnes & musculi, spirituum viriumque animalium continenti illapsu & aspiratione firmantur, simulque stabilimen & præparationem quandam ad obeunda munia assumunt: hoc certe argumento quod præpeditis obstructione quadam interceptis viis, velut in paralysi, non modo sentiendi aut movendi spes adimitur, sed omni prorsus robore dissoluto languescunt.

Mox sensum. Ex Gal. 2. de motu muscul. cap. 6.

Dum vero accepto spiritu omnia suo robore constabunt, bene instructa & composita erunt ad opus, & tum integre functiones suas obibunt: sed modo plane diverso. *Sensus* enim externus *perpessione* quadam percipit, quum subjectarum rerum incidentibus qualitatibus mutatur & afficitur. Non sic autem motus, sed sola actione is perficitur, nulla re extrinsecus irruente.

Et imperante voluntate motum.

Quum primum enim appetitus aut *voluntas* moventi facultati per nervos & musculos cum spiritu diffusæ *imperaverit*, in quamcunque illa partem intenderit, continuo illius movens facultas concita motum exercet & imperio paret.

Quod voluntatis imperium plerumque obscurum.

Est quandoque hoc *voluntatis imperium* promptum quidem & evidens, sed *plerumque obscurum usque* adeo ac tenue, ut nos prorsum fugiat, velut in oculorum & palpebrarum motu, in plerisque tum capitis, tum manuum gestibus, in dormientium respirationibus & corporis jactationibus, ad quas nihil aut minimum intenti videmur.

Nunquam tamen præcipua motus causa.

At quum paralysis artus occupat, quia tum nervi à spiritu & facultate destituti sunt, nulla vel efficacissima voluntas motum potest efficere. Ex quibus intelligi potest, *præcipuam motus causam ad spiritum & facultatem potius quam ad appetitum pertinere*, illucque refundi: & præter appetitum seu voluntatem, aliam propinquiorem atque conjunctiorem motus causam haberi. Hoc porro voluntatis imperium parum omnino efficax videbitur, nisi conatus quidam & *intentio animi* tanquam comes accedat. Non enim siquis velit aut oculos in diversa contorquere, aut omnes simul partes motibus impellere, aut sensibus omnibus pariter & perfecte quippiam percipere, omnia statim efficiat, etiam si bene valeant & integra sint instrumenta. Cujus sane hæc unica est causa, quod non potest animus omnia simul animadvertere, neque esse ad singula intentus. Ergo non sola voluntas satis est, sed animi quædam est intentio necessaria, quæ facultatem in particula alioqui sopitam & languidam concitet in opus.

Sed præter dicta animi intentio admodum est necessaria.

Ex Gal. 1. de motu muscul. c. 7. 8. 9. 10.

Ita motus spiritus musculum contendit, & cum eo partem contrahit.

Hæc autem facultas animalis, quæ vectore spiritu in quancunque particulam per nervum influxit à cerebro, dum voluntatis imperio & animi conatu intentioneque pulsabitur, motum faciet: primumque dum nervum ac *musculum contendet*, & in se ipsum firmius contrahet, *simul* eam *particulam adducet*, in quam inseritur, sive os est, sive membrana. Dum enim facultas musculum intendit & contrahit, simul & os movet in cujus caput inseritur, & totum membrum cujus id fundamentum est.

Ea tensio praecipua musculi actio est. Ergo contentio ea & *contractio propria musculi est functio*, extensio autem & relaxatio ceu remissio quaedam est: haec autem oppositorum musculorum est contentio. Laborat musculus quoties impendio aut contrahitur, aut extenditur: neque membrum citra laborem & defatigationem diu multumque extendi potest aut contrahi.

Et Tensionis illius relaxatio tantu in figura media est. Ea autem duntaxat *figura* & constitutio, quae inter extremas exquisite *media* sit, & in qua *musculi* omnes *quasi dissoluti cessant*, prorsus lassitudinis & doloris est expers.

Quocirca dum vehementer tensum aut A contractum membrum est, ut in brachii porrectione, licet id tum fortasse fixum sit, nec de loco aut statione sua decedat, moveri tamen dicimus, quatenus laborat & operatur, idque frequentius cum dolore. Quinetiam quae media figura dicitur, si cum intentione omnium musculorum immobilis continebitur, quia tamen ad postremum, laborem affert, in quiete non est, sed motu & labore concutitur. Ejusmodi *motus* est, qui *tonicus* appellari solet, ei similis quo avis alarũ nisu uno eodemq; loco quasi subnixa se diutius immobilem sustentat. *Alias etiam rigido membro motus tonicus.*

Caput XIV.

De Mentis Functionibus.

Ex Aphrod de anim. à. ca. 21. usq. 30.

Mens instrumento non indiget. Ejus *partis animae* quae *rationis* atque consilii *particeps* est, sic omnes intus abditae functiones delitescunt, ut nunquam foras & in apertum se dent, *neque ullius* illa aut externi aut interioris *instrumenti egeat subsidio*: sed quum sit omnis expers materiae, in eas duntaxat res incumbit, quae neque in materia subsistunt.

Illi subjecta sunt phantasmata. *Subjecta* enim *illi* sunt ea *rerum simulachra* quae supra dixi in principe sensu conservari, & quae verae sunt rerum notiones perceptae sensibus.

Hae quidem in mentem & intelligentiam altius penetrare non possunt, quia tametsi sine corpore sunt, materiae tamen impurum quiddam redolent: sed mens quae ex duplici intelligentia tum agente B tum patiente condita est, dum illas *agentis vi* & impulsu contuetur, puras, individuas atque *simplices ex iis rerum* singularum *notiones elicit*, quas dein *patiens intelligentia continet* atque servat. *Ea depurat agens.* *Recipit patiens intelligentia.*

Non sunt hae quidem simulachra atque spectra rerum externarum, sed *alia quaedam* ex his tractae atque conceptae animi notiones: est enim notio, actus mentis & animi è subjecto simulachro ductus. Itaque agens intelligentia tanquam architectus quidam & fabricator est notionum: has autem omni materia liberas & exutas suscipit, & continet patiens intelligentia: neque tamen ab eis quicquam patitur, sed in earum materiam quodammodo transit. *Qua depuratione novas notiones facit.*

Haec igitur quia rerum omnium notio- A nes erat acceptura, omnium capax formarum, peculiarem nullam formam obtinuit, ne haec una caeteris formis tanquam peregrinis & adventitiis aditum intercluderet.

Hinc recte animam seu mentem formarum omnium praestantissimam atque summam appellaverunt, quod una reliquas omnes cernat atque percipiat.

Caeterum non in illis duntaxat singulis versatur & consistit, sed in notionum quasi sylvam ingressa, *ex singulis universales quasdam colligit*: neque ex his modo, sed è singulis etiam rebus quae nobis obversantur, universales formas à materia divellit & exuit, propriamque essentiam ab ipsis quibusque rebus discernit. *Notiones generales colligit.*

Ea est simplicium notionum tum singularum tum universalium ratio, in quibus veritas aut falsitas nulla versatur. Ad has porro quum mens componendi facultatem adhibebit, temporis copulatione interjecta, plurima *apte componet*, in quibus veritas aut falsitas jam est. *E quibus Compositio.*

Deinde vero de compositis istis planum *judicium proferet*, hoc aiens bonum esse, illud inficians esse honestum: in quibus ut quaedam recte dijudicat, sic plerunque dum distorta & falsa pro veris sumuntur, judicii error incidit. Hanc ut judicandi ita discernendi functionem possis appellare, sed quę tamen multo sit ea praestantior, quam communis sensus proferebat. *Existimatio seu judicium.*

Mens porro se *ad ratiocinandum erigens* & excitans, ex illis plurima admirabili eoque libero *Ratiocinatio: idque*

vel inductione vel argumentatione. Unde nascuntur.

libero contextu complectitur & colligit, & colligit, *aut inductione aut argumentatione*.

Nam ex singulis primum tanquam ex quibusdam exemplis universalia inducit theoremata, communesque rerum & generum summas. Ex his deinde argumentatione plurima comparat, de quibus scientia habetur vel opinio.

Scientia, Opinio.

Si ex necessariis principiis atque theorematis argumentum concluditur, *scientia* fit, quæ ipsa necessariorum duntaxat & æternorum est: sin vero ex probabilibus, *opinio*.

Et ex illis contemplatio.

His jam partis interdum mens & intelligentia nostra non ultra progreditur, sed *infixa in* eorum *contemplationem*, illic tanquam in extremo consistit, quid in illis verum falsumve sit perspiciens, his saturata bonarum cogitationum epulis. Ea est quam contemplantem intelligentiam appellant, B quæ maxime & duntaxat circa res est universales, necessarias & sempiternas, quæ eædem admirandæ sunt, difficiles atque divinæ. Habitus quo hæc efficit & facultas sapientia est, ejusque functio studium est sapientiæ, quod qui colunt sapientes appellantur, quoniam propria commoda negligentes, æternorum contemplatione vivunt.

Praxis.

At vero quum mens intelligentiaque nostra in rerum caducarum & fortuitarum cognitionem consequutione quadam & progressione adducetur, si in illis non prorsus inhærescat, neque illarum contemplatione tota teneatur: sed jam cognitum habens & compe-tum illas posse mutationem subire, quærat & investiget, moliaturque ad quandam hominum commoditatem C & usum illa referre, tum sane *practica erit intelligentia*, quæ tota in actione versatur, omnesque ratiocinandi progressus in hominum commoda tanquam in finem supremum dirigit.

Circa prudentiam.

Ut autem hominum bona alia præstantiora sunt, ut rei domesticæ aut publicæ administratio, alia his viliora: ita vis intelliegns in illa aliter atque in hæc incumbit. Nam *prudentia* facultate, præstantiora illa tractat, & in hominum commoda fructusque refert. Quæ quoniam commutabilia sunt & opinione dubia, de illis consilium captat, consultat, deliberat. Atque si non hebes est, sed sagacitate pollens ac solertia A (quæ perspicax quædam est prudentia) boni atque honesti desiderio tenetur, non festinanter & cito quasi auguratione quadam, sed recta ratiocinatione & investigatione accurata multo maturoque tempore, quodcunque bonum in consultationem positum est, assequitur: atque ea bona est consultatio ex prudenti sagacitate genita, mala vero consultatio, si quid horum econtrario accidat. Qui ad bene consultandum aptus idoneusque fuerit, quo aut publica bona aut privata augeat atque moderetur, is omnino prudens censebitur: contra vero imprudens, qui non poterit recto consilio bonum finem prospicere atque consequi.

Circa artes.

Cæterum quum agens illa practicaque intelligentia quæ conceperit noveritque theoremata, non ad bene beateque vivendum, sed ad vilius quoddam opus *artificium* refert: hoc si bono consilio & maturo rectaque ratione facit, arte quidem facit: quę ipsa certam rationem atque viam præbet operis faciendi.

Mox voluntas eligit.

Quid demum consequitur? Ubi practica intelligentia prudentiæ bona consultatione hoc illudve agendum esse deliberaverit, quia bonum & utile: aut ubi artis bono consilio statuerit opus quoddam subeundum faciendumque, quia item utile: tum sane *rationis participem appetitum* movet allicitque. *Is* demum *quidquid bonum* existimatum est *eligit*, idque non simplici & pura voluntate, sed ea quæ bono consilio & deliberatione confirmata est. Hæc autem tantæ est efficacitatis, ut quæcunque bonorum specie agenda faciendave selegerit, illa mox persequatur & perficiat, & idcirco una videri potest omnis actionis effectionisve causa atque principium: contra si quicquam rejecerit tanquam noxium & infestum, mox illius fugam arripiat.

Vel pessima.

Ergo cum quippiam nobis occurrit quod arrideat & jucundum sit, si continuo ut pecudes illius lenocinio, nulla deliberatione prægressa trahimur, simplex ea voluntas est: quæ si incontinentes sumus, sæpius à bruto appetitu prævalente lacessitur & evincitur. At vero si consultatione adhibita nectemus multa & conferemus invicem, ex quibus colligimus, hoc aut si illud fit, mala multa impendere, tum

Vel optima.

sane

sane id effugimus & declinamus, quod primum oblectamenti speciem præ se ferebat.

Hæ sunt omnes intelligentis animæ mentisque functiones, ad earum imitationem explicatæ, quas sentiens anima protulerat.

Præter has mentis functiones nulla in ea phantasmata servantur.

Quid omnes dico? *nonne* insuper illa tum *meminit* tum reminiscitur.

Meminit illa quidem, atque ad usum memoriæ eas quoque universales notiones revocat, quæ intelligentia menteque capiuntur. *Nulla* quidem *generum aut formarum haberi possunt spectra* & simulachra, quæ in mente aut in communi sensu quasi sopita serventur, & quæ aliquando posthac mentem ipsam & intelligentiam denuo concitent: sed à generibus atque formis solum notiones emergunt, quæ semper intelligentiam movent & impellunt, & quæ in sola mentis contentione consistunt. At simulachra, ut quæ ab individuis duntaxat eliciuntur, omni animæ conatu actioneque sedata & prorsum anima quiescente servantur.

Sed per phantasmata sensus mens novas & similes præcedentibus elicit.

Sic autem mens & intelligentia meminit. Quum notiones illæ generum aliquando disperditę evanuerint, singulorum *simulachra* ex quibus illæ haustæ conceptæque fuerant, & quæ sensus communis retinet, *rursus intelligentiam incitabunt* & impellunt, *ex quibus* illa *similes* atque olim generum *notiones eliciet*. Hæ dum in mentem veniunt, si preteriti temporis ratione suscepta, mens pariter sentit se illas prius tenuisse atque novisse, id profecto est intelligentiæ memoria. Quocirca mens aut intelligentia non per se atque primum meminit, sed principis sensus interventu atque auxilio: in *quo*, ut inquit *Aristoteles*, *memoria per se & primo inest, non sic autem in mente.*

Lib. de memoria. c. 1.

Quandiu itaque constans & dilucidum erit externæ rei simulachrum, id è principe sensu mentem impellens, *memoriam rei à qua ductum est poterit excitare.* Quod si non universum id retinebitur, sed vel temporis diuturnitate, vel morbo, vel alia quavis injuria pars deleta est, pars vero tam pusilla reliqua est, ut neque animum ciere, neque rem externam repræsentare integre possit: tum profecto illius periisse memoriam dicemus. Cæterum si pusilla ea pars tanquam origo & seminarium quoddam poterit vel minimum excitare & proritare, hæc confestim contextu & serie in proximum & affine quippiam migrabit, mox in tertium, deinde in aliud, donec admirabili rerum continuatione & serie pristinam cognitionem capiat.

Ita recordatur.

Hoc quidem modo mens reminiscitur, ipsaque illius actio recordatio est, collapsæ memoriæ revocatio. Hæc idcirco non beluarum, sed *solius est hominis*, quod non nisi connexione rerum & ratiocinatione quadam comparetur. Neque etiam beluis proprie inest memoria, quod præteriti & futuri temporis perceptionem nullam habent, sine qua meminisse non possumus. Quæ bona aut mala jam sæpius senserunt, agnoscunt illæ quidem, sed tanquam præsentia sint, nulla elapsi temporis observatione. Neque enim apes neque formicæ, quæ alimenta sibi in hyemem recondere putantur, in futurum prospiciunt: verum ea solius est naturæ quædam inconsiderata nec pręmeditata molitio.

Quare id solius hominis est.

Mortuis nobis statim *omnium rerum* quas in vita cognovimus *memoria deletur*: quoniam hæc ex communi sensu pendebat, qui ipse patibilis est, & pereuntibus nobis simul occidit: quare ab illo sejuncta mens immortalis, illiusque subsidio destituta præteritorum meminisse non potest.

Et in hac vita.

Est ubi *Aristoteles* communem sensum fusa nominis appellatione intelligentiam appellat, eamque patibilem & quæ in nihilum occidat. *Non recordamur* (inquit) *ab occasu, quia intelligentia quæ patibilis est extinguitur, sine hac autem nihil intelligit separata illa mens impatibilis & immortalis.* Idem alio loco, *Amare, odisse, affectiones continentis, non illius sunt quatenus ipse est: quapropter continente corrupto neque meminit, neque amat, quia non erant illius hæc, sed communis quod jam periit.*

3. de anima.

1. de anima.

Mens illa & simplex nostra intelligentia, quum è corpore discesserit, patiendi ratione deperdita, alteram duntaxat agendi vim conservabit. Non enim tum ea sensuum ministerio indigebit, neque ab his haustas rerum notiones suscipiet quibus cognoscat: sed *ipsa per se omnia spectans* nihil aliud quam merus erit actus, à sua simplici natura id obtinens, ut tum se aliaque intelligat, tum intelligatur à se. Ea neque componit quicquam aut dividit,

In futura vita, è phantasmatibus non ratiocinatur, sed omnis ipsa intuetur.

vidit; neque ulla connexione ad rerum cognitionem accedit, sed formas rerum omnium in se continens, una comprehensione simul aggreditur & intelligit omnia. Unde semper intelligit & intelligitur à se, nunquam defatigatione ingravescit, tota æterna & immortalis.

CAPUT XV.

Principes Animæ facultates non esse sedibus distinctas.

Cont. Avicen. f. 1. l. 1 d. 6. cap. 5. Galenus 4. de loc. aff. cap. 2.

Quidam facultates harum functionum autores sedibus discludi arbitrantur.

Liberanda hic postremo fides est, quam supra dedimus, dum quæstionem illam explicare sumus polliciti, *nunquid fingendi, ratiocinandi & memorandi functiones discreta sic habeantur*, ut unaquælibet lædi depravarique possit, aliis ne vel minimum quidem offensis.

Id quidem omninò fieri posse *quamplurimi* sibi persuaserunt, simplici quadam ratione, eaque non plane comprehensa. Ajunt enim eos qui febre jactantur, nonnunquam floccos & paleas evellere, monstrosa visa obversari, esseque in his simulachrorum comprehensionem, ipsamque *fictricem* facultatem *offensam constante ratione* ac judicio, quo hæc plerumque agnoscunt ac judicant falsa esse ac mendacia: quemadmodum & dormientes quæ vident in somnis sæpe judicant non vera illa, sed commenta, somniorum esse. In his igitur læsa est confictio & phantasia, salva & constante tum ratiocinatione tum memoria. Alii in delirio perversè judicant & ratiocinantur, qui tamen & familiares, & quæcunque obversantur agnoscunt, satisque præteritorum meminerunt: in quibus constat rationem turbari reliquis duabus illæsis. Ex his statim concludunt, isthæc obvenire non posse, nisi quæ effectrices earum sunt facultates, locis sedibusque disjungantur.

Gal. de diff. sympt. cap. 3.

Quod una functio sine alia lædatur.

Quum firmissima sit hæc eorum ratio, experiamur, si possimus ejus cornua summovere, ut hac minuta controversia quid lateat veritatis fiat perspicuum. Philosophorum id quorundam authoritate celebrari video, similem imo & eandem animę essentiam cunctis inesse hominibus, neque in hoc quam in alio uspiam perfectiorem inveniri, quod omnino simplex & individua sit, cui nihil addi minuive potest, quin speciem mutet. At nihilominus simplex illa in hoc quam in alio facultates exhibet perfectiores, & alias expeditius, alias segnius functiones edit. Ita quippe alios natura animadvertimus cogitatione & ingenio valere, quibus infirma est memoria atque ratiocinatio: alios tum rerum tum literarum memoria præstare quibus nihil aut minimum sit rationis ac judicii: alios solidò ac bene naturali esse judicio, quorum non æque prompta sit cogitatio, aut firma memoria.

Verum functionum varietas à diversitate temperamenti provenit.

Has autem facultates varias efficit non animæ essentia, sed *corporis & instrumentorum ejus varia constitutio*, ex temperamento & conformatione contracta: horum quippe conditionem animæ facultates atque mores sequuntur. Neque vero insita solum & congenita nobis, sed & adscititia constitutio animi facultates moresque mutat: & corpore puro omnique sorde vacuo candidi sunt mores vegetæque animi vires: impuro autem & sordibus inquinato perturbati mores & hebetes vires animi. Quod tam multa tamque varia sint hominum ingenia, tamque dispares eorum mores, alii sobrii, alii vinosi, non aliunde petendum, quam ex corporis aut naturali aut adscititia constitutione. Jam vero si corpus gravius morbo conflictabitur, quis dubitet occupata impeditave animi sede illius vires graviter aut impediri aut perturbari? Si corpus spiritusque vehementer concutitur, ut in febrium ardoribus, mens constare non potest, sed concita turbido motu commovetur. Sin vero corpus morbo prosternitur, animæ vires pariter elanguescunt, neque laboranti integræ possunt consistere.

Quare hoc temperamento vitiato, hæc functio, alio alia vitiatur.

His ita ad rem subjectam constitutis non difficile sit adversariorum rationes diluere. Dum anima turbulentis ita causis concutitur, ipsi quidem fatemur non protinus omnes peræque illius facultates offendi. An idcirco necessum videtur sedibus illas discludere? Minime. Undenam igitur hæc *affectionum varietas*? Quæcunque facul-

facultas natura aut vitio infirma existit, irruentibus causis minus obsistit promptiusque offenditur: quæ vero firma est ac valida, minus offensionis & jacturæ suscipit. Quum itaque levior erit deliri perturbatio, cui comprehensio fictiove infirma erat, is sola comprehensione delirabit, multaque aliena cogitatione finget: cui vero judicium invalidum fuerat & imbecillum, is duntaxat præpostere judicabit & ratiocinabitur. Quum autem vehemens incidet delirii perturbatio, omnes pariter principes facultates pervertentur, alias pari jactura, alias dispari. Non absimilis est in cæteris facultatibus ratio: quum enim in illas adversa vis peræque irruet, imbecillior quidem prosternetur, validior obsistet irruenti injuriæ, etiam si eadem sede consistant. Itaque ex levibus assumptionibus nec plane cognitis rationem suam conclusêre, qui cogitationem, ratiocinationem ac memoriam sedibus atque instrumentis sejunxerunt. Indignum erat Philosophi gravitate atque constantia, quod non satis explorate perceptum fuerat & cognitum, sine ulla dubitatione confirmare.

De animalibus functionibus hæc tradidisse satis: nunc de vitalibus, quibus pulsus & respiratio assidet.

Caput XVI.

Calorem nostrum perpetuò refrigeratione, pabulo & expurgatione indigere, alioqui extingui ipsum & extabescere.

Ex Galeno de us. respir. cap. 2.3.4.

Calor viventibus copiosus inest,

SIC eximia & illustris illa rerum natura tulit, *omnia quæ aluntur* & quæ crescunt, *contineant in se vim caloris*, sine qua neque ali possunt neque crescere: inter hæc vero animantes, quarum quam stirpium perfectius erat vitæ genus futurum, uberiorem hunc acceperunt, cujus nimirum temperatione vitæ status omnis conservaretur. Rursum in animantibus quæcunque sanguine præditæ sunt, hoc ipso amplius circumfluunt & abundant, quam quæ sanguinis sunt expertes.

Qui aere continuo indiget.

Hic autem noster calor quanquam æthereus, frigidi tamen *aëris appulsum continenter desiderat*, cujus defectione mox prorsus extinguitur. Ut enim flamma medicis cucurbitulis aut angusto conclavi coërcita marcescit, ita & quum animanti fauces præcluduntur, obturanturque omnia cutis spiracula, quam mox caloris sequitur extinctio.

Tribus de causis.

Hujus quidem *causa triplex*, quod denegata sit refrigeratio, quod idoneum deficiat pabulum, quod offusus aër nullus sit, in quem fumosa ignis calorisve excrementa pellantur aut erumpant. His enim tribus de causis consequitur caloris interitus & extinctio, quandoquidem is trium contrariarum adminiculis ex necessitate indiget.

Vt refrigeretur.

In balneis, in caldariis & in æstu vehementi, qui nos regit & moderatur calor, idcirco languet & extabescit, quod frigoris occursatione nequaquam reficiatur. Qui enim nos circumsepit *æstus* si immoderatus est, haud secus calorem atque lucernæ flammam foras evocat prorsusque *dispergit*, nihil aut certe perquam exiguum illius reliqui faciens: hinc virium infirmitate tentamur & affligimur, intabescimus, & ad extremum vitam cum morte commutamus. Contra frigus moderatum & æquabile perinde ut flammam, ita & nativum calorem continet & à dissipatione tutatur: tametsi immensum & immodicum frigus si diu multumque adest, flammam & calorem ad materiam intro reprimens, æque ut adversus calor vitam eripit.

Neque nos ambiens calor ex eo duntaxat quod interiorem nostrum dissipet, offensionem affert, verum hinc etiam quod *neutiquam refrigeret*, imo vero cor & interiora viscera magis inflammet, unde propria illorum substantia consumitur & in perniciem agitur. Tale quiddam manifestius infert calidus fervidusque aër diutius inspiratus. Eadem ex causa in pauco eodemque aëre continenter & assidue versati suffocamur, æque ut in aqua modica pisces. Qui enim exiguus est aër, reddito spiritu facile concalescit, ut deinde nequeat refrigerationis auxilium præstare. Quin etiam motio vehementior, æstus aut balnearum ritu, innatum, calorem diffundit, disperditque; moderata hunc conservat & excitat; quies

quies autem sopit, & ignavum inertemque reddit: quemadmodum mediocris ventilatio flammam auget, nimia dissolvit. Cæterum neque in balneis, neque in solis ardoribus calori deest alimentum, sed hac unica causa extinguitur is & occidit, quod frigoris appulsu non recreatur.

Inspiratio potius quam ab ambiente.

Ut autem respirationis major injecta corpori necessitas est quam transpirationis, ita *hausti frigoris commoditas major* est, quam nos undique cingentis. Ex quo fit ut qui ex lebete calidum aërem spiritu trahunt, etiam si reliquum corpus frigido aëre circunfunditur, celerius extinguantur & intereant, quam qui in hypocausto constituti ore atque naribus frigidum aërem ducunt.

Ut refocillentur.

Porro autem ob *alimenti egestatem* is vitam amittit, cujus os & nares vel fauces præcluduntur: non modo enim refrigerationis defectio, sed ejus maxime pabuli inopia premit, quod caloris substantiam conservat. Id quidem planius declarat corpus quodcunque in frigidam demergitur: mox enim id suffocatur & perit, nisi aëre & respiratione juuetur, non quod à refrigeratione, sed quod ab idoneo caloris & spiritus alimento destitutum sit.

Ut ventilentur.

Quum quis autem plurimo attracto aëre eoque frigido hunc universum sic pulmonibus comprehendet, ut nihil deinde illius exspiret, eum profecto tandem extingui & è vita discedere necesse est: non alimenti penuria, ut quod copiosum insit & abundans: non refrigeratione prohibita, quod frigidus sit aër, qui pulmones & cor potuit vel immodice refrigerare. Quænam igitur tum relinquitur interitus causa? Ea nimirum *quod fumosa insiti caloris spiritusque supervacanea non reddantur:* atque ut flamma à crasso multoque fumo, ita cor ab illis immoderatè congestis opprimitur atque strangulatur. Hujus id esto indicium, quod qui sic graviter vehementerque affliguntur, exspiratione allevantur recreanturque, estque ea tum illis unica medicina, quæ suffocantes halitus atque fumos ejecit.

Sed ut terrestria animalia aëre.

Has tres causas ad insiti caloris, & ad omnium *terrenorum animantium* custodiam condonatas, ambiens nos aër in se unus continet, si tum qualitate tum substantia mediocritatem quandam acceperit.

Ita id aquatilibus aqua præstat.

Aquatilia autem non aër, sed aquæ humor tuetur, ut qui refrigerationis usum & commoditatem illis suppeditat, nisi quum immodicè exardescens robur eorum adimit, omnibusq; orbat viribus. Ab humore nonnihil etiam vaporis & halitus pro caloris spiritusq; pabulo trahunt, in quem commodè fumosa caloris supervacanea depellunt.

Ob caloris varietatē.

Id inter animantes discriminis peperit innati caloris varietas: quum enim in terrenis animantibus multo sanguine eoque puriore præditis, copiosus & uberrimus sit vitæ calor, celeri quidem & prompta refrigeratione atque nutritione indiget: quæ sane aër facile confert, quia levitate subtili celeriter in omne corpus penetrat, moxque partibus singulis præsens est & obvius. At vero pisces, quibus multo minus tum caloris tum sanguinis inest, cum non æquè subito tantum refrigerii desiderent, solius aquæ contagione appulsuque satis commode sustinentur.

CAPUT XVII.

Pulsus & respirationis usus: utque inter se distent.

Ex Gal. de us. respir. cap. 2. 3. 4. & de us. puls. c. 3. 4.

IN ea corporis parte quæ immensa æstus ac caloris vi quodammodo effervescit, natura gubernatrix, & quasi magistra animantium, vim posuit cientem agitantemque motionibus perpetuis, cujus tamen impetum reliquæ etiam corporis partes minus calidæ percipiunt, ut in quas fundi ac dimanare solet.

Ea est vis & *facultas qua cor suis motibus exagitans aërem idoneum* in id ipsum *rapit*. & ab eodem excrementa quæ plena sunt fuliginis, foras expellit. Eadem ex corde per arteriarum corpora pervadens illas distendit atque demittit, ut partes in quas distributæ sunt, frigore reficiantur, & earum supervacanea foras pro pulsentur.

Quandiu ergo harum omnium partium ingeneratus calor moderatus erit, isque exiguus, hunc quidem satis conservare videbitur *arteriarum pulsus*, quem eo nomine incredibiliter natura machinata est. Vis enim quæ à corde initium ducens per arte-

arteriarum tunicas demittitur & influit, illas quidem eodem modo ac eodem tempore atque cor attollit & summittit.

Quod dilatatæ arteriæ aërem trahant. *Cum attolluntur* ac dilatantur, sese suaque spiracula aperiunt, & undique ad se tum ambientem nos aërem, tum proximi sanguinis tenuem portionem trahunt. In his enim communes transitus existunt per tunicarum spiramenta & oscula, alii in cutem, alii in intestina & viscera, alii in venas, hoc indicio quod vulnerata magna arteria universus animantis sanguis profunditur.

Constrictæ fuliginem expellunt. *Cum* vero *summittuntur* atque contrahuntur, fumida & halituosa supervacua, quæ ex humorum & spirituum ustione proveniunt, tum in cutem, tum in alias partes expellunt.

Sic igitur perflabile corpus est, & arteriæ suo pulsu tum ex omni parte trahunt, ut nativum calorem conservent, tum in omnem partem transfundunt, ut eum ipsum ab omni eluvie liberent & expurgent.

Data & respiratio. Cæterum cor quod calore ingenti tanquam flamma exardescit, non satis commodè potest arteriarum pulsatione conservari, sed majore quodam adminiculo *quasi flabello indigebat*: cujusmodi in his animantibus quæ multo sanguine & calore vigent sunt pulmones, in piscibus vero branchiæ. Dum enim cor ardoris incendio flagrat, nec satis valet pulsatione agitationeque sua refrigerationē consequi & sibi adsciscere, tum temporis pulmones ipsamque sentiendi vim premit & irritat, efficitque necessitate quadam, ut movendi facultas diaphragma & thoracem hincque annexos pulmones, crebro tollat deprimatque.

Qua & similiter aër trahitur, & fuligines expelluntur. *Dum* autem *pulmones attolluntur*, in eos tanquam in follem spiritus adducitur, redditur vero, *cum deprimuntur* & concidunt in sese. Hoc igitur modo qui inspiratione haustus est frigidus aër, celerrime ad intima quæque penetrat, iisque refrigerationis commoda subministrat. Ut vero reliquarum partium calorem arteriarum pulsus, sic cordis ardorem inspiratio temperat, eundem purgat exspiratio, fumosa excrementa propellens.

Quocirca inspirationi rectè comparatur diastole, exspirationi systole. Ergo unius ejusdemque usus causa *respiratio & pulsus* dati sunt animantibus: hoc solum *distant* & dissident, quod illa ab animali facultate, hic autem à vitali manat: *hic continuus* est neque interruptus, extra omnem arbitrii nostrii potestatem, *illa* plerunque cessat *libera* quidem & in nostra potestate. *Ex Gal. 2. de motu musc. ca. 6. Respiratio & pulsus differunt. Præcipue quod hic continuus.*

Quod enim respirationem excitare possumus cum volumus, & eandem crebriorem aut rariorem, tardiorem, aut velociorem reddere, contraque sedare & cohibere cum volumus, apertè commonstrat eam B esse motum voluntarium, nostroque subjici arbitrio. Non sic autem motum cordis & arteriarum, quem nec excitare, nec sedare sed ne mutare quidem aliter possumus etsi volumus. *Illa voluntaria.*

Respirationem prorsus continere & cohibere arduum in primis est & difficile: quod si exiguo quodam tempore aut certa mensura, non tamen perpetuo possumus. Quocirca *non illa* similiter atque ambulatio aut locutio *prorsus est libera* & in nostra potestate sita, sed quadam affectus necessitate ducitur & incitatur. *Non tamen prorsus libera.*

Erunt igitur in motibus voluntariis alii C prorsus & absolute liberi, quos quoties & quantum volumus impellimus, nulla ad id nos urgente necessitate. alii liberi quidem, sed *à quibusdam corporis affectibus incitati* atque lacessiti, quod genus sunt respiratio, urinæ & excrementorum alvi retentio. Fiunt hæ quidem ab animali facultate, idque musculorum beneficio, unde & arbitrio nostro fieri dicuntur: cæterum quoniam multa plerumque actiones illas perturbant, magnaque necessitate lacessunt, non quantum & quomodocunq; volumus, illas complere possumus. Quare quanquam liberæ sunt & voluntariæ, non tamen absolutè sed corporis affectibus subditæ. *Et quare.*

Caput XVIII.

Qua Ratione fiant Respiratio atque pulsus.

Ex Galeno de caus. Pulsatio tum cordis, tū reliquarum partium calorem fovet: sed & cordis calorē respiratio cōtinet, ad quā pulmones planè accōmodati sunt & à natura contributi.

Hujus

Hujus quidem efficiens causa est, libera illa & *voluntaria facultas*.

Instrumenta, partes thoracis. Cui *instrumenta* præstò sunt, diaphragma & *thorax* variis musculis agitatus, tum iis qui inter costas positi sunt, tum iis qui extrinsecus sunt adhibiti, interdum & iis qui sunt in abdomine. Est & aspera arteria respirationis via, & pulmo receptaculum materiæ, quam inducimus.

Materia, aër. *Materia* vero *aër*, qui tum per os tum per nares attrahitur.

Itaque movens illa & voluntaria facultas, dum ardoris necessitate tanquam stimulo impellitur, musculorum ope thoracem, simulque quadam consequutione pulmones distendit, qui leves atque rari facile sequuntur quocunque ducas. Dilatati autem necessariò implentur levi quodam B profluenteque corpore per asperam arteriam irruente, cujusmodi maxime est ambiens nos aër. Compresso autem thorace unà pulmones demittuntur, & qui in illis supervacuus est spiritus per arteriam excluditur.

Naturalis respiratio à solo diaphragmate fit. *Si modica ad respirandum* astringimur *necessitate*, huic obeundæ unum certe *diaphragma sufficerit*, quod deorsum impulsum pulmones secum adducens leviter attollit, reductum autem eosdem comprimit colliditq;.

Violentior adjuvantibus musculis intercostalibus. Sin autem *gravior* urget *necessitas*, præter diaphragma thorax modicè attolletur, eorum musculorum ope, qui inter costas positi interiorem sedem habent: contrahetur autem sua ipsius gravitate concidens in mediocrem naturalemque situm.

Violentissima omnibus musculis. Cum autem *maxima* sit inspiratio, illis omnibus actionem suam conferunt ii musculi, qui thoraci extrinsecus incumbunt, & quos maximè ab humeris ad thoracis superiora derivari diximus, omniumq; uno impetu atq; conatu thorax plurimũ distẽditur.

Plurimum autem contrahitur in vehementi exspiratione, qualis est appellata exufflatio, ita quidem thoracem infra naturalem situm comprimentibus iis musculis, qui inter costas positi exteriorem sedem habent, suffragantibus etiam aliis qui extrinsecus thoracis inferiora tegunt. *Ex Gal. 7. de usu partium c. 1. 9.*

Ita inspiratione aër totum thoracem pervadit. Alterna igitur horum musculorum actione respiratio completur partibus duabus absoluta, inspiratione & exspiratione. *Inspiratione ambiens aër* per os & nares in asperam arteriam insiliens, non modo ejus ramos per pulmonis substantiam diffusos, sed & omnem ferè ejus molem implet, adeo ut *universam thoracis capacitatem* inflatus spirituque turgens pulmo *occupet*.

Et in pulmone elaboratur. Qui haustus aër fuerat, primam *in pulmone elaborationem sumit*, illicque concoquitur & præparatur vi carnis quæ planè tenuis est, mollis & aërea, ut proinde hujusce operis, quemadmodum & caro jocinoris, sanguinis conficiendi causa maximè constructa esse videatur. Non enim externus aër, rudis, frigidus & impurus, & derepente irruens fieri potest interioris spiritus conveniens pabulum, sed hunc quemadmodum & alimenta necesse est paulatim mutari, & familiarem innato spiritui qualitatem longiuscula mora recipere.

Fitque cum vapore sanguinis, spiritus vitalis. Posthæc autem elaboratus diligenter spiritus, in sinistrum cordis ventriculum arripitur, ex quo, accedente etiam sanguinis vapore, qui ex dextro ventriculo permanavit, vi cordis insita, ejusque innato spiritu & ingenti caloris incendio, haud secus atque in fornace *spiritus* procreatur vitalis, qui demum in omne corpus per arterias effusus, salutarem impertit toti calorem.

Nec inspiratione aër tantum, sed & sanguis è dextro, fuligines è sinistro cordis sinu trahuntur. Qui ex hac concoctione fiunt torridi vapores, foras rejiciuntur tum cordis & arteriarum pulsatione, tum pulmonis exspiratione. Quum igitur thorax attollitur, asperæ pulmonum arteriæ *aëre per inspirationem* implentur, simul autem leves implentur *fumoso excremento*, quod ex sinistro cordis sinu depellitur, ne id pravitate suffocet: venæ C arteriosæ *tenui sanguine* distenduntur, qui ex dextro cordis sinu ad pulmones nutriendos ejicitur.

Quam ob causam arteria aspera & venosa, venaque arteriosa commodè collocantur. Quum autem depresso thorace *pulmones* in se *concidunt*, vasis hisce omnibus quodammodo coarctatis, per asperas quidem arterias exspiratio fit *excrementi fumosi*, per leves autem, quas venosas diximus appellari, præparatus & quasi concoctus in pulmone aër, in sinistrum cordis sinum conjicitur. Qui in venis est *tenuis sanguis*, pulmonis coarctatione in dextrum cordis sinum haudquaquam remeat, sed in carnem pro alimento truditur, ab ejus singulis partibus familiaritate quadam raptus: veruntamen hæ venæ, ut quæ ex duplici constant tunica, sanè quam parum comprimi possunt

sunt exspiratione, ut neque dilatari inspiratione, sed eos motus præsertim subeunt arteriæ, quæ propria sunt spiritibus instrumenta.

Quam ob causam arteria aspera & venosa, venaque arteriosa commode collocantur.

Eo autem *ordine collocata* sunt *tria hæc vasa*, ut aspera arteria ubique media & inter lævem arteriam atque venam interposita cernatur: non hæc quidem extremis continuata sunt, neque qui in aspera arteria est aër, mox in lævem transfertur: sed cum extremæ omnium fibræ in omnem pulmonis substantiam dispersæ sint, quicquid in illis est conceptum, id omne in pulmonis substantiam illabitur. Per hanc (quia mollis est & summè rara) tum aër, tum fumosum excrementum facile commeat, & exspiratione in idonea vasa relabitur: sanguis vero cum ex venis in carnem effluxerit, in illius substantiam convertitur, nec potest (nisi propter ulcus quale est in tabe) in asperas arterias retro commeare: quanquam quæ ex pulmonis nutritione quotidie progignuntur excrementa, per eas una cum sputis redduntur.

Quæ omnia adjuvat cordis pulsus. *Ex Gal. de us. puls. ca. 4. 5. 6. 7.*

Hanc cujusque materiæ distributionem efficit pulmonis respiratio, cui & maximam vim addit *cordis motus* & pulsatio.

Quid diastole.

Cor enim *diastole* ex pulmone per leves arterias præparatum aërem in sinistrum sinum rapit, & ex vena cava sanguinem allicit in dextrum suum sinum, idque patefactis horum vasorum valvis.

Quid systole.

Systole ex dextro sinu per venam arteriosam sanguinem in pulmones effundit, ex sinistro vero confectum jam vitalem spiritum in majorem arteriam (quæ aorta dicitur) simulque in minores emittit, quo tempore necesse est omnes illas dilatari.

Quæ in corde & arteriis differunt.

Quanquam igitur earum motus cordis pulsationi similitudine quadam magnitudinis, celeritatis & frequentiæ respondet, ut ex earum contactu cordis motum conjectura assequi liceat: hæ tamen dilatantur in systole cordis, committuntur autem in diastole. Dilatantur enim, dum compressum cor in eas spiritum immittit. At non solius influentis spiritus & sanguinis in vapores extenuati copia implentur: non enim fieri tum posset ut omnes uno eodemque momento pulsarent, quod nequeat puncto temporis spiritus per arterias in corporis extrema pervadere.

Ab eadem tamen vi fiunt.

Ergo quum simul omnes pulsare deprehenduntur, quæcunque hosce diastoles & systoles motus efficit *causa eadem* sane & quæ cor movet. Ea est in arteriarum corpore posita, sed quæ tamen suam originem aut certe conservationem cordi acceptam referat.

Quæ non est facultas vitalis.

Cæterum quæ *in corde vis* inest pulsus efficiens, *ea vitalis nequaquam* est, quæ tum spiritum, tum vitalem in eo calorem gignit: hæc enim in solo corde collocata est & consedit, illa vero arteriis & cordi conjuncta atque communis est. Hæc vitalis vires suas in ossa, cartilagines, carnem, in omnes denique partes diffundit, quibus vitam & salutarem calorem impertit, nullaque pars manet ab illius aspiratione & favore destituta: contra, quum à corde & arteriis discesseris, quæ pulsu motioneque agitetur, pars omnino nulla in conspectum se dabit, nisi cerebrum fortassis in illorum numero reponendum esse videatur.

Sed alia illi serviens.

Ex quibus profecto perspicuum fit, vim illam pulsantem plurimum à vitali discrepare, *esseque tanquam ancillulam* & ministram tum spiritus ejus & caloris distribuendi, tum ut innato calori modus quidam adhibeatur, certaque is ratione gubernetur.

Simili modo atque ratione à vitali eæ diversæ sunt facultates, quæ excandescentiam & alias animi affectiones concitant: de quarum operibus quum jam plenè cumulatèque verba fecerim: nihil superesse arbitror, quod huic tractationi videatur attexendum.

Libri sexti, De Functionibus & Humoribus, finis.

LIBER

LIBER SEPTIMUS

DE

HOMINIS PROCREATIONE

ATQVE

DE SEMINE.

PRÆFATIO.

Explicata tota hominis constitutione.

C*Orporis* totius constitutionem, *partis cujusque situm, usum, figuram, ex elementis compositionem jam ante exposuimus, & quibus facultatibus adornatus homo singulas functiones edat. At quoniam nec elementa, nec quæ ab his emergunt temperamenta, facultatum causas statuimus, nunc ordinis ratio locusque postulat, ut investigemus* quænam sint earum causæ. *Quapropter toto animo & studio omni perquirendum, sitne præter primam illam ex elementis compositionem communemque rerum omnium procreationem, singularis quædam in animalibus vis, quæ facultatum causas in se contineat. Hoc enim pacto futurum est, ut hac serie sæpius repetita atque paulo altius relata, ab iis quæ sensibus subjecta sunt, in occultas & abditiores causas demum penetremus.*

Nunc ejus causa tradenda.

Itaque dum hominis *ortum atque* procreationem *in medium proponemus, dumque explicabimus quas vires obtineat procreandi facultas, quomodo quoque ordine partes conformentur singulæ, utque fœtus in utero gubernetur: tum simul omnium quæ libris superioribus tradita sunt à nobis, summa causa & ratio perspicue elucebit.*

Quam dabit hominis procreatio.

Neque *profecto* fieri potuit, ut prius *hominis procreatio* intelligatur, *quam is esset numeris omnibus cognitus & exploratus: quisquis diversum doctrinæ ordinem instituet, eum necesse est in obscura multa & inexplicabilia involvi.* Primum *enim* (*inquit* Aristoteles) novisse oportet, an sit unumquodque de quo futura est disputatio: deinde quid sit: tertio loco unde & à quo id sit.

De qua nunc demum agi potuit.

In hunc itaque locum hominis procreationem tradere distulimus, quamvis forte nonnulli pulchrum putarent, ab hac facto artis exordio, ad alia deinde progredi.

CAPUT I.

Sexuum distinctio unde sit, & quid de semine sit ab Aristotele proditum.

Ex Arist. 2. de anima cap. 4. viventia desiderant perpetuo vivere.

QUæ rerum omnium pulcherrimæ sunt ac summè divinæ, id unum præ cæteris divinitatis suæ specimen obtinent, ut sempiternæ quidem sint & immutabiles, nulli affectionum impetui subjectæ. Hæc autem cum summa quædam sit perfectio, & præstantissimum supremumque bonum sit bene A vivere, vitaque frui lætissima, jure ac merito quę mortali conditione generata sunt, eo aspirant, & esse *vivereque natura desiderant.*

Quanquam autem fieri nequit ut id perfectè & omnino consequantur, hoc tamen nacta sunt, ut quodammodo sempiterna sint: *non numero* quidem, *verum specie,*

Quod cum in individuo fieri non potuit in specie consequuntur.

quæ

quæ semper est & æterna. Quapropter immutabili æternitate continuantur viventium ortus & procreationes, ut quod singulari substantia servari nequit, specie saltem persistat. Etenim usuvenit ut unumquodq; individuum cum mortale & dissolubile se sentiat, aliud sibi simile optet in suum locum reponere, in quod & languidam & inclinantem suam vitam quodammodo conferat, & per quod procreatione quasi repuerascens atque renovatum, quodammodo perpetuum fiat & æternum.

Quare illis datum procreandi desiderium. Hæc est illa *procreandi libido*: quæ ut species in perpetuum salva conservaretur, cunctis est viventibus à natura tributa. Hanc enim & frutices acceperunt, quas procreare manifestum est, atque etiam nutriri & increscere.

Procreandi autem facultas singulis stirpibus data. Quum autem hæ alimento jugiter inhæ- B rescant altissimis defixæ radicibus, nec ad movendum sint aptæ, ex se, ipsis *progignunt nullo alterius congressu.* Hujusce rei causa natura promiscuum sexum maris ac fœminæ stirpibus attribuit, ut confusas ac perpetuo mixtas haberent maris ac fœminæ vires.

Ex Arist. 1. de gen. anim. c. 2. in animantibus mari & fœmina simul. At vero *animantes* quia non solum in procreationem & nutritionem incumbunt, sed præterea sensus ac cognitionis participes ad alias quasdam præstantiores functiones comparatæ, *maris ac fœminæ* sexu distinctæ sunt. Sic enim melius ad alia quædam præstantiora cognitionis munera se conferunt, nec penitus alimento affixæ omni impetu in procreationem ruunt. Si quando igitur generare debent, commisceantur coeantque necesse est, & (ut in- C quit (*Aristoteles*) *ex ambobus quasi unum fiat animal.*

Fieri itaque non potest, ut vel mas per se, vel sola fœmina ex se ipsa animal perfectè generet, quanquam plerumque rudem quandam & inchoatam molem producit: quod de mola & gallinarum ovis, quæ nostri subventanea dixerunt, compertum habemus. Infœcunda enim sunt & irrita, quod maris societate sit opus, qui procreationem perficiat.

Rursum neque omnis in mare potestas gignendi sita est: ut qui procreationis locum non habeat.

Mas vim, fœmina materiam confert. Ergo quum in plantis, tum in animantibus utroque sexu est opus: *fœmina* quæ cor- A pus & *materiam*, *mare* qui animam *speciemque conferat*. Est enim mas, à quo motus procreationisque origo manat: fœmina vero, quæ materiam segetemque subministrat: quapropter mas id animal est quod in altero gignit: fœmina vero quod in se ipso.

Hisce de causis mas & fœmina tum facultate, tum quibusdam corporis partibus, quæ ad procreationem atque coitum accommodantur, inter se plurimum discordant: hinc *Aristoteles* generandi principia facultate distincta constituit.

Quum autem in procreationem incumbunt, *fieri certe nequit ut invicem omnino misceantur* atque confundantur, uti neque ipsa illarum principia. Non enim quemadmodum ex veteri cicada aut ex phœnice novum nasci prædicant, sic ex mare & fœmina conjunctim confusis aut intereuntibus, novus homo progignitur. *Non commistione corporum.*

At vero quum complexu coituque generent, necesse est saltem *ab utroque materiam quandam emitti* & conferri, in qua illorum vis & potestas continetur: atque tanquam confluentibus principiorum & facultatum vicariis aut instrumentis, tertium quippiam gigni. Est autem ea materia utriusque semen, in quo tametsi actu & re ipsa mas & fœmina minime comparent, viribus tamen & potestate insunt, uti mox conspicue cernetur. Quamobrem aliquispiam id recte nostri ortus verum proximumque principium statuerit. *Sed seminis excretione.*

Semen igitur *est ex quo primo oriuntur ea quæ secundum naturam constituuntur, non quidem ut ex materia, sed ut ex motus efficiente principio.* *Semen quid.*

Primam seminis naturam atque rationem perscrutaturus *Aristoteles*, demonstrat planè id nec corporis nostri partem esse, nec alimentum, nec colliquefactum quippiam: concludens propterea id prorsum *in reliquiis & excrementis haberi:*

Excrementum appellat reliquias alimenti: quæ profecto aut inutiles sunt & ad nutriendum prorsus ineptæ, aut certe utiles, quæ sola copia superfluant. Atqui *semen non inutile excrementum* esse inde constat, quod iis qui vel ex ætate vel ex morbo pessimè se habent, inutilis excrementi plurimum inest: seminis vero nihil vel certè minimum, & siquid è seminis vasis emittitur, id prorsus infœcundum est, nec quicquam *Ejus materiam excrementum esse, secundum Aristotelem. 1. de gener. animalium c. 17. 18.*

quam constituere potest ob eluviei illius permistionem.

Non inutile. Ergò (inquit) *utilis cujusspiam excrementi portio quadam semen est.*

Alimenti ultimi. Omnium autem utilissimum atque purissimum est *ultimum*, ex quo jam unumquodque membrum alimentum capessit atque sustinetur. Id enim omnino paucum ex plurimo relinquitur alimento. Dum igitur purior ac plane confectus sanguis in membra distribuitur, accedensque illis assimilatur, postremæ concoctionis atque etiam nutricationis redundans & superfluens utile alimentum, excrementum etiam appellamus: id autem seminis est materia. Semen igitur excrementum est & residuum alimenti utilis atque ultimi.

Quod alimentum ultimum sanguis est. Id putat *Aristoteles sanguinem esse*, hoc indicio, quod si vi nimioque conatu reddatur, nondum facultate testium plene conversum (ut iis accidit qui supra modum rei venereæ indulgent) cruentum id plerunque prodeat. Imo & in spermaticis vasis cruentum id plerunque animadvertitur.

Et vim partis accepit. *Aristoteles* semen ait magnam vim ob id obtinere, quòd ad partes corporis accedens, similem atque proximum alimentum, substantiam & facultatem conquisivit: utrunque enim *jam partis* vim & naturam *accepit*. Itaque semen aut manus aut faciei aut etiam totius animalis, manum indefinitam, aut faciem, aut animal totum indefinitum esse colligit, & quale unumquodque illorum revera jam est, tale & semen posse effici.

Vt autem id portio quædam sit ultimi alimenti, utque in solidis quibusque particulis gignatur, hoc loco fusius aperiendum.

CAPUT II.

Seminis materiam in solidis partibus progigni, utque ab illis testium vi secernatur.

Ex Gal. 2. de sem. c. 5 Quod probatur. Prima ratio. PRoditum quidem supra jam est & rationibus confirmatum, partes omnes corporis sanguine nutriri: ex quo corporis (simplex enim non est & uniusmodi) unaquæque pars quicquid sibi conveniens est & familiare prolicit. Id halitus specie tractum, mox unaquæque pars mutat & convertit, inque suam naturam demum perducit: ita enim particula nutricationem perficit, dum appositum alimentum perfectè sibi assimilat, & in suam naturam substantiamque mutat. *Qualis* itaque est *cujusque partis substantia, tale prorsus evadet & illius alimentum.* Prima autem solidarum partium substantia ex semine constituitur ac gignitur, ut posthac erit apertius. Omnis igitur alimenti illarum substantia, in seminis naturam atque materiam facessit.

Secunda. *Non ex alia materia procreatæ* sunt particulæ, *ex alia* vero *alimentum* & vitam *capessunt*. Atqui partes omnes solidæ ex semine ortum habent: omnes ergo aluntur semine.

Tertia. Rursum pars unaquæque σπερματικὴ dum nutritur, *simile ei generat* & resarcit *quod fluore dissipatum est*: at dissipatum est quippiam spermaticum, ergo spermaticum erit quod in ejus locum sufficitur: id autem proximum est alimentum & sanguinis pars purissima pleniusque confecta.

Quarta. Hoc jam fiat observationum meditatione planius. Vasa seminis quæ multis anfractibus in testes feruntur, si diligenter contemplere, conspicies sanguinem modice jam albescentem continere, qui tamen nondum testes attigit. Hic cum non è testibus eo refluxerit, argumentum est hæc vasa ex sanguine diutius concepto semen quodammodo conficere: atque dum sanguinem in suam naturam vertere nituntur, hunc prius in semen commutare pollent itaque hæc vi quadam seminis effectrice. Atqui seminis vasa inter venas habentur, & communem cum eis substantiam acceperunt, neque igitur aliis venis per corpus universum dispersis, vis & natura deerit seminis gignendi. Si qua alia corporis regione venæ similiter atque hæc vasa flexuosæ haberentur, posset in eis multo facilius humor similis animadverti. Et certe in omnibus venis talis quidam vere inest, qui per eorum tunicas insertus, proximum sit eis alimentum. Jam vero si venæ hoc muneris & dignitatis à natura sunt adeptæ ut-

ut ſemen generent, majori profectò ratione in arteriis, nervis, membranis, & in oſſibus, eadem vis inſidebit, quod hæc ſpermatica magis ſint quam venæ.

Exceptio. At *ne quis fortè* contentionis æſtu conetur quas propoſui rationes diluere, dicatque nec vero ſemine ſpermaticas partes nutriri, nec id verum ſemen eſſe quod in ſpermaticis vaſis reconditur:

Solutio. Nihil equidem ejuſmodi rationibus efficere *contendebam*, ſed id duntaxat, quicquid eſt, propius quam ſanguinem ad ſeminis vim & naturam accedere. Sive igitur id nondum ſemen, ſive inchoatum crudumque ſemen appellet: ſatis ſuperque factum putabo ſi docuero, proximum id unum partium nutrimentum, quod *Ariſtoteli* utile ac ultimum dici ſolet, tum partium alendarum, tum vero ſeminis gignendi materiam ſuffici.

Ex Gal. 1. de ſem. cap. 16. *Id alimentum partibus ſemper adſiſtit.* Quæ purior eſt in ſanguine portio alendis partibus familiaris & accommodata, ea ut facile & cito alit, ita cum tenuis ſit plenaque ſpiritus, quam mox in ſeminis materiam convertitur. Hujus quippiam *ſolidis partibus ſemper aſſiſtit*, ſemperque ſanguini ſpermaticus humor roris modo inſpergitur.

Sed ſingulis diverſum. Hic tametſi vera eſt materia, non tamen ſimplex eſt & uniuſmodi, ſed alius aliam vim & naturam accepit, ex varia partis natura à qua mutatus eſt.

Quod teſtes attrahunt. Qua autem is ratione ſecretus, in teſtes adducatur, hoc loco narrandum eſt. Ut in liene vis quædam ineſt ad prolectandum melancholicum humorem comparata, in renibus alia quæ urinam alliciat, ita & *teſtibus* convenit vim quandam ineſſe, qua *ſeminis materiam* ſibi quidem perquam familiarem & idoneam, tanquam proprium conjunctumque alimentum invitent & *attrahant*. Cum autem magna ſit & vehemens hæc eorum vis, quæ in corpus univerſum permanat (ceu mox aliis multis rationibus planum fiet) ii nimirum tum uberiorem materiam quam ſibi opus eſt, tum vero hanc ex univerſo corpore elicient & evocabunt.

Per venas. Ut ergo jecur ex inteſtinis ſuccum rapit per venas meſenterii, ſic teſtes per ſeminis vaſa materiam ſugunt *à vena cava*, quæ lumbis & renibus aſſiſtit, hæc vero ab omnibus circumjectis venis grandioribus, hæ à minutis, quæ jam vix capilli magnitudinem adæquant, & quæ partes ſingulas alunt. Ea enim attractio manet ac perſiſtit, dum vaſa & teſtes impleantur: neque enim prius intermittit, quam teſtes copia turgeant atque ſaturentur: inaniti enim ex locis plenioribus veluti eripientes violenter evellunt.

Non verò tempore coitus colliquatum affluit. **Ex Ariſt. 1 de gener. anim. c. 19.** Ex his poteſt intelligi *Ariſtotelem* jure optimo falſi inſimulaſſe *Polybium*, qui *libro de natura ſeminis Hippocrati aſcripto*, hanc ex toto corpore ſecretionem in ſolo concubitu fieri cenſuerit, ipſumque ſemen ceu *colliquefactum* quiddam eſſe, *motu agitationeque ſecretum*: neque id in vaſis aut teſtibus aliquandiu ſubſiſtere & commorari, ut tempore mutationem ſubeat.

In hæc autem quoniam ille plurima ſcitè attulit, ſatis erit ſubjecta obſervatio, quæ id funditus evertat. Animante enim quæ a venere diutius abſtinuerit diſſecta, copioſiſſimum craſſiſſimumque ſemen comperitur, quo & vaſa & teſtes & epididymis turgent: quod non niſi ſumma vi trahendi teſtium fieri potuit. Contra vero accidit ſi quod animal effrenata & indomita venere feratur. Teſtes enim è vaſorum involucro rapient, eaque prorſus exinanient, ut ſi demum confectionem fieri contingat, nihil omnino ſeminis ineſſe deprehendatur. Ergo quodcunque in coitu ſemen emittitur, id neceſſe eſt congeſtum prius fuerit & coacervatum, tractumque vi præpotente teſtium.

Nec à ſingulis minimiſque partibus ſecernitur. Obſcurior alia ac ſcopuloſior dubitatio hic difficiles explicatus habet. Multa enim plerique proferunt, quibus perſuadeant ſeminis quam diximus materiam, & *in partibus ſingulis progigni, & ab iis quotquot ſunt in teſtes confluere*, alioqui inutile id fore ac minimè fœcundum,

Prima ratio. Quæ tametſi firmiſſimis rationibus *Ariſtoteles* viſus eſt confringere, alias tamen ſubjungam, ex quibus id nequaquam fieri poſſe demonſtrem. Si enim de minima quaque particula ſeminis quippiam decederet, cum nihil extare poſſit minus minimo, neceſſe eſſet unico concubitu univerſum corpus in ſemen quaſi liquefactum diffundi.

Secunda. Quoniam vero minimę particulæ quam cogi-

cogitatione potius quam sensu comprehendimus, nullum potest fragmentum haberi, non potest de illa quicquam decedere.

Nec ex omnibus manifestis partibus. *Neque* præterea *ex omnibus sensu manifestis* tum simplicibus, tum compositis quippiam secernitur ad seminis constitutionem: copiosum enim id colligi necesse foret quod fœcundum evadit: nec fieri posset ut tantula quæ ejicitur substantia vim haberet ad procreandum fœtum, quod è singulis corporis partibus quippiam accepisse non possit. *Prima ratio.*

Secunda. Quinetiam semen totum sensu simplex apparet, & unaquæque ejus portio fœcunda, ut totum esse ex iis animalibus intelligitur, quæ unico coitu & ex pauco semine multiplices fœtus procreant. Ergo cum quælibet seminis portio totius vim habeat, qua corpus universum conformet, non sic potuit totum semen à toto corpore dimanare, ut de unaquaque parte fiat partis similis decessio. Quamobrem recte censuit *Aristoteles*, seminis materiam non à toto corpore demitti.

Sed ex tribus principibus partibus. At nihilominus hanc necessum est *de cerebro, de corde, & jecore*, quæ tria sunt principia, *decedere*: plurimum autem de cerebro.

Hoc quidem illius argumentum est, quod cui unumquodlibet istorum gravem offensionem acceperit, infœcundus is reddetur: quemadmodum si levius erit vitium, prolem suscitabit ægra infirmaque valetudine. Ex quo fit, ut iis venis & arteriis, quę ponè aures sunt, resectis aut exustis, fœcunditas adimatur. Seminis ergo materiam ex toto derivari atque dimanare sic accipiendum, ut ex illius principiis principibusque partibus necessariò profluat.

Sunt qui putent, hanc non modò è principiis, sed *ex omnibus quoque similaribus* partibus secerni: non quidem ex unoquoque osse vel nervo, sed ex aliquo osse, ex nervo, ex membrana, ex cartilagine quiddam in seminis materiam conferri. Deinde vero quod à nervo vel ab osse profluxit, non modo illius, sed etiam omnis nervi vel ossis in conceptu materiam fieri. Proinde ex tantulo semine tanquam ex materia, similares omnes partes effici: idque ejus facultatis opera, quæ in semine sita omnia conformat. *Forsan etiam decem similaribus.*

Non desunt qui seminis materiam, ultimi quidem alimenti superantem partem esse dicant, quæ tamen non à toto decedat, sed contra quæ ad totum esset proxime accessura.

CAPUT III.

De Testiculis, & eorum Præstantia.

Ex Gal. 1. de sem. c. 15. 16. *Nec tantum testes semen trahunt.* Magnam quidem vim esse testiculorum, seminis secretio decessioque docet, qua ii ex universo corpore materiam proliciunt: at multo maximam declarant tum vires, quas ii corpori impertiunt, tum vero completa seminis absolutio.

Sed & perficiunt. Quibus enim execti sunt testes, etiamsi eorum vasa læsa non sint, vis illa & *facultas effectrix seminis* occumbit: ut licet ii ætate sint adulta atque florente, non tamen rei venereæ voluptate oblectationeque teneri possint, omnisque generandi potestas sit erepta.

Et virilem habitum corpori largiuntur. Simul his extingui deprehenditur masculus & *virilis animus*, totaque viriditas & flos roboris cum testibus excinditur. Quinetiam eorum natura in frigidiorem convertitur, neque sanguis bonus, neque color suavis aut formæ dignitas apparet: arteriæ parvum & imbecillum, quemadmodum in senibus, pulsum edunt: corpus albescit, grave, iners, opimumque redditur, & minus hirsutum, atque (ut semel dicam) effœtum, fit molle & effœminatum.

At aliam partibus substantiam. Neque verò hanc solum roboris temperamentique mutationem incidere, verum etiam *propriæ substantiæ naturam* inverti, hinc intelligitur, quod castratorum animalium carnes quadam dulcedine & suavitate gustatum movent: quæ autem è non castratis acceptæ fuerint, tum odore tum sapore testiculos referunt, evomuntque grave quoddam virus acerbitatis suæ.

Si testiculis exectis, totius corporis robur, temperamentum, propriaq; substantia invertitur atq; mutatur, testiculi dum aderant, istorum authores erant & effectores.

Quod præstant non remissione spirituum quos acceperunt.

Neque tantæ mutationis & præstantiæ causa sunt & principium, ut quidam existimant, quod in se illabentem ex universo corpore *tum calorem, tum spiritum*, densa compactaque substantia, tanquam speculum radios, *in universum corpus refundant.*

Non plane calore seminis.

Neque quod in illis congestum *semen* robur & *calorem* ejusmodi *corpori impertiat:* quanquam profecto illa non parum augere hinc animadvertitur, quod cum affluit & redundat, turgescens id impetu ardoreque corpus perturbat, excretum autem hoc, placidum, lene tranquillumque reddit.

Sed hoc roboris & caloris ex se propriaque facultate obtinent, hasque suas vires in omne corpus effundunt, quemadmodum cerebrum nervis, tum sentiendi tum movendi vim, cor arteriis pulsandi facultatem impertit.

Sed influente facultate.

Ex quibus intelligi potest, testiculos magno subsidio corpori venire, quo perfectius id & salubrius vitam agat, esseque ad meliorem vitæ statum & conditionem utiles. Porro autem ad generis conservationem, magna quidem est eorum necessitas, ut idcirco *in principum partium numero* censeantur.

Quare inter partes principes merito habentur.

At certe *Aristoteles* hoc uno argumento, quod quædam animalia, ut serpentes & pisces omnes, semen fœcundum profundant, quibus tamen testes à natura denegati sunt, visus est existimasse, hos ad seminis confectionem & ad generis custodiam *principatum non habere.*

Quod immerito negat. Arist.

Si quæ tamen ejusmodi sunt, ut sine semine generent, quale esse perhibent insectorum genus: aut si quæ emisso semine sine testiculis generant, ut pisces atque serpentes, omnium procreandi rationem mancam atque imperfectam censemus, quippe quæ non nisi temporis longinquitate perfici potest. In reliquis autem animantibus, quæ modo quodam perfectiori generant, & quæ in procreationem, non quemadmodum insecta & muscæ, tanquam affixa diutius incumbunt, testes additi sunt, qui plenius semen excolerent & complerent, idque foras profunderent: nullam enim in his posse creationem sine testibus perfici, una experientia satis confirmat.

A

Ergo non (quemadmodum *Aristotelis* fert opinio) testes *melioris duntaxat usus* gratia conditi sunt, neque ut motum seminis stabiliorem faciant, neque ut pondera telis textorum sic vasis seminis adjecti sunt, ut illa contendant. Putavit siquidem, castratos idcirco generare non posse, quod exectis testiculis vasa seminis intro se contrahant, occludanturque eorum viæ, per quas evadere jam semen non possit.

Ac 1. de gener. animal cap. 4. nihil ad seminis generationem conferre arbitratur.

At vero quid de iis sentiet, quibus non execti, sed attriti duntaxat sunt testes, aut quibus immodice refrixerunt, aut alia quapiam intemperie aut vitio aut morbo affecti sunt, velut in gonorrhœa? His enim tametsi reliquum corpus firma est & incorrupta sanitate, & viæ satis patent, ut per eas abunde id possit emanare, quicquid tamen effluit, imperfectum est & minime fœcundum.

B

Quamobrem efficiendi seminis testes primi sunt authores, vasa deferentia id quodammodo præparant, jaculantia vero perficiunt. Etenim in his animalibus quæ sibi diutius à coitu temperarunt, omnia conferta semine videntur, sed quod (ut dixi) concoctionis varietate distinctum sit.

Ex Gal. 1. de sem. cap. 12. & 13. Falso. nam id apparant vasa præparantia.

Hoc autem qua ratione fiat, explicandum excutiendumque planius est.

Ut seminis materia quam è singulis particulis paulatim testes magna vi traxerunt, in flexuosis vasorum anfractibus longo viæ tractu hæret cunctaturque diutius: ita in arteriis quæ illis anfractu quodam substratæ sunt, spiritus quasi irretitus subsistit atque retinetur. Hac mora & cunctatione *utraque vasa* nituntur, quicquid continent tanquam alimentum, sensim *in similem sibi speciem mutare:* & ut illius colorem ita planè & substantiam totam paulatim convertere.

C

Quum ita præparatus humor in postremos illos anfractus qui testiculos involvunt & circumplicant, tractus delatusque fuerit, *coquitur*, aptusque perficitur ad animalis procreationem: idque tum robore & calore eorum vasorum quæ testes ambiunt, tum vero ipsorum *testium ingenita vi.* Glandes enim cum sint, & spongiæ modo rari, complures fistulæ seminis confertæ in eos ex vasis propagantur, per quas susceptum humorem propria vi conficiunt.

Conficit testium substantia.

CAP.

CAPUT IV.

Quænam est seminis compositio, quid testes ad ejus confectionem conferant.

Ex Gal. 14. de usu part. cap. 10. 11.

Hoc semen duabus partibus constat. Sanguine ut materia. Et spiritu ut facultate.

SEminis ergo materiam è vena cava elici, idque perfectam tum caloris tum substantiæ mutationem in testibus habere, una sensuum fide confirmatum putamus.

At vero in semine quod fœcundum est & ad procreationem comparatum, præter eam materiam speciem quandam haberi, quæ *spiritus & caloris vim* summam obtineat, argumentis & rationibus oportet docere, iisque ex naturæ arcanis & ex recondita aliorum animantium conditione depromptis.

Quod probatur.

Rat. 1.

In iis ergo quæ semen non emittunt (quod genus maxime *insectorum* est) fœmina particulam sui quampiam inserit in marem, & veluti materiam ad opificem adhibet, in hanc deinde mas vapore quodam vitæ vim & facultatem conjicit. Diu coit genus id animalium, quousque constituatur aliquid: tam imbecilla enim his inest vis procreatrix, ut si quid quasi medium intercedat, nihil quicquam possit efficere: sed eam necesse est per se & proxime animal condere, & propriam cujusque membri naturam nullius seminis aut instrumenti interventu, sibi simile in alio membrum effingere.

Rat. 2.

At in *perfectioribus animantibus*, quæ non modo procreationis, sed præstantioris cognitionis gratia consistunt, mas tanto facultatis robore præditus est, ut, cum de se vim quandam cum seminis materia in fœminam emiserit, possit ipse vel absens seminis interpositu prolem gignere. Itaque quodcunque fœcundum est & utile semen, simplex id non est, sed utique compositum, materiamque habet ultimi alimenti excrementum, & in hac facultatem quandam opificem, quæ tota est ætherea spiritusque plena.

Rat. 3.

Hanc insitam non esse materiæ id plane demonstrat, quod in semine appellato, *quod* per morbum ceu *per gonorrhœam* preter voluntatem *excidit*, nulla facultas inest, sed id omnino excrementum est ad id gignendi neutiquam munus accommodatum. Hoc nemo rectè semen nuncupare possit, nisi fortè inducta homonymia: quemadmodum manum quæ ab omni animæ facultate destituitur, manum: hominemque demortuum hominem solent appellare.

Is spiritus facultate sua procreationis autor est.

Cæterum quæ in fœcundo semine *facultas* consistit, *ea est quæ per se agit*, omnisque motionis est principium: seminis autem corpore & materia vis ea tanquam instrumento utitur, quemadmodum anima, ut apprehendat, manum, & faber securim adhibet, ut ex ligno lectum arte construat. Ut igitur anima manum, hæc deinde materiam ex qua quippiam efficit, movet ac impellit, ita in his animantibus quæ semen profundunt, hoc quidem proxime movet & agit, sed à propria quadam vi & energia quam gerit incitatum.

In quibus ergo quippiam constitui solet secreto profusoque semine, (non enim omnia, ut dixi, emittunt) non id quidem tanquam efficiens primarium & insitum generat, sed id quod primum movet. Virtus enim quæ in seminis materia coërcetur, vitam impertit, & partes conformat, summa illius facultas, non ex mole, sed ex viribus spectanda.

Materia à quibusdam.

Spiritus ab omnibus partibus proeiditur.

Cum itaque duo in semine comprehensa teneantur, *materia* & facultas, illa quæ patiendi vim habet, non ab omnibus corporis partibus, *à quibusdam* tamen necessario secernitur: hæc vero quæ prorsus est *efficiens*, *ab unaquaque vel minima demigrat*: quod nonnulli hac verborum interpretatione explicant, semen non mole, sed viribus à toto defluere.

Cæterum *qua via* quave ratione hæc ex toto decessio fiat, utque ex duobus illis unum semen constet, aperiendum.

Crassior materia à solidis per venas.

Seminis *crassior materia*, cum solidis partibus apposita erat, ab eis generandi vim non conquirebat, sed præparationem duntaxat & patiendi constitutionem, ob quam facile posset in illarum substantiam converti. Ea vero cum ad testes rapitur, vim suam

suam etiam tum retinet, & præparationem habet, ex qua poterit aliquando in partium suæ naturæ materiam suffici atque substitui. Seminis materia quanquam vasorum testiumque vi exquisitè adeo coquatur, ut crassior albiorque evadat, nequaquam tamen semen inde absolutam fœcunditatis naturam consequi potest, nisi magna ubertate *spiritus* influant, eique materiæ penitus confundantur. Quandoquidem horum causa arteriæ ab aorta deductionem habent in testes, seminis vasa comitatæ.

Spiritus à principibus per arterias nervos & venas.

Ex Gal. 1. de sem. c. 16.

Ex quo intelligi potest, per ea vasa materiam: per arterias vero formam & facultatem semini conferri. Per has quidem spiritus vitalis, per venas naturalis à jecore, per nervos animalis à cerebro & spinæ medulla illabitur in testes.

Etiam à singulis particulis.

A *cæteris* autem *particulis* & ab universo corpore credibile est nonnihil spiritus atque facultatis derepente in testes irruere, idque valida agitatione corporis & perturbatione, quæ in ipso fit coitu: cujus hoc esto indicium, quod titillatio vehemens tum corpus universum eximia voluptate afficit.

Atque ita spiritus materiæ crassæ mixtus semen fœcundum facit.

Hæ igitur vires & facultates quæ cum spiritibus ex universo corpore, maximè vero ex principibus partibus confluxerunt, illi demum seminis materiæ insident tanquam procreationis magistræ & opifices. Quapropter non testes semini vim tribuunt qua fœcundum est, sed hæc ab universo corpore suscipitur.

Partes tamen principes testes sunt.

Quid est (*inquies*) quamobrem testes inter principes partes retulimus, & quid hi in semen conferunt? Non materiam, ut quæ ex corporis alimento rapta haustaque est, non vires illas & facultates, ut quæ ab universo corpore cum spiritu dimanarunt. Quænam igitur eorum est efficientia?

A *Ea sane*, quod materiam seminis concoquunt, ac planè in alteram speciem convertunt, simulque ei formam eam à qua semen est & appellatur (quemadmodum mammæ lacti speciem) ex se ii tribuunt. Quinetiam suo illi calore spiritus quos ex corpore acceperunt, diligenter commiscent materiæ, eorumque facultates inserunt semini, & omnium temperatione unum efficiunt, hacque ratione semen perficitur omnium viribus ornatum.

Quia hoc immutant plurimum.

Neque igitur facultas, *neque spiritus generans in testibus collocandus est:* sed hæc propriè totius sunt corporis, eorum animalium exemplo quæ universi sui corporis calore & spiritu generant, nullo semine profuso. Neque in perfectis animantibus quæ semine generant, ullus est spiritus qui generans dici meretur. Non enim ut cerebrum ex vitali animalem spiritum producit, sic testiculi vim habent ingenitam, quæ illapsos undique spiritus in unius generantis ejusque simplicis naturam commutent: sed si quis est in nobis generandi spiritus, is conjunctio & confusio quædam est omnium.

Non quod testibus sit generandi spiritus.

Cæterum qui contentione velit generantem vim ac spiritum testiculis attribuere, huncque ex multorum congressu simplicem esse factum, vix fortasse possit rationibus convinci, quemadmodum neque si semen simplex ac prorsum uniusmodi, non ex multarum partium naturæ dissimilis adhæsione compactum & coagmentatum pronuntiet.

Quod tamen non ita facile refutari potest.

C Utcunque hæc constituta stabilitaque fuerint, testes nihilominus jure possunt inter principes partes haberi: non quia singularis cujuspiam animalis vitam, sed (quod præstantius est) quia ejus universum genus perpetuant, neque unquam id ulla mortali necessitate sinunt occumbere.

CAPUT V.

De seminis natura, præstantia & viribus, idque omnium tum spirituum tum facultatum causam esse.

Ex Arist. 4. de gen. Anim. c. 1.

Hoc semen album crassumque est.

IAm vero ad seminis contemplationem reversi, ex procreationis modo scrutemur quænam illius substantia, & quæ natura sit.

Quodcunque absolutè coactum coctumque est, id ut *colore album*, ita & *substantia crassum* redditur, planèque imitatur vasorum ac testium naturam: cujusmodi plerunque ab animali grandinis specie prodire deprehenditur.

Cæ-

Non à frigore sed calore.

Cæterum *non* ficuti grando vel nix id *frigoris vi* concrevit, *sed ab* ingenito & interiore vasorum ac testium *calore.*

Neque tamen uti lac, ovum aut alia quæcunque multum terrenæ substantiæ permistum habent, coctione cogitur, in quibus vi caloris humore dissipato crassior portio subsistit.

Et à spumosa, non terrestri substantia.

Nemo enim tam rudis est, qui semen quod planè aëreum aut potius æthereum est, *inter hac terrena connumeret.* Quid ergo restat? Ut aqua oleo permista, aut ovi candidum diutius agitatum, à coërcito flatu *in spuma densa* & albæ ingentem tumorem exurgit, ita propemodum quod in nobis est semen calore cogitur & albescit.

Testium enim calor spiritum vitalem ac reliquos tanquam concoctione exagitans, materiæ seminis omni ex parte permiscet, cumque sit ea materia non parum cohærens & tenax, ab immixto spiritu facile in spumam eamque densissimam turgescit, cujus tamen bullæ cerni vix possint, ut neque in butyro.

Ea certe de causa veteres fabulantur Venerem ex spuma prognatam fuisse, & Græcis ἀφροδίτη ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ quasi spumans Dea 2. Venus est appellata, & ἀφροδισιάζειν despumare in libidinem.

Itaque semen etsi aëreum est, multo spiritu eoque calido confertum, calore tamen in spumam conversum concrescit albescitque. Cujus etiam rei indicium est, quod sub dio positum liquefit, cumque jam planè refrixerit, spiritusque evanuerit, nigrius id effectum dilapsumque diffunditur. Remanet enim velut aqua minimum quippiam habens terrenæ portionis, quæ dum exaruerit, manifesto deprehendi solet.

Unde & calidum humidumque est.

Ex his autem quæ eventuum observationibus confirmata sunt, palam fit, id quod propriè semen appellamus, natura *calidum humidumque haberi.*

Jam vero *seminis vires* quantæ sint verbis explicemus, idque ex *Aristotelis* decreto.

Habet dispositionem ad partes generandas.

Quoniam alimentum quod ad membra diffunditur & accedit, simile ei est quod tanquam supervacaneum relinquitur, semen aut manus, aut faciei, aut etiam totius corporis, manus est aut facies, aut corpus totum, sed promiscuè & confusè. Nam quale unumquodque istorum re ipsa jam A est, tale & semen evadere potest, aut crassitudinis mole, aut facultate, quam in se ipsum continet. *Semen igitur* (inquit) *tale est, motumque habet & principium ejusmodi, ut motu peracto, pars quaque emergat, eademque sit anima viribus instructa.* (2. de Arist. gener. animal. c. 1.)

Omnia enim quæcunque aut natura aut arte fabricantur & ortum accipiunt, ab eo quod revera jam est fiunt, ex *materia qua habilitatem* aliquam & adumbrationem *habet futuri operis* Dehinc vero dum expressam atque solidam perfectionem consequuntur, in actum erumpunt, quemadmodum ex seminis materia in uterum emissa homo tandem procreatur, cujus species quædam & forma præcesserat in semine. Hoc quidem nullis corporis particulis conformatum conspicamur, quoniam tamen eæ B illinc aliquando comparebunt & exuscitabuntur, viribus & facultate præditum est, omnemque animæ potestatem obtinet.

Animam vegetativam. cap. 3. Et sensitivam.

Quum enim semen in animantis utero conceptum non secus ac stirps vita fruatur & alatur, *animam id in se continet naturalem* & altricem. Ea quoque quæ *sensus particeps* est, à qua animalis nomen assumit, temporis progressu accedit, quum moveri incipit: tum demum rationis vis, cujus appulsu homo dici meretur: non enim simul animal fit & homo.

Non actu, sed potestate.

Animam igitur naturalem in seminibus atque conceptibus nondum separatis *haberi potestate* statuendum est, *non actu* & re ipsa: priusquam eo modo quo conceptus qui C jam separantur, cibum trahant, & officio ejus animę fungantur: principio enim hæc omnia vitam stirpis vivere videntur. De anima quoque sensus participe similis atque eadem est ratio.

Duo hæc principia, quoniam ad agendum indigent corporis adminiculo, sine corpore nequeunt consistere. Ex quo fit ut in semen extrinsecus ea non appellant: neque enim solitaria & per se ipsa accedunt, quod à corpore sejungi non possint, neque corpore quodam suffulta, quod diversum sit à semine. Restat igitur ut semper in semine potestate fuerint, nunquam sejuncta.

Verum mens divinitus accedit.

At vero *mens* illa simplex, nullius corporis terrena mole instructa vel indigens: sola *extrinsecus accedit*, eaque sola divina est, nihil enim ejus actioni cum corporis officio com-

commune intercedit: omnis enim hujus animæ vis, alterius corporis est particeps, quod magis divinum est, quam quæ elementa appellantur.

E quibus jam constat spiritus & facultates non ex elementis, sed ex semine nasci.

Quoniam verò protinus hujus libri initio demonstrare proposuimus, omnium quæ in nobis consistunt facultatum causas: jam ex his tanquam certa demonstratione confici potest, *spiritus & eas quæ in nobis vigent facultates*, nec primam elementorum temperiem esse, nec ex ea, sed *è semine solo originem habere.* Quanquam enim quatuor elementa optima temperie convenient, & ad moderationem sese redigent, nequaquam tamen ullum animal vel stirpem efficiet citra seminis, quod aut re ipsa aut actu, aut potestate duntaxat insideat, appulsum. Potestate dico ob stirpes, quæ è terra sponte sua emergunt, & ob ea animalia quæ ex putridæ materiæ vi proveniunt: in utrisque enim non minima vis percipitur seminis, aut caloris qui ejus potestatem habeat.

Ipso judice Aristotele 2. de gen. anim. c. 1.

Hujus vero caloris vires & naturam *Aristoteles* memoriæ propagavit, supra quam ad naturalem spectet. *Dura* (inquit) *mollia, lenta, rigida, & quicunque alii affectus partibus insunt viventibus, caloris, & frigoris vi effici possunt. At ratio qua jam caro aut os est, non sic potest: sed à motu efficitur, proficiscente ab eo quod genuit, quodque energia tale est, quale potestate est id ex quo gignitur.* Ex quibus clarum & evidens est, quæcunque in viventium numero habentur, sui ortum non primis rerum elementis, sed semini acceptum referre.

Objicies hic fortassis, id semen ex primis constare elementis, omnemque vim suam ex illis adeptum esse.

Neque semen omnes vires ab elementis habet.

Hoc certe non est usquequaque verum, sed à diviniori quodam magisque excelso principio robur assumit, quanquam est ex elementis concretum.

cap. 3.

Nam (inquit Aristoteles) *omnis animæ sive vis sive potestas, alterius cujusdam corporis particeps esse apparet, ejusque divinioris quam quæ elementa appellantur. Verum quemadmodum nobilitate obscuritateve animæ inter se discrepant, ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in se semen cujusque, fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem, qui igneus minime est, neque id generis facultatem aliquam æmulatur: sed spiritus qui in semine spumanteque corpore coërcetur, & natura quæ in eo est spiritu proportione respondet elemento stellarum. Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel humidis, vel siccis videtur. At vero Solis calor & animalium, non modo qui in semine continetur, verumetiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est.* Hoc itaque Aristotelis decreto perfacile liceat facultatum omnium & spirituum causas intelligere: quibus equidem in totum assentior & subscribo.

Neque hoc tantum in homine, sed & in reliquis viventibus se ita habet, ut materia ab elementis;

Ab homine autem ad cetera quoque genita digressus, sciri velim omnium *genitorum primam constitutionem ex elementis* proficisci, omnemque materiam, omne temperamentum, & eas affectiones quas *Aristoteles* secundas qualitates appellavit, molle durum, rarum densum, crassum tenue, & similia, ab iis sumptas esse.

vires, diviniores sint.

At *propria cujusque ratio & essentia*, qua id ipsum est quod esse dicitur, *nequaquam ex elementis* emergit. Quemadmodum enim hominis essentia atque ratio, quæ illius est anima, diviniorem quam qui ex elementis est ortum habet, sic & essentia ratioque carnis qua caro est, aut ossis qua os est, neutiquam ab elementis his densis atque concretis, sed ab elemento stellarum planè cælestem naturam sumit: & hæc in cælesti quodam spiritu consistit, hic autem spiritus est in semine, per quod genito toti impertitur. Ad eundem prope modum tum reliquorum omnium animantium, tum stirpium propria natura cælesti ortu profertur. Hinc facultates quasdam obtinent occultiores & reconditas, quas etiam cælestes appellant, nequaquam ex elementorum temperie profectas.

Summa eorum quæ de semine tradita sunt.

Circunspectis rebus omnibus rationibusque subductis, hanc de semine summam facio.

Seminis *materia* utilis atque syncera, ejus alimenti quod partibus solidis attribuitur portio quædam est, quævi testiculorum attrahente, de singulis corporis partibus secreta decessit.

Ex hac *testes* & vasa suo quo prædita sunt calore *semen generant*, quod tamen fœcundum atque fertile neutiquam habetur, nisi plurimus *spiritus* vitalis ex toto confluat, qui diligenter ei permisceatur.

Quod

Quod ea confuſione gignitur ſemen fœcundum, id *ſubſtantia* craſſum eſt & ſpumans, colore album, pondere leve, natura aëreum, temperamento calidum & humidum.

Ejus *ſubſtantia* & craſſitudo ex *elementorum* conſtat temperamento: præter id autem *calorem* quendam *divinum* atque cœleſtem obtinet, non ignis aut alterius elementi participem, in quo vita omnis conſiſtit ac manet, in quo præterea poteſtas inſidet tum naturalis & altricis animæ, tum ejus quæ ſenſum, motum & appetitum habet.

Hic dum effervescit, quæ compreſſæ atque tacitæ in eo deliteſcebant facultates, in actum erumpunt & viribus ſeſe oſtentant. Omnes has facultatum adumbrationes ſemen, non ab elementorum permiſtione, ſed à parentis corpore conſequutum eſt, in quo energia conſiſtunt. Ex quo intelligi poteſt, eum *hominem*, qui emiſſo ſemine generat, *omnes* quoque *corporeas facultates una producere.*

Cæterum *animum* & eam animi partem quæ princeps eſt, quæque mens nominatur, minime is confert, quia cum animus ſit à corporis natura diverſus, ejus ſubſtantiam non comitatur, ſed *extrinſecus* in id *illabitur ceu divinum munus.*

CAPUT VI.

De Fœminarum Semine.

Ex Gal. 2. de ſem. c. 1.3 4.

Vt mares, ita & fœminæ ſemen habent.

Fœminam *ſemen proferre*, hac potiſſimum ratione doceri poteſt, quod teſticulos & ſeminis vaſa acceperit, crebris flexibus atque circuitibus intorta, haud ſecus ac in maribus enata. Quę omnia ſi natura non fruſtra condidit, generandi ſeminis facultatem ſimul his attribuit, hujuſque cauſa fabricata ſunt.

Rat. 1. Rei veritas ſenſus teſtimonio comprobatur. Nam fœminis quæ diutius à coitu ſibi temperarunt diſſectis, *in vaſis ſemen* circumfluere, idque jam albeſcere conſpicitur, æque ac in maribus: in ipſis vero teſtibus, craſſius & perfectius.

Rat. 2. Quinetiam *per inſomnia* eæ interdum fatentur *ſemen* non minori ſe voluptate quam in coitu *ejaculari.*

Rat. 3. Viduis & iis quæ diutius veneris ſtudia intermiſerunt, ut per inſomnia, ita *obſcœnarum partium titillatione* copioſiſſimum craſſiſſimumque ſemen *erumpit.* *Rat. 4.* Quæ cum integra ſenſuum fides affirmet, non aliunde rationes petendæ ſunt, quibus doceatur, ſemen in mulierum vaſis haberi, idque concubitus magna voluptate profundi.

Non ad veneris ſtimulum. Non idcirco mulieribus id conceſſum eſt, ut duntaxat impetum illis & quaſi *ſtimulum adderet ad venereos amplexus*, ſed ad alia quoque plurima conducit, quæ paulò poſt afferemus.

Sed vim procreandi habet. Id autem *vim habere procreantem* atque fingentem inde colligitur, quod non alium in his quam in maribus *ortum* & à teſtibus & vaſis acceperit.

Quod etiam mulier quæ morbo comitiali, calculo aut podagra affligitur, *prolem* gerit horum *malorum hæredem.* *Rat. 1.*

Quod demum *partus* ſit plerunque *matri ſimilis*: quæ omnia non maternus ſanguis, ſed quod ab illa profuſum eſt ſemen efficere poteſt. *Rat. 2.* *Rat. 3.*

Ergo ſemen quod de mulieris partibus ſimilaribus deceſſit, ad ſimilium partium effectionem & conformationem vim quandam obtinet: tametſi *ea profecto minor* eſt & infirmior, quam quæ à maris ſemine confertur. *Maris vi minorem.* Qualis autem & quanta ſit ea vis, declarant ova quæ ſubventanea dicuntur, & rudiores molæ quas mulieres quandoque proprii duntaxat ſeminis vi, nullo viri concubitu concipiunt. In his ſiquidem procreationis eſt quædam adumbratio, & rudis materiæ concretio, quam maris ſemen ſi ſuis inſtructum viribus acceſſiſſet, tanquam multo potentius, numeris & ornamentis omnibus abſolviſſet. Neque tamen hoc per ſe & ſolitarium, ſed fœmineo duntaxat permiſtum quicquam perficit.

Rationes quibus Ariſtotelici contendunt fœminæ ſemen non eſſe.

In adverſam partem *multis rationibus contendit Ariſtoteles*, ut demonſtret *mulierem ſemen nec habere* nec emittere. Eum certè humo-

humorem qui in mulierum vasis manifestò cernitur, & quibusdam in venereo complexu magna cum voluptate effunditur, satis quidem animadverterat: at is (inquit) seminis rationem non habet. *Loci* enim *proprius* est, & uteri velut quædam profusio, qualis etiam viris minimè fœcundis sponte sua plerunque erumpit. Itaque cum antè semen id esse definivisset, *ex quo primo oriuntur ea quæ secundum naturam constituuntur*, hunc istum humorem qui non sit ad generandum accommodatus, semen non appellavit.

Rat. 1.

Rat. 2. 2. de gen anim. c. 4.

Eum humorem qui à fœminis cum voluptate emittitur, idcirco nihil ad conceptum conferre putat, *quod plerumque* (inquit) *sine ea voluptate quæ fœminis per coitum evenire solet concipitur, si locus turget & uterus propius descendit.*

aut saltem non esse fœcundum.

Non desunt qui eodem interpretationis genere hunc mulieris humorem *semen appellent*, sed *quod fœcundum non sit.*

Prima ratio.

Rationes autem quæ illi fœcunditatis vim adimunt, hæ sunt. In omni rerum procreatione aliquid est ut efficiens, aliquid ut materia, quæ quamvis in fruticibus unum idemque esse videantur, forma tamen & rationis dignitate longè latèque distant. In perfectioribus autem animantibus, ut hæ facultates sexibus distinctæ apparent, ita efficientis & patientis tum naturæ, tum corpora diversa sunt. Quocirca cum sit *mas efficiens, fœmina* vero *patiens*: hæc ad procreationem, non verum semen, sed materiam duntaxat conferet. In quibus enim mas à fœmina separatur, natura generandi principia non miscuit, sed prorsum ut viribus ita & sedibus ea disjunxit.

Secunda.

Si fœmina semen gerit fœcundum, cum alterum principium nempe materiam contineat, *poterit citra maris congressum*, ex se ipsa *fœtum edere*: hoc si fieri potest, frustra mas erit. Absona autem hæc sunt: fœcundum igitur non est mulieris semen, nec quicquam constituere potest.

Tertia.

Ova subventanea quæ gallinæ citra maris opem pariunt, imperfecta sunt & infœcunda.

Quarta.

In piscium genere cum fœmina ova deposuerit, mas deinde illa semine conspergit: quæcunque id attigerit vitam assumunt, reliqua autem irrita & à maris calore destituta contabescunt. Ex quibus perspicuum esse volunt, fœminæ si quod semen inest, id vim nullam habere efficientem & procreatricem, sed tanquam materiam maris semini subjici: quæ tamen ardoris stimulo fœminam ad coitum impellit, simulque uterum ad concipiendum parat & accommodat. Maris autem semen tum materiam, tum vim & facultatem eximiam habens, procreationis efficiens est & opifex. Quapropter mas formam motusque principium, fœmina vero corpus atque materiam affert.

Quinta.

Hæc rursum valida istiusmodi ratione stabilire contendunt. In perfectiorum animantium genere fœmina quem conceperit fœtum diu gestat atque alit: hoc autem efficere non potest, nisi supervacaneorum redundantiam *frigido humidoque suo temperamento* congerat: ejusmodi ergo cum sit fœmina, neque copiosum, neque calidum, idcirco *neque fœcundum semen potest efficere.* Hoc cum *Aristoteles* animadvertisset diligentius, mox subjunxit, *si semen esset, menstrua non essent: idcirco autem illud deest, quoniam hæc insunt.* Itaque fœmineum semen non eam elaborationem, non eos vitales spiritus, non eas denique vires quas masculum potest obtinere, quanquam similem ortus sui modum accepit. Hinc conficiendum putant, id non debere seminis appellationem sortiri, aut si semen dicendum videbitur, quia non fœcundum id est, & modicum à menstrui sanguinis natura discessit, homonymiam committi.

Solutio.

At vero si altius omnia scrutabimur, *solvi quidem hæc poterunt.* Etsi enim rationibus inniti videntur, quæ ex philosophiæ theorematis depromptæ sunt, hoc tamen duntaxat efficiunt, *maris semen præstantius atque fœcundius esse quam fœminæ*: non autem illud solum vim habere efficientem, hocque prorsus infœcundum tanquam materiam subjici. Commentitium enim videtur, & anicularum figmentis proximum, solum maris semen ex materno sanguine citra ullam fœminæ opem, perfectum quicquam progignere.

Rationis 1.

Rationis 2.

Nec est profectò earum muliercularũ dictis fides habenda, quæ asseranter pronuntiant se *nulla coitus voluptate* utero concepisse.

Rat. 3.

Ut autem quæ à gallinis eduntur *ova subventanea*, sic & quæ galli pariunt exigua, com-

compertum habemus nequaquam fœcundа esse. Necessum est igitur amborum semina mutua substantiæ familiaritate & amicitia se copulent & prorsus confundantur, si qua inde futura est absoluta procreatio. Semen non idcirco fœcundum appellamus, quod solum ex sanguine quippiam generet: ita enim ne masculum quidē fœcundum haberetur: sed hinc quod dum alteri confunditur, ad generandum conferat.

Controversia solutio ex Aristotele. Nunc autem quis demonstrare possit, fœmineum non opitulari masculo? Si nobis permittetur *Aristotelis rationem huc accommodare*, ea certè quamvis ab adversario petita, rem nostram omnem constituet, & quasi sepimento aliquo vallabit. Is enim A naturam ait maris ac fœminæ utrunque sexum in fruticibus miscuisse, quod sola vis mascula (licet terra materiam ei conferat) non satis sit, quæ procreationem in stirpibus efficiat. Quod si in his, multò magis opinor in animantibus, quæ præstantiori sunt ordine, necessum fuerit maris ac fœminæ vires conjungi, non idcirco duntaxat, ut fœmina materiam suppeditet, sed ut copulatis atque confusis amborum viribus, semen unum ex ambobus procreationi aptum proferatur. Hoc igitur integris absolutisque viribus præditum, tanquam opifex in subjectam materiam incumbit.

Hæc de semine procreationis humanæ principio nunc de materno sanguine differendum.

CAPUT VII.

De Menstruo Sanguine.

Ex Arist. 7. de hist. anim. cap. 2. De gen. Anim. 3. c. 19. Gal. 14. de us. dic. part. c. 6. 8. Menstruum portio sanguinis est. MEnstruum non quemadmodum semen ultimi alimenti, sed sanguinei portionem quandam esse, hoc est indicium, quod non mariscæ, non fluxus sanguinis è naribus, non varices, non tale quicquam mulieribus magna ex parte accidere solet, quamdiu id profluit; si quid horum erumpit, deterior fit menstrua purgatio, quod hujus materia alio rapta difficpetur.

Necessaria fœtus in utero nutritioni. Eorum animantium, quæ vivum fœtum edunt, fœminas *menstruo abundare necessum est*, ut hoc fœtum quem stato tempore utero gerunt, plenè alant ac sustentent.

Quo autem hanc alimenti ubertatem natura suppeditaret, *fœminam imbecilliorem frigidioremque mare* constituit. Hic quidem B quia plurimo calore circumfluit, omne quod susceperit alimentum perfectè mitigat atque coquit: & si quid præterea redundat, id potenter discutit. *Quæ colligi tur in fæmina, quod minus calida viris sit.* At fœmina quæ haud ita multum à mare perfectè calido disjuncta est, alimentum satis quidem conficit, infirmiorem tamen calorem obtinuit, quam ut quod redundat possit discutere. Proinde illi ex frigida imperfectaque natura, menstrui sanguinis utilitas accessit.

Et tamen sanguine copioso prædita. Quæcunque animantia ovum pariunt, nec fœtum in se vivum continent, mensibus non purgantur: minus enim sanguinis obtinent, aves quidem quia sicciores, pisA ces quia humore plurimo circumfluunt. Hęc una ratio efficit, ut in reliquorum animantium genere mulier plurimum menstrui sanguinis emittat. Calida enim & humida est illius constitutio, caretque pilis, cornubus, ungulis, aliisque particulis, in quas solet cæteris animantibus supervacua moles converti.

Quæcunque porro plenius gulæ ventrique indulgent, & vitam inertem otiosamque traducunt, quoniam exercitationis defectu & caloris inopia minimum supervacui sanguinis discutitur, ejus plurimum coacervant. Unus ergo *sanguis redundans*, tum viris materia prima fit seminis, tum mulieribus menstrui. *Arist. 1. de gener. an. cap. 20. Quo tempore menstruum erumpat.*

Ut enim maribus, sic etiam fœminis *circa annos pubertatis* ingens incidit corporis universi mutatio: ac tum temporis increscente jam & vegetiore facto nativo calore, pubes erumpit, ubera tumescunt, corpus libidine titillatur, exuberans sanguis calore veluti extenuatus diffunditur, vixque suis receptaculis coërcitus, viam sibi parat qua dimanet.

Quamobrem hac ætate prodidit *Hippocrates, maribus sanguinis è naribus profusiones, puellis vero menstruorum eruptiones obtingere.* Illis siquidem venę quę ad nares constitutæ sunt, his vero quæ in uterum inque ejus cervicem inseruntur, facilius promptiusque referan-

Et quarat-tione. ferantur & patefiunt. Itaque qui in vena cava redundat sanguis, in uteri venas perlabitur, hasque *copia & calore distendens* aperit, ut ab earum osculis stillans dimanet profluatq; è partibus obscœnis. Imminuta copia circumcisaque redundantia, quod reliquum est & corpori necessarium venæ retinent: dum vero menstrui nihil amplius erumpet, quæ ad uterum pertinent ora venarum, sponte sua occludentur, & connivebunt.

Quo circuitu. *Mensis unius curriculo* tantum denuo congeritur & accrescit, quantum ante profluxerat, idque simili prorsus ratione, naturæ impulsu per uterum deponitur.

Circuitus mensium causa. Non est autem quod aliquispiam existimet, hanc duntaxat sanguinis redundantiam *circuitus causam* esse, quoniam iis etiam, quæ sanguinis exiguum congesserunt, quanquam parcius, statis tamen circuitibus profunditur.

At hujus circuitus causa aut in naturæ consuetudinem, quæ omnia certis legibus, statisque periodis exequitur, aut in sempiternos & immutabiles lunæ cursus referenda est: quæ ut luminum varietate, tum crescens, tum senescens, mensem dimetitur, sic hominis ut sanè reliquorum omnium humores, rata ordinis constantia regit atque moderatur.

Portio ea sanguinis non peccat tantum quantitate. *Ne quis* porrò menstruum sanguinem *existimet* quasi affluentiam & *exuperantiam esse sanguinis* utilioris, & ei prorsum similem qui in venis pro alimento est, velim equidem hoc loco pleniorem de illo rationem instituí. *3. de hist. anim. c. 9.*

Plurimum in mulieribus fieri author est *Aristoteles*, & eum qui statis circuitibus profluit, *genus esse quoddam sanguinis vitiatum, & quasi ægrotans.* Etenim à puriore sanguine *secernitur* naturæ beneficio, præsertim decrescente aut silente luna. *Sed quoque qualitate.*

Rat. 1. Hoc excidente si novella vitis tangatur, in perpetuum læditur, *steriles fiunt* tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina. Si omnino mulier prægnans alterius menstrua supergrediatur, aut illis circumlinatur, abortum facit: ei autem quæ uterum non gestat, concipiendi spem adimit.

Rat. 2. *Mulierum* quæ purgantur *spiritus* & vapor ab ore, specula atque eboris nitorem obscurat. Gustatus hic sanguis canes in rabiem agit, homines autem miris cruciatibus affligit, comitialem morbum, pilorum effluvium, aliaque elephanticorum vitia infert: idcirco à veteribus inter venena relatus, pari malignitate existimatur atque sanguis elephantici potus. *Rat. 3.* *Et venenata.*

Rat. 4. Hinc *dum* in muliere *supprimitur*, nec statis temporibus emanat, ei etiam cui prorius est, debetque familiaris esse, gravissima affert incommoda, viscerum obstructiones, tabem, cancrum, morbum comitialem, hujusque perniciei quamplurima.

Quare fœtum menstruo non ali. Quum itaque tanta sit ejus perniciies, sitque vis ei tam pestifera, *vix* animum inducо *fieri posse, ut ex eo fœtus* in utero gestatus *alimentum capessat*: imo tum optimè solet mulier utero concipere, quum ab hac fœda eluvie munda repurgataque fuerit, quumque purus existet tum uterus tum reliquus sanguis in corpore, ex quo demum fœtus aletur.

Sed puriori sanguinis portione. Quanquam autem reliquo deinceps temporis circuitu, vitiosus similiter ac prius congeritur & accrescit, eo tamen haudquaquam fœtus continetur aut vivit, nec eum, sed quantum potest *purissimum* atque suavissimum *pro alimento rapit* sibique jungit.

Quonam igitur corruptus ille sanguis, quem menstruum appellavimus, in gravidis concedit, pars exigua circa uterum inhæret in venis, pars maxima reliquo puriori sanguini permiscetur. Hinc quia nequit naturæ vis omne illius virus mitigare aut evincere, *gravidis mulieribus plurima mala* obveniunt, corporis gravitas, fœdus faciei color, lienis tumores, varices, malacia atque ut in genere dicam, ab hoc retento in omne morbi genus prócliviores sunt, quam quæ uterum non gestant. *Quod probatur.*

Hunc autem natura intus continet, ne si viam patefaceret, cum eo utile fœtus alimentum simul emanaret. Itaque natura novæ prolis procreationem instituens, in vitæ discrimen plerumque parentem adducit. Non igitur menstruo fœtus alitur, si hac appellatione corruptum eum sanguinem notamus, qui purgatio est & excrementum purioris.

At vero quoniam hoc nomine omnem sanguinis ab utero factam dejectionem sæpius

pius veteres significarunt, fere fit ut & fœtum ali & lac gigni ex menstruo sanguine pronuntiemus.

De semine ac sanguine menstruo, quid sint, unde & ex qua materia, & quomodo gignantur, dictum jã satis est: nunc vero de hominis procreatione tradendum.

CAPUT VIII.

De Seminis Conceptione, & prima Hominis Constitutione.

Ex Gal. 1. de sem. c. 4. *Iam autem libidine irritati mas & fœmina.* QUoniam in animantium genere conducebat marem & fœminam separari, solers & provida rerum natura, ut eos quandoque ad generis propagationem invitaret, & ne universum genus intercideret, *libidinem* quasi stimulum ex seminis ardore utriq; injecit: & partibus obscœnis illecebras & admirabile; congressus desiderium, idque ut sua semina in unum conferrent, alioqui prorsus inutilia futura. Quare præter testiculos, quorum est semen generare, conditæ sunt partes obscœnæ, iisque insigniores duo nervi eximii sensus inserti, qui viris desinunt in glandem, venereæ voluptatis sedem.

Semen ambo ejiciunt. Dum itaque qui concavus est in pene nervus, spiritus copia impletur, penem arrigit, viasque distendit, per quas semen directe & impetu jaculemur. Veneris autem ingens facta delectatio, seminis vasa & testiculos irritat. Hinc mirificè impulsum semen turgidumque spirirus ubertate, vix potest suis vasis contineri, sed *cogitur foras exilire* ingenti voluptate: viris quidem quodam quasi saltu ob viæ flexum & longitudinem, mulieribus vero languidius. Ut autem omnes hæ causæ majores sunt in viris quam in mulieribus, sic illos constat in coitu majore voluptate teneri quam mulieres: quamvis hæ pluribus modis oblectantur, nempe dum semen erumpit, atque etiam dum uterus viri semen avide suscipit amplectitur. Hinc Tiresias vates, qui utrumque sexum fingitur expertus, mulierum partes visus est tutari.

ad os uteri. Porro autem seminis emissio non fit in uteri sinum, quoniam ejus os internum connivere occludique solet, sed *in cervicis fundum* excidit ad os uteri, quo plerique seminis vasa & testiculos derivari prodiderunt. Illuc igitur viri & mulieris semina confluunt: hincque (ut author est Aristoteles) in uterum angusto ore rapiuntur. 2. de gener. anim. c. 4. *Profusio* (inquit) *seminis non intro fit, ut quidam volunt, os enim uteri angustum est, sed ante, quo fœmina mittit vaporem illum nonnullarum recrementum: eodem enim mas etiam mittit quod fuderit, & aut ibidem manet semen emissum, aut intro ab utero trahitur, si calidus est modicè temperatus.* Cujus rei indicium quod locus qui modo madebat, resiccatus mox sentiatur. Sic & Oribasius, *Duo* (inquit) *orificia habet uterus, unum interius, alterum externum, in quod viri genitale semen conditur, in illud quidem non ingreditur, sed trahit uterus ad se semen, quemadmodum cucurbitula.* Aph. 32. Id ipsum videtur alio loco planius expressisse. *Quemadmodum è profundis cuniculis cervus serpentem narium inspiratu allicit, sic uterus viri semenè sua cervicè.* *Non in ipsum uterum ut putavit.*

Galenus ibid. c. 7. Miror ab his atque etiam à vero *Galenum* descivisse, qui putavit mulierem semen per cornua in solum uteri sinum ejaculari. Quum illa uterum gerens fortasse concumbet, quonam tandem semen *id uteri sinu* susceptum evadet? Obsignatum enim tum adeo est os uteri interius, ut nihil vel minimum subire possit aut excidere. Hoc si in præscriptum pariendi tempus intus contineretur, inutile prorsus & otiosum computresceret, & gravissima tum animi tum corporis incõmoda necessariò inveheret.

lib. 3. fen. 20. cap. 3. Hac forsitan ratione perterritus *Avicennas*, inconsiderate statuit gravidam mulierem, nullis virium conatibus, posse in concubitu semen effundere. *E quo in uterum trahitur.*

Ad hunc itaque modum *semen prolectat uterus*, si quidem validus est & inanis: appetensque veneris: atque si futura est conceptio, mulier quadam voluptate præsentit uterum gestire: miroque seminis desiderio totum in partes obscœnas provolvi, ut ei obvius ore quasi manu id excipiat, aut potius arripiat.

Et ab utero continetur. *Acceptum* deinde *continet* avidissimè ac in sinus suos recondit, adeò certè id undique comprehendens, ut nullum intus spatium inane sinat: quin & in id sese contrahens, os suum adeò coarctat, & claudit, ut ne

ne vel minimum quidem dehiſcat: cervicis autem os quod eſt ad partes obſcœnas, nunquam non patet. Sic quidem *Hippocrates* memoriæ prodidit, *iis quæ utero gerunt uteri os comprimi*, hocque teſtimonio, ſi obſtetrices immiſſo digito, os uteri connivere ſentiant, mulierem concepiſſe pronuntiant.

5. aph. 51.

Cæterum ſi imbecillior erit uterus, quod in vitioſis affectibus fit, aut ſi minus appetens erit ſeminis, ut in gravidis & in iis quarum libidinis ardor evanuit, quæque expletæ jam ſunt venere: viri ſemen in cervice aliquantum conſidens, mox foras excidit & elabitur. Id autem mulier fœcunda facile apprehendet & retinebit, ſi integra ſit valetudine, ſi pauco ante tempore repurgata & munda ſit à menſibus, ſi pariter cum viro aut paulò poſt id ejaculetur. Ita enim ſi eodem impetu atque vir ſemen emittit, aut ſi paulò antè cum jam libidinis furor plurimum incenſus eſt, uterus ingenti voluptate & aviditate id allicit & in ſe recondit. Contra vero ſi multo poſt aut antè quam mulier, vir ſemen emittat, cum nempè vel nondum effervеſcit, vel jam ceſſavit impetus libidinis in muliere, uterus aut ſemen non prolectat, aut certè non continet: neque ſi continet, utile id redditur, propterea quod nimia mora à fœmineo deſtitutum eſt, ſpirituſq; impetus evaneſcit.

Atque ita conceptio fit.

Neque profectò ſeminis attractio neque retentio, *conceptio eſt*, tametſi id ratio nominis videtur indicare. Non rarò enim avidus uterus ſemen attraxit, quod diu continere non potuit, ſed biduo aut triduo ſivit elabi. Eſt & cum id diutius inutiliter reſervat, uti in mola, quæ nec conceptio vera eſt: hujus enim mole opprimitur & laborat, perinde ut ventriculus cibo gravi & immutabili, quem tamen traxit ac continet. Eſt igitur conceptio *propria & peculiaris uteri actio, qua ſeminis poteſtas exuſcitatur, & inſitum ſibi munus reipſa obit & exequitur.*

Conceptio quid.

Quemadmodum enim terra ferax & fœcunda exceptum ſemen ſuo calore fovet, deinde excitat & ad parturiendum impellit: ſic *uterus* fœcundus ingenita vi, quæ alteri nulli parti eſt conceſſa, *ſopitam ſeminis vim* & deliteſcentem in eo poteſtatem *excitat*, & ad agendum extimulat, ut energia fiat & dicatur. Tum temporis ſemen opus aggreditur & ſuſcipit, quod antè nuſquam agere potuiſſet: alioqui enim mas ſolus in ſe ipſo generaret. Itaque ſeminis poteſtas in actum erumpit & exuſcitatur uteri vi: atque ea ipſa exuſcitatio conceptio eſt.

Ea conceptione vis ſeminis excitatur.

Avicennas & qui ejus inſtitutionem ſequuntur, perperam cenſuerunt, ſeminis poteſtatem in actum erumpere ea *corporis exagitatione*, quæ fit in concubitu. Primum itaque uterus ſemen attrahit, attractum continet, contentum concipit: haud ſecus atq; ventriculus tractum contentumq; alimentum conficit: ut enim concoctio ventriculi, ſic conceptio uteri propria eſt actio.

Non ut putavit Avicenna, lib. 3. fen 20. tract. 1. c. 3 motu concubitus.

Ex his profectò quivis perſpicere poſſit, *quæ ad probam & exquiſitam conceptionem deſiderentur.*

Quatuor neceſsaria ſunt ut bona fiat conceptio.

In primis enim neceſſarium eſt, maris ſemen recta affatimque emiſſum, fœcundum eſſe, nec tenue ut vel ſerum vel aqua, nec mole exiguum, ſed tale quale redditur à bene temperatis viris, non præter modum veneri indulgentibus.

Deinde vero uterum repurgatum, ſeminiſque appetentem, avidè hoc ipſum trahere è cervice.

Tertiò tractum undique amplecti ac continere, in totum connivente illius oſculo.

Ad hæc uterum fœcundum eſſe, qui ad ſeminis conceptionem ſit idoneus. Is autem eſt, inquit *Hippocrates, qui mediocrem ex omnibus obtinet temperaturam:* nempe qui nec immodico frigore denſior factus, maris ſemen refrigerat, oraq; vaſorum obſtruit: nec humoris affluentia ſeminis fœcunditatē tanquam terra paluſtris extinguit: nec ſiccior alimenti ubertatem inhibet: nec calidior ſemen ipſum ardore torret & exurit. In ſumma omnis immoderata abſit intemperies.

5. aph. 62.

At modicè intemperati optimè commodèque generant, ſi coeant cum intemperatis pari exuperantia in contrarium vergentibus, ſeſe enim temperant & certa ratione moderantur. Cum ſimilibus autem ſi commiſceantur, nequicquam valent producere. His ergo omnibus universè concurrentibus, conceptio naturæ legibus fit: neque ſi unum deſideretur, fieri poteſt ut conceptus ad abſolutionem perveniat.

Sterilitatis aut impeditæ conceptionis cauſæ, hujus loci non ſunt, quod in præſentia ea duntaxat, quæ natura duce ac veluti magiſtra proferuntur, perſequi ſtatuimus.

Cap.

CAPUT IX.

Prima Animalis Conformatio.

Ex Gal. 1. de semine cap. 6. 7. *Concepti seminis.*

AGe vero jam utero conceptum sit fœcundum semen, quid id deinde præstet ac moliatur, enarrandum.

Sunt quæ non ex seminis materia procreantur: sanguinea tamen animantia è semine omnia lucem accipiunt, orianturque hoc à mare in fœminam emisso. Maris ac fœminæ fœcunda semina, ubi consentanea quapiam moderatione oportunè convenient, mutua quidem amicitia tanto complexu jungentur verèque permiscebuntur, ut fiat amborum vis unica eademque natura.

Pars tenuior intro se colligit. Mox deinde suscitata vis illa in semine latens, hujus materiam variè distrahit, ejusque partes secernit: non enim est exquisitè unum & omni ex parte consimile. Itaque statim primo & altero die, *partes seminis tenuiores*, calidiores, & spiritus magis participes, *intro* & in medium totius molis se recipiunt: *crassæ* vero ac magis terrenæ *illas ambiunt* & circumcirca obvallant: ex quibus durioribus factis atque coactis uteri contagione & calore, obvolventes fœtum membranæ proferuntur. *Crassior extrorsum abit.*

E qua fit. Omnium extima ac prima fit *allantoides*, à farciminis specie appellata: tenuis ea quidem & invalida, & angustior quam quæ totum conceptum circumplicet & involvat, longis tamen & arctis processibus ad utrumque apicem porrecta: per hanc membrana chorion dicta, uteri apicibus annectitur. *Membrana allantoides.*

Sub hac tota seminis pars exterior & magis terrena (semper enim semen sese colligit in angustum, & parte sui media vires obtinet multo maximas) qua uterum contingit, in membranam alteram concrescit, quam Latini secundas, Græci χωρίον appellant. Semen etenim quia lentum est, & omni ex parte cohæret, calore crassius fit & magis cogitur, ob idque externa & summa ejus facies in membranæ constantiam coit. Levis autem cum sit, utero committitur & adhærescit per ora vasorum quę in uterum desinunt: ea dicuntur acetabula, per quæ semen alimentum ad se rapit: perforatur enim membrana, ut quæ mollis adhuc & recens sit coacta. *Chorium.*

Præter has autem & tertia quædam *amnios* appellata, gignitur, circumcirca universum conceptum amplectens & involvens, valida certè & futura sudoris receptaculum. *Amnios.*

Ab his autem ad reliquum semen convertamur. Gal. ibid. cap. 2, 4. 8.

Quod *intro conclusum est tenuius*, multò etiam magis calore diffunditur, hinc mox *turgescit spiritum concipiens*, ut inquit *Hippocrates*. Per id temporis quicquid in semine tenue est, id in spiritum abit, non eum quidem venti flatusque plenum: non enim tum uterus flatu turget, aut ejus distentione torquetur, neque per uteri cervicem flatus ulla vis erumpit. At vero sic in spiritum id verti putamus, ut spiritus ille caloris omniumque facultatum moderator, & primus procreationis author, in seminis medium se colligat: *non* enim (ut multi Aristotelem interpretantur) *is evanescit*, aut avolat è semine, sed in eo persistit, omnium partium conformator & opifex, in quibus radicitus ac penitus inhærens prima fit partium omnium natura, hasque ubi conformaverit, postea semper assistens, in omnem vitam quantum potest diutissimè & saluberrimè conservat. *Tenuior pars vertitur in spiritum.* *Qui manet in utero.*

Itaque hic spiritus non modo primum vehiculum & instrumentum est procreatricis facultatis, (in eo enim constituta est summa illa divinaque vis conformandi) sed etiam reliquas omnes naturales, quibus nutrimur & augemur, earumque auxiliarias, is unus in se omnes sustinet & comprehendit. Ex quibus planum evadit, spiritus & omne facultatum genus ex semine initium originemque ducere. Gal. ibid. cap. 5. *Et conformationis author est.*

Hoc pacto quod nuper simplex semen erat à parentibus emissum, *naturæ rationem sumit*: aut si explicatius hoc dici mavis, quæ prius in semine sopita erat naturæ vis, & quasi intercepta, tum ad agendum exuscitatur, dum primum id innatum sibi officium peragit, quod diximus conceptionem esse & nuncupari. Ambiguum enim est, an otiosum semen possis naturam appellare, *Et in eo est natura.*

re, quemadmodum nos recte vocare solemus dormientem musicum.

Hic primo tres bullas rudimenta partium principum constituit.

Itaque hic spiritus facultates habens & naturæ instrumentum, *tres bullas* in medio semine constituit quasi guttas perlucidas, quæ tum proxime sibi rudimenta quædam & principia exhibent trium principiorum, cordis, jecoris & cerebri.

de nat. pueri. *Et ad alias partes evagatus ea effingit. Non exterius tantum;*

Non tamen spiritus in his quasi fixus inhæret, sed *per totum seminis corpus vagatur*, nunc quidem ad externa pergens, nunc vero crassiusculæ jam membranæ occurrens, & ad seminis medium refluens, ut ab *Hippocrate* commemoratum est. Nulla enim pars seminis ab hujus contagione immunis est, imo hic simul cum natura quoquoversum se diffundit & cuncta tranat. Efficientis siquidem naturæ vehiculum est & instrumentum, quæ *effingit partes* singulas.

Sed & interius.

Has autem quia totas per intima conformat, si verum est *Aristotelis* decretum, omnem actionem contagione perfici, necesse quidem est totas *eas penitus attingat*, neque duntaxat extrinsecus, uti statuarum fictor, qui in interiores materiæ partes minime descendens, neque his manum admovens, rudes omnino & impolitas relinquit.

Iam vero ad institutum revertor.

CAPUT X.

Vt de partium corporis principatu, ita & de conformationis ordine magna quidem contentione certatur.

Ex Gal. de format. fæt. cap. 2. 3 4. 5. & an omnes partes fiant simul. *Cor ex Aristot. sententia primum conformari.*

ARistoteles venarum, quemadmodum & arteriarum originem, & tum movendi tum nutriendi principium *cor* instituens, non abs re, dum sibi suisque principiis vult consentire, hoc contendit *primum effingi* & seorsum consistere in iis animalibus quæ sanguine prædita sunt.

Rat. ejus 1.

Id enim primum cohærere atque constare necesse est, *ex quo incrementum & motus cæteris partibus* accedit. Quapropter (inquit) si quid tale est, quod in animalibus inesse necesse est, in quo omnis naturæ principium atque finis consistat, id primum quidem fingi & præ cæteris conformari necesse est. Ejusmodi autem cor esse ait, idque sensu primum percipi.

Rat. 2.

Adhæc quum per obitum *cor postremum vita privetur* id quoque ait primum vivere. Omnibus siquidem commune est, ut quod primum constitutionem & ortum acceperit, id postremo deficiat, quasi natura decursionem reducem agens, à calce ad carceres, unde initium sumit, redeat. Quod autem primum gignitur, id esse vitæ & animæ sedem, ab hoc deinde cætera membra suo quæque ordine conformari.

Cujus *nonnulli modestiorem interpretationem* subjiciunt, vitalem calorem in corde fixum atque stabilem, in seminis materiam influere, ex qua partes omnes conformat.

Quod negant Medici & ejus rationes non admittunt.

Hæc autem *medici* haudquaquam recipiunt, neque fatentur cor venarum esse originem: neque similaribus dissimilaribusque partibus motionis nutricationisve principium existere: neque id *ante cætera gigni*.

Rursum neque novissime id per obitum vita omni deficere, quamvis fortasse motu concuti, calere, ac vitales functiones obtinere videatur.

Ac fœtum primum vivere vitam plantæ beneficio jecoris.

Primum vitæ genus, quod naturale appellant, perfectiori quodam ordine statuunt homini inesse quam plantis. Hæ quia aluntur & increscunt, vivunt quidem, at non vitali eo calore & spiritu, qui animalibus ex corde proficiscitur, quando nimirum nec cor, nec quicquam quod illi proportione respondet, obtinent. Fœtus ex semine recens conformatus, haud secus atque *stirpium genus, jecoris beneficio vivit*.

Mox perfectiorem beneficio cordis, afferunt.

Hæcque illi prima est & simplex vivendi ratio, quæ quoniam ad vitam animantium tuendam non satis esse potest, temporis prolapsione *perfectionem* quandam consequitur *ex corde*, quod ingenti caloris & spiritus copia hanc actionem vegetiorem absolutioremque reddit. Solet tum temporis animantium vita, ipsaque vis & spiritus vitalia appellari nempe quorum appulsu præstantiore quodam vivendi munere conceptum viget quam planta. His certe rationibus conficiunt, non cor, sed jecur primum vivere, & primum conformari.

Itaque jecur primum, mox cor, conformari.

Hæc ita quidem varie disputari solent ratione utrinque probabili.

Cete-

Sed observatione constat omnes partes simul conformari.

Cæterum si de obscuris, non modo ingenii acie, verumetiam observatione judicandũ est, conceptum intelligemus nunquam otiosum esse, sed statim initio partes omnes ejus in suum quamque opus incumbere: *fœtus partes æquè omnes conformationis suæ adumbrationem & rudimentum nancisci*, licet non pariter omnes summam consequantur perfectionem. Nam ex puriore & vegetiore seminis portione, quæ in uteri medium concedit, loci tepore suscitatur solidarum partium materia, quæ spiritus omniumque virium & facultatum, atque etiam opificis nostri sedes e st. Hic protinus quasi discusso torpore exurgit, in actusq; proprios erumpit: ac primum multo spiritu turgescens se diffundit, omniaque permeans, partes varias quæ sunt in semine (hoc enim simplex non est & uniusmodi, quanquam tale apparet) secernit, calidas à frigidis, tenues à crassis & terrenis, ut singulę demum in propriam naturam redeant, & his partibus effingendis suggerantur, à quibus olim decesserunt.

Principes tamen citius, alia tardius apparent perfecta.

Seminis portiones quæ à tribus *parentum principiis* defluxerunt, *comparent in primis* medio semine in tres quasi bullas digestæ spiritu facultateque confertas: eæ rudimenta sunt jecoris, cordis & cerebri. Ac tum etiam generans facultas seminis materiam commutat, aptamq; reddit efformationi: & idcirco alię portiones crassiusculę apparent, quæ in ossa abituræ sunt, aliæ tenues ac liquidæ, ex quibus nervi fiant & venæ atque membranæ. Sic omnium præparatio quædã instituitur ad futuram conformationem.

Quomodo die septimo. Gal. ibid. cap. 8. 9. 10

Hujus operis nonnihil jam *die septimo* cerni potest, at multa apertius *decimoquinto*, quum in semine jam conspicuæ sint partes & substantia & situ discretæ.

Die decimo quinto.

Post id temporis ex idonea materia conformatrix facultas opus aggressa, primum rudia & inchoata principia, cor, jecur ac cerebrum in propria loca sejungit, propriaque figura ac specie exornat: simul & membranæ fœtum obvolventes robur nanciscuntur. Mox in his venæ & arterię effinguntur, omnes in fœtus umbilicum deductæ, & quarum oscula polyporum modo acetabulis uteri cohærent.

Tum temporis è jecore tum vena porta, tum cava multiplici sobole dispergitur, & è corde arteria, è cerebro spinę medulla caudicis A instar, è qua & nervi filis aranearum tenuiores emergunt: ventriculus, intestina, vesica, cordis involucrum, hypezoωa membrana atque peritonæos, duplex meninx, omnes deniq; membranæ firmo robore obtenduntur. Cutis concrescit omnia contegens, ex ipso quoq; semine, non ut quidam prodiderunt ex carne aridiore facta. Ossa figuram sensimque duritiem conquirunt, ex coacto & verè concreto semine. Ab ossibus quicquid vi caloris spumę modo emanat, id partim juxta ossium extrema reponitur, ad vinculorum conformationẽ, partim circumcirca & in longum effunditur, ut membrana fiat periosteos Gręcis appellata.

Vigesimo septimo.

Die quidem *vicesimo septimo* partes omnes & dispositæ & conformatæ quodammodo B jamapparent, sed perfectè in maribus die tricesimo, in fœminis tricesimo sexto.

Gal. ibid. cap. 6. & 15. de usu part. c. 6.

Hactenus sola existit solidarum partium conformatio ex puro semine, quod quantulumcunque initio conceptum est à parentibus, id nihil auctum, nihil amplificatum satis est partibus omnibus conformandis. Tum inde sanguis ex utero prolicitur, qui primum circum jecoris spermaticas fibras atque rudimentum concrescens, totam illius molem & substantiam constituit. Ita quidem sæpè observavimus *die quadragesimo* ejectum fœtum, semidigiti aut (ut ait *Aristoteles*) formicæ majusculæ magnitudine verè ac prorsus conformatum, & cujus partes omnes excepto jecore albæ ac spermaticæ cernebantur. Caput par erat avellanę, & majus quam pro reliqui corporis ratio- C ne: oculi ut cancris exerti: nasus, auriculę, brachia, manus, crura, pedes, hisque secreti digiti, penis conspicuus, sub quo scrotum milii magnitudine, superiora autem inferioribus majora, nullo ossium robore, sed flexibilia quocunque ducerentur. Omnia contecta cute tenuissima & pellucida, per quam interiora cernebantur, alba quidem omnia, fibrosa & seminis æmula, nullo carnis aut sanguinis rubore perfusa, unum tamen jecur rubrum inerat, amplum, & recens concreto sanguini persimile: in quod ex secundis per umbilicum venæ ferebantur sanguine confertæ, fœtum posthac nutrituræ.

Quadragesimo.

A die trigesimo sexto aut quadragesimo, conformatę partes solidæ nutriri incipiunt & car- *Sequentibus diebus*

ne fulciri, idque jecoris beneficio, quod omnibus alimentum conficit & miniſtrat. Senſim ergo natura carne eas implet capacitates, quæ inanes inter ſpermaticas fibras interciderant, pictoris exemplo, qui primum imaginem rudibus lineis adumbrat, mox vario pigmentorum genere illuſtrat & perficit. Caro igitur ex materno ſanguine fibris accreſcit mucoſa & lenta cuique parti ſua: fit autem ea tum in muſculis, tum in aliis partibus, coacto frigoris vi, quod in eas illabitur, alimento.

Nec omnes æquè citò perfectas eſſe.

At verò quoniam magna eſt partium tum in dignitate, tum in facultatum robore varietas, *fieri omnino nequit, ut gubernatrix* omnium natura *omnes æque promoveat*, ſed dum ipſa univerſim in omnes vires ſuas exercet, accidit ut aliæ partes citius, aliæ tardius formam conſequantur, & genitæ appareant: ac tum primum uſu quodam dicere ſolemus, naturam eas partes procreaſſe.

Proinde ſi quis à veteribus conformatarum partium propoſitus eſt ordo, non agentis eſt naturæ ſed effecti operis. Sic quidem & eximius *Hippocrates* de his ſtatuit. Membra ſimul omnia conformantur & increſcunt, nullumque prius aut poſterius altero: majora verò natura prius quam minora comparent, quum tamen nihil priora ſint. Non ergo pari tempore ornantur ac perficiuntur omnia, ſed quædam citius, quædam tardius, prout quæque ignem nutrimentumque nacta ſunt.

de nat. pueri.

Ergo ſi quem in genere procreandi ordinem ſpectes, *ea pars primum gignitur*, id eſt, genita apparet, *quæ dignior* eſt, motuſque principium in ſe obtinet: valentiore enim ea facultate, tum generante tum propria agente prædita eſt. Poſt hanc verò cæteræ, *quæ illi ſunt utiles*, & quæ illius gratia conſiſtunt. Sic igitur ſuperiora inferioribus, interiora externis, & ſpermatica ſanguineis prius orta apparent: ac inter illa quæcunque præſtantiora ſunt, priora ſunt cæteris, licet ſępè poſterius compleri ac perfici cernantur.

Sed eas citius, quæ aliis uſum ſunt præſtituræ.

Sic enim tres principes partes, cor, iecur & cerebrum, priuſquam umbilicus aut cæterorum quicquam, procreationis ſuæ primordia ſumunt, tametſi omnium primus umbilicus perfectè conſiſtit. Hac igitur via & ratione, quid poſt quod fiat quærendum eſt.

CAPUT XI.

De Fœtus Perfectione & Complemento.

Specie atque forma modo adornatus fœtus, totus tenellus eſt, omnique ex parte præ immodico humore lentus & muci plenus, ob idque ad omnes actiones minus accommodatus. Reliquo deinceps tempore, dum vi caloris aſſiduò aridior fit & ſiccior, cuncta firmantur, membranæ, nervi, atque cutis, ungues in extremis digitis, ac pili in capite radices agunt. *Senſus* autem facultate fœtus illuſtratur circiter diem ſextum & trigeſimum.

Circa diem trigeſimum ſextum ſentit.

Ubi autem jam ad *menſem tertium* mas pervenerit, fœmina verò ad quartum, firmatis oſſibus ac paulò durioribus factis, *moveri* inquit *Hippocrates*, ac calcitrare incipit.

Movetur tertio menſe.

At certè ſive mas ſive fœmina geritur, aliæ prægnantes ſemper die quadrageſimo ſecundo, aliæ menſe tertio, aliæ nonnisi medio prægnationis curſu eum loco dimoveri ſentiunt. Eadem quoque prægnans alias ſecundo & quadrageſimo die, alias quarto menſe primos motuum inſultus obſervat, quum quaſi volitantis muſcæ excuſſionem vel titillationem percipit. Tanti *cauſa diſcriminis* non ſexui, ſed vel robori bonæque conſtitutioni fœtus, vel prægnantis naturæ tribuenda eſt.

loc. cit.

In aliis tamen citius, in aliis tardius.

Quanquam hoc tempore unaquæque particula conformata apparet, nondum tamen integrè conſummata eſt atque firma. Proinde hinc *ad nonum uſque menſem*, quo fœtus lucem ortumque accipere conſuevit *perficiuntur* ſingulæ, nutriuntur & increſcunt.

Atque ita uſque ad nonum menſem perficitur.

Tum deinde quum fœtus id magnitudinis & roboris conſequutus eſt, ut ſe ipſo regi & ore ſumptum alimentum conficere valeat, amplior factus, uberioremque cibum expoſtulans & aërem ampliorem, quem ad nativi caloris refrigerationem ſpi-

Quo foras prodit.

spiritu ducat, vitam & *egressum ipse sibi facit.*

Situs infantis in utero. *Vtero gestatus, incurvus* totus ac contractus, talos ad nates applicat, manibus genua apprehendit, in quæ caput sic dimittit, ut oculi manuum pollicibus veluti affixi hæreant, nasus vero inter genua procumbat. Prior corporis pars, in matris abdomen, posterior in dorsum vergit, si mas geritur: nam fœminæ adverso situ collocantur.

Ejus in utero nutritio. *Hac autem ratione alitur* fœtus in utero. Singulis acetabulis tum venarum tum arteriarum ad uterum pertinentium alia adnata sunt vasa carne suffulta per secundarum medias regiones dispersa, quæ tandem in umbilicum coëunt, ex quibus fœtus sanguinem & spiritum assiduò rapit. Duæ si quidem in umbilico cernuntur arteriæ, in ramos arteriæ majoris lumbis subjectos insertæ. Totidem venæ ex umbilico, in unam coëunt, & in jecoris cava pertinent: ut qui per has ex secundarum venis tanquam ex radicibus (alitur enim fœtus authore *Hippocrate* ut cuncta humi nascentia) tractus est sanguis, rursum in fœtus jecore perfectionem suscipiat, & quasi nova mutatione familiare illi fiat alimentum. Hinc per venam cavam quoquoversum derivatus, partibus singulis pastionem affert: omnes quippe hinc alimentum capessunt. Concoctione jecoris, quæ perfectior quædam est αἱμάτωσις, quatuor humorum differentiæ gignuntur in fœtu, haud secus ac in adultis.

Ex Gal. 1. de sem. cap. 10.

Secretio excrementorum.

Vrina. *Vrina* licet pauca (quo enim sanguine fœtus alitur, is jam in matre ab urina magna ex parte fuerat purgatus) in renes & vesicam secernitur: hinc autem effluit, non quemadmodum nobis per vesicæ cervicem, sed eo ductu qui in fundum vesicæ inseritur, redundat in umbilicum, illincque spargitur sub membranam allantoeidem, ubi collecta servatur ad pariendi tempus.

Sudoris. Alterum universi corporis excrementum, quod *sudor* est, sub amnion membranam excipitur, eoque fœtus circumfusus est, ut cutem usquequaque contingat. Inter allantoeidem tunicam & chorion nihil incidit: sed hæ quasi continuatæ sunt.

Faecum alvinarum. Nullum excrementum *ex alvo* fætus deponit, cum neque ore cibum capessat, neque ventriculo concoquat: tametsi recens in lucem editis ex alvo elabitur quippiam simile crasso, nigro & lutulento sanguini: quod jecoris recrementum est, ex cujus cavis in intestina exciderat, in quibus cumulatum servabatur in pariendi tempus. In hunc igitur modum alitur, augetur, perficiturque fœtus.

Infans proditurus. se vertit. Cæterum circa nonum mensem factus grandior, copiosiore (ut dixi) egens alimento & spiritu: diutius concludi non patitur. Proinde *primum sese convolvit*, caputque declinans pudendo offert, crura ac reliquos artus in sublime distendens. Id autem nonnunquam molitur uno mense ante partum. Ac sic se invertens nihil defringit, quod laxior sit umbilicus, duos plerumque cubitos longus, multis modis & involucris fœtum præcingens.

Ex Gal. 5. de nat. facult. c. 3. *Et disrumpit membranas, ac omnia dissolvit.* Instante partu ille calcitrans, primum amnion membranam manuum pedumque crebra impulsione *disrumpit*, ac tum miscetur urina sudori. Posthæc verò majore impetu sese convolutans, plurima acetabula dissolvit: quo tempore mater ventris torsiones experitur, defluitque sanguis in uteri capacitatem. Postea verò secundæ ab acetabulis evelluntur, & reliquæ discerpuntur membranæ, ac tum aquæ ex utero defluunt: cumque nil amplius hærent fœtus, excidit ceu maturum malum ex arbore, soluto sponte pediculo.

Hæc quidem fœtus molitur.

Vterus os suum aperit. *Vterus* verò qui novem continenter mensibus tota cervice connixerat, fœtum avidè comprehendens, tum *os* paulatim *aperit*, ac primum quidem ita diducit, ut obstetricibus minimum in id digitum immittere liceat, dehinc verò amplius, ut obstetrices allantoeidem tunicam, & quas vocant aquas ori obvias percipiant.

Fundus vero vicinaque partes fœtum propellunt. Ab his verò ore ad fœtus prolapsionem satis patente, universus *uteri fundus*, quam proximè potest ad os se contrahit, *fœtumque foras propellit*: cui & aliæ *quæ circumstant partes* suppetias ferunt. Ipsa quoque mulier non mediocriter sibi ipsi opitulatur, & viribus connititur ad fœtum strenuè excludendum, contractis intentisque his qui in abdomine sunt musculis. Fœtus in os uteri delapsus, capite corpori viam parat, seque foras dat per lubricam cervicem, ut quam copiosus effluens humor perfuderat. Multa igitur in tam difficili arduoque opere conveniunt, fœtus, mulier & uterus, quem

ipſi aliquando vidimus tanto impetu fœtum extrudere, ut ſimul foras excideret.

Quomodo os aperiatur. 15. de uſu partium cap. 4. loc. cit.

Quo autem pacto os uteri tantoperè *dehiſcat*, ut per id fœtus elabatur, neſcit *Galenus*, nec aliud quam admirari poteſt. *Avicennas* tamen in ea eſt opinione, ut exiſtimet, pubis oſſa tum neceſſario ſejungi, horumque commiſſuram quaſi diſſolutam patere: quod tamen fieri nulla ratione poteſt, nec eſt uſu deprehenſum: rectum tamen inteſtinum & podicem graviſſimè premi conſtat.

Quo ſitu prodeat infans.

Ita quidem ex naturæ præſcripto paritur infans, mas quidem facie ad matris podicem, fœmina verò ad partes obſcœnas converſa, quoniam in utero illis quoque contrarius *ſitus* erat. Fœtus exitus anguſtia ſecundas exuit & invertit, quæ & mox fœtum ſequentes cernuntur umbilicum foris habere.

Quid fiat de ſanguine qui aluit fœtum.

Vix dum editus infans, ejulans vociferatur, ac ſine magiſtro, duce natura lac è mammis exſugit, quod eo magna proviſione reconditum fuerat: *ſanguis* enim qui menſibus ſingulis excerni conſueverat, ſubſiſtit, non in ipſo quidem utero (illic enim concreſceret in grumum) ſed in venis majoribus. Hic in univerſum corpus redundans *in tres diſtribuitur* portiones.

Prima ea eſt, quam fœtus per acetabula vi ſua pro alimento trahit, hæcque non modo menſtrui, ſed etiam totius materni ſanguinis (ut *Avenzoari* credimus) pars eſt ſinceriſſima & longe optima.

Ejus portionem in lac converti.

Altera ſanguinis portio, nullo item contaminata vitio, cum primum fœtus movetur, in mammas concedit, ut naturæ mutationibus in lac converſa, recens nato infanti familiare & conveniens ſuppeditet nutrimentum.

Tertia in ipſo jam partu & multo poſt tempore copioſè è venis per uterum dimanat.

A

Tres eæ portiones in ſupervacuo mulierum ſanguine continentur, & menſibus ſingulis naturæ impulſu foras exturbantur, hincq; menſtruorum nomen invenerunt. Una tamen ea portio quæ in pariendi tempus reſervata foras propulſatur, *verum eſt menſtruum* nutricationi ineptum, non molis tantummodo copia, verum etiam qualitate noxium & infeſtum.

Sed peſſimam menſtruum eſſe.

Tanta autem cum ſit menſtrui pernicies, quemadmodum ſupra diximus, mulier ſi à partu non commodè expurgatur, vita eſt in diſcrimine. Qua ratione motus *Hippocrates*, nec *dies* viginti, nec quinque & viginti, mulieri expurgandæ ſatis eſſe pronuntiavit: verum omnino aut duos & quadraginta, aut certè triginta.

Quod à partu exit. quot diebus

B

Quæcunque gravidis ſub partum incidunt ſymptomata, maximè vero malacia, cordis dolor, & appetentiæ dejectio, omnia verus hic menſtruus humor prorſus acceſſivit. Veterum diuturna obſervatione animadverſum eſt, mulierem quæ profluentibus menſtruis forte conceperit, fœtum edere ad elephantiaſin propenſum: definitumque eſt à quibuſdam, quoto ætatis anno illa in conſpectum ſe dabit. Hujus cauſam ſtatuunt, quod per id temporis fœtus neceſſariò augetur & increſcit ex menſtruo prorſum vitioſo & corrupto, quod ſuæ perniciei radices agens tandem ſuam prodit malignitatem. Si vero haud ita multum antequam menſes erumpere conſueverunt, mulier concipiat, quoniam jam quiddam in venis hujus eſt menſtrui, in lucem proferetur infans in multos certè morbos proclivis.

veri menſtrui pernicies.

C

Feliciter autem & integra ſanitate hic ortum accipiet, quem nuper expurgata mulier conceperit: niſi aliunde à parentibus vitium quaſi hæreditate contrahat.

Iam de infantis figura & ſimilitudine.

Caput XII.

Quibus ex cauſis fit, ut nati parentibus ſimiles diſſimileſve ſint.

Ex Gal. 2. de ſem. cap. 2. 5. Triplex ſimilitudo fœtui.

Hujus quæſtionis ardua & tanta obſcuritate involuta eſt inveſtigatio, ut quicunque in hac verſati ſunt veteres, de cauſa diſſentiant. Quo autem hæc breviter ſummatimque perſtringam, omiſſa *Ariſtotelis* de hiſce ſententia, *triplex* in primis *ſimilitudinis genus* commemorem.

Vnum in ſpecie.

Alterum in ſexu.

Tertium in effigie.

Eſt cum parentibus.

Quæ

1. *Speciei similitudo, quæ præsertim à fœmina est.*

Quæ *in specie* existit similitudo, maximè ex subjecta materia proficiscitur. Hinc quod ex animalium diversi generis concursu progignitur, *propius ad fœmina quam ad maris* speciem accedit. Ut ex ove & hirco, ovis gignitur pilis duris & longis consita: contra vero ex capra & ariete, capra fit pilis mollioribus: hæcque proportio retinebitur, si canis & vulpes, vel asinus & equa coëant. Qui certè eventus argumento est, multò copiosiorem fœtui materiam à fœmina quam à mare conferri. Cum autem mas nihil nisi semen suppeditet, consequens est, ipsum quoque semen fœtui pro materia subjici: alioqui fœtus matrem omninò exprimeret & specie referret, quod perspicuè falsum est & inane.

2. *Sexus.*

Ex qualitate prædominanti seminis.

Sexus porro *ex temperatura* & moderatione agentium & principum, quæ *in feminibus* insunt qualitatum emergit. Si enim utriusque parentis semen calore siccitateque plurimum excellat, mas procreabitur: contra si frigus humorque vincat & exuperet, fœmine.

Sexus discrimen non solum ex partibus obscœnis, sed etiam ex reliquo ferè corpore spectatur ex barba, partium amplitudine & voce. Ergo ex robustis parenbus, calidis, si temperantia quadam venerem exercent, mas ferè exuscitatur: rursumque à dextri testiculi semine, & in dextro uteri sinu, mares, à sinistris verò fœminæ.

3. *Effigiei.*

Quæ ex sententia Galeni à semine validiore est.

Formæ & *effigiei similitudinem robori facultatis conformantis, quæ in semine opifex est*, Galenus *refert acceptam*. At ne quis inferat, oportere semper fœtum patri similem gigni, quod patris semen validius sit materno: inquit fœmineum quandoque præpollere, propterea quod novem mensium spatio vim plurimam sumit ex menstruo, atque hinc accidere ait ut fœtus nonnunquam matri similes evadant, aut interdum una parte matrem, altera patrem repræsentent, cum neutrum semen reliquum prorsus evincit.

Sed malè.

Hæc autem *sententia vix sibi constat*, quod effectricem conformatricemque vim non modò fœmineo semini, sed ipsi quoque menstruo concedat. Sed neque ex iis rationibus causam reperiet, quamobrem fœtus plerunque alterius ignoti speciem similitudinemque gerat, qui nihil ad procreationem contulit. Quum etiam mas matris effigie in lucem editur, rationem statuit, quod in utriusque semine calor & siccitas excellant: quæ pudenda foras protrudant, ac reliqua depromant quæ masculi sunt sexus, sed tamen, inquit, in fœmineo vis effingendi præpollet. At si vis hæc (ut idem quam pugnacissimè tutatur) temperamentum consequitur, qui fiet ut masculum semen temperamento sit potentius, fingentem autem facultatem habeat imbecilliorem? aut undenam accidere possit, ut tanta vis conformandi insit fœmineo semini? quod nihilominus constanter asseverat crudum esse, frigidum & aqueum, semperque masculo imbecillius.

Venit enim à fœminæ imaginatione.

Probabilius est igitur, vehementi comprehensione & *firma gravidarum cogitatione* vim eam quæ fœtum conformat, duci atque gubernari. Hujus enim, quæ potissimum data est hominibus, tanta vis est & potestas, ut sicuti plerunque corpus cogitantis immutat, sic & in conceptum vim suam conferat.

Quod probatur.

Hoc testimonio quod dum mulieri, quæ nuper utero conceperit, vel cerasum, vel fragum, vel vinum in sinum effundetur, si animo id graviter ferens vehementer apprehendat, ibidem infanti nota inuretur. Par ac simillis est eorum ratio, quæ in malacia accidunt, si gravida eo cujus flagrat desiderio minimè potiatur, infans illius signum geret. Veterum etiam literis proditum est, mulierem albam, prolem nigram genuisse, hinc duntaxat, quod fixis oculis intentoque animo diu Æthiopis imaginem comprehendisset. Si pavo dum ovis suis incubat, linteis albis circumtegatur, albos omnino pullos, non gemmantis coloris edet: quemadmodum etiam gallina colore varios emittet, si picta ova foveat.

Cujus & sententia fuit Plinius lib. 7. de nat hist. cap. 1.

Hæc quum multorum animadversione comprobata sint, similitudinis, quæ in effigie est, ea justa causa videri potest, quam *Plinius* commemorat, è celebri quopiam authore depromptam. *Hausta* (inquit) *imago sub ipso conceptu, similitudinum reputatio est. Cogitatio enim utriuslibet parentis animo subito transvolans, effingere similitudinem existimatur. Hinc alios avis similes alios patribus enasci videmus: nonnunquam ex albis paren-*

parentibus in Æthiopem partum ipsum degenerare. A *Suntque plures in homine, quam cæteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas, multiformes notas imprimit: quum cunctis animalibus, immobiles sint animi, & similes omnibus singulisque in suo cuique genere.*

Hæc ille. Quibus ego prorsus assentior, & (verè) ut loquar omninò mihi persuadeo, vim formæ effectricem à cogitatione duci & ab ea una regi. Atque hęc de similitudinum causis, in quibus neque monstrosas affectiones, quæ præter naturam sunt, intelligi velim.

II. *Gemelli proveniunt ex portione seminis ad ambos uteri sinus emissa.* *De gemellis nunc reliquum est, ut breviter disseramus.* B

Si quod semen vir ejaculatur, statim dilapsum *uteri sinus ambos ex æquo subeat*, hisque conclusum foveatur, affluente tum muliebri semine: gemelli procreantur, authore *Hippocrate*, quanquam *Aristoteles* aliam causam refert. Si æqua portitio non est, contingit molam cum fœtu haberi. (de nat. pueri. 4. de Gen. Anim. c. 4.)

Qui gemelli unius sunt sexus, iisdem secundis involuti, simplici duntaxat membrana sejunguntur, suum quisque tamen umbilicum, propriasque tum venas, tum arterias obtinet. Qui vero diversi sunt sexus, diversas quoque secundas acceperunt, easque prorsus diremptas.

III. *Superfœtatio à semine post conceptum admisso.* Ergo locorum, in quos seorsum semen inciderit, distinctio, fœtuum numerum designat: quos (tametsi complures erunt) unus idemque concubitus instituit. Si enim postea *ex alio congressu* semen utero concipitur, quod mulieri perquam rarò, canibus autem & aliis plerisque animantibus frequentius accidit, gemelli non fiunt, sed ea fit quæ *superfœtatio* dici solet. Non enim uno tempore, sed dierum interjecto numero eduntur ii fœtus: estque ut concipiendi sic & pariendi tempus varium.

IV. *Proceritas à mare, moles à fœmina est.* *Corporis moles* ad alimenti sanguinisque materni bonitatem & ubertatem, *amplitudo* solidarum partium ad paterni seminis copiam, *proceritas* ad ejus naturam refertur: ea enim plerunque artus ad justam paremque magnitudinem porrigit. Mulier eadem ex pusillo viro pusillum, ex procero procerum fœtum parit: rarò tamen vir ex diversis mulieribus dissimilem magnitudine prolem suscitat.

CAPUT XIII.

Vnde & quonam ordine animæ facultates conceptui tanquam genitæ accedant: nec esse præterea dubitandum, an semen pars fiat conceptus.

Gal. de form. fœt. cap. ult.

V. *Anima.* P*Osteaquam universam fœtus procreationem sumus exequuti, tempestivè postremo loco* de animæ *viribus & earum* ortu *(quisquis est) disseremus.* A

Repetenda autem sunt quę semini inesse demonstravimus nempè fœcundum, animam in se continere, tum naturalem, tum sensus participem, idque potestate, non re ipsa & energia. Nemo enim semen animam jam habere, uti neque profectò animal esse dixerit, quod tamen ut evadat potestatem & vim habet. Præditum enim est divino & cœlesti calore, qui non in elementis, sed in spiritu quodam est æthereo. Hic autem *spiritus sentientis animæ sedes* est & vehiculum, primumque agendi instrumentum: atque in omne seminis corpus penitus immergitur, eique fœcunditatem conciliat. Hic à corpore inseparabilis est, nec per se potest solus constare, uti neque anima, cujus est sedes. (*Per spiritum seminis*)

A mare est. Quod si à materia nunquam sejungitur anima, neque ea divinitus, neque aliunde extrinsecus accessit. Quocirca ut in omni animantium genere *mas* pręcipuam seminis substantiam, ita sanè & animæ vim statim primo ortu una cum spiritu *confert*.

Sed potestate tantum. Primum tamen in semine delitescens, sensum latet, nec magna ex parte cernitur, quo tempore *potestate dicitur inesse*: at in progressu uteri vi excitatur, & opere se ostentat. Nam mox simul ac semen concipitur, *vis conformandi* exsurgit, quam nonulli ajunt velut idolum quoddam & ideam generantis esse. Hæc ubi fœtum totum conformaverit, supervacua omnino intercidit (*In utero in actum ducitur conformatrix.*)

&

& evanescit, ut multorum fert opinio: at vero quoniam postea in adultioribus dentes gignit atque profert, rectius putem illam servari, sed idcirco otiosam, quod ei desit materia.

Nutrix. *Nutriendi* insequitur *facultas* perpetua, & quæ nunquam vivum animal deserit. Hæc à parente defluens non (ut putavit *Avicennas*) in fœtu perit, ut ei mox alia sufficiatur vegetior: sed quasi repuerascens perpetua fit, non secus quam quæ in stirpium seminibus inest.

Sentiens & movens. Eadem de *sentiente facultate* ratio est, quæ in fœtu redintegrata, interim otio sopitur dum fœtus perfectior evadat, tum deinde in actum prodit, suaque depromit opera: his demum movendi vis appellit.

Mens & intelligentia creatur & inditur corpori præparato. Cæterum princeps pars ea animi quæ *mens* appellatur, & rationis præstantia excellit, separabilis quum sit a corpore, nequaquam in materia potestate continebatur, ex qua demum temporis progressu erumperet. Alioqui enim immersa corpori, ipsiusque egens perpetuo, nec ratiocinari, nec intelligere, nec aliud quicquam citra organum corporeum posset efficere. Ab summo rerum autem conditore primum *creata*, *in præparatum* instructumque infantis *corpus* universum, temporis momento *commigrat*, idque mense quarto fieri proditum est, quo tempore cor & cerebrum consummata jam sunt. Cæterum humoris redundantia, veluti in ebrietate aut lethargo sopita, nondum potest quæ sua sunt munera proferre.

Non corpori brutorum. Si animus ille, in quo inesse quiddam cœleste & divinum doctissimi illi veteres putaverunt, nequaquam inhærebat in seminis materia, *quid causæ est cur non* similiter, ut hominum sic etiam equorum, canum, *brutorumque cæterorum fœtibus accedit?*

Sed corpori humano, quia hoc tantum aptum est. Quoniam sic summus ille rerum omnium conditor singulari sua erga hominum genus bonitate contulit. Veruntamen si naturæ rationem penitius introspicimus, luculenter profecto deprehendemus *in humano fœtu quandam corporis præparationem*, partium temperaturam & compositionem à vi effectrice produci, quæ vel divinam illam mentem & ratiocinandi facultatem elicit, vel eam saltem admittit & conservat, tanquam convenientem, & cunctis functionibus obeundis consentaneam. Quanquam enim (ut *Aristoteles* est author) nihil cum ejus actione communicat actio corporea, corpore tamen malè affecto, aut non congruenter præmunito, ejus actio depravari percipitur. *3. de ani. cap. 6.*

Atque hæc ex opinione Platonis in Timæo. Hoc itaque successus ordine animæ partes in fœtu *ex Platonis sententia* comparent, qui tres eas situ atque substantia sejugavit. At minimè putes sentiendi anima appellente, altricem perire, & cum summa illa rationis particeps accesserit, quam omnium vim habere existimant, cæteras intercidere. Illi enim hæ semper assident, essentia sedibusque distinctæ.

A qua non multum abit Aristoteles. 2. de gener. anim. cap. 3. *Aristoteles* de hoc ipso facultatum ordine, inquit, *non idem simul animal & hominem fieri: sed prius quidem animal, deinde vero hominem, postea & hunc quoque hominem.*

Quum in fœtu primum simplex & solitaria inerat anima naturalis, frutex is utique non erat: neque quum sentiens anima accessit, brutum is certè fuit. Non enim quicquid stirpium modo vivit, id pro stirpe ducendum: quoniam jam sæpè admonuimus naturalem hanc partem in animantibus quam in stirpibus quodammodo perfectiorem haberi, & quæ semini inest, potestatem in se hanc continere sentiendi: neque quod eandem cum animali vitam agit, animal statim est: neque si animal, continuò brutum aut bos, aut leo, aut canis, aut eorum quiddam, quæ per se vivere ac sentire conspicimus. Et quanquam, ut alibi à nobis proditum est, quæ in absoluto jam animali sunt animæ partes, adeò connexæ sunt, ut sejungi aut divelli nequeant, nec ulla possit occumbere aliis salvis & constantibus, gigni tamen possunt & in actum erumpere, eo quem diximus ordine. Multò enim aliter occumbunt quam genitæ sunt: non enim interitu in semen redeunt, unde emerserunt. Quare omnium simul facultatum interitus, momento fit.

Aristoteli autem præterea facultates è viribus spiritus veniunt. Cæterum si *Aristotelis* sententiam institutionemque prosequimur, quæ ad veritatem propensior videtur, hæ facultates & animæ partes non ex crassa seminis materia prodierunt, sed ex cœlesti calore & spiritu, in quo omnem vim & potestatem consistere, à nobis est explicatum. Est enim eo authore in spiritu & calore vis atque

que facultas nondum re ipsa agens, sed potestate: hujus autem instrumentum est spiritus, utriusque vero sedes & materia est seminis pars terrena atque crassa. Hæc igitur seminis potestas, & quæ *in spiritu vis* delitescit, *tota in fœtus facultates convertitur*, spiritus in spiritum, quemadmodum *terrena* ejus *materia in solidarum partium* & spermaticarum *substantiam* facessit.

Materia solidarum partium è semine.

Quod probatur locis Aristotelis. 1. de gener. animal c. ult.

Ex his autem intelligi potest, eos aut contumeliosè *Aristotelis* sententiam detorsisse, qui eum dicunt statuisse semen solius opificis, non autem subjectæ materiæ rationem habere. Sæpenumero enim hic seminis appellatione eam facultatem designavit, quæ in terrena crassitudine consistit: hanc autem demonstrat constituti fœtus partem non fieri, sed opificis vim obtinere. *Nec enim mas omnis* (inquit) *semen emittit, & quibus emittitur maribus, nulla pars fœtus hoc est: sicut nec à fabro quicquam secedit ad lignorum materiam.* Quibus certè nihil aliud inferre conatus est, quam opificem, quatenus opifex est, partem non fieri constituti artificii.

3. de gener. animal. cap. 1.

At seminis corpus ille fætui pro materia subjecit. *Ossa* (inquit) *in prima constitutione gignuntur ex seminis excremento.* Paulo post. *Nervi etiam eodem modo quo ossa instituuntur, & eodem seminis excremento.* Jam verò si maris semen, multò magis fœmineum pars fit constituti fœtus: ex hoc enim tum membrana allantoeides dicta, tum etiam masculi seminis incrementum fit, unde partium quoque solidarum materia sufficitur.

Ut enim *in bicoloribus ovis, animal* (inquit ibid. *Aristoteles*) *ortus sui materiam à candido sumit, cibum autem à luteo* (origo quippe pulli in albumine est, cibus per umbilicum ex luteo petitur) amboque à fœmina proficiscuntur: quod autem in ovo est maris semen, tepido calore excitatum, pullum constituit, fingitque ex candido partes singulas, eas autem alit ex luteo. Ad hunc eundem propè modum, vel eo authore, in mulieribus atque iis animantibus quæ vivum partum edunt, masculum semen ex fæmineo auctum solidas partes constituit, quæ dein menstruo aluntur. Ovi quippe luteum mulieris menstruum, candidum vero terrenæ seminis substantiæ proportione respondet.

His omnem jam videor hominis ortum atque adeò universam Physiologiam complexus, quæ hominis (dum prospera fruitur valetudine) constitutionem naturamque continet.

Nunc qui affectus illi præter naturam obtingere possunt, & quæ horum sint causæ, proximo deinceps Opere narrandum.

Libri Septimi Physiologiæ, De hominis procreatione Finis.



JO. FER-

IOAN. FERNELII AMBIANI
PATHOLOGIAE LIBRI SEPTEM.
De Morbis eorumque Causis,
LIBER I.

CAPUT I.
Morbi Definitio. Quid Affectus. Quid Affectio.

Ex Gal. de sympt. diff. cap. 1. Corpus cum ea qua dictum ratione est, semper constitutum non permaneat;

EXimiam corporis humani A structuram, si natura, qualem instituit, integram tueri atque conservare potuisset, ars utique nulla medendi inventa unquam excultave foret. At quoniam ut rerum omnium quas mundus ambitu suo continet, ita & hominis certus interitus: isque *variis externarum injuriarum incursionibus* tanquam procellis undique *lacessitur*, perfecti quidem medici præcipuæ partes fuerint, hominis valetudinem, cujus permagna est varietas & inconstantia, & omnes quotquot infliguntur illi affectiones, diligenter penitusque perspectas habere.

Quæ illi præter naturam accidunt jam excutienda sunt.

Illius quidem naturam, facultates, & quibus hæ modis suas quæque functiones B edant, corpusque convenienter naturæ regant atque moderentur dum integrè sanum est, totam denique naturalem contemplationem in Physiologia, quæ totius artis quasi solum quoddam atque fundamentum est, fusiore demonstrandi via sumus persecuti.

Quæ quadruplicia.

Nunc igitur presso contractoque stylo *de adversa corporis valetudine*, quæ verè medica est consideratio, tradendum.

Et expendendum, *Qui morbi*,
Quæ symptomata illi impendere soleant.
Quibus ex causis hæc orta procedant.
Et *Quibus signis*, adesse noscantur.

Hisce enim absoluta videbitur omnis eorum tractatio, quæ insalubria & præter naturam sunt, quorum vi & impulsu homo de optimo vitæ statu decedit. Sigillatim horum unumquodque excutiam, & in singulis, quantum exercitatio usúsque medendi exposcit, commorabor. Quoniam verò nulla est singulorum scientia, ut omnia certa via & ratione stabiliam, *docendi initium ab universis* illorum *ducam* generibus. Hęc autem tria sunt, morbus, causa, & symptomata.

Morbus quid. Est affectus.

Morbus est affectus contra naturam corpori insidens.

Quæ Græcis est διάθεσις, *affectus* nobis appellatur: non ea quidem præcisa argutaque significatione, quam *Aristoteles* usurpavit, sed admodum ampla & multiplici verbi potestate, quæ omnem corporis constitutionem contineat, sive in substantia, sive in quali tate & temperamento, sive in conformatione & figura, sive in magnitudine, sive in numero ea consistat.

Quid sit effectio.

Affectus autem omnis mutatione quadam motuque facto induci gignique solet: quumque causa præter naturam efficiens, objectum corpus immutat, eique vim infert, aliquid ea quidem efficit, hicque ejus motus *effectio* dicitur, Græcis ἐνέργεια.

Quid affectio.

Objectum verò corpus patitur & afficitur, hicque ejus motus *affectio* est atque perpessio, Græcis πάθος vel πάθημα. Ex affectione tandem proficiscitur *affectus*, qui Græcis διάθεσις, quasi impressum affectionis vestigium.

Quid affectus. Quomodo hæc inter se differant.

Sublata causa protinus omnis ejus cessat effectio, cessat & patientis corporis *affectio*. At genitus *affectus* interdum manet ac persistit, manifestè ab affectione sejunctus: ejusmodi

modi est ulcus à candente ferro corpori inustum, aut vulnus inflictum gladio.

Interdum minimum subsistit, nec certè permanet, sed sejuncta causa aut pariter cum affectione aut quam mox deletur: sic putrida febris, quæ calor est præter naturam omnes corporis partes occupans, vacuato humore putrido, qui ejus efficiens est causa, nihil aut minimum persistit.

Est *tertiò* & quum ex *affectione* nullus emergit *affectus*, si levis ejus nec magna vis est: ut quum leviter pungente acicula, aut igne acrius ardente dolor affectioque premit, qua tamen desinènte nullum sæpè manet punctionis aut ustionis vestigium, nullusque affectus. Et quum ex impuro ventriculo tenuis acerque vapor sublatus, cerebrum meningesque tentat, dolor quidem inest, ac sæpè delirium, quo falsa rerum simulachra sese objiciunt atque repræsentant: hæquidem affectiones sunt capitis, in quo tamen nondum ullus contractus est affectus, quemadmodum neque in ventriculo quum ejus concoctio malè affecti jecoris contagione impeditur. Multò quidem evidentius timorem, mœstitiam, excandescentiam, aliasq; perturbationes, animi affectiones appellant, quæ citra ullum cordis affectum hominem exercent.

Quomodo differat διάθεσις καὶ πάθος.

Quanquam igitur Græcis idem sunt διάκεισθαι καὶ πάσχειν id est affici & pati, diversa tamen iisdem sunt διάθεσις καὶ πάθος, id est affectus & affectio seu perpessio, ut rursum diversa sunt πάσχειν καὶ νοσεῖν, ita sanè affici & ægrotare. Solum ægrotat quod morbo & affectu tenetur: afficitur vero tum affectu tum affectione.

Etenim simplices quas recensui affectiones contra naturam sunt, corpusque variè fatigant, morbi tamen idcirco non sunt, quod minimè in affectuum sint genere, sed numerentur in symptomatis.

CAPUT II.

Quid contra naturam, quid præter naturam.

Ex Gal. de diff. morb. cap. 4.

Hæc porrò corporis constitutio vel naturalis vel nonnaturalis.

Omnis porro *corporis constitutio* atque affectus, aut *naturalis* aut *non naturalis* existit.

Nonnaturalis vel præter naturam.

Atque *non naturalis* alius *præter naturam*, alius *contra naturam*.

Præter naturam, qui tametsi ex naturæ præscripto non est, illi tamen nullam vim infert. Ejusmodi est fœdus ictericorum color, & qui solis ardore contrahitur, & faciei lentigo, omnis præterea levior affectus & præ exiguitate adeò obscurus, ut neque nostris, neque laborantium sensibus animadverti possit. Sic ulcusculum quod neque sensum movet, neque functionibus obest, præter naturam esse dicimus, nec tamen contra naturam, nec morbum: licet enim idem sit specie atque ingens ulcus, ad quod efficientium caussarum continuatione perveniret (nam similare quum sit, non ut domus quæ exædificatur, incremento aut magnitudine speciem mutat) quia tamē non perspicuè functionem lædit, contra naturam dici haudquaquam debet.

Vel contra naturam.

Contra naturam affectus est, qui non modò naturæ limites excessit, sed & illi vim infert, ejusque vires & functiones manifestè interturbat, atque id modò proximè, modo alterius interjectu facit. Ita quippe medicus omnia ex viribus æstimans, manifestam potissimum offensionem expendit, & in hanc præcipuè animum intendit, quæ medicam opem efflagitat. Quod igitur contra naturam, unum & idem est atque præter naturam actionem lædens.

Sive ea impediat, sive lædat actionem.

Nihil autem interest utrum lædens an impediens affectionem dicas. Ut enim quum actio aut non fit aut malè fit, idque proprio alicujus partis vitio, verè læsam actionem dicimus, ita & quum alienæ rei interventu id fit, ut dum calculus vel grumus vesicæ cervicem obstruit urinæque profusionem cohibet, tum quoque ut impedita, ita & læsa actio dicenda. Atque licet nulla sit partis similaris, est tamen instrumenti offensio.

Non cum ab externo vitio peccatur.

At vero *quum externo* duntaxat *vitio peccatur*, nec læsa nec impedita est actio. Neque enim si vitiosum alimentum ventriculus non concoquit, idcirco læsus est: neque si uvarum acini integri nihilque mutati deturbantur ex alvo, cruditas est, aut concoctio læsa aut impedita: cocti fateor hi non sunt, sed minimè tamen crudi.

CAPUT III.

Morbum omnem in corporis partisve substantia consistere.

Ex Galeno 1. de sympt diff. c. 1.
Iam constitutio prater naturam.

QUicquid in nobis consistit, aut corporis pars est, aut in illa certè continetur. Partem dico quæ ex solida substantia & carniformi, atque ex innato spiritu in quo nativus calor & facultas inest, constituitur. In corpore autem continentur spiritus vagi & diffluentes, sanguis, humores, & excrementa. Quinetiam præter partes & contenta functiones quoque existunt ex iis profectæ. Itaque quoniam res ipsas non rerum umbras sectari consilium est, tria hæc semper animo teneri & quasi ob oculos proponi velim, contenta, corporis partes, & functiones. Horum cujusque vitium & de statu naturali decessio, affectus est & constitutio præter naturam.

Vel functionum est.
Est & symptoma.
Vel partium est.
Et est morbus.

Quod autem *in contentis est vitium, morbi causa est.*
quod *in partibus, morbus.*
quod *in functionibus, symptoma.*

Quum enim corporis *pars* sola primum & per se functionum sit opifex, ejus duntaxat integritas & firma constitutio functiones perficit, & sanitas est: infirma vero atque vitiosa, primum & per se functiones evertit, hæcque sola *morbus* censetur.

Sive pars sit præcipua sive ministra.

Partis appellatione & similarem & organicam complectimur, atque in organo tum *pars præcipua*, tum aliæ *quæ usum illi præbent*, continentur: ut non solum qui in crystallino humore, verum etiam qui in alia quavis oculi parte contra naturam affectus inest, morbus habeatur. Quum enim crystallino partes cæteræ subsidio veniant, & ad videndi functionem magnum usum afferant, earum affectus primum ac per se visionem pervertet, quę non solius crystallini humoris, sed totius est oculi. Quocirca omnis partis, sive principem ea functionem edat sive duntaxat opituletur, affectus contra naturam, morbus est.

Vel contentorum. Et ea non est morbus.

At vero *contentorum*, ut spirituum, ut humorum, & supervacaneorum affectus, etiamsi contra naturam sint, *morbos non dicimus*, quandoquidem in partis substantia non inhęrescunt: Atque hi quoniam in nulla parte consistunt, nec per se nec proximè, sed morbi interventu functionibus incommodant.

Ac quare.

Hoc vero luculentius explicandum. Anima ejusque facultates in uniuscujusque partis innato spiritu & calore sitæ primæ & principales functionum quæ eduntur, efficientes causę sunt: partes vero earum duntaxat instrumenta, sine quibus nihil illæ efficiant. Et nihilominus partes ipsas hic principales statuimus, proximasque functionum causas: sive quod recondita penitusque abstrusa sit animæ facultatumque substantia, sive quod ad agendum in primis necessaria sit instrumentorum vis, sive quod fortassè, ut præstantissimis philosophis visum est, animæ facultatumque substantia immutabilis, nulla vi, nullo morbo labefactari atterive possit, quanquam plerunque instrumenti vitio interpellatur.

Sed neque partes ipsę simpliciter functionum causæ sunt, verum constitutio earum atque διάθεσις. Bona quippe constitutio, bonarum: mala, malarum est functionum causa: atque illa sanitas, hæc morbus existit.

Sed est morbi causa.

Contentorum autem, ut quę sint *morborum causa*, firma constitutio sanitatis, infirma morbi causa fuerit. Non igitur vesicæ non renum calculi aut grumi numerantur in morbis, sed neque intestinorum lumbrici neque ascarides, etiam si toto genere contra naturam sint, sed duntaxat morborum causæ putantur.

Dum partes corporis afficiunt.

Atque id solum, *dum partibus corporis incommodant:* non enim, si tanta capacitate quanta est cæci intestini, citra partis offensionem contineantur, morbum efficient. Ad hæc neque humores si putrescant in venis, morbum inferent, actionemve lædent, nisi partes effectrices contagione prius attingant labefactentque. Ad hunc modum febris intermittens, morbus comitialis, hydrophobia, aliique morbi complures, causam intus habent in quiete & intervallo otiosam, & quæ non nisi quum partes lacessit morbum incitat.

Latent enim ea sæpè sine morbo.

Ex his, opinor, satis intelligitur, multa contra naturam atque adeo ipsam necis causam

causam internam consopitam in nobis *contineri*, sine ulla offensione, & proinde *sine morbo*: quemadmodum & gladium & arsenicum nullo plerunq; incommodo circumferimus. Hinc & multos qui jam diu mortis causam intus conclusam haberent, derepente nulloq; antecedente morbo videmus mortẽ oppetere. Solum igitur affectus contra naturã, qui in partis substantia consistit atq; hęret, debet morbus censeri.

CAPUT IV.

De affectu per consensum.

Ex Gal. 3. de loc. aff. cap. 1.

Morbus ita quoque duplex.

QUi igitur per consensum morbus existit, nec simpliciter nec absolutè morbus appellatur. Est namque *affectus contra naturam duplex*, unus *partis proprius*, alter, *per consensum*.

Per se.

Ἰδιοπάθεια affectus est contra náturam parti insidens, ejusque proprius.

Συμπάθεια affectus est contra naturam parti alterius vitio impertitus.

Per consensum.

Qui triplex

Tribus is quidem modis fit.

Vnus est quum pars aliquid præter naturam aliunde illapsum excipit. Sic è ventriculo aut humores tenues, aut corrupti vapores in caput sublati, modo mentis actiones interturbant, modo meningum distentione vel exesu dolorem excitant, modò oculis simulatas fictasque rerum imagines

1. objiciunt atque representant, iis similes quæ per suffusiones cernuntur.

2. *Alter* est quum facultas opifex in partem illabi & influere prohibetur: veluti spina inflammata vel obstructa, crurum resolutio incidit, omnisque illorum motus sensusque perit: & obstructis nervis opticis oculorum videndi actio concidit.

3. *Tertius* per consensum affectus est, quum materia ad agendum necessaria accedere prohibetur. Exempli gratia, obstructis pulmonibus, aut resolutis costarum musculis, aut perforato thorace, quia non satis spiritus cum efflatu ad laryngem compellitur, vox quæ illius est actio aut supprimitur aut etiam perit. Quinetiam magna venarum quæ ad jecur sunt obstructio, impedit quo minus sanguinis fiat in omne corpus distributio, efficitque ut alimenti penuria languescat corpus, tandemque atrophia contabescat.

Morbus per consensum proprie morbus non est.

Jam verò quomodocunque seu naturalis seu animalis pars consensu laboret, affici ea quidem patique dicitur, quandoquidem & illius actio vel omnino perit vel quodammodo impeditur, minimè tamen idcirco ægrotat, neque ipsa illius affectio morbus est, quod parti non insideat: quare nec illi remedia adhibentur, nec si adhibeantur, magnopere juvent. Itaque si cui parti morbus inest, necessario illius actio læditur: at non contra. Non enim si partis actio læditur, statim etiam consequitur illam morbo teneri.

Fit tamen talis tractu temporis.

Porrò autem pars quæ diutius ex alterius consensu laboraverit, quandoque *proprium inde contrahit affectum*, fitque ex sympathia idiopathia.

Qui vocatur secundarius.

Hic verò quanquam proprius est affectus, non tamen primigenius, sed secundarius & posterior. Illum Græci *πρωτοπάθειαν*, hunc *δευτεροπάθειαν ἢ ὑστεροπάθειαν* dixerunt. Ita quidẽ ex morbo subinde morbus nascitur, atq; idem plerunq; morbus est & morbi causa.

Hæc quidem de morbi notione satis.

CAPUT V.

Tum sanitatis, tum morbi amplam esse latitudinem, & inter hæc neutram constitutionem intervenire.

Ex Galeno 1. de tuẽd. valet. cap. 5. Sanitatis.

ETsi animal tam firma corporis constitutione nasci, tamque justis vivendi legibus contineri servarique potest, ut vitam ad extremum senium integra atque incorrupta sanitate ducat: hanc tamen decursu & ętate progrediente mutari necesse est, & varias ac multiplices mutationes sustinere. Sed neque omnium qui sani degunt, una est eademque constitutio: nec una igitur sanitas. Quinetiam hominis cujusque

Ampla latitudo est.

jusque *sanitas*, aëre, cibo, potu, somno, vigiliis, motu, balneis, ira, dolore, aliarumque causarum vi & impetu lacessita, plerunque commutatur, ut perspicuum esse debeat *amplo illam spatio contineri*.

Ut & morbi. Iisdem rationibus intelligitur, *neque morbum angusta latitudine circumscribi*: nec eadem constitutionis pernicie eum periclitari, qui nunc primum in morbum incidit, atque eum qui extremum vitæ diem brevi conficiet, nec denique morbos omnes peræque graves existere.

Quænam sit sanitas. Itaque corporis partisve absoluta & exquisita symmetria quæ ad summum pervenerit, *summa est sanitas*. Quæ ab hac paulum deficiens constitutio, nec actionibus nostris nocua est, nec animali manifestè gravis, sanitas etiamnum est, at non perfecta.

Quænam morbi. Quæ dein eo vitii processit ut jam homini conspicuè molesta sit, ejusque functiones graviter offendat *morbus est*, qui sensim ingravescens tandem ad extremum, quod mors est, perducit.

Inter quas media neutra constitutio. *Inter has media* quædam interjecta est utrinque obscura: quæ idcirco nec sanitas, nec morbus, sed *neutra est constitutio*. Neutrius enim est particeps, & neutrum corpus reddit nec sanum nec ægrum, sed inter utrunque quodammodo medium. Argutas quidem & multiplices hujus verbi potestates nonnulli percensent, sed profecto rei medicæ parum utiles, & quæ interpretes in varios sophismatum labyrinthos præcipitarunt.

Quæ & suam habet latitudinem. Neutra hæc constitutio *latitudine circumscribitur* in tres ordine distincta, in neutram obscure sanam, neutram obscure ægram, & neutram quæ inter has verè media intervenit. Omnes conspicuè elucent, dum vel ex sanitate in morbum, vel ex morbo in sanitatem transitus est. Exquisite medium ab utroque extremo quamplurimum distat. Quod una parte sanum, altera ægrum existit, haudquaquam neutrum, sed ægrum appellavero.

Hanc negavit Aristoteles. *Aristoteles* sanum ex integritate actionum, ægrum ex quavis offensione dimensus, nihil inter hæc medium constituit, sed privantia fecit, perinde atq; videns & cæcum.

Cujuslibet hujus constitutionis corporis ordines sunt tres. Omnis porrò *corporis constitutio*, tum sana, tum neutra, tum ægra *in tres dispertitur ordines*, ut sint totius humanæ vitæ constitutiones novem. Extrema quidem maximè contraria sunt, integerrima sanitas & mors. Qui ab illa sensim ad mortem deducetur, has omnes vitæ constitutiones subibit, quę hac sibi serie cohærent. Optima sanitas, bona sanitas, sanitas levis & parum firma: neutra constitutio ad sanitatem propensa, neutra absoluto sermone, neutra ad morbum inclinans: morbus simplex & levis, morbus gravis & mediocriter periculosus, morbus gravissimus & maximè periculosus. Hæc proximè mors sequitur ultima rerum linea. Quæ omnium media consistit, individua est: cæteræ ampla latitudine excurrunt, quas terminis exquisitè discernet peritus artifex. Hæ quidem non in varias species disjectæ sunt, sed solo gradu ordineque distant.

CAPUT VI.

Prima summaque morbi genera.

Ex Gal. de diff. morb. cap. 3. 4. Morbus triplex est. QUoniam quidem morbus omnis in parte aliqua corporis penitus insidet, consentaneum est primas illius differentias ex partium differentiis constitui. Partes vero duplices sunt, aliæ similares, organicæ aliæ.

Similaris. *Morbus qui partis similaris eucrasiam naturalemque constitutionem perverterit, similaris* appellatur.

Organicus. *Organicus, qui instrumenti rationem & symmetriam infregerit.*

Communis. Quum autem utrique parti commune fit, ut particularum continuatione earumque coagmentatione & adhæsu consistat, harum *dissolutio utriusque morbus est*, & utriusque functionibus peræque incommodat.

Itaque prima summaque morbi genera tria omnino sunt, similaris, organicus & communis, qui unitatis solutio dici consuevit. Atque hæc non ex morbi essentia, sed ex partium varietate deprompta sunt.

CAPUT VII.

Similaris Morbi Differentiæ.

Ex Gal. ibid. c. 5.

HOrum vero inferiora genera speciesque veræ ac propriæ, ex vitiorum quæ contra naturam parti insident, ducuntur generibus, seu ex modis quibus pars unaquæque de optimo & naturali statu decedit. In parte similiari tria spectantur, materia, temperamentum, & forma, quæ totius est summa perfectio. Horum trium naturalis constitutio & symmetria sanitas est: uniuscujusvis igitur immoderatio & ametria quæ contra naturam evaserit, morbus censeatur. Materiæ morbus est immoderatio; temperamenti intemperies, formæ corruptela: atque hæc in similarem partem incidunt.

Partis similaris morborum tres differentiæ.

Hujus proinde *morbi tres* existunt, *materiæ immoderatio, intemperies, & formæ seu totius substantiæ corruptela.*

Lib. de abdit. causis.

Tria quidem in similari parte distincta contineri, totamque substantiam à materia & à temperamento secerni, propria esse uniuscujusque vitia, tres hinc oriri similaris morbi differentias, alio opere pluribus demonstravi.

Jam verò *intemperies octo* numerantur.

Quatuor simplices, calida, frigida, humida, sicca.

Differentiæ morborum intemperiei.

Conjugatæ totidem; calida & sicca, calida & humida, frigrida & sicca, frigida & humida: quæ quum exuperant, actionesque manifeste lædunt, morbi fiunt.

Aliàs hæ *puræ* existunt.

Aliàs ex humorum vel intemperatorum, vel putridorum vitio prodeunt.

Materiæ.

Materia immoderata, mollis est aut dura, laxa aut astricta, tenuis aut crassa, rara aut densa: hæcque illius vitia morbi sunt.

Totius substantiæ.

Totius verò *substantiæ* nomine & insitum spiritum, & divinum illius calorem, & facultates ipsamque formam complectimur.

Totius substantiæ morbi sunt, qui partium substantiam primum & per se oppugnant.

Horum *alii manifesti* sunt, *alii occulti.*

Hi sunt vel manifesti.

Manifesti, qui partium corporisque substantiam manifestis ex causis demoliuntur: ejusmodi sunt ulcera maligna, phthisis, jecoris, lienis aliarumque partium putredo, ex primarum qualitatum intemperie nata. Et spiritus innati dissolutio per vigilias, labores, inedias, atrocesque dolores: & nativi caloris extinctio in strangulatu vel in penetrabili extremoque frigore. *Occulti* morbi sunt qui cæcis ex causis totam substantiam oppugnant. *Vel occulti. Qui sunt.*

Eorum *alii venenati*, alii *contagiosi*, alii *pestilentes.*

Hi ex aëre cœlestium corporum viribus inquinato suscitantur, ut febris pestilens, ut carbunculus, & pestilens bubo: hique graviores appellantur. Sunt & alii leviores, ut exanthemata tum rubra tum purpurea, quæ summa cute maculis minimè exuberantibus efflorescunt: & ecthymata, quæ pituitæ eruptiones dicuntur: atque utrique consueti sunt. Præter hos nonnunquam alii emergunt insolentes, novis & inauditis ex causis orti, ut paraplegia quædam *Hippocrati* dicta, urentes ardores, gravedines anhelosæ, sudorifica febris, quibus nostro seculo regiones plurimæ perculsæ & afflictæ sunt: alios verò alia secula protulerunt, qui veterum oblivione obruti extinctivè jam sunt, alios futuris seculis posteritas animadvertet, quum novæ syderum concursiones permistionesque illorum effectrices obtingent. *Vel pestilentes.*

Contagiosi morbi externi cujusdam veneni occursu & contagione inferri solent, ut stupor à torpedine pisce vel ab opio, & hydrophobia, & qui scorpionum bestiarumque virulentarum morsu aut telorum ictibus infliguntur. Hujus quoque classis sunt lues venerea, elephantiasis, quique ex horum confusione oriri possunt. *Vel contagiosi.*

Venenati morbi ex veneno aut *intus genito* aut *assumpto* originem ducunt. *Vel venenati.*

Ex intus genito morbus comitialis, strangulatus uteri à putri semine, syncope ex putrido sanguinis grumo, cordis quædam palpitatio. *Ex intus genito veneno.*

Ex assumpto veneno morbi ejus veneni naturam imitantur, quod totius substantiæ dissidio nobis est infensum: ejusmodi sunt, quos aconitum, taxus, ephemerum, cantha- *Aut ex assumpto.*

tharis, lepus marinus, hujusque classis plurima intulerunt.

Has quidem differentias omnes similaris morbi genus unum complectitur, quas à veteribus magna artis jactura aut prætermissas, aut perperam ad intemperiem simplicemve putredinem relatas fuisse miror.

Ita igitur quasi figura descripta sunt omnes similarium morborum differentia, luculentius tamen posthac sigillatim explicandæ.

CAPUT VIII.

Instrumentarii Morbi Differentiæ.

Ex Galeno ibid. c. 6. Propria instrumenti cujusque ratio est *figura* conformatioque ad suum munus obeundum aptissima. Ab hac & cranii & spinæ dorsi os instrumentum nuncupamus, etiamsi compositione simplex & similare existat. Neque tamen musculi portio, quæ carnis, venæ, arteriæ & nervi nonnihil retinet atque dissimilaris est, instrumenti nomine digna sit, quandoquidem figuræ concinnitas perempta est: rudis enim & informis restat, minimè apta perfungendis muneribus. Est & certa instrumenti cujusque *magnitudo*, extra cujus limites quodcunque egreditur, vitiosum censetur. Adhæc verò quæ dissimilaria vocantur instrumenta, similarium partium ex quibus constant certum definitumque *numerum* sortita sunt. Hasque partes aptè *inter se cohærere*, sibique consentire, & benè collocari necesse est. Itaque quod ad proprias functiones instructum & accommodatum est instrumentum, conformationem, magnitudinem, partium numerum, earumque situm naturæ legibus convenientem obtinet. Horum symmetria & naturalis constitutio, instrumenti sanitas est: uniuscujusque vitium immoderatius, *morbus* est *instrumentarius*. *Organicus morbus quadruplex.*

1. Conformationis. Cujus idcirco *quatuor sunt differentiæ*.

Vna conformationis, *altera* magnitudinis, *tertia* numeri, *quarta* collocationis sive situs vitium.

Ex Gal. ibid. c. 7. Hæc autem denuò conciduntur etiam minutius.

Quum enim conformatio aptaque ad opus figuræ concinnitas in multis posita sit, ex multisque constet, ex figura, ex meatu, ex cavitate, ex lævitate aut asperitate, unaquæque horum permutatio, & de statu naturali decessio, instrumenti morbus dicenda.

Qui vel figuræ. *Figuræ* morbo tenentur varii quibus foras, & vari quibus intro crura contorquentur: & quibus caput vel rotundum vel oblongum nimis est.

Meatuum per quos feruntur distribuunturque contenta, morbus est *dilatatio nimia*, qualis est pupillæ in oculo, & venæ in varice, & arteriæ in aneurysmate. *Vel meatuum.*

In hoc genere dilatationi opponuntur, *astrictio* & *obstructio*.

Astrictio, quum meatus ab externa causa angustiores evadunt, ut spiraculorum cutis densitas atque conniventia ex siccitate, ut asperæ arteriæ & œsophagi coarctatio ex premente angina.

Obstructio, quum meatus ab incidente intusque hærente materia quasi infarcti angustiores fiunt: quod vitium non modo cuti, sed & venis, & arteriis, & intestinis, ductibusq; omnibus frequens inesse solet.

Cavitatis (quæ excipiendi continendique gratia comparata est, hinc sinus & receptaculum appellata) morbi sunt, *nimia capacitas*, ut ventriculi, thoracis, & scroti amplitudo: & *coarctatio immodica*, ut thoracis depressio, quæ ad phthisim deducit, ventriculi inducta medicamentorum vi tanta astrictio, ut idoneam cibi copiam excipere nequeat. *Et cavitatum.*

Illius quoque morbus est *repletio*, ut quæ est ventriculorum cerebri in apoplexia, uteri in mola, vesicæ in calculo: neque tamen cum *Avicenna* calculum ipsum morbum dixeris, ut neque telum corpori infixum, neque humorem crassum venas obstruentem, sed duntaxat morbi causam: ipsa verò calculi constitutio, & vesicæ repletio, (quemadmodum & obstructio) morbus instrumenti habendus est, impediens ne vesicæ capacitas satis multam urinæ copiam excipiat contineatque. lib. 1. fen. 2. doct. 1. c. 3.

Lævitatis morbus est, quum lævis & lubricus aut ventriculus evaserit, aut uterus, quæ ut firmius continerent natura. *Vel asperitatis & lævitatis.*

tura quodammodo] aspera conformavit.

Ex Gal. ibid. cap 9. *Asperitatis* morbus est in tracheia arteria, quum nimiopere exasperata raucitatem infert. Atque hi quidem morbi idoneam instrumenti conformationem labefactant.

2. Magnitudinis. *Aucta.* *Magnitudinis* autem *morbus* est, quum pars aliqua aut *supra* convenientem naturæ modum increvit, aut *infra* substitit: ut linguæ tanta moles quę ore comprehendi nequeat capitis vastitas, crus quale in quodam visitur reliquo corpore grandius. *Imminutæ.* Huc quoque pertinent linguæ brevitas, capitis, digitorum, crurumque concisa atque minuta quantitas.

A nativitate. Vel postea. Hæc autem vitia *vel ab ortu* nobis adnata sunt, *vel ab alimenti* exuperantia penuriave contrahuntur.

Ex Gal. ibid. c. 8. Quæ verò ex humorum influxu processerunt, non huc, se ad tumores præter naturam referri debent, quos statim dicemus morbos esse compositos.

Numeri. *Numeri morbus* tum *in exuperantia* tum *in defectu* consistit.

Exuperantis. *Exuperantia* quidem vel est *rei naturalis*, ut sexti digiti, ut tertii testiculi, quem omnibus cujusdam familiæ superare novimus: vel est *rei toto genere præter naturam*, ut verrucæ & calli.

Deficientis. *Defectus* est solius rei naturalis, quæ vel ab ortu deest, ut quum quis mancus nascitur, vel postea detrahitur, ut manus amputatio, idque sive *partim*, sive *omnino* deest.

Quum pars quædam ab instrumento penitus eximitur, solius numeri morbus est, qui in instrumenti residuo dicitur inesse: execto enim digitò numeri morbus residet in manu. At dum non prorsum & radicitus, sed veluti ex dimidio pars resecatur, tum numeri tum magnitudinis morbus existit; idemque affectus sub utroque genere comprehenditur. Ex Gal. ibid. c. 10. *Compositionis.*

Compositionis porrò *morbi* sunt & *in situ* & *in consensu*.

In situ. *In situ* quidem artuum luxatio, dentes exerti & prominentes, omenti vel intestini in scrotum prolapsus, manus scapulis adnatæ, ut in ea muliere quæ sine brachiis oberrat.

In consensu. *In consensu*, quum mutua partium societas & connexio pervertitur, ut in strabismo. In hoc genere vitium est, quo vel digiti, vel oculorum palpebræ, vel podicis, vel vulvæ, vel oris labra cohærent, idque sive ab ortu, sive ab ulcere. Hoc nonnulli vitiatam continuitatem appellarunt, & sub genere morbi communis male sunt complexi.

Tot sunt igitur organicorum morborum differentiæ.

CAPUT IX.

De Morbo communi, qui est Continui Solutio.

Ex Galeno ibid. c. 11. *Continui solutio non ut Averhoes putavit lib. 2. coll c 5. 6. competit tantum parti similari,*

ILlud arcte tenet accurateque defendit *Averrhoes, continui solutionem proprie partis esse similaris*, partemque organicam non alia ratione dissolvi, quam quod illius ossa, nervi, fibræ, venæ, arteriæ, aut secentur aut disrumpantur. Eam quoque divulsionem cutis à nervo, aut nervi à vena, aut ab osse, quæ aut in manu aut alio fit instrumento, non continui solutionem appellat: sed vitium compositionis atque consensus, eamque morbum statuit organicum: quoniam totam instrumenti rationem ex similarium partium connexione deducit.

Sed quoque dissimiliari. *At turpiter ille fallitur:* quandoquidem (ut ipsi aliquando demonstravimus) vera instrumenti ratio est conformatio, à qua & venam & arteriam instrumentum appellamus. Quoniam igitur continui solutio rei figuram & conformationem vitiat ac pervertit, ipsa quidem per se & primum instrumenti morbus est: huicque perinde atque similari per se accidit.

Ea variæ. *Solutioni continui varia ex partium differentiis nomina posuerunt.*

Alia ossium. *Ossis* enim solutio transversa, fractura dicitur, recta verò fissio.

Cartilaginis. *Cartilaginis* quæcunque sit solutio nomen nondum invenit.

Nervi. *Nervi* solutiones sunt punctura, & incisio in transversum, & fissura in rectum, & contusio.

Venæ & arteriæ. *Venæ & arteriæ* solutiones sunt, osculorum apertio & dilatatio, incisio in transversum, & fissura in rectum.

Membranæ. *Membranarum* omnis solutio ruptura dici solet. Cujus levior solutio solam epidermidem

dem divellens excoriatio eſt, at quæ in veram cutem aut altius in carnem penetrat, aut vulnus eſt aut ulcus.

Nulla cordis. *Cor* ex partibus omnibus unum nullam ſolutionem tolerat quin continuò animans morte extinguatur. Aliæ complures extant tum ſimilarium, tum organicarum partium ſolutiones, quas quum necdum uſus nominibus propriis notaverit, communi totius nomine appellamus.

Hæc ſumma ſunt genera, hæ differentiæ, in quas morbi omnes quicunque modo ullo corpus exercent, referri conjicique debent.

Sed quo oculi flavities &c. referenda. A pleriſque autem dubitari video *de flavitie* aut rubore ceratoidis tunicę, quę omnia ante oculos propoſita aut flava aut rubra exhibet, oculique videndi actionem pervertit. De *aurium* quoque *tinnitu*, qui cum magnus eſt, anditionem impedit: de *fœtore narium*, qui odorandi vim interturbat: deque *linguæ amarore*, qui guſtatus judicium corrumpit.

Hæc quidem vitia alii ad novum *morbi genus* referunt, quod ſecundæ qualitatis morbum appellant: alii ad intemperiem, A quandoquidem ſecundæ qualitates ex primis ortæ proceſſerunt.

Cæterum in maxima rerum ignoratione utrique verſantur: illa quippe non morbos, *ſed ſymptomata* eſſe apertiſſimæ rationes convincunt. Nam ſi fortè actionem labefactant, non tamen proximè, ſed novi cujuſdam morbi interventu. Sic profectò ſymptoma plerumque novum morbum accerſit, ejuſque fit cauſa: quemadmodum vehemens dolor aut vigiliæ ventriculi concoctionem impediunt, non per ſe quidem, ſed quod frigidam intemperiem ingenerent. *Non ad morbos. Sed ad ſymptomata.*

Si qui porrò ſortibus, in cantamentis, aliiſve perditis magiciſque artibus, aut etiam *divinitus morbi infliguntur*, hujus inſtituti limites tranſcendunt: atq; tametſi cauſam omninò trans naturam habeant, poſſunt tamen ſinguli (quia in aliqua corporis parte conſiſtunt) in ſua quæque genera refundi. Ita quidem de ſingulis percontamur, ut diſcuſſa ambiguitate, res ipſa clarius eluceat, nec locus ſit incurſantium cavillis. *Huc quoque non pertinent morbi ſupernaturales.*

Hactenus traditæ ſint ſimplicium morborum differentiæ.

CAPUT X.

De Compoſitis & Implicitis Morbus.

Ex Galeno ibid. cap. 12. 13. CORpus alias *unus*, alias *multi morbi exercent* & infeſtant.

Morbus qui unus. *Vnus* morbus appellatur qui in una eademque corporis parte conſedit, ſive uni, ſive multis actionibus officit & incommodat: ejuſmodi eſt ventriculi intemperies, quæ non unam aliquam, verum omnes pariter illius naturales functiones ſubvertit. Febris quoque unus eſt morbus: licet enim partes omnes corporis ſimilares occupet, quoniam tamen ex his aptè inter ſe continuatis atque connexis unum corpus efficitur, unus quoque omnium morbus cenſetur. Neque tamen febris in toto corpore, ut quod organicum eſt, primum & per ſe inſidet, neque illius niſi ex accidenti morbus eſt.

Et qui plures. Cæterum inflammatio pedis & inflammatio manus unus morbus non ſunt, quia tametſi ſpecie ſimiles, nulla tamen continuatione junguntur & cohærent. Jam evidentius *multi* ſunt & diverſi, jecoris inflam- A matio, & renum vel lienis obſtructio quippe qui & generibus & partibus diſcreti ſejunctique ſunt.

Morbus unus eſt vel ſimplex. *Morbus unus duorum eſt generum: aut* enim *ſimplex* eſt, *aut compoſitus*.

Simplex, qui unius duntaxat ſimpliciſq; generis naturam accepit, ſive in ſimilarium, ſive in organicorum ſit ordine: ut calida intemperies, ut renum ſimplex obſtructio.

Hic rurſus *modo ſolitarius*, *modo comitatus* exiſtit.

Qui ſolitarius. Quum nulla ejus efficiens cauſa præſens B adeſt, nullumque grave ſymptoma, quod ad ſe curantis conſilium revocet, tum *ſolitarius* eſt morbus, ut intemperies ſimplex.

Aut comitatus. *Comitatus* verò quem præſens & continens cauſa intus fovet atque alit, ut obſtructio: aut quem horrendum ſymptoma conſequitur, ut nephritis aut dolorem immaniſſimum aut ſyncopen inferens.

Hæ differentiæ non modo ad ſimplicem morbum verumetiam ad omnia, tum compoſi-

positorum, tum implicitorum, distinctorumque genera pertinent & accommodantur.

Vel compositus. *Compositus* morbus appellatur qui ex multis eidem parti insidentibus & quasi connexis concrevit unusque factus est, ut ventriculi intemperies calida & intemperies sicca, quę unam ut conjugatam, ita & compositam efficiunt. Sic ex ulcere & intemperie calida si in eadem sunt parte, morbus fit unus isque compositus. Quum ab ictu violento depressus simusque factus est nasus figuræ quidem vitium est & naris obstructio, ex quibus compositus est morbus: quemadmodum dimidii digiti, vel dimidiæ linguæ circumcisio, ex numero & magnitudine componitur. Quum carneum tuberculum ut narium polypus interiori canali adnascitur, obstructio fit & morbus in numero, unus quidem morbus sed compositus, aut certe unicus affectus, qui duorum morborum rationem obtinet. Manifeste compositi morbi sunt, phlegmone, œdema, scirrhus, aliique tumores præter naturam: in his enim & intemperies est, & vitiata partis figura, plerunque & continui solutio.

Tot igitur morbus unus differentias habet.

Multi morbi sunt vel impliciti. *Multos* porrò *morbos* dicimus, qui multas variasque partes occupant Atque hi aut *impliciti* sunt, aut *connexi*, aut disjuncti.

Impliciti quum variæ partes quibus insident in communem usum aut functionem conspirant. Involvuntur enim & complicantur, quia uni eidemque functioni incommodant: ut pleuritis & asthma: horum enim societate & concursu communia quædam emergunt symptomata, quæ vix explicari disjungive possint: ut tussis, ut difficilis respiratio.

Vel connexi ex morbi natura aut ex natura partium. Consequentes aut *connexi* morbi sunt, quorum prior posterioris est causa.

Id bifariam fit, alias *ex ipsa morbi natura*, quemadmodum pleuritim necessariò & proximè febris consequitur, eique connexa est.

Alias *ex partium conditione*, quarum una cum altera affectum communicat. Id autem trifariam accidit. *Primum* ex communi partium societate, qua affecto ventriculo cerebrum per nervos, & affecto utero mammæ per venas vitium contrahunt. 1.

A *Deinde* situ proniore, quo renum vitia in vesicam, & capitis excrementa in pulmones, in ventriculum, in nervos & in articulos procidunt, illincque ortum habent asthma, tussis, paralysis, dolor articularis. *Tertiò* partium robore, quo validior atque nobilior in imbecillam atque ignobilem excrementa sua deponit: ut male affectum jecur in ventriculum, in intestina, in alas & inguina, in omne denique corpus: eadem ratione illius inflammationem dysenteria, & scirrhum hydrops insequitur. Ita quidem consequentes hi sunt, ut prior posterioris causa sit, non sua essentia, nec proximè, sed excrementorum & defluxionis interventu. Hos idcirco & connexos dicimus, quod nisi sublato priore vix posterior eximi possit. 2. 3.

B Qui morbi commutatione quadam sibi succedunt, & quorum prior in posteriorem abit, consequentes quidem, at raro connexi dicuntur, quod raro prior sit posterioris causa. Hoc modo pleuritim nulla connexione sequitur peripneumonia, & phrenitim lethargus, & colicum dolorem paralysis.

Vel separati. Disjuncti *separatique morbi* sunt, qui in distantibus sejunctisque partibus consistunt, quarum nec functio nec usus est communis, nec una alteri affectum confert & impertitur: ut pedis ulcus & renum obstructio, linguæ amputatio & pedis luxatio. Partis autem appellatione non eam quam aliquando presse & anguste definivimus, sed omnem subjectam sedem significo, in qua quasi confusi affectus consederunt.

C *Multifariam morbi componuntur.* Quum igitur complures morbi in eandem prorsus sedem concurrent, compositus erit morbus, alias minimè. *Multiplex* autem *est morborum compositio.*

1. *Interdum* enim similaris similari permiscetur, ut calida intemperies siccæ, ex quibus conjugata fit intemperies:
2. *interdum* similaris communi, quum ulcus est cum calore.
3. *Tertio* instrumentarius instrumentario: ut in digito qui supra modum increvit simulque distorquetur.
4. *Quarto* instrumentario communis: ut quum accepto vulnere manus invertitur.
5. *Quinto* similaris instrumentario: sic ventriculi aut manus phlegmone, id est rubens renitensque tumor, unus morbus est, ut & affecta sedes una, sed is ex intemperie, ex vitiata figura & ex latente

tente continui solutione compositus. Apertius verò tria morborum genera componuntur, quum phlegmone manifesto ulceri accedit. Posterioribus modis compositus morbus non in solo instrumento, non in sola parte similari, sed in utroque collocatur sedemque habet: atque idcirco utriusque actionem primum & per se subvertit, quanquam id ratione inversa.

Implicanturque.

At verò in oculo ceratoidis erosio, rhagoidis exitus, pupillæ distortio, & apparens suffusio, quanquam uno eodemque tempore consistunt, nequaquam tamen unum constituunt compositum morbum: sed ii vere *impliciti sunt*, quia diversis partibus quum insideant, uni eidemque obsunt videndi functioni.

Qui à compositis distinguendi.

Uniuscujusque particulæ quæ ad instrumenti structuram pertinet vitium, totius instrumenti morbus censetur, quemadmodum sanè & pleuritis, & nephritis, & arthritis, totius sunt corporis, licet non in toto sint, nec eidem parti inhærescant. Sic ceratoidis erosio & pupillæ distortio oculi sunt morbi, at nec in toto nec in eadem parte siti. Partes quibus insident instrumentum unum construunt, *non* tamen earum *morbi compositum unum efficiunt*: alioqui fateri cogemur, pleuritim, nephritim, & pedis luxationem unum totius corporis compositum esse morbum.

Nec partis similaris morbus cum instrumentario confundendus.

Quanquam autem hæc vera sunt, tamen *qui in similari parte morbus* est, *non* primum, sed ex accidenti debet *instrumenti morbus* censeri. Dum enim manus calida intemperiè vel inflammatione citra tumorem laborat, nec instrumentum læditur, nec ullus in eo morbus est. Undenam igitur, aut cur illius actio periit? quod instrumentum ad agendum indigeat subsidio & bona constitutione partium similarium, sine quibus nihil efficiat. His ergo offensis instrumentum rectè nequit functionem suam obire: ac tum instrumenti functio subvertitur, eo tamen haudquaquam primum ac per se affecto: quod etiam supra de affectu per consensum confirmavimus. Licet autem morbus hic similaris instrumenti functionem secundario lædat, nulla tamen ratione contra potest morbus instrumentarius similari parti officere.

Aut cum causa morbi.

Neque morbus similaris quod instrumenti actionem secundariò lædat, idcircò *morbi causa* est: quanquam enim causa omnis secundariò & per accidens actionem lædit, non tamen contra quicquid secundariò actionem lædit, morbi causa statuitur.

DE
MORBORUM CAUSIS.
CAPUT XI.
Causarum Genera & Differentiæ.

Ex Arist. 2. de nat. ausc. ca. 3. *Non sufficit morbos novisse: earum quoque causa cognoscenda sunt.*



VT Philosophi, qui rerum omnium contemplatoni dant operam, quam acerrimè in causarum investigatione notitiaque versantur, quod nullius rei queat haberi cognitio, cujus ignorata sit origo: ita & *medicis*, qui omnia in corporis commoditatem usumque referunt, *in primis necessaria est causarum* quæ morbos effecerunt *observatio*, sine qua neque morbos præcavere neque curare licet. Causæ quidem genitis ex se morbis adeò confertè contexteque cohærent, ut hos assiduo foveant atque conservent, neque unquam morbi possint causis manentibus deleri. Quibus non illa empiricorum temeraria & fortuita, sed rationalis medendi via curæ est, ii efficientes illas conservantesque causas primum demoliri & circuncidere contendunt, ut his sublatis facilior reliqua fit morborum curatio. Itaque causæ omnes pervestigandæ, quæ ad morborum cognitionem curationemque in primis sint necessariæ.

Earum quatuor sunt genera.

Earum autem *genera quatuor* sunt philosophis, *materia, forma efficiens atque finis.*

Materia. Nascentis morbi subjecta *materia* est humanum corpus, in quo (ut supra demonstravi) penitus is insidet: quemadmodum & in ære, hominis aut equi effigies. Non enim (quod multos fefellit) vitiosus humor subjecta est morbi materia: quanquam efficiens illius materia quodammo dici potest.

Forma. *Forma* est morbi species in materiam impressa inductaque.

Finis. *Finis* actionum læsio & interitus.

Efficiens. *Efficiens* causa omnium certè præstantissima atque princeps est quæ corpus immutat, deque optimo ac pristino statu deturbat.

Hæc est Ex Authore def. Medic. Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 1. Hæc est cujus differentias atque vires scrutari consilium est. Humanum corpus alias à se ipso ab insitisque principiis, alias externarum rerum injuria lacessitur: hinc *efficientium causarum duo fiunt summa primaque genera*: aliæ *insita* sunt nobis & congenitæ, quas ab ipso jam ortu accepimus: aliæ *adventitiæ*, quæ in nos jam editos extrinsecus invadunt. *Vel insita.*

Insitarum aliæ *naturales*, *præter naturam* aliæ: utræque verò aut ex parentum semine, aut ex materno sanguine profectæ.

Et illa aut naturalis. *Naturales* temporum ætatumque decursu sensim nos immutant, & sine sensu in extremum senium mortemque deducunt. Hoc genere est primordiorum, ex quibus constamus, repugnantia, & insiti nostri caloris efficientia, qui tametsi nos quoad vivimus alat, tueatur & regat, nos tamen etiam tempore mutat & conficit, alios quidem ocius, alios segnius, ut sua cuique stata est vitæ periodus, quam vix quisquam naturæ legibus conficit.

Aut præter naturam. *Præter naturam* insitæ nobis causæ dicuntur, quæ vel *ex seminis* vel *ex materni sanguinis vitio* exortæ morbos tandem nobis accersunt.

A semine. Quale parentum maximeque patris *semen* obtigerit, tales evadunt similares spermaticæque partes. Bene temperatum temperiem, calidum verò atque siccum, aut frigidum atque humidum similem quoque naturalem insitamque temperaturam similaribus partibus inurit. Quocunque etiam morbo pater quum generat tenetur, eum semine transfert in prolem: quandoquidem ex corpore universo (ut aliquando demonstravimus) decisum semen, tum morbitum causæ ejus vim in se continet. Sic senes & valetudinarii, imbecilles nephritici, arthritici, & epileptici filios vitiosa constitutione gignunt, qua tandem in morbos similes, hæreditarios idcirco nuncupatos, incurrant, ut parentibus liberi succedant, non minus morborum, quam possessionum hæredes.

Materno sanguine. Quinetiam *maternus sanguis* primum fœtus alimentum, altera est temperamenti constitutionisque causa, atque is sua etiam vitia, at levius quam semen in corpus inserit.

Hinc maxima temperamenti vis atque natura ex prægnantis constitutione ducitur: & cui *cibo prægnans* mater plurimum assueverit, is futurus est fœtui jucundus & vinosa vinosum, & quæ medicamentis crebro utitur, fœtum profert in medicamenta propensum.

Sic & de *morbis* animadvertimus, si gravidam medio gestationis tempore quartana febris adoritur, partum edi qui diu postea quartana febre conflictabitur: atque si nono ea mense pleuritide prematur, prolem gigni in pleuritidem quoque proclivem: quemadmodum & ejus cui abscessus ex aure octavo mense proruperat, filium in omnem vitam habuisse purulentas aures. Unde intelligi potest, non modo prima conformatione ex semine, verum etiam toto gestationis tempore, tum ex materno sanguine, tum ex aliis humoribus atque alimentis morborum proclivitates in fœtum contrahi.

Quare felices bene nati. Maxima igitur ortus nostri vis est, nec parum felices bene nati. Quamobrem præclare humano generi consultum videretur, si soli parentes bene habiti atque sani liberis operam darent. Si enim agricolæ sementem facturi purum semen & fœtum seligunt, experti frugem malam è marcido percipi, quanto id diligentius in procreandis liberis observandum?

Vel adventitia. Et illa triplex. Jam verò *adventitiæ causæ* genitis nobis dum extrinsecus occurrunt, alias sæpè in nobis excitant morborum opifices. Quocirca causarum quæ in nobis jam editis morbos efficiunt, alia *externa* est, alia *interior*: *hæc* rursum *duplex*, *antecedens* & *continens*, quæ & proxima dicitur: ut tres sint omnes efficientes morborum causæ, externa quæ & evidens, antecedens, & continens.

Evidens

Evidens. *Evidens* quæ extrinſecus aut corpori aut contentis vim infert.

Continens. *Continens* quæ in corpore ſita morbo proximè adhæreſcit connexaque eſt, inflicti vulneris gladius idcirco continens cauſa non eſt, quod in corpore non conſiſtat, licet proxima ſit illi.

Antecedens *Antecedens* quæ in corpore prior continente, hanc efficit ac movet.

in procem. Evidentes omnium primæ maximeque neceſſariæ ſunt, ex quibus cæteræ ortæ defluunt. Illas vulgus in primis ſectatur, quas & vetuſtiſſimi medici ſolas animadverterunt, obſcuris (ut inquit *Celſus*) ab arte rejectis. *Cauſarum conſertio & conſecutio.* Ea porro eſt *adhæſio copulatioque cauſarum*, ut continens ex antecedente, antecedens ex evidente defluat: quumque omnes continuatione quadam & ſerie connexæ ſint, ordine prima eſt evidens reliquarum effectrix, poſtrema eſt continens: quotquot inter has mediæ intercedunt, antecedentes appellantur.

Non tamen omnis morbus tres cauſas habet. At *non omnis morbus tribus ex cauſis* neceſſariò ortum habet, ſed alias ex duabus, alias ex unica. Quum cibi potuſque immoderato uſu ſumma cumulatur venarum plenitudo, quæ has tandem adeò vel diducat vel diſrumpat, ut pleuritis inſequatur, pleuritidis evidens cauſa eſt: cibi immoderatio, plethora, venarum ruptio vel diductio, & ſanguinis effluxio cauſæ dicuntur antecedentes, omnes in corpore poſitæ. At ſanguinis copia lateri impacta putreſcenſque, continens tum illius tum comitis febris eſt cauſa. Si adſtringentium balnearum uſu putrida febris accenditur, hæc cauſa ſunt evidens: cutis adſtrictio, prohibita tranſpiratio cauſæ antecedentes, hinc exorta putredo continens proximaque cauſa.

Fuchſii. Non poſſum autem in neotericorum quorundam errore connivere, quos tantus ſtupor oppreſſit, ut nulla queant mentis contentione *continentem cauſam à morbo internoſcere.* Hi ignorata majorum doctrina ſanguinem lateri impactum, pleuritim, humorumque putredinem, febrem appellant: quaſi humores particulæ ſint corporis, atque in his morbi inſideant. At certè febris nulla in humore, nulla in ſpiritu, ſed in corde corporiſque partibus tota inhæret: hoc tamen diſcrimine, ut in ephemera partium imtemperies ex ſpirituum fervore pendeat: in putrida ex humorum putredine: in hectica primum ac per ſe in partium ſubſtantia conſiſtat atque defigatur.

In his quæ dixi omnia cauſarum genera connexa videre licet. At quum ab auſtrali flatu deſtillatio fertur in pulmonem, ejus arterias obſtruens, aſthmaque ingenerans: aut quum motu immoderatiore calculus è rene derurbatus ureterem obturat, nephriticumque cruciatum movet, duæ duntaxat cauſæ evidens & continens concurrunt: unica verò eaque evidens, quum vulnus gladii ictu infligitur.

Ex quibus intelligitur cauſam externam & *evidentem in omni eſſe morbo* neceſſariam, neque corporis neque cauſarum interiorum firmam conſtitutionem, niſi externarum gravi impetu labefactari contaminarique poſſe, & de naturali ſtatu unquam decedere: rurſumque continentis quam antecedentis neceſſitatem eſſe majorem. *Sed ſemper habet evidentem.*

Jam verò cauſarum morbos efficientium *aliæ* ſtatuendæ ſunt *differentiæ. Earum* quippe unaquæque interdum *per ſe*, interdum *per accidens* opus efficit & edit. *Præterea cauſæ, aliæ* Ex Gal. 1. ſimlp. c. 2. *ſunt per ſe,*

Per ſe quidem, quum propriis inſitiſq; viribus proximè nulliuſq; interventu id præſtat

Per accidens verò, quum aliud quippiam excitans & interponens id ipſum agit. *alia per accidens.*

Aqua frigida corpori affuſa id per ſe quidem & proximè nullius interventu refrigerat: ex accidente autem calfacit, dum contracta denſataque cute nativum calorem foras erumpentem intro repellit, qui dein intus collectus & coarctatus, multoque pabulo auctus, vi majore in corporis ſumma remigrat recurritque. Intus verò ſcammonium vel rheubarbarum corpus per ſe calfacit: at calidam ferventemque bilem expurgans, accidente refrigerat.

Cauſa porrò omnis *efficiens triplex exiſtit:* aut enim *principalis* eſt, aut *adjuvans*, aut *ſine qua nihil* efficeretur. *Demum efficiens cauſa eſt.*

Principalis & perfecta, inſita vi etiam ſola id efficit cujus eſt cauſa. *Principalis.*

Adjuvans ſola quidem nihil efficit, ſed ad efficiendum adjumenta affert: hæc Græce *συναιτία*, id eſt, cauſa adjuvans, & quaſi concauſa dicitur. *Adjuvans.*

Tertia efficiendi nullam plane naturam obtinet, neque quicquam in opus confert, *ſine ea* tamen *effici nihil poteſt.* *Sine qua non.*

Sed hæc perſpicuis *exemplis* illuſtranda ſunt. In purgationibus, quæ arte comparantur, cauſa principalis eſt medicamentum proprietate valens, adjutrix cauſa illius temperamentum calidum omnibus purgantibus conceſſum, quod & illorum vim corroborat adaugetque: in hoc etiam genere ſunt quæcunque medicamento permiſta illius vim exacuunt, ut gingiber, nardus, ejuſque generis plurima. Cauſa ſine qua nihil efficeretur, eſt nativus noſter calor, ſine quo medicamenti vis ſopita in actum haudquaquam erumperet. Et in morborum procreatione, dum frigida cœli conſtitutio A deſtillationem proritat in articulos, principalis perfectaque cauſa eſt frigida cœli conſtitutio, & ſupervacuorum copia: adjutrix eſt humorum tenuitas: cauſa ſine qua non efficeretur eſt articulorum imbecillitas, & viarum per quas humor fluxurus eſt laxitas.

In cauſis, ſine quibus nihil efficeretur, *numerari ſolent* locus, tempus, inſtrumentum. *Ad quam multa pertinent.*

Cauſa omnis quandiu operi aſſiſtit incumbitq; conſervat & auget: ſublata verò nihil amplius quicquam efficit. Id ejus opus alias perſiſtit ac manet, alias omnino perit, idque vel brevi vel multo poſt tempore.

CAPUT XII.

Evidentium Cauſarum Genera.

Ex Gal. art. Med. cap. 85. Cauſa evidens frequens morborum cauſa.

QUi firma corporis conſtitutione ortus & in lucem editus eſt, ſi nulla externarum rerum offenſione laceſſitur, in corrupta ſanitate ad longiſſimum tempus vitam producet. At ſi illarum immoderatione concutiatur, optimum vitæ ſtatum diutius retinere non poterit, ſed tandem de illo decidet, prolabeturque in deteriorem, quem certè morbum appellamus. Naturalem igitur vitæ curſum complebit, qui turbulentis externarum procellarum fluctibus minimè jactabitur. At verò quotuſquiſque toto vitæ curriculo ex his tutus emerget? Quem blandæ voluptatis illecebræ non aliquando irretiunt? Aut quem, ſi moderatrix temperantia ſedulo conſervavit, inconſtans volubiliſque fortuna præcipiti caſu non obterit? Difficile prorſus, quæ undique nobis intenduntur retia, defugere. Diſcendæ igitur res omnes, & cauſæ, quarum vi aut priſtinum ſtatum retinemus, aut in morbum incidimus.

Earum aliæ

Harum *aliæ neceſſariæ*, quæ neceſſario nobis ferendæ ſunt, & ſine quibus vivere non liceat: *aliæ non neceſſariæ*, quas declinare poſſumus.

Neceſſariæ.

In neceſſariis ſunt aër, in quo verſamur, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, quæ excernuntur aut ſubſiſtunt, & animi perturbationes.

Aliæ non neceſſariæ.

Non neceſſariæ vero gladii ictus, ruentis lapidis & beſtiarum occurſus, omniaque fortuita. Harum impetus cæci nec arte A prævideri nec declinari poſſunt: illæ poſſunt, in quarum obſervatione ars verſatur.

Earum aliæ corporis ſanitatem tuentur, aliæ depellunt, aliæ reſtituunt. Hinc efficientium cauſarum *aliæ inſalubres* ſunt, quæ corpus de bono ſtatu dejiciunt, *aliæ ſalubres.* *Illæ iterum vel inſalubres vel ſalubres.*

Hæ rurſum *duplices*, vel quod *ſanitatem conſervent*, vel quod *deperditam reſtituant.* *Quæ aut conſervant ſanitatem, aut reſtituunt.*

Conſervant, quæ moderatæ & corpori ſimiles exiſtunt: *reſtituunt*, quæ ſunt morbo contrariæ, & æqualiter atque is à mediocritate in diverſum deflexerunt.

Hæc opinor perſpicuum faciunt, *eandem cauſam & inſalubrem & ſalubrem dici, ſed comparate* & quum ad varia refertur. Eſt enim cauſa ex eorum genere quæ ad aliud referuntur ac pertinent. B Aër temperatus aliæque cauſæ ſi æquabiles & moderatæ obtigerint, hominem temperatum & bene habitum, qualem acceperunt, tuentur ac ſervant. Immoderatę vero obterunt inferuntque morbos. Quem porrò morbum inflixerit aër impenſe calidus ac fervens, eundem depellit ſanitatemque reſtituit frigidus, qui pari fit à medio receſſu. Qui huic ſanitatem reſtituit, eique ſalubris eſt cauſa, alteri morbum infert, cauſaque fit inſalubris. *Quæ eadem eſſe poſſunt, ſed diverſa ratione modo hoc, modo aliud agere.*

Efficientes hæ cauſæ triplices ad tres quoque artis partes accommodantur. Conſervatrices quippe ad eam quæ ſanitatem tuetur: ſalubres ad eam quæ morbis medetur: *Solæ inſalubres huc pertinent*, de quarum viribus ſigillatim dicendum. *In ſalubres ſolum huc pertinent.*

CAPUT XIII.

Qua ratione ambiens aër corpora mutet, & causas interiores morbosque excitet.

Ex Gal. 6. de us. part. cap. 2. 1. de diff. feb. cap. 4.

Aëriis usus secundum naturam inspirati & ambientis.

OFfusum nobis *aërem* sanguine prædi- A torum animantium *nativo calori & spiritui* tum conveniens pabulum tum refrigerationem *præstare*, fumosaque illius supervacanea excipere, his tribus ex causis eorum vitæ tuendæ conservandoque calori perfici, in Physiologia diximus ubi & illud animadversum est, *aërem* nobis *circumfusum* arteriarum corporis universi calorem, eum verò *quem spirando ducimus*, unius maximè cordis calorem, respiratione tueri & conservare. Quoad vivimus necessario spiritum de cœlo ducimus, nec animus sine anima, nec anima sine spiritu & aëre teneri conservarique potest. Inspirati quam circumfusi aëris tanto major & efficacior B ad immutanda corpora vis est, quanto uberius & violentius is intro subit.

Quas partes afficiat. Respiratione primum quidem os, nares, cerebrum, asperam arteriam, pulmones, cor, omnesque arterias is conferte implet, ex iis dein in omne corpus perflabile mox quasi momento diffunditur. Quacunque is vel substantia vel qualitate præditus est, ea ipsa primum spiritus, deinde humores, postremo partium substantiam afficit.

Quomodo afficiat si sit serenus. *Ex Gal. 1. de sanit. cap. 11. & 3. aph. usq. 23.* *Serenus*, tenuis, purus beneque temperatus, spiritus nostros collustrat, sanguinem attenuat, cor exhilarat, mentem serenat, corpus omne pervadens raritate diffundit, suscitatoque calore appetentiam, conco- C ctionem, supervacuorum dissolutionem expurgationemque procurat.

Si crassus. *Crassus*, densus, caliginosus, & aliena permistione inquinatus, spiritus obscurat, sanguinem & humores densat atque labefactat, cor mœstitia perstringit, mentem obumbrat, corpus degravat atque densat: & oppresso atque debilitato nativo calore concoctionem lædit, supervacuorumque dissolutionem cohibet.

Quam valide afficiat. Qui porro circunfusus est nobis aër, in intima quæque penetrans, contagione *nos* etiam *immutat*: neque nos solum, verum etiam solidissima quæq; & inanima, ut ligna, ut lapides & metalla, quæ aliter sicco, aliter pluvioso cœlo affici notamus. Tanta quidem vis est aëris per cuncta rerum meabilis. Hujus autem quam cæterorum vis major & efficacior ad morbos infligendos, & plures temporum tempestatumque mutatione, aut ex salubri loco in gravem transitu, aut exorta intemperie, aut quibusvis aëris inquinamentis, quam victus mutatione morbis pulsantur. Is quippe unus plurimos pariter attingit, cujus non ut cæterorum incommoda facile declines: in cor viscus nobilissimum, in cerebrum, in corpus denique omne prompte penetrans suis vitiis omnia perfundit, acutorum ferè morborum author.

Morbos autem efficit. *Morborum* verò hic *opifex* est vel *qualitatum immoderatione*, vel *substantiæ vitio*, vel *subita insolentique mutatione*.

Qualitate. *Qualitatum intemperies* calidior, frigidior, humidior, aut siccior, sive à regione, sive à situ, sive ab anni tempore, sive à cœli statu talis existit, spiritus, humores, ipsumque corpus immutat.

Regio quidem *temperata*, locus editus, apricus, & perflatus, veris constitutio naturalis, status cœli placidus & tranquillus, ut perflante Favonio, salubritatem bonamque valetudinem tuentur, nec quicquam corpora permutant.

Calida. Regio *fervida & æstuosa*, locus Austro Soli que expositus, æstas ignea & torrida, austrinus cœli status, spiritus inflammant, sanguinem & humores ardoribus extorrent, bilem augent & exacuunt: quibus ex causis morbi plurimi hique acuti suscitantur. Sed & poros reserant patefaciuntque, corpora laxant & extenuant, eorum substantiam calorisque nativi vim dissipant: & si diu perseverant, senium mortemque præpropere accelerant.

Frigida. Regio *frigida*, locus ad Aquilonem conversus, hyems gelida, statusque cœli Aquilonius, spiritus consopiunt, humores incrassant, quæ certè causæ acutos quidem morbos reprimunt, sed diuturnos, destillatio-

lationesque concitant. Deinde poros occludunt, densant firmantque corpus, hujus atque nativi caloris substantiam conservant, & augent, appetentiam præstant, concoctionem fovent, vitam denique longissimè protrahunt.

Humida. Regio *humida*, locus in Occidentem devergens, humens pluviosaque constitutio, tenebricosum spiritum facit, corpus multò humore supervacuo onerat, cujus copia nativus calor infringitur, & debilitata coctione cruditates fiunt. Quibus ex causis destillationes, diuturnæ febres, cachexiæ, ulcera putrida eaque curatu difficillima. Quinetiam corpora mollia, laxa infirmaque reddit & obeundis vitæ muniis inepta.

Sicca. Regio *sicca*, locus arenosus in ortum apertus ac patens, sicca cœli constitutio, spiritus illustrat, humores supervacuos absumit, utiles verò à putredine tuetur: corpora dura solida fortiaque efficit, & articulos corroborat: quoniam tamen illa densat, & humores siccos durosque reddit, obstructionum est opifex, minus tamen quam superiores infensa.

2. Substantiæ vitio & inquinamento. *Tot ergo modis aëris intëperies morborũ causæ fiunt.* *Vitiata* porrò *aëris substantia* gignendorum morborum majorem multo vim obtinet. Hæc licet adeò simplex sit & uniusmodi, ut fortasse corruptioni subjecta minimè sit, variis tamen undique inquinamentis conspergitur. Multa exhalatione & caligine humescit: terrarum, aquarum, cadaverum aliorumve putrescentium expiratione gravi inquinatur: pestilentiæ seminibus vel cœlitus immissis vel in se genitis polluitur labefactaturque. Hæc igitur una cum aëre quem spiritu ducimus permanant in A omne corpus, & contagione tum spiritus, tum humores, suo quæque modo contaminant, & varios eosque ferè occultos morbos proferunt.

Jam verò *subitæ insuetaque* temporum, locorum, tempestatumque *mutationes* sæpè morbos attulerunt, præsertim si ex salubribus in gravia atque deteriora fiant. *3. Repentina & insolenti mutatione.*

Quos *temporum mutatio* insigniumque syderum exortus quos tempestatum flatuumque conversio morbos invehere soleat, diligenter quidem *Hippocrates* & *Aristoteles* literis prodiderunt, omnium certè eam facientes causam, quod ex contrariis in contraria, atque etiam ex humidis in calida aut frigida gravis periculosusque transitus sit. *Temporum.* *3. aph.*

Multo his gravior est *peregrinatio* & omnis longinqua traductio, quod unicuique regioni B ex soli & aquæ natura, ex situ & flatibus, quibus jactatur, peculiaris inest constitutio, suaque proprietas, cui non facile sit assuescere. *Peregrinationis.*

Sed & quæ *ex coarctato* conclusoque in liberum perflabilemque aërem vel saluberrimum fit mutatio, imbecillis & iis qui ex morbo convalescunt sæpè detrimento fuit: quod repente ac vehementer corpus humoresque exagitet. *Locorum accluforum.*

Flatuum porrò effrænata *incursio* haud secus atque valida exercitatio corpora fatigat: præter eas quas vel è terris vel è cœlo qualitates invehunt. Tranquillus autem aër nulla ventorum vi impulsus, quanquam mitis ac lenis apparet, nisi tamen tempestate huc illucq; jactetur, requietæ residisque & restagnantis aquæ more corrumpitur. Ventus verò saluber, præsertimque aquilonius inspersa aëri inquinamenta purgat. *4. Motu.* *Ἡ ἀνηνεμία.*

Caput XIV.

Qua ratione quotque modis esculenta & potulenta nos afficiant.

Ex Gal. 3. de temp. cap. 2. Avic. l. 1. fen. 2. doct. 2. ca. 15. *Secunda Evidentium causarum cibus & potus est.*

Evidentium causarum ordine *cibus atque potus locum obtinent secundum*, eorumque vis est aëri proxima.

Hic quidem celerius ac promptius in plures invadit: at cibus atque potus quoniam permanentem ac inhærescentem corpori materiam suppeditant, id validius contumaciusque afficiunt. Cibipotusque vitia gignendis *morbis* pabulum *materiamq; suggerunt*, è qua & morbi interdum sponte emanant, A nullo evidentis causę impulsu. Imo & quoniam vel ab aëre vel ab animi perturbationibus, vel aliis causis evidentibus morbi nulli excitantur, nisi consentiat corporis pręparatio, & humorũ constitutio: si hęc tota ex cibo potuq; profecta est, maximam hi sanè in gignendis morbis vim obtinent. Ut semel dicam, Una gula omnium est propè morborum mater, etiamsi alius est genitor. *Morborum materia.*

Quicquid in corpus illabitur, aut *temperamento* aut mate- *Quæ enim assumimus*

materia, aut *tota substantia agit*, nosq; permutat.

Vel temperamento agunt. *Temperamento* & qualitate aqua frigida & lactuca corpus refrigerant, illa quidem re ipsa, hæc verò potestate: ignis atque vinum calfaciunt, hoc potestate, ille energia.

Vel materia. *Materia* agit quod substantiæ tenuitate penetrat humoresque incidit, quod crassiore materia corpus adstringit & densat, & quod viscosum adhæret, aut contra detergit.

Vel tota substantia. *Tota substantia*, quicquid totius substantiæ vel familiaritate nos alit, vel dissidio & inimicitia naturam nostram depeculatur atque depascit. Illud alimentum, hoc venenum appellamus.

Totius substantiæ notionem alibi accuratè expressimus, demonstrantes, *alimentum*, non quod vel temperamento vel materia, sed quod totius substantiæ affinitate nobis B familiare sit, idcirco in nostrã substantiam converti ejusq; molem augere: proinde aliméto opponi & è regione statui venenum.

Et vel unica. *Vel pluribus rationibus agunt.* Hæc quidem *simpliciter* nos immutant: at non pauca *bifariam*, alia *trifariam*.

Bifariam acetum, temperamento quippe & materia, & lactuca temperamento & tota substantia, panis azymus materia & tota substantia.

Alimentum tertia ratione agit. *Trifariam* vinum album, quod calfacit, extenuat & alit.

Quicquid igitur totius substantiæ familiaritate in corporis substantiam convertitur, *alimentum est*.

Duobus prioribus medicamentum. Quod verò corporis firmam naturalemque constitutionem quoquomodo evertit, *medicamentum*.

Si quid dum in corpus convertitur, id C ipsum pariter afficit atque commutat, *alimentum* est *medicamentosum*.

Omnibus, alimentum medicamentosum. *Hoc* ventriculo exceptum, viq; nostri caloris excitatum, qualitates & *vires* etiam tacitas & quasi sopitas quibus præditum est *exerit*, hisq; ventriculum in quo diutius hæret atque retinetur, exercet: licet ab eo interdum coquatur dometurque.

Hoc sua qualitate mutat corpus. Est ea quippe agentis patientisq; naturalis consensio, ut quia materiam obtinent communē, mutuas operas conferant in sese, omneq; agens agendo nonnihil etiam patiatur ac perferat. At verò si ejus quod assumptum est validæ vires indomitæ fuerint, nec prorsus ventriculi robore evictæ, eæ vel substantia, vel quoquoversum expirante vapore, in o- A mne corpus permanabunt, ipsumq; cor & cerebrũ atq; universum corpus concutient: ut in meraco vino, in allio, in cępa, in aliisq; compluribus perspicuè animadvertitur.

Hec igitur dum è ventriculo in intestina, in mesenterii venas & in jecur illabuntur, suis qualitatibus quicquid attigerint imbuunt. Ventriculi quippe calore infracta quodammodo sunt, non tamen prorsus extincta, nec pristinis omnino spoliata facultatibus, sed tũ harum, tũ pristinę qualitatis nonnihil etiamnum manet in sanguine, qui & in venas majores, & in minores, & in corporis singulas partes effunditur. Quanquã igitur sanguis alimẽti ex quo genitus est formã perdidit, qualitates tamen aliasq; vires quodammodo retinet, easq; impertit partibus alendis. Quamobrem quod ait *Aristoteles, alimentum initio dissimile, tandem nobis simile reddi*, non de omnium qualitatũ, sed de substantiæ & formæ potius similitudine audiendum. Etenim lactuca, tametsi coctione mutatur, ventriculum tamen & corpus refrigerat, ex eaq; sanguis profertur frigidior. *Et ratione substantiæ tantum simile fit.*

Sed & id quod veterum omnium literis & memoria celebratur, omne *alimentum* tum calidum tum frigidum, quum in sanguinem abierit, *calfacere*, ita quidem audiri velim, quia alit sanguinis & innati calidi substantiam, non autem qualitatem calorisq; gradum augere. Quisquis enim ex lactuca æquè calidum atq; ex vino aut ex allio sanguinem gigni censuerit, omnes efficientiũ causarum vires & naturas evertet. *Nec omne calefacit nisi quatenus calidum innatum nutrit.*

Ergo *lactuca frigidum*, *vinum calidum* sanguinem suæque naturæ consentaneos profert humores. Azymus panis & *castanea crassum* atque lentum: vitellus & pullus gallinaceus tenuem: mora, persica mala, horariiq; fructus vitiosum, putridum verò, quæcunq; alimenta jã corrumpi cœperunt. Hinc corporis omniumq; facultatum ejus perversio. *Sed suas qualitates corpori largitur.*

Ut enim calx ad arboris radicē conspersa fructum accelerat, arborem verò perimit, ita calidius alimentum maximeq; *vinum* suscitato calore, spiritus facultatesque erigit, *mortem* verò *maturat*. Dũ enim corporis calorẽ auget, substantiã minuit: dumq; innati calidi spiritum & calorem halitu fovet, ejus substantiam, quę humidum est primigeniũ, dissipat exorbetque: omnem vitam alacriorem ac vegetiorem, sed tamen breviorem facit. *Nisi aliquid agat per accidens.*

facit. Sic suæ sunt unicuique cibo dotes, sua sunt incommoda.

Ex Gal. art. Med. cap. 85.

Ex quibus intelligitur, non modo spiritus & humores quibus conservamur, sed & omnem corporis partiumque constitutionem ab esculentis potulentisque mutari. Hinc intemperies, hinc obstructio, hinc cacochymia, hinc plethora, quæ vitia gravissimorum morborum causæ antecedentes continentesque fiunt.

Nec qualitate tantum corpus afficit, sed & quantitate nimia.

Neque verò una cibi potusque qualitas, verumetiam illius optimi *quantitas* & exuperantia naturæ gravis infensaque est, tum ea *quæ* receptacula *venasque* solum *implet*, tum etiam *quæ vires gravat*.

Ad vires. *Hæc* enim quia supra vires est, neque integrè coqui, neque in purum sanguinem verti potest, sed cruditates multas cumulat, quæ quum ab inferiore debilique natura nequeant domari, corrumpuntur morbosque generant. De hac rectè *Hippocrates*: *Vbi cibus præter naturam copiosior ingestus est, hic morbum facit.* 3. Aph. 17.

Ad vasa. Quin etiam ea cibi exuperantia *quæ vasa implet*, nondum tamen vires premit, licet tota in optimum succum & in sanguinem facessat, tuta tamen non est, sed maximè lubrica & periculosa. Nativum quippe calorem è sensibus, è mentis & animæ functionibus avocat, occupatque in concoctione. Excrementorum flatuumque ingentem facit proventum, quæ præ copia non facilè excludantur. Omnis generis humores congerit, obstructiones multitudine accersit, vias contrahit, in angustumque adducit, omnia arctè coercet ac continet, vix ut quicquam è corpore dimanet. Hac onustum turgidumque corpus ingravescit, atque etiam si infirmum victumque est, prosternitur: quia verò infarctum, compactum, ac minimè pervium est, nec perflari, nec ventilari potest. Hinc perinde atque à multo oleo lucernæ flamma, nativus calor opprimitur & quasi strangulatur, morbique frigidi (etiamsi calidus cibus erat) succrescunt, quemadmodum ab ebrietate cruditas, cachexia, paralysis, apoplexia. Quumque diutius insedit redundantia, corruptelam demum putredinemque acquirit. Quæ autem coagmentatione assidua in summum jam excreverit, aut extincto nativo calore inopinata repentinaque morte jugulat, aut vasa disrumpit. Quocirca *hunc habitum* rectè commonefacit Hippocrates *esse periculosum & sine mora solvendum*. Perniciosa admodum sentina est abdomen insaturabile, omnium tum corporis tum animi vitiorum fons atque origo. Non minus acutè quam facetè quis intemperantiam Medicorum nutricem appellet. 1. Aph 3.

Quid faciat copia moderata.

Cæterum quisquis *cibus potusque moderatus* sit & ad naturam accommodatus, spiritus, nativum calorem corporisque substantiam tuetur & reficit, facultates omnes earumque functiones corroborat, concoctionem, alimenti distributionem, humorum æquabilitatem, excrementorum propulsionem, motus denique, sensus mentisque vires integras incolumesque conservat. Una temperantia totius est jucundæ salubrisque vitæ moderatrix. Nulla calamitate vel ærumna premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam.

Quid faciat parcior victus in genere.

Jam verè longior inedia, aut tenuior *parciorque victus*, non id aptè resarcit & instaurat quod tum nativi caloris, tum circumfusi aëris vi necessariò dissipatur è corpore: proinde ex accidente siccat, quod in pabuli penuria nativus calor propriam corporis substantiam exorbeat. At profectò corpus pervium patensque reddit, obstructiones expedit, flatus, alvi fæces, urinas, cerebri omniumque partium excrementa movet & excludit. Atque si impurum corpus vitioso humore perfunditur, cruditates concoquit & emendat, tenues humores ac inutiles exhaurit aut halitu dissipat: crassos verò cuique parti tenacius inhærentes proritat atque movet. Itaque per inediam humorum omnium vires se produnt.

In biliosis. *Biliosis* enim bilis effervescit & quasi ferocitate exultat, quæ suo dein furore febrem, oris amarorem, iracundiam, aliaque symtomata infligit.

Melancholicis. *Melancholicis* proprius humor mœrorem & metum incutit, vigilias, terrores, oris aciditatem, hisque similia.

Pituitosis. *Pituitosis* destillatio è capite in subjectas partes illabitur, & pituita in ventriculum influens, nausea, cibi fastidio, vomitione, animi defectione, hisque similibus hominem lacessit.

In magna quippe cibi potusque parsimonia, *vitiosus humor* aut in ventriculum irrumpit,

In Cacochymicis. Gal. 2. Aph. 17. 6. Aph. 50. pit, aut propria sede solus & purus ferociter subsultat, consueta videlicet alimenti benignitate destitutus. Quapropter qui impuro sunt corpore, ægrè ferunt inediam, & tamen dum conniuntur humoris impetum & ferocitatem frequenti alimento sedare, non se, sed suam ipsi perniciem alunt. *Quid mali.* Per hos verò impetus si constanter perferatur inedia, *quos* primum *concitavit*, mox certè *compescet* atque domabit. *Quid boni.* Levis inedia bilem accendit, quam illa tamen perseverans extinguit, corpusque refrigerat. Nam vitiosos humores exterit, suo modo concoquit, domat, & in vias deducit per quas naturæ impulsu è corpore exturbentur. *Et qua ratione.* Hujus ope aliquando morbi periculosi & ancipites felicem eumque admirabilem exitum invenerunt, ad quem ars nulla dirigebat: idque multo mitius ac levius quam dum corpus medicamentorum aliena qualitate lacessitur.

Si quis objiciat, nativum calorem per inediam cum supervacuo & vitioso nonnihil etiam utilis puriorisque humoris exhaurire, sicque vires atterere:

Id quidem consentaneum est, neque ullum flagitium admitti puto, vires sinere aliquantum collabi, ut pariter quod vitiosum est eximatur, quandoquidem earum jactura levis promptè resarcitur: gravior autem omnino metuenda, quam sequitur exolutio.

His, opinor, de causis tenuis & admodum exquisitus victus ab *Hippocrate* jampridem est explosus: quippe qui tum sanis tum ægris periculosus existit, si præsertim non modò sanguinem atque carnem, verum etiam propriam solidarum partium substantiam colliquat, & in marasmum conjicit, à quo vix quisquam se recipit. Sed vix eo præcipitant inediæ. *Cæterum* inquit Hippocrates, *non satietas, non fames, non aliud quicquam bonum est, quod naturæ modum excedit.* 1. Aph. 4. 5. 2. Aph. 4.

CAPUT XV.

Quæ excernuntur ac subsistunt, morborum causas fieri.

Ex Gal. de diff. sympt. c. 6. Avic. lib. 1. fen. 3 doct. 2. cap. 17. SUpra *descripta* causarum genera secum humorum vitia & alienas qualitates *invehunt in corpus*: at quæ *deinceps* erunt, non extrinsecus, sed *intus è corpore vitia suscitant*. Quocirca distinctione adhibita illas externas, has autem evidentes causas propriè appellemus.

Causas morborum vidimus quæ extrinsecus veniunt. Corporis supervacua, quia in corpore continentur & hærent, debent in causis antecedentibus haberi: at immoderata illorum vacuatio vel retentio causa est evidens. Illa morbos infligunt non simpliciter, sed quia contra naturam & immodicè in corpore coercentur.

Sequuntur quæ veniunt è corpore. Et primum Excrementa, quibus liberant corpus utile. Quæ naturæ legibus è corpore dejici exterminarique solent, si qualia, quantum, & quando oportet procedant, *corpus quasi farcina levant*, idque robustius & ad functiones aptius comparant. Sin verò subsistant, morborum caussæ fiunt evidentes, quæ dein antecedentes continentesque movent, quarum morbus soboles est.

Tam à quotidianis. Naturæ legibus *ad vitam necessaria* vacuationes sunt, alvi dejectio, urinæ è renibus & è vesica profusio, sudor vel universi corporis exhalatio, bilis flavæ è suo folliculo, aut atræ è liene in ventrem effusio.

Aliæ quidem non simpliciter, sed vel *in tempore*, vel *ex consuetudine necessariæ* sunt: ut hæmorrhoidum mensiumque eruptio, mucus è naribus & palato, sputum è pectore, lac è mammis, semen è spermaticis vasis. *Quam temporariis.*

Horum itaque etiam parcior & non qualis aut quando expedit facta vacuatio, tametsi verè symptoma est, morbi tamen causa fit evidens. Siquidem eorum quæ toto genere præter naturam existunt redundantia naturæ molesta atque gravis, morborum fit materia. Nam plerunque nativum calorem vel premit vel obruit, cujus demum functiones periclitantur omnes. Nonnunquam eorum redundantia corrumpitur, putredinem & alienas qualitates sortita naturæ corporique graves. Nonnunquam vias corporisque ductus obstruens, alimentorum distributionem, & excrementorum vacuationem dejectionemque cohibet. *Si enim retineantur, morbos procreant. Et quos.*

In volvulo, in intestini prolapsu, quoniam intestinum quasi vinculo devinctum & constrictum tenetur, fæces præterlabi nequeunt, sed sua mole corporis partes ita plerunque onerant, ut vomitione reddantur: quod si hæ præterea putrescant, fœtore & prava qualitate sic universum corpus in- *Declaratur Exemplis.*

inquinant, ut etiam si illarum cursus redeat, sæpè tamen inquinatum corpus è vivis excedat. Nec minus conspicua hęc sunt quum *urina* supprimitur, aut quum menses aut mariscæ cohibentur, quibus mala succedunt gravissima. Sic suppressis vacuationibus necessariis, varii omnisque generis morbi prodeunt, neque ulla causa evidens ad morbos excitandos est efficacior. Hanc enim proximè sequitur excrementorum proventus, morborum causa interior. Magna sæpè molestia torquent quæ jucunda effrænataque voluptate fuerint assumpta.

Aut si immodicè excernantur.

Immodica porrò repentinaque *vacuatio*, etiamsi eorum sit quæ toto genere præter naturam sunt, procreatrix est morborum. Hinc censuit *Hippocrates*, *suppuratos aut hydropicos qui uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluxerit, omnes commori.* (6. Aph. 27.) Multo magis periclitantur, quibus alvus immodice profluit, aut urina copiosior profunditur, aut corpus sudore diffluit. His quippe vires usque adeò sæpè dissolvuntur, ut simul anima deficiat. Nam cum supervacaneis non parum spiritus calorisque defluit: hinc tum naturales tum animales functiones languescunt, & crudi ac frigidi morbi emergunt. Rectè igitur est ab *Hipopocrates* dictum, *Plurimum atque repente vacuare periculosum esse & naturæ inimicum, maximè si insuetum* id est. (2. Aph. 51.)

Qui & citius proveniunt si sanguis præter naturam excernatur.

Jam verò *sanguinis* ex utero, ex mariscis, è naribus, aut ex vulnere *effusio*, si *immoderata* repentinaque obtigerit, ocius multò quam quidvis aliud, spiritus, nativum calorem viresque dissipat & exhaurit, quæ in sanguine & sedem & pabulum habent. Multi quippe, ut ait *Poëta*, *extremam fundunt cum sanguine vocem.* (Virgilius.)

Quibus autem *moderatior* fit profusio, his corpora quasi tabida liquescunt, & cruditates, cachexiæ, hydropes, ejusque classis morbi emergunt.

CAPUT XVI.

Motus & quies immoderatior, morborum est causa.

Ex Gal. 2. de tuenda sanit. c. 8. & 9.

Motus alius naturalis.

MOtus *alius naturalis, alius voluntarius.* *Naturali* quidem ventriculus, intestina, venæ aliæque partes omnes alimenta ad sese rapiunt, excrementaque depellunt: & cor arteriæque sic assidue pulsant, ut nihil intermittant.

Alius voluntarius.

Voluntarius consilio voluntateque suscipitur, qualis est musculorum & nervorum. Hi primum quidem & per se imperio voluntateque moventur: ab his deinde ossa, vincula, venæ, arteriæ, carnes, cæteræque partes, idque veluti ossis consequutione, atque idcirco ex accidente.

Naturalis corpori tantum utilis.

Motus *naturalis partes nihil defatigat*, nec lassitudine unquam intercidit, sed potius exercendo corpus levat & exacuit: *voluntarius* vero *defatigat*, hujusque contentione corpora ingravescunt, & assiduo labore defessa languent. Hunc proinde *quies necessario excipit*, quæ levamentum & remissio quædam est laboris. Itaque laboris requietisque alternus usus animanti necessarius.

Non semper voluntarius.

Sed quiete debet intercidi.

Porro autem *arbitrii motus velox* est aut *tardus*, *robustus* aut *imbecillus*, *vehemens* aut *levis*.

Vel intrinsecus voluntarius venit.

Et velox est.

Veloces seu celeres motus sunt, saltatio, pilę exercitatio, digladiatio: & quoscunq; non robur, sed sola corporis celeritas exercet.

Robustus.

Robusti & validi sunt, fossio, maximi oneris gestatio & sublatio, luctarumque multa genera quæ corporis robore & vehementi nisu, non celeritate fiunt.

Vehemens.

Vehementes sunt, grave telum jaculari, discum mittere, gravi armatura tectum currere aut saltare: & quicunq; ex robusto celerique constant. Hi quidem omnes quemadmodum & omnis generis exercitationes, & artificum operę vel labores, animantium viribus eduntur, ex hisque manant.

Vel extrinsecus.

Sunt & *alii qui extrinsecus accedunt*, ut navigatio, vectio, gestatio, frictio, equitatio, hisque similes.

Quid motus moderatus corporibus conferat in genere.

Motus omnis animali calorem non extrinsecus accersit, sed ex ipso corpore suscitat, perinde atq; ventilatio flammam. Calorem quippe partibus intimis quasi sopitum & torpescentem excitat, diffundit, foras evocat, in corpus omne & in multò plures quã dudum partes trajicit. Hiç autem concoctionem, alimenti distributionem, excrementorum omniumque supervacaneorum expulsionem juvat. Quinetiam corporis partiumq; substantiam perspicuè mutat.

Quid velox. Celer namque & *velox*, corpus densat & attenuat: tardus carnem rarefacit & auget.

Quid robustus. *Robustus* corpus vegetum durumque: imbecillus laxum molleque reddit.

Quid vehemens. *Vehemens*, corpus quidem extenuat & gracile facit, sed tamen compactum, durum, firmum & vegetum: contra levis & languidus habitum quidem corporis optimum inducit, sed languidum, mollem, enervatum & infirmum. Hæc quidem præstat motus quicunque suo sit genere temperatus.

Ex Oribas. lib. 6. collect. cap. 2. Avicenna li. 1. fen. 2. doct. 2. c. 12. Cæterum *immoderatus*, sive supra corporis vires, sive perpetuus nec intercisus est, morbos infert. Multa quippe defatigatio spiritus viriumque substantiam exhaurit & dissipat, tandemque corpus refrigerat: *musculorum*, nervorum & vinculorum robur *Quid immoderatus in partibus.* dissolvit, membranas adeò interdum laxat aut divellit, ut enterocelen excitet. Sed viscera concutiens, tenues plerumque venas disrumpit, ex quibus emictiones, vomitiones & expuitiones cruentæ, pleuritides, aliique morbi.

In humoribus. *Sanguinem* universum ita plerunque in venis diffundit, ut concalfactus liquatusque propriis conceptaculis coërceri haud possit, sed his apertis foras excidens partibus phlegmonas infligat: aut si coërcetur, capitis dolores, pulsationes synochasque febres procreet. Corruptos autem humores, qui alioqui tranquilli, ignobili loco conclusi & quasi consopiti tenebantur, quique à natura tempore concoqui, domari, ac demum blandè excludi poterant, irritat & quasi in furorem agit, qui postea tanquam mota camarina tetro vapore corpus variè lacessunt: sed & ipsi quaquaversum effusi scabiem, tubercula, omnis generis abscessus, putridas febres, alvi profluvia, vomitiones, morbosque multiplices & varios invehunt. Impura igitur plethoricave corpora laborem ne subeant.

Quies porrò diuturnior & exercitationis intermissio, qualem habet desidiosa vita, inertem calorem, spiritus ignavos, ad omnes sensus & mentis naturæque functiones segniores facit. Corpus universum degravat, languidum, molle infirmumque reddit: ut tandem verùm sit quod ait *Ovidius*. *Quid inertia & desidia.*

Ignavum corrumpunt otia corpus.

Hinc etiam cruditates & obstructiones, & excrementorum proventus, quæ omnis generis morborum causæ sunt proximæ.

CAPUT XVII.

Somnum & vigiliam plerumque morborum causas esse.

Ex Gal. 1. de Sympt. causis c. 8. Oribas. lib. 6. collect. cap. 4. Avicenna loco cit. cap 13.

HIs ut viribus ita ordine connexi & affines sunt somnus & vigilia. Est autem *somnus* non solum motus, verum etiam sensus omnisque animalis functionis cessatio, in qua non modo ut in quiete nervi, musculi, artusque, sed & cerebrum & sensus omnes consopiri solent: estque somnus omnium quasi perfugium laborum, requies animi, pars humanæ melior vitæ.

Somnus quid. Hic *spiritus* labore vigiliisque dissipatos restituit, aliis videlicet ad functionum frequentationem suffectis.

Quæ bona à somno. *In spiritibus.* *In partibus.* *Membrorum* sensuumque defatigationem tollit, naturales functiones maximèque concoctionem & retentionem corroborat & auget. Tum siquidem nativus calor minimè dispersus, sed circum viscera intro se colligens vegetiorque factus, in cibi crudorumque humorum concoctionem validius incumbit. At verò attrahendi expellendique facultates per somnum languidiores sunt, propterea quod conquiescat movendi vis, solita quidem illis opem ferre: quodq; corporis contenta vigiliis atq; motu concitata, expeditius trahenti pellentiq; cedant.

Quinetiam somnus *sanguinis* eruptionem, alvi profluvium, vomitionem, immoderatasque vacuationes omnes præter sudorem cohibet. Licet enim (ut author est *Aristoteles*) corporis summæ & extimæ partes in somno frigescant, tumque pluribus tegumentis indigeamus, sudores tamen uberius tandem emanant: quod humores intus conclusi alimenti concoctione distributioneque peracta, manifestè & affatim in extima summaque corporis eruptionem faciant. In vigiliis major fit per cutem dissipatio, sed humorum tenuium, qui obscurè atque sine sensu exhalantur. *In humoribus.* 2. Probl. 16. & 28.

Cæterum *somnus immoderatior*, spiritus offundit & obscurat, omnes sensuũ mentisq; vires torpore & ignavia debilitat, caloré obtun- *Quæ mala.*

tundit, functionesque naturales infringit, crudos pituitososque humores & omnis generis supervacanea exaggerat. Corpus itaque refrigerans & humectans ignavum atque iners magis quam quies efficit, destillationum, frigidorum diuturnorumque morborum author. Nihil tam morti simile quam somnus, ipsius nimirum imago & simulachrum.

Vigiliæ moderatæ effecta. *Vigiliæ* contraria atque somnus edunt. Etenim spiritus sensusque excitant, promptos, celeres alacresque reddunt, & partium omnium vires omnes recreant & erigunt. Calorem in omne corpus diffundunt æquabiliter, alimenti humorumque distributionem, excrementorum depulsionem accelerant. Et hæc quidem moderatæ.

Immoderata verò spiritus exhauriunt, corpus, præsertimque cerebrum, siccant, & (ut inquit ille.) *Effecta immoderatæ.*

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

Sensus obtundunt, & mentem perturbant. Bilem inflammant, phrenitidis, continuarum febrium acutorumque morborum procreatricem. Nativum calorem humidumque primigenium dissipant, sicque læsa concoctione magnus fit cruditatum proventus.

Caput XVIII.

Animi perturbationes morborum causas fieri.

Ex Gal. 2. de caus. sympt c.5. Avicenna ibid c.14. Si quis animi perturbationibus omnino vacaret, *posset & sine his integra nihilominus sanitate vitam traducere*: at quoniam nulla disciplina hominis mores ita temperare & moderari, aut animi impetus ita comprimere & sedare potest, quin semper horum procellis & fluctibus jactetur, jure quidem perturbationes *inter causas evidentes* easque necessarias *collocantur*. *Animi affectus non necessarii ad sanitatem. Sed sunt causæ morborum. Sunt autem sex.*

Sex autem numerari solent *metus, mœstitia, ira, gaudium, agonia, verecundia.* Qua ratione & quibus ex causis fiant, & quam multas comites habeant, satis in Physiologia perpendimus.

Quid si moderati efficiant. Perturbationum animi, etiamsi *moderatæ* sint, nullus ferè usus, præterquam *gaudii*. Hoc exhilarat cor, spiritusque lætitia diffundit, nativum calorem suscitat, sanguinem humoresque extenuat, quibus salus comparatur, conservaturque sanitas.

Tristitia nemini frugifera, nisi quis effusiore gaudio dissolutus sit: nec *ira* nisi somniculosis & inertibus: nec *timor* nisi temerariis & furibundis: nec *verecundia* nisi impudentibus & pallore fœdatis. *Agonia* omnibus adversa infensaque est.

Cæterum hæ modum prætergressæ, nos graviter convellunt, quippe quæ evidentium causarum vim adipiscuntur.

Quid immoderati. Gaudium. *Gaudium* profusum ac insolens spiritum caloremque tam vehementer è corde in summa corporis effundit dissipatque, ut id caloris beneficio prorsus destitutum vel syncope vel morte repentina corruat: quod nonnullis obtigisse memorię proditum est, qui tamen omnino vel senes erant, vel languidi ac imbecilli. Cæteris omnibus corpus duntaxat refrigerat.

Ira verò calorem & spiritum è corde etiam foras, non ut gaudium sensim, sed repente permovet. Ex hac tamen nemo omnium deprehensus est repente sublatus, nec dissipato calore exanimatus, quod soli audaces & robusti iracundia efferri possint, & iis solis ubertas caloris circa cor effervescat. In his itaque dum cor ira cumulatur & exardescit, inflammatus calor in omnia effertur, ut tum homo extra sese percitus feratur. Ea spiritus primum, dein humores corpusque calfacit, inflammat, & plerunque in ephemeram vel in synochum agit: aut si cacochymia subest, in putridam febrem, in aliosque ex bilis fervore & ex humorum confusione morbos. *Ira.*

Timor & *tristitia* calorem spiritumque intro revocant, ille quidem subito & affatim, hæc paulatim impetuque nullo. Itaque corporis externas partes refrigerant, nec tamen ut somnum aut ambientis frigus interiores calfaciunt, quod is calor ac spiritus in cor solum recurrat. Ea quidem affectione cor vehementer premi & strangulato calore pene obrui, fidem facit, quod pulsus parvus, tardus, rarus & imbecillus evadat. *Timor & tristitia.*

Speciatim verò *tristitia* corpus omne, maximè verò cor refrigerat & excitat, spiritus

ritus innatumque calorem obterit & offundit, vigilias siccitate inducit, concoctionem labefactat, sanguinem humoresque incrassat, exaggeratque melancholicum siccum. Quibus ex causis corpus atrophia liquescit, & in marcorem, in aliosque frigidos morbos praeceps ruit.

Eadem pericula multo violentius evidentiusque *timor* injicit, qui caeco & repentino impetu percellens, non paucis calore cordis violenter suffocato vitam ademit.

Nam cunctis vires subtrahit ipse timor.

27. Problem. 1. Quod timentibus alvus interdum solvitur, aut urina profunditur, non mihi videtur cum *Aristotele* indicium esse sanguinis in alvum compulsi, sed potius remeantis in cor.

Verecundia. *Verecundia* porrò nativum calorem spiritumque in intima primum cogit, eumque mox sensim foras revocat, sed blande adeò, ut neque cor oppressum frigescat, neque spiritus dissipetur.

Agonia. At verò *agonia*, id est, certamen, utroque motu vehementer concutit: quumque ex timore & ira constet, amborum pericula motu tamen inaequabili intendit.

Quaecunque numerantur aliae perturbationes animi, in haec quae dixi genera conjiciendae sunt. *Ad hos affectus reliqui redigun tur.*

Excandescentia quidem, odium, discordia, inimicitia, *in iram.* *Qui ad iram.*

Timor, formido, terror, pavor, exanimatio, ad *metum.* *Ad metum.*

Dolor animi, luctus, moeror, lamentatio, aerumna, molestia, desperatio, ad *moestitiam* *Moestitiam*

Laetitia, jactatio, animi voluptas, ad *gaudium.* *Gaudium.*

Neque duntaxat hae morborum causae fiunt, verumetiam *cura*, solicitudo, afflictio, omnesque animi molestiae, quas ambitio, avaritia, aut aliud ferventius desiderium inflixit, quemadmodum mentis in rerum investigatione assidua *contemplatio* acriorve contentio. Harum quippe omnium immoderatione spiritus & calor emarcescunt. *Huc quoque pertinent cura & studia.*

De necessariis & evidentibus causis, & quibus eae modis nos immutare possunt, dicta haec sint.

CAPUT XIX.

De causis evidentibus non necessariis.

Ex Galeno Art. Medic cap 85. Avicenna l. 1. fen. 2. Doct. 2. cap. 18. Causae necessariae referuntur 1. Ad ambientia.

Causae verò non necessariae, quas declinare licet, & quibus nulla necessitate utimur, ad ea genere quae supra de necessariis posuimus referri possunt.

In *ambientium* quippe genere collocantur *aestuaria*, quae corpus praeter modum calfaciunt & exiccant, ac demum calore dissipato refrigerant. *Aestuaria.*

Balnea verò aliae refrigerant & humectant, aliae calfaciunt & humectant, aliae calfaciunt & exiccant: ut sulphureae, nitrosae, aluminosae, marinae: quacunque enim qualitate insignes fuerint, eadem corpus perfundent. *Balnea.*

Ad haec *unctiones* & emplastra foris suas etiam viris contagione nobis impertiunt, dum eas nostro calore suscitatas per cutis spiracula altius infundunt. *Unctiones.*

Vestes & tegumenta quibus operimur, interdum per se, ut calidorum animantium pelles, interdum accidente calfaciunt, quod insitum corporis calorem retinent nec exhalari sinunt. *Vestes.*

Florum denique & aromatum *odor* omnisque fumus aut vapor, sive manifesta sive occulta vi praeditus; dum intro spiritu ducitur, luculenter intima quaeque mutat. *Odores.*

Et haec quidem in ambientium genere.

In eorum autem *quae sumuntur* classe numerantur *medicamenta*, quae quoties vel imprudenter vel ex causa vorantur, primis, secundis, tertiisve qualitatibus aut tota substantia, spiritus, humores, corpusque afficiunt. *2 Ad assumenda. Medicamenta.*

Inter ea verò *quae corpore excluduntur*, non necessaria est *sanguinis* è naribus aut è vulnere *eruptio*, quae nimia, calorem, spiritus & vires exhaurit: neque integrè sano erumpentis quoquam modo sanguinis ulla est commoditas. *Ex Gal. 4. de sanit tuend. c. 11. 3. Ad ea quae excernuntur.*

Neque profectos *venus* quoquomodo salubris, nisi cui fortè multo jam tempore praeter consuetudinem sit intermissa. Huic idcirco moderata confert, quod titillantis aut turgentis materiae exuperantiam quasi onus infensum deponat. Immoderata verò spi- *Haemorrhagia. Venus.*

rò, spiritus, calorem humidumque primigenium exhaurit, concoctionem evertit, mentem & sensus infirmat atque convellit, corpus enervat, emollit, inersque reddit. Horum nihil tamen extremè: quando quidem veneris modus quidam est, nec ut cibo ita venere citra desiderium quis utitur. Vix quisquam sine libidine venerem exercet, sine appetentia plurimi supra satietatem se saginant. Proinde cibi quam veneris crebriora sunt gravioraque pericula.

4. Ad ea quæ moventur. Ad *motuum* genus accedunt *clamores* & vociferationes, quibus interdum venæ membranæque divelluntur:

Clamores. Dolores. Externi motus. Eodem & *dolores* pertinent, diri immanesque cruciatus, & *externi motus:* ut navigatio, vectio, gestatio, equitatio, & quæcunque corpus, humores spiritusve durius exagitant. Singula quippe validas ad morbos gignendos vires sortita sunt.

His finitima est *frictio* sicca, quanquam in corporis summa præcipuas vires habet. *Frictiones.*

Deinde *attritus,* contusiones, casus, vulnera, ferarum morsus, venenatarum bestiarum ictus, & quæcunque fortuitò in nos irruunt, nobisque quasi fato impendent, quorum periculis corpus variè jactatur. *Attritus.*

Evidentes morborum causas, quarum vi immutamur omnes, jam quidem recensuisse videor, quas solas veterum imitatione vulgus scrutatur, sedulo rogans unde morbus unusquisque processit. Ab his autem defluunt gignunturque interiores, de quibus proximè differendum.

CAPUT XX.

Interiores Morborum Causæ, quot qualesque sint, utque ab evidentibus defluant.

Ex Gal. de caus. morb. cap. 2.3.4.5.6.

Corporis spiritus, sanguis, humores, excrementa, & quæcunque contentorum nomine complectimur, *interiores* quidem *causæ sunt.* Hæ si naturæ legibus tenentur, salubres & sanitatis conservatrices appellantur: sin verò de naturæ bonitate multum decedunt, insalubres & morborum effectrices.

Morborum causæ interiores sunt defectus. *Decedunt* autem vel *quantitate,* vel *qualitate,* quæ duo vitia illis contra naturam insunt.

Quantitatis vitia sunt *exsuperantia* & *penuria.*

Spiritus exsuperare quidem non potest, deficit tamen quum magna ejus est inopia. *Quæ toto genere præter naturam* sunt, ut calculus, ut lumbrici, semper dum adsunt exsuperant, nunquam deficiunt. *Sanguis, humores, excrementa,* sive immodicè exsuperant, sive deficiunt, vitio dantur.

Exsuperantia. Quæ plethora. Solius *sanguinis exsuperantia, plethora* dici consuevit.

Aut cacochymia. *Reliquorum* omnium redundantia *in cacochymiæ genere* continetur. Quinetiam contentorum omnium intemperies tum simplex tum conjugata, crassities & tenuitas, durities & mollities, lentor & acrimonia, deinde putredo & totius substantiæ corruptio, cacochymiæ species sunt. In his igitur contentorum vitiis omnes consistunt interiores morborum causæ.

Evidentes autem sic illas proferunt.

Quomodo fiat defectus dissipatione. *Spiritus* quidem innatique calidi *penuriam* ambientis fervor, balnearum, *dissipantiumque* medicamentorum usus, alimenti penuria & inedia, immoderata vacuatio, labor, omnisque motus vehementior, vigiliæ, insolens gaudium, venus intempestiva, dolor excrucians. Eædem quum increverint, *sanguinis* succorumq; inopiam tandē inferunt.

Suffocatione. *Spiritus* innatumque calidum *premunt* & *humores* coarctant, aër densus & caliginosus idemque gelidus, alimentorum ubertas, excrementorum proventus, diuturna quies, somnus arctior & profundior, metus & mœstitia. Eadem si violenta & intempestiva irruerint, haud secus atque laqueus faucibus cervicique injectus nativum calorem strangulant & extingunt.

Quomodo alteratio. *Spiritus, humores,* excrementa, omniaque contenta, putredine *contaminant* aër putris & graveolens, ingestorum corruptio, eorum putredo & inordinatus usus, excrementorum suppressio, obstructio, hincque cohibita perspiratio. Quies quoque & somnus idem præstant, at non nisi ex accidenti, & quia excrementa augent.

Quomodo corruptio. *Spiritus* & innati calidi, sanguinis *succorumque* totam substantiam *corrumpunt* aër aut pestilens aut quovis inquinamento contamina-

minatus, hasta venena, retenti seminis aliorumque supervacuorum pernicies, venenatorum contagio, & virulentarum bestiarum morsus.

Quomodo una aliqua intemperies calida. *Intemperiem* in spiritibus, in sanguine, in aliisque contentis, *calidam* quidem invehunt, circumfusi aëris æstus omniumque circunsidentium fervor, & quæcunque cutem coarctant atque densant. His accedunt, cibi, potusque calidiores, medicamenta quoque calida & acria, excrementorum suppressio, obstructio, atque hinc nata putredo, motus exercitatioque vehemens, ira & vigiliæ, nisi extra modum excesserint.

Frigida. *Frigidam* verò intemperiem accersunt, aëris omniumque frigidorum occursus, alimentorum parcior aut liberalior usus, eorumque & medicamentorum intemperies frigidior, ingens vacuatio, & magna supervacuorum suppressio, otium motusque immodicus, somnus, metus atque mœstitia.

Sicca. *Siccæ* intemperiei effectrices causæ sunt, aëris sicca constitutio, & eorum occursus quibus exiccandi vis inest, cibi potusque tenuitas & inedia, extenuantia dissipantiaque medicamenta, immoderata vacuatio, motus vehementior, vigiliæ, mœror, cura atque solicitudo.

Humida. *Humidioris* causæ sunt humidum & pluviosum cœlum, balneæ dulces, præsertim à cibo, potus liberalior, humectantium ciborum copia, excrementorum parcior vacuatio, vita otiosa, somnus multus, lætitia & animi tranquillitas.

Crassities. *Crassos* spiritus & humores similisque naturæ excrementa proferunt, cibi atque potus crassæ compactæque substantiæ, ut panis azymus, bubula caro, majorumque animantium & piscium esus, vinum crassum ac rubrum. Id ipsum causæ omnes quas refrigerare atque densare recensuimus ex accidente præstant.

Tenuitas. *Tenues* verò gignunt alimenta & medicamenta extenuantia, potusque tenuis & liberalior.

Lentor & acredo. *Lentos* aut *acres* alimenta aut medicamenta hisce viribus prædita. Nam animantium extrema piscesque complures & caseus, lentum glutinosumque succum reddunt: mel verò, hordei cremor, similiaq; medicamenta detergentem & minimè viscosum.

Durities & mollities. Sic sanè humores excrementave *durescunt* aut *molliuntur* alimentis aut medicamentis quorum talis sit materia, atque etiam vehementer calidis atque siccis, aut impensè humidis cum tepore.

Exagitatio. Corporis spiritus humoresque *exagitant* atque conturbant, quæcunque humores valdè extenuant aut in fervorem agunt, & quæ aut subito vehementerque comprimunt, aut vehementiore motu incitant, ut dolor atrox, immodica exercitatio, ira, timor, omnesque tum corporis, tum animi perturbationes.

Unde apparet. Ex his sciri potest quam variæ sint evidentium *causarum* vires.

Alias causas præbere materiam. *Aliæ* morbis *materiam suggerunt*, ut alimenta & excrementa, quæ principales sunt causæ. Gravissimis proinde morbis maximè obnoxii evadunt, qui gulæ abdominique dediti, tempestivam aspernaetur medicationem.

Alias eam immutare. *Aliæ materiam duntaxat immutant*, solasque huic qualitates impertiunt, ut aëris & occurrentium intemperies, motus & quies, somnus & vigilia, & animi pathemata, quæ rarius morbos excitant.

Quot igitur qualesque sint interiores morborum causæ, & quæ hæ ratione ab evidentibus procedant; omnium denique efficientium causarum genera viresque sumus persecuti.

CAPUT XXI.

Quæ sit uniuscujusque Morbi causa.

Ex Gal. de causis morbor. ibid. NUnc morborum ordine repetito, particulatim scrutari par est, quibus ex causis unusquisque originem ducat, ut ex earum observatione omnis quæ ad medendi rationem conducit habeatur cognitio. Quum autem morbus alius à solis evidentibus externisque causis profectus sit, alius præter has etiam interiores easque vel antecedentes vel continentes causas habeat prima quidem uniuscujusque est origo discenda.

Partium similarium tum simplex tum conjuga-

Similaris morbus ab evidentibus causis.

A jugata *intemperies*, earum quoque putredo, & totius substantiæ corruptio, *ab evidentibus* plerumque *causis* fiunt. Hæ siquidem dum blande & æquabiliter in omne corpus irruunt, primum prompteque spiritus, qui in tenui substantia positi omni affectioni patent, ab his deinde humores cæteraque contenta: postremo partium substantiam, quę solidior est, quacunque vi aut qualitate insignes sint, afficiunt. At si validæ causæ eæ sint, & diu multoque tempore assistant, atque iis expositum corpus propinquum sit, idque jam affectioni obnoxium, (illa quippe quatuor in omnem rerum actionem concurrant oportet;) affectus etiam proxime in corpus immigrabit.

Ab antecedentibus, aut continentibus.

B Quinetiam ii morbi similares nonnunquam *à solis antecedentibus aut à continentibus causis* emergunt. Etenim vitiosus putrisque humor firmius parti adhærescens, illius substantiam tandem corrumpit: quomodo & pulmones & jecur putrescere persæpe deprehendimus. Sic suppressi seminis & quorundam excrementorum malignitas in veneni naturam facessens, principum partium substantiam contaminat. Quacunque autem intemperie alienave qualitate spiritus, sanguis, humores excrementave tenentur, mox contagione corporis partes eadem inurunt, eaque interdum levi, interdum altius infixa & permanente. Itaque morbi similaris alias à solis evidentibus, alias tum ab his tum ab antecedentibus continentibusque causis originem habent.

Ex Gal ibid. cap. 7. 8. 9. 10.

Morbus figuræ.

C Jam de *instrumentorum morbis*. Naturalis partium *figura* invertitur aut spermatis conformantisque facultatis vitio; aut membris in partu posteave, dum adhuc mollia teneraque essent, contortis; aut quod multo post tempore collisa confractave vitiose coalescunt, sive medici, sive laborantis, sive alterius cujuspiam inscitia & errore. Interiores etiam causæ plerumque figuram invertunt, ut tumor præter naturam, sectio, convulsio, & resolutio nervorum.

Morbus meatus & cavitatum coalitus.

Concavitatis & meatus vitia quidem multa sunt, quorum *coalitus* maximè à causa fit interiore, dum capacitatis facies exulceratæ nec benè curatæ, inter se glutinantur & adhærescunt.

Obstructio.

Obstructio ab interiore quoque causa, ut à caruncula, à duro tuberculo, à tumore, à callo, à grumo & ab humore crasso lentoq; interiorem canalem ductumq; infarciente.

Angustia.

Angustia verò fit vel aliquo extrinsecus comprimente introque impellente meatuum latera: vel his in se ipsa concidentibus, idque cogente frigidorum adstringentium aut exiccantium vi. Sed & causam sæpè habent interiorem, quum retinendi facultas validior, meatus eorumque oscula quasi impetu coangustat.

Laxitas.

Laxitatis causæ his contrariæ sunt, medicamenta aperientia, quæ incidendi, detergendi expurgandique vim nacta sunt, & quæ vehementer mollunt atque laxant: expultrix quoque facultas valida aut retentrix imbecilla.

Asperitas.

Asperitatis porrò causæ, sunt medicamentorum, humorum, & excrementorum immodicè acerborum: cujusmodi sunt immaturi fructus; aut acrium, aut abstergentium vis eousque interdum invalescens, ut partes ipsas vel corrodat vel exulceret.

Lævitas.

Lævitatem verò efficiunt cibi potus, humores, tum utiles, tum supervacui pingues atque glutinosi.

Morbus numeri deficientis.

In *numero* autem pars quæcunque *deest*, aut naturæ conformationisque vitio, aut sectione, aut ustione, aut putredine, aut frigore periit.

Abundantis.

Si qua autem *superest* & accrescit, ea est validæ naturæ opus, quæ ex utili eaque uberiore materia naturale quiddam progignit: ejusmodi est in conceptu sextus digitus, & in adultis tuberculum carnosum. Ex inutili verò materia fiunt ganglia, melicerides, steatomata, atheromata, acrochordones, ejusque generis tubercula.

Morbus magnitudinis aucta.

Partis porrò *molem* supra modum *augent*, utilis materiæ ubertas & valida natura; quæ frictione, calore, pice, aliisque trahentibus juvatur.

Imminuta.

Minuunt verò imbecilla virtus, & alimenti penuria, & aliæ causæ quas diximus de naturali numero nonnihil detrahere.

Morbus situs.

Partem è sua sede atque *situ* dimovent vinculorum solutio aut laxitas, ut in luxatis, sive repentino vehementique motu, sive mollientium occursu fiat: continentium partium disruptio vel laxitas, qualis in enterocele aliisque ramicibus, & in abdomine disciso, & quum vulnerato pectore pulmo excidit.

Vi-

Consensus. Vicinarum autem partium *consensus* depravatur, quum illæ inter sese cohærent, aut commune illarum vinculum laxatur, intenditur vel abrumpitur.

Ex Gal. ibid. c. 11. *Continui solutionem* efficiunt flatus homorve vel exuperans, vel acer, vel pungens, vel exedens: & in causis evidentibus motus immoderatior, & quæcunque contundunt, frangunt, vulnerant, perforant, aut urunt. *Continui solutio.*

Atque hæ quidem simplicium omnium morborum causæ putentur.

CAPUT XXII.

Implicitorum compositorumque Morborum causæ.

Ex Gal. ibid. cap. 6. Avicen. lib. 1. fen. 2 doct. 2. cap. 17. *Quomodo morbi compositi oriantur.* Nulla causa proprio atque uni est semper addicta morbo, sed una eademque simplex morbos plerunque varios infligit. Solis ardor destillationem è capite frigidam concitat, ex qua asthma, arthritis & paralysis. Idem jecoris bilem accendit & extimulat, cujus febris est soboles. Sed & causæ contrariæ in morbi ejusdem procreationem sæpè concurrunt. Ut enim solis ardor cerebrum dilatans illiusque ductus patefaciens excrementa diffundit, fluxaque reddit, ita frigus immodicum quasi comprimens & coarctans, illa exprimit, depellitque.

Quum itaque morbi complures erunt, uniuscujusque interior causa seorsum pervestiganda: quod si multæ deprehendantur, observandum implicitæ ne sint an connexæ, anve disjunctæ: quandoquidem earum non minus quam morborum observatio ad curationem confert. Implicitæ vix unquam seorsum eximi possunt. Ex connexis antecedens prius quam consequens delenda. Disjunctæ separatim sigillatimque tolluntur.

Quomodo tumores à fluxione. Quoniam autem *tumores*, omnes præter naturam, morbosque partium plurimos *humorum defluxio* parit, quæ & ipsa plurimorum est morborum causa, hoc loco expendendum, quid fluxionem moveat, & in hanc, non illam partem deducat.

Quæ sit fluxionis materia. *Fluxionis materiæ* sunt, sanguis, bilis tum flava tum atra, pituita, aquosus humor flatus, & quicquid ex his permistis conflatur.

Causa efficiens. Omnis autem materia *vel per se* & sua sponte, *vel impulsa fluit.*

Sponte, quum vel copiosior est, vel colliquefacta, vel jactata vehementius. Talis quippe nequit propria sede coërceri, sed suopte impetu effluit exiditque.

Impulsa, verò fluit aut vi partis expellentis ea quæ tum qualitate tum quantitate molesta sunt, aut vi frigoris, aut adstringentis cujusdam aut comprimentis robore. Atque hæ causæ fluxionis sunt effectrices.

Cur in hanc potius quam aliam partem. *Cur autem in hanc quam in illam potius partem incumbat, causa* est pars vel *recipiens* vel *attrahens.*

Recipit autem quia *imbecilla*, aut quia prona & *subjecta mittenti.*

Imbecilla est vel *natura*, ut cutis, axillæ, inguina, adenes, & alia quæcunque laxa mollisque genita est; *vel morbo*, ut quæ contusa est, obtrita, vulnerata, aliove morbo languida.

Pars prona fluxioni subjecta est, si vias ad se directas & ingredientes amplas habet atque latas, egredientes verò angustas. Sic ad renes, ad pulmones, ad articulos, ad aliasque sedes in quas humor illabi consuevit, prona est fluxio. Prona etiam fluxionique subjecta pars est, quæ inferiore est situ: quandoquidem materia gravis facilius deorsum fertur & in proclive devolvitur, quanquam & flatus & vapor & tenuissima bilis facile quoquoversum excurrit.

Attrahit pars quæque fluxionem, dolore, motu, frictione & calore, sive ab interioribus, sive ab externis causis comparata hæc sint.

Quomodo congeratur humor. Humor in parte coacervatur bifariam, congestu & defluxione. *Congestus* fit partis vitio & imbecillitate, quum allapsum alimentum nec conficere nec absumere valens, non pauca inde congerit supervacua: aut quum valida ipsa plura allicit quam ut possit concoquere: aut quum densior adstrictiorque excrementa nec facile deponit nec dissipat.

Libri primi de Morborum differentiis eorumque causis, Finis.

LIBER SECUNDUS DE SYMPTOMATIS ATQUE SIGNIS.

CAPUT I.

Quid Symptoma, & qua id ratione à Morbo & à Cauſa diſtet.

Ex Gal. de diff. ſympt. cap. 1.


Ertium nunc genus reſtat eorum quæ præter naturam nobis ineſſe propoſita ſunt, ſymptomatum nempe atque ſignorum: quæ ut ortu, ita & tractatione morbis ſuccedunt. Licet autem morbi compluresque eorum cauſæ penitus lateant & intro condantur, ſymptomata tamen ſignaque omnia foras ſe dant, & conſpicua ſunt nobis. Alia quidem ſigni, alia ſymptomatis eſt ratio: omne ſymptoma ſignum eſt, non tamen omne ſignum ſymptoma.

Symptoma generalius ſumptum quid.

Eſt autem *ſymptoma, affectus præter naturam ubivis conſiſtens.* Hic quidem affectus appellatio latius quam in morbi finitione patet, ut & affectionem omnem contineat. Qui præter naturam ſimpliciter exiſtit, nondum contra naturam eſt, nec corporis functionem ullam manifeſtè offendit.

Quomodo id differat à morbo & morbi cauſa.

Morbus & morbi cauſa à ſymptomate diſtant, quod functionem lædant, ille quidem primum & per ſe, hæc verò per accidens: ſymptoma neutro modo lædit, quia nondum contra, ſed duntaxat præter naturam eſt. *Diſtant & aliter,* quod morbus in aliqua corporis parte ſolum conſiſtat, cauſa in contentis, ſymptoma verò tum in utriſque, tum in functionibus ipſis.

Hac quidem nominis ratione quicquid vel in corporis ſubſtantia, vel in contentis, vel in functionibus præter naturam exiſtit, ſi nondum functiones manifeſtè offendit, ſymptoma judicandum, undecumque id originem ducat. Itaque & corporis nigrities ex Solis ardore contracta, & urinæ aliorumve excrementorum color odorve præter naturam citra morbum gravis, & leviuſculi partium affectus, adeoque tenues ut nondum functionibus incommodent, ſymptomata ſunt, neque in aliud affectuum præter naturam genus conjici poſſunt.

Eſt tamen & altera multo anguſtior hujus nominis ratio, qua ſolum *affectus præter naturam ex morbo profectus* ſymptoma appellatur. Hoc genus univerſum morbi ſoboles eſt, quo nihil eorum pertinet quæ modo percenſui: at nihilominus fœdus icteri color, & putrida fœtenſque dejectio ex febre profecta, & omnis functionis læſio, hujus ſunt generis.

Quid propriè ſymptoma.

Cæterum quum *morbus* unus *alium de ſe proxime gignit,* ut dum jecoris fervor ventriculo calidam intemperiem inurit, poſterior affectus ex morbo quidem natus eſt, non ſimpliciter tamen ſymptoma, ſed morbus appellari debet: ſiquidem in parte inhæreſcit, cujus actionem primum ac per ſe manifeſto lædit. Atque hi ſunt quos ſupra conſequentes morbos nuncupavimus, quorum prior poſterioris eſt cauſa. Quis enim vel mediocriter eruditus ventriculi intemperiem ſymptoma cenſeat calidioris jecoris? Nihil igitur ne diverſa quidem ratione poteſt, ut unum quippiam atque idem actionem lædat & non lædat.

Id differt à morbo conſequente.

A morbi cauſa.

Quinetiam quum imbecillum langui-dum-

dumque jecur malè sanguinem conficit, hæmatosis læditur, ex hac deinde corrupti vitiosique humores toto corpore succrescunt, qui febres & alios deinde morbos excitant: ipsa humorum corruptio, licet affectus sit præter naturam ex morbo natus, *minimè* tamen *symptoma* censeri possit, *sed morbi causa*, quod in contentis subsistat, actionemque ex accidenti lædat.

Non necessario tamen symptomatis causa.

Nihil enim idem possit morbi causa & symptoma dici: quanquam fieri potest ut *symptoma alterius symptomatis* fit *causa*: ut quum ex eodem morbo complura symptomata continuata serie defluunt. A frigida ventriculi intemperie concoctio offenditur, ex qua ciborum est cruditas: hinc porrò lienteria, quæ est cita alvi dejectio: ab hac demum impedita alimenti in totum corpus distributio. Hac serie quoties morborum, symptomatum & causarum ingens quædam fit concursio, magnaque confusio, morbum neque symptoma proximè antecedit, neque causa ulla proximè insequitur: sed ea serie ita semper ex aliis alia nectuntur, ut morbum causa antecedat, symptoma vero proximè sequatur.

Et morbum causam morbi.

Quanquam autem idem interdum *morbus est & morbi causa*, neutrum tamen symptoma dici potest. Nam & morbus morbi, & symptoma symptomatis interdum causa fit: at symptoma neque morbus neque proxima morbi causa esse usquam deprehenditur.

Contra quam arbitratur Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 1. cap. 1.

Quamobrem *Avicennas* tria hæc genera permiscens confundensque non planè videtur rerum substantias dispertitus. Quum propter ictum dolor acerbissimus phlegmonen parit, symptoma ait morbi causam fieri. *At* certè dolor, proxima, continensve, non phlegmones, sed fluxionis causa existit, fluxio verò collectionis, hæc demum quia partem copia distendit, obstructionis, ex qua sequitur prohibita perspiratio, nativi caloris extinctio, humorum putredo, ipsa denique inflammatio, quam propriè phlegmonen appellamus. Tumoris igitur principalis causa est ingens cumulatorum humorum copia, inflammationis putredo, dolor verò incitans duntaxat causa est, & sine qua nihil efficeretur.

Nervos omnes contendit *Avicennas* ut persuadeat symptoma in morbum verti commutarique, quum capitis dolor ex stomachi vitio acceptus diutius persistit. *At* verò dolor hic ex sympathia tametsi capiti fit proprius, nec tamen in morbum degenerat, nec pristinam symptomatis naturam commutat: sed vel ipsa capitis intemperies, vel alius quidam morbus ex ventriculo contractus, proprium hunc capitis dolorem infert.

CAPUT II.

Tria Symptomatum Summa Genera.

Ex Gal. de diff. symptom cap. 2. 3. 4.

Symptoma propriè dictum triplex est.

MOrbum proximè tanquam effectus sequitur functionis læsio, primum illius symptoma idque proprium & indissolubile, è quo dein alia defluunt omnia. Sunt autem hæc bipertita: nam alia in partium substantia, alia in excrementis insident.

Actio læsa. Excrementorum vitium. Simplex corporis affectus.

Itaque *tria sunt omnino summa symptomatum genera, actio læsa, excrementorum vitium, & simplex corporis affectus.* Posteriora duo ex læsa functione, hæc verò ex morbo proficiscitur. Exempli causa, utque omnia pateant apertius, obstructio fit in bilis folliculo, sub hoc vitio flava bilis à reliquo sanguine expurgari nequit, hacque functione læsa bilis cum sanguine manens in totum corpus refunditur. Hinc cutis fœdo tetroque colore deturbatur, & icterus fit simplex quidem symptoma. Hinc etiam urinæ crassescunt flavescuntque, & alvi excrementa albicant bilis permistione destituta. Ea igitur serie simplices corporis affectus excrementorumque vitia ab actione læsa proficiscuntur.

Actionis læsæ differentia ex integris sumenda.

Jam verò *læsarum functionum differentiæ ex integrarum numero colligendæ.* Functionem aliæ animales, aliæ naturales: & animalium aliæ sensus, aliæ motus, aliæ principes. Sensus porrò quinque sunt, tactus, gustatus, odoratus, auditus, & visus. Principes verò functiones sunt, phantasia, intelligentia, & memoria.

Omnes autem vel non fiunt, vel diminute, vel deprave. *Harum unaquæque* bifariam læditur, quia *aut non fit*, aut malè: & male rursum bifariam *diminute, aut depravate.*

Cæcitas visionis est privatio, hebetatio, diminutio, hallucinatio, error, & depravatio. His in auditu respondent, surditas, gravis auditio, & tinnitus. *Quomodo functiones animales.* Haud quidem difficile fit istorum imitatione cæteras *animales functiones læsas*, tametsi proprio adhuc nomine caruerint, numerando percensere, si uniuscujusque tres constituantur differentiæ.

Quomodo functiones naturales. Eadem propemodum in *læsis naturalibus functionibus* numerãdis ratio tenenda. Quum pars unaquæque similaris quatuor tum facultatibus, tum functionibus insignita sit, si quamlibet trifaram lædi contingat, quod vel minimè, vel remisse, vel depravate edatur, erunt uniuscujusque partis, ut similaris est, symptomata duodecim. Si eadem quoque ex naturalium instrumentorum est ordine, quoniam præter eas quibus se alit & tuetur, alias etiam toti corpori communes vires accepit, aliis duodecim erit symptomatis obnoxia. Ventriculi apepsia, bradypepsia, dyspepsia, læsæ, communis concoctionis vitia sunt: totidemq; & in attractione, & in retentione, & in expulsione consistunt, sed quibus propriæ appellationes non suppetunt: quemadmodum neque læsis functionibus duodecim, quæ illi qua similaris est peculiares sunt.

Tot igitur symptomatum genera functio læsa comprehendit, quorum alia in alias partes incidunt pro cujusque functionibus connumeranda.

CAPUT III.

Symptomatum, quæ tum in affectu simplici, tum in excrementis consistunt, differentiæ.

Ex Gal. de sympt. diff. cap. 5. 6. *Simplices corporis affectus quinque sunt.* SImplices partium affectus præter naturam, qui functioni nulli incommodant, sensibus ferè obvii manifestique sunt. Hos proinde sensuum quibus percipi solent numero, in ordines *quinque* redegerunt.

Visiles. *Aspectabiles* sunt fœdi colores, quos morbi inflixerunt, qualis flavus est in ictero, pallidus in leucophlegmatia & in vitiligine, niger in elephantiasi.

Odoratiles. *Odoratus* sunt, teterrimi & graves odores, quos axillæ, aures, nares, os, aut corpus universum expirat.

Audibiles. *Ad auditum* referuntur soni præter naturam, quales sunt aurium tinnitus, pulmonum fauciumque stertores, dentium stridores, ventriculi atque etiam colli rugitus, intestinorum crepitus.

Gustatiles. *Ingrati sapores* qui palatum & linguam inficiunt, gustatu deprehenduntur, cujusmodi sunt oris amaror à bile flava, sapor acidus è melancholia, aut salsus è pituita.

Tactiles. Cutis scabra, arida, & rugosa, symptomatis inquinatur, quæ *tactio percipit*. His ergo differentiis comprehenduntur symptomata generis secundi, quæ simplices sunt corporis affectus.

Symptomata in excrementis sunt vel substantiæ. *Tertium* porrò *genus in excrementis inest*, quæ præter naturam vitium contraxerunt aut *substantiæ*, aut *qualitatis*, aut *quantitatis*.

Substantiæ vitium appellamus, quum quod excernitur toto genere præter naturam est, ut calculus, ut arenula, ut lumbricus. At quum non id quod excernitur, sed ipsa illius excretio præter naturam existit; ut sanguis è naribus ex auribus, ex ore, seu sputo seu vomitione, è vesica vel alvo profluens, & quæcunque citra naturæ præscriptum fit eruptio.

In excrementis *qualitatis* vitia insunt, quum aut eorum color à naturæ modo recedit, ut si urinarum, dejectionum, mensium, sputorum, aut vomitionum niger est color, lividus, aut viridis. Quum etiam aut graveolentia ferit: aut sapor amarus, salsus, acidusve subest; aut lentor vel acrimonia, & crassities vel tenuitas, aliave qualitas præter naturam, tum his tum cæteris quæ manant è corpore inesse deprehenditur. *Vel qualitatis.*

Quantitatis vitium est, quum justus naturæ modus in his minimè tenetur, sed ea vel abundantius vel parcius profluunt. *Vel quantitatis.*

Hæc igitur excrementorum vitia in symptomatis connumerentur, si præsertim ex morbo originem sumpserunt. At quæ non hinc, sed *ex alimentis profecta* sunt, quorum vel qualitas prava, vel immodica quan- *A quibus diversus error externus.*

quantitas permanet, non propriè symptomatis annumerari debent.

Ipsa porrò excrementorum vitia atque symptomata dum præter naturam intus coërcentur, novorum plerumque morborum causæ fiunt. Haud equidem scio, ullane alia causa plures morbos procreet, quam excrementorum proventus.

Symptomatum differentiæ hæ sunt: jam eorum causas breviter perstringam.

CAPUT IV.

Læsarum Functionum causæ.

Ex Gal. de caus. symptomatum. *Læsarum animalium functionum causa in genere.* FUnctio læsa per se nulliusque rei interventu ex morbo proficiscitur. *Morbus* autem *qui sensum motumque offendit*, vel in cerebro propria facultatis sede, vel in sensus motusve organo consedit. Qui facultatem ejusque sedem occupat & impedit, aut intemperies est, aut continui solutio, aut constipatio, aut obstructio, eaque vel à tumore præter naturam, vel ab influente humore profecta. Ab his siquidem coërcita facultas, prohibetur in sensus motusque instrumenta defluere, qui instrumentum, modo partem ejus principem & primariam, modo cæteras quæ illi subsidio veniunt, aut quovis modo usui sunt, exercet.

In species oculi. In primaria quidem (cujusmodi *in oculo* est humor crystalloides) fiunt intemperies, continui solutio, & situs mutatio: hic enim sæpè de sede propria decedit. In cæteris instrumenti partibus præter intemperiem & continui solutionem instrumentarii quoque morbi consistunt: cujusmodi sunt pupillæ amplitudo vel angustia, humorum penuria vel exuperantia, horum, tunicarumque crassities aut alienus color, suffusio, unguis, & quæcunque ob pupillam succrescunt, deinde ulcera, inflammationes, aliique tumores, qui nihilominus & totius oculi morbi sunt, & symptomatum causæ.

Auris. Sic propemodum & *aurium obstructio* vel à tumore nascitur, vel à tuberculo, vel à sordibus, vel ab iis quæ in eas incidunt.

Narium. *Narium* quoque *obstructio* vel ex attritu & tumore, vel ex polypo fit: & ossis spongoidis obturatio à gravedine. At fœtores iis insidentes odoratum corrumpunt.

Lingua. Quemadmodum *linguæ* lentor salsus, acidus, aut amarus, gustatus judicium evertit.

Partium sentientium & moventium. Jam verò *tactus motusque* symptomata, ut stupor & paralysis, fiunt nervis aut refrigeratis, aut vinculo aliove extrinsecus prementе constrictis, aut crasso lentoque humore obstructis. Hæ causæ spiritum & facultatem animalem latius manare non sinunt.

Ita igitur animales functiones causæ multiplices offendunt.

Naturalium symptomatum causa. *Actionis privata.* At verò *læsæ naturalis* functionis causa omnis vel intemperies est, vel substantiæ corruptio, hæc enim vitia, similarem partem actionum opificem invadunt labefactantque, neque *privatæ* ullius functiones naturales aliis ex causis lædi possunt.

Publica. At *publicæ*, quales in naturalibus instrumentis insunt, aliis etiam quibusdam ex causis offenduntur. *Concoctionis.* Etenim ventriculi, jecoris, alteriusve instrumenti ratio, ab erysipelate, à phlegmone, ab aliisque tumoribus præter naturam interdum pervertitur, hincque diminuta aut depravata *concoctio* hominem fatigat.

Attractionis. Quinetiam non solum similaris, verum etiam instrumentarius morbo *attractionem* interpellat. Sic tuberculo carnoso vel alio quovis tumore in gula succrescente, quo cibis via præcluditur & intercipitur, vel omnino nulla, vel difficilis, vel depravata, quasi saltu quodam aut tremore attractio perficitur.

Retentionis. Eisdem ex causis & ex flatuum turba præpeditur *retentio*, nec ventriculus cibos arctè complectitur, nec eisdem firmiter adhærescit.

Expulsionis. *Expulsionem* lædunt morbi similares, & viarum angustia atque obstructio. Sed hanc accelerat excernendorum copia vel acrimonia: crassities verò aut lentor remoratur.

Non aliæ profectò causæ quærendæ sunt, cur alimenti in universum corpus per venas distributio, aut fœcum alvi dejectio, aut urinæ profusio, aut flavæ bilis in suam cystim, aut denique melancholiæ in lienem expurgatio vitiosa fit.

CAPUT V.

Simplicium Symptomatum interiores Causæ.

Ex Gal. 1. ibidem. Symptomatum in simplici corporis affectu causæ.

AFfectus verò *simplices* sive in corporis partibus, sive in excrementis citra ullam functionum læsionum inhærescunt, interiores *causas has obtinent:*

Coloris. *Color* quidem præter naturam, succum & humores de optimo & mediocri statu delapsos, qui vel in cutem se extulerunt, vel excrementis excidunt.

Fœtoris. *Fœtor* omnis & graveolentia soboles est putredinis.

Saporis. Alienus *sapor*, aut humor is qui in os influit, aut qui excrementis permiscetur, naturam imitatur.

Soni. *Sonus* præter naturam, rugitus & murmur, vel ab instrumentorum fit angustia, vel à flatus copia, vel ab eo huc & illuc impulso. Ex quibus intelligi potest, horum symptomatum quemadmodum & superiorum causas esse morbos.

Naturalium autem *excrementorum*, ut dejectionum, urinarum, mensium & sudorum vitiata qualitas, eas causas habere putetur, quas nunc simplici affectui ascripsimus.

Excrementorum abundantium causæ. At verò *quantitatem* eorum *supra modum* augent, vel ingens ciborum copia, vel eorum corruptio & acrimonia, quæ expultricem vim stimulat, vel lubrica fluxaque materia, vel continentis facultatis imbecillitas, vel exquisitior corporis sensus, vel impedita alimenti distributio, vel excrementa aliunde refusa, vel corporis universi colliquatio. His enim ex causis urinæ, dejectiones, sudores atque menses validius, abundantius, crebriusque erumpunt.

A *Quantitatem* verò eorum *minuunt* alimentorum parcitas, crassities & adstrictio, expellentis facultatis imbecillitas, partium expellentium sensus obtusior, viarum angustia vel obturatio, immoderata è cutis spiraculis facta dissolutio. *Deficientium.*

Excretionum præter naturam causæ. Verum enimverò *excretiones quæ toto genere sunt præter naturam*, alias causas habent. Ut *sanguinis* profusio fit, rupta, exesa, aut aperta vena, quæ sanguinis est receptaculum. Rumpitur autem nimia plenitudine & vi causarum evidentium, quæ superiore libro positæ sunt. Exeditur ab acri & mordaci humore, si præsertim ea mollis est & tenuis. Reseratur patefactis osculis & copia & tenuitate & acrimonia sanguinis, interdum & à natura, quæ lacessita ora venarum diducit, ut iis exigat quicquid est molestum. Nonnunquam & sanguis ita extenuatus ut seri speciem referat, è venarum tunicis rarioribus atque laxis emanat. *Hæmorrhagia.*

B

Vomitus. *Vomitiones* autem movent cibi assumptorumque copia, contentorum, velut, bilis, acrimonia, & quæ pondere gravant ut sanguis vel pituita copiosior quodam loco conclusa.

Destillationum. Similiumque. Tres hæ causæ, *cerebri destillationes, oculorum lachrymas, expuitionem, gonorrhœam*, omnemque ex quavis parte vacuationem contra naturam proritant. Hic nempè continendi facultas excrementorum pondere defessa, omnia tandem elabi sinit: expultrix verò stimulata, impetu eadem omnia deturbat.

CAPUT VI.

Dolorem Symptoma tactus esse, & quæ illius causæ.

Ex Gal. 1. de sympt. caus. ca. 6. In omni sensu dolor est. Sed in tactu major.

SEnsus unusquisque rei objectæ vehementia pulsatur ac *dolet:* ut oculus nimio splendore, & auris aspero vehementique strepitu. Unius autem *tactus dolores* idcirco maximè *atroces* existunt, quod crassissimus atque in compactiore materia positus, primus sit & omnium animantium communis, quodque qualitates in quibus A hic versatur maximè sint efficaces. Hæ igitur si quando exuperent, & tactum repente vehementerque feriant, dolorem commovebunt.

Quid sit dolor. *Non ipsa noxiarum qualitatum perceptio, sed quæ hinc protinus exoritur affectio, dolor est*, quemadmodum & quæ ex inimici conspectu nascitur, tristitia aut ira existit. Ut igitur inimici

mici conspectus non est ira, ita profecto neque rei noxiæ tactio, sed molestia ex tactione profecta dolor est. Itaque ut ira animi, ita & dolor debet tactus symptoma censeri.

Causa doloris secundum Galenum. *Galenus* Hippocratis locum exponens quo dixit omnem morbum ulcus esse, dolores omnes non nisi divulsione & continui divisione moveri contendit. *Secundum Averhoen li. 3. Colliget. c. 31.* *Averrhois* Galenum insimulans suadet soluto continuo idcirco dolorem inferri, quod prava & nocens qualitas inducta sit: hanc unicam & proximam causam statuit doloris, quæ una proximum est & proprium tactus objectum.

Quæ ambo vera sunt. At verò utraque sententia videtur *sophismatum subtilitate instituta.* Tactus enim non unum est & simplex instrumentum, sed quod in extremorum caloris & frigoris, humoris & siccitatis, mollis & duri, asperi & lævis, gravis & levis mediocritate, convenienti forma atque situ consistit. *Pag. 139.* Hunc proinde in Physiologia demonstravi à temperatis suique similibus nihil affici, nec ea percipere: à dissimilibus verò & contrariis varia perpeti, eaque non nisi offensione & læsione sentire. Quamobrem quicquid supra modum calidum, frigidum, durum, acutum, grave aut multum repente irruet in tactum, dolorem infliget, idque qualitatis suæ vi & efficacia, quæ proxima est doloris causa: nempè calfaciens, refrigerans, contundens, secans, exedens aut divellens. Itaque doloris causam non unicam, sed tot nimirum quot sunt tactus objecta, statuere par est.

Quæcunque violenter & repente in tactum irrumpunt, tamdiu solum dolorem inferre possunt, *quamdiu agunt* & sensum movent: atque cum sensus mutatione illius pariter dolor conquiescit. *Et tamdiu dolor est quamdiu illa agunt.* Licet interdum sublato efficiente torpor aliquis (perinde atque in oculo rei visæ simulachrum) aliquantisper remaneat, obscuram quandam doloris speciem exhibens, ea tamen dolor haudquaquam est.

Multæ quidem existunt *dolorum differentiæ*, quas inter signa demonstrativa collocandas esse duximus.

Quamobrem de symptomatum summis generibus horumque causis istæc attigisse satis superque videmur, de singulis inter particulares morbos paulo post aptius dicturi.

Nunc de signis tradendum.

CAPUT VII.

De signis, quotque sint illorum differentiæ.

Ex Gal. lib. art. Medicin. cap. 7. 1. aph. 12. Et Avic. lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 1. MOrbi in intimo corporis recessu conditi, qui neque cerni, neque sensu ullo percipi possunt, *solis signis intelliguntur*, quibus tanquam rerum indiciis mens recta ratione ducitur, & in recondita penetrans, quæcunque magna obscuritate involvuntur sic aperit, ut oculis ea cernere videatur. *Absque signis morbi cognosci nequeunt.* Tanta est signorum necessitas, ut his sublatis medicinæ fundamenta corruant.

Quare de iis hic tradendum in genere. Quoniam autem præter morbos eos qui de partibus singulis posthac tradentur, alii plerunque aut novi aut novo modo impliciti ingruunt, qui neque literis, neque expressis signis doceri omnes possunt, *generalis quædam signorum ars jure præmittenda* est, quæ modum exprimat, tum morbi, tum causæ cujusque interioris investigandæ.

Quum autem tria sint *prima signorum genera*: Hic quidem de *insalubribus*, quæ morbos eorumque causas demonstrant; in opere prognostico de *signis prognosticis*; in opere sanitatis tuendæ *de signis integræ valetudinis* disserendum. *Et quidem de insalubribus.*

Quicquid igitur *sensibus nostris obvium, aliud quippiam latens & occultum comitatur*: id illius est *signum*. *Quid signum.* Sic symptoma quia conspicuum, interioris occultique morbi è quo fluxit, expressum est signum: sic & causa evidens, ut vitiosus corruptusque cibus, morbi quem procreavit index est.

Est autem *signum genere duplex*, *demonstrativum*, & *prognosticum*. *Duo signorum summa genera, τό τε δεικτικὸν καὶ προγνωστικόν.* His nonnulli *commemorativum adjecerunt*, quo præterita corporis constitutio memoria repetitur. Demonstrativis præsens indicatur constitutio, prognosticis futura prævidetur.

Signa *prognostica* non continuo ut morbus inva-

invadit, sed aliquanto post tempore se proferunt, hincque mox apparentia & supervenientia nuncupari solent.

Hae triplicia. Ea genere quidem *triplicia* sunt: alia *coctionis vel cruditatis*, alia *salutis vel mortis*, alia *decretoria*, & in unoquoque genere alia salubria alia insalubria, alia neutra, de quibus sigillatim aliquando fusius differetur.

Illa quoque triplicia. *Demonstrativorum* quoque alia *salubria*, alia *insalubria*, alia *neutra*.

Salubria, quæ corporis naturalem constitutionem, & bonam humorum commoderationem commonstrant.

Insalubria alia quidem *morbi speciem* declarant, ut pulsus frequens, celer & inæqualis, febrem: alia *sedem affectam*, ut pulsus durus membranam, mollis & undosus pulmones molliorem ve partem afficit: alia *morbi causam*, ut plethoræ & cacochymiæ signa.

Utraque vel πάθο. *In unoquoque porrò genere alia propria sunt* & inseparabilia, quæ propriam rei essentiam *γνωμονικά* perpetuo comitantur, neque possunt ab ea sejungi. Statim pariter cum morbo invadunt, pariterque desinunt, unde comitantia & simul apparentia nuncupantur. Ita quidem lateris dolor pungenti similis, difficilis spiratio, tussis, & acuta febris, propria dicimus signa pleuritidis.

Alia dicuntur *assidentia*, quæ alias cum morbo invadunt, alias superveniunt, alias neque omnino adsunt: proinde nec propria nec inseparabilia sunt, sed multorum communia. Sic dolor ad jugulum vel ad ilia pertingens, & in latus ægrum quam in sanum decubitus facilior, non propria, sed assidentia sunt pleuritidis signa: quemadmodum & capitis dolor, qui febri non assiduus comes assistit. *Vel assidentia.*

Prætermissis autem salubribus prognosticisq; signis, insalubria duntaxat hoc loco exponenda suscipimus.

CAPUT VIII.

Signorum insalubrium quæ morbos eorumque causas indicant summa genera.

Ex Gal. 1. de loc. aff. cap. 5. Signa insalubria. TRia corpori præter naturam insident, morbus, morbi causa, & symptoma.

Postremum hoc, quia perpetuo sub sensum aliquem cadit, se ipso, non aliis signis percipitur. At morbus atque ejus causa interior nostros plerunque sensus effugiunt, nec in conspectum se dant, ex symptomatis tamen ceu ex signis innotescunt. Hinc artis medicæ pars maxima opinabilis & conjecturalis est, cujus veritas non aliter quam argumentis atque signis illustratur.

Alia indicant. Quoniam autem ad curandi methodum, non modo morbi speciem, verumetiam corporis sedem cui is inhærescit compertam esse oportet, convenit ut *signorum insalubrium* alia *sedem affectam* indicent, alia *morbum* qui in ea consistit.

Locum affectum. Qualia sunt. *Sedis affectæ signa* sunt, *excrementa*, *actio læsa*, *doloris proprietas, situs, & propria accidentia.* Non semper omnia, sed tamen quædam necessariò elucent in unaquaque affecta sede. Jecur enim inflammari, plerunque doloris proprietas, situs, & propria accidentia dilucide innuunt, etiamsi nec læsa videatur actio, nec excrementa profluant. Sic factum ulcus exesamque venam sola sanguinis expuitio retegit, licet cæterorum nihil se proferat.

Excrementa. *Excrementi* quidem *appellatione* tum *quod excernitur*, tum *ipsum excernendi modum* complectimur.

Quod excernitur interdum *portio* quædam est affectæ *sedis*, quam certò coarguit: nam cartilago tussi ejecta arteriarum, caruncula in urinis renes, & ramentum in alvi fæcibus, tenue quidem superiora, crassum & carnosum inferiora intestina exulcerari demonstrat. Interdum non ipsa partis substantia, sed *quiddam illi adhærescens* excidit, ut intestinorum adeps: interdum quippiam *quod* pars affecta *complectitur*. Sic per acceptum vulnus si urina profluit, vesica, si fæx alvi, intestinum sauciatur. Vulnerato autem pectore si spiritus efflatur, succingens membrana divellitur.

Excernendi quoque *modus* affectam sedem patefacit: nam ex vulnere sanguis quasi saliendo prosiliens ex aperta est arteria: & portio sedis affectæ si pura & solitaria excernitur, è proximis est sedibus, sin verò naturalibus excrementis ad unguem exquisiteque permiscetur, è distantibus atque sublimioribus est. *Ex Gal. 1. de loc. aff. cap. 6.*

Actio

Actio læsa. *Actio læsa* eam partem à qua edi solet affici ostendit, ut cæcitas oculum, surditas auditum, cruditas ventriculum.

Qua & indicat, fitne morbus per se, Partis autem *affectus propriusne sit, an per alterius consensum*, non ex læsa actione, sed ex aliis signis discendum.

Quum enim solitarius consistit & perpetuus est nihilque intermittens, neque increscente alterius partis affectu augetur, sed quovis alio sublato persistit, atque illi accommodata præsidia conferunt, *proprius* existit.

An per consensum. At qui alterius incremento invalescit illiusque remissione mitescit, nec idoneis subsidiis parti adhibitis levatur, alterius *consensu* fit.

Doloris proprietas. *Doloris* quoque *proprietas* seu species explicat, quæ pars primario sit affecta: ut dolor *pulsans* aut arteriam, aut partem arteriæ proximam laborare: *pungens* membranam: B *convellens* nervos aut tendones: *extensus* venas: *contundens* & profundus ossium membranas: *laxus* & mollis carnem: gravis & *obtusus* viscera aliamve partem sensus hebetioris.

Situs. *Situs* porrò tum doloris tum tumoris, affectæ sedis est index. Nam si dolor dextro hypochondrio penitus insidet, jecur, non lien: si sinistro, lien, non jecur afficitur. Si dextri hypochondrii tumor per costarum extrema producitur, iisque subjectis lunæ figuram exhibet, in jecore est, si circunscriptus in ventris longum exporrigitur, in rectis est musculis abdominis.

Hæc signorum genera sunt quibus affecta sedes deprehenditur, atque ex his quæcunque propria & inseparabilia dicuntur, A quia maximam demonstrandi vim obtinent, certissima sunt: assidentia verò, quod multorum sint communia, non parvam interdum dubitationem habent.

Eadem indicant morbum. Jam verò *affectuum signa ex eisdem* (ratione tamen paulum diversa) depromuntur, præterquam ex actione læsa: hæc enim quæ pars affecta sit, non quis in ea insit affectus exprimit.

Excrementa. *In excrementis* igitur si partis cujuspiam portio continetur, ulcus subest: ut quum intestini ramentum dejicitur, aut asperæ arteriæ bronchium expuitur. Si arenæ rubræ subsident in urinis, renes calor exercet. Si alvi fæces semini cucurbitæ similes exeunt, ascarides urgent.

Doloris proprietas. *Doloris proprietas* morbi speciem demonstrat: ut dolor inflammans calidam intemperiem, stupefaciens frigidam. Dolor pungens, exulcerans, aut pruriens, humoris vel acris, vel salsi soboles est. Dolor distendens, vel aquam tenuem vel flatum ostendit in tumore contineri.

Situs. *Loci* quoque natura atque *situs*, quod uniuscujusque partis sui sint & peculiares morbi. Oculi soli suffusione tentantur, renes & vesica ferè calculo, intestina lumbricis, non autem ventriculus. Cor nunquam penetrante ulcere, ut neque pulmo neque syndesmus dolore.

Propria accidentia. *Propria* tandem *accidentia*, ut ungues adunci tabem, lingua nigricans ardentem febrem, citrinus universi corporis color, jecoris, niger verò lienis obstructionem declarat.

Ex iis igitur signorum generibus, tum sedis affecta tum morbi cognitio capi debet.

CAPUT IX.

Qua ratione sit affecta sedes ex signis investiganda.

Gal. 1 de loc. aff. c. 1. 4.

Quomodo hac doctrina de signis partis affecta in usum ducenda sit. Omnis investigatio ab eo quod sensibus perspicuum est in abstrusas occultasque causas deducit: quodque ortu & causarum ordine postremum est, investigatione primum occurrit: nempe aut morbus aliquis manifestus, aut certè symptoma. Hoc autem sive læsa functio, sive excrementum, sive dolor fuerit, tum ex situ, tum ex specie nos in aliquam partis affectæ suspicionem primum adducet: deinde per- A contandum num etiam alia existant suspectæ partis symptomata quæ primæ conjecturæ consentiant. Etenim nullum ferè symptoma solitarium existit, sed unius ejusdemque morbi multa semper concurrunt. *Ubi obvia non sunt symptomata.* Quum igitur omnia quæ tum narrando, tum percontando audita sunt, in unius ejusdemque affectæ partis significationem congruunt, *explorata compertaque est affecta sedes.*

Sin verò illa inter se diffident atque discordant, *in alterius partis investigationem divertendum*, dum quædam deprehendatur, quæ certorum signorum testimoniis affecta confirmetur. Si omnium symptomatum significationes eodem pertinent, neque ullum alio quoquam deflectat, pars unica laborat.

De hac præterea disquirendum, proprione affectu an alterius partis consensu laboret, & quænam ea fuerit. Si proprius est affectus, isne etiam primarius sit, an ex alio antecedente profectus. Omnium quippe ejusmodi distinctio in primis est ad medendi rationem necessaria.

Particulari proposito exemplo ostenditur.

Quendam (exempli gratia) statuamus de *spirandi difficultate* queri. Quum ex ea actione læsa constet, instrumentum aliquod eorum quæ respirationi inserviunt affici, perscrutandum quidem, faucesne an aspera arteria peculiari vitio tenetur. Si nihil in his apparet, causa aut in pulmones, aut in thoracem, aut in septum transversum, aut in vicinas partes conferenda. Quum stertor respirando obauditur, & tussis molesta est sine sensu doloris, pulmones in vitio sunt. Quum dolor in thorace premit, idque circa nothas costas dextri lateris, ex aliis signis dispiciendus is discernendusque est. Si enim pungenti similis fuerit cum febre assidua, cum tussi qua maximè cruentum expuitur, pleuritidis est index. Gravis verò cum assidua febre, tum tussi sicca, conjecturam adfert inflammati jecoris. Tum igitur observandum, num tumor aliquis in dextro hypochondrio lunæ speciem exhibeat, lingua scabrane sit & nigra, sitis inexhausta, ingens cibi fastidium, vomitus biliosus, frequensve dejectio biliosa, urina crassa & flammea: hæc enim si extant, jecur phlegmone tentatur: sin multa desunt, alio referendus est affectus.

Aliud exemplum ad certius pervestigandam sedem affectam propositum.

Rursum verò exponat aliquispiam *dolorem obortum subter costas sinistri lateris*. Doloris quidem specie perpensa, ejus regionis loci omnes adeundi animoque lustrandi sunt, coxendix, musculi abdominis, lien, colum intestinum, & ren sinister, quorum est omnium magna affinitas. Hic verò dolor si infra devergens in crus universum exporrigitur, & incessu ingravescit; huncque destillationis signa antecesserunt, coxendicus est. Sin manus contactu vel blandissimo deprehenditur, & tussi, sternutamento, altaque inspiratione exasperatur, in musculis est abdominis. Si cum dolore tumor animadvertitur sinistro hypochondrio circumscriptus, estque molestus decubitus dexter, & flatus plurimi concoctione suscitati, aut ventriculum distendunt, aut ructu erumpunt, metus & mœstitia diu habent, in lienem referendus est affectus. Si dolor fixus ex eo cavo, quod inter costas extremas & coxendicem est, ureteris progressu per ilia in vesicam ferè porrectus, qui alvo soluta haud prorsus conquiescit, vomitioque varia est, frequens meiendi desiderium cum ardore, urina vel substantia, vel contentis à naturali plurimum abest, is in rene consistit. Colicus verò dolor & vagus, & late diffusus est, qui alvo citata & liquata mitescit. Ea sit igitur investigandi ratio.

Quomodo ubi aperta sunt symptomata judicandum.

Quum autem res ipsa planè *aperteque omnibus symptomatis instructa* explicatur, non investigatione, sed acri duntaxat judicio transigenda decidendaque est. Ut si quis ter quaterve quotidiè synceri puris circiter selibram ex alvo reddat, interdum cum fæcibus, nonnunquam seorsum, nec dolor sit ullus, nec unquam fuerit, nec sitis, nec appetentia dejecta, nec febris admodum valida, sed lenta solum, nec laborans decumbere cogatur, id undenam emanare judices? Hæc dubitatio aliquando multorum mentes occupavit. At certè ex quodam abscessu sub diaphragmate rupto id effluere constat. Non autem in ventriculo aut intestinis, quia in his sine sensu esse non potest. Non in renibus aut vesica, quod ex his non in alvum, sed in urinas contenderet. Non in jecore aut in liene, quia horum abscessus laborantem omnino prosternunt, cum febre ardente, cum siti, cum gravibus aliis symptomatis. Restat igitur in solo sit mesenterio, quod pars est ignobilis, sensus omnis expers: atque in ejus parte ima, è qua syncerum possit in intestinum rectum confluere.

Ubi varia & multa symptomata concurrunt circa eandem partem, quid agendum.

Jam verò si *multa indicia variaque symptomata sese exhibent*, quorum nec vires, nec significationes in unam & eandem affectam sedem pertineant, simplex esse nequit & unica sedes affecta. Hic autem imperiti & artis

tis ignari signorum turbulenta concursione A præpediri solent, tanquam in novum inauditumque morbi genus incidant. Et revera confusos implicitosque morbos dilucide explicare in primis quidem arduum & operosum est, maximè verò quum affectæ sedes vicinæ sunt, & in communem quandam functionem conspirant, quoniam pleraque illarum symptomata communia sunt. Ut tamen ii secernantur explicenturque perpensis singulorum signorum viribus & naturis, quotquot in ejusdem partis significationem concurrunt, seorsum constituenda referendaque sunt, dum tandem constet quot partes primariò sint affectæ, ut & totidem morbi re ipsa designentur.

Explicatur propositis exemplis.

Quum igitur respiratio offenditur, tussisque vetus fatigat, & stertor, & sputum copiosum est, quibus dein lateris dolor accedit: quoniam nec tussis illa vetus, nec stertor possunt ex pleuritide proficisci, necesse est præter latus ipsos quoque pulmones jamdiu obstrui, esseque asthmati implicatam pleuritidem. Rursum verò quum dysuria meiendo acri dolore & ardore distorquet, si emictionis initio pus emanet, idque interdum sponte citra urinæ profusionem, & urinæ cursus plerunque intercipitur, si præterea, sub emictionis finem dolor acrius urget, exciditque nonnihil sabulosum aut viscosum, sæpiusque dolor in podicem incumbit; cui, quæso, morbi hujus primus aditus circumseptus & difficilis non appareat? singulis tamen accurate explicatis variæ sedes affectæ cernentur, & ulcus in penis meatu vesicæ calculo implicitum.

Quid agendum ubi varia occurrunt circa partes dissitas.

At verò quum *affectæ sedes longius dissitæ* sunt, quoniam symptomata edunt prorsus disparia & quę eodem pertinere nequeunt, earum secretio diremptusque multo quidem expeditior, in hisque morbi evidentiores sunt ac magis perspicui. Ut si purulenta urina citra sensum doloris emejitur, idque cum lumborum dolore, simul etiam fauces cervixque tument ac rubent, cum spirandi vorandique labore, atque etiam cum febre; promptum fuerit renis ulcus ab angina secernere.

Quomodo dignoscendum quæ pars alteri affectum impertiat.

Quoties porrò deprehensæ erunt multæ sedes affectæ, videndum, num una *affectum alteri impertiat*, unaque alterius causa sit. Tum siquidem connexi morbi erunt aut consequentes. Utro autem genere sint, internoscetur, si exploretur, utra pars sit prior B morbo prehensa, & an illius grave quoddam symptoma posteriori incommodavit. Sic quum in hydrope dextrum hypochondrium tumet, ac renititur, difficilisque est sinister decubitus, & icterus multo ante tempore animadversus, connexi morbi judicentur, jecoris scirrhus & hydrops, atque ille posterioris causa. Sic & quum impurum multoque humore vitioso perfusum corpus, nephriticus cruciatus in febrem præcipitat, nephritis febris causa statuitur. Pleuritidi autem febris connexa est ferè symptomatica: at si quando pleuritim præcessit, primaria est, illi tum quidem implicita, non tamen connexa, quod ejus causa minimè sit: atq; hos consequentes appellamus. Non enim qui prior est affectus, sed qui in posteriorem vim obtinet, illius est causa: nec si post alium, idcirco ab eo sit.

CAPUT X.

Qua ratione morbus ejusque continens causa pervestigetur.

Gal. 1. de loc. aff. c. 2

Quomodo signa morbi excutienda sint.

P*Erspecta affecta sede, quis deinde in ea affectus sit, quærendum.* Hic autem quoniam ex A doloris proprietate & situ atque excrementorum genere cognoscitur, de affecta sede roganti multa etiam de affectus specie sese exhibent, iisdemque signis ambo plerunque innotescunt. Interdum sedes affecta, interdum affectus ipse conspectior atque manifestior est, ut excreto pure abscessus, sanguine ulcus intelligitur, etiamsi nondum constet quæ pars laboret. Itaque his quæ dicta sunt signis exquisite noscendum, quisnam affectus in laborante parte consistat, sive similaris, sive instrumentarius, sive communis sit.

Simplexne sit an compositus.

Deinde verò *simplexne is sit, an compositus*: si compositus sit, ex quibus constet: ut si renis intemperies sit calida, an cum ea ulcus etiam consistat.

An à causa foveatur. Atque sive simplex, sive compositus sit, scrutandum præterea, sitne, solitarius & sine *fovente causa*, (hic enim expeditius sanatur) an causa interior comitetur: quum enim ea in primis summovenda sit, curationem difficiliorem habet. Quocirca post affectam sedem & morbi speciem, causa omnis interior pervestiganda, primum quidem *Continente,* continens & proxima, flatusne sit, an aquosus aliusve humor, pituita, sanguis, bilis flava, aut bilis atra, aliudve præter naturam, ut calculus, grumus, lumbricus, excrementive genus.

Id indicant natura partis. Id autem *indicant partis color & natura, doloris species, excrementi genus, & quæ de humorum dominio* mox afferentur.

Aliæ siquidem *partes* aliis gignendis coacervandisque excrementis comparatæ sunt, jecur bili flavæ, lien atræ, ventriculus, intestina & cerebrum pituitæ, renes & vesica calculo, intestina lumbricis.

Color partis. *Pars* quæ præter naturam aut consuetudinem incaluit, si *rubet* sanguine, si flavescit, bile præter modum perfusa est: quæ friget, si albescit, pituita: sin livet, melancholia gravatur.

Dolor. *Dolor* acerrimus est à bile, mitior à sanguine, hebes à melancholia, à pituita, ab aqua & à flatu, nisi cum copia vehementer distendunt.

Excrementa. Quæ *ex affecta sede prodeunt*, si portio quædam sunt conclusæ materiæ, vel colore, vel substantia, quænam ea sit, exprimunt. Ex his igitur quæ proxima & continens morbi causa atque materia sit intelligitur.

An ab antecedente. Deinde verò quærendum, solane ea sit atque solitaria, an ab *antecedente* quapiam foveatur. Quæ solius laborantis partis vitio quasi congestione quadam coacervata est, solitaria censetur. Quum verò vel corpus universum, vel pars aliqua humoris copia premitur, hancque exuperantiam quasi molestum onus excutiens in partem laborantem deponit, tum quidem antecedens causa subest continentis comes: duplexque interiorum causarum genus adest remediis profligandum. In his porrò diligenter internoscendum, quæ pars in laborantem supervacua deponere solet, & quæ materia quisve humor tum in ea parte tum in universo corpore plurimum abundat.

Quod ut constet, corporis constitutio, humorumque dominium cognoscendum. Quoniam igitur sæpius ex universo corpore in affectam partem vitium incumbit, atque etiam si nihil incumbat, nisi tamen perspecta corporis totius & viscerum constitutione, nullius partis affectæ curatio rectè suscipi potest, hoc loco subjicienda signa sunt, ex quibus *universus corporis status* intelligatur, & quis maximè humor in eo dominetur & exuperet.

CAPUT XI.

Signa universalia causæ antecedentis, & quis humor dominetur in corpore.

EOrum quæ toto corpore exuperantem *humorem indicant*, alia absolute *signa*, alia *signa* sunt *& causæ*.

Signis. *Signa* quidem sunt, *corporis facieique color & habitus, animi mores, insomnia, quæ excernuntur,* ut urina, dejectio, sudor, screatio, & quæ undelibet exeunt: *functiones* tum naturales, tum animales, ut concoctio, somnus, atque pulsus: & *quæ lædunt aut juvant.*

Signis & causis. *Signa & causæ* sunt, *totius laborantis natura: jecoris*, quod sanguinem humoresque progignat, & *cordis*, cujus vis toti impertiatur corpori, *temperamentum: principalium viscerum constitutio, parentum vitia, suppressa quædam vacuatio consueta, vivendi consuetudo in cibo atq; potu, vitæ & exercitationis genus, ætas, regio, anni tempus, cœlique status. Deinde & præteritorum morborum quibus plurimum conflictari consuevit recordatio.* *Gal. 4. de tuend. val. cap. 4.*

Prioris generis est faciei color. *Faciei* igitur *corporisque color* & habitus quis maxime humor in toto dominetur palam faciunt, quandoquidem humoribus similis color efflorescit: quum præsertim nec in altum corporis vel frigore, vel timore, vel tristitia compulsi sunt: nec in cutem violentius irruerunt vel ira, vel pudore, vel æstu, vel balneo, vel exercitatione immoderata. Ergo si horum nihil corpus vehementer afficit, certissima est dominantis humoris ex colore cognitio.

Faciei corporisque habitus. Nec minus quidem certa ex *habitu* & mole *corporis*. Εὐεξία quippe, id est, bona habitudo, quæ in molis corporeæ mediocritate consistit, succorum probitatem atque mediocritatem ostendit. Καχεξία verò & ἀτρο-

ἀτροφία κακοχυμίαν, ut δυσκρασία sanguinis copiam. Hæc autem coloris habitusque indicia tum in universo corpore, tum maximè elucent & leguntur *in facie*. Quippe quæ omnium corporis partium una cutem obtinuit à subjecta carne minimè divulsam: ea enim cutis non aliud esse deprehenditur quam summa & extima faciei portio resiccata. Proinde quæcunque in corporis molem effunduntur, conspectius & dilucidius in facie quam in reliqua corporis cutè efflorescunt. Si icteri jacta sunt rudimenta, prima facies flavescit: si arquati nigri, livescit: si elephantiasis, cum livore crassescit & extuberat, pilique decidunt. Si luis venereæ, pustulis fœdatur: si leucophlegmatiæ, pallescit ac tumet: si pulmones inflammantur, rubore perfunditur: si jecur aut lien obstructione scirrhove tentatur, obscuro colore marcescit: si phthisis est, cadaverosa evadit: si quod deniq; animi pathema premit, quot animi motus, tot commutationes & significationes erunt in facie.

Non ita bene color unguium.

Ex Gal. 1. de nat. human. t. 39

Sunt & qui ex *unguium colore* de humorum corporisque constitutione pronuntient, sed multo obscurius quam ex facie. Ut igitur vultus imago est animæ, ita facies index est & quasi sermo quidam tacitus non modo perturbationum animi, sed & interiorum corporis affectuum.

Sed quoque animi affectus.

Mores autem & impetus animi, nisi longo philosophiæ usu sedati sint, humorum affectuumque corporis certi quoque sunt indices. Quum enim tres animæ partes, sentiens, concupiscibilis & irascibilis, omnino brutæ sint, plurimumque affinitatis cum corpore obtineant, necesse est ejus, in quo penitus demersæ sunt, naturam & vires sequantur. Sanguineo & adolescenti lætitiæ & hilaritatis plurimum inest, omniaque tanquam florescente verè jucunda obversantur & arrident: seni & melancholico eadem tristia & horrida, qualia visuntur autumno inclinante & senescente anno.

Animi studia.

Eam autem varietatem non res ipsa quæ spectatur, sed *æstimationis discrimen* facit, quæ corporis naturam constitutionemque imitatur. Quæ hujus palato sapiunt & voluptati sunt, alteri sæpè ingrata sunt & injucunda. Hic veneris illecebris incitatus furit: ille nullo unquam illius stimulo lacessitur. Huic sensus hebetes, tardi & pingues: illi acuti, veloces & expediti. Ingenium uni eximium, alteri mens tarda. Ille iracundiam sæpè exercet, hic cohibet: ille iratus, hic propitius & quietus. Ille tristis & mœrens, hic hilaris & lætus. Ille elato & insolenti animo, hic abjecto & demisso. Quum tanta morum dissimilitudo & varietas citra occasionem cernatur, unde causa nisi à diversa corporis natura quæri potest? Morum quædam semina nobis inseruntur naturæ primordiis consentanea. Sunt autem ea primordia, temperamentum & vis illa præstantior quæ nos conformavit. Calidi & sicci, concitato, celeri expeditoque animo & corpore sunt: at non idcirco prudentes. Frigidi ac humidi, hebeti atque tardo.

Lineamenta faciei.

In Physiognomonicis.

At multo efficaciores ex abditiore & præstantiore illa facultate mores eduntur, quos *ex faciei figura & conformatione* indicari author est *Aristoteles*. Inferior maxilla magna hebetes ac tardos, brevis ac parva solertes & ingeniosos ostendit. Frons magna segnes, rotunda iracundos. Aures magnæ & erectæ stupidos ac bardos, parvæ versutos & fallaces: horum plena est φυσιογνωμονία.

Præter mores cuique à natura insitos alii ex victu, alii ex disciplinis accedunt. Ut enim vinum immoderatius alios in melancholiam, alios in furorem agit, & delirio à sensu mentis abstrahit, utque aqua vel lactuca furoris impetum comprimit ac restinguit, nasturtium aut allium somnolentos efficit, hyoscyamus dementat: ita quidem & multo efficacius humores, qui præter naturam exuperant, nos in mores suæ naturæ consentaneos inducunt. His ex causis dissimiles sunt hominum mores, & unius ejusdemque adeò plerunque varii, ut à se ipso plurimum distare videatur. Hinc quoque phrenitis, furor, melancholia, mœstitia, metus, iracundia, morositas aliaque animi symptomata, præter consuetudinem & citra evidentem causam irrumpunt. Quamobrem diligens morum observatio morbos sæpè detegit aliis quibuslibet signis incomprehensos.

Inedia.

Jejuniis autem sub longa *inedia* maximè conspicui sunt mores, quum humor syncerus & impermistus viget & exultat, nondum alimenti benignitate repressus.

His

Ex Gal. præsag. de insomniis. *Insomnium.*

His finitima est *insomniorum* ratio. Quum enim per somnum sopitis colligatisque sensibus, externarum rerum occursu animus haudquaqam pulsetur & occupetur, tum sane multo majorem vim quam per vigilias humores animum exercent. Lacessitur autem per somnum animus tum reconditis reservatisque spectris eorum quæ frequentibus actibus per sensus altius irrepserunt, tum aliena corporis constitutione. Nam insomniorum causæ sunt quæ attentius videntur & audiuntur, & quæ curæ sunt, & tacita corporis constitutio. Quæcunque igitur insomnia nequeunt ad præcedentem meditationem referri, ex corporis ea statu originem habent, ejusq; sunt indices. Quicquid enim corpus vehementer in somno premit, quandam de se imaginem animo exhibet, & insomnium facit.

Et quomodo.

Famelicis, epularum; sitientibus, potionum species sese dormientibus offerunt: & seminis copia turgentibus sæpè obversantur mulierum formæ. In somnis grave quoddam pondus gestare, aut arctius premi videtur, cui corpus humorum sarcina onustum est. Et ex altissimo loco in profundum præcipitari, cui caput humore multo confertum epilepsiam, vertiginem, aut apoplexiam minatur. At volare, aut celeriter currere, cui corpus leve ac purum est, aut caput tenui vapore perfusum. Somnium ictus aut vulneris quadam parte accepti, in ea doloris morbive causam inesse portendit: quemadmodum graveolens odor humorum putredinem, jucundus puritatem. Itaque ut deliriis, ita & insomniis constitutioni nostræ consentaneis animus concutitur.

Ex Gal. 4. de tuenda valet. cap. 4. *Excreta.*

Quæ porro *è corpore defluunt & excidunt*, quia vel humorum portiones, vel partium excrementa quædam sunt, eorum sane in quibus hæserunt naturam quodammodo retinent, & eam quum foras excidunt, nobis ob oculos proponunt. Vomitio, ventriculi, lienis, cavorumque jecoris: alvi dejectio, horum atque intestinorum: urina, venarum: sudor corporisq; halitus, summarum partium index est, non modo quę constitutio sit, sed & qui humores exuperent, significans: quemadmodum narium mucus cerebri, sputum pulmonis est indicium.

Pulsus.

Pulsus ut cordis & arteriarum, ita aliarum quoque affectarum partium quæ cordi societate quadam junguntur notam exhibet. Etenim humorum qui tum in vasis, tum in aliis sedibus exuperant, vaporatione tentatur & afficitur, atque pro cujusque humoris conditione se gerit & pulsat, pariterque arteriæ omnes. Harum igitur pulsus dominantis cujusq; humoris certus est nuntius, ea quidem ratione quam postea trademus.

Gal. art. Med. cap. 63. & 65. *Quæ juvant & lædunt.*

Rerum autem *externarum usus* quasi tentans & periculum cujusque naturę faciens, quæ corporis humorumque constitutio sit exprimit. *Bona* constitutio in omnium extremorum medio posita, quoniam firma existit, omnes externas injurias peræque feret, nec nisi summa illarum exuperantia offendetur. *Vitiosa* quæ tamen *nativa* est & nondum naturæ limites egreditur, omnino similibus gaudet, ut quibus sustinetur atque conservatur: similibus verò exuperantiis atque omnibus contrariis offenditur, quod eorum vi de statu suo naturali dejicitur. Quæ autem præter naturam & *morbosa* jam est, tum omnino similibus, tum etiam exuperantibus læditur, quod horum vi multo magis de pristino & naturali statu recedat: contrariorum moderato usu juvatur, quæ sensim ac blande in nativum statum reducunt. Omnis autem immoderatio & exuperantia gravis. Sic ergo ex facili difficilive cujusque tum aëris, tum cibi aut alterius externæ causæ tolerantia, corporis humorumque constitutio conjicitur.

CAPUT XII.

Quæ signa sint & causæ.

Ex Gal. Aut. Med. cad. 28. usque 44. *Signa & causæ sunt.*

IAm verò *evidentes causæ* morborum effectrices magnam quoque *signorum vim obtinent*: quos enim morbos quasque interiores causas genuerint, necessario commonstrant.

Harum aliæ *insitæ* sunt & congenitæ nobis aliæ *ascititiæ*.

Insitæ sunt, temperamentum, & totius natura à parentibus suscepta.

Ascititiæ vero ætas, ambiens aër, victus ratio,

tio, vitæ genus in exercitatione & studiis & perturbationibus animi positum, vacuandorum suppressio, & prægressorum morborum conditio.

Evidentes hæ causæ tum sibi consentaneos humores, tum morbos qui horum vitio succedunt, nobis ingenerant, qui & illarum animadversione protinus innotescunt.

Insitum temperamentum. Quod cognoscitur è temperamento jecoris.

Insitum corporis totius *temperamentum jecoris atque cordis* naturam ferè imitatur. Quum enim musculorum omniumque partium, quæ ad cutem summaque corporis accedunt, substantia è jecore alimentum, è corde spiritum caloremque sumat, atque ex his quodam modo constet, eorum prorsus conditionem naturamque retineat necesse B est. Quibus *jecur* natura *calidum* est, iis venarum inest amplitudo, eaque major, si humidum simul sit: at si siccum simul est, durities quædam existit. Quum enim venæ quasi propagines sint è jecore profectæ, illius nimirum insitam temperaturam sequuntur, eamque nobis ob sensus exponunt. Venter deinde & ilia pilosa sunt, & magis quum etiam siccum id fuerit, minus verò quum humidum. Contra autem quibus *jecur frigidum* est, venæ angustæ apparent, & si *humidum* simul est, molles: sin verò *siccum*, duræ, venter & ilia glabra pilisque nuda.

Cordis.

Sic cor temperamento calidum est, pulsus ma- C gnus, velox & frequens existit: si pariter siccum est, durus: sin humidum, mollis. Spiratio pulsui quodammodo similis est, dummodo thoracis conformatio atque magnitudo cordi proportione respondeat. Animus quoque amplus est & excelsus, præsens & acer, audax, iracundus: quum simul siccum id erit, tardior quidem, sed ferocior nec facile placabilis: quum humidum, promptus, placabilis ac minime ferox. Thorax quoque hirtus est, & magis in sicco, minus in humido.

At vero si *cor temperamento frigidum* est, pul- A sus inest parvus, atq; is quidem mollis si humida temperies, durus si siccitas comes est. Respiratio pulsui persimilis, nisi quum thorax à cordis commoderatione recedit. Animus humilis ac demissus, propitius, in iracundiam minimè propensus: idq; cum metu & ignavia, si pariter humidum est, si siccum, cum pertinacia. Pectus glabrum & pilis nudum, magis in humido, minus in sicco.

Sic igitur ex cordis jecorisque signis de totius corporis temperamento judicium fieri potest.

Colore caloreque corporis.

Præterea verò ex *calore*, ex *mole*, ex *colore* & *pilo*. Corpus enim quodcunque calido est temperamento, tangenti etiam calidum apparet, acri quidem & mordaci calore, si simul siccum est: blando & halituoso, si humidum. Pilosum quoque id est, magis quidem quum etiam siccum, minus verò quum humidum.

Et temperamento parentum.

Temperamento proximas vires habet corporis principumque *partium natura à parentibus inducta*. Temperamenti notæ interdum fallunt: ac tum si fortè perspectum sit quales erant parentum naturæ, quo maximè tempore genuerunt, conspectius erit prolis temperamentum, neque temperamentum solum, verumetiam omnis illius natura, & quas in se partes validas, quas imbecillas illa obtineat, & quibus cumulandis humoribus, quibus morbis sit opportuna. Nam parentum semina atque etiam prægnantis victus, principum partium totiusque corporis naturam constituunt.

Et causa adscititia.

Causa porrò *ascititia* multo post tempore genitis jam nobis hos illosve humores exaggerant: quandoquidem *ætas*, *ambiens nos aër*, *alimenta*, *vita exercitationisque genus*, *animi pathemata*, *vacuandorum suppressio*, humores morbosque generant in nobis suæ naturæ finitimos; quorum etiam notæ, hac ratione quam in singulis subjiciam, conspicuæ sunt.

CAPUT XIII.

Signa Plenitudinis.

Ex Gal. libello de plenitudine. Plethoraqua.

Plenitudo quidem statuenda duplex. Una impura nec exquisita, cujusque sanguinis redundantia, sive biliosus is sit, sive pituitosus, sive serosus, sive flatulentus, A sive aliter inquinatus. Atq; hęc verius multa est cacochymia, quam & impuram plenitudinem nuncupamus. Altera est plenitudo pura, quæ solius sanguinis sive omnium suc-

succorum æquabilis est redundantia. Nusquam enim tam syncerus sanguis cumulari potest, quin aliorum succorum atque seri permistione sit perfusus. Ea autem excellentiæ nomine *plethora* dici consuevit.

Ea duplex. *Ad vires.* *Hæc* rursum *duplex*. Una *supra vires*, in qua tametsi sanguis nec qualitate, nec copia symmetriam & commoderationem excessit, vires tamen quavis alia ex causa imbecillas premit.

Ad vasa. *Altera absoluta*, quæ jam supra naturæ symmetriam est, & copiosius increscens naturalis esse definit. Quæ ipsa aut *levis* est, quum mediocritatem paulum excedit, aut *tensiva*, quum jam vasorum tunicas præ copia distendit ac propè divellit. Hæc licet immodice exuperet, fieri tamen potest ut vires non premat: nam plerunque (ut in habitu athletico) vires cum sanguine & carnis mole æquabiliter increscunt. At si vires infirmæ subsistant, supra vires erit plenitudo. Sed & plenitudo omnis impura, supra vires est, & naturæ gravis.

Omnis autem *plenitudinis vasorum hæc communia sunt signa.*

Plenitudinis signa communia. *Venarum* omnium *tumor* æquabilis. Hic autem observandus est, quum omnes simul particulæ eodem sunt statu, nec pars ulla cæteris est declivior in quam sanguis incumbat. Et quum omnes æquabili & moderato sunt calore, & sanguis nec frigore in altum refugit, nec immodico calore sive aëris, sive balnei, sive vini, sive exercitationis, sive febris, sive ullius causæ calfacientis vi concitatus aut turgescens, aut quasi colliquatus, venas distendit in tumorem.

Alterum signum est *tensio venarum* cum quodam sensu doloris, quæ non solius plenitudinis, sed exuperantis plenitudinis est index. Hæc est tensiva lassitudo spontanea, in qua & corpus & artus omnes ægriùs præ pondere moventur, vixque manus in pugnum adducitur. Si corporis moles jam plenior evaserit, & brachia, manus, tibiæ inturgescant, non solum venarum, sed totius est corporis plenitudo.

Pulsus etiam fortis, validus, magnus & plenus inest. Venæ siquidem pleniores anastomosi copiæ nonnihil in arterias transfundunt, nisi supra modum crassi viscosique humores existant. Plenæ autem arteriæ pulsum edunt qualem diximus, non in carpo solo, verumetiam in temporibus, in digitis, & in extremis quibusque partibus molesta pulsatione conspicuum.

Respiratio nec alta, nec omnino libera: etenim difficilior & crebrior (præsertim verò in exercitatione) deprehenditur.

Communia hæc sunt plenitudinis signa.

Plenitudinis ex prægressa vivendi ratione indicia. Evidentium porrò causarum quæ plenitudinem ingenerant observatio, demonstrativorum signorum vim obtinet. *Cibus* plenior valentisque materiæ, plenitudinis est pabulum. * Insuetarum *balnearum* moderatus usus à cibo hunc quasi fusum liquatumque celeriter allicit distribuitque in corpus. Consueta *exercitatio* neglecta, vitave deses & otiosa, nihil è corpore dissipat, omnia retinet: quemadmodum & cutis densior. Multo manifestius consueta omnis *vacuatio suppressa*, plenitudini materiam suggerit. Hæc igitur quum jamdiu antecesserint, multo certius plenitudinem inesse demonstrant.

Qua ratione plethora ad vasa & ad vires distinguatur. At verò quæ *plenitudinis species* sit, non ex illis communibus, sed ex propriis cujusque signis internoscendum. Quum in plethora corpus nihilo magis ingravescit, & vires omnes æquales persistunt, sola est *vasorum* plenitudo. At si corpus artusque ingravescunt, & motus pigrior evadit, somnus gravis, profundus & interturbatus: & laborans, per insomnia se graviter premi, aut onus gestare, aut loco moveri non posse putat, *virium* est gravans plenitudo.

Ex quo sit humore. *Cujus* autem *humoris* hæc sit, quum in omne corpus æquabiliter diffunditur, color ostendet. Rubens enim, nec ex sole, nec ex balneo, nec exercitatione, nec ex acuta febre, nec ex iracundia aut pudore contracta, sanguinis est, subpallida flavæ bilis, alba pituitæ, nigra bilis atræ. Cerebrum bilis occupans vigilias, pituita soporem, atra bilis insomnia terroresque incutiet. Si os ventriculi humor aliquispiam imbuat, pituita appetentiam excitabit: bilis flava sitim, nauseam, oris amarorem: atra animi demissionem, morositatem, tristitiam, copiosam ori salivam.

Quoniam autem hæc non satis conspicue dominantis humoris speciem ob oculos proponunt, de uniuscujusque propriis signis accuratius dicendum.

CAP.

* *Qui se pinguiores reddere volunt, hoc agant.*

CAPUT XIV.

Signa boni sanguinis, & signa veræ plethoræ.

Ex Avic. lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 7. *Sanguinis copiosioris causa interna.*

GIgnendo *cumulandoque sanguini apti* quidem & accommodati sunt qui sive ab ortu, sive postea *jecoris cordisque* temperiem sunt adepti. Etenim quum jecur in temperamenti mediocritate est, nisi cordis vehementior intemperies obstiterit, humorum mediocritatem & commoderationem gignet, quæ bonus est & temperatus sanguis. Huic etiam gignendo apti sunt, quibus jecoris cordisque temperatura commemoratis signis calida humidaque deprehenditur.

Quinetiam ex *ætatibus* pueritia quidem & pubertas bonum temperatumque sanguinem: adolescentia & juventus copiosum, sed aliquantum calidiorem producunt.

Evidentes. In externis porrò & *evidentibus caussis* sunt: *Cibi* euchymi beneque temperati, quique facile ac celeriter alunt: sanguini quippe & humoribus sui similem materiam subministrant. Moderata autem tempestivaque *exercitatio* sine labore, *somnus* mediocris, vita *curarum* expers, gaudiorum plena, *aëris* clementia, qualis Vere & regione temperata existit, sanguinis humorumque omnium mediocritatem, si non efficiunt, saltem tuentur, nihilque immutant.

Quæ & signa sunt. Quum igitur ejusmodi caussæ quasi connexæ consentiunt, εὐαιμίαν, id est, bonitatem sanguinis, & omnium humorum quandam faciunt æquabilitatem; quum verò cogitatione sola & memoria repetuntur, dominantis sanguinis indices sunt notæ.

Sanguinis copiosioris signa assidentia. *Signa* autem *assidentia* quæ sanguinem in corpore syncerum contineri dominarique demonstrant, hæc sunt:

Faciei corporisque *color* supra consuetudinem rubicundus, & quasi ex albo rubroque mistus. *Habitus* carnosus, firmus, sine multo adipe: miti, blando & halituoso calore perfusus. *Venarum vasorumque* omnium symmetria, sed ab exercitatione vel ab æstu prompte turgens plenitudo. *Pulsus* fortis, magnus & plenus: *virium robur* cum sanguine & habitu proportione quadam pariter increscens. *Vrina* copiosa, colore, substantia, contentisque mediocris. *Animi mores* tranquili, hilares & jucundi. *Somnus* placidus, in quo & res insomniis visuntur jucunditatis & lætitiæ plenæ, quasi floribus aut luce illustres. Externarum causarum atque etiam *injuriarum* facilis *tolerantia.*

Jam verò πολυαιμία, id est, *sanguinis ubertas* veraque plethora inesse credatur, si in ea corporis constitutione *venæ & arteriæ* intumescunt, aliæque comitantur plenitudinis notæ. *Signa sanguinis abundantis in vasis.* Si euchymi *cibi* maximeque vini *ubertas* & affluentia præcessit: nam *potu quam cibo impleri facilius est.* Ut autem vinum, ita & humida liquidaque omnia celerius quam solida coquuntur, atque tum in venas tum in omne distribuuntur corpus. *2. Aphor. 12. l. 2. Hip.* Hæc igitur plenitudinem faciunt, si tempestive convenientique reliquarum caussarum concursione accedant. Si præterea *sanguinis* è naribus, ex hæmorrhoide, aut ex utero consueta *vacuatio* suppressa est. Si laborans *morbis* ex plenitudine jam sæpius conflictari consuevit.

In habitu corporis. Atque si plethora carnem ipsam *corporisque molem* jam occupet, cęcæ exilesque *venæ*, quales oculorum sunt, rubent atque distenduntur, *arteriæ* omnes validè pulsant, maximè verò in capite & in temporibus, *sudor* copiosus, dulcis, nec graveolens occasione levissima suaviter emanat.

Quo autem plenitudinis signa graviora obtigerint, eo plenitudo major est atque periculosior.

CAPUT XV.

Signa bilis flavæ exuperantis.

Ex Avicenna ibid. *Interna caussa copiosioris bilis.*

QUi *jecoris cordisque* calido & sicco temperamento sunt, *bilis flavæ copiam* vel ex optimis & benè temperatis alimentis exaggerant, maximè verò si juventutem ipsam- *Evidentes.*

ipſamque conſtantem *ætatem* agunt, quæ & omnium ferventiſſima eſt, & bilioſis morbis facile conflictatur.

Deinde ſi *alimenta* calida ſiccaque anteceſſerint, inediæ, aut victus admodum tenuis, parcus & rarus. *Exercitatio* vehemens, robuſta, multa & frequens: æſtus fervidioriſque *aëris*, ſive à regione, ſive ab æſtate, ſive ab æſtuariis, ſive à calfaciente vitæ ſit genere, frequens occurſatio: *vigiliæ* immoderatæ: *curæ* graves, attentæ cogitationes & mœrores: *ſuppreſſa* bilis, *vacuatio* ſpontanea aut intermiſſa, quæ medicamentis fieri conſueverat per vomitum, per alvum, per urinas aut ſudores.

Quæ & ſigna. Cui iſthæc omnia obtigerint, is neceſſario bile multa redundat.

Signa aſſidentia redundantis bilis in corpore. Quum autem ea jam moleſtius invaleſcet, *ſigna* hæc apparebunt: Faciei, oculorum, totiuſque corporis *color* pallidus, flavus aut citrinus, ad eum accedens qui ictericorum eſt. Interdum bilioſæ *puſtulæ* cryſipelatis ſpecie erumpentes. *Corporis habitus* A ſiccus, macer & gracilis, & qui tangentem acri mordacique calore feriat: *venæ* & *arteriæ* amplæ, & à prima conformatione caloris vi diſtentæ: *pulſus* vehemens, velox, frequens & durus: *urina* flava, flammea, & acris, ſedimenti pauci: interdum vomitione, dejectione, urinis aut ſudoribus ardens & bilioſa *excretio*: in *iracundiam*, in audaciam & vindictam propenſio: *ſomnus* levis nec profundus, magna corporis jactatione inquietus: *inſomnia* belli, furoris, iracundiæ ſplendoriſque plena: *frigidorum appetentia*, eorumque uſus gratus & delectabilis: bilis purgatio utilis, toleratuque facilis.

Hæc exuperantis bilis communia ſunt indicia.

Atque ex partium in quas illa proruit impetumque facit varietate ſymptomata evariant. *In cerebro.* Siquidem illa *in cerebrum* inſiliente, vigiliæ fiunt, deliria rixarum & iracundiæ plena: in *os ventriculi*, ſitis, nauſea, inappetentia, oris amaror, animi defectio: *Ventriculo.* *in inteſtina*, diarrhœa & dyſenteria. *Inteſtinis.*

CAPUT XVI.

Melancholiæ dominantis indicia.

Ex Avicenna ibidem. *Interiores cauſæ melancholiæ.* CUmulandæ *melancholiæ* apti ſunt quicunque *jecur & cor* frigidum ſiccumque, ſiniſtrum verò hypochondrium diſtentum, in eoque obſtructum imbecillumve *lienem*, aut natura, aut vivendi conſuetudine, obtinent. His craſſi lentique humores ac prorſus terreni ſuccreſcunt, alias in unum lienem, alias in omne corpus effuſi. *Ætas* jam inclinans primaq; ſenectus repreſſo vitæ fervore in hanc prona eſt.

Evidentes. *Victus* uſuſque frequens craſſorum ac terrenorum alimentorum, cujuſmodi ſunt bubulæ, cervinæ, caprinæ ac leporinæ carnes, & thunni, balenæ, omniaque cetaceorum genera, & maximè condita ſale, atque etiam vina craſſa, rubra, aut nigra. Vitæ conditio *triſtis*, multis curis, negotiis, contemplationibus aut literarum ſtudiis implicita, nulla interpoſita animi hilaritate, aut corporis *exercitatione*: ſub hac enim nativus calor elangueſcit, & omnia torpore ſopita craſſeſcunt. Autumnus, aut *regio*, aut *cœli tempeſtas* frigida & ſicca, inconſtans & inæqualis. Conſueta *melancholiæ vacuatio* A ſuppreſſa, ſive ea ſpontanea eſſet, ut per hæmorrhoidas, per menſtrua, per alvum aut vomitionem, aut per varices aut ſcabiem: ſive medicamentis fieri ſolita.

His igitur ex cauſis melancholia coacervatur & immoderatius exuperat, tumque naturæ ſuæ morbos cognatos invehit.

Quæ & ſigna ſunt. Quum jam illa exuperat, hæc *ſigna* ſe proferunt.

Aſſidentia ſigna abundantis melancholiæ. Faciei totiuſque corporis *color* fuſcus, obſcurus aut nigricans, interdum univerſus & æquabilis, interdum maculis quibuſdam B inuſtis. Nigra plerumque & cruſtis fœda ſcabies, aut *cutis* nigra vitiligine conſperſa. *Corporis habitus* ſiccus & macilentus, *aſpectus* inconſtans, horridus, ac mœſtus. *Pulſus* parvus, tardus, rarus & ſubdurus. *Vrina*, ſi nihil una excidit melancholiæ, tenuis & alba, ſin verò illius quiddam præterfluat, craſſa, livida, vireſcens aut nigra. Præ copia *ſponte erumpens melancholia*, vomitione, dejectione, urinis, ſudoribus, mariſcis aut varicibus. In morbis animi *metus & mœſtitia*, taciturnitas, ſolitudo, inanis rerum commentatio.

Som-

Somnus turbulentus, horrendis *insomniis* fluctuans, & agitatus spectris rerum nigrarum, fumorum, mortis, cadaverum, sepulchrorum, quæ plena sunt terroris. *Appetentia* sæpè corrupta, interdum canina cum acido ructu. Medicamenta, quibus vis est atram bilem detrahendi, *conferunt*, laborantemque levant: omnisque victus, probum tenuemque succum proferens, juvat, contrarius vero lædit.

Hæc igitur quoties adsunt, melancholiam exuperare demonstrant, quæ si *in hanc illamve partem* insiliat, propria quædam partis illius symptomata concitat.

Atra bilis At verò *atra bilis* quæ ex præassatis quibuscunque humoribus, maximè verò ex flava gigni solet, non hæc, sed mista quodammodo sunt signa. *abundantiis causa.*

Hujus *causæ* eædem atque bilis flavæ sunt, sed quæ magnæ ac vehementes diu multumque persistunt, & bilem flavam extra metas deducunt in atram.

Reliqua quæ narrantur melancholiæ *signa* hic etiam apparent quidem, sed cum quadam caloris effervescentia. Omnia quippe ex mediocritate in ardorem summum devergunt, quod ex atra quam ex flava bile calor acrior emergat. Hinc & animi mores & insomnia magno furore magnaque feritate insurgunt. *Signa assidentia.*

CAPUT XVII.

Signa Pituitæ Dominantis.

Ex Avic. ibid. *Pituita copiosioris causa interna.*

PItuitam coacervare solet, cui *cor, jecur, & ventriculus* frigido humidoque temperamento sunt, atque iis consentiens totius corporis constitutio. Nempe *habitus* obesior, colore albicans aut livescens, *venæ & arteriæ* exiles & angustæ sive ab ortu, sive postea tales evaserint. *Ætas* propriè quidem senescens & præcipitata, ob nativi caloris penuriam: & ob voracitatem, puerorum ætas.

Evidentes. Frigidorum humidorumque *alimentorum* immoderatus usus, & liberalior aquæ potus. Victus plenior & liberalior, largiorque potus, intempestive necdum priore confecto sumptus: omnis denique satietas & ingluvies. Vita sedentaria & in *otio* deses, *locis* præsertim aquosis & humidis. *Aëris* conditio frigida & humida, sive ex regione, sive ex hyeme, sive ex cœli statu, & artis quam quis exercet consuetudine. *Somnus* longus ac profundus, præsertim à cibo: itemque *balneum* à cibo, vita sine *curis*, sine studiis, aut mœrore. Pituitæ per os aut per alvum *vacuatio suppressa*, quæ diu sive sponte, sive arte consueta fuerat.

Hæc sanè pituitam congerunt, cujus deinde hæc in corpore *signa* apparent.

Signa assidentia pituitæ abundantis in corpore. Faciei corporisque *color* albicans, interdum plumbeus aut lividus. *Moles* ampla & obesa, mollis, & contactu frigida. *Pulsus* parvus, tardus, rarus & mollis. *Urina* alba vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa & turbida cum multo sedimento. Pituita *vomitione* aut dejectione spontanea erumpens, corpusque madore sæpè diffluens. Pituitosorum *morborum*, ut œdematis & destillationis atque similium consuetudo & frequentia. *Animi mores* omnesque corporis *motus* tardi cum gravitate & segnitie, sensus obtusi, mens hebes, *somnus* profundus atque gravis: aquarum, pluviæ, nivis, aut submersionis plena *insomnia*. Cibi potusque calidi, omnisque causæ calefacientis *occursus* jucundus & utilis. Pituitæ *vacuatio*, quæcunque vel arte, vel sponte obtigerit, conducibilis.

Hæc signa existunt, quoties pituita toto corpore æquabiliter dominatur & exuperat.

Cæterum si vel in *capite* duntaxat, vel in *ventriculo*, vel in *intestinis* colligitur, (his enim tribus maximè locis supervacanea illa coacervari solent) affectæ partis propria symptomata illam detegent. *In partibus.*

Salsæ porrò *pituitæ* non hæc, sed mista quodammodo signa sunt. Quum enim vel bilis permistione, vel inducta putredine colorem præter naturam acquirit, ut mistas bilis & pituitæ causas, ita & illarum mista quodammodo signa obtinet. Eadem sapore, pruritu, & fœda scabie plerumque deprehenditur. *Signa abundantis pituitæ salsæ.*

Caput XVIII.

Signa aquosi humoris abundantis.

Ex Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. 5. de loc. aff c. 7.

Serosi humoris causa.

Tenues *serososque humores* congerunt quibus *ventriculus* frigidus, *lien* verò aut *jecur* obstructum scirrhosumque est. Qui *cibis* humidis potuique liberaliori indulgent, *ætate* potissimum senili. Qui in *otio* vitam agunt, *hyeme*, *regione* humida, similique cœli statu. Quibus *urina* pauca, nec potui respondens profluit, & *sudor* nullus emanat: & lienteriæ aut spontaneæ *vacuationis* aquosæ consuetudo deleta.

Signa assidentia.

Aquoso autem *humore* in omne jam corpus effuso, facies, manus, reliquumque *corpus* A *subtumidum* cernitur, non vivido sed pallido & obscuro *colore*: *corporis habitus* plerumque œdematosus, in quo prementis vestigium manet, quemadmodum in cachexia & in leucophlegmatia. *Abdomen* interdum molè tumescit, sub quo fluctuantis aquæ sonus obauditur. *Vrina* cruda & aquosa, ac sæpè ut in diabete, multa: *alvi dejectio* liquida & mollis: *cutis* madida: expuitio multa, simplex, sine tussi, è ventriculo plerumq; redundans. *Pulsus, animi mores, somnus, insomnia*, omnia quidem iis similia quæ in pituitæ domino.

Caput XIX.

Signa Flatus.

Ex Avicenna ibid. cap. 9.

Flatuum causa.

Flatus copiosos exuscitant *ventriculus* frigidus & humidus, omnisque caloris imbecillitas, sive ex simplici intemperie, sive ex humorum vitio contracta: *Lien* melancholia turgens & obstructus, ventriculi concoctionem contagione offendens: Flatulenti *cibi*, ut fructus crudi, castaneæ, fabæ, tubera, potus immoderatus, nimiaque ventriculi è liquidis cibis fluctuatio, crapula & ingluvies: *Otium*, *somnus* multus, *ætas*, regio, *cœlique constitutio* frigida.

Signa assidentia.

Quum autem ab his causis flatus multus in corpore congestus est, ventriculus & colon intestinum, sinistro præsertim hypochondrio distenduntur & *rugiunt* quasi ventis agitentur. Est enim colon præcipua flatuum sedes, quorum vi id nonnullis am- B plissime dilatatur. Tensivi *dolores* in omne corpus evagantur vagique transcurrunt. Frequens ructu crepituque auditur *flatuum eruptio*, cui mox levamen succedit: frequens & aurium *tinnitus* & partium corporis *palpitatio*. Magna proclivitas in colicum dolorem, in aliosque ex flatu *morbos*. *Insomnia* rei celeriter currentis aut volantis, interdum etiam tonitrui & tempestatis.

Signa hæc sunt omnia ex quibus corporis cujusque constitutio innotescit, & materia quæ in eo dominatur & redundat. Ea tota est antecedens morborum causa, à qua & proxima continensque illorum materia fovetur incrementumque sumit.

His ita mihi absolvenda videbatur generalis demonstrativorum signorum tractatio.

Libri secundi, de Symptomatis & Signis, Finis.


Liber

LIBER TERTIUS DE PULSIBUS ET URINIS.

CAPUT I.

Quid Pulsus, Quotque ejus Differentiæ.

Ex Gal. 4. de diff. pulſ. c. 2. *Pulſus & urina, quid indicent.*



NOn parvam demonſtrandorum morborum vim obtinent *pulſus* & *urina*: ille ſiquidem cordis & arteriarum, hęc jecoris venarumque conſtitutionem renuntiat, quorum adminiſtratione corpus univerſum gubernatur. Pulſus primum & maximè vitalis facultatis totiuſque corporis robur, at non obſcurè tamen cordis corporiſque conditionem refert. Urina certo & manifeſtè jecoris humorumque ſtatum, & morbos ex his genitos repræſentat, at obſcuriùs virium corporiſque robur.

De his igitur ut certis ſignis *ſeorſum*, quantum artis uſus expoſcit, *tradendum*.

Quid pulſus ſit. *Pulſus eſt cordis arteriarumque motus nativi caloris moderator, ex diaſtole ſyſtoleque conſtans.*

Diaſtole, id eſt, diſtractio, eſt qua arteria ſeſe quoquoverſum diffundit dilatatque, ut aëre tenuique ſanguine tracto inſitum calorem temperet ac ſpiritui pabulum ſubminiſtret. Syſtole, id eſt, contractio, eſt qua in ſe ipſa undique conſidet ſeque ſummittit, ut ſpiritus fuliginem exuſtione comparatam expellat. Inter hos motus, quod omnino contrarii ſint, neceſſe eſt media quies intercedat, eaque gemina: una ſupera quæ diaſtolen, altera infera quæ ſyſtolen terminet. (Ex Gal. de diff. pulſ. cap. 3. uſque 9.)

Pulſuum differentia. *Pulſuum differentiæ* aliæ ſtatuuntur *à diaſtole*, aliæ *à quiete*, aliæ *ab ordine*.

A diaſtoles quantitate. *A diaſtole* quinq;, *à quantitate*, *à vehementia*, *à tēpore*, *ab arteriæ qualitate*, & *ab arteriæ profuſione*.

Quantitas longum, latum, & altum comprehendit: eſtque pulſus *longus*, quo in longum excurrit arteria, ut *latus* quo in latum, & *altus* quo in altum: horum omnium concurſu fit *magnus*, quo arteria ſe quoquoverſum pandit. His contrarii pulſus ſunt, *brevis*, *anguſtus*, *humilis*, & qui horum trium concurſione *parvus* evadit. Qui in extremorum medio conſedit, *moderatus* appellatur.

Omnes igitur hoc quantitatis genere pulſus erunt, longus, brevis, moderatus: & latus, anguſtus, moderatus: altus, humilis, moderatus.

Vehementia. A *diſtractionis vehementia* ſunt *pulſus validus* ſeu vehemens, qui validè ac firmè tactum ferit: *imbecillus* ſeu languidus, qui contra: & *moderatus*.

Tempore. A *tempore* pulſus *celer*, qui brevi tempore arteriam diſtendit; *tardus* qui longo; *moderatus* qui mediocri.

Ab arteria qualitate. Ab *arteriæ qualitate*, *mollis* quum tenera laxaque arteriæ tunica; *durus* quum durior rigidiorque eſt: & *moderatus*.

Perfuſione. *Ab arteriæ perfuſione* pulſus *plenus* quo arteria in diaſtole non modo ampla & turgida, ſed humoris perfuſione plena occurrit: *vacuus* quo non humore, ſed quaſi flatu turgere tactu deprehenditur, prementibuſque digitis nihil firmum ſolidumve ſubſiſtit: *mediocris* horum eſt medius.

A quiete arteriæ. Sexta pulſuum differentia eſt *à quiete* ſeu ab ictuum intervallo. Hinc fiunt *pulſus creber* ſeu frequens, qui ſæpè & brevi quietis intervallo arteriam diſtendit tactumque ferit: *rarus* qui ex longioribus intervallis. (Ex Gal. ibid. cap. 10. uſque 16.)

Ab ordine eſt æqualis. Septima differentia eſt *ab ordine*: hic quum ſui ſemper ſimilis eſt, *æqualis* appellatur. Eſt porrò genere *duplex*. *In omnibus* aut certè multis pulſationibus æqualis, ſui ſemper ubique ſimilis, ſibique perpetuo conſtans, & in cujus pulſibus ſingulis ſimilitudo & æqualitas omnino ſpectatur in magnitudine, in celeritate cæteriſque differentiis. Æqualis *in uno pulſu*, cujus initium & finis omneſque arteriæ partes æquabiliter procedunt.

Inæqualis. Et vel in aut *Inæqualis in multitudine*, eſt quum multi pulſus comparati inæquales ſunt & diſſimilen aut

pluribus pulsibus.

aut magnitudine, aut celeritate, aut vehementia, aut alio quodam modo: & qui modis omnibus talis existit, is absolutè inæqurlis appellatur.

Qui æqualiter inæqualis.

Rursus inæqualis *bipartitus* est, *inæqualis æqualiter*, & *inæqualis inæqualiter*.

Μύουρος.

Æqualiter inæqualis est qui inæqualitatis æquam paremque mutationem retinet: ut quum primo pulsu secundus paulo minor est, & tertius secundo, & quartus tertio ad plures usque deinceps. Atque is est qui Græce μύουρος, Latine sensim imminutus & *gracilescens* appellatur. Hic si sensim ita minui perseveret, dum ad quietem prorsus recidat, *myurus deficiens* est. Horum alii in ea parvitate vel quiete persistunt, alii resurgunt, & ad pristinam magnitudinem aut parem aut minorem revertuntur: hi sunt *myuri reciproci*.

Μύουρος. ἐκλείπων. παλινδρομοῦντες μύουροι.

Et inæqualiter inæqualis.

B *Inæqualiter inæqualis* nullam inæqualitatis similitudinem retinet. Hic si aliquando desinat, propriè inæqualis *deficiens* dici consuevit. Et si duorum, trium, vel plurium pulsuum ictibus prætermissis iterum arteria agitari incipiat, *deficiens reciprocus* vocatur. Huic finitimus est inæqualis *intermittens*, cujus est quies interdum longissima, isque circuitibus admodum rarus evadit. Est & *intercurrens*, παρεμπίπτων appellatus, intermittenti oppositus: is enim tactui objicitur insperato medius inter duos expectatos.

Ἐκλείπων παλινδρομῶν. Ἀνώμαλος διαλείπων.

Ex Gal. ibid. cap. 17. 18. 19. Vel Inæqualis in uno pulsu. Hic aut in una arteriæ parte.

Inæqualis porrò *uno pulsu duplex* est: aut enim *in una* eademque *arteriæ parte*, aut *in diversis* fit.

Pulsus eadem *arteriæ parte* inæqualis *triplex*: nam arteriæ motus licet continuus, par tamen plerumque non est initio, medio atque fine: interdum quiete interpellatur & intercidit, interdum recurrit ac bis ferit.

Impar est motus initio atque fine, alias in vehementia, alias in magnitudine, alias in celeritate, aliisque modis, quos omnes numerare vix liceat.

Διακεκομμένος.

Intercidens pulsus seu intercisus est, cujus distentio continuitate destituta, media quiete interrumpitur: hicque quanquam bis ferit, non tamen duo, sed unicus est pulsus. Quod si motus à quiete celerior & vehementior sit primo, *caprizans* tum appellatur.

Δορκαδίζων. Δίκροτος.

Dicrotus, id est, recurrens aut bis feriens,

A qui simul atque omnem distentionem effecit, se paululum subducit ac mox pulsat iterum, tanquam malleus ab incude resiliens, estque ab interciso planè diversus. Est & quum non semel tantum, sed bis aut sæpius arteriæ pulsus revertitur.

Ex Gal. ibid. c. 20. Aut in pluribus arteriæ partibus.

Pulsus diversis partibus inæqualis est, quum multis digitis arteriam contingentibus non similis sentitur occursatio.

Ac primum *interruptus* primo & tertio digito, vel secundo & quarto, non autem aliis sentitur. Inæqualis magnitudine, vehementia, duritie, plenitudine, quum omnibus digitis æque tangentibus, aut magnitudo, aut vehementia, aut durities, aut plenitudo non similis apparet. Hic si pariter durus existit, *serratus* appellatur.

Ἐμπεσών, ἢ ἐμπεσικός. Κλονώδης.

Est & *inæqualis in situ partium* arteriæ, quum ejus pars una dextrorsum, altera sinistrorsum, una sursum, altera deorsum inflectitur. Id autem si admodum manifestè & perspicuè fiat, magnaque sit arteriæ diastole, *pulsus vibratus* appellatur, in quo crebra & inæqualis est, quasi in jaculis quæ impetu celeri vibrantur, concussio. Sin vero id obscurius fiat, appareatque arteria tensa & utrinque retracta, *convulsivus* is est.

Σπασμώδης.

Κυματώδης.

Vndosus pulsus, quum arteria primum digitum plenius validiusque ferit, deinde secundum exilius & mitius, tertium plenius & validius, quartum denuo exilius & mitius: non hic quidem interruptus, sed inæqualis ut undarum æstus.

Σκωληκίζων.

C *Vermiculans* pulsus vermium gressui similis, undoso finitimus, à quo non inæqualitatis specie, sed magnitudine solum ac robore diffidet.

Μυρμηκίζων.

Formicans his succedit mire parvus, languidissimus, creberrimus & inæqualis, à vermiculante tantum deficiens quantum hic ab undoso.

ibid. cap. 303.

Pulsus omnis *inæqualis bipartitur*: alius quippe *ordinatus*, *inordinatus* alius.

Ex Gal. ibid.

Inæqualis ordinatus, est in quo inæqualitatis ordo retinetur: ut quum pulsus quatuor inæquales quodammodo sunt, omnesque similem habent inæqualitatis proportionem.

Τεταγμένος ἢ ἄτακτος. ἀνώμαλος.

Inæqualis inordinatus, est in cujus inæqualitate nulla similitudo, nullus circuituum ordo statui potest.

CAP.

CAPUT II.

Qua ratione pulſus obſervandi internoſcendique ſint.

Ex Gal. lib. 1. & 2. de dignoſ. pulſib.

Quid obſervandum medico in tangenda arteria.

OBſervantis *manus* temperata ſit, mollis, minimeque calloſa & eximii ſenſus.

Digiti tres aut quatuor ſuperne tantum carpi arteriam (quæ mediocris quum ſit & obvia, obſervationibus accommodatiſſima exiſtit) contrectent.

Laborantis manus quæ tangitur, nec ſublata ſit, nec depreſſa, nec extenta, nec vinculo, aut decubitu conſtricta, nec prona in volam, nec reſupina: ſed molli naturalique ſitu æquabiliter reclinetur in latus imum, quod minimo digito clauditur.

In carpo ſi directo ad maximum digitum *obſcurus* eſt pulſus, alio quovis loco atque etiam in altero carpo perveſtigandus, quod multis ex cauſis evariet, ac plerumque vel ex vulnere, vel ex contuſione, vel ex obſtructione alter obliteſcat.

Qui *vehemens* eſt, non niſi preſſa arteria digitiſque valide infixis dignoſcitur, hoc à magno, & à pleno diſſidens, quod ſuo robore reniti tactumque repellere deprehenditur. Non tamen hic adeo premendus, ut vi applicatæ manus arteriæ ſuperetur robur. *Languidus* pulſus conſpectior eſt in manu prona atque declivi, attingique debet molliter & quaſi ſuſpenſis digitis: nam ſi arctius prematur, licet languidus hic pariter quoque magnus ſit, ut in lethargo, aut nullus omnino aut immotus videbitur, omnemque ſenſum effugiet.

Syſtole in vehementi, in magno & duro pulſu aliquantum deprehenditur, in languido nunquam: in vehementiſſimo, maximo atque duro, aut ſaltem in eo qui mollis non ſit, conſpicua & aperta ſentitur, non mediocriter ſed validè preſſa arteria.

Quies externa mediocri tactu citra vim ullam, interior non niſi digitorum impulſu preſſuque animadvertitur.

Quomodo in eo ſe debeat exercere.

Ad horum autem perfectam cognitionem qui ſeſe componere & accommodare volet, primum ſe exerceat in ſyſtole & interna quiete cordis, quum id vehementiſſimè maximeque pulſat. Pectoris enim contactu conſpicuæ ſunt; quarum imitatione illas quoque in arteriis ediſcet. Reliquæ pulſuum differentiæ tactus quadam mediocritate animadverti debent.

CAPUT III.

Generales Pulſuum Cauſæ.

Ex Gal 1. de cauſ. pulſ. cap. 1. 2. 3. 4.

Pulſus tres interna ſunt cauſæ. Efficiens, Inſtrumentum,

PVlſuum tres omnino ſtatuuntur *cauſæ, efficiens, impellens,* & *inſtrumentum.*

Primaria *efficienſque pulſus cauſa* eſt facultas illa movens è corde profecta: *inſtrumenta* ſunt arteriæ, quæ facultatis impetum ſequuntur eique obtemperant: *cauſa facultatem incitans* ac impellens uſus eſt atque movendi neceſſitas. Hæc una omnium eſt cauſarum prima & validiſſima, à qua & movendi initium exiſtit.

Vſus, qui triplex.

Omnis autem *neceſſitas* ex affectione quadam præter naturam proficiſcitur, quæ quum cordi infenſa moleſtaque eſt, eam protinus excutere contendit. *Triplex* eſt ejuſmodi affectio. Aut enim caloris ſpirituſque eſt *penuria*, quem cor pulſu reſarcire conatur: aut *intemperies* frigida calidave, ſive ſimplex, ſive à febre, ſive à phlegmone, quam refrigerare poſtulat: *aliena ſubſtantia*, cujus expulſionem molitur, ut quum fuligo, vapor, humorve aliena vitioſaque qualitate, cor ferit, aut id mole copiaque premit.

Alia externa ſunt.

Et hæ quidem interiores cauſæ ſunt: *externæ* vero immoderati omnes corporis motus animique perturbationes: ut ira, excandeſcentia, metus atque mœſtitia.

Quomodo ab his pulſus fiat.

Ab his ergo cauſis neceſſitate quadam ſtimulata incitataque cordis facultas, efficit ut per diaſtolen novus aër extrinſecus hauriatur, qui inſito calori refrigerium vitalique ſpiritu pabulum ſuppeditet: per ſyſtolen vero exuſta ſpirituum fuligo, & quicquid denique præter naturam eſt tum

cordi, tum arteriis infensum, expurgetur.

Quid singula conferant. Itaque *usus* atque necessitas cordis facultatem ad pulsandum impellit: incitata facultas instrumenta arteriasque movet: hæ verò illius cedunt robori. *Usus.* Semper autem pro necessitatis conditione pulsus edentur, modò facultatis subsit robur, & obsequantur arteriæ. Duo enim hæc, vitale robur & arteriarum constitutio, necessitatis sæpè significationes obscurant.

Instrumentum. Etenim amplæ *arteriæ* pulsum ferè magnum edunt, qui & talis deprehenditur, si non altè in profundum illæ demersæ sunt. Exiles verò angustæque arteriæ, quales insunt pinguibus & crassis, nequeunt pulsum proferre magnum.

A Quinetiam *vitale robur si* vegetum est, *Efficiens.* pulsus natura magnus ac validus existit: si imbecillum, parvus ac languidus. His ex causis quibusdam vel in extremo senio validus magnusque pulsus apparet, quibusdam vel ætate virentibus obscurissimus ac propè nullus. Vitalis roboris causa non facilè perspici potest: una proinde observatio, quæ magnum habet in singulis momentum, pulsuum ac naturæ locupletem cognitionem dabit.

Quum igitur omnium causarum concursione mediocritas quædam obtingit, pulsus moderatus existit. Quum verò à mediocritate disceditur, pulsus immutatur, & de medio quoque decedit.

CAPUT IV.

Quàm varii sint pulsus naturales, & quibus ex causis per sanitatem & citra morbum immutentur.

Ex Gal. lib.3 de pulſ.cauſis. HIs ita constitutis primum quidem in pulsus moderati cognitionem penitus incumbendum, in eumque animus defigendus, qui cæterorum lex sit atque mensura.

Quomodo pulsum naturalem afficiant causæ remotiores internæ. Moderatus autem appellatur qui nec magnus est aut parvus, nec celer aut tardus, nec creber aut rarus, nec vehemens aut languidus, nec durus aut mollis, nec inæqualis, nec alio quoquam modo nimius. Is est cujus comparatione cæteros omnes magnos aut parvos, celeres aut tardos, aut alio quovis exuperantiæ nomine insigniverunt.

Hic non nisi in optima corporis natura animadvertitur, quæ & temperatissima est, B constitutione prorsus media ac verè quadrata.

Temperamentum. At verò *in temperatis* naturis, etiam dum sanæ sunt, pulsus ab hoc diversi existunt. Natura quippè *calidi* celerem, crebrum, magnum & aliquantum vehementem pulsum edunt. His enim refrigerii & expurgandæ fuliginis magna necessitas adest, nec deest virium robur: frigidi contra.

Habitus. *Graciles* magnum, quia facilè nulloque impedimento distenditur arteria, sed rarum & aliquantum vehementem.

Sexus. Hic *viris* quam mulieribus pulsus longè A major & vehementior, sed paulo tardior atque rarior inest.

In *ætatibus* infantis puerique pulsus celerrimus & creberrimus, quod caloris exuperantia per diastolen refrigerari, & fuliginis copia per systolen expurgari postulet. *Ætas.* Senis contra rarus ac tardus. Reliquarum ætatum pulsus inter hos ambiguus. Juvenis pulsus maximus, quod calor sit acer amplaque arteria: senis minimus: pueri medius: huic quidem necessitas inest, sed angusta arteria. Juvenis pulsus vehementissimus, quia facultas validissima: senis languidissimus: pueri medius. Ex his quidem conjici potest, qualem uniuscujuslibet laborantis naturalem pulsum esse oporteat.

Hunc porrò vel integra valetudine *cœli status & corporis motus, animique perturbationes* immutant. *Quomodo externa.*

In *anni temporibus*, Vere medio pulsus maximi sunt & vehementissimi, quod in summa illa temperie facultas sit robustissima: *Tempora anni.* at celeritate & crebritate moderati, quia in temperie pulsandi usus moderatus est. Tales apparent autumno medio. Æstate media celeres atque crebri: usus etenim necessitasque crescit: at parvi sunt & langui-di, quia languescit facultas. Hyeme quoniam usus remittitur, tardi atque rari &

quam

quam æstate minores, sed tamen vehementiores.

Regio. E *regionibus* & cœli constitutionibus quæcunque vehementer calida fuerit & æstuosa, æstati mediæ: quæ verò frigida, hyemi: quæ temperata, veri simillima putetur.

Motus. *Exercitatio* moderata quidem pulsus vehementes efficit, quandoquidem facultas contentione excitatur: magnos quoque, celeres, & crebros, quod caloris incremento usus pariter increscat. Contrarii apparent in otio & torpore. Immodica exercitatio quod jam supra vires sit, pulsus parvos & languidos efficit, sed ex usu celeres & crebros: at quum ad virium resolutionem & defectum perventum erit, tardos atque raros.

Balnea. Eadem ratio *balnearum* calidarum, frigidarum verò similis atque otii & torporis.

Vinolentia. *Cibi vinique usus* plenior, pulsus edit magnos, vehementes, celeres & crebros: sed vini quam cibi celerior mutatio; quæ tamen ocius vanescit. At multo immoderatior vini usus pulsus inæquales & inordinatos concitat.

Somnus. *Dormientium* parvi sunt, languidi, tardi atque rari: eorum verò qui expergiscuntur, è vestigio quidem magni sunt, vehementes, celeres & crebri, cum quadam vibratione, sed qui in mediocritatem mox redeunt.

Ex Gal. 4. de caus. pulſ. cap. 1. 2. 3. 4. 5.

Animi pathemata. *Iratorum* pulsus magnus, altusque, vehemens, celer, & creber: tristium, parvus, languidus, tardus & rarus: timentium vehemens, celer, vibratus, inordinatus & inæqualis.

Sic igitur quotidianæ corporis affectiones pulsus immutant, sine quarum animadversione non certò possit pulsus percipi, nec quantum per morbos à naturali distet. Itaque pulsus naturalis observandus est, neque mox ab exercitatione, à balneis, à cibo immodico, à vino aut ab aliis causis calefacientibus: neque ilico ab ira vel timore, vel ab aliis causis cor & spiritus agitantibus: de pulsu nihil quicquam statuendum antequam externarum causarum vis deferbuerit, omnisque sedata sit corporis perturbatio.

Hi pulsus non omnes quidem mediocres existunt, sed naturæ tamen limitibus continentur. Deinceps vero, qui contra naturam sint, & quam in morbis significationem habeant, tradendum.

CAPUT V.

Quæ sunt pulsuum præter naturam causæ.

Ex Gal. 1. de caus. pulſ. cap. 5. usque ad finem.

Quomodo fiant pulsus præter naturam.

Cor dum secundum naturam habet, moderato pulsu insitum sibi calorem spiritusque mediocritatem tuetur: at *præter naturam* affectum, diverso pulsu quicquid molestum insensumque est, excutere, aut etiam quicquid deest, instaurare contendit.

In diastole. In eo autem primum *quid diastole*, deinde *quid systole demonstret* significetque, tradam.

Creber. Quum usu & necessitate cor lacessitur, stimulatum id, primum quidem pulsum edit *crebrum*, idque sive valida, sive imbecilla sit facultas: creber enim omnium primus est, quia facillimus. *Celer.* Si necessitati non satisfaciat crebritas, huic etiam *celeritas* accedet, atque etiam si ne duo quidem illa satis sint, *Magnus.* addetur & *magnitudo*, modo non imbecilla sit facultas: tum quippè totis hæc opitulatur viribus. *Vehemens.* Quod si pariter valida est, pulsum edit robustum seu *vehementem*, eumque plenum si spiritus ubertas inest.

Ita quippe artis usu & exercitatione observamus, per febres omnes frequentem nec non celerem pulsum edi, at non perpetuò magnum: quandoquidem si vires languent, tum crebro parvus quoque ac languidus existit. Rursum & quibus sine febre imbecillæ, ut in animi defectione, sunt vires, & quibus hæ copia vel impuritate premuntur, ut in leucophlegmatia, pulsus frequens ac celer (non enim ex frequentia perpetuo febris judicanda) at non ilico magnus deprehenditur, sed verè parvus ac languidus. Quocirca prima pulsus mutatio non in magnitudinem, sed in crebritatem fit, cui dein celeritas, postea magnitudo accedit. Mirari proinde subit *Galeni* dictum, pulsum omnem urgente necessitate statim initio magnum evadere, sive valida sive imbecilla sit facultas, & celeritatem nunquam sine magnitudine inveniri. *Loc. citat.*

Et quid significent. Itaque pulsus *frequens* ac *celer* aut exuperantem calorem, aut spiritus vitalis penuriam ostendit: *magnus* non imbecillam esse facultatem, *vehemens* eandem esse validam.

Quomodo fiant & quid significent par. *Parvus* autem pulsus nativi caloris penuriam ingensque refrigerium denuntiat. Quod quum obtigerit, primum quidem *raritas* erit conspicua: increscente malo *tarditas* accedet, postremo parvitas, vice versa atque in caloris incremento.

Rarus. Tardus. Longus, latus, altus. Iam vero pulsus differentiæ in *longum*, *latum* & *altum*, non ex rei necessitate proficiscuntur, nec ullius affectus essentiam, sed impedimenta duntaxat repræsentant, quæ circum arteriam incidunt. Arteria enim quam maxime potest distrahitur: at distractionis magnitudo alias obtegitur, alias interpellatur, vel numero, vel crassitie, vel duritie circumjacentium corporum, ut cutis, ut adipis aut carnis, quorum gratia pulsus varius apparet, & alius plerunque, quam necessitas exposcit. Sic igitur corpulentis brevis ac parvus, gracilibus longus & magnus, quadratis moderatus obtingit.

Mollis. Ex Gal. 2. de causis pulsf. *Mollis* vero pulsus arteriam mollem demonstrat, & corpus humore multo eoque pituitoso perfundit, ut in hydrope, in leucophlegmatia, in lethargo, in comate: sive ab humidiore cibo, sive à balneis immodicis, sive somno, sive à molliore vita succrevit. Hic tandem ingravescente morbo & viribus languescentibus *undosus* & *vermiculans* evadit.

Vndosus. Vermiculans. Durus. *Pulsus durus* si neque ex languore animi, neque ex verecundia est, arteriæ duritiem perpetuo declarat; vixque ullus est durus, qui non etiam parvus sit, licet non statim languidus.

Durior autem *arteria* fit vel *siccitate*, vel *constrictione*, vel *tensione*.

Siccitas fit ab immoderato usu vini meracioris, à febribus ardentissimis, à marcore, à quartana febre, & à melancholia.

Constrictio interdum à frigore fit, quod aëris, balnei, aut frigidæ potionis vis intulit: A interdum à vitiosis fructibus, qui vitream crassamque pituitam gignunt.

Tensio ab ingenti inflammatione, à scirrho jecoris aut lienis.

Duro huic & tensiuo pulsui affinis est *convulsivus*, quiaut nervorum propaginem convulsione teneri prodit, aut alvum immoderatius quasi poto elleboro fluxisse. *Convulsivus.*

Vibratus pulsus ex parvo duroque procedit: quum enim magna est refrigerii necessitas & facultas valida, si arteria dura tum sit, contentione facultatis validæ & arteriæ renitentis, vibrare continget. Hoc proinde eosdem quos & pulsus durus morbos denuntiat. *Vibratus.*

B *Ita igitur ex diastole judicandum.*

Systole vero quemadmodum & diastole alias major aut minor est, alias vehementior aut languidior, alias celerior aut tardior, alias mollior aut durior. Harum tamen unica celeritatis aut tarditatis differentia sensu dignoscitur, atque in his duntaxat quorum systole animadverti potest. *Quomodo fiant pulsus præter naturam in Systole.*

Celeritas systoles magnam prodit ustorum excrementorum copiam, quam natura arteriarum compressione nititur expurgare. Ea fere ex putrescentibus humoribus coacervari solet, qui febres necessario accendunt, quoties eorum substantia aut vapor C putris in cor irrepit. Quocirca systole quam diastole celerior, putridæ febris perpetuum est indicium. Ea celeritas non modo febrium est quas in venis, sed & earum quas vel in pulmone, vel in jecore, vel in liene, vel in alia quavis particula putrescens humor accendit. *Celer.*

Contractionis *tarditas* est, quum non multum excrementi putridi & exusti inest in corpore, nec magna desideratur expugatio. *Tardus.*

Crebritas impuri excrementi copiam augeri testatur, quæ idcirco efficit ut externa quies minima sit. *Creber.*

Raritas contractionis in qua externa quies longa est, excrementa arguit pauca inesse fumosa. *Rarus.*

CAPUT VI.

Morborum ex pulsu cognitio.

Ex Gal. 4 de præsag. ex pulf. cap. 2. usque 8.

HÆc vero jam ad artis usum & exercitationem apertius referenda sunt.

Pulsuum differentiæ *affectuum præter naturam*, & *affectam sedem demonstrant*.

Qui pulsus morbum ostendunt. *Affectus præter naturam* alii primum ac *per se*, alii *secundo* ex pulsu *deprehenduntur*.

Primum

Primum quidem ac *per se* intemperies omnis, tum quæ simplex, tum quæ ex humorum est vitio: adhæc plethora, cacochymia vel simplex, vel cum putredine; phlegmone, scirrhus, obstructio: qui affectus cæterorum omnium velut principia quædam & continentes causæ sunt.

Calidum. *Calidæ intemperiei* simplicis, qualis est ab æstu aut ab ephemera febre, pulsus creber est, celer ac magnus, simulque æqualis: ejusmodi & in hectica febre existit, sed aliquanto durior.

A plethora. *In plethora simplici quæ nondum vires premit*, atque in synocho simplici, non solum creber, celer, magnus & æqualis, verumetiam turgidus, plenus ac vehemens, quod non nisi robustis integrisque viribus obtingat.

Putredine. Intemperies *ex humorum putredine*, quemadmodum & putrida febris, pulsum etiam crebrum, celerem & magnum efficit, sed inæqualem, non in multis solum, verum etiam in unico. Tum quippe systole celerior est quam diastole, ut putris fuligo expurgetur: est & externa quies brevior, ob quam etiam crebrior pulsus evadit. Inæqualitas aliquantum conspicua accessionis initio, sed incremento & vigore magis.

Humorum affluxu. *Phlegmone* quæ & insignis fuerit & in parte nobili, quoniam putredinis calorem cordi totique corpori impartit, febrilem pulsum infert: præterea vero durum ac interdum serrantem & vibratum, quandoquidem partis inflammatæ tensio pervadit arterias: sed tamen duriorem si phlegmone obtigerit nervosis partibus, & iis quæ circa membranas, venas, & arterias positæ sunt.

Qui morbos reliquos intemperies simplicis. *Frigida intemperies* pulsum efficit rarum, tardum & parvum; *sicca* durum; *humida* mollem.

Cum humorum affluxu. Et hæc quidem dum simplex illa consistit. At vero si ex *humoris* cujuspiam *influxu* contrahitur, iis quæ dicta sunt accedit pulsus inæqualitas, maxime si in partem nobilem humor impingat. Sive enim obstruuntur arteriæ, sive humorum copia comprimuntur, sive his natura gravata oppressaque est, inæquales fiunt: magisque quum crassi, viscosi & copiosi sunt humores, quam quum tenues atque pauci.

Ex Gal. 4. de præsag. ex pul. cap. 1.

Qui pulsus affectam partem ostendunt. Quæ porro *pars corporis affecta sit*, *noscitur* ex pulsu molli atque ex duro, qui tensivus appellatur, ex serrante & vibrato. Mollis enim & affectum molliorem, & partem carne, venis arteriisque conspersam affici denuntiat; durus vero partem nervis membranisque præditam.

Et ejus sedem. Quinetiam *partes cordi propinquæ*, aut ei vasis majoribus conjunctæ, magis ac celerius affectum suum cordi impertiunt: distantiores & parvis vasis copulatæ, minus & tardius.

Ex Gal. 4. de caus. pulf cap. 6. usque 25.

Quomodo ex utrisque morbi agnoscantur particularis. Horum permistione secundario noscetur, qui *pulsus in singulis morbis existunt*. Nam *inflammato septo* transverso durissimus est, plurimum serrans aut vibratus, & plerunque convulsivus; minus in *pleuritide*; rursumque minus si aut inflammatio, aut scirrhus sit in *ventriculo* vel in *vesica* vel in *utero, intestinis, renibus, jecore, liene aut pulmonibus*. A *peripneumonia* pulsus magnus: languidus & mollis simul & inæqualis, tum in uno motu tum in multis: sæpe etiam undosus & dicrotus.

In *lethargo* pulsus illi fere similis: & huic finitimus in *catocho*, nisi quod æqualis est *Epilepsiæ* & *apoplexiæ* (quum præsertim malum invaluit, & facultas graviter opprimitur) pulsus languidus, parvus, rarus, tardus & inæqualis, tum demum celer evadit. *Convulsionis* pulsus convulsivus appellatur, tensus qnidem, vibratus & inæqualis, non perinde tamen validus ac magnus. *Paralysis* parvus, languidus atque tardus, nonnihil inordinati intermittens.

Hydropis ascitæ parvus, creber, durus atque densus: tympanitæ longus, celer, creber, subdurus: anasarcæ undosus, latus ac mollis.

Phrenitidis durus atque idcirco parvus, mire celer, & creber, ut proximam syncopen denuntiet: interdum tremulus, aut cum convulsione intermittens.

Anginæ magnus & undosus, aliquantum convulsivus. Quum jam suffocatio impendet, parvus, tardus, creber & inæqualis.

Orthopnœæ inæqualis, inordinatus, creber, tardus ac deficiens: tandem vero languidus.

Phthisis parvus, languidus, non admodum celer, hecticus. Suppurationis hecticus, inæqualis & inordinatus. In puris eruptione latus, tardus, rarus & languidus. *In cæteris denique morbis, ad horum imitationem, qualem pulsum esse deceat, intelligi potest.*

Caput VII.

Virium observatio ex pulsu.

Ex Gal. 4. de præs. de puls. cap. 11. 12.

Pulsus præcipue virium robur indicat.

MAxime autem ac *proprie virium robur* atque constantiam *pulsus ostendit*. Facultatum quippe omnium princeps atque conservatrix est vitalis, qua una constante nemo interire potest, ex qua & vita omnis, & virium robur æstimari solet. Quum mors futura est, hujus labantis signa apparent, alias quidem multo ante tempore, ut quum illa morbi diuturnitate languet sensimque deficit: alias non diu ante mortem, ut quum vitale robur immoderata eaque repentina vacuatione vel dolore, vel alio gravissimo symptomate dissipatur atque perit: aut quum rupto abscessu, vel inopinato humorum influxu, vel maxima obstructione suffocatur. Itaque si pulsus cordis ac vitæ est nuncius, idem omnium quoque virium facultatum index erit.

Vehemens quid designet.

Robustus *vehemensque pulsus* sanis vitę longitudinem, ægrotis securitatem pollicetur: languidus contraria. Vehemens qui tactum evertit, facultatis robur ostendit, eoque majus quo fuerit vehementior. Hic etiam indicat corporis humores tum qualitate, tum quantitate laudabiles ac probe coctos: aut naturam semicrudorum (quales in salutaribus morbis sunt) concoctionem vehementer moliri: maxime vero si nec ab ira, nec ab exercitatione, nec à vini cibive usu immoderato processit.

Languidus.

Languidus pulsus qui à tactu evertitur, imbecillæ facultatis est nuntius: ac proinde animi defectionem, vel syncopen demonstrat, vel vires morbi longitudine debilitatas, vel quavis causa dissolutas, ut inedia, vigiliis, doloribus, animi pathematis: aut vacuatione immodica, vel affectus magnitudine pressas obrutasque.

Qui fere quoque magni & parvi sunt.

Robustus ac vehemens pulsus *fere* quidem *magnus* est, at non necessario, quemadmodum nec qui juvenis est ac robustus, magnis semper citatisque passibus incedit. Languidus non omnis *parvus* est, nec omnis parvus languidus. Lethargicis quippe languidus quum sit, magnus tamen existit.

Sed cum infirmitatis

Ut autem virium robur certius ex pulsu innotescat, triplex statuatur *imbecillitas causa*: A *una* quæ sensim ac tempore virium substantiam conficit: *altera* quę repente dissolvit ac dissipat: *tertia* quæ vel copia illam obruit, vel malignitate extinguit. Semper quidem pulsus languidus virium imbecillitatem portendit: quæ vero imbecillitatis causa sit, reliqui pulsus indicant, qui languido comites assistunt.

virium causa triplex.

Qui pulsus indicet vires sensim confici.

Itaque quum vitalis facultas vel intemperie, vel atrophia, vel *morbi diuturnitate* infirma & imbecilla evasit, pulsus primum per se languidus apparet, deinde etiam parvus citra ullam inæqualitatem; rarus quidem & tardus si febris nulla; creber atque velox, si qua inest. Facta jam imbecilliore B facultate pulsus myurus reciprocus, deinde deficiens reciprocus, postea myurus non reciprocus, ab hoc deficiens non reciprocus & formicans, hinc pulsus abolitus apparens, nisi ex syncope fit: omnium tandem extremus vere abolitus, qui summis partibus ipsisque arteriis jam demortuis inest.

Qui repente.

Quum facultas ex *repentina spirituum dissolutione* atque dissipatione imbecilla est, ut per dolores, vigilias, aut vacuationes immodicas, hujus evidentes efficientesque caussæ præcesserunt, pulsus similiter initio languidus deprehenditur & parvus, creber & celer, minime tamen inæqualis: illa vero jam imbecilliore, undosus, vermiculans, formicans, abolitus apparens, & tandem C vere abolitus.

Qui obrui aut corrumpi. Ex Gal. 3. de præs. ex puls. c. 4. usque ad finem.

Quum facultatis substantia non ipsa per se consumitur, sed vel obstructione, vel tumore præter naturam, vel humorum copia & influxu quasi *pressa & obruta* succumbit: atque etiam quum *pernicie* ut *pestilentis* febris malignitate extinguitur: pulsus quidem languidus, parvus, tardus & rarus est, isque continuo inæqualis. Tanta quippe inæqualis animadvertitur, ut qui nunc languidus est, mox vehemens appareat; & qui parvus, mox magnus: qui celer, ilico tardus: & qui creber, statim rarus.

Quomodo, quanta sit virium jactura, indicet.

Quo plures magni ac vehementes erunt hoc *minus* premetur *gravabiturque facultas*, eo vero *magis* quo plures parvi & languidi. Ubi autem

autem magis oppressa facultas suffocabitur, intercurrens primum existet: deinde intermittens in pulsuum multitudine. *Intermissio* aut quies quo *diuturnior*, hoc periculosior. Diuturna censetur quæ tempus excedit duorum pulsuum: brevis, quæ citra hoc manet.

Intermittens. Ratione temporis. Ætatis.

Iuvenibus periculosissima pulsuum intermissio, minus pueris, minime senibus. Interdum tamen neque juvenibus ipsis exitialis est, quum vel integra valetudine ex arteriarum obstructione aut diuturno quovis affectu, ut ex asthmate, familiaris existit. Ex unius pulsus intermissione multi senes pariter & pueri evaserunt: at juvenum ne unus quidem. Perseverans illa diutius inopinatam repentinamque mortem minatur, ipsiusque cordis vitalem calorem derepente extinctum iri: quemadmodum & animalem facultatem apoplexia.

Quies diuturna pulsus.

Quietis externæ diuturnitas intermissioni quidem est finitima, hoc tamen diffidens, quod brevior sit citra inæqualitatem, at cum pulsus tarditate: intermissio vero cum pulsu celeri & inæquali est. Illa quidem arguit vel cordis corpus vel spiritum & sanguinem sinubus conclusum, vel partem aliquam vicinam ingenti frigore occupari: minus quidem quam intermissio perniciosa, sed quæ interdum in repentinam mortem præcipitat.

Pulsus intercurrens.

Intercurrens pulsus eadem quæ intermittens significat, causasque easdem habet: minus tamen periculosus, quoniam facultas validior decertat cum causis noxiis, non autem in intermittente. His succedit intermittens in uno pulsu, qui naturam à causis insalubribus impediri, sed cum illis nihilominus decertare prodit: deterior quidem & multo periculosior, quam intermittens in pulsuum multitudine, quoniam natura non solum in quarto aut quinto quoque pulsu, sed in singulis, impeditur, ob idque præsentem mortem denuntiat.

Quid caprizans & dicrotus?

Ex hoc genere sunt *caprizans* & *dicrotus*, qui plane ostendunt aut cordis inæqualem intemperiem, aut fumosorum excrementorum copiam non omnibus cordis parti- A bus æquabiliter insidere. Ita enim calidæ partes cum frigidis, aut liberæ cum gravatis contendunt, ut quæ prius levitate aut calore exiliunt, retrahantur à frigidis & gravatis, maxime quum imbecilla facultas est, & arteria dura.

Vndosus, vermiculans. Et formicans?

Vndosus & *vermiculans* facultatis non validæ, viriumque insigniter dissolutarum sunt indices, quos proxime *formicans* sequitur. In jecoris, lienis & cujusque visceris inflammatione, atque in scirrho, quoniam pulsus durior evadit, nec undosus, nec vermiculans esse potest. Neque profecto in hectica febre, neque in tabe aut marcore, etiamsi jam morti proximus sit æger: at languidus tamen & inæqualis deprehenditur.

Myurus?

B *Myurus* in una distentione facultatis imbecillitatem extenuato corpore ostendit, & cor ipsum eatenus debile, ut vim & actionem ab se jam nequeat ad extremas usque corporis partes æquabiliter protendere. Hic igitur malus est atque ruinam minatur, etiamsi *reciprocus* sit. Hoc deterior est *deficiens* reciprocus; & hoc rursum periculosior myurus non reciprocus. Omnium vero pessimus atque perniciosissimus est deficiens non reciprocus. Fit & interdum myurus ex vitiosa arteriæ conformatione: ut quum arterię pars media nudę cuti subjecta est, & quæ utrinque sunt, altius demerguntur. Hic facultatem eo usque imbecillam ostendit, ut nequeat arteriam æquabiliter attollere. C Tales etiam sępe visuntur initio gravium accessionum à frigore invadentium.

Tremulus?

Tremulus pulsus qui necessario languidus est & parvus, facultatem imbecillam arteriamque mollem renuntiat, cum corporis habitu gracili.

Convulsivus?

Convulsivus non admodum frequens occurrit.

Abolitus?

Hos tanquam postremi excipiunt *abolitus* apparens, & vere abolitus, facultate quidem jam prorsus extincta.

Ordinatus & inordinatus?

Quocunque autem genere *ordinatus* sit pulsus, fidus existet, *inordinatus* vero infidus. Proinde bonus pulsus ordinatus certissimus est & optimus, malus ordinatus pessimus, & inordinato malo deterior.

CAPUT VIII.

Quid urina, utque humorum partiumque affectus demonstret.

Ex Avicenna lib. 1. fen. 2. doct. 3. sect. 2. c. 1. *Præ cæteris excrementis significare urinam.*

Qum corporis excrementa aut affectarum partium, aut peccantium humorum portio quædam sint, aut saltem ex his defectæ reliquiæ, quæ illorum sit constitutio certo referunt, atque in demonstrativis signis primas tenent. Una autem *urina* omnium maxime de toto decedit, significationem in primis generalem sortita.

Quid urina.

Est enim urina *serum vehiculumque sanguinis renum vi secretum.* Ut in lacte dum concrescit, ita & in sanguine serum à crassiore terrenaque substantia sejungi secernique animadvertitur; quod idcirco sanguini permiscebatur, ut hunc fibrarum copia jam crassum ac lentum dilueret, & tanquam vehiculum per venas tenuissimas in corporis extrema deduceret.

Urina materia.

Oritur quidem serum ex potu, aut ex liquore quocunque cibus solidior diluitur, & sine quo vix quicquam emolumenti corpus ex cibi benignitate perciperet. Hac ratione potus cunctis animantibus apprime conveniens & necessarius, aliis quidem, ut volucribus, quæ haudquaquam meiunt, parcior, aliis, ut hominibus & quadrupedibus, liberalior. Ventriculi concoctione liquor totus cibo permiscetur, totaque cibi vis in liquorem confertur, dum una fiat æquabilis substantia, cui chylo nomen est. Hunc flexuoso per intestina prolapsu exugunt mesenterii venæ, & quicquid inest utilioris substantiæ, id omne eripiunt, potuque tanquam vehiculo subvehunt ad jecoris portas.

Causa effectrix.

Quum dein ex chylo factus sanguis est, ut melancholia in liene, bilis flava in proprium folliculum, ita & urina (proprium jecoris, quemadmodum & alvi fex ventriculi & intestinorum excrementum) jam inutilis & supervacanea *è gibbis jecoris renum vi* per venas emulgentes *allicitur*. At non universa: portio enim cum sanguine in corpus distribuitur, quæ quum vectionis munere perfuncta est, aut sudoribus exhauritur ac diffluit, aut qua via processerat, eadem tracta relabitur in renes & in vesicam. Itaque non è jecore solum, verumetiam è venis tum majoribus tum minoribus & è corporis mole urina prolicitur: quod apertè sentiet quisquis biduum triduumve nullo aut parcissimo potu transegerit.

Partium characterimus.

Ea autem si nec immoderato potu diluta, nec aliena permistione conspersa sit, manifesto humorum qui in jecore majoribusque venis, obscurius verò eorum qui tum in minoribus, tum in partibus ferè singulis insunt, *notam exhibet*, eorumque constitutionem indicat. His enim tantisper dum urina permiscebatur, eorum omnem affectionem, omnem qualitatem contraxit asscivitque sibi, & nunc quasi defecta portio quæ ipsorum constitutio sit coram proponit planumque facit.

Nimirum viscerum, &c.

Quocirca si vel *viscera*, vel majores venæ, vel caput, vel pulmones, ullave corporis pars morbo tenetur, quoniam hæc affectionem humoribus in se contentis impartit, urina profecto quæ sanguinis & humorum comes est, ejusdem quoque particeps erit, & profusa affectionis notas referet, propriaque ejus signa dabit.

Et viarum ejus excretioni dicatarum.

Sed & *partium per quas illabitur*, ut renum, ureterum, vesicæ ac penis affectus repræsentabit. Nam tametsi non diutius in his subsistat ac hæreat, ab illis tamen sordes & inquinamenta (si qua insunt) præterfluens corradit secumque rapit. Quocirca partium quas attingit omnium affectus illa ostendit.

An verò cum affectu, quæ etiam *pars affecta* sit, certo & apertè referat, posthac diligentius scrutabimur.

Quibus notis.

Hæc porrò humorum partiumque vitia *demonstrat* vel sua *chymosi*, vel *puritate*, vel *quantitate*, vel *colore*, vel *contentis*: quorum significationes sigillatim deinceps oratione prosequemur.

CAP.

CAPUT IX.

Quæ obſervanda antequam certa de urinis ſententia feratur.

Ex Avicenna ibidem. *Quibus ut rite ſignificet, hæc obſervanda: tempus, Matula,*

EXcipienda urina eſt *à ſomno* prima & expleta concoctione cibi, eaque univerſa, quod pars nulla dilucide poſſit notas omnes exprimere.

Matula alba ſit & pellucida, qualis fere vitrea eſt, oblonga ne divulſam hypoſtaſin exhibeat, & magna quæ totius urinæ ſit capax.

Obturetur procul à ſole, à frigore & flatu, ne vel turbetur, vel craſſeſcat.

Quieta nullaque agitatione reſideat dum ſenſim refrixerit, nec tamen ſupra ſex horas aſſervetur, ne quam corruptionem ſubeat.

Confuſio. Si forte vel frigoris vi vel ſponte ſua craſſeſcat turbeturque, *igne leni diſſolvetur*, atque declarabitur, nulla agitatione, ne diſſipetur hypoſtaſis, quàm ne ignis quidem extenuare aut colliquefacere ſolet. Quid autem cauſæ ſit cur interdum tum craſſæ, tum tenues urinæ, ne vel ingenti frigore quidem, interdum verò temperato etiam loco turbentur, non niſi ad inſitum urinæ calorem referri poteſt, qui ut hypoſtaſin, ita & cæteras partes locis diſponit diſtinguitque, quem conſtat alias languidum, alias valentem eſſe.

Inſpectio. *Vrinæ inſpectio* loco fit nec obſcuro, nec nimium lucido, nec Solis radiis colluſtrato, ſplendorque luminis in matulam deſuper quam tranſverſum potius incidat.

Præterea notandum; Immutari urinam. *Hæc* autem *in urina veniunt conſideranda*, chymoſis, perſpicuitas, & puritas, quantitas, color, odor, contenta: in quibus omnis eſt interiorum affectionum ſignificatio, tam quæ ſecundum naturam, quam quæ præter naturam exiſtunt.

Illa verò alias *ex aſſumptis* rebuſque externis, alias *è renum veſicæque ductibus*, alias *è venis, aut è reliquo corpore* proficiſcuntur atque manant: ita enim tribus ex cauſis manifeſtæ qualitates imprimuntur in urina.

A *Potus* immoderatior, præſertim aquæ aut vini albi tenuis, copioſiorem urinam profundit, eamque tenuem & crudam: quæ quoniam præpropere perlabitur ac præterfluit, nec partium nec humorum affectiones nec qualitates expreſſas exquiſite refert. *Tum aſſumptis,*

Non pauca etiam, vel mediocri uſu *urinam colore inficiunt*, ut crocus, caſſia, rheumbarbarum, ſenna, rubia major.

Quædam alieno illam *odore* perfundunt, ut allium, & terebinthi lachryma.

Horum enim qualitates quum ſint præter naturam, pariter cum excrementis, præſertim vero cum urinis, amandantur ac defluunt. Pervertunt igitur propriam B urinæ indicationem, ut neque morbus, neque interior ulla conſtitutio præſentibus his certa prodatur. Sic urina morborum nuntia externarum rerum nulla permiſtione inquinetur, omnique earum qualitate vacet.

Quinetiam ſi vel ulcus vel abſceſſus *in renibus*, aut *in veſica*, aut *in ureteribus* aut *in pene* ineſt, urina craſſior evadet ac turbidior, eaque vel puris permiſtione alba, vel cruoris perfuſione rubra: quemadmodum ſæpe aut arenulis, aut filamentis varie conſperſa. Et hæc renum veſicæque vitia urinas C plerumque efficaciter immutant. *Tum renum veſicaque vitiis.*

Quæ vero nec rerum externarum qualitate, nec renum veſicæque labe inquinata fuerit, ea certius *venarum reliquique corporis* demonſtrat affectus.

Cavendum igitur ne aut res externæ, aut renes te fallant. Quod ne fiat, qualitatum quæ cernuntur in urinis *cauſas in tres ubique partiemus differentias*, in *externas*, in eas quæ *ductuum*, & in eas quæ *totius* ſunt *corporis*. Hac enim obſervatione atque diſtinctione, certa veraque urinarum ſignificatio haberi poteſt. *Ideo urinarum cauſa conſideranda.*

CAPUT V.

Quæ urina ſit optima, utque ſexu, temperamento & ætate mutetur.

Ex Gal. 1. de Criſ. cap. 12. Externa primum.

OMnium autem prima inſpectanda & cognoſcenda eſt *urina optima*, quæ cæterarum quaſi lex ſit & regula. Ta- A lis, *ſubſtantia* mediocri eſt, nec aquæ modo tenuis, nec ut jumentorum craſſa: *clara*, non turbida: *colore* ſubaureo atque flavo, *Vrina quæ optima.*

vo, quem hic extremorum medium collocamus. *Quantitate* media, & hesterno superiorumque dierum potui respondens, aut aliquantum parcior, quod potus nonnihil in corpus absumatur. *Hypostasis* in hac subsidet alba, lævis & æqualis, in acutum fastigiata, ea ratione quæ posthac exprimetur. Neque crassum quicquam subest, neque bulla, neque filamentum, neque eorum quicquam quæ inter mala referentur. Hæc non modo inculpatam omnem naturæ concoctionem, sed & integram corporis valetudinem indicat, virique summam temperiem, ejusque ætatem floridam: non enim alii cuiquam urina talis obtigerit.

Ex Avicen. cit. loc. cap. 9. & 10. Quomodo ab ea recedat. *Mulieris urina.* Nam *mulieris*, etiamsi temperatissima sit & ætate florens, urina non parum ab hac deficit. *Substantia* quippe non (ut quibusdam placuit) tenuis, sed apertè crassiuscula est, neque ut viri pura & *pellucida*, sed aliquantum turbida & multis innatantibus impura. Huic enim plura quam viro supervacanea in uteri vesicæque sedes confluunt, quę urinis plerunque permiscentur. *Color* ex albo livescens non modo cruditatis sed sexus præcipuè index. Horum proportione *hypostasis* copiosior quam viris, crassior & albior. Qui sæpe & sedulo maris ac fœminæ urinas inter se contulerit, eas tandem internoscet oculorum consuetudine.

Puerorum. Infantium & *puerorum* urina *albior* quidem, sed *crassior* & copiosiore *sedimento*, quam ætate florētium. Calor enim tametsi illis plurimus inest, quoniam tamen humoris copia obtunditur, quas dixi urinas producit.

Senum. *Senum* albæ, tenuis, hypostasi pauca, cruditatis & imbecillæ concoctionis nuntia, quod in illis paucus & imbecillus sit calor.

Intemperatorum. Horum exemplo minimè arduum sit conjicere, qualis esse debeat uniuscujusque *temperamenti*, & quantum ab optima quæque distet. Itaque cujuspiam urina proposita, ex sexu & temperamento tum insito tum adventitio, & ex ætate conjiciendum & æstimandum, qualisnam esse debeat ea naturalis: ut siquando offeratur alia, recordatione illius planum sit & in promptu, eane præter naturam sit, quantumque à naturali absit.

Vitæ genus hoc vel illud sequentium. Antequam verò de morbo ex urina judicetur, æstimandum quod quis *vitæ genus* paulò ante sit sequutus. Nam exercitatio vehemens, vigilia, animi excandescentia, inediæ, calidiorum ciborum esus ut insitum calorem, ita & urinas inflammant easque bilis permistione coloratiores reddunt cum paucis contentis: quemadmodum & aër vel à regione, vel ab æstate, vel ab alia quacunque causa exæstuans. Contra verò otium, somnus multus ac profundus, inertia, crapula, frigidorum ciborum esus, albas, crassas urinas, contentaque multa atque cruda proferunt: quemadmodum & aër vel à regione, vel ex hyeme, vel quavis ex causa frigidior.

Sine horum animadversione parum firma futura sunt de urinis judicia, nec quæ sanorum ab iis quæ ægrotantium sunt facile queant internosci.

CAPUT XI.

Vrinæ copia & paucitas quid indicet.

Ex Gal. 1. de crisibus cap. 12. & Avicen. loc. cit. c. 5. Quid indicet urinæ quantitas mediocris. VRina si *mediocri* sit *copia*, moderatam seri abundantiam arguit, proindeque naturam tum rectè valere, tum omnia convenienter administrare.

Multa verò atque copiosa *interdum* ex immoderato potu vini tenuis vel aquæ, aut ex diureticis medicamentis, aut vi frigoris, aliave externarum rerum importunitate obtingit.

Nimia. *Interdum vitio renum*, qui vi maxima ex omni corpore serum proliciunt assiduoque profundunt, præsertim si ardentis visceraque ipsa exurentis febris æstus collectam materiam liquaverit, quæ multa in eos deferatur: appellatur ea affectio diabetes à celeri urinæ transitu, in qua admodum multa exuperat, eaque fere alba, tenuis & sine hypostasi.

Interdum ex interiore affectu prodit, ut quum ingens aquarum copia quodam loco jamdiu coërcita erumpit, alias quidem ab hydrope, alias à multa cruditate aquosa quæ circum viscera fluctuabat. Illinc siquidem quodam impetu aut naturæ vi contendit in

in renes, perinde atque in spontanea ventris perturbatione. Tota huic origo ex victu est, quoniam nihil potest è corpore manare, cujus materia non aliquando fuerit immissa. Ea vacuatio tametsi vires aliquantum debilitat, ventriculum tamen & abdomen quasi pondere levat, neque corpus reliquum extenuat.

Quinetiam corporis humorumque moles nonnunquam *liquescit*, dilapsaque diffunditur in urinas: quo modo observavimus bibulum quendam opimo corporis habitu, diebus circiter octo ex ingenti corporis mole in magnam gracilitatem citra ullam vim morbi collapsum. Id etiam caloris aut colliquantis febris vi fieri proditum est: tumque urina multa, non tamen tenuis & alba cernitur, sed flammea, vinea, aut passea: cui etiam pingue & oleosum quiddam innatat: atque hoc hecticæ febris est initium.

Pauca. Urina *pauca*, quæ neque *potus penuriam*, neque ficciorem victum, neque austerum crassumve potum, neque nimios sudores aut copiosam alvi dejectionem, neque multos labores consequatur, morbum ostendit, eumque ferè in urinæ ductibus.

Obstructio aut tumor præter naturam renum hanc plerunque efficit, tumque his sensus quidam gravitatis inest, aliaque significatio ex contentis conspicua. Si obstructio ex calculo aliave causa utrinque circa ureteras est, dolor vehementer affligit, isque fixus, ut in nephritide. Si vesicæ cervix quovis modo impedita est, sive tuberculo, sive pituita crassa, sive calculo; difficilis est emictio, aut etiam urina supprimitur, cum pubis & peritonæi dolore, multaque subsident, aut volitant in urina.

Quæ citra hæc pauca redditur, *à crasso* & viscido fit *humore*, qui difficile secernitur ac permeat, eaque tum crassa existit.

Febris vehementia nonnunquam urinam cohibet, tumque & calor & alia febris signa comitantur.

Sanis etiam parcior fit urina, quum potus *in corporis nutrimentum* facessit, quod extenuatis & ex morbo convalescentibus frequens esse solet.

CAPUT XII.

Odor urinæ quid denuntiet.

Ex Avicenna loc. cit. cap. 6. *Odor urinæ quid indicet.* Urinæ odorem observare fœdum est, ac planè sordidum, medicique dedecet dignitatem. At plerunque velimus nolimus teter vapor odoratum ferit, maximè quum urina adhuc calet aut admota igni est concalefacta.

Suavis. *Odoris suavitatem* vix sperare licet ab urinis, nisi vel terebinthinæ, vel moschi, vel silphii, vel odoratioris medicamenti vi affletur.

Moderatus. At *moderatio* sæpè è sanis ac benè constitutis corporibus est.

Fœtor interdum assumptorum, ut putris casei, ut alliorum qualitate contrahitur: *interdum* è *renum* aut pudendi ulcere, ac tum urina alba crassaque est cum hypostasi purulenta: si è vesicæ calculo existit, crassior mucus subsidet in urina, eaque cum dolore redditur. *Fœtida* verò urina ex *superioribus locis* profluens, sive rubra turbidaque sit, sive, ut interdum contingit, tenuis ac perspicua; alias cum febre, alias sine febre, putredinis semper est index: eaque putredo aut in humoribus, aut in partium substantia consistit: Si recens est fœtor & repente natus in urina crassa ac turbida, humor: sin vetus ac diuturnus in urina tenui ac perspicua, partis cujusdam substantia putrescit. *A crisi* quę fœtida mejitur, die apparet decretorio, copiosaque fluit, ac mox succedit ęgro levamen. *Fœtidus.*

CAPUT XIII.

Quid significent singuli urinæ colores.

Ex Gal. 1. de Crisibus c. 12. Avicen. loc. cit. cap. 2. Urinarum hi maximè *colores observandi*, albus, spiceus, citrinus, qui omnium verè medius est, aureus, croceus, ruber, passeus, viridis, cæruleus, lividus, & niger. *In urina qui colores observandi.*

Horum *duæ* sunt *effectrices causæ*, visce-

 rum

rum corporisque *calor*, & alieni *humoris permistio*.

A quibus causis ii fiant. Etenim labor, inedia, æstus, febris, & quæcunque causæ corpus *concalefaciunt*, urinam pariter colorant, eoque magis quo vehementiores fuerint; & urina quæ diutius in corpore subsistit, & quæ longe à pastu mejitur, prioribus coloratior existit.

Quinetiam *bilis irruens* in venas sero permiscetur, idque (ut in ictero) flavo citrinove colore inficit, quod & de alio quovis humore statuendum.

Quomodo ea causa dignoscantur? *Differt* autem *color* ex simplici intemperie profectus, ab eo quem humoris permistio tulit: ille siquidem vix unquam rubrum superat, consistitque in urinæ substantia tenui aut mediocri, hic vero ad omne genus pertinet, & extenditur, redditque urinam aut turbidam, aut crassam.

Quid ergo indicet urina citrina? Itaque *citrinum* urinæ colorem temperatus moderatusque calor efficit in homine temperato & ætate florida.

Citra medium quicunque subsistit, imminuti caloris & cruditatis est nuncius. Urina *alba* si simul *tenuis* & perspicua vereque aquea est, nisi ex tenui & copioso potu genita sit, aut summam renum, vel mesenterii jecorisque obstructionem, aut summam coctionis imbecillitatem denuntiat ab extrema jecoris ventriculi intemperie frigida profectam. Sæpe etiam per febres ardentes, cum bilis in cerebrum rapitur, subalbida apparet, & delirium prænuntiat. *Alba cum tenuitate?*

Cum crassitie. *Alba* & *crassa* si pariter perspicua est ut cornu, (glauca & charopa appellatur) pituitæ mucosæ dominium ostendit: si obscura, (lactea hæc est) crassæ viscosæque pituitæ exuperantiam. Hæ si diutius apparent, frigidos diuturnosque morbos portendunt.

Spicea. Ab his est *spicea*, quę minorem cruditatem ostendit, & calorem temperato finitimum.

Citrina omnium mediam sedem sortitur. Supra hanc sunt aurea *crocea* & rubra: quæ omnes calorem præter modum increvisse significant: atque si puræ hæ sunt ac perspicuæ, puram simplicemque intemperiem; sin crassæ ac turbidæ, humorum vitia permistionesque referunt. *Crocea.*

Rubra cum tenuitate. *Rubra* si *perspicua* fuerit, quæ ardens flammeaque dicitur, jecoris exuperantem calorem, sæpe etiam ardentem febrem denuntiat; sin *crassa* obscuraque est, sive cum febre, sive citra hanc contingat, flavæ aut vitellinæ, aut rubræ bilis permistionem. Hujusmodi fere apparet inclinantibus febrium accessionibus: at maxime quum jecoris substantia vitiata est à phlegmone aut ab exquisito scirrho, ut in hydrope: aut quum vel illius, vel folliculi fellis ingens est obstructio, ob quam bilis in venas & in urinas confluit, hasque eatenus inficit, ut si linteum immergas, citrinum colorem plane referat, perinde atque epoto rheobarbaro: hæc aut præsentem icterum, aut mox futurum portendit. Ea igitur ratione ardens flammeaque urina ab ea quæ ex bilis permistione, aut crocea, aut coloratior evadit, discernitur. *Cum crassitie.*

Subcruenta. *Cruenta* urina sive duntaxat recentis carnis loturam ac veluti saniem, sive puriorem sanguinem repræsentet, quum plane refrixerint, quasi grumum concreti sanguinis deponit. Ea fit renibus attritis atque referatis eorum venis, è quibus sanguis mox emanat, idque fere calculi pondere. In errore versantur qui hanc etiam jecoris imbecillitati tribuunt: vix enim intelligi possit, sanguinem alicunde cum urina præterlabi citra renum affectionem. Itaque si nec lumbis, nec renibus casu ictuve contusis cruenta urina redditur, ea ex calculo renes obtegente, præsertim quum vehementior subitur exercitatio, proficiscitur. Hanc sæpe turbida & nigricans præcedit, quæ impendentem nephritin præmonstrat.

Passea. Rubræ urinæ succedunt vinea & *passea* uvæ nigræ persimiles, quæ vel sanguinem vel bilem præassari & in atra devergere indicant.

Viridis. *Viridis* prassinæ bilis, aut æruginosæ copiam & permistionem.

Carulea. Venerea vero seu *carulea*; deinde etiam livida seu plumbea, nisi è plagis & verberibus sint, aut melancholię dominium atq; permistionem, aut nativi caloris extinctionem.

Nigra. Omnium extrema est *nigra*: quæ si ex rubra & viridi processit, summum incendium & bilis atræ confusionem: sin vero ex cærulea & liuida, extremam caloris extinctionem demonstrat. Est tamen & quum urinę ejusmodi crisi quadam profunduntur, cum in acutis tum in diuturnis morbis & melancholicis, id vero decretorio die fit, facili tolerantia, & in laborantis salutem.

CAP.

CAPUT XIV.

Quid urinæ substantia in morbis ostendat.

Ex Avicenna loc. cit. cap. 3. *Quid indicet urinæ substantia.*

URinæ chymosis & *substantia* in liquore spectatur. Cujus *differentiæ* sunt *tenuis, crassa, mediocris*. Tenuis sub iis duntaxat coloribus inveniri potest qui ad rubrum procedunt, sub albo, spiceo, aureo, croceo, ad rubrum usque: nunquam enim cærulea, livida aut nigra tenuis apparuit. Crassa nulli non colori permiscetur: nam ut in nigra ita etiam in alba crassities interdum inest.

Tenuis. Itaque *tenuis*, quæ neque immoderato potu, neque alia *externarum causarum* importunitate facta sit, renum & ureterum *obstructionem* sequitur, quæ cum liquore nihil crassi præterlabi sinit, qualem fere in nephritici doloris vehementia notant, quum ureteris caput calculo obseratur. Sequitur & nonnnnquam imminutam *concoctionem* nativique caloris penuriam ex intemperie sola citra humorum vitium: tam exiguus interdum calor est, ut aquam aliumve potum talem elabi sinat, qualis acceptus fuerat: atque hæc cruditas extrema est. Nativus noster calor alimentum humoresve concoquens, primum quidem & maxime substantiæ mediocritatem molitur, cui dein partium natura colorem addit, proinde ex substantia magis quam ex colore concoctio spectatur. Qua ratione dixit *Hippocrates*, *Quoad urina rufa tenuisque fuerit, crudum morbum significat.* (2. Prognost.)

Mediocris. *Mediocris* urinæ substantia vegetum calorem, exquisitam concoctionem ventriculi, jecoris atque venarum ostendit, hac ratione in tribus illa mediis coloribus consistit, in subaureo, aureo & croceo.

Crassa. *Crassa* urina nisi ex laxioribus patentioribusque viis urinæ profluat, oppressi caloris atque cruditatis soboles est: non quod calor insitus intemperie, sed crudorum humorum exuperantia prematur. Utraque tum crassa, tum tenuis concoctione tandem substantiæ mediocritatem adipiscitur.

Quæ quandoque oleaginosa. Ad crassam urinam pertinent pinguis & *oleacea*, non ea quidem cui pinguedo telis araneorum similis innatat, sed ea cujus substantia lentore & crassitie oleum adipemve liquefactum repræsentant, & quæ commota, gravis lentaque, ut oleum, appareat. Hæc, vel phthisi, vel hectica febre, vel hydrope corpus liquescere, demonstrat.

CAPUT XV.

Urina perspicua & turbulenta quid signet.

Ex Gal. 1. de Crisibus c. 12. & Avicenna loc. cit. *Quænam urina sit perspicua & turbulenta.*

PErspicua atque clara urina est, quam visus acies facile penetrat. *Turbulenta* & obscura, per cujus medium non videmus. Quantum autem turbulenta distet à crassa, & tenuis à perspicua, hinc discitur quod & ovi candidum, & oleum, & vitrum liquefactum, & vinum subnigrum vere crassum sit non tamen turbidum, sed plane perspicuum. Quod etiam vinum album & tenue plerumque turbulentum fit: quemadmodum & aqua è vino stillatitia tenuissima quum sit, interdum obscura turbulentaque cernitur.

Turbulenta triplex. Quo fit autem res dilucidior, & fructuosior, *turbulentas urinas in tres ordines* differentiasque secernemus.

Turbata. Una *turbata* est quæ externi frigoris vi talis evasit. Hæc omnium densissima & obscurissima, matulam lentore quodam albo summa præsertim corona inficit, quæ calore prompte declaratur, pristinumque splendorem recuperat. Quod autem urina una quam altera facilius difficiliusve, quædam vix unquam turbetur, id ad illarum conditionem referendum est: sed externum quoque frigus non parvam vim ad perturbationem obtinere, argumento est, quod loco calido nulla conturbetur, sed qualis emicta est, talis servetur.

Vere turbida. *Altera vere turbida* est, cujus substantia atque liquor vel ex sese vel ab interiore quadam permistione crassescit: ejusmodi à purulenis renibus profluit. Hæc calore dissolvi non potest, multaque habet innatantia corpuscula, quæ quiete subsident cum hypostasi crassa, & plerumque reliqua mox

urina expurgatur atque inclareſcit. Vino ea comparatur quod fecis permiſtione turbidum eſt.

Confuſa. *Tertia* jam cœpit recepto nomine *confuſa* appellari, in qua nihil innatare manifeſto deprehenditur, ſed eſt tota ſui ſimilis, nec tamen hypoſtaſin, nec aliud quicquam (etiam ſi diutius quieſcat) deponens quo magis inclareſcat: igne omnique calore manet indiſſolubilis. Vino confertur, quod vetuſtate coaceſcens, aut tonante fulguranteque cœlo mutatum & vappa factum, omni ſplendore nitoreque deſtituitur.

Quid indicet urina perſpicua. *Perſpicua* urina integram perfectamque concoctionem, humorum bonitatem & nativi caloris ſummam ubertatem oſtendit, cujus vis etiam in urina permanens hypoſtaſin tandem ſecernit & diſtinguit.

Turbata. Quæ *frigoris vi mutatur*, poſteaque calore reſtituitur, ſibi, admodum levis eſt ſignificationis, niſi forte per acutos morbos, quum primum apparuerit, creditur concoctionis rudimentum habere, quia ſcilicet morbi initio tenuis non facile cogitur, poſtea craſſamentum nacta facilius turbatur.

Vere turbida. *Vere turbida* plerunque ex renum aut veſicæ affectu manat: in quibus vel humoris eſt
1. copia, quem urina ſecum rapit, vel ulcus ſimplex, è quo cruor, vel ſordidum, è quo ſanies, pus aut mucus profluit: horum quippe colluvione urina craſſa turbidaque redditur. Quocirca gravioribus nephriticis doloribus quicunque ſunt opportuni, his urinæ vix unquam clare mejuntur.

2. *Turbida* quæ *citra hos affectus* fuerit, craſſorum humorum copiam in venis, horumque effuſionem renunciat, quos difficile coquit calor inſitus. Hinc & morbi diuturni contumaceſque & capitis dolores fiunt, de qui-
4. Aph. 70. bus *Hippocratis* eſt ſententia, *Quibus urina turbida qualis jumentorum eſt, iis capitis dolor, vel adeſt, vel aderit.* Perſeverans autem diutius, aut veternum, aut lethargum minatur.

3. Sæpe etiam *urina repente turbida evadit,* quum ſolutis obſtructionibus apertiſque viis craſſior materia diu cohibita excidit è liene, jecore, renibus, aut è venis majoribus: quod fere ſanis poſt exercitationes, ægrotantibus poſt morbos obvenit: maxime vero in criſi diuturnarum febrium, quales quartanæ ſunt, & in lienis jecoriſque morbis, & in abſceſſuum eruptione. Omnis au-
A tem ejuſmodi commode emanare ſolet cum allevatione corporum. 4.

Quinetiam urina rubida citrinave & ſine ſedimento, qualis per febrium tum continentium, tum intermittentium initia redditur, & quę ſimpliciter *cruda* nuncupari ſolet, turbida quoque, nondum autem confuſa cenſetur: hinc quippe facta eſt, quod humor crudus & ſupervacaneus, aut è venis, aut è liene, aut è jecore, perinde atq; in ictero proſiliens, in ſanguinis ſerum ſe inferat.

Confuſa. *Confuſa* porro urina nunquam renum, aut duntaxat viſcerum, at venarum ſemper affectibus ſuccedit. Ea non crudorum humorum exuperantiam, ſed proprie ſanguinis & humorum qui in venis ſunt majoribus
B confuſionem, corruptionem & putredinem portendit, eamque fere malignam: quandoquidem putredo omnia permiſcet, confundit atque perturbat. Quocirca in ſolis continuis febribus iiſque periculoſis & malignis ea deprehenditur.

E quibus apertum eſt, ſanguinum non ſemper urinæ reſpondere. Ex his autem intelligi velim, urinam, quę vel nullo renum vitio ſit inquinata, *non ſemper ſanguinis & ſuccorum ejus conditionem oſtendere.* Ea quippe nonnunquam citrina, craſſa & turbida mejitur, & qui nihilominus tum detrahitur ſanguis, exquiſite purus & rubicundus exiſtit. Id perſæpe & in quartana, & in tertiana intermittente, atque etiam in ictero cernitur, quum bilis ſupervacanea, aut ex ejus folliculo, ex aliiſve ſedibus prorumpit in venas, neque ipſi ſanguini, ſed
C ejus duntaxat ſero permiſcetur. Atque hic turpiter errant, qui ab urina craſſa & rubra protinus mittendum ſanguinem eſſe pronunciant.

Eſt & nonnunquam urina & colore, & ſubſtantia, & ſedimento ſecundum naturam, quum tamen detractus ſanguis tum colore, tum ſubſtantia vitioſus apparet. Id fere contigit in ſtatu & ante criſim continuarum febrium, quum perfecta eſt urinarum concoctio, necdum tamen natura ullam eſt noxii & peccantis humoris vacuationem molita.

Hæc ſunt quæ prima urinarum inſpectione ex quantitate, ex odore, maxime vero ex colore, ſubſtantia & perſpicuitate animadverti percipique poſſunt, etiam ſi nondum quicquam in urina ſubſederit: ſed quæ, ut monui, ſummo ſint prudentique judicio diſcernenda.

Nunc de contentis tranſigendum.

Cap.

CAPUT XVI.

De iis quæ urinæ permiſcentur.

Ex Gal. 4. aph. 75. uſque finem. & Avicenna loc. cit. cap. 4.

Quid ea quæ permiſcentur urinæ indicent.

EOrum *quæ urinæ permiſcentur*, alia *per ſummam urinam innatant*, alia *volitant per mediam*, alia *in infima ſubſident*.

In ſummis prima eſt *corona*, quæ ſupremam faciem ambitu cingit. Hæc in urina quæ æquabilis & ubique ſui ſimilis ſit, dignoſci vix poteſt, facile vero in ea cui partium diſſimilitudo quędam ineſt, aut humorum exagitatio. Etenim pars urinæ ſumma tenuiſſima quum ſit, mutationi magis eſt opportuna, ac ſæpe multa, vel colore, vel ſubſtantia, ſubjicit oculis, quæ nondum in reliquo urinæ humore cerni poſſunt.

Corona. *Corona* fere docet qualis in vaſis majoribus ſanguis habetur: nam tenuis & alba dilutum ſanguinem & ſero tenui perfuſum oſtendit: craſſa & alba pituitoſum: citrina naturalem, crocea bile multa eaque flava conſperſum: rubra & ardens fervidum & accenſum: viridis bile praſſina vel æruginoſa: cærulea & livida vel naturali melancholia, vel atra bile inquinatum: aut hunc certe in eorum humorum naturam corruptione mox abiturum. Quocirca harum poſtremæ vel melancholicum morbum, vel epilepſiam deſignant.

Spuma. *Spuma* multa citra urinæ agitationem innatans, flatus plurimos in corpore vagari, ventriculum & inteſtina diſtendi, colicum dolorem imminere, idque vel fructuum vel leguminum immoderato eſu, vel inſiti caloris imbecillitate.

Bulla. Ea ſi *magnis bullis* diu perſeveret, craſſos & viſcoſos humores ex hiſque obſtructiones indicat: at ſi levi cauſa hæ bullæ rumpuntur atque diſſolvuntur, tenuem flatum tenueſque humores. Si bullæ *parvæ* & exiguæ per urinæ coronam diſpoſitæ ſunt, capitis dolor adeſt, cephalalgia quidem ſi coronam omnem, hemicrania vero ſi illius ſolum medietatem occupent: acriorve dolor erit ſi aureæ ſint & citrinæ, mitior ſi albæ & pallidæ, diuturnus vero ſi diu permaneant.

Quæ porro media urinæ facie conſiſtunt, pacati doloris ſunt indices. Quum enim ſummam urinæ partem teneant, ipſum quoque caput in homine ſummum dolore obſideri teſtantur, idque vel à flatu, vel ab humore, cujus ſpeciem bullarum color exprimit. *Bullæ granis* exiguis ſimiles in corona ſitæ, ſi, dum verſatur & agitatur urina, deorſum verſus depulſæ, mox in coronam reſiliunt, deſtillatio è capite vel in pulmones, vel in ventriculum, vel in ſcapulas, vel in alias ſubjectas ſedes procumbit, cujus vis & natura ex colore urinæ, coronæ, atque bullarum intelligitur.

Pinguedo. *Pinguedo* per ſumma innatans telis araneorum ſimilis, *hominem*, inquit *Hippocrates*, *tabe conſumi ſignificat*. 2. Progn. 35. Niſi enim renum colliquatio & fuſio quædam in cauſa ſit, corpus univerſum, vel febre ardente, vel phtiſi, vel hectica febre liqueſcit. Divulſa quaſi olei puncta innatantia alterutrum ſimiliter ſed inefficacius denunciant. Nonnunquam tamen animadverti ex epoto oleo, hæc cum urina fluxiſſe. Quo autem facilius illa diſſipantur, eo morbum leviorem, contumaciorem vero quo diutius perſiſtunt.

Volitant porro & interdum ſubſident corpuſcula quædam vel *farinæ* craſſiori, vel *ſquamulis*, vel *furfuri* ſimilia.

Furfur. *Quibus in urina craſſa quædam furfuri ſimilia exeunt, iis veſica ſcabie affecta eſt.* 4. Aph. 77. At ſi hæc in urina tenui apparent, flammeum & colliquantem febris ardorem denunciant, ob quem & venarum ſanguis retorretur, & earum ſubſtantia incendio peruſta ſolidum quiddam quaſi intertrimentum deperdit abjicitque, quod cum urinis emittitur.

Squamma. Si quis *ſquamulas* minxerit & gravis odor adſit, veſica exulcerata eſt. At ſi citra veſicę exulcerationem exeunt, febris ardens vaſorum ſummas partes & tunicas colliquefacit, & veluti in lamellas diſſolvit, unde & ſolidarum partium conſumptio ineſt, ſed tanto minor quantum ſquamulæ furfuribus tenuiores exiſtunt.

Farina. Quæ *farinæ* craſſiori ſimilia volitant aut ſubſident, eandem ſed leviorem ſignificationem obtinent. Quum enim febris ardore, vel exaſſatus & torrefactus ſanguis craſſus, vel in carne quicquid tenerum & adipale

pale ineſt liquatum fuerit, & caro denique ipſa durior, non ſecus atque ea quæ in ſartagine pertorrentur exaruerit, tum *quæ urinis redduntur craſſiorem farinam referunt*: quæ *Hippocrati longam invaletudinem ſignificant*. (7.Aph.31.) Prægnantium integre valentium urinis quædam innatant tenui farinæ aut amylo ſimilia, quæ in quiete ſedimentum, vel enæorema deponunt craſſiuſculum inſtar carptæ tenuiter lanæ: reliqua urina ſubturbida exiſtit, aliquantum vireſcens, aut liveſcens.

Caruncula. *Carunculæ exiguæ* in urina craſſa exulceratis renibus apparent. *Filamenta albis capillis ſimilia à renibus reddi*, author eſt *Hippocrates*: (4.Aph 76.) at ipſi animadvertimus ea ſæpius ex iis vaſis ſpermaticis derivari quæ paraſtatæ dicuntur, in quibus teretem figuram ſortiuntur ex ſeminis materia, quæ vi morbi ſenſim defluens calore craſſeſcit. Apparent autem in iis plurima qui fœda exulcerataque gonorrhœa correpti non ita pridem fuerunt, & iis mulieribus quibus albicantes menſes profluunt, aut uterus fœda colluvie turget. Nonnunquam & urina quæ prima fit à concubitu, tale quiddam refert, aut aliquantum filamento craſſius.

Sanguis. *Pus.* Jam vero ſanguis purus aut in *grumum* concretus, recens ulcus: *pus* vero, inveteratum ac ſordidum oſtendit: idque aut in rene aut in veſicæ cervice. Diſcernitur autem quod à cervice ingenti partis dolore manet, à rene nullo fere ſenſu doloris: quodque à pene aut à veſicæ cervice omnia, vel ſeorſum ſine urina, vel emictionis initio profluunt: è renibus vero vel cum urina diligenter permiſta, vel ſub emictionis finem, ſed quæ mox in quiete ſubſideant.

Arenula. *Arenulæ*, cum urina poſtremæ prodire ſolent: harum rubræ & flavæ à renibus, albæ à veſica proficiſci creduntur: veruntamen quum ſordidum in rene ulcus ineſt, ex eo quoque albi calculi quaſi concreto pure obducti excidunt.

Mucus. *Craſſior pituita inſtar muci* narium matulæ fundo inhæreſcens cum dolore emicta, veſicæ calculum, aut cervicis ſordidum ulcus denunciat. Talem enim affecta veſica, quia frigida atque membranoſa, cumulat, quam & calculi moles fovet. At quæ nullo dolore fluit, è crudo renum, aut circumpoſitarum partium ulcere, vel abſceſſu illabitur. Turpiter hallucinantur quicunque anatomes & operum naturæ ignari pituitam hanc putant vel è cerebro, vel è crudiore ventriculo in veſicam permeare: quomodo enim per venas illa pura nec ſanguine tincta nec perfuſa defluat in renes, hoſque ſola præterlabatur?

Tria cernuntur in urinis finitima, ſemen, pus atque pituita, quæ ſic tamen internoſcuntur. *Semen* quia tenue ac leve, urinæ ſemper innatat, pus & pituita ſubſident: hæc tamen craſſa atque tenax ſibi cohæret, pus vero agitatum mox diſſolvitur ac diffluit. *Semen.*

Quoniam autem eorum quæ permiſcentur urinis pars maxima ex *urinæ viis* defluit, ne cui forte de reliquis partibus judicaturo imponant, omnem cauſam effectuumque ſeriem à prima referam origine. Rubræ *arenulæ* defluunt à renibus, quæ ſi copioſæ ſunt & craſſiuſculæ, calculum minantur. Earum adhæſu calculus, vel milii, vel hordei magnitudine concreſcit, qui quum è renum ſubſtantia in capacitatem excutitur, urinas craſſas, turbidas, rubras aut ſubnigras reddit, impendentis nephritici doloris indices. (*Quo ordine hæc affectus partibus urinariis ſoleant apparere.*) *Calculus* in caput ureteris inſertus dolore excruciat: ac tum urinæ tenues & albæ, quales in omni fere renum infarctu cernuntur. Grandeſcens porrò calculus ſic plerumque in rene coërcetur, ut exturbari minime queat: ac tum in labore & exercitatione valida renem proterens urinam profundit non modo craſſam & turbidam, ſed & vere cruentam, in qua ſæpe concreti ſanguinis *thrombus* ſubſidet. Simile quiddam interdum fieri videmus, vel à caſu, vel ab ictu, rarius à labore violento. Quum jam factum ulcus eſt, urina in quiete alba & craſſiuſcula, in labore coloratior ſpectatur cum ſedimento craſſiuſculo. Deinde urina craſſa, alba, fœtida vereque purulenta inſequitur, lacti non admodum diſſimilis, in qua *pus* ſubſidet, ubi ſcilicet jam ulcus cavum ac ſordidum evaſit. In quo urinæ aliquando tales viſæ ſunt, numquam in aliis morbis poſſunt certam ſignificationem præbere: quando quidem perpetuo renales, ut ita loquar, apparent. Ubi vero renis ulcus ſupra modum ſordeſcit & in fiſtulam abit, in urina al-

na alba, craſſa, turbida atque fœtida ſæpe craſſamentum quoddam ſubſidet viſcidum & cohærens, narium *muco* aut ovi candido non diſſimile. Tale etiam plerumque animadvertitur, quum in veſica calculus ineſt: ea quippe materia licet fere profluat è renibus, circum tamen calculum concreſcit veſicæ vitio & imbecillitate; eo argumento quod talis etiamnum plerumque manet ac perſiſtit exempto calculo.

Quomodo affectis viis ſeminalibus.

Quinetiam ſordida cervicis atque penis ulcera ejuſmodi ſæpe urinas emittunt, maxime quum ex *fœda veneris lue* gonorrhœa illa virulenta paraſtatis inſederit. His quidem incipientibus, in urinis *filamenta* quædam viſuntur, primum tenuia, deinde craſſiora, poſtremo ſedimentum quale dixi *mucoſum* ineſt: atque licet ulcus arte ſaneſcat, diu tamen filamenta ex derelicta loci ſpermaticorum vaſorum imbecillitate permanent.

CAPUT XVII.

De hypoſtaſi & urinæ contentis.

Ex Gal. I. progn. text. ult. & I de Criſibus cap. 12. Avicenn. loc. cit. c. 4.

AMpla ſane & controverſiæ plena eſt *de hypoſtaſi diſputatio*, quam non tam contentionis, quam veritatis cognoſcendæ ſtudio *his complecti conſilium eſt*.

Naturalis Hypoſtaſis, eſt craſſior cocta urinæ portio.

Urina è potulentorum liquidorumque fit materia, quæ omnia permeans, dum concoctione, quæ in ventriculo, in jecore atque venis fit, cibo, ſanguini humoribuſque permiſcetur, tum coloris, tum ſubſtantiæ ſuæ modum adipiſcitur, perinde atque leguminum carniumve juſcula. Non enim ſimplex illa exiſtit, qualis olim potus fuerat, ſed aliena perfuſione craſſior. Quinetiam tantiſper dum in nobis ea continebatur, inſiti caloris vim quandam conquiſivit, quam & *Ariſtoteles* recte annotavit in ipſis quoque animantium excrementis manere.

4. meteor. cap. 3.

Quidquid igitur in emiſſa urina craſſioris ineſt ſubſtantiæ, licet non protinus aſpectabile ſit, mox tamen ſecernitur atque coit, ac plerumque ſubſidet perinde atque fæx in aqua roſarum ſtillatitia, idque inſiti hujus caloris beneficio, cujus eſt vis heterogenea ſecernere. Hæcque craſſior urinæ portio inſiti caloris vi ſecreta atque in imum depulſa, hypoſtaſis eſt.

I. de urin. cauſ. c. 2.

Non excrementum tertiæ concoctionis,

Non igitur hæc (ut *Actuario* viſum eſt) ejus dumtaxat coctionis quæ *in extremis venis* perficitur, aut etiam ſolidarum partium *excrementum* eſt.

Nec reliquiæ imperfectæ concoctionis primæ:

Neque (ut *aliis pleriſque* placet) *portio cibi crudior*, quæ interdum è ventriculo in venas cum ſero provehitur, ſed ubique cum urina ortum perfectionemque nacta eſt. Quocirca non ſolum aut ventriculi, aut ſolidarum partium, ſed præcipue majorum venarum hypoſtaſis eſt index.

Quod probatur.

Ut autem hujus atque *urinæ* unus eſt *ortus*, ita & *earum ſubſtantiæ mire conſentiunt*. Multa quippe tenuiſſima ac prorſus aquea urina hypoſtaſin nullam exhibet, ſimpliciter vero tenuis tenuem, ut in iis quibus cruditas eſt & infirma cibi concoctio: mediocris mediocrem: craſſaque craſſam, ut in pueris & helluonibus, qui multa vorant eaque probe conficiunt. Quæ vero externæ cujuſpiam rei, vel à renibus, vel à veſica profluentis permiſtione craſſeſcit & perturbatur, craſſamentum deponit, quod non proprie hypoſtaſis, ſed fæx eſt urinæ. Sic igitur hypoſtaſi materiam confert urinæ chymoſis.

Pro diverſitate autem caloris ſegregantis vel ſedimentum eſt.

Illam autem ſecernit inſitus calor: qui ſi in urina vegetus eſt ac validus materiam in urinæ humorem ſparſam ac tum minime conſpicuam, cito quidem ſegregat & colligit, ac dein *prorſum deorſum deponit*: & demum ita cogit, ut æqualis evadat, id eſt, ſui ubique ſimilis, atque etiam lævis, nihil aſperum, nihil divulſum habens.

Vel ſuſpenſum.

Infirmior urinæ calor craſſamentum hoc tardius ſecernit, neque id deorſum impellit, ſed in medio ſinit propendere, quod *enæorema* dixerunt, idque fere aut divulſum, aut inæquale.

Vel nubes.

Languidus calor tardiſſime ſecernit, neque potens cogere, id aut divulſum relinquit, aut per ſumma innatans *nubis* ſpecie.

Itaque *triplex* ex ſitu fit *contentorum genus*: in imo ſubſidet *hypoſtaſis*, id eſt, ſedimentum, in medio propendet *enæorema*, id eſt, ſuſpenſum, ſumma facie *nubes* innatat.

Vel nulla. Calor demum extreme languidus, ut in exitiali putrida febre, aut nimia indomitorum humorum copia oppressus, ut in ictero, sæpe & in tertiana febre, quum è jecore bilis abundantior irrumpit in venas, feroque permiscetur, *nihil prorsus segregat*, & urinam permistam ac vere confusam exhibet. Hæc vero in solis observatur ægrotantibus, de quibus jam dicendum.

Hypostasis præternaturalis non est portio causæ morbificæ. Qui de febricitantium urinæ hypostasi ex veterum decreto disseruerunt subtilius, illam statuunt puri proportione quadam respondere, esseque *portionem ejus humoris qui in febre computruerat*, sed jam coctam, secretam, & naturæ vi depulsam cum urina.

Rat. 1. At certe hoc in primis *perniciosum est medicinæ commentum*. Non enim ardentis febris materia quæ torrida bilis est, aut in pus, aut in quippiam simile puri concoctione verti potest: neque eadem est hujus atque phlegmones ratio.

2. Neque febris materia in statu jam cocta, dum tandem perfecta crisi ab alvo dejicitur, unquam purulenta apparet aut alba, sed plane flava atque biliosa: qui fiet igitur, ut hypostasis quæ in statu febris ardentis alba conspicitur, portio sit ejus flavæ materiæ quæ computruerat, & quæ nunquam albescit.

3. Ad hæc si in statu portio noxiæ materiæ excidit, in principio vero & incremento nihil, urina in statu, quam in principio, vel incremento, crassior existet: quod quotidianis observationibus falsum deprehenditur: ut enim principio acutarum febrium cruda & confusa, ita & crassa cernitur urina.

Sed eandem materiam cum hypostasi natura hi agnoscit. Quocirca aliter de febricitantium urinæ hypostasi statuendum: hanc non portionem coctam ejus esse humoris qui putruerat, sed *similem, atque in sanis materiam obtinere*: & quum primum in acutis febribus apparet, indicare caloris & naturæ dominium atque victoriam, quæ putridos humores non ita pridem turgentes & ferocientes tum repressit ac edomuit, & quæ jam ad pristinas muneris functiones redit.

Rat. 1. Etenim materiæ febris concoctio quam appellant, nec suppuratio est, nec propriè maturatio, sed *solius putredinis repressio* atque cohibitio. Ita enim in statu tota febris materia adhuc in venis conclusa est, nec ejus quicquam crisi vacuatum, & nihilominus quia sedata est & in naturæ dominio atque potestate, urina purior existit cum hypostasi, quæ ejusmodi sedationem ac victoriam certo demonstrat. Tum igitur represso furore noxii humoris minus cum urina defluit, eaque tenuior & minus turbida est quam initio, quum vi putredinis magna inerat humorum perturbatio atque confusio, quorum & magna vis in urinam quoque ferebatur. Tum etiam superior dominatrixque natura crassiorem ex urina materiam in enæorema, vel hypostasin, secernit.

2. Cui *vulnus salutare* pus album ac legitimum reddit, si febris etiam primaria superveniat, pus ipsum pervertit, vulnusque idcirco siccat, quod insitus calor prematur & laboret, neque recte possit concoctioni incumbere. Ad eundem sane modum & per febres languidus oppressusve calor insitus nequiens cibos secundum naturam conficere, nullam in urinis concoctionem exhibet.

In hæc igitur contrahenda erat disputatio longe difficillima, quam acuratius exequar in opere prognostico, ubi ex professo de morborum concoctione differetur.

Itaque quum calor noster insitus perniciosos morbi humores prorsum evicerit atque concoxerit, bona fit *hypostasis*, nempe alba, lævis & æqualis, quæ est omnium perfectissima. *Quid indicet bona hypostasis?* *Enæorema*, quod album, læve & æquale fit, minus bonum quam hypostasis est, & quodammodo imbecillum calorem ostendit, qui nondum plene coctam materiam nequeat subigere & in fundum depellere. *Enæorema?* *Nubes* etiam bona, nempe alba, lævis & æqualis, cruditatis imbecilliorisque caloris est nuncia. *Nubes?*

Hypostasis nigra aut livida omnium est deterrima, eamque perniciem minatur quæ naturam omnino prosternat. *Quid nigra?* *Enæorema nigrum* aut lividum minorem perniciem, rursumque minorem *nubes* quæ similis obtigerit: sub iis calor insitus nondum succumbit, sed vigoris nonnihil etiamnum retinet.

Optimum igitur unumquodque contentum quod quantitate & substantia est mediocri, album, læve & æquale. Quodcunque ab hoc defecerit, vitiosum. *Quid ejus copia?*

Multum fit, quia aut consueti sudores, aut alvi

alvi dejectio, aut alia naturalis quædam vacuatio supprimuntur: atque hoc pariter crassum ac crudum apparet. Quod autem alimenti ubertate & facultatis robore multum evadit, simul tum substantia, tum colore mediocre existit.

Paucitas? *Paucum* vero reddunt inediæ, vigiliæ, exercitatio vehemens, & quæcunque evidentes causæ corporis substantiam absumunt dissipantque. Et hæc quidem in sanis.

Crassities? In morbis vero quod substantia *crassum* apparet, vel à crudioris materiæ fit copia, quam nativus calor evincere non potest, tumque alia cruditatis signa comitantur: vel à crisi diuturnorum morborum, estque tum manifesta allevatio morbi. Fit nonnunquam & à pure, & à viscida pituita, ut ex iis quæ supra nobis sunt dicta facile discernes.

Tenuitas? Quod enim *tenue* est, cruditatem in morbis portendit, aut coctionis initium: in sanis tenues humores nondum ad substantiæ mediocritatem deductos.

Levitas? Contentum *leve*, quod nempe continuum est, nulla ex parte fissum, rugosum, aut divulsum, sed sibi cohærens, nihil habens asperitatis, à valido fit insito calore.

Asperitas? Contrarium huic *asperum* ac divulsum imbecillus calor haud prorsus cogere potuit.

Æqualitas? Sic & *æquale*, cujus partes omnes & crassitie, & colore sui ubique similes sunt: & contrarium inæquale, cujus partes dissimilitudine quadam distinguuntur, nec æqualiter coctæ aut coloratæ apparent.

Color ruber? lib. 1. prognost. com. 2. t. 27. In *coloribus* aureum *rubrumve*, bilem in venis exuperare, aut sanguinem vehementi incendio corrumpi significat: quanquam *Hippocrati* rubrum læveque in urina rubra residens securitatem portendit.

Niger? Venetum, lividum & *nigrum* vitalis caloris extinctionem, aut corruptum sanguinem, atrumve humorem, aut illic genitum, aut alicunde irrepentem.

Defectus in sanis, Contenta si forte *desunt in sanis*, non semper mala sunt: sæpè enim vel ex magna obstructione, vel ex potu multo ac tenui, qui ante distribuitur quam ullam cum cibo permistionem aut concoctionem acceperit, tenuis fit urina, in qua aut nulla, aut admodum pauca cernuntur contenta, quod iis materia non suppetat.

In ægris. *In ægrotis* autem qui humorum vitio laborant, quoniam peccans materia subest in venis, contenta siquando desunt, semper mala sunt, naturemque denunciant corruptorum humorum copia impediri.

Sed hic demonstrativa urinarum signa persequimur, prognostica, quibus aut concoctio, aut laus, aut mors in morbis prævideri solet, alio relaturi.

CAPUT XVIII.

Exercitatio judicandi ex Urinis.

Antequam de urina sententia feratur, QUicquid in urinis præter naturam inest, nisi ex *assumptorum qualitate* fit, aut *viscera*, aut *venas*, *summaque corporis*, aut *renes urinæque vias* affici commonstrat. Eadem ex his vitia urinæ contrahunt, ac proinde antequam ex iis quicquam decernatur, perpendendum è quo præcipue loco illa dimanent.

Perpendendum an urinaria via affecta, Quæ de *renibus & urinæ viis* defluunt, promptum sit ex iis quæ de morbis eorum protuli internoscere; atque si horum nihil comparet, omnis urinæ significatio aut ad viscera, aut ad venas majores ad reliquumque corpus certo refertur.

Quænam frequentes morborum sint causæ? In his autem discernendis semper animo contemplari & memoria repetere oportet, quod anni tempus, quæ cœli constitutio sit, & quos *morbos* regio *invehere soleat*, aut quis morbus communiter grassetur in populum: nam is semper metuendus suspiciendusque est, qui multis insidiari consuevit. Deinde perspecto laborantis sexu, rogandum, notusne is sit, ut illius natura atque constitutione repetita, constet, quibus ille morbis sit opportunus. Horum quidem animadversio non parum habet ad morborum investigationem & dignotionem momenti, præsertim quum morbus recens adhuc est, aut ejus nulla insunt in urinis perspicua signa.

Senum. Nam si *senex* est qui laborat, hyeme, pluvioso cælo, & in regione humida, fieri vix potest, quin tussi, destillatione aut gravedine & ventriculi imbecillitate affligatur, maxime vero si crapulæ & vinolentiæ deditus, & natura humidior de-

destillationum morbis sæpe conflictari solet.

Iuvenum. Aut si *juvenis* isque biliosus ægrotat, æstate media, cœlique statu & regione ferventiore, post victum calidum exercitationemve immoderatam, suspicio movetur febris ardentis, aut intermittentis biliosæ, aut dysenteriæ, aut pleuritidis, ejus scilicet cui magis ægrotus sit obnoxius, aut quæ tum tempòris plurimum grassatur in vulgus.

Horum exemplo de cæteris quoque morbis (vel urina nondum perspecta) conjiciendum est.

Ipsa vero urina corporis intemperiem ostendet. Adhæc vero urina quæ nec renum ductuumque vitio, nec externarum causarum vi mutata sit, quænam tum viscerum, tum *venarum totiusque corporis sit intemperies ostendit:* deinde simplexne sit, an ex humorum vitio: & quod humoris genus exuperet, & an cum putredine atque febre. Nam color intemperiem, substantia crassa aut turbulenta humoris vitium, confusio putredinem denunciat: quæ profecto omnium fere morborum interiores causæ sunt, ex quibus etiamsi morbi species nos lateat, non parva tamen agendorum atque vacuandorum cognitio capi potest. Sed & urinæ contenta sedis affectæ certam interdum notitiam exhibent.

Quid uroscopos respondere oporteat? Quoniam vero jam ita mos inolevit, ut præter hæc tanquam *arioli* multa multi *de absente ægroto ex sola urinæ inspectione* augurentur, quisquis se ad eorum imitationem studet accommodare captandæ gloriæ desiderio, is acervatim recenseat quæcunque primum noverit ex urina. Nam verborum circuitu stultorum mens irretitur.

Alba & tenui urina proposita. Itaque si urina *alba* vel spicea *tenuis* offertur, dicat, ventriculum atque jecur supra modum refrixisse, cibi inesse fastidium, fereque dejectam appetentiam, ventriculum à pastu distendi atque dolitare, ructus multos eosque acidos emitti, flatus plurimos evagari, frigus plerumque sentiri, caput ingravescere, corpus universum quasi enervatum languere, multa olim commissa fuisse in victu, idque vel potu frigidæ, vel fructuum esu, vel vigiliis, vel mœrore.

Si *jamdiu malum persistit*, corpus universum cruditate scatere, vividum periisse faciei colorem, aut lienteriam esse, aut pedes tumere: & leucophlegmatiæ aut cachexiæ periculum impendere. Et quoniam ea quoque urina sæpe notatur in melancholia atque in lienis tumore, de hujus quoque symptomatis narrandum, de mœrore, metu, insomniis turbulentis, rugitu sinistri hypochondrii, cordis palpitatione, scotomate, deque his similibus.

Quum *alba simul crassa* aut turbida fuerit, quoniam à crassæ lentæque pituitæ dominio fit, enunciat, caput dolore concuti, vel gravi somnolentia teneri, viscera humoribus multis impediri, intestina atque hypochondria flatibus distendi, & colicum dolorem imminere, ventriculum nausea aut pituitosa vomitione premi. Hæc si simul confusa apparebit, aut quotidianam, aut lentam febrem esse, eamque diuturnam, & symptomata urgere quæ febres comitari solent. *Quid alba & crassa?*

Vrina aurea si tenuis fuerit, jecoris calidam intemperiem, sitim, corporis extenuationē, vigilias, somnum turbulentum, manuum volas plantasque pedum impendio calidas. *Quid aurea & tenuis?*

Ea *si crassa* erit, bilem flavam exuperare & exagitari, hancque vomitione reddi, os jejuno amarescere, animi defectiones obrepere, ventriculum & præcordia incalescere, idque fere cum siti, alvum torminibus aut crebro dejectione solicitari, quæ dysenteriam minatur, aut corpus pruritu ardere, aut scabie fœdari. *Quid si eadem crassa?*

Eadem *si confusa* existet, tertianam aut ardentem febrem affligere, capitis dolorem, vigilias, delirium, sitim inexhaustam aliaque harum febrium symptomata, aut adesse, aut imminere. *Quid si eadem confusa?*

Rubra urina si tenuis aut mediocris sit, sanguinis effervescentiam inesse, capitis pulsantem dolorem atque gravitatem, membrorum tensivam lassitudinem: & *si confusa* erit, synochum putridam ejusque symptomata. *Quid si rubra & tenuis? Quid si confusa?*

Ad hunc modum si ex aliis urinæ coloribus, vel icterus, vel jecoris scirrhus, vel phlegmone, vel melancholia in liene, vel cæterorum quippiam inesse conjicitur, symptomata omnia, tum quæ illinc profecta sunt, tum quæ impendere solent, causas quoque evidentes ex quibus proficisci consueverunt, diligenter persequi decet. Talis propemodum est & affectarum partium ineunda narratio. *Quid deprehenso morbo differendum*

Sed

Quid nondum cognito interrogandum?

Sed interrogatiuncula caute præmittenda, quam pridem morbus invasit, subitone, an lente ac pedetentim, & quam vehementer; ut hinc conjectura fiat, acutusne an diuturnus is sit. Hinc quippe & ex naturæ, temporis, regionis, & morborum vagantium æstimatione, ad morbi speciem proxime acceditur.

Quid, si bullans sit urina, respondendū?

Ad hæc vero *si bullæ* per summam urinæ coronam dispositæ, caput dolore aut humore multo gravari denuncient, mox judicandum, & somnolentiam & sensuum tarditatem esse, ex hisque aut soporem, aut paralysim, aut graviorem defluxionis ruinam instare: aut quum jam certa destillationis signa quę supra dixi deprehenduntur, humorem aut in cervicem, aut in scapulas, aut in latera atque thoracem, aut in pulmones cum tussi, aut in artus & articulos procumbere: atque si cum destillatione febris signa existant, pleuritin urgere, maxime vero si tum temporis populariter ea vagatur: sin vero cum destillatione urina sit oleaginea, phtisin vel inesse, vel proxime instare.

Solas autem hasce corporis partes impetitorum vulgus nominibus designat, caput, latus à summa scapula ad coxendicem, stomachum à clavibus ad umbilicum, ventrem, dorsum, & artus. Quumque ullo modo pars dolens (nam dolorem ut maxime infestum omnes in primis animadvertunt) deprehensa fuerit, quæcunque hanc symptomata premunt enarrentur, moxque idonea illi remedia pudenter decernantur.

Incertam & plerumque dubiam mercedem refert, qui periclitatione medicos tanquam vates augurari coget. Consultor vero prudens & fidelis sani consilii fructum percipiet.

Libri tertii De Pulsibus & Vrinis, finis.

JOANNIS MAGIRI

APPENDIX AD FERNELIUM,

DE

PROGNOSTICIS SIGNIS.

CAPUT I.

De coctionis & cruditatis Signis.

PRognostica *signa jam sequuntur, quæ ea, quæ futura sunt, indicant. Suntque vel* Præsentis *morbi, vel* Venturi.

Præsentis *morbi prognostica esse genere triplicia antea definitum est: alia* coctionis *vel* cruditatis; *alia* salutis *vel* mortis; *alia* decretoria.

Coctionis *vel* cruditatis *signa ex urinis petuntur, quæ jam fuse deducta repetere exiguo usui & magno tædio foret.*

CAPUT II.

De salutis aut mortis signis; quæ sumuntur à virium & morbi robore.

SAlutis *vel* mortis *signa sunt, quæ salutem vel mortem præsagiunt. Suntque vel* primaria *vel* secundaria.

Primaria *sumuntur ab ægrotantis viribus & morbo. Hæc enim duo cum duorum athletarum instar pugnent, ex artificiosa virium utriusque inter se collatione morbi eventus præcognosci possunt, ex naturæ robore ægri salus, ex ejusdem infirmitate & morbi robore ægri interitus, ex paribus viribus morbi perseverantia.*

Virium robur indicant corporis Constitutio *&* Functiones.

In corporis Constitutione *consideratur, vel* Externus habitus & Color, *vel* Sexus *vel* Ætas.

Ratione Externi habitus & Coloris *vires robu-*

stiores existunt, si color & habitus corporis parum vel nihil à naturali defecerit, & sit convenienti modo floridus, adhuc vegetus, firmus & compactus: imbecilliores vero sunt vires, si contrario modo se habeat.

Ratione Sexus, *vires firmiores sunt in maribus, in mulieribus debiliores.*

Ratione Ætatis, *robustiores sunt juvenes & viri, imbecilliores senes & pueri.*

Functiones *sunt vitales, naturales, & animales, quæ quo rectius & melius fiunt, eo robustiores sunt vires; quo vero deterius & debilius, eo imbecilliores. Vitales functiones tanquam digniores primum locum obtinent in hac consideratione, secundum naturales, tertium animales.*

Morbi robur *indicant ejus* species, Magnitudo, Longitudo, & Malitia.

Speciei *ratione alius morbus plerumque terminatur ad mortem, ut* Apoplexia, Consummata Phtisis: *alius ad salutem, ut* Febris tertiana intermittens: *alius medio modo se habet, qui interdum ad mortem, interdum ad salutem terminatur, ut* Pleuritis.

Magnitudinem *morbi præter ea, quæ superius de morborum differentiis dicta sunt, demonstrant symptomatum vis ac impetus: & tum à pristino & naturali habitu, tum ab eo, qui ante morbum fuerat, recessus. Hic autem ex laborantis natura, ex ætate & consuetudine, deprehenditur. Si enim laborantis naturæ, ætati & consuetudini morbus conveniat, levior est: major vero, si contrario se habeat modo.*

Longitudo *morbi etiam consideranda, ad præcognoscendum naturæ aut morbi victoriam. Quemadmodum enim sciri non potest, an aliquis oneri alicui ferendo sufficiat, nisi præter ejus vires & oneris gravitatem, etiam viæ longitudo consideretur: ita an aliquis morbum superare possit non sciri potest, nisi præter ejus vires, & morbi magnitudinem, etiam longitudo seu status morbi perpendatur. Æger portanti onus apte comparatur, morbus oneri, tempus autem id statui morbi, viæ longitudini. Statum autem si æger transeat, amplius ut ex illo mortis periculum metuat, opus non est.*

Malitia *denique morbi cognoscitur, cum symptomata habet vel graviora, vel etiam leviora, quam naturæ suæ ratio requirit. Fit enim interdum, ut simulata benignitate levia producat symptomrta morbus, cum tamen sit gravissimus & periculosissimus.*

CAPUT III.

De signis, quæ à principibus functionibus & sensibus sumuntur.

SEcundaria *signa primaria sequuntur: Quæ si naturæ sunt similia, maxime salutaria sunt; si dissimilia, maxime lethalia. Sumuntur autem vel ab* Actionibus, *vel ab* Excrementis, *vel* Habitu corporis, *vel* Lædentibus, *aut* Juvantibus.

Ab Actionibus *læsis sumuntur, vel ab* Animalibus, *vel* Vitalibus, *vel* Naturalibus.

Quæ sumuntur ab actionibus animalibus, vel à Principibus functionibus, *vel* Sensibus, *vel* Mottibus *petuntur.*

Principes *functiones si recte fiant, & æger mente constet, bonum, sin vero contrarium fiat, & æger mente non constet, malum.*

Mente *autem constat seu ratione valet æger, si agit aut loquitur, quæ rationi consentanea sunt, eaque omnia decore & consueto modo.*

Mente *non constat, si* Delirio *aut* Oblivione *rerum corripitur.*

Delirium *est, cum æger aliquam voluntariam actionem non recte edit, & præter consuetudinem, vel parum, vel multum, vel ferocius, vel absurda, aut obscœna loquitur, manus indecore movet, festucas colligit, floccos evellit, corpus & obscœnas partes nudat, quasi obversantia spectra mente falso concipit, & aliqua parte dolens dolorem non sentit.*

Oblivione *rerum corripitur, si familiares non agnoscat, & cum ea, quæ facta sunt, quæque fiunt, memoria statim ei excidunt.*

Signa *quæ à* Sensibus *petuntur, vel à* Somno & Vigiliis, *vel à quolibet exteriori sensu sumuntur.*

Somnus & Vigiliæ *si consueto modo se habent, & naturali statui sunt similes, bona sunt, & si somnus delirium sedat, bonum est.* Vigiliæ *vero, si immodicæ sunt, nisi ante crisin coctæ materiæ acccidant, sunt malæ. Somnus quoque malus est, qui est aut comatodes, aut turbulentus, aut qui laborem affert, aut qui fit hiante ore, si modo sic non sit consuetus, aut in quo non exacte commissis palpebris de albo oculi aliquid apparet, modo hoc non ex alvi profluvio aut medicamenti potione accidat.*

Quæ à Quolibet exteriori sensu *sumuntur, vel à* Visu, *vel* Auditu, *vel* Olfactu, *vel* Gustu, *vel* Tactu *petuntur.*

Visus *aut* Auditus *læsio si citra signa coctionis ac vi-*

ac virium robur fiat, & tenebræ atque caligo oculis oboriantur, aut surditas audiendique difficultas accedat, periculum adest.

Olfactus si est corruptus, & omnia quæ offeruntur, ægro graviter olere videntur, malum est.

Gustus si interit, bonum non est.

Tactus ratione, si stupor in morbis acutis accidit, malum signum est.

Dolores qui partes occupant nobiliores, quo graviores sunt, & pejora symptomata comitantia habent, eo sunt periculosiores. Qui vero dolores partes ignobiles & à visceribus longe dissitas occupant, periculosi non sunt, si modo post concoctionem cum aliqua allevatione morbi accidant, & non in principio morbi cum graviori incommodo; tunc enim periculo non vacant. Sic & lassitudo, si post concoctionem morbi cum aliqua ejus allevatione accidat, salutaris est: si vero alias oboriatur, exitialis.

CAPUT IV.

De signis quæ à motibus sumuntur.

Signa quæ à Motu sumuntur, vel à motu universali corporis, vel à Decubitu, vel ab Inquietudine, vel Convulsione, vel Tremore, vel Horrore, vel Rigore, vel Torpore, vel Singultu, vel Voce petuntur.

Universalis corporis motus, si facile & recte fiat, bonum: si non recte, aut difficulter, malum.

Decubitus si est diversus ab eo, quem sanus usurpare consuevit, malus est. Talis est, cum æger decumbit, supinus, manibus & cruribus distentis, reductis, aut distractis, vel cum subinde deorsum delabitur ad pedes, vel decumbit præter morem in ventrem, vel nudos habet pedes, nec admodum calidos, ac manus, collum, & crura dispergat inæqualiter, vel si velit residere in ipso morbi vigore.

Inquietudo ægri, cum videlicet præ anxietate se varie jactat, ac movet, & quiescere nequit, mala est: si non salutaris.

Convulsio si accedat, periculosa est, non tamen omnis lethalis.

Tremores qui ab evidenti caussa oriuntur, aut paralysin sequuntur, aut cum crisi salutari accedunt, non adeo perniciosi sunt. Reliqui vero qui in ardentibus febribus, aliisque morbis oriuntur mali sunt.

Horror in continuis febribus, qui salutares criticas evacuationes antecedit, malus non est, qui vero alias accedit, vel in principio morbi vel postea cum mala aut difficili crisi, est periculosus.

Rigores qui in intermittentibus accidunt periodice, & qui in continuis post signa coctionis eveniunt, non mali sunt. Reliqui, qui fiunt cruda adhuc materia, à quibus corpus non incalescit, quos nulla aut mala evacuatio & morbi remissio sequitur, & cum aliis malis signis apparent, omnes mali sunt.

Torpor si adest, insigne semper periculum portendit.

Singultus si citra febrem ac alium morbum à potu, aut cibo, vel frigido, vel calido, vel acri ortum habeat, nihil insignis periculi portendit. At post nimiam inanitionem, & cum inflammationibus ac febribus singultus semper periculosi sunt.

Vox si tremula aut clangosa est, periculum adest. Aphonia etsi nunquam bona sit, aut periculo careat, tamen non semper lethalis est.

CAPUT V.

De signis, quæ à functionibus vitalibus & naturalibus sumuntur.

Signa quæ sumuntur ab actionibus Vitalibus, petuntur vel à Pulsu, vel à Defectu & Palpitatione cordis, vel à Respiratione.

Pulsus omnis qui à naturali symmetria recedit, bonus non est. Languidissimus, tardissimus & rarissimus, est omnium pessimus: post hos est minimus, & mollissimus, & durissimus: postea frequentissimus, at non celerrimus, neque maximus. Solus in extremis optimus est vehementissimus.

Cordis defectus & palpitatio summum periculum indicant; si accidant ob ipsius cordis affectionem. Si vero cor solum per consensum afficiatur, licet & illud non bonum sit, non tamen ita periculosum est.

Respiratio si secundum naturam se habet, bona est. Quæ vero naturalis non est, etsi semper lethalis non

non sit, tamen semper mala est; pessima vero, si cum aliis signis malis conjungatur. Talis est exspiratio frigida, & alia nonnullæ vitiosæ respirationes.

Signa *quæ à* Naturalibus *functionibus petuntur, vel ab* Appetentia *cibi*, vel Siti *sumuntur.*

Appetitus *cibi conveniens à naturali caussa bonum signum est, quamvis nonnunquam moribundi etiam cibum appetant. Dejecta vero cibi appetentia, mala est.*

Sitis *si desiit in calidis & ardentibus morbis, in quibus lingua est squalida, arida & nigra, perpetuo malum est, nisi immoderata nimis sit.*

Caput VI.

De signis quæ ab excrementis sumuntur.

Signa *quæ ab* Excrementis *sumuntur, vel ab* Urina, *vel* Dejectione alvi, *vel* Vomitione, *vel* Sudore, *vel* Hæmorrhagia *petuntur.*

In Urina *si signa coctionis appareant bonum est, naturæ morbum superantis est indicium: si vero nulla coctio appareat, malum est, & morbi superantis naturam indicium.*

In Dejectione alvi *est consideranda* Substantia, Qualitas *&* Quantitas.

Substantiæ *ratione excrementum alvi optimum est, quod est molle, cohærens, & moderate crassum. Contra aquosum valde & liquidum, pravum: & quod nimis durum est.*

Qualitas *in colore & odore consideranda. Excrementum subrufum, nec admodum graveolens, bonum est. Album vero & viride, aut vehementer rufum, aut squamosum, aut cruentum, aut lividum, aut nigrum, aut quod varii est coloris, & male olet, pravum, nisi critice excernatur.*

Quantitatis *&* temporis *ratione, si excrementum cibo ingesto proportione respondeat; & pro copia ingestorum bis aut ter in die, noctu vero semel, prout homini consuetum est, egeratur, bonum: sin contra, malum. Si citra crisin frequenter & plurimum excrementa egerantur, etiam malum.*

Vomitus *qui pituitam exhibet accurate mixtam cum bile, qui neque admodum crassus, neque multus, bonus est. Criticus vomitus etiam est salutaris. Vomitus autem porraceus, niger ac lividus, pessimus, & qui male admodum olet. Est etiam lethalis ruber* Vomitus, *maximeque si ægre vomatur. Si vero omnes colores idem homo vomit, valde pernitiosum est.*

Sudor *si est calidus, & moderata quantitate die decretorio confertus per totum corpus cum allevatione morbi erumpit, bonus est. Qui vero frigidus est & paucus vel nimius, & sensim ac paulatim non per totum corpus, sed tantum circa caput, faciem & cervicem, neque die decretorio erumpit, & sine ulla allevatione morbi, malus est, & periculosus.*

Hæmorrhagia *si in statu morbi cum signis coctionis, atque larga, non tamen nimis exuperans die critico accidit, in iis morbis, quorum naturæ atque conditioni convenit, & è directo partis laborantis, cum morbi allevatione, bona est. Quæ contrario modo se habet, mala.*

Caput VII.

De signis quæ ab habitu corporis, & quæ à lædentibus & juvantibus sumuntur.

Signa *quæ ab habitu & qualitatibus corporis sumuntur, vel à* toto corpore, *vel à quibusdam* Patribus *petuntur.*

Totius corporis *habitus si in febribus nihil minuatur, aut etiam plus, in aliis quoque morbis colliquefiat, malum. Si corpus nimium extumescat, plerumque malum: quamvis interdum aliquis corporis aut pedum tumor etiam obesse non soleat, cum videlicet humores eo critice, apparentibus aliis bonis signis, depelluntur. Color quo ad naturalem magis accedit, melior est; quo plus ab eo deficit, peior.*

A quibusdam partibus *quæ sumuntur, vel petuntur à* facie, *vel* oculis, *vel* naso, *vel* auribus, *vel* ore, *vel* hypochondriis, *vel extremis* partibus.

Facies *quo similior est bene valentium, eo melius signum est: qui vero magis ac pluribus modis à sanorum facie recedit, eo majus malum donotat, qualis est* facies Hippocratica *vulgo dicta, cum vide-*

videlicet nasus apparet acutus, cavi oculi, astricta tempora, aures frigidæ, contractaque, & fibræ earum inversæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis aut niger. Quæ faciei mutatio maxime lethalis, inprimis in principio morbi. Nisi vigilaverit æger, alvus resoluta admodum fuerit, vel famem aut simile quid perpessus sit. Tum enim minori cum periculo est. Coloratior quoque facies sæpe malum signum est.

Oculi *si sint similes bene valentibus, colorem naturalem habeant, sint pleni, splendidi, lumenque sine molestia videant, palpebras recte aperiant & claudant, sine lacrymis & sine excrementis, bonum signum sunt, & non levem futuræ salutis spem exhibent. Si vero lucem effugiant oculi, aut nolentes illacryment, aut pervertantur, aut assidue moveantur, & instabiles sint, aut contra fixi & stabiles, aut feroces & horridi, aut alter altero fuerit minor, aut candidum aut rubidum habeant, aut lividas aut nigras venulas, aut pituita appareat circa obtutum, aut sublimes tumidi oculi vel cavi admodum fuerint, vel totius vultus color evariet: hæc omnia mala esse atque exitiosa censendum est: quamvis interdum in oculis aliqua mutatio appareat, quæ tamen non sit mala, sed criticæ evacuationis signum.*

Nasus *si sit acutus aut pervertatur, aut quomodocunque retorqueatur, malum est. Si pruriant nares præter consuetudinem, nisi imminentem sanguinis fluxum indicet, futurum delirium significat.*

Aures *si lividæ, nigræ, contractæ & frigidæ deprehenduntur, lethale signum est.*

In ore sunt dentes, lingua & fauces. Dentibus *si ægrotus stridet, præter morem exitiosum est.* Lingua *si sanorum similis est, in morbis acutis, est optimum signum. Malum vero portendit, si sit viridis, nigra & valde sicca, scissa, scabra & quasi usta.* Fauces *si sunt exulceratæ, malum signum est.*

Hypochondria *saluberrima sunt, si dolore vacant, si mollia & æqualia sunt, dextra & sinistra parte. Contra vero malum est, si hypochondria inflammatione vexantur, aut dolore, aut intenta sunt, (nisi hoc fiat ex futura salutari crisi) aut inæqualiter affecta dextra ac sinistra parte, aut extenuata valde, aut si pulsus in illis percipiatur.*

Extremæ partes, *ut caput, aures, nares, manus & pedes, si frigeant, ventre costisque calentibus, malum est. Si corpus omne grave est, & item manus ac pedes, periculum adest. Si præter gravitatem* Ungues *quoque ac* Digiti *lividi sunt, aut nigrescunt, lethale est, nisi alia signa salubria adsint, & abscessum futurum indicent. Si genitale testesque convelluntur, color vehemens & mors significatur.*

Lædentia & Juvantia *jam ultimo restant. Quæ juvare debent, sive sint externa, sive interna, sive à natura fiant, sive ab arte, si juvant, morbum salutarem, & non periculosum significant. Contra si eadem, quæ juvare debent, non juvent: morbum periculosum & lethalem præsagiunt.*

CAPUT VIII.

De Crisi.

D*Ecretoria prognostica jam tertio restant, quæ de crisi agunt. Crisis in acutis morbis potissimum observatur. Sunt autem in ea tria præcipue diligenter perpendenda: primo* quid sit crisis, & quæ ejus differentiæ: *deinde* signa critica: *tandem* dies critici.

Crisis est repentina in morbo mutatio ad salutem aut ad mortem. Estque Perfecta, *vel* Imperfecta.

Perfecta *est quæ ægrum perfecte & integre à morbo liberat. Estque vel* Salutaris *vel* Lethalis.

Salutaris *sex notas habet. Debet enim esse*. 1. *Εὔσημος, id est, signis bonis seu coctionis indicata*: 2. *manifesta, id est, cum caussis criticis, excretione quippe vel abscessu*: 3. *die critico contingere*: 4. *fida, in qua nihil reliquiarum superest*: 5. *secura, id est, sine periculosis symptomatis & ægri tolerantia*: 6. *conveniens morbo & ægrotantis* naturæ.

Lethalis *contraria habet* omnia.

Imperfecta *etiam duplex est*: altera *ad melius, quæ non omnino tollit morbum, sed facit ut æger alacrius morbum ferat*: altera *ad deterius.*

CAPUT IX.

De signis tempus crisis prædicentibus.

Signorum criticorum, alia crisin præcedunt, alia comitantur, alia subsequuntur.

Antecedentia signa duorum sunt generum: alia tempus crisis prænunciant alia speciem crisis indicant.

Tempus crisis quæ prænuntiant varia sunt: alia enim tempus morbi, quo eveniet crisis: alia celeritatem crisis: alia num pari vel impari die futura sit: alia jam instantem crisin: alia horam indicant.

I. Tempus morbi, quo crisis salutaris evenit, est vigor seu status. Sanitas ante statum nunquam, sed post eum obtingit: mors vero, & exitialis aut imperfecta crisis: quovis tempore, vel in principio, vel augmento, vel statu, excepta declinatione morbi, in qua æger non moritur nisi aliud quoddam malum accedat, evenire potest. Internoscuntur autem illa quatuor morborum tempora sequentibus signis.

Principium morbi ex cruditate cognoscitur. Dum nulla coctio in excrementis apparet, adhuc morbi principium adest.

Augmentum inde cognoscitur, quod sit medium inter principium & statum, quo tempore pugna inter morbum & naturam inchoatur.

Status ex vehementia & vigore symptomatum cognoscitur. Tunc enim omnia sunt vehementissima, & inter naturam & morbum pugna acerrima: symptomata tunc non accrescunt, neque deficiunt, sed in eodem statu & vigore permanent.

Declinatio ex defectu & remissione symptomatum indicatur.

II. Celeritatem crisis & status indicant signa coctionis, & morbi natura.

Signa coctionis antequam appareant, nulla salutaris crisis fieri potest. Quo citius ea igitur apparent, eo citius, & quo tardius, eo tardius crisis speranda erit. Si die primo signum coctionis manifestum appareat, & reliqua omnia nihil periculi portendant, morbi solutio & crisis quarto die speranda est. Si vero primo die non appareat manifestum A coctionis signum, alii dies consulendi sunt, & si signum in aliquo dierum decretoriorum appareat, proximo quaternario crisis speranda est.

Morbi natura est diversa, vel ratione velocitatis motus, vel caussæ, vel paroxysmorum.

Motus morbi vel est velox, vel tardus. Velox est in morbis brevibus & acutis, ut febre ephemera, febre continente maligna, peste, apoplexia: tardus in chronicis, ut in paralysi, febre quartana intermittente, quemadmodum & superius dictum. Quanto igitur motus morbi velocior, est tanto propius crisin & statum adesse indicio est. Quanto autem tardius movetur, tanto remotior erit status.

B Caussæ ratione morbi calidiores & à tenuitate humorum profecti breviores sunt, & citius judicantur: frigidiores & à crassis tenacibusque humoribus orti, sunt longiores, tardiusque judicantur.

Paroxysmi si æqualiter invadunt & stati sunt, indicio est statum adhuc longius abesse & morbum futurum longiorem. Si vero inæqualiter invadunt paroxysmi, significant statum esse propiorem.

III. Num pari vel impari die sit futura crisis, morbi motus indicat. Si enim morbus paribus diebus exacerbetur, pari die speranda crisis, si impari, imparibus.

IV. Instantem jam crisin indicant signa C perturbationis criticæ, quæ pro varia excretionis specie varia exsistunt. Solent tamen in universum hæc omnia crisin præcedere, capitis dolor ingens, jactatio & anxietudo incredibilis, sitis inexplebilis, difficultas spirandi, pulsus inæqualitas, & alia gravia symptomata. Quæ si noctu fiunt, sequenti die; si interdiu, sequenti nocte, crisis eveniet.

V. Horam indicant paroxysmi ratio & tempus. Nam qua diei hora paroxysmus advenire solet, & quod paroxysmi tempus ægro est gravius, ea hora & tempore crisis expectanda erit.

Caput X.

De signis universalibus speciem crisis prædicentibus.

Speciem crisis, quæ prænunciant signa, sunt vel universalia, vel particularia.

Universalia, vel ex morbi specie, vel motu, vel parte affecta, vel ægrotantis natura petuntur.

Speciem morbi si consideres, calidi morbi per excretionem judicari solent: frigidi vero per abscessus.

Motum morbi si spectes, acuti per excretionem, diuturni per abscessus judicantur.

Partis affectæ ratione, si Hepatis convexa inflammatione obsiderantur, expectanda erit crisis, aut per hæmorrhagiam è nare dextra, aut per urinæ profluvium: sin cava afficiantur, alvi fluxu, aut vomitu, aut sudore potius solvetur morbus. Cerebri & capitis totius inflammationes hæmorrhagia narium solvuntur sæpius: ventriculi & mesenterii, vomitu & alvi fluxu.

Ægrotantis naturæ ratione, juvenibus febre ardente correptis hæmorrhagiæ ut plurimum contingunt, senibus vero alvi profluvia.

Caput XI.

De signis particularibus speciem crisis prædicentibus.

Particularia signa quæ speciem crisis prænunciant, vel excretionem, vel abscessum indicant.

Excretionis speciem indicat humoris inclinatio. Nam circa eas partes, ad quas humor expellendus à natura movetur, vel per quas movetur, sentitur quædam mutatio. Fit autem excretio vel per hæmorrhagiam narium, vel sudorem, vel vomitionem, vel dejectionem alvi, vel urinæ profluvium, vel profluvium menstruale, vel hæmorrhoides.

I. Hæmorrhagiæ futuræ indicia sunt octo: 1. rubor faciei: 2. capitis & colli dolor: 3. arteriæ temporum vehementer pulsantes & micantes: 4. hypochondrii distentio fugax, & sine dolore, cum spirandi difficultate: 5. visus hebetudo & virium, ita ut lucem aversentur oculi, lachrymæ profundantur involuntarie, & marmariges ante oculos obversentur: 6. imaginationis læsio, & falsa spectrorum præcipue rubeorum apprehensio: 7. aurium tinnitus: 8. narium titillatio.

II. Sudoris futuri indicia sunt quatuor: urinæ suppressio ob translationem seri: 2. rigor vellicato panniculo: 3. pulsus mollis fluctuans, & undosus, maxime si ægro exteriores partes caleant, facies rubescat, cutis sit mollis, & sentiatur è corpore calidus quidam vapor copiosus efferri: 4. insomnia lotionis aquæ calidæ, videlicet si æger se lavari, & in aquæ calidæ lacu se natare somniaverit.

III. Vomitionis futuræ indicia sunt decem: 1. jactatio cum nausea: 2. cordis morsus: 3. sputatio frequens: 4. tenebricosa visio & vortigo: 5. labri inferioris palpitatio: 6. linguæ amaror: 7. crebra horrescendi & subsultandi vicissitudo: 8. partes infra hypochondrium frigidiores: 9. cordis palpitatio, spirandi difficultas, & pulsus durus & inæqualis: 10. acutus capitis dolor.

IV. Excretionis alvinæ futuræ indicia sunt quinque 1. ructus, 2. flatus & crepitus ventris, 3. lumborum dolor, 4. pulsus parvus, & frequens, 5. urinæ tenues & albæ, atque etiam aliquantum suppressæ.

V. Urinæ profluvii indicia nulla sunt, nisi quod ex reliquarum specierum collatione colligantur. Si enim hæmorrhagiæ, sudoris, vomitus, dejectionis alvinæ, nulla signa luceant, præcesserint autem & coctionis & perturbationis criticæ signa, verisimile est, per urinæ profluvium morbum judicatum iri, maxime vero si gravitas in hypogastrio, & ardor in extremo pudendi persentiantur; si item toto morbi decursu copiosas & crassas minxerit urinas: adde senilem ætatem & tempestatem hybernam.

VI. Profluvii menstrualis futuri indicia sunt quatuor: 1. æstus & gravitas lumborum 2. hypogastrii dolor & tensio: 3. symptomata quæ alioqui illis imminentibus evenire solent: 4 tempus conveniens & ordinatum.

VII. *Per* hæmorrhoidas *sanguinis vacuationis futuræ indicia nulla traduntur: si tamen coctionis suo die & perturbationis criticæ signa apparuerint, nullaque sudoris, vomitus, hæmorrhagiæ, diarrhœæ, urinæ profluvii indicia observet medicus, & consueverit æger hæmorrhoidas pati, huic verisimile est mox esse fluxuras.*

VIII. Abscessus *per decubitum futuri indicia vel* ipsum abscessum *indicant, vel* ejus locum.

Ipsum abscessum prænuntiant *signa quatuor.* 1. Longitudo morbi. Si enim morbus vigesimum diem excesserit, tunc exspectandus abscessus, si nullus dolor affligat, ob inflammationem, aut ob aliam manifestam caussam. 2. Urinæ tenues & crudæ toto morbi decursu cum salutaribus signis apparentes. 3. Hyemale tempus, quo abcessus plurimum fiunt. 4. Crisis imperfecta. Consuevit enim sæpe natura excretionem criticam in abscessum convertere.

Locum *abscessus, videlicet partem corporis superiorem vel inferiorem prænunciant signa quatuor.* 1. Humoris conditio. Si tenuis sit humor, ad superiores partes potius; si crassus, ad inferiores partes viam affectabit. 2. Naturæ robur. Si validum sit naturæ robur, deorsum procul & pro dignitate morbi fiet. 3. Partis alicujus imbecillitas. Si ante morbum pars quæpiam laboraverit, in eam morbus decumbet. Si quoque in ipso morbo præ reliquis in aliqua parte singularis molestia fuit, ibi fiet abscessus. 4. Meatuum sursum deorsumve spectantium conditio & situs. Nam peculiaris est partium *κοινωνία* & rectitudo, per quam humoris decubitus non tam naturæ robore, quam à forma humoris elementari fieri solet: fit autem motus qui elementarem formam sequitur ad perpendiculum & *κατ' εὐθυωρίαν*.

CAPUT XII.

De signis crisin comitantibus.

Signa crisin comitantia *sunt, quæ cum ipsa specie crisis simul apparent, crisinque ipsam, dum fit, bonane sit an mala, perfecta, an imperfecta indicant. Signa hæc sunt ipsæmet caussæ & species criticæ. Quæ duæ omnino sunt:* Excretio, & Abscessus.

Excretio *ea salutaris & bona dici debet, quæ commode fit. Vt autem commode fiat, quatuor requiruntur* qualitas laudabilis, quantitas moderata, tempus opportunum, *& excernendi* modus naturæ *familiaris.*

Qualitas *humoris qui excernitur laudabilis est, si & peccans, & coctus humor vacuetur.*

Quantitas *moderata est, quæ neque exigua, sed sufficiens, neque immodica est. Nam exigua damnatur, & suspecta est qualis est substilla sanguinis, sudatiuncula, vomitus exigui. Immodica periculo non vacat.*

Tempus *opportunum est dies criticus. Quæ enim excretiones aliis diebus contingunt, suspectæ sunt.*

Excernendi modus *est naturæ familiaris, si excretiones primum fiant confertim, non sensim & paulatim, deinde si fiant per loca convenientia & legi naturæ commoda. Vt autem per loca convenientia fiat vacuatio, tria sunt necessaria.*

Primum *ut locus non sit loco morbi dignior,* deinde *ut habeat rectitudinem,* postremo *ut transitus patentes habeat.*

Abscessus ut legitimus sit, tria spectanda, quo, unde, & propter quid.

Quo, *partem denotat in quam decumbit, quæ debet esse inferior, ignobilior, remota ab affecta parte, & potius materiæ morbificæ capax, alioqui periculum refluxus.*

Unde, *partem denotat ex qua, dextrane an sinistra, debet enim fieri decubitus secundum rectitudinem.*

Propter quid, *caussam designat, ob quam oboritur abscessus, id est, num à natura cocto morbo, aut à materia cogente & divexante, adhuc humore crudo. Nam si crudo existente morbo fiat, pravus erit abscessus, & morbum perfecte non judicat.*

CAPUT XIII.

De signis crisin subsequentibus.

Signa *crisin* consequentia *sunt, quæ crisin jam factam, perfectane sit an imperfecta, secura an infida, commonstrant: ea autem ex qualitate* corporis, actionibus, *&* excrementis universalibus *petenda sunt.*

Qualitas corporis *spectatur* in colore *&* mole. *Si enim bene sit colorata facies, salutaris fuit excretio: sin color lividus, citrinus, niger, symptomatica. Si quæ prius à morbo & febris vehementia intumuerat facies, repente detumescat, perfecta est crisis: si vero post crisin faciei tumor remaneat sintq; adhuc turgidulæ palpebræ, periculum subest relapsus.*

Actiones sunt Naturales, Vitales, *&* Animales.

Naturales *actiones coctione, distributione & excretione absolvuntur. Si peracta crisi, æger cibum appetit ex animi sententia, belle coquit, & dejicit, atque ut brevius dicam, bene ingerit, digerit & egerit, de relapsu nullus est metus. Quod si nausea, cibi fastidium, ructus acidi aut nidorulenti, sitis, hypochondriorum tensio remanserint, signa sunt impuritatis alvinæ, & reliquiarum, unde relapsus.*

Vitales *actiones, in respiratione, pulsu, colore & calore, totius conspicuæ sunt. Si pulsus æqualis, remissior, & temperatus sit, si spiritum ducat ex facili, si color sanorum similis, si denique omnis alieni caloris sit expers, perfecta & salutaris omnino fuit crisis. Quod si frequens sit pulsus, calorque acrimoniæ quantumvis levi tactum feriat, recidivam pollicetur.*

Animales *actiones ex sensu, motu, & principe functione, item somno apparent. Si absoluta crisi, mens tranquilla sit, non deliret, sensus integerrimi sint, decumbat in alterum latus, manibus, pedibus, cruribusque modice reflexis, perfecta fuit crisis; sin minus, imperfecta. Si morbo defunctus, jam etiam suaviter dormiat, signum est firmissimæ, perfectæ & absolutæ criseos.*

Excrementa universalia *sunt* dejectiones *&* urinæ.

Dejectiones *coloratæ & figuratæ crisin salutarem fuisse indicant.*

Urinæ *si sanorum similes sunt, salutarem crisin testantur. Si tenues appareant aut rubræ, relapsum minantur.*

CAPUT XIV.

De diebus criticis.

Dies critici *jam ultimo supersunt. Sunt autem critici dies, in quibus mutationes contingunt plurimæ ac firmæ. Numerantur ab ea hora, qua sentit æger manifestam actionum læsionem. Sunt autem illorum alii* vere & perfecte critici: *alii* indices seu contemplabiles: *alii* intercidentes: *reliqui sunt* vacui *&* medicinales.

Perfecte *critici, absolute* κρίσιμοι *dicuntur, aut* principes *vel* radicales, *quoniam quæ his diebus contingunt crises, omnes perfectæ criseos notas habent. Ejusmodi sunt septenarii tres, septimus, quartus & decimus, vigesimus.*

Indices *seu* Contemplabiles *vel* Internuncii *sunt, qui crisin septenario futuram indicant. Si enim illis diebus salutaria signa, qualia sunt coctionis, appareant, salutaris crisis die principi & radicali sperari debet: sin lethalia, qualia sunt in urinis hypostasis nigra, in dejectionibus, aquæ, spumantia, nigra, viridia, livida, lethalis crisis exspectanda.*

Indicant interdum etiam hi dies, sed imperfectius, estque exigua eorum vis), propterea indices verius & magis proprie dici debent, quam judices. Sunt autem numero tres: quartus, undecimus, septimus decimus, quia tres tantum septimanæ & quilibet septenarius habet suum indicem. Quartus est index septimi diei, si nihil magnum & rarum supervenerit, undecimus decimi quarti, septimus decimus vigesimi.

Intercidentes, *qui &* intercalares, *seu* irrepentes *vel* provocatorii *dicuntur, sunt qui inter principes decretorios & indices intercidunt, & quæ illis diebus contingunt crises, irritata natura fiunt. Sunt autem in qualibet septimana intercidentes quidam. In prima, tertius & quintus. In secunda nonus & decimus tertius. In tertia decimus nonus.*

Vacui *&* medicinales *dies sunt qui nec indicant nec provocant, & quibus cathartica exhibentur: crises, si illis diebus eveniunt, malæ sunt. Sunt autem sextus, octavus, decimus, duodecimus, sextus, & decimus octavus.*

CAPUT XV.

De prognosticis venturi morbi.

*A*Tque hæc sunt prognostica morbi præsentis. Prognostica vero morbi, uni homini, aut pluribus per totam provinciam, aut regnum, eventuri, sumuntur ab* ætate, anni temporibus, *&* caussis internis *vel* externis, privatis *vel* communibus, jam vigentibus *vel* imminentibus. *Sic infantes tempore dentitionis, convulsionibus, & alvi profluvio: juvenes, mania: senes catharro corripi solent. Sic gravidæ hyeme australi, pluvioso, & vere subsequente aquilonio, de abortu periclitantur. Quarum prognostica plura passim occurrunt, & ad præcavendos morbos magnam utilitatem obtinent.*

Prognosticorum FINIS.



JOAN-

JOHANNIS FERNELII AMBIANI,

THERAPEUTICES UNIVERSALIS,

SEV

MEDENDI RATIONIS,

LIBRI SEPTEM.

IOAN. FERNELII AMBIANI,

THERAPEUTICES UNIVERSALIS, SEV MEDENDI RATIONIS, LIBRI SEPTEM.

PRÆFATIO IN LIBRUM PRIMUM.

Naturæ legibus esse medicinæ leges consentaneas.

Universus mundus quadam lege regitur.

VNiversa illa mundi natura, omnia continens atque per singula meabilis, ut solis & lunæ reliquorumque syderum cursus & conversiones, temporumque vices & tempestatum commutationes atque Oceani æstus reciprocationesque moderatur: ita & hanc rerum immensitatem ordine certo & constantia regit immutabili. Nec vero tam sapienter & universa gubernare & singula fovere posset, nisi divina quadam mente architectatrice & conservatrice uteretur: quæ consilio & recta ratione omnia prudenter administret & providenter tutetur. Hæc autem ipsius ratio, lex est naturæ: summa quippe vis insita in natura, qua administrantur omnia atque existunt & conservantur singula: ceu imperium quoddam, cui cuncta pareant & sine quo nec rerum natura nec mundus ipse consistat. Atque hæc quidem lex una cum mundo nata, è summa est mente Deique numine profecta. Nam, ut inquit Plato, *quum Deorum sator mundum naturamque conderet, huic simul leges fatales indixit.*

Præterea & res singulæ alia reguntur lege.

Iam vero quicquid *aut animantium, aut stirpium, aut metallorum genere continetur, inferiore hac mundi regione comprehensum, id* peculiari *quoque* quadam natura *(quæ sua est rei cujusque)* constat, *quæ quod genuit, tuetur & regit. Hæc rursum peculiaris cujusque natura, propria lege eaque stabili & rata ducitur, qua actiones omnes perficit: illaque tota est obediens & subjecta universæ naturæ, ejusque propria lex summæ legi: ut omnia una quasi consensione & sympathia jussis supremæ legis* A *obtemperent. Itaque quicquid habet naturæ imperium, id perpetua constantia rectaque ratione & convenienti lege sustinetur.*

Ad cujus imitationem effecta Medicina est.

Hæc si ad nostram medicamque contemplationem referemus, quicquid in homine præter cognitionem & voluntatis arbitrium inest, id omne administratur naturæ legibus. Ad hujus *autem* similitudinem effictum simulachrum *quoddam est* medicina, *quæ naturæ legem semper intuens in eamque defixa, ad ipsius imitationem, studium & opus omne dirigit, ut homini firmam minimeque morbis obnoxiam valetudinem conservet & tueatur, lapsam vero & affectam erigat, & in integrum restituat, vitamque ipsam salvam & incolumem quam potest fieri longissime producat.*

B Illa *quidem nata aut potius æterna,* hæc *vero scripta naturæ lex est: illa archetypus & primarium exemplar, hæc solida & expressa quædam est ejus effigies.*

Unde ejus elucet dignitas.

Has nulla vis humana, nulla regionum locorumve mutatio, nulla temporum decursio pervertit: sed inviolatæ, stabiles & omni seculorum æternitate immutabiles & perpetuæ manent. His vel inviti (quia mors omnibus communis) colla submittunt, qui omnium gentium populos sibi subjicere & legibus astringere contendunt. His imperatores summique reges parent, aut certe non impune refragantur. Hæ legum omnium præstantissimæ, omnium gentium peræque communes, prorsus necessariæ & immutabiles.

Ob quam sedulo ad hau-

Quum igitur sit tanta earum necessitas, tanta præstantia, enitendum omnino, ut integræ, puræ & castæ

hauriantur è saluberrimis & purissimis naturæ fontibus: non eæ quidem arctæ & rigidæ, sed blandæ ac mites, quæ morbis graviter afflictos erigant, recreent & reficiant: eos vero qui earum ope medicinam sint facturi, magna dignitatis commendatione apud omnes extollant, fiantque tandem suasori honorifica, morigero & obtemperanti frugiferæ, toti denique humano generi salutares.

eam attendendum est.

CAPUT I.

Medici officium, & quæ artis præstantia.

Ex Gal. de const. art. cap. 11. & 1. ad Glauc. c. 1.

Medici officium.

MEdici munus atque officium est curare apposite ad sanandum. Non enim semper ægrotum sanitati restituit. Apposite autem curat qui cito, tuto & jucunde remedia confert.

Medicus porro remedia confert, non solum ut naturæ minister, sed interdum ut adjutor, interdum etiam ut opifex primarius. Est enim in plerisque ars natura præstantior: ut quæ non solum naturam imitatur, sed & modo adjuvat, modo etiam superat, ac sæpe medendo plus quam natura gerit.

Naturam imitari.

Etenim humanæ vitæ moderatrix natura, cuncta quam optime potest administrat, idque assidue molitur, ut corpus in extremam usque vitæ periodum integra, aut quam saltem ortu accepit, sanitate conservet: & si qua id forte extrinsecus injuria lacessitur, eam pro viribus propulset. Quæcunque autem vel tuenda sanitate, vel morbis profligandis recte illa gerit, *imitatur, consilioque dirigit medicina*, unam sanitatem scopum agendorum sibi proponens.

Adjuvare.

Nonnunquam & morbi pervicacia impeditæ vel imbecillitate laboranti naturæ, *adjutrix medicina* fert opem, & manca inchoataque munera explet ac perficit, diuturnosque morbos plerumque breviores facit.

Superare.

Quinetiam *naturam interdum ea superat*. Siquidem luxatos artus reponit, vulnerisque disjuncta labra adducit, & in aliis non paucis præcipuam curationis partem administrat, quam minimè natura aggredi potest. Quorsum quæso constituta hæc esset tot tantisque majorum vigiliis, nisi majus quiddam & excellentius quam natura præstaret? Ut fabrica in auro, quæ naturalis est materia, opera magnifica & eximia insculpit superiora naturæ viribus; & architectura ex lignis & lapidibus ædes templaque extruit, quæ architectari natura nunquam possit: sic & meeicina nonnulla majora, interdum & præstantiora gerit, quam natura queat efficere. Nimirum quod natura instinctu solo, medicina vero rerum ducatur cognitione ac intelligentia. Quum igitur omnium quæ mundus habet medicina perspectas vires teneat, internoscatque salutaria à pestiferis, hæc quidem longe prævidet & declinat, illa consectatur & inquirit, & ita tempestive adhibet, ut suis viribus exitiales alioqui morbos leniat faciatque salutares, quos sola natura nunquam evicerit.

Ejus scopus sanitas.

Jam vero *medicinæ scopus* sanitas est. Hanc violatam restituit sanatio: quæ modo natura ac sponte, modo arte fit.

Quæ vel à natura, vel ab arte fit.

Leviores morbos sola *natura* plerumque sanat, idque per se nullo artis subsidio: graviores sæpius *arte* indigent, quos non ipsa per se, sed adhibita curatione sanat: nam quæ arte fit sanatio, non nisi curatione perficitur.

Hæc curatio est.

Est autem *curatio, recta atque conveniens remediorum usurpatio.* Remedia dicimus quæcunque corporis affectum præter naturam depellunt. Horum autem recta & conveniens est usurpatio, quum idonea quantitate & modo rationeque congrua adhibentur: atque in his *curatio omnis consistit.*

Consistit in inventione.

Tria igitur *sunt* quibus ars tota medendi constituitur: *remedii genus, quantitas, & utendi ratio*: quæ hoc libro accurate persequi consilium est.

Generis remedii.

Remedii genus ut planius cognosci percipique possit, discernendum unumve an multa esse oporteat. Si unum, simplexne an compositum: si multa, simulne omnia, an sigillatim, & quo quæque ordine afferenda sint. Atq; hæc recta censenda est methodus.

Quantitatis.

Quantitas recte designabitur, si constet, quam validum remedium, quo gradu recessus à mediocri, quo pondere, quoties & quandiu exhibendum sit.

Vten-

Vtendi rationis. *Vtendi ratio* explicat quæ per loca abigendus morbus est, cui sedi adhibenda remedia, qua forma, quo morbi tempore, quave hora.

A Hæc igitur omnia nosse oportet, ut conveniens fiat remediorum usurpatio. Quum enim remedium conveniēti & quantitate, & ratione adhibetur, arte curatio succedit.

CAPUT II.

De remedii inventione.

Ex Gal. de const art. cap. 12. *Remedii genus contrarium morbo est.* Morbus omnis contrariis profligandus: contraria enim sunt morborum remedia. Remedium est quod morbum depellit: quicquid autem morbum depellit, id illi vim infert: quod vim infert, contrarium est: omni ratione igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi depulsionem atque curationem contrariis perfici.

Contraria hic dicuntur. *Contraria multifariam dicuntur.* Quæ non in qualitate solum, verum etiam in quantitate, in numero, in situ, in figura, in omni denique genere plurimum distant, ut calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, crassum & tenue, atque etiam magnum & parvum, multum & paucum, altum & depressum contraria sunt, *Adversa & privantia.* quæ proprie nuncupantur *adversa*. Alia contraria sunt quæ *privantia* appellantur, ut plenum & inane, integrum & corruptum, continuum & solutum.

Qua triplicia. Quæcunque autem remedia contraria morbos removere & valetudinem restituere possunt, in hæc *tria genera* retulerunt medicorum celeberrimi, quæ sunt, medicamentum, chirurgia, diæta. Chirurgiam in aliud tractandi tempus rejecimus, medicamentorum alimentorumque vires hic traditiuri.

Et ea extrema. Quæ morbis adversa dicuntur, non in mediocritate quadam consistunt, sed ab hac *in oppositum divertunt*. Quod enim mediocre est in medio extremorum positum, nunquam ad mediocritatem id traducet, quod vel extremum jam est, vel in extremum devergit. Nam quum illa vel permistione, vel contactu congrediuntur, mutua actione sese obtundunt, suasque vires remittunt, ac neutrum omnino in alterius naturam, sed in medium quiddam facessit. Itaque quod frigidum est, non temperatis, sed calidis duntaxat in temperiem revocatur: quemadmodum quod tortuosum est, nisi A in adversum crebro retorqueatur, rectum vix evadet. Hoc autem in privantibus multo evidentius existit, inter quæ quoniam medium nihil intercedit, non nisi contrariis curationem perficiunt. Rata igitur constansque manet curandi lex per contraria.

Arbitrantur plerique, medendi summam legem everti, dum morbos quosdam audiunt *remediis depelli similibus*. At ejusmodi omnia morbo licet similia sint, ejus tamen *causæ* primum ac per se *adversantur*, morbo autem ex accidenti: huncque tollunt non per se, sed sublata ejus causa. Sic rheumbarbarum quamvis calidum, febrem solvit, B dum ipsius materiam expurgat. Et lassitudinem exercitatio lenit, quod humorem per musculos effusum discutiat. Et vomitionem sedat vomitio, quæ poritantem humorem excutiat. Et dysenteriam purgatio levat, noxia materia ejus efficiente causa detracta. Ad eundem prope modum *frigidæ larga perfusio convulsionem* (ut est apud Hippocratem) *solvere* putatur. *Morbi quidam similibus abiguntur, quod remedia causæ contraria sint.*

Cæterum *non* ejusmodi remedia *hic scrutamur*, sed quæ primum ac per se affectum summoveant. Sunt autem ejusmodi omnia C curando affectui vare contraria. *Aph. 25. lib. 2.* *Sed contraria hic non considerantur nisi opposita morbo.*

Itaque quum suum cuique morbo contrarium sit remedium, eademque sit contrariorum doctrina, *quot* certe *morborum*, *tot* & *remediorum genera* sunt constituenda. Ut igitur alias unicus morbus est, isque aut simplex, aut compositus: alias multi existunt, modo disjuncti: ita sane & remedium aut unum est, idque vel simplex, vel compositum, aut multa existunt, vel disjuncta, vel implicita. *Ea tot, quot sunt morbi.*

Hæc summa remediorum genera ex uno simplicique fluxerunt. Nam ut unum multis, ita simplex composito prius existit. Quocirca ut ea recte constituantur: simplicia enumeranda sunt, & inprimis investigan-

gandi colligendique simplices omnes affectus præter naturam, quicunque vel in corpore vel in humoribus aliisve contentis subsistunt.

Partis similaris morbi.

Partis quidem *similaris vitia* & simplices affectus contra naturam sunt, intemperies calida aut frigida, humida aut sicca. Ad hæc substantię laxitas & mollitudo: deinde corruptio atque putredo. Eadem vitia in humoribus quoque atque in contentis insunt, maxime vero intemperies & corruptio. Præter hæc quoque immodica exuperantia, qualis in plethora, turbulenta agitatatio atque defluxio, crassities atque tenuitas, durities & mollities, lentor seu tenacitas & acrimonia. Hæc enim quoties à naturæ modo longius absunt, vitiosa & præter naturam censeri debent.

Organici morbi.

Instrumentorum vero *vitia*, quæ quidem medicamentis emendari possunt, numerari solent: meatuum lævitas & asperitas, angustia seu coarctatio, & amplitudo seu dilatatio, densitas & raritas, occlusio & apertio. Nam cætera quæ vel in figura, vel in numero, vel in magnitudine fieri traduntur, aut ex numeratis humorum vitiis obtigerunt, aut certe chirurgiam expostulant, quemadmodum & continui solutio, affectus partis utriusque communis. Quare non alii simplices & primi affectus præter naturam consistunt in nobis, quorum sit per medicamenta curatio.

Jam vero si his adversas medicamentorum vires perscrutemur, ita quidem in medendi arte omnia inter se collata è regione respondere videbuntur, ut quot affectus contra naturam simplices, totidem existant & medicamentorum facultates, parque sit affectuum atque remediorum numerus. Quod & alia dividendi ratione certius aliquando demonstrabitur.

Remedia morborum similarium.

Itaque *intemperiei calidæ contravenit* & opponitur medicamentum refrigerans, frigidæ calefaciens, humidæ exiccans, siccæ humectans. Humorum exagitationi sedans & reprimens: defluxioni tum inhibens, tum repellens. Exuperantiæ adversatur vacuans per vomitum, alvum, uterum, per urinas & sudores, & quod per nares, aut partem aliam attrahit: & quod per cutem resolvit digeritque: crassitiei *τὸ λεπτυντικὸν* attenuans: tenuitati *τὸ παχυντικὸν* incrassans: duritiei *τὸ μαλακτικὸν* emolliens: mollitiei *τὸ σκληρυντικὸν* indurans: lentori *τὸ ῥυπτικὸν καὶ τμητικὸν*, detergens & expurgans: Acrimoniæ *τὸ ὑδατῶδες ἐμπλαστικὸν* illinens & glutinosum frigidum. Partium laxitati *τὸ συντατικὸν* contendens & corroborans. Corruptioni quod hanc inhibet, alexiterium & alexipharmacum: putredini, concoquens, suppurans & expurgans: quibus contraria sunt venenatum, corrumpens & septicum.

Remedia morborum organicorum.

Meatuum lævitati repugnat τραχῦνον exasperans, asperitati *λειαῖνον* lævigans. Angustiæ dilatans, dilatationi coangustans seu adstringens: densitati *ἀραιωτικὸν* rarefaciens: raritati *πυκνωτικὸν* densans: occlusioni *ἀναστομωτικὸν* aperiens: apertioni *συνακτικὸν* occludens. Continui solutioni & agglutinans, & sarcoticum, & epuloticum: his autem contraria sunt exulcerans, exedens, causticum & escharoticum. Omnes igitur simplices tum affectus præter naturam, tum medicamentorum facultates summatim percensuisse videor.

Hæc generalis est remediorum pro affectuum varietate inveniendorum ratio atque indicatio summa, è qua medicamentorum omnium tam simplicium quam compositorum vires peti debent.

CAPUT III.

Simplicis affectus, simplex curatio.

Ex Avicen lib. 1 fen. 4. doct. 5. cap. 1.

Simplex morbus simplici remedio tollendus.

Simplex *affectus, simplici remedio*, compositus composito propellendus. Qualis enim morbi, talis est & contrarii remedii conditio. Ut enim affectus alius simplex est, alius compositus vel implicitus: ita contrarium remedium alias simplex, alias compositum, aut ex variis implicitum fit oportet. Itaque simplicis affectus simplicissima est per contrarium curatio.

Nulla adhibita circumspectione.

Cui perspecta cognitaque sit morbi natura, facile sit, nulla adhuc arte, sed communi quadam animi notione contrarium ipsi

ipsi curando remedium opponere. Nam si vel corpus, vel humor aliudve contentum calidius evasit, cujus efficiens causa esse desierit, solis refrigerantibus ad mediocre temperatumque remigrabit: si vero frigidius, solis calefacientibus: si humidius, siccantibus: si siccius, humectantibus: si quid denique humoris copia turget, vacuantibus: si quid inanitum est, replentibus. Eademque ratione in cæteris, omnem exuperantiam contraria depellit exuperantia.

At vero inter simplices illas & primas cæterarum quasi effectrices, quæ *calida* est *intemperies*, pari tempore atque frigida discutitur. Licet enim caloris quam frigoris major sit efficacitas, illi tamen patientis corporis repugnantia magis obsistit: agenti frigori ut minus efficaci, ita & repugnantia minor occurrit, quo fit ut pari illa tempore suas efficientias exerceant affectusque compleant. At nihilominus tutior est ac mitior calidorum quam frigidorum usus. Nam frigida dum calorem præter naturam expugnare contendunt, insito pariter negotium facessunt: calida vero dum frigus propulsant, insitum pariter calorem exusciant atque fovent. Sed & insitus corporis calor adventitio quasi auxiliarius opitulatur, ut facilius ac mitius externum frigus excludat.

Nisi in morbo calido.

Itaque frigida intemperies tutius ac mitius quam calida tollitur. Id vero de recente ac levi audiendum. Nam inveterata atque consummata *frigida intemperies* ægrius multo quam calida cedit remediis, quemadmodum extrema senectus insito calore destituta ac morti jam proxima, minus medicabilis est quam hecticaf ebris.

Frigido.

Sicca quoque intemperies tardius omnino ac difficilius eximitur quam humida.

Si obscurior morbi species nondum tibi penitus cognita perspectaque est, huic ne properes remedia adhibere: sed rem totam naturæ committito. Natura enim proba ratione vivendi adjuta & innixa, aut morbum profligabit, aut patefaciet & foras proferet. Incerta quippe medicatio & irrita, non nisi dispendio decernitur. Si quid forte experiri cogeris, leve id esto, ne fiat in re ancipiti jactura gravis.

Quid morbo nondum cognito faciendum?

Hac quidem de affectu simplici ac solitario, cui nec causa, nec grave ullum symptoma assistit. Nunc de affectu quem sua adhuc causa fovet ac continet.

CAPUT IV.

De methodica & legitima curatione.

Ex Avicenna cit. loc.

Si morbo causa adhæreant, ea primum tollenda.

Causa omnis prius quam affectus methodo recta excindi & summoveri debet. Causa enim persistente affectus manet, nec penitus evelli potest. Quod si adnitaris, quantum hujus demes, tantundem assidua & continens causa (nuncquam enim, naturalis quum sit, ociosa manet) proferet: atque licet affectus interdum levior evadat, minime tamen ejus succedit perfecta curatio.

Quum recens affectus nulla adhuc firma stabilique constitutione inhærescit, totus quidem sublata causa plerunque disperditur: at quum pars quædam ejus genita jam est, pars quasi ortu novo continenter additur, tum causæ sublatio effectum non eximit. Quocirca causa primum, *genitus dein affectus summovendus*: ita enim radicitus extirpabitur, nihil ut deinceps ejus repullulet.

Mox morbus factus.

Ergo & quum longior quædam continuatio seriesque causarum existit, in qua alia ex alia nasci & existere, & omnes inter se aptæ connexæque videbuntur, *suo quæque ordine demenda erit*, ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima, investigatione vero postrema fuerit inventa. Ab hac sensim ordinatimque ad ceteras, postremoque ad morbum progressus fiet, suo cuique objecto contrario.

Ex causis primo tollenda quæ in causando prima.

Hæc non jam simplex, sed methodica curatio est, quæ non solis remediis, sed via utendique ratione completur. Hac una maxime herbariis atque pharmacopœis, quibus etiam cognita est remediorum materia, medicus est præstantior.

Esto exempli causa, impuri ejusque calidioris alimenti usu longo & immodico chilus

Quod explicatur exemplo febris.

lus acrior factus, qui dein necessitate & alterius penuria raptus in jecur, bilem multam vitiosósque humores proferat, quorum postea fit in venis facilis corruptio ac putredo, quam proxime *febris* sequatur suis comitata symptomatis. Constat sane, neque febrem, neque ejus symptomata sedari posse nisi vacuata putredine. Hanc vero frustra purgari, nisi quæ hanc gignit humorum colluvies emendetur: hanc emendari non posse quandiu chylus impurus è ventriculo affluet & impurius calidiusque alimentum suppeditabitur. Itaque nisi urgentius quidpiam interpellet, primum prohibendæ sunt evidentes causæ quęcunque impurum chylum ingenerant, mox expurganda impura omnis colluvies quę putredinis est materia, ac demum quæ his ex causis orta est humorum putredo vacuanda: ad postremum si quid caloris alieni vel in humoribus, vel in ipsis partibus derelictum sit, extinguendum.

Quendam rursum statuamus molesta *cerebri destillatione* urgeri, quæ ex immodico excrementorum proventu sit orta: hic vero ex frigida humidaque cerebri intemperie, quam vel alimentorum refrigerantium usus, vel gelidi cœli occursus pepererit: constat, ipso statim initio, tum immutata victus ratione, tum aliis quibuscunque remediis corrigendam cerebri frigidam intemperiem, mox eximendum omnem excrementorum proventum: sic demum quę ab hoc fit destillationem protinus conquiescere.

Hac ratione simplicis omnis affectus curatio pro causarum ordine procedat.

In *connexis* quoque aut consequentibus, affectus omnes eo *sigillatim extirpentur ordine*: quo sibi ortu succedunt. Affectus enim prior statim initio eximatur necesse est, ut si crebrior ea destillatio tandem illabatur in ventriculum, cujus vitio tum nausea orta, tum dejecta appetentia, tum impedita sit concoctio: neque profecto nausea tolli, neque profecto nausea tolli, neque appetentia neque concoctio restitui potest, nisi expurgato ventriculo: prorsus vero expurgari nequit, non ante inhibita destillatione: neque hæc inhiberi, nisi vacuato cerebro, sublataque frigida intemperie ejus effectrice. Itaque nisi urgentius quidpiam sollicitet, primum corrigenda frigidior cerebri intemperies, dein quicquid genitum est excrementi purgandum est: ac si quid posthac gigni contingat, id cursu naturali derivandum in nares: his quum destillatio expurgata & aversa fuerit, ventriculus omnino expurgandus, dum in eo nihil sit reliquum, atque vanescant symptomata quæ laboranti erant importuna.

Eadem methodo morbi conflexi curandi.

Hæc utique vera est & exquisita medendi ratio, ex causarum affectuumque serie ineunda. Affectus dico præter naturam qui vel in partibus ipsis, vel in contentis inhærescunt, id est, vel morbos, vel interiores eorum causas. Horum quippe vitium quodque contrario oppugnandum est. Symptomata vero inter hæc plerumque apparet interjecta, sed quorum tamen propria non est curatio, neque his contrarium quicquam è regione objicitur, quod sublatis affectibus ea protinus evanescant.

Methodi atque ordinis *inversio* non modo nihil ad curationem proficit, sed & plerumque *morbum conduplicat*. Quum enim persistente causa de morbo nonnihil subtrahitur, licet tum fortasse sibi æger nonnihil levatus esse videatur, mox tamen pari ferocitate morbus repetit, atque etiam interdum majore: ut quum collecta fluxio calidis vehementerque dissolventibus discutitur, quæ irruenti causæ motum vehementiorem afferunt & agitant.

Mutare hanc Methodum non nisi morbo noxium est.

Atque hæc quidem methodus in causarum ordine: quæ vero in implicitis & compositis affectibus tenenda, deinceps monstrabitur.

Caput V.

Quum multi morbi insunt, quænam curandi methodus.

Ex Avicenna cit.loc. *Disparati morbi, vel simul, vel seorsum tollendi.*

Quum disjuncti & *disparati morbi* in corpore consistunt, suam quisque seorsum medendi rationem obtineat. Qui ita sedibus longe distant, ut unicuique sua possint remedia cæteris intactis adhiberi, possunt ii & sigillatim, & pariter omnes curari,

rari, minimumque refert cui primum propria remedia decernas.

Non ita implicitii. Impliciti vero atque compositi non nisi methodo ac ratione summa eximi possunt. Nam *impliciti* quoniam tam vicinis partibus insident, ut communiter ipsarum functiones impediant, vix propriam seorsum curationem habent. Multo magis est *compositorum* implicita sanatio. Etenim quum uni eidemque particulæ penitus inhærescant, & in unam quasi conflati coëant; quodcunque remedium unum quempiam, idem cæteros quoque pariter attinget.

Aut compositi.

Quum igitur neque compositis, neque implicitis, singulis liceat propria seorsum accommodare remedia: quumque omnium curatio eodem tempore probe administrari nequeat, *methodus* omnium adhibenda in primis est, quæ suum cuique ordinem præstituat, & quid primo, quid secundo, quid denique tertio quartove loco sit sanandum.

Porro autem ita varie concurrentibus morbis accidit *interdum*: ut omnino *consentiant*, quum unius curatio alteri sanando conducit, aut nihil saltem obest *interdum dissentiant*, quum utriusvis curatio alteri incommodat moramque affert: *nonnunquam* vero *partim consentiant, partim dissentiant*, atque eatenus unius curatio alteri & prodest, & obest.

Nisi congruant. Implicitos morbos atque compositos qui aut *congruunt*, aut minime dissentiunt, & simul, & seorsum sanare licet, quumque id seorsum fit, ab utrovis incipere conceditur: ut si oculus suffusione & albugine teneatur implicitis affectibus, & quorum proxime sunt sedes, potest suffusio acu deprimi perstante albugine, potest & albugo deleri permanente suffusione, possunt & illæ si videatur pariter eximi. Similiter si jecur frigida intemperie simulque obstructione simplici tenetur, ex quarum permistione compositus est morbus, intemperiem medicamentis emendare licet, quæ obstructionem nec expediant, nec geminent: & hanc quoque expedire intemperie remanente: licet & simul iisdemque remediis illas tollere.

Quum impliciti aut compositi morbi *omnino dissentiunt*, nec prorsus huic aut illi, sed *utrique mediocritate* quadam & contrariorum permistione succurrendum. Sic increscenti phlegmonæ reprimentia remedia digerentibus permiscentur. Sic etiam ventriculum frigidiorem & jecur calidius temperata juvant, quæque ex calidis frigidisque constant, & modo horum, modo illorum usus alternatus. *Si dissentiant utri[que] moderandum.*

Ubi uterque incremento jam vires acceperit, quoniam contraria præsidia postulant, difficile sanescunt ac plerumque desperati & insanabiles permanent.

Quum impliciti morbi *partim consentiunt, partim dissentiunt*, ab eo auspicandum, cujus curatio alteri haudquaquam officiat, & ab eo *sine quo alterius curatio compleri nequeat*: ut quum ophthalmiæ implicatur albugo, quoniam acribus hanc detergere non est quin nova accersatur fluxio aspereturque phlegmone, hæc in primis quidem sananda, mox detergenda albugo. Quum etiam in parte ulcus est, idque cavum & inflammationi conjunctum, ulcus neque agglutinari, neque ad cicatricem perduci potest, nisi carne impleatur: carne autem proba impleri non potest, nisi inflammatione sedata pristinam temperiem pars receperit. Imo quæ cicatricem inducunt, quia valde siccant, carni gignendæ obsistunt, & quæ carnem regignunt, inflammationem augent. Necesse igitur est inflammationem primum extingui, quæ rationem ejus obtinet, sine quo nequit curatio perfici: deinde carne ulcus impleri, tandemque cicatrice obduci. *Si p[artim] conse[ntiant] parti[m dis]senti[ant]. Cura prim[um] quo [sine] cura[ri ne]quit.*

Hanc medendi methodum dictant simplicium affectuum naturę, quęque illis contraria opponuntur remedia. Horum quippe observatione cognosci potest, quid à quo, quid cum quo, quid post quod sanari possit.

Ita quidem omnis absoluta videri potest legitima morborum curatio, quam semper sequi oportet, dum nihil urgentius interveniet, quod hanc necessitate quadam interpellet.

Caput VI.

De curatione extraordinaria legitima opposita.

Avicen. cit. loc.

Semper tamen urgentiori occurrendum.

IN affectuum connexione plerumque urgentiori vel inversô & præpostero ordine inprimis succurrendum. Ab eo enim auspicanda curatio, à quo maxime ægro periculum impendet, in eumque primum medentis consilium dirigi debet.

Vrget maxime.

Vrget autem & periculosus est affectus trifariam: aut *proprie essentiæ magnitudine*, aut *læsæ functionis præstantia*, aut *facultatis offensa dignitate corpus universum gubernantis.*

Qui vires frangit.

Atque horum quidem periculosissimus est, qui universalem facultatem prosternit, & *vires frangit* corporis gubernatrices, ut quarum conservandarum gratia omnis instituatur curatio.

Inde qui præstantem functionem lædit.

Ab hoc sequitur qui præstantem quandam & *eximiam functionem lædit.*

Vltimo natura sua magnus,

Minus his periculosus est qui *magnus* quidem existit, sed citra præstantis functionis aut virium jacturam.

Cæterum si quando vel à functionis læsione, vel ab affectus magnitudine majus quam à virium jactura ægro periculum impendet, ab alterutro auspicandum, atque in id quod est gravissimum omni cura & cogitatione primum incumbendum, sive id ante susceptam curationem partum jam erat, sive recens dum legitima adhibetur curatio inveniat. Gravissimum autem dicere possis vel quod maxime ægrum in vitæ discrimen adducit, vel de quo is gravissime queritur, cujus precibus & votis interdum cedere cogimur.

Nisi unus altero multo sit gravior.

Quod explicatur exemplo catarrhi.

Hæc ut illustriora exemplis fiant, memoria repetatur frigidior illa ante commemorata ventriculi intemperies, ejusque cruditas ex *cerebri destillatione* profecta, omnisque ejus legitima curatio: cui tamen ut proposito serviat, hoc insuper addamus, tam frigidam esse ut totus æger inhorrescat, vixque queat consistere: morbi quidem vis atque magnitudo hanc primum lenire hortatur, deinde ad destillationem quæ ejus causa est accedere, quemadmodum æstuosum febris ardorem plerumque intermissa causa compescimus.

Rursum vero id quoque ponatur, congestæ pituitæ vi usque eo ventriculi appetentiam languescere caloremque remitti, nihil ut concoquat, sinatque quicquid assumitur aut crudum dejici, aut vomitione reddi: læsæ quidem functionis necessitas ac præstantia suadent in primis ventriculum expurgandum antequam irruens omnis destillatio sistatur.

Hanc eandem pituitam si *tertio* statuamus ita in os ventriculi defigi, ipsumque tam acriter ferire, rosionisque sensum invehere, ut frigidos sudores, viriumque defectioctionem ac syncopen accersat, ita quidem maxime curationis methodum inverti continget: tum quippe prætermissis omnibus, properandum ut pituita accurate abstergeatur. Tribus itaque hisce concurrentibus postremus omnium maxime urgere solet, nisi forte (quod rarissimum est) usu veniat, morbi magnitudinem aut læsæ functionis præstantiam plus negotii facessere.

Omnem igitur ejusmodi curationem extraordinariam dicere solemus.

Et ea quidem methodus servanda, sive urgentis curatio alteri morbo prosit,

Alias autem posterioris curationem prioribus prodesse, alias obesse contingit. *Prodest* in his quæ nunc commemoravi: quibus enim præsidiis posteriora, iisdem & priora tolluntur. Eodem quippe pituita medicamento potest è cerebro atque ventriculo expurgari. Expetenda omnino optabilisque curatio, qua omnibus eadem opera medeamur.

Sive nihil profit,

Quod si posterioris medicatio priori *neque confert*, neque officit, non utique magna potest celeritate perfici, sed fere longius producitur: tum nihilominus tamen urgentiori obsistendum, aliis quoad fieri potest minime neglectis.

Sive obsit.

Quum vero urgentioris curatio cæteris *prorsus obest*, atque contraria exposcit remedia, dum illi vacamus, reliqua deteriora fieri est necesse, quorum dein aut difficilior, aut certe longior sit futura methodica curatio. Hoc tamen optabilius est, quam urgentioris ferocia & effrænatione affligi & prosterni ægrotantis vires. Læsio etenim morte est tolerabilior. Qui methodum in om-

omnibus nimium pertinaciter exquirit, pariter cum morbo plerumque hominem de medio tollit.

Quod explicatur exemplo Causi. Age vero donemus, pituitam, quæ in ventriculum è cerebro fluxit, ita demum in venas intrudi, easque adeo obstruere ut bilem coërceat, hacque putrescente *causum* accendat: quis tam inconsideratus aut rudis sit, ut in perseverantem destillationem totus incumbat, neglecta febre quæ interim ægrotum sit peremptura? Quis non potius properet in primis, ardentem febrem tum vacuatione, tum refrigerantibus restinguere, etiam si quid in destillationem peccet aut etiam irritet?

Pleuritidis. Eadem est atque etiam multo manifestior in ea *pleuritide* ratio, quam è capite ruens frigida destillatio, sensimque succingentem membranam subiens excitavit.

Saviori quoq; symptomati occurrendum, morbo interdum prætermisso. *Sæviori quoque symptomati* quod vires nimiopere convellat aut etiam prosternat, in primis diligenterque succurrendum, morbo etiam interdum prætermisso. Quanquam enim sublato morbo protinus symptoma vanescit, quod nusquam in corpore subsistat, si tamen nimium grave infensumque est, ne violentia aut pernicie jugulet, leniendum protinus, ipsaque methodus invertenda.

Atque ea quidem symptomatis sanatio est, non qua symptoma, sed qua aut offensarum virium, aut novi cujusdam affectus causa existit. Nam vigiliæ, dolor excrucians, immodica omnis vacuatio, vacuandorum suppressio, prohibita transpiratio, & vires debilitant, & morbos ingenerant.

Itaque urgente quovis symptomate quandiu virium robori fidimus, methodus quidem tenenda, nec contra artis præscriptum in ægrotantis gratiam uni vacandum symptomati. At si jà vires labant, protinus symptomati occurrendum, morbo tantisper omisso, omnique ratione vires fulciendæ & reficiendæ, quo & morbo obsistere, & toto curationis spatio satis esse possint. Sic igitur temperanda sunt omnia, ut neque laborans malorum sævitia crudelius torqueatur, neque delicata mollique medicina quæ consanuisse videbantur recrudescant.

Hactenus explicatum satis, qua ratione uniuscujusque affectus remedium pervestigetur, sive id simplex, sive compositum, sive unum, sive multa: & quo hac ordine congruenter & methodice afferenda sint.

Nunc remedii designanda quantitas.

CAPUT VII.

Ut remedii quantitas definienda sit.

Ex Gal. 2. ad Glauc. cap. 2. Avicen. lib. 1 fen. 4. doct. 5. cap. 1. Expugnando morbo paria quodam modo opponenda adhibendaque sunt remedia. Ut tria erant ex quibus medendi ars constituebatur, remedii genus, quantitas & utendi ratio: ita tria sunt ex quibus illa nosse oportet, affectus species, magnitudo & partis cui insidet conditio. Ex affectus specie remedii genus innotescit, ex *illius magnitudine remedii quantitas*, ex partis conditione utendi via & ratio pervestiganda.

Quantitas remedii, cognoscitur ex quantitate morbi. Affectus speciem ostendunt propria ipsius signa quæ demonstrativa dicuntur.

Morbi quantitatem ostendit. *Magnitudinem* vero, signorum *symptomatumque vis* ac impetus, & tum à pristino & *naturali habitu*, tum ab eo qui ante morbum fuerat, *recessus* indicat.

Recessus à naturali statu. Hic autem ex laborantis natura, ex ætate & consuetudine deprehenditur. *Naturam* dico non modo insitum temperamentum, sed & organorum conformationem & situm, omnemque insitam eorum constitutionem. *Consuetudo* constat ex vitæ genere, ex superiore victus ratione & ex anni tempore, cœli statu & regione in qua quis plurimum versatus est. His si propria signa accedant, quæ alio loco prodita sunt à nobis, certum indubitatumque evadet, quænam aut totius corporis, aut partis affectæ pristina fuerit constitutio.

Et symptomatum vis. Ad hanc deinde si morbi magnitudo *symptomatum vi* percepta conferatur, plane constabit quantum morbus à pristino habitu recesserit, & quam valida decernenda sint remedia.

Cognitus sit Dion ante morbum calido siccoque temperamento, Theon vero frigido atque humido: ambos peræque adoriatur febris ephemera. Theoni qui à pristino habitu longius recessit, frigidiora remedia quam Dioni decernenda sunt, *gravius quippe*

Aphor. 3. lib. 3.

& periculosius ex Hippocratis sententia *laborat, quod ipsius naturæ, ætati atque consuetudini minus consentaneus sit morbus.* Eadem ratione senex, qui juxta ac juvenis tactus judicio febricitet, frigidiora tandem quam juvenis exposcet auxilia, licet ad ea sensim veniendum esse hortetur virium imbecillitas. Similiter quum pituitosum atque biliosum par causus invadit, biliosus cognato morbo minus periclitatur, huicque leviora medicamenta tum bilem purgantia, tum refrigerantia, quam pituitoso congruunt. In partibus quoque si tendo pari atque caro, vel humorum influxu, vel ulcere tentatur, ficciora quam caro remedia postulat.

Isque reducendus ad naturalem statum,

Et ut generatim complectar, adversus omnem affectum præter naturam adhibendum eo usque contrarium est remedium, dum in naturalem aut certe *in pristinum habitum sit regressus.*

Vel simul & semel,

Id autem alias *semel* & universim fit, alias *sensim* ac paulatim.

Remedium quod *par morbo* existit, quodque tanto recessu quanto & morbus à naturali distat, eum quidem omnino & universim eximit atque persanat. Etenim si quatuor numeris corpus incaluit, quicquid quatuor quoque numeris frigidum, paribus viribus ei convenienter adjungetur, id quidem vehementer immutabit, pariterque tantundem ab eo vicissim immutabitur, dum mutua amborum pugna mediocritas quædam emergat. Ut enim si in aquam ferventissimam alterius gelidæ par modus infundatur, permistione tepor exurget: ita corporis sanguini humoribusque valde calidis, si aut alimenta, aut medicamenta paribus viribus frigida, necdum ventriculi calore prorsus obtusa accedunt, perfusione temperies inducetur. Si quæ vero partes incaluerunt vehementius, eorum attactu adhæsuque pristinam mediocritatem recipient. Ad hunc modum humoris lenti & glutinosi adhæsionem omnem detergit medicamentum æque validum, & vitiosi exuperantiam universam tollit medicamentum quod huic semel detrahendæ sit satis.

Vel sensim & iteratis vicibus.

At vero quod suppar *infirmiusque morbo* est, hunc quidem minuit eaque ratione juvat, sed nec prorsus tollit, nec persanat. Quod enim ordine secundo frigidum sit, haudquaquam potest quarti ordinis calidum affectum semel & universim eximere, sed ejus tamen portionem aliquam delet detrahitque. Nam licet ab affectu vehementiore id fortasse victum & quasi extinctum sit, ea tamen veluti colluctatione aut sibi parem, aut aliquanto minorem alterius portionem sustulit.

Curando igitur affectui contrarium remedium alias quidem par, alias infirmius adhibendum, his fere legibus. *Levior affectus* pari contrario semel universimque summoveri potest: quandoquidem nullam id corpori viribusve insignem vim infert.

Illud in leviore,

Extremis quoque *morbis extrema diligentissime remedia* authore *Hippocrate* sunt *adhibenda.* Præcipites enim sunt & acerrimi, ut apoplexia, quique brevi oppressuri sint vires & extincturi. *In quibus* etiam *morbis materia turget, suoque motu & instabilitate omnia conturbat, statim initio valentissimum medicamentum adferendum est.* Præstat enim nonnullo virium dispendio morbum discutere, quam sinere, ut ea materia principem aliquam partem obruat, & nullo subsidio universæ vires mox collabantur & concidant.

Et extremo morbo. Aphor. 6. lib. 1. & Aphor. 22 lib. 2.

Mediocris autem *affectus* quoniam nec præceps est, nec periculosus, lente paulatimque tutius eximitur. Non enim citra corporis offensionem, & magnam perturbationem jacturamque naturæ, universum repente demoliri licet, quod in contrariorum validorum pari robore magna vi & utriusque jactura confligatur, multoque magis si corporis, aut partis affectæ substantia rara, aut eximio sensu prædita sit. Ita enim pronunciavit *Hippocrates, universim & repente, vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quovis modo corpus movere, periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum: paulatim vero quod fit, tutum.* Quum enim lente id paulatimque fit, utrique tum morbo, tum naturæ consulitur: morbus siquidem abigitur, natura quam minimum fieri potest offensa.

Hoc in mediocri.

Aph. 51. lib. 2.

Bifariam autem lente *paulatimque curationem fieri contingit*, contrariis quæ aut *pari*, aut *inferiore* sint *recessus ordine.*

Vel remedio pari excessu.

Nam & *contraria paria* si exigua quantitate adhibentur, & quæ inferiore sunt recessus ordine, identidem repetita, morbum blande sensimque eximunt. Quod enim ordi-

ordine tertio frigidum eſt, ſi morbo paris ordinis applicetur quantitate modica, non univerſum poteſt ſemel repenteque diſcutere: at idetidem ſępiuſq; repetitum poteſt.

Atque hæc profecto tametſi copia non magnopere lædunt, tempore tamen qualitatis noxiæ labem corpori quandam inurunt, ut *non admodum tutus ſit eorum uſus.* Non enim immodicum corporis calorem congruenter vel opio, vel mandragora, vel hyoſcyamo, exigua licet portione repetita extingues: neque exuperantem humorem parva portione vel ſcammonii vel colocynthidis repetita utiliter detrahes.

Quod non ita tutum.

Tutior altera eſt quæ lente paulatimque fit curandi ratio, *contrariis blandis* & quæ inferiore ſint ordine, ſed aut repetitis, aut interdum copia majore adhibitis. Senſim quippe multoque ocio & tempore affectum omnem depellunt, nullo aut certe quam minimo corporis & virium diſpendio, nec ulla qualitate inducta.

Vel, quod tutius eſt, contrariis remiſſioribus.

Ne tamen uſque adeo imbecillæ & languidæ ſint remediorum vires, ut nihil fere proficiant. Si quidem morbus vehementior illas plerumque ſic aſpernatur & contemnit, ut his vel iteratis nihil cedat. Sic vero blandæ ſint ut tamen aliquantum juvent, ne remediorum blandimentis (quod ſæpe fit) morbus exaſperetur.

Non nimium tamen imbecillis.

Viribus imbecillis levis lentaque curatio neceſſaria: ea quoque ſemper optanda, niſi morbus vehementior accelerare cogat. Tuta ſiquidem ea eſt ac jucunda, & quæ ſat cito fit ſi ſat bene.

Niſi in debilitate virium.

2. aph. 25. Hac paulatim medendi lege *ſi omnia recta ratione geruntur, neque id ſuccedit quod ratio poſtulat, non protinus*, inquit *Hippocrates*, *ad aliud eſt tranſeundum.* Tametſi enim manifeſta utilitas necdum ulla ſit ſecuta, & tardior ſit remediorum eventus, de recta tamen medendi via decedendum non eſt. Imperita ſtoliditas nihil ratum certumve obtinens, huc illuc per omne remedii genus oberrat.

Dum tamen in eodem remediorum genere conſiſtas, *per varia multa* evagari licet, ne uni aſſueſcens natura ejus vim non ſentiat & aſpernetur. Sed & plerumque remedium uni, non alteri confert, ob eas proprietates quæ ſunt medicamentis cum corporibus communes, & quæ ſola experientia deprehendi poſſunt. Quod igitur permutatione utiliſſimum compertum fuerit, id ſedulo uſurpandum, quod vero noxium, protinus immutandum.

Variiſque potius quam uni ſemper inſiſtendum.

Quæſitum ſæpe dubitatumque eſt, poſſitne blandum ac lene remedium iteratum, id ſenſim præſtare, quod validius ſemel & univerſim, hujuſque vehementia compenſari crebitate & copia lenioris.

Hoc ſane in iis remediis *veritatem habet*, quæ nec genere, nec agendi modo naturaque, ſed ordine ſolo diſtant. Nam plantago vel copia, vel crebro uſu æque refrigerarė poteſt, atque ſempervivum ſemel aut parcius admotum. At vero non id efficiet quod opium, quod huic vis inſit narcotica. Neque agaricus crebriore uſu id quod ſemel colocynthis, quod huic, non illi, vis inſit trahendæ craſſæ mucoſæq; pituitæ, idq; è ſummis & extremis corporis partibus.

In omni porro ſive repente, ſive paulatim ſuſcepta curatione, ſic adminiſtrari temperarique remedia debent, ut *neque morbi quicquam indiſcuſſum maneat*, neque contrarium morbi genus inducatur mediocritate tranſmiſſa. Id vero aſſequi in primis eſt arduum, unaque remedii quantitas, omnium quæ in arte geruntur, maxime acri eſt judicio decernenda.

Uſque dum plane ſublatus morbus, non contrarius inductus ſit.

CAPUT VIII.

Partium indicationes quibus limitatius definitur remedii quantitas.

Ex Gal. & Avicen. loc. cit. Remedii quantitatem ex morbo inventam limitat partis.

R*Emedii quantitas* quam morbi magnitudo præſcripſerit, etiam *pro partis affecta conditione augenda minuendave* eſt: non enim omni æque parti eadem congruere poteſt.

Partis autem *conditio æſtimatur* ex *ipſius conformatione, poſitu, præſtantia:* atque *ſenſu.*

In *conformatione* conſiderandum, rara ſit an denſa. In *ſitu* vero, ſitne in ſummo ea corpore inſtituta, an in alto demerſa, quam longe abſit vel ab ore, vel ab eo loco cui remediū imponitur. In *præſtantia* ſpectandum parſne ſit ex earum numero, quę principes appellantur, & corpus univerſum gubernant, cujuſmodi ſunt cerebrū, cor & jecur:

anne munus publicum habeat & toti corpori commune, ut pulmo, ut ventriculus, inteſtina, renes & veſica, & quæ his ſubſerviunt venæ, arteriæ & nervi: aut an privata ſit, ſibi duntaxat, non aliis utilis. In *ſenſu* videndum, hebeſne is ſit, an acutus.

Conformatio. Horum autem animadverſione remedii quantitas atque vis ſic eſt immutanda. *Pars denſa* & compacta, remedia expoſcit validiora & attenuantia magis, quorum vis intro ſubire poſſit, cujuſmodi ſunt renes & jecur, & quæcunque ſolida pars appellatur. Quæ vero ſubſtantia eſt *rariore*, ut lien, pulmo & muſculorum caro, mitiora poſtulat.

Situs. Affectus *in corporis ſummo poſitus* pari quodam modo remedio abigi poteſt: qui vero *in alto corpore* demerſus latet, valentius & attenuantius flagitat: validiora quippe inflammato jecori quam inflammato abdomini extrinſecus imponuntur. Et ex aſſumptis vehementiora renibus quam ventriculo debentur, quandoquidem in ventriculum illabuntur ea viribus integris: ad renes vero hebetiora & imbecilliora reddita, neque qualia aſſumpta ſnnt perveniunt. Longior quippe via eſt per viſcera parteſque multas directa, in quibus remedia aliis permiſcentur humoribus, nec levem mutationem ſubeunt. Quocirca longe acriora & vehementiora decernenda ſunt, pro viæ longitudine & partium quas permeant numero.

Præſtantia. *Præſtantia* porro idcirco mitiora expoſcit remedia, ne vehementiorum appulſu & contagione facultas aut offendatur, aut diſſipetur ad vitæ conſervationem neceſſaria. *Privata* vero *pars* & ignobilis vehementiora perfert, & quanta expoſcit morbi magnitudo. Principi parti laboranti nullum adferendum eſt remedium quod immodice vel relaxet, vel refrigeret, vel aliena & occulta qualitate ſit præditum, ſed id ſemper quadam corroborandi facultate polleat.

Senſus. Ob *ſentiendi* quoque præſtantiam neque oculus, neque os ventriculi, vehementia acriaque medicamenta: hebetioris vero ſenſus partes, & valida, & acria medicamenta nullo incommodo ſuſtinere ferreque poſſunt.

Atque hæc quidem ſunt omnia, quorum ſumma eſſe debet obſervatio, ut certa decernatur remediorum quantitas. Ex his A enim & ex intellecta morbi magnitudine, ſciri poteſt quam validum remedium, quo gradu receſſus, & quo pondere conveniat, ut affectum ſemel univerſeque demat: aut quoties & quouſque admovendum ſit, ſi lente paulatimque id ars efficere præcipit.

Semper autem priſtini habitus memor, in eumque intentus, eouſque curationem promove, dum in eum factus ſit regreſſus. Eo quippe redire conſilium eſt, unde morbus exordium duxit. Priſtinum ſtatum, licet vitioſum, qualem acceperis conſerva, nec quandiu morbus fatigat, de ejus in meliorem commutatione labores, niſi aut morbi cauſa ſit, aut ejus curationi officiat. Sublato recentiore morbo recreatiſque viribus, ſi quid demum vetuſtioris ineſſe deprehendetur, id ſenſim otioque multo, ſi B videtur, demoliendum. Nam *quæ longo ſunt tempore contracta, lente curare oportet: quæ brevi, breviter*: ut creationis morbi atque curationis paria quodam modo ſint temporum momenta. Quiſquis remedii quantitatem arte conſequi ſe poſſe diffidet, omnia ſenſim paulatimque gerat, dum æger ſibi videatur reſtitutus & priſtinas receperit vitę functiones. *Quouſque progrediendum in curando.* *Aphor. 7? lib. 2.*

Quæſtionis hujus magnitudine non pauci occupantur: poſſitne quis ex morbo in priſtinum & æque atque antea ſalubrem ſtatum redire. *Et ad priſtinum ſtatum.*

Validis hæc utrinque rationibus agitatur, ſed quicquid in ea vel obſcurum, vel ambiguum eſt, *explanatione adhibita elucebit.* C Morbus ſæpe repente emergit, cnjus cauſa ſenſim radices egerat. Nam quicunque continentem cauſam intus habet, ſenſim multoque tempore genitus eſt: ut licet fortaſſe continua febris repente hominem prehenderit, ejus tamen cauſa, quæ humoris eſt vitium, multo ante tempore ſenſim invaleſcebat, ob quam neque tum omnino & integre ſanum corpus erat. Quum igitur febris ſublata cauſa perfecte ſanatur, corpus non modo ad priſtinum ſtatum redit, verumetiam plerumque ad multo meliorem eo qui ante febrem fuerat.

At vero fieri arte nulla poteſt, ut ad ſimilem habitum redeat ei qui ante morbum & ejus cauſam fuerat: aut ſi morbus ſine continente cauſa fuit, fieri nequit ut in priſtinum ſtatum regreſſus ſit. Qui enim naturalis

lis bonusque erat, ex morbo nonnihil immutatus est, parsque affectione aliquid contraxit, cujus naturam aut diu, aut perpetuo redolet, manetque imbecillior: quod in gravioribus morbis luculentius apparet.

Inventum jam est affectus cujusque remedium, ejusque designata quantitas.

Restat utendi ratio, quæ cui parti, & qua forma, quoque tempore & hora id adhibendum sit, explicet.

CAPUT IX.

Utendi Ratio.

Ex Avicenna loc. cit.

Locos remedia applicandi quæ indicent.

Remediorum alia vacuant, alia duntaxat immutant, vitiosumque affectum depellunt. Remedia quæ solum immutant, sive externa, sive interiora sint, affectæ parti, quam proxime licet, adhibenda. Id autem *partis affectæ situs* ostendit & *sedes atque consensus*.

Pro remediis externis.

Nam si *externa pars* est, ei ipsi imponenda sunt quæ immutent, vitiosumque affectum removeant: ea quippe non nisi contagione quicquam efficiunt. Quum autem interior est affectus, ejus sedes indicat remedia ei parti extrinsecus imponenda, quæ illi proxima è directo respondet. Quocirca ex anatome compertum sit oportet & notum, cui cutis regioni pars quæque interior subjecta subditave est.

Internis alterantibus.

Quo modo vero *intro sumenda* recte exhibeantur, demonstrat partis consensus atque societas, & viæ in affectam partem ferentes atque directæ. Quum enim cognitum perceptumque fuerit qua via ad partem affectam facilior expeditiorque transitus est, mox in promptu erit illac etiam intromittenda esse remedia.

Cerebrum,

Sic cerebri affectus corrigunt & immutant auxilia, quæ capiti maximeque syncipiti & coronali commissuræ foris adhibentur, & quæ induntur in aures, quęque vel substantia, vel suffitu per nares intro subeunt: iis vero quæ eduntur bibunturve, immutandi cerebri parva & admodum lenta vis inest.

Pulmonem.

Pulmonum, laterum, thoracisque interiori vitio succurrunt, quæ foris pectori imponuntur, & quæ vaporis specie una cum spiritu hauriuntur, & quæ sensim lambendo & deglutiendo illabuntur in arteriam: minime vero quæ ore accepta in ventrem statim devorantur.

Ventriculum.

Ventriculum, jecur & lienem immutant & corrigunt, tum quæ admoventur, tum quæ sumuntur convenientia remedia.

Intestina.

Intestinis superioribus potio clystere utilior, inferioribus clyster potione convenientior.

Renes.

Renibus & externa cenveniunt, & intro sumpta, & subdita, ut clyster.

Vesicam.

Vesicæ atque utero externa, immissa & assumpta.

Vacuatio autem fiat per communes patentesque vias, in quas natura commode dirigit. Has vero *ostendunt* partis affectæ *conformatio* atque *consensus*.

Conformatio quidem, ut quæ illius sit figura, quæ in eo aut circum eam spatia sint, in quæ excrementa sua deponit.

Consensus, ut quas & ex quibus locis in se vias habeat pertinentes, quibus supervacanea suscipit, & quas alio de se emittit, quibus illa depellit atque propulsat.

Internis evacuantibus.

Quum igitur vacuatio triplex habeatur, una absolute vocata, altera quæ revulsio, tertia quæ derivatio appellatur: simplex quidem & absoluta vacuatio eorum est, quæ citra motum ullum aut exagitationem peccant. Revulsio eorum quæ ex quavis sede in partem aliquam impetu feruntur & influunt. Derivatio eorum quæ partem obsident, ipsi quodam modo jam impacta.

Ad simplicem evacuationem.

Itaque ventriculum aut summa præcordia suis vitiis utiliter *evacuat* vomitio: intestina clyster: viscera atque mesenterium purgatio: venas majores venæ sectio: habitum corporis evaporatio aut sudorum eruptio. Ita igitur simplex fit evacuatio.

Revulsionem.

Revulsio vero ex humoris motu spectanda. Si enim constet, ex qua parte in quam is incumbit, facile fit revulsione eum in contrariam partem retrahere, ejusq; cursum inhibere. Sanguis vel quivis humor cum sanguine per venas confertim in quamvis corporis partem supra claves positam irruens, revelli debet, *secta* è regione cephalica cubiti *vena*. Influens autem è venis majoribus in aliquam earum partium, quæ inter claves & renes sitę sunt, revellitur, secta è regione basi-

Per venæ sectionem.

basilica cubiti vena: Qui autem in eas partes decumbit, quæ inter renes & femora interjacent, sistitur, si quidem plethoricum corpus est, primum sectione interioris venæ, deinde saphenæ, idque è directo sedis affectæ. At si minimum plethoricum corpus est, una saphena aperta, satis revellit.

Purgatione. Aliorum humorum quocunque influentium, revulsio etiam *purgatione* fit: præsertim si è jecore majoribusque venis, vel in totum corporis habitum, vel in caput, vel pectoris sedes, vel in renes & vesicam, vel in uterum aut crura procumbant. E jecore aut è liene cursus præceps in alvum vomitione revellitur, quemadmodum & vomitio dejectione.

Ad derivationem, *Derivationis* porro & genera, & loca multo plura existunt, quæ ut apertiora sint, sigillatim accuratius persequar.

E cerebro. *Cerebri* humores quicunque partem priorem habent, per nares errhinis sunt derivandi: qui partem summam, per commissuras: qui partem imam apophlegmatismis, per palatum: qui latera, plerumque per aures: qui posteriora, ejus venæ sectione quæ puppis appellatur.

Oculis. *Oculorum* epiphora & lachrymæ derivantur per coronalem commissuram: eorundem externa vitia collyriis eluuntur, interiora vero quæ è cerebro per opticos nervos fluxerunt, per occipitium, vel commodius per id cavum quod pone radicem est infimæ auriculæ.

Qui in *auribus* congesti sunt humores, per eas ipsas expurgantur. *Auribus.*

Et qui circum fauces, vel sectis venis quę sub lingua extant, ut in angina, vel detergente & discutiente gargarismate. *Ore.*

Pulmones, latera interioraque pectoris vitia, una excreatio purgat: quanquam interdum suppuratio aut abscessus pleuritidis, aperto latere foras derivatur. *Thorace,*

Ventriculi pars summa, vomitione: ima, dejectione levanda. *Ventriculo,*

Iecoris pars gibba per urinas; pars cava, quemadmodum & *mesenterium*, & *pancreas*, & *intestina*, & *lien* totus, omnis denique intestinorum affectus, per alvum expurgatur. *Iecore*

Renes & *vesica* per urinas: *testes* spermaticaque vasa per parastas: & *uterus* per suam ipsius cervicem. *Vtero. Testibus. Renibus.*

Quæcunque aliter & per alia loca fit, nec naturæ motu, nec arte, sed humoris impetu fieri putetur.

His quidem omnis exposita videtur remediorum adhibendorum ratio: nunc de eorundem formis.

CAPUT X.

Medicamenta qua forma, quo tempore conveniant.

Ex Avicenna loc. cit. *Formam remedii indicat partis situs, & natura.* Variæ multiplicesque medicamentorum *formæ* omnes duabus continentur, liquida, & solida. Utra autem sit utendum, *ostendunt affectus species* & *partis affectæ natura* atque *situs*.

Pars affecta *longius* à remediis absistens, aut solida atque densa, liquidiorem medicamenti formam expostulat, ut quæ altius ac promptius penetret omniaque subeat. *pars* vero *propior* aut rarior, solidis etiam juvari potest.

Affectus species. *Medicamenta* autem quæcunque intro sumuntur, ut vel *emolliant*, vel extenuent, vel detergant, vel dissolvant digerantq; & quæ foris admoventur, ut vel eadem præstent, vel dilatent, vel relaxent: omnia quidem liquidiore forma efficaciora sunt. Quæ vero vel *repellunt*, vel attrahunt, vel incrassant, vel inferciunt, vel astringunt atque densant, vel corroborant, sive intus, sive foris adhibenda sint, majorem vim obtinent effectumque promunt manifestiorem solida. Quæ *medias* quodammodo vires habent, ut pleraque detergentia aut emollientia, his media quoque forma, qualis unguentorum est & eclegmatum, aptari accommodarique debet.

Et hæc de remediorum forma: nunc de tempore.

A levioribus remediis ad majora transeundum. In morbis curandis magni semper momenti est *opportunitas*. Affectus qui aliquantum protrahitnr, vix nisi mutatis remediis sanescit. Simplex affectus qui levioribus præsidiis tempestive non cessit, valentioribus profligandus.

Quum autem diversorum quadam remediorum serie curatio perficienda est, non nisi *prioris effectu inducto*, *posterius aggredimur*. Non enim durum scirrhosumque tumorem

rem discutere conandum, antequam is plane attenuatus sit & emollitus. Neque erysipelatis humorem digerere priusquam id omnino deferbuerit. Frustra enim posterius tentatur, relicto priore.

Qualisque morborum, talis sit & remediorum mutatio. Ad hæc vero, *qualis morborum per sua tempora, talis sit & remediorum mutatio* Fluxionis initio adstringentia quæ hanc repellant, sola ex usu. In statu quum fluxio plane consistit, digerentia. Incremento vero utraque permista. Aut si forte congesta materia digeri minime posse videatur, ejus dein suppuratio procuranda. Et in febribus cæterisque partium morbis, primum quidem initio exuperantis materiæ portio vacuanda reliqua dein naturæ imitatione præparanda: quumque jam illius beneficio concocta, aliquo propellitur, illac etiam protinus arte vacuanda ac prorsus extirpanda. Aut si forte nullus vel certe languidus sit naturæ motus, artis præsidium ejus vices tempestive suppleat. tunc enim medicamento locus est. Opportune gerit omnia qui morborum temporibus omnique mutationi remedia accommodat. Naturam quippe adminiculantem habet qui progressum ejus imitatur. Felix autem medicatio cui adjutrix natura succurrit. Irrita vero quæ citra naturæ opem tentatur.

Ex Gal. 1. Aph 7.10. 11.& Avicenn. loc. cit. initio.

Secundum quam victus ratio quoque mutanda. Sed & *victus ratio præscribenda est ex morborum temporibus*. Nam initio tenuis quodam modo est habendus, incremento tenuior, in statu tenuissimus. Quum enim sævissima symptomata vigent & natura in morbi concoctionem tota incumbit, alio avertenda non est, neque plenioris cibi concoctione distrahenda. Et quo brevior futurus est morbus, hoc victus tenuior pro cujusque temporis conditione imperandus: quo vero longior, eo minus tenuis. Itaque sine clavo & remis navigat, naufragium tandem facturus, qui nulla temporum observatione medicinam facit.

Duo & ratione paroxysmorum. Iam vero quum plerique morbi certis horis concitentur vehementius & exasperentur, neque ullius fere sit eadem & perpetua æquabilitas, horarum quoque tum alendo, tum medendo habenda est summa ratio. *In accessionibus* (inquit *Hippocrates*) *cibo abstinere oportet: nam adhibere noxium*. Quum enim per circuitus irritantur morbi, natura his

aphor. 11. lib. 1.

obsistens nova cibi coctione avocanda non est. Sed & ipsa concoctione suscitatus calor morbum plerumque gravius exasperat, quum etiam secunda valetudine non pauci dum cibus conficitur ingravescant, aut non parum agitentur. Huc adde, in ipsa morbi maximeque febris excandescentia, tetro vapore corpus universum perfundi, eoque recés sumptum cibum labefactari & maxima ex parte corrumpi. Quo fit ut neque in accessione, neque quum mox futura est, sed duntaxat quum ejus est decessio seu inclinatio, aut intermissio, cibus adhibendus sit.

Neque medicamenta benigna, nisi vacuo ventriculo exhibenda. Medicamentorum autem extrinsecus admovendorum nulla stata hora, nisi quum ventriculum aut præcordia attingunt: hæc enim cibo præmitti debent. Quæcunque vero *intro sumuntur, expleta concoctione* exinanitoque ventriculo juvant, nec antequam exciderint, cibus est offerendus, nisi quum forte maligna qualitate prædita sunt. Hebetatur enim eorum vis & obruitur permistione cibi, neque longius potest syncerior ea provehi, plerumque etiam permistum cibum corrumpit. At quum *perniciosa qualitas* medicamento, ut elleboro, inest, ne ejus contagione exinanitus ventriculus gravius offendatur, cibi reliquias inesse conducit, ut quæ illius vires non eximant, sed duntaxat exuperantem ferocitatem infrænent.

Maligna vero pleno.

Nec vacuatio ulla in paroxysmo molienda. Neque præterea quum *morbi accessio* fatigat, vacuatione ulla convellendæ sunt vires. Perutilis & accommodata est vacuationi hora quæ exacerbationem aliquantum præcedit. Tum enim cumulata materia exacui moverique incipiens, promptius evellitur. Cautio tamen etiam atque etiam adhibenda, ne vacuatione immodica dissolutæ vires, succedentis exacerbationis impetum ægrius perferant.

His summas medendi leges perstrinxisse videor, quibus unicuique cognito perceptoque affectui, mox remedium ejusque quantitas & utendi ratio præscribatur.

Quod autem summatim comprehensum est, nunc particulatim discutiendum, & unoquoque remedii genere proposito excutiendum, qua id quantitate, & qua ratione ac methodo, curando morbo adhibendum sit: à vacuatione, quæ fere omnium morborum communis est, inducto exordio.

Methodi medendi, libri primi, Finis.

LIBER SECUNDUS METHODI MEDENDI DE VENÆ SECTIONE.

CAPUT I.

Quid evacuatio, quotque sint humorum vitia.

Vide lib. 1 Pathol. c. 20.

Hactenus Methodus universalis tradita est.

MEdendi *methodo certis legibus stabilita*, summa remediorum genera, quæ unicuique præter naturam simplici affectui ex adverso opponuntur, eorum quantitatem, utendique rationem summam, attigimus.

Nunc, quo sit artis cognitio ususque certior *particulatim in unoquoque remedii genere* accuratius versandum, & explicandum, quæ cujusque vis sit, quæ congruens quantitas, & quæ utendi ratio.

Nunc Methodus in usu singulorum remediorum tradenda;

Quoniam autem contenta dum præter naturam existunt, quamplurimorum morborum interiores causæ fiunt, quas in primis ars summovere præcipit, illorum *evacuatio*, ut maxime generale remedium, *cæteris jure præmittenda.*

Auspicandumque ab evacuatione;

Est quidem *evacuatio eorum quæ præter naturam in corpore continentur expulsio.* Continentur autem spiritus, humores & excrementa. *Excrementa* sunt fæx alvi & urina, & quæ à partibus quibusdam, ut à cerebro, & à pulmonibus, redduntur. *Humores* alii supervacui, alii proprie succi nuncupantur. Supervacui, qui à sanguine vi naturæ secreti alendo corpori inutiles procul amandantur: ut pituita, quæ in ventriculo & circum intestina hæret: bilis flava, quæ in propria cysti; & melancholicus humor, qui in liene est. Succi dicuntur qui in corporis substantiam converti ipsumque alere solent: hoc genus ii sunt ex quibus sanguinis moles constituitur, & ii quos aliquando diximus secundarios appellari. Jam vero horum singula alias secundum naturam, alias præter naturam consistunt. Secundum naturam, quum decoram & consentaneam tum qualitatem, tum quantitatem obtinent, conveniuntque naturæ legibus, & integram sanitatem tuentur. Præter naturam, quum vel qualitatis, vel quantitatis modum non tenent. Itaque quicquid horum à mediocritate, & à justo naturæ modo manifeste deficit, quia morbi causa existit, si emendari aliter non potest, protinus auferendum expellendumque est. Hæc autem illius expulsio, est evacuatio.

Et quare.

Vacuationis porro *differentiæ* ex contentorum tum vitio, tum situ comparandæ instituendæque sunt. Contentorum vitia sunt *plethora* & *cacochymia*, quæ hoc modo accipienda sunt.

Venarum sanguis nequaquam simplex est & uniusmodi, sed ex pituitæ, bilis utriusque & puri sanguinis permistione conflatus: atque hos etiam succos, ex omnium consensione usuque dicendi, sanguinis appellatione designamus. In homine bene temperato & optime sano, minus est bilis flavæ quam melancholiæ: minus hujus quam pituitæ, & pituitæ minus quam sanguinis puri. Justa illa & naturæ conveniens omnium humorum proportio, consentanea & naturalis est æquabilitas: atque is sanguis optimus & benignus censetur, qui ex quatuor succorum naturalium æquabilitate constat. Non sic quidem ut is parem habeat omnium portionem, sed pro ratione quam dixi cuique idoneam.

Quæ vel emendat plethoram.

Sanguis autem quantitate peccat, quum succi omnes in qualitatis mediocritate positi, supra justam & naturæ congruentem mensuram accumulantur & increscunt. Tum sane corporis universa moles intumescit, & venæ supramodum plenæ tensio-

Ad vasa

ſionis ſenſum invehunt, omniaque membra, præſertim ab exercitatione, exporrigi videntur. Hæc iſta conſtitutio, tametſi bonis conferta eſt humoribus & vires obtinet robuſtas, hoc tamen malum circumgerit, quod ad immodicam pervenit redundantiam, quæ in gravia pericula præceps ferri ſolet. Sive autem in hac ſuccorum omnium æquabilis eſt redundantia, ſive ſyncerioris ſanguinis ſumma ubertas & affluentia, quia purus ille ſanguis reliquos in permiſtione ſuccos magnopere vincit, non qualitatis, ſed quantitatis ſolius vitium ſubeſt, debetque utraque plethoræ genere contineri. Atque hæc ſimpliciter & abſolute plenitudo cenſetur, quam etiam *ad vaſa* jam trito & apud omnes pervulgato nomine celebrant, quod amplam vaſorum capacitatem prorſus impleat, etiam ſi vires non premit.

Ad vires,

Alterum genus eſt plenitudinis quæ *ad vires* refertur, in qua tametſi vaſa non tument, nec copia diſtenduntur, plus tamen utilis ſanguinis & alimenti continent, quam à natura regi gubernariq; poſſit. Mediocre alimentum ſæpenumero infirmiori naturæ moleſtum eſt & grave, quod licet per initia ſit puriſſimum, diu tamen vix tale perſiſtit: ſed à noſtri caloris gubernatione deſtitutum, tempore dierumque numero corrumpitur, fitque morborum cauſa.

Vel Cacochymiam.

Cacochymia eſt vitioſitas ſeu vitioſa humoris qualitas, qua is à juſta mediocritate deſciſcit. Sub hac humorum pernicies atque corruptela corporis functionibus incommodat, ejuſque colluvie corpus ſordeſcit & labefactatur. Eſt autem ea bipartita. Una mitior, quum vel ſupervacui humores immodice accumulati ſunt, vel ſucci in ſanguine non illa juſta naturalique proportione & concordia tenentur. Altera deterior, quum vel ſupervacui humores, vel ſucci, tum primi, tum ſecundarii, à naturali & convenienti ſua temperatione in vitium prolapſi ſunt, quod aut ſubſtantiæ, aut temperiei corruptio quædam eſt. Horum utrumque rurſum aut cum putredine aut citra putredinem obtingit. Latius vero patebit cacochymiæ appellatio, ſi excrementorum quoque vitia comprehendat.

Locus plethoræ & cacochymiæ.

Contentorum porro vitia quibus ſedibus inſint & ubi poſita, noſſe quidem maxime oportet ante quam vacuentur.

Plenitudo quæ Græcis eſt *plethora* potiſſimum *in venis* atque in corporis habitu conſidit: at *cacochymia in omne corpus* diſpergi diffundique ſolet.

In corporis regione universali.

Quo ſit autem vacuandi ratio conſpectior, *corpus univerſum in tres publicas regiones diſtribui* partirique debet, quæ propriis limitibus & terminis circumſcriptæ tum varia ſupervacuorum receptacula tum vias expurgandi varias ſortitæ ſunt.

Prima.

Una vereque *prima* e gula in mediam jecoris partem dirigitur, in qua ventriculus, venę meſaraicæ quæcunque ad portas concedunt, cava jecoris, lien, & his interjectum pancreas, includuntur.

Secunda.

Altera è medio jocinore in tenues partium ſingularum venas excurrit, comprehendens jocinoris convexa, omnemque venam cavam, atque illi comitem arteriam majorem, & quicquid earum incidit inter axillas & inguina.

Tertia.

Tertia regio muſculos complectitur, membranas & oſſa, omnem denique corporis molem, quę ab ipſo ingreſſu arteriarum venarumque minorum, in partes ſingulas & in ſummam extimamque cutem profertur.

Magna profecto iſtarum regionum varietas, quum propriis finibus ita circumſcriptæ ſint, ut inter eas communionis minimum intercedat. At multo maxima ex propriis cujuſque viribus: quum ſint aliis aliæ coctiones, excrementa alia, & viæ ad expurgandum aliæ: ex quorum animadverſione omnis fere medendi ratio ducta derivataque eſt.

Aut in regione particulari.

Præter communes ac publicas corporis regiones, extant haud paucæ *arctiores*, excrementis etiam ſubjectæ, quæ nec late dimanant, nec in univerſum corpus influunt. Hoc genus ſunt cerebrum, pulmones, renes, & uterus.

De Venæ Sectione.

	Sect.	Aph.		Sect.	Aph.
uſus.	6.	22.	*item.*	7.	46.
vere competit.	6.	47.	*urinæ difficultatem.*	6.	36.
item.	7.	35.	*ſtillicidium.*	7.	48.
ſolvit oculorum dolorem.	6.	31.	*frontis.*	5.	68.

Caput II.

Evacuationum genera & differentiæ.

Ex Gal. Art. Med. cap. 99. *Vnde evacuatio.* *Alia universalis,* *Et quæ,*

Hinc recte *vacuationis differentiæ* duæ statuuntur, una *universalis*, *particularis* altera.

Vniversalis est quæ communiter ab universo corpore materiam subtrahit. Hujusmodi sunt sudor vel perspiratio, sanguinis profusio, vomitio, & alvi subductio. Harum siquidem quæcunque primum obtigerit, quanquam plurimum ac valide regionem unam, cæteras tamen etiamnum consecutione quadam licet parcius exinanit.

Vomitio primum quidem ac maxime ventriculum, deinde si persistit, viscera venasque majores, postremo corporis habitum.

Alvi dejectio primum & abunde intestina, ventriculum, viscera, primasque venas, deinde venas majores, postremo minores, habitumque corporis.

Sanguinis profusio primum venas exhaurit & arterias illis anastomosi conjunctas: exin corporis molem ipsaque viscera.

Quæ *per cutem fit dissipatio*, proxime quidem è corporis habitu dissolvit, secundo è venis arteriisque grandioribus, ad postremum è visceribus & ex intima corporis regione.

Alia particularis, *Et quæ,*

Particularis autem evacuatio partem duntaxat aliquampiam excrementorum onere pressam levat. Quo in genere est cerebri per palatum & *nares expurgatio*, *excreatio*, quæ pulmonum & pectoris vitia extussit, arenularum aut puris è renibus *emissio*, *sanguinis* ab utero aut hæmorrhoidibus *profusio*: hæc enim podicem, illa uterum in primis, utraque venam cavam expedit: quum alvus *balano* vel *clystere* movetur, aut ex quovis loco *per cutem* fit *eruptio*, particularis quoque vacuatio existit.

Ex Gal. com. 3. de alim. t. 12. *Vtraque vel naturalis,*

Unumquodque porro *vacuandi genus* alias *sponte*, alias *arte* fit.

Sponte quum citra ullam medicationem quippiam è corpore effunditur. Id fit interdum *natura duce*, quæ dum integre valet nobisque recte moderatur, quicquid vitiose se habet aut superfluit, id omne corpore excludit: estque tum naturalis & opportuna evacuatio.

Fit & interdum *præter naturam*, quum imbecillior facultas humores corporis regere atque cohibere nequit, eosque prorsum diffluere sinit: aut licet robustior validiorque sit, interdum tamen humoris copia, vel acrimonia, tantopere lacessitur, ut hunc è vasis recepraculisque suis proprio impetu foras exilire sinat. Utraque *symptomatica*, irrita, præter naturam, nullique usui est evacuatio, quod benignus atque salutaris humor pariter cum pernicioso promiscue, nullo delectu, nullisque legibus prorumpat. *Symptomatica,*

Artificiosam evacuationem perhibemus, quæ externi subsidii ope suscitatur. Ea rursum bipartito scinditur. Una legitima existit, quæ, quod vel qualitate, vel quantitate negotium facessit, duntaxat exterminat. *Artificiosa.* Altera huic adversatur extraordinaria, qua utilis & qui in nullo vitio est humor exigitur: hæc medentium culpa vel inscitia decernitur, qui neque quod justum, neque quod idoneum est, perspectum habent.

Evacuationem natura non externa ope, sed suis duntaxat viribus, maximeque expultrice complet: medicus vero variis subsidiorum generibus, quæ in ea comparat & accommodat. *Profundendi sanguinis* gratia venam aperit aut scalpello, aut hirudine, aut medicamentis quæ ora venarum reserent. *Ea fit variis subsidiis.* *Emissione sanguinis.*

Purgationem molitur medicamentis, quæ noxios humores è corpore eliciunt, ac dein eos foras vel vomitione, vel dejectione pellunt. *Purgatione.*

Perspirationem vero atque sudores, exercitatione, frictione, motu omni, æstu, balneis, præsertim nitrosis, sulphureis aut bituminosis, & ex accidenti inedia. Per hanc enim dum nihil offertur alimenti, insitus calor humoris plurimum populatur atque dissipat. Multa insuper attenuantia medicamenta tum foris adhibita tum intro sumpta, corpus per halitum perque sudores digerunt. *Exhalatione,*

In *partium* quoque *vacuationibus*, cerebrum per nares expurgant errhina medicamenta, & per palatum apophlegmatismi: pectus & pulmones expediunt, quæ be-

Particularis evacuatio. bechica nuncupantur, renes & veficam diuretica: uterum hysterica: alvum resolvunt balani & clysteres. Ex unaquaque demum particula eruptionem movent adhibita digerentia, suppuratoria, amyctica, caustica: item hirudines, cornua, cucurbitulæ, sacrificatio, & ferrum candens.

A Hæc igitur præsidia & tanquam instrumenta medici ad omnes omnium generum omniumque partium vacuationes sibi compararunt. *Singulorum autem remediorum quæ hic generatim percensui, tractationem jam jamque diligentius exequamur, à vena sectione exorsi.*

De Evacuatione.

	S.	A.		S.	A.
extrema periculosa.	1.	3.	*curat morbos ex repletione.*	4.	22.
usque ad syncopen.	1.	23.	*repletio contrà.*	2.	22.

CAPUT III.

Quid & unde vena secta vacuet.

Ex Gal. de cura per venæsectionem passim. QUum quatuor ex succis sanguis totus constet & cohæreat, iisque tenui sero perfusis, omnes quidem caloris & concoctionis quæ in jecore perficitur efficientia, ita accurate exquisiteque permisti sunt, ut nullus ne minimum quidem à cæteris disjunctus compareat. *Sectione venæ sanguis effluit.* *Incisa vena*, idque patente satis foramine, continendi facultas nequit obliquis fibris tam arcte sanguinem continere ac inhibere, quin is *aperta via excidat* defluatque. Imo si forte conetur avidius complecti atque supprimere, contractis venis hunc uberius è vulnere profundet.

Emanat autem, non quemadmodum in purgatione, seorsum hic illeve humor, sed *sanguis universus*, qualem in venis haberi commemoravimus. *Vniversus, bonus, malusque,* Atque tametsi moderatus aut etiam paucus sit, motu tamen impetuque suo prorumpit, nihil aut minimum protrudente natura. Neque per morbos in quibus vitiosa est humorum constitutio, natura potest sic opus moderari, ut aperta vena id solum quod vel redundat, vel vitio contaminatum est, effundat. In crisi (fateor) nonnunquam infestum humorem concoctione præparatum ab aliis segregat, ac tandem per vias idoneas excludit: at nihilominus si tum venam incidere contingat, per eam minime possit tantulo tempore vitiatum humorem secernere atque exigere.

Quod *Avicennus* ait, *phlebotomiam bonum sanguinem rapere, malum vero intus relinquere*; *Non ut volebis.* quodque metuit, *ne vena secta æger, vel ad biliosorum effervescentiam, vel ad pituitosorum cruditatem perducatur:*

A Si de permistis venarum humoribus id protulit *falsissimum* & inconsiderantiæ plenissimum est. *Avicenna lib. 1. fen. 4. doct. 5 c. 20.* Neque enim serum prius quam bilis, neque, hæc prius quàm pituita, vel melancholia, neque inutilis & depravatus humor antequam integer & familiaris elabitur. *Sonus tantum:*

Hoc & quotidianus, rerum eventus dilucide *commonstrat*. Dum enim sanguis effluit, simplex quidem & uniusmodi apparet: *Quod refutatur.* exceptus deinde, proprio dispèrdito calore, mox totus concrescit, ejusque partes omnes in suam quæque regionem contendunt. Serum per summa innatat, urinæ haud absimile: bilis tenuis & florida concreti sanguinis pars fit suprema, melancholia subsidit, sanguis rubentior & pituita pallidior media tenent. B Constans fit igitur, præcisa vena omnes qui in venis conditi sunt humores æquabiliter vacuari.

At vero *unde & quibus ex locis evacuatio fiat*, quærendum. Quum profluens liquidusque fit sanguis, *quisquis secto loco vicinior* assistit, primus quidem exilit, deinde qui illi junctus continuatusque est, deinceps vero totus non modo è venis & arteriis, verumetiam è visceribus & ex habitu corporis emanat. *Effluit autem primum qui secta venæ proximus: mox & remotus.* Est enim admirabilis quædam continuatio seriesque venarum, per quam sanguis sic totus transfunditur, ut patente via universus plerunque cum anima excedat.

Et quare, Fit autem sanguinis per venas & arterias transmissio, dum toto corpore analogia

quædam fit & æquabilitas: nam inanitæ & indigentes partes fibris oblongis trahunt è plenioribus, & pleniores illis subsidio veniunt, copiaque gravatæ in vacuas illas onus suum deponunt. Adde quod fusus & liquidus humor sponte sua decliviores inanesque regiones consequitur, in easq; procumbit. Itaque venæ sectio quascunque venas depleverit, universum corpus evacuat. Hinc duplici illa nomine universalis censetur, & quod omnes humores ex quibus sanguis constituitur, & quod ex universo corpore detrahat.

At certe non æquabiliter: quum enim partes ordine quodam constitutæ sint, prius ac magis è propinquis quam è distantibus: quumq; aliæ venæ in alias propagentur partes, celerius atq; validius ab iis quæ è directo, quam quę ex transverso positę sunt, hauriet. *Magis tamen qui è directo.*

Hæc rerum nominumque explanatio præmittenda videbatur vacuandi præceptis: quæ deinceps traditurus sum.

CAPUT IV.

Quæ humorum vitia phlebotomia vacuet è venis.

Ex Gal. de cura per venæsectionem c. 6. & 10. *Venæ sectio competit copiæ & motui humorum*

Humorum qui aut *peccant* in venis, aut ex his affatim *defluunt*, proprium accommodatumque remedium est venæ sectio. Illos quippe evacuat, hos revellendo sistit. In primis autem de evacuatione, mox de revulsione præcipiam.

Humorum qui in venis conduntur vitium, aut plethora, aut cacochymia est. Plethorę *exuperantisque sanguinis unicum ac proprium remedium* est venę sectio. Quumq; sit plethora duplex, una pura ex optimorum succorum pari quodammodo portione constans, altera impura, cacochymiæ particeps, quæ vitiosorum est humorum in venis redundantia, utrique secta vena succurrit.

Commoda phlebotomiæ, quum plethora gravis est.

Quum igitur musculi solidi atque distenti nec non venæ amplæ atque turgentes periculum minantur, protinus sectione venæ est opus. Hęc enim dolores extensione placat, corpus gravi pondere levatum erigit & quasi recreatum alacrius expeditiusque reddit ad omnis generis functiones: quinetiam insito calore liberalius ventilato, referatisque arctioribus viis & spiraculis, morbos arcet, quorum discrimen impendebat. Discrimen autem est, vel ne distenta vasa dehiscant aut disrumpantur, unde partium inflammationes obtingunt, & hæmorragiæ: vel ne oborta universalis obstructio insitum calorem restinguat, strangulet que vires alioqui validas, unde ardentissima febris aut repentina mors irruit. His vero malis neque purgatio, neque exercitatio, neque inedia tuto ac repente quemquam prohibere potest.

Competit

Plethora pura sanguine tutissime demitur. Impura vero non æque tuto: quo tamen ea simplici propinquior magisque affinis fuerit, hoc sanguis abundantius mittendus: parcius vero atque restrictius quo fuerit impurior. In iis igitur qui pravam constitutionem sortiti, venas supra modum referserunt, aut qui licet proba essent constitutione, vitiosis tamen se cibis impleverunt, eousque solum eximendus sanguis est, dum plenitudinis pericula vitetur. Nam reliquæ impuritati purgatio dein accommodatur. *tamen magis plet hora pura.* *Minus cacochymia.*

Calida autem *biliosaque* plenitudo omnium impurarum tutissime vena secta tollitur: ut quæ non eam modo minuit, verumetiam refrigerat. *Et ex ea magis biliosa.*

Melancholica plenitudo parcius id auxilii genus tolerat: non enim eousque calida existit ut refrigerationem postulet. *Minus melancholica.*

Pituitosa omnium certe minime: quum enim impense frigida sit, sanguinis missionem aversatur, quæ magis cruditatem refrigerans ita conduplicat, vix ut unquam concoqui emendarique possit. Sed & huic fere comes virium imbecillitas largam vacuationem minime tolerat. Quocirca decernenda non est, nisi venæ supra modum confertę grave periculum minentur: quumque necessitas exposcet, non id semel & universe, sed sensim ac partite tentandum, ea ratione quam posthac explicabimus. *Minime pituitosa.* *Ex Gal. 6. Epid. com. 6. t. 5.*

In omni igitur impura plenitudine à secta vena auspicanda est vacuatio, sine qua vix tuto purgatio decernatur. Etenim medicamentum, quod præsertim validius sit tum calore, tum trahendi facultate, humores exagitans, perturbansque plethoricum corpus, in gravius id discrimen adducit. In universum autem plenis turgentibusque venis *Et ab ea in iis incipiendum est.*

venis, si non prosit, obesse tamen non potest moderata sanguinis missio.

Plenitudo ad vires. levari quoque potest vena sectione. Iam vero altera *plenitudo* quæ *ad vires* refertur, (hæc autem signis non facile agnosci potest) licet neque vasa diducere, neque ingenitum calorem obruere possit, quoniam tamen imbecillas vires premit, ne qua fortasse putredo aut humorum corruptela succedat, *venæ sectione minui potest*, quæ tantum relinquat, quantum natura facile gubernet.

Potest tamen & alia ratione corrigi. Sed & ea quoque quoniam nullius periculi præsentis metu urget, aut victu parciore, aut *inedia utiliter subtrahitur*.

De sanguinis humorumque corruptione, aut putredine quæ in venis citra plenitudinem consistit, & quæ nuncupatur cacochymia, quam etiam nonnulli appellant plenitudinem ad vires, major dubitandi occasio existit, num etiam possit commode vena secta demi. *Cacochymia sectione venæ minuenda.* *Simplicem venarum cacochymiam secta vena minuere tutum* est ac utile, copiæ tamen ac virium ratione suscepta. Licet enim, dum in hac vena secatur, omnes humores æquabiliter prodeant, & una eademque ac ante restet humorum proportio: quoniam tamen detracta oneris portione quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, sed alacriores plerumque evadunt, quod reliquum est facilius ferunt, minoreque negotio domant atque conficiunt. Ita sane per continuas febres quum humorum summa etiamnum cruditas & putredo in venis est, plerumque misso sanguine urinæ, quæ rubræ, crassæ ac turbidæ fuerant, mox puriores apparent, concoctionisque notas exhibent.

Non autem semper vena secanda. Ita quidem ex artis principiis isthæc præcepta duci videntur atque stabiliri, ut in secanda vena, perinde ac in dijudicandis litibus, facti quam juris quæstio sæpe sit obscurior. Exercitari igitur unumquemque in his signis oportet, quæ tum plenitudinem tum uniuscujusq; humoris exuperantiam situmque demonstrant. *Quando nares stillant.* Neque imperitorum more, si vel *nares stillant* sanguine, vel *urina rubicunda* sese offerunt, protinus imperanda venæ sectio. Etenim facile *sanguis prorumpit*, non ex plenitudine solum, quodque eam vacuationē moliatur natura, sed aliis compluribus ex causis. Quibus enim exesa sunt venarum oscula: quibus etiam viscera, præsertimque jecur imbecillum vel scirrhosum evasit, iis sæpe sanguis fluit è naribus, haud secus atque hydropicis. *Aut urina rubet.* Quinetiam *urina rubescit*, cruentaque redditur, in attritu calculi renum. Flavescit ex ictero simplici, ex scirrho hepatis, atque etiam ex ascite. Nemo tamen per hos affectus recte venam secuerit. Itaque ex iis solum notis quæ uniusque humoris exuperantiam denunciant, venæ sectio tuto decerni potest.

Nec in cacochymia vitio viscerum genita. Hæc una omnium humorum qui in venis majoribus conditi sunt vitio expedite succurrit: eoque liberat, si illinc, *non* autem è *male affectis visceribus* originem habet: tum enim (ut aliquando plenius exequemur) præstantior accommodatiorque est purgatio.

Ex his igitur constare potest quæ humorum vitia vena secta vacuet.

Nunc ut è venis prorumpentes humores revellendo sistat, exponendum.

CAPUT V.

Revulsio atque derivatio, ut per venæ sectionem fiat.

Ex Gal. cit. loc. cap. 15. 16. Avicenn. lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 2. UNum *prorumpentis sanguinis remedium est revulsio*: idque sive foras, ut è naribus, aut ex utero, sive in partem aliquam abscessum facturus illabitur. Est autem *revulsio illabentis humoris in contrarium tractus*. Hoc quippe nihil celerius fluxionis impetus cohibere potest.

Motui humorum convenit revulsio. *Contraria* mathematicis sunt quæ unius & ejusdem rectæ lineæ extrema tenent, ad quæ qui fiunt motus, contrarii dicuntur.

Revulsio quid. Medicis vero contraria quæ in ejusdem venæ recto processu, per quem humorum cursus est, quam longissime distant.

Ea debet fieri in contrarium: Aperta porro vena primum quidem pars vulneri propinqua exinanitur, hæc dein è longinquis sanguinem prolicit: Quumq; id rectarum fibrarum ope compleat (illas siquidem trahendo, ut transversas expellendo, natura destinavit) plus sanguinis & expeditius ab iis partibus, in quas fibræ diriguntur, quam à cæteris eripiet. Imo etiam si nihil venæ trahant, humores tamen sponte recto fibrarum cursu defluent. *e directo.* Quicunq; in dextris sunt, dextra consectantur: qui in sinistris, fini-

sinistra. Laudanturque humorum cursus quicunque *in directum* feruntur: qui vero oblique in transversum, vitio dantur, tanquam violatæ naturæ & perturbationis indices.

Quid sit è directo.

Nomine quidem contraria sunt, ante pone, ad dextram ad lævam, sursum deorsum, intro foras. Cæterum in humorum revulsione, ne illa quidem contraria sunt, nisi & *in fibrarum venarumque recto cursu* collocentur.

Explicatur exemplo pleuritidis, & inflammationis pedis,

Pleuritidi dextra nequaquam contrarium est latus sinistrum: at *inflammato cruri dextro* contrarium est sinistrum. Hic enim communis & directa venarum societas, per quam sinistrum crus incisum evocat è dextro latere nulla vena rectis fibris in sinistrum concedit. Proinde hujus secta vena, B dextram pleuritidem non adimit, sed noxium humorem vel inflammata parte linquit, vel puro sanguini permiscet, vel (quod frequentissime accidit) sinistram pleritidem invehit. Quum itaque omne eo spectet consilium, ut à loco phlegmone occupato plus sanguinis ac celerius quam à cæteris partibus hauriatur, vena præcidetur, quæ sit in directo situ partis affectæ. Sic enim & naturam curatione, & *Hippocratem* summum virum imitabimur, qui in pleuritide interiorem brachii venam secare jubet, ab eo latere quod dolore sit affectum.

Hepatitidis,

Neque vero solum in dextra pleuritide, C verumetiam *in jecoris inflammatione* (cui tamen venæ omnes societate junguntur) interiorem dextri cubiti tundit: qua non comparente, mediam secat: si nec ea se profert, ad humeralem confugere mavult, quam ad interiorem sinistri brachii: tantam scilicet vim his attribuens, quæ sunt in directo situ. Itaque revulsio è directo evidens subsidium celeriter adfert, è transverso nullum.

Si praceps fluxio, ampla & vicina, vena secanda:

Vena porro ampla copiose, vicina valide atque celeriter trahit. Quum igitur magna vehemensque fiet inflammatio, ex humore scilicet maligno, cujus *fluxio* sit *praceps*, & locus in quem procumbit nobilis eximiive sensus, *ampla vena finitimo loco secanda*, ut quæ plus, celerius atque potentius ab affecta sede vacuet. Sin vero *affectus mitior est*, *angusta vena* eligenda, eaque distantiore loco, ut minus, tardius & ignavius evacuet. Ejus-

Contra si affectus mitior,

A modi revulsio omnis præterquam quod fluxionem sistit, ab affecta quoque partet prius putrem & inquinatum sanguinem, quam ex reliquo corpore benignum atque syncerum detrahit. Neque tum metus ulli sit novæ fluxionis proritandæ: quum enim pars laborans magis quam cæteræ exinanita fuerit, si ad penuriam usque detractum sit, vix denuo alia humorum fluxione conflictabitur, nisi forte novo peccetur vivendi errore. Distantes enim indigentia avidæ, proprium sanguinem elabi non sinent: nec pars affecta (nisi dolor aut calor restet vehemens) ab illis quicquam eripiet, ut quæ sit imbecilla, nec multo egens alimento.

Quare errant Arabes in venasectione in pleuritide.

Male igitur *Arabum dogmate* censetur, præcisam in pleuritide ejusdem lateris venam fluxionis impetum augere: ac proinde quum ingens est plenitudo, ne fluxio geminetur, copiam primum vel ex inferiore pedis vena subtrahendam: deinde adversi cubiti interiore revellendum: postremo reliquias ex eodem latere derivandas.

Quid hoc quæso consilii & prudentiæ, ægrum toties torquere, quem semel possis malo redimere? Profusus ad indigentiam ex laborante latere sanguis, copiam è fonte plenissimo haurit, simulque phlegmone obsessam partem relevat, nullum metum afferens novæ fluxionis. At ex aliis nervis quæ è directo non sunt, unam copiam imminuit, nequicquam tamen depravati elicit, neque oppressæ parti levamento est: aut certe putris humor è parte motus, puro venarum sanguini permiscetur, redditurque malum quod corrigendum fuerat pristino deterius. Quum autem è directo secatur, vacuat, revellit atque derivat.

Fluxio futura remota parvaque vena, sectione quaque arcetur.

Ut fluxio lenta atque diuturna tutius è distantissimis revellitur, ita & *quæ futura est* arcetur: sic enim in tractum novæ viæ longiorem conversa, sensim à pristino citra vi rium offensionem descischit.

Derivatio quid.

Derivatio *est humoris illapsi tractus in vicinum latus*. Fit autem aperta ea vena quæ in affectam partem inseritur. Per quam ea modo alimentum capessit, modo noxium humorem influentem excipit. Quocirca quum injecto scalpello ea vena præciditur, pars multitudine defessa illac onus suum abjicit.

Ea vicina venasectione facienda.

Sedato fluxionis impetu & humore, adhuc liquido,

Opportune autem derivatio administra-

bi-

Ubi impactus, est emolliendus dissipandusque. bitur, quum revulsione præmissa *fluxionis impetus* & ardor jam *resedit*, neque denuo recentis & inopinati suspicio est: simulque *humor adhuc liquidus* est in parte, è qua remeare potis est.

Si vero usqueadeo *infarctum esse parti* conjectura est, ut omni fluendi remeandique habilitate sit orbatus, (quod in diuturnis inveteratisque inflammationibus frequens est, in quibus scirrhosæ quædam reliquiæ inhærent) nulla utique derivatio venæ sectione; sed fomentis & emplastris *mollientibus digerentibusque* tentanda.

Quibus etiam si humor dissolvi dissiparique non potest, neque locus est insignis, neque dolor vehementer urget, *pars affecta incidetur* ac diducetur, maxime vero si humor pernicie atque contagione vicinas sedes inquinavit. Id quanquam derivatio proprie vereque dici non potest, illi tamen quasi vicaria succedit. *Aut pars aperienda.*

Hactenus de venæ sectione generatim traditum sit, quæ interiorem morborum causam in vasis conditam evacuat vel effluentem revellit.

Deinceps enumerandi affectus singuli quibus illa debeat accommodari.

CAPUT VI.

Singulorum morborum, quibus vel præsentibus, vel futuris secta vena succurrit, enumeratio.

Ex Gal. de cura per venæsectionem c. 7. & 9. Avicenn. loc. cit. *Itaque venæsectio convenit synocho,*

MOrbos, quos vel sanguinis ubertas, vel eruptio progenuit, præsentes quidem sanat venæ sectio, impendentes arcet. Ejus generis maxime sunt: *synochus febris*, tum ea quæ citra putredinem ex sanguine effervescente, tum quę ex putrescente eo accenditur, omnisque continua cujus putredo in vasis majoribus condita est.

In partium autem affectibus numerantur, phrenitis, ophthalmia, parotis, angina, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, splenitis, nephritis, uteri, pudendorum, inguinum, alarum, brachiorum, crurum, articulorum, omnium denique tum interiorum, tum externarum *partium inflammationes*, dictæ Græcis phlegmonæ. Fiunt enim, dum aperta, rupta vel exesa vena dilapsus sanguis in partem abscedit, abundantiorque congestus tumorem parit. *Inflammationibus partium,*

His proxime accedunt sputum sanguinis, incipiensque tabes, sanguinis vomitio, & quæ è naribus, ex utero vel ex hæmorrhoide plenior fit eruptio. Horum initio vena opposito loco tusa *fluxionis impetum sistit*, revulsionisque vi nonnihil ex affecta parte revocat. Ea igitur legitimum ac proprium his remedium est, qui ex boni sanguinis plenitudine ortus sui primordia ceperunt. *Morbis à fluxione sanguinis,*

Qui vero ex *impura plenitudine* emerserunt, quia his plurimum cognati sunt, vena quoque secta curari desiderant, quod eorum materia, etiam si impura sit, in vasis tamen condita est, vel ab his emanat. Deinde carbunculus, furunculus, scabies humidior, omnisque rubor *per corporis summa* efflorescens, & quicunque ad istorum naturam conditionemque accedunt. His ergo præsentibus venæ sectione medemur. *A plethora cacochymica.* *In habitu corporis,*

Sic igitur causus, omnisque continua febris curanda, cujus putredo *in vasis majoribus* coërcetur. Nam & interdum circa ventriculum, maximeque os ipsius, & jocinoris partes simas, coacervatus humor, exardescens febrem parit continuam, quam, ut & ejus causam, nō possit phlebotomia tollere. *In vasis majoribus, ut febri continua.*

Intermittens vero quæ pura sit, sive tertianarum, sive quartanarum, aut quotidianarum genere continetur, quod ejus proxima materia propriusque fomes, non in vasis sit majoribus, neque ex his prorumpat, venæ sectione haudquaquam recte curatur. At nihilominus in his interdum sanguis convenienter mittitur, quum aut venæ immoderata copia turgescunt, plethoræque pericula impendent, aut incalescentis sanguinis symptoma quoddam acrius urget: ut pulsans capitis dolor, corporis jactatio, æstus pene suffocans: quanquam & hæc plerunque obrepunt ex bile circum præcordia effervescente. At ne sic quidem venæ sectio, aut febrem, aut causam ejus tollit, sed duntaxat symptomatum tum præsentium, tum impendentium sævitiam compescit. *Quomodo in intermittente.*

Ex partium quoque affectibus, capitis & aurium pulsans dolor, lethargus, vertigo, apoplexia quædam & epilepsia, acris mordax- *Morbis anniversariis.*

daxque fluxio, cordis quædam palpitatio Quinetiam impendentibus illis consuetis aut *anniversariis*, quum jam plenitudo causaque subesse deprehenditur, anteverten-dum occurrendumque est sectione venæ, quandoquidem præsentium atque futurorum una communisque est ratio medendi: & quæcunque morbis præsentibus recte peraguntur, eadem sunt aut incipientibus aut imminentibus illis præmittenda.

Aut cum causa fluxionis morbo adjunt.

Sed & citra plenitudinem atque etiam in penuria interdum vena inciditur, quum evidentes causæ, ut contusio, dolor vel ardor, *fluxionem* proritant, quæ partis alicujus phlegmonem minatur: quod etiam non præsentis, sed incipientis aut imminentis morbi magnitudine atque metu fit.

Hoc loco *dubitatio* existit non parum controversa, *utri magis ex usu sit vena sectio, præsentine morbo, an imminenti*.

Et in imminente utilius vena secatur.

Quæ sic tamen *explicari potest*. Quum maxima & præceps est plenitudo, *necdum morbus ullus genitus est*, nullo virium dispendio sanguis abunde educi potest, ut qui copia & pondere naturę gravis erat: protinus enim laborans discrimen effugit morbi imminentis, securusque redditur. Quum vero morbus jam est genitus, vires præsentia ejus attenuatæ, vix queunt citra detrimentum justam sanguinis effusionem sustinere. Hinc *Hippocrates* ex more insilientes vel imminentes morbos jubet antevertere sanguinis missione, non illorum incursum appulsumque expectare. Hac ratione in ephemera ex obstructione, in synocho simplici, sanguis copiose trahitur antequam materia putrescat. Quocirca tutius imminente quam præsente morbo sanguis profunditur: ac *utilius* est futurum prospicere atque præcavere, quam prorogare, ut insilientem defixumque profligemus. Nam 1. Aph. 3.

Ægrius ejicitur quam non admittitur hospes.

In præsente majori necessitate.

Cæterum quum *morbus* jam graviter hominem *exercet*, *majore necessitate* remedium expostulat, quam quum nondum invasit. Quocirca genito quam impendenti morbo necessaria magis est venæ sectio, quod geniti sævitia, majore nos necessitate impellit & urget, quam futuri metus.

Itaque præsenti necessitas, imminenti utilitas ac securitas inest.

CAPUT VII.

De vena in quovis affectu secanda.

Ex Gal. loc. cit. c. 16. 18. 19. Avic. loc. cit cap. 3

Locus secanda vena quando plenitudo in toto corpore.

PLenitudo cui *nullius partis* affectio assistit, *quælibet ex vena* citra delectum detrahitur, commodissime tamen usuque maximo ex interiore cubiti dextri, quæ à cava plurimum & à jecore validissime prolicit. Plenitudo biliosa, ex dextri quoque, melancholica ex sinistri cubiti interiore vena: ita enim efflagitat lienis situs. Quæ vero ex crudorum colluvie suborta fuerit, ex utrocunque cubito peræque demi potest. Eadem prorsus lex & in febrium curatione observanda. Quapropter synochus tum simplex tum putrida, venam interiorem cubiti dextri præcidi postulat: perinde ut febris ardens & pestilens simplex, itemque tertiana & quotidiana continua. Quartana vero quæ continenter affligit, interiorem poscit sinistri brachii. Eadem propemodum ratione in puris intermittentibus secanda vena deligitur, si quando aut plethora, aut symptomatum sævitia hanc aperire postulet.

Quando supra claviculas.

A Ex *partibus* quæ *supra claviculas* sunt, perspicue revellit & vacuat incisa *vena humeraria*, celerius validiusque in cubito, tardius vero & segnius in eo manus ramo qui inter pollicem & indicem excurrit.

Supra renes.

Ex his vero quæ *inter claviculas & renes posita* sunt, revellit secta interior celerius & majore vi in *cubito*, tardius vero & segnius in manus ramo qui inter annularem & minimum digitum porrigitur. Ex utrisque B revellit vena media, siquidem ex communibus illa humerariæ & interioris ramis coagmentata conflataque est. Nam plerumque aut latet altius involuta, aut alterius duntaxat soboles est.

Subter renes.

Subter renes in quacunque parte inhæres-cet affectus, secta *poplitis* vena majore tum impetu, tum celeritate revellitur, lentius vero & infirmius secta in malleolo saphena.

In renibus.

Renes ancipites sunt, medii inter superiora inferioraque interjecti.

Situm definio non ex partis ordine, sed ex

ex ortu & productione uenæ, quæ in partem emittitur. Itaque phlegmone quæ rectos abdominis musculos supra umbilicum invaserit, retrahetur aperta inferiore vena. Quæ vero colum intestinum prehenderit, quamvis subter renes sit, revelletur secta interiore cubiti: ita enim venarum origines derivationesque commonstrant.

Quæ vena secanda in affectibus capitis,

Hinc singulas uniuscujusque partis affectiones persequamur.

Capitis ex plenitudine affectus tum interiores, tum externos, sive etiam nunc initium faciant, sive magnitudinem summam impleverint, *revellit* secta cubiti humeraria; dextros quidem dextra, sinistros sinistra. At si segnius & ignavius id agendum erit, uti quum antevertere ac futuros præcavere consilium est, secabitur quæ directo inter pollicem indicemque manus contendit, nisi fortasse aliunde quam ex humeraria ducat originem. Eos porro *derivant* scapularum atque humerorum scarificatus injectæque cucurbitulæ, & sanguis profusus è naribus, quemadmodum etiam phrenitidas, deliria & apoplexias.

Vertigine,

Vertigines vero quæ capitis vitio enatæ sunt, derivantur præcisis quæ pone aures sunt arteriis: perinde atque inveterati capitis dolores calidi spiritusque pleni.

Doloribus,

Qui *dolores* priora capitis obsederunt, derivantur aperta frontis vena: qui vero occiput & posteriora tenent, cucurbitulis cervici humerisque adhibitis, aut incisa vena puppis.

Affectibus oculorum.

Oculorum inflammationes & acres lachrymæ, primum secta ejusdem lateris humeraria, deinde humerorum cervicisque cucurbitulis retrahuntur inhibenturque: derivantur autem incisa vena quæ in alterutrum fertur angulum.

Aurium,

Auribus inflammationis & parotidibus post humerariam secetur vena sub aure.

Gingivarum,

Gingivarum, maxillarum & dentium calidiores affectus, post humerariam earum quę sub labiis extant sectionem desiderant: ut angina earum quę sub lingua cernuntur.

Pulmonis,

Pulmonum inflammationem revellit pariterque derivat interior cubiti sinistri potius quam dextri: quandoquidem pulmonum venæ ex dextro cordis sinu prodeunt, hic autem in sinistrum parietem venæ cavæ inseritur, qui per alam sinistram in cubitum excurrit. Eadem sanguini qui tussiendo rejicitur, tabi, cordis palpitationi, aliisque eorum vitiis succurrit.

Pleuræ,

Pleuritidi tum interiori, tum externæ, itemque pectoris, diaphragmatis inflammationibus & ulceribus sanguinem sputo fundentibus, interiore eodem latere secta revellendo derivandoque confert.

Humeri.

Inflammationes quæ vel axillas, vel *humeros* male habent, nisi ad brachii flexum pertingant, eandem curandi rationem subeunt: quum autem eo pervenietur, quoniam partem inflammatione obsessam sectione proritare tutum non est, manus è directo aperienda est vena.

Iecoris,

Iecore inflammato praviterve oppresso, interior dextra cæditur: at vero male affecto *lien*

Lienis,

succurrit interior sinistra, in cubito quidem validius, in manu languidius. Derivatio è liene, non ut quibusdam videtur in hæmorrhoidas, sed in alvum fit: & è cavis quoque jecoris in alvum, è gibbis vero in urinas.

Renum,

Recens *renum* inflammatio, quam copia sanguinis comitatur in venis, ex interiore cubiti revellitur, dextri quidem si ren dexter; sinistri, si sinister affligitur. Cum vero non immodica plenitudo premit, tutius validiusque ex inferioribus quæ è directo sunt, vel in poplite, vel in malleolis.

Vteri,

Per *uteri* affectus si menses præter modum emanant, vena cubiti interior impetum coërcebit, sursumque retrahet, quemadmodum & cucurbitulæ subter mammas, vel etiam umbilico infixæ. Suppressos autem menses vena in poplite aut malleolo instante purgationis tempore cæsa movet, nam sanguinis impetu deorsum converso, venæ quæ in uterum pertinent resignantur. At si qua inflammatio subest, per initia sursum retrahetur idque directo: illinc quippe tanquam è fonte plenior fluxio irruebat. Nec est quod inde mensium suppressionem verearis: si modo quam mox venam in poplitem aut in malleolum directam ferire jubeas, quæ illorum evacuationi derivationique paratum & expeditum est præsidium. At si quis temere hoc ab initio experiatur & attentet, fluxionis impetum phlegmonemque augebit. Revulsio enim quæ fit secta interiore cubiti vena, quia jecur fontem ipsum è quo fluxionis exor-

exordium est exhaurit, universalis censetur: quæ vero ex venis inferioribus fit, particularis, neque fontem primario evacuat.

Aliarum partium infra renes. Quum itaque universalia particularibus sint præmittenda, inflammationes quæ *subter renes* incurrent, primum revellendæ sunt præcisa interiore cubiti vena directa, deinde reseratis inferioribus, quæ aliquam etiam revellendi vim obtinent: has tamen tutum minime sit primas ferire, maxime si ingens est vasorum plenitudo, fluxionisque incursio vehemens.

Hæmorrhoidalium venarum. Profluentes affatim *hæmorrhoidas* secta in cubito vena supprimit: suppressas diducit & evocat secta in malleolo.

Hypogastrii. At si qua inflammatio vel *podicem*, vel *partes obscœnas*, vel *vesicam*, vel alterutrum *inguen* infestabit, modo non venenatæ cujusdam perniciei particeps ea sit, ex superioribus cubiti venis multitudo summovenda inhibendaque fluxio: secundum quam ex inferioribus, si magna premet necessitas, particularis revulsio derivatioque fiet.

Crurum. Similis est *crurum* inflammatorum ratio: quoties enim ingens est plenitudo effrenataque fluxionis vis & incursio, ex cubito sanguis primum, mox ex crure vel pede fundetur. Sin levior existet inflammatio, neque plenitudo extra modum increverit, superiorum venarum sectionibus prætermissis, satis superque erunt, quæ ex inferis obeuntur.

Hæ igitur venæ in factis aut incipientibus morbis incidendæ.

Cæterum qui *ex præsenti plenitudine futuri morbi* metuuntur, sanguinis detractione arcendi sunt & prævertendi. *Vena quæ secanda ad arcendos morbos à plenitudine.*

Ac si plenitudo *ex suppressis mensibus* coagmentata est, quisquis morbus impendebit, congruenter propulsabitur inferarum sectione, quæ dum vacuant, menses pariter exciunt, ipsamque mali causam exterminant.

Ubi vero ex longa consuetudine fluentes *hæmorrhoides*, cohibentur, plenitudinemque invehunt, si quidem has evocare consilium est, ex inferioribus plenitudo haurietur: sin illas obcæcare ægrotus requirat, neque velit posthac illis obnoxius haberi, plenitudo ex superioribus erit detrahenda.

Quæcunque autem *aliis ex causis* nata plenitudo morbos minitatur, eos inhibebit secta jecoraria in flexu cubiti dextri.

Pars cujus vasa facile diducuntur vel rumpuntur, aut illabentem fluxionem prompte excipit, exinanienda est non per venam finitimam, quum nihil morbi adhuc genitum sit, sed per venam quam longissime è directo disjunctam, quæ & futuram fluxionem inhibeat, & ejus solitum impetum in diversam regionem incitet. *A parte debili.*

Caput VIII.

Quid spontanea sanguinis eruptio conferat in morbis.

Ex Galen. loc. cit. c. 11. & 15. *Sanguis, sponte erumpens lente, venæs. non inhibet.* Sanguis è naribus, ex hæmorrhoide atque ex utero plerunque *sponte prorumpit*: ex ore vero modo tussi, modo vomitione: at ex alia corporis parte perquam raro, nec nisi contra naturam. Quocunque ex loco *lente parceque* sanguis etiam secundum naturam emanat, inutilis habendus: neque enim morbum solvit, neque convenientem vacuationem dehortatur, quam præsertim morbi vehementia mutare cogit.

Sed is qui affatim. Qui vero *affatim copioseque* profluit tum in gravante plethora, tum in synocha febre, utilis, ut quam decretorio die plerunque finit. Quum enim universale malum omnes peræque tum venas occupet, undecunque obtingat sanguinis imminutio, gravitatis plenitudinisq; symptomata cedunt.

At in causo atque in omni continua, per quam humores alii in majoribus vasis putrescunt, sanguis etiam copiose & affatim prosiliens non æque confert. *E naribus* enim qui excurrit, licet vigilias, deliria, capitis dolorem aliaque symptomata demulceat, vix tamen *propriam morbi* essentiam atque *radicem evellit*, nisi forte immoderatior succedat profusio, summa virium dissolutione, quæ tamen nusquam videtur optanda. Vitiosus enim sanguis per nares postremus elabitur, nec nisi quum utilioris magna vis erit effusa. In his igitur febribus tametsi nares multo stillent sanguine, vena tamen cubiti secanda: quandoquidem sæpe deprehensus est è naribus tum colore, tum substan- *Nisi è naribus effluat; Et causa in vasis hæreat majoribus;*

ftantia laudabilis, quum ex cubito impurus sordidusque detrahitur.

Aut alio loco; quando nec effluxus sanguinis ex utero, &c. multum prodest.

At vero qui per hos morbos ex *hæmorrhoide* aut *utero* affatim & copiose exit, quod proxime è vena cava lumborum decedat, multo quidem utilior habendus: sed plerunque nec ipsam febris radicem extirpat, quæ in venis est cordi proximis. Hinc sæpe profluentibus mensibus, atque etiam in puerperis quæ rite purgantur, ob febris ardorem sanguis (licet parcius) è cubito demendus. Eadem quoque ac etiam evidentior est interdum ratio mittendi sanguinis è cubito, profluente hæmorrhoide.

Ut nec si causa hæreat supra jecur,

Jam vero *partium phlegmonæ* aliique affectus, qui *supra jecur* & diaphragma consistunt, nihil aut minimum mitescunt sanguine *ex utero aut ex hæmorrhoide* profuso: nec qui inferiores sedes obsident, eo profluente è naribus.

Aut non è directo,

Quemadmodum *nec è nare dextra* emanans A *affectus tollit sinistros*, nec è sinistra dextros.

Itaque sanguis sponte at non ex ratione profluens, non eam dehortatur venæ sectionem, quam ratio ususque postulat.

Venæsectio quoque non semper instituenda quando tantum prodest per accidens.

Morbis autem curandis venæ sectio, aut per se, aut ex accidente confert: per se aut vacuat, aut revellit, ex accidente vero modo refrigerat, quum calidiorem sanguinem educit: modo obstructiones expedit, sed eas duntaxat quæ ex multitudine contractæ fuerant. His autem affectibus semper adhibenda est, quibus per se, *non semper vero iis quibus ex accidente medetur*. Etenim jecoris calidiorem intemperiem emendare emissione sanguinis quum ejus est penuria, minime tutum sit: sed eorum tutior usus quæ per se refrigerant & proprium sunt intemperiei remedium.

Dicti jam sunt affectus omnes quibus remedio est venæ sectio: nunc effundendi sanguinis præfinienda quantitas.

CAPUT IX.

Quibus signis morbi magnitudo & virium robur comprehendantur: pro quorum indicatione mittere, aut non mittere sanguinem oporteat.

Ex Gal. Synop de pulf. cap. 43.

Quantitatem venæsectionis ostendit magnitudo morbi & virium.

CUicunque affectui convenit venæ sectio, ei protinus adhibenda, *si magnus* is est, *viresque consentiunt*. Levis autem usque adeo interdum affectus est, ut vel sponte nullo artis subsidio brevi sanescat. Atque interdum licet magnus sit, vires tamen imbecilliores apparent, quam quæ ullam vacuationem sustineant: ut quæ fere omnem illarum substantiam convellat, quarum servandarum gratia curatio instituitur. Itaque ut accurate & ad unguem præscribatur in quibus morbis & quantum demendum sit sanguinis; prorsus æstimandum quam magnus morbus sit, quamque validæ sint vires.

Magnitudo morbi æstimanda.

Morbus autem sive factus omnino, sive incipiens, sive impendens, *magnus dicitur* aut *ex se*, aut *ex sua continente causa*, quæ in humoribus consistit, aut ex *symptomatis* cujusdam sævitia.

Ex natura morbi.

Ac primum quidem magnus vehemensque intelligitur *ex suo genere*: nam cujuscunque partis sit plegmone, gravior deteriorque censetur quam simplex ejusdem intemperies. Deinde *ex partis usu* atque præ- A stantia, si ex principum partium est ordine, ut cor, ut cerebrum & jecur: aut si contra inter partes abjectas & ignobiles censetur. Præterea *ex istarum situ*: nam aliæ principibus affinitate junguntur, ut pulmones, latera, ventriculus & lien: aliæ vero longiore intervallo disjunctæ sunt, ut intestina, renes, vesica, artus, aliæque in extremis corporis positæ. Ex ipso denique *partis sensu*, qui aut acer acutusque est aut hebes.

Ex magnitudine causæ.

At *causæ magnitudo* ex humoris, qui in affecta sede congestus est & continens fit morbi materia, conditione & natura spe- B ctatur: quod nempe benignus sit vel vitiosus, vel putridus, vel perniciosa *qualitate* contaminatus, isque aut multus, aut paucus. Hic enim quicquid perniciosum est & malignum, magnum etiam nuncupare consuevimus. Ex vasorum etiam & viscerum totiusque corporis *plenitudine* vel exinanitione, antecedentis causæ magnitudo deprehenditnr: itemque ex humorum inibi conceptorum puritate aut vitio.

Ex magnitudine

Symptomatis magnitudinem ex vehementia aut remissione eorum quæ incidunt meti-

Symptomatum. mur nempe doloris, sitis, languentis appetentiæ, vigiliarum, & cæterorum quæ vires imminuunt & attenuant.

Itaque si prava quædam morbi species, velut inflammatio, jecur, cerebrum vel partes cordi vicinas atque connexas occupaverit, cujus vis late se fundat, sitque humor putridus & venenatus, quali & corporis vasa conferta appareant, adeo ut inde magna excitetur corporis agitatio, mala appetentia, sitis, dolor acerbus, & vigiliæ: hunc profecto in maximorum gravissimorumque morborum numero reponemus, cui & maxima congruit evacuatio. In quo autem morbo diversa comparent omnia, is certe pro levissimo minimoque ducendus est, & qui fortasse nullius vacuationis indigeat. Inter hos non pauci interjecti sunt medii ordinis, qui pro majoris minorisque ratione, aut abunde, aut parce vacuandum denunciant.

Vires corporis, *Nunc ad virium æstimationem transferatur oratio.* Facultatum *viriumque* corporis *aliæ* partibus singulis ingeneratæ sunt & *insitæ*, *aliæ* communes & *influentes*.

Aliæ sunt insitæ. *Insitarum* atque innati calidi unam eandemque haberi essentiam, eamque naturam appellari, & ex innato spiritu & humido primigenio conflari, cui solida partium substantia tanquam materia substernatur, alias planum effecimus.

Lib. 3. Physiol. *Aliæ influentes.* Communium vero *vagarumque* essentias è tribus principiorum fontibus emanare, triplicique spiritu in totum corpus animalem quidem è cerebro per nervos, vitalem è corde per arterias, naturalem è jecore per venas effundi ostendimus.

E quibus utræque constituantur, Quo loci demonstratum simul est, vires partibus singulis ingenitas ab influentibus illis sustineri, totum vero animal ab utrisque gubernari. Itaque si integra sanitate frui debet animal, utrasque tam insitas quam influentes salvas & incorruptas esse est necesse. Quod eventurum est, si earum substantia æquabili & justa quadam moderatione consistat, quę in certa quantitate atque proba temperie posita est. E contrario autem si substantiæ vel quantitas, vel temperies invertatur, illæ necessario jacturam facient aut imbecilliores evadent, unde earum functiones lædentur, totiusque animalis gubernatio perturbabitur, tandemque vitæ consequetur eversio.

Æstimantur autem è functionibus Ergo *valentes & imbecillæ vires ex operibus primum internoscendæ* sunt.

naturalibus, Urinæ aut alvi excrementa cruda, nempe tenuia & aquosa, aut loturæ carnis similia, *naturalis facultatis* imbecillitatem commonstrant, quemadmodum vel retentio, vel alia quævis oblæsa functio.

Vitalibus, *Vitalis* facultas ex pulsu parvo, obscuro & languido, similiter ex respiratione parva, difficili atque crebra, ex voce exili & languida, quę neque pulmonum, neque pectoris vitio oborta sit, debilis animadvertitur. Horum vero contraria ejusdem robur & firmitudinem ostendunt.

Animalibus. *Animalem* vim imbecillam coarguunt motus sensuumque læsio; vigiliæ, deliria, aliæque perturbatæ principes actiones: quemadmodum contrariæ constantiam ipsius firmitatemque demonstrant.

Ex iis ergo functionibus facultates lædi conjicimus.

Languidas vires dignoscere licet: *Læduntur* autem & imbecillæ apparent *bifariam*, vel *oppressæ*, vel *languidæ*, In omni porro evacuatione maxime refert languidas ab oppressis internoscere. Hæ siquidem largam, illæ nullam vacuationem ferunt. Earum distinctio ex causis evidentibus est petenda. Si enim ejus generis prægressæ sunt quæ virium substantiam vel mutant, vel dissipant, eas vere languidas esse: sin nullæ ejusmodi deprehensæ sunt, & aliæ urgent suo pondere, opprimi solum censeto.

E causis alterantibus vires insitas. Externæ causæ & evidentes quibus *insitarum virium* (ab his enim exordiar) temperies mutatur, sunt ardentissimæ febres quæ corpus liquant & causæ vehementiores quæcunque solidas partes immodice calefaciunt, refrigerant, humectant, siccantve. At illarum substantia digeritur atque disperditur in morbis longissimis, qui hominem in atrophiam vel in tabem conjiciunt.

Influentes. 1. Causis evidentibus, *Influentium* autem *virium* triplex spiritus permutatur, *tum* ex ambientis & rerum quarumlibet irruentium intemperie vel venenata qualitate, *tum* ex viscerum aut humorum depravatis qualitatibus.

Aëre calido, *Aëris* quippe *fervor* & æstus non solum qua nos extrinsecus ambit, verumetiam qua intro respiratione ducitur, pulmones primũ, deinde cor, omnesque spiritus eousque inflam-

flammat, dum plerunque febris incendatur: ex qua spiritus intemperie necessitas est vires imbecillæ languidæque reddantur. Adde, per eum fervorem spiritus non modo temperiei mutationem subire, sed & dissipatione minui.

Frigido, *Frigoris* contra immoderata vis foris incidens introque subiens, alias spiritum omnemque calorem infringit & debilitat, alias prorsus exstinguit.

Venenato. Aër dum vel pestilens, vel quodpiam *venenatum* aliud vitium concepit, haustus tractusq; contagione nostros etiam spiritus labefactat, ex quo gravium morborum in corpus incursio, viriũq; non mediocris jactura.

Aliisque rebus venenatis. Multo quidem apertius vel scorpii, vel rabidi canis, vel *alterius venenatæ* bestiæ morsu acceptum virus spiritũ polluit & inficit.

2. E causis interioribus. Dispositione partium, Porro etiam *interiores* & abstrusę *causæ* spiritus immutare solent. Ubi enim *principes corporis partes intemperie* aliquapiam conflictabuntur, eadem si longius serpat, necessario ad spiritus indidem ortos dimanabit, viriumque robur comminuet.

Quodcunque etiam *humoris* vitium in corpore dominetur, ex ejus intemperie gravẽ offensionem spiritus excipiant oportet.

Humorum frigidorum, *Crudorum* quippe humorum vi qui aut corpus universum, aut ventriculum maximeq; os ejus occupaverint, necesse est tum caloris, tum spiritus substantia refrigescat & infringatur, animalq; prorsus languescat, interdum vero & syncope prehensum corruat.

Calidorum, *Bilis ardentior* calore immodico spiritus cremans, aut os ventriculi vellicans & quasi aculeis compungens, haud leviorum malorum fit causa.

Venenatorum. Est & quum humor aliquis *veneni labe* & pernicie aspergitur, cujusmodi est cohibitum putrescensque semen, aut menstruum, aut grumus sanguinis, cujus vapor spiritum labefactans & inficiens alias syncopen, alias uteri strangulatum, alias epilepsiam, alias alia incommoda solet inferre, viribus extra modum offensis.

Ergo tot tantisque modis spiritus à sua temperie descìscunt.

3. E causis dissipantibus vires, Eorum porro *viriumque substantia* imminuitur atq; *dissolvitur*, interdum *sponte*, quia tenuis & dissipabilis in corpore calido, raro laxoq; concluditur, ut proinde suopte impetu disperdatur & vanescat. Interdum vero externarum & *evidentium causarum occursatione* perimitur, quales sunt ambiens aër fervidior & siccior, vacuatio immodica, motio vehemens, animi pathemata, dolor & vigiliæ. *Natura spirituum.*

Evacuatione nimia excrementorum, *Immodica humoris* aut etiam inutilis excrementi *evacuatio*, hoc ipso quod spiritus substantia fusa atque profluens est, non potest non bonam illius partem è corpore secum abripere. Quocirca sive alvus nimiopere, vel natura, vel arte profluit, sive urina plus æquo profunditur, ut in diabete: sive pus aut aqua ex thorace, stomacho, ventre inferiore, aut ex magno quopiam abscessũ universe & affatim prorumpit, necessitas est gravem vires jacturam faciant.

Sanguinis, Multo autem certius & clarius nimia *sanguinis* aut salutaris humoris vacuatio spiritus effundit, viresque convellit, sive is ex vulnere, sive ex naribus, sive ex ore, sive ex mariscis, sive ex utero, aut aliunde prosiliat.

Inedia. Hac etiam ratione *inediæ* corporis robur frangunt, quod per has necessario & utili corporis alimento disperdito & exhausto aliud non sufficitur, unde vim omnem concidere est necesse.

Labores *Labor* ac æstus spiritus calorisque substantiam halitu aut sudore dissipant. Quapropter qui vitæ suæ cursum in labore, aut circa balneas & fornaces conficiunt, quoniam continenter labitur ac fluit eorum substantia, haud æque excrementis circumfluunt atque ii qui ociosam & inertem vitam traducunt. Qui luxuria & effrenata *libidine* diffluunt, his (inquit Poëta.) *Libidine,*

Frigent effœtæ in corpore vires,

quæ nullius medicinæ vim perferunt. hi omnium maxime ex tantula seminis vacuatione flaccescunt & languent, quod spiritus plurimum dissipetur.

Dolore, *Doloris* porro atrocitas multo amplius, quam labor, spiritus disperdit, viresque prosternit.

Animi affectibus. *Animi pathemata* alia quidem spiritum atque calorem obruunt & strangulant, ut timor, mœstitia, alia vero dissolvunt atque dissipant, ut gaudium, lætitia.

Vigiliis. *Vigiliæ* corpus universum ejusque maxime animalem spiritum exhauriunt, quemadmodum somnus vacuationis genus omne præter sudores, & quam ἄδηλον διαπνοὴν Græci vocant, cohibet.

Atque hæ sunt causæ quarum exuperantia calo-

 rem,

rem, spiritum, viresque dissipat: quę quoniam evidentes existunt, tanquam notæ & signa sunt, ex quibus vires propriæ substantiæ jacturam fecisse intelligimus.

Vires obruunt.

Causæ vero quæ duntaxat *vires opprimunt*, interiores sunt & abstrusæ, neque adeo nobis expositæ: ejus generis sunt *obstructio*, & *immoderata humorum copia*.

Obstructio,

Venarum arteriarumque *obstructio*, quæ à crassis lentisque humoribus fit, spiritus arcte coercet, neque illos ventilatione refrigerari sinit, unde præpedito usu vitæ necessario, graviter, cum ingenito calore, opprimuntur. Id quidem in pulmonibus, in jecore, in cerebri ventriculis atque arteriis, in ipso denique corporis habitu sæpe ac multum evenire solet.

Humorum copia.

Obstructio autem quam *humores nimio plus exuberantes* induxerunt, non modo spiritum caloremque premit, verum etiam suffocat & obruit. At multitudo libera neque ulla obstructione præpedita, sive simplex, sive cacochymiæ particeps est, vires strangulat: ut in athletico habitu sanguinis, in leucophlegmatia pituitæ, in hydrope cruditatum, in ictero bilis, exuperantia.

Quomodo ea dignoscantur.

Quotiescunque igitur naturalis facultas ab excrementis, vitalis ex pulsu & respiratione, animalis ex propriis functionibus imbecilla deprehendetur, si qua ex causis illis procatarcticis vehementior antecesserit, direptam & imminutam censeto virium substantiam. Ubi vero nulla ex causis illis prægressa fuerit, & vires nihilominus imbecillæ comparebunt, non utique dissolutas, sed oppressas putato: maxime si vel plenitudinis, vel multæ cacochymiæ signa fuerint connexa.

Sublatis causis opprimentibus protinus vires recreantur & ad sese redeunt, nisi affectionis diuturnitate prostratæ jam sint. Velim igitur affectarum virium tres à nobis ordines constitui, alias esse prostratas, gravatas alias, tertias languidas, quarum signa sigillatim ex ante commemoratis elucebunt.

Neque solo

Sunt qui *uni pulsui* tanquam signo minime fallaci jubent attentos esse de virium robore judicaturos. Id certe magnum quippiam, at nondum satis esse judico: quandoquidem pulsus fere inconstans incertusque est, & externarum complurium rerum interventu perturbatur mutationemque suscipit. Deinde ingens copiosaque evacuatio alias vires non minus quam vitalem concutit, atque earum occasu haud secus emorimur atque si vitalis intercideret: quare videtur aliarum etiam facultatum observatio ad vacuandum necessaria. Si quis enim vehementi aut diuturno morbo, ut lienteria, atrophia, marasmove extabuit, huic sanguinem non mittes, etiamsi pulsus plenus nunc existit & validus. Quocirca non unius, sed trium vagarum & influentium facultatum, neque harum solum, verumetiam insitarum quibus actio vitæ continetur: robur ad vacuationem æstimandum est.

CAPUT X.

Vt vacuandi quantitas ex morbi magnitudine & virium robore æstimari debeat.

Ex Galen. loc. cit. cap. 9. 12.

Vires prosternit venæ sectio.

Morbus omnis *ægroti vires convellit*, ut & *vacuatio* quæ ad illius depulsionem adhibetur. Ne igitur durum videatur jam afflictum gravius affligere, ea lege temperanda sunt omnia, ut morbi substantia dematur, viribus quam fieri potest minimum oblæsis. His quidem tantisper negotium facessere dum malum profligetur, & in majoris commodi spem adducamur, periti in primis est artificis.

Sed ea prostratio non admodum metuenda,

Quæcunque autem offensio per legitimas evacuationes viribus infertur, *levis admodum* & brevis esse solet, ut quæ completa evacuatione mox conquiescat. Natura siquidem noxiorum humorum pondere deonerata, quo veluti sarcina premebatur, priores vires recuperat, quicquid spiritibus & innato calori fuerat detractum resarcit, factaque morbo deinceps superior, quę reliqua sunt evincit partim coquendo, partim foras dissipando.

Et commoda majori compensatur,

Si *Hippocrates* ad pericula prospicienda sagacissimus, consuluit tenuem victum ægrotis adhibere, haud veritus illorum vires licet

licet infirmas victus tenuitate debilitare, ut hac simul *morbi essentiam comminueret:* idem profecto *in vacuandi munere* tenendum. (1. Aph. 7.)

Cavendum tamen ne nimia fit.

Cæterum perinde ut in victus ita & in evacuationis ratione cavendum, ne in extremam debilitatem adductæ vires concidant, circumspiciendumque etiam atque etiam, & accurate considerandum, quantum & quoad perferre queant. Æqua autem & legitima vacuationis quantitas citra insignem virium offensionem morbum adimit. Hoc morbi viriumque inter se exquisita collatio commonstrat. Nam validis constantibusque viribus fidenter quantum morbus desiderat erit vacuandum: minus validis parcius, prostratis nihil prorsus moliendum.

Sed an vires ita debiles quandoque ut nullam admittant?

Cæterum hoc ipsum in disceptationem *quæstionemque vocatur, possintne vires usque adeo debilitari, ut ne minimam vacuationem tolerent.* Plerunque enim in magna virium dejectione vacuationes sponte, salubriter, eventuque fœlici prorumpunt. Deinde unicuique virium ordini sua quædam vacuationis quantitas proportione reddi potest: non enim credibile est uncia aut semuncia sanguinis effusa vires etiam postratas offensum iri.

Quoniam igitur hæc obscura sunt, *explanationes adhibendæ*, ut omnis veterum ambiguitas tollatur. Vacuationum alia integra statuitur & perfecte absoluta, quæ omnem aut certe plurimam morbi materiam adimit: alia utilis quidem at non integra, quæ parte morbi sublata reliquum facit leviorem: tertia eousque exigua & deficiens, nihil ut laborantem levet. *Raro quidem* vires adeo prosternuntur (nisi malo victis & deploratis) ut ne vel minimam quidem vacuationem sustineant: verum hujusce tanquam inutilis veteres non meminere, quod citra ægroti allevationem viribus incommodet, statueruntque viribus afflictis & prostratis *nullam* omnino vacuationem adhibendam. Itaque valentes vires integram consummatamque, mediocres imperfectam quidem, sed utilem, prostratæ nullam mali curatricem vacuationem tolerant.

Raro.

Quandoque tamen nullam admittunt utilem.

Quam morbus exposcat.

Ex morbis autem quicunque vehemens ac magnus extiterit, copiosam eamque necessariam *exposcit*, sine qua aut nullo modo aut non tuto sanari potest. Mediocris moderatam, quæ raro necessaria, sed duntaxat utilis habetur, per quam citius ac tutius sanatio perficitur. Exiguus morbus exiguæ etiam aut nullius omnino vacuationis indiget. Jam vero morbi magnitudo virium robori conferatur.

Quid agendum in mediocri morbo. Viribus firmis.

Quum vires erunt plane integræ, & morbus mediocris, non utique necessaria, sed duntaxat utilis est venæ sectio: potest tamen tuto & & quantum morbus desiderat sanguis mitti. Non enim verendum est constantes vires aliquantisper imminuere, dum morbi sentina funditus exhauriatur: eæ siquidem prompte nullaque mora recreantur.

Quum in *virium constantia* & firmitudine *morbus* invadet *magnus* & periculosus, qui vasa immoderatiore copia distendat, quemadmodum in habitu athletico & in synochis febribus, tunc uberior vacuatio præscribenda, quæ affectus magnitudini usquequaque respondeat, *expeditque* (inquit *Hippocrates*) *usque ad animi defectionem ducere, si æger perferre possit*, Neque vero de ea animi defectione præcipit, quæ vel timiditate & animi ignavia, vel acrimonia humoris accidit, qui os ventriculi pungit & irritat: sed de ea duntaxat quæ uberiorem evacuationem consequitur. Hanc enim in morbis extremis statuit tanquam regulam & legitimum vacuationis modum. (1. Aph 3.)

In morbo magno ad lipothymiam vacuandum.

Qualis lipothymia intelligatur.

Est autem animi viriumque defectio lipothymia sive lipopsychia, in qua etiamnum ægrotus loquitur, audit, videt, agnoscitque præsentes. Syncope vero est omnium virium præceps lapsus, ut epilepsia animalium: qua certe qui opprimitur, nec audit, nec videt, & (ut verbo expediam) omnes externas functiones quasi interceptas habet. Lipothymia levior est syncope, hancque solet præcedere.

In his igitur affectibus sanguinem usque ad lipothymiam mittere permittitur: at non temere & sine judicio. Sed quum jam vires præ vacuatione manifeste fatiscunt & vacillant, & initium patiuntur defectionis atque lipothymiæ, cohibendum *neque unquam vacuationes ad extremum* & usque ad veram syncopen *deducendæ, ut quæ omnino periculosæ evadant*, etiamsi validæ vires erant. Tentandum igitur est exuperantem humorem subducere, quoad vires ferant. Et quocunque tempore dissolvuntur, etiamsi restent supervacua, ab evacuatione nihilominus desisten- (1. Aph 4.)

sistendum cessandumque protinus est.

Quomodo cognoscatur. Hoc autem *certissime disces*, pulsuum mutationi animum mentemque adhibens, quum ex magno parvum, ex æquali inæquabilem, ex vehementi debilem & obscurum fieri, quumque fluentis sanguinis impetum labare, ægrotumque jam languere animadvertes.

Quoniam igitur syncope mortis est imago quædam, quæ astantes perterret & ægrum in maximum vitæ discrimen adducit, in eam profecto vacuatione ægrotum minime præcipitabit, quicunque dignitatem existimationemque suam inviolatam tueri, neque in ullas obtrectatorum reprehensiones incurrere volet. Conducibilius quidem sit, ægrum diutius torqueri, quam una cum morbo vitam omnem profundere.

Hactenus vires integras valentesque oratio nostra attigit.

Viribus mediocribus morbo mediocri quantum vacuandum. *Mediocres porro vires si mediocris quoque morbus* adoritur, moderatam quaque vacuationem postulant, quæ levi aut exigua virium offensione universam causam detrahat. Atque etiam utilis ea fuerit, quæ levior mitiorque adhibetur.

Quantum morbo magno. At si easdem vires *morbus major invadat*, & cui multa vacuatio fuerit necessaria nequaquam debet ea semel & universe suscipi: ut quam vires tolerare nequeant. Non enim recte morbum demit, qui cum morbo ægrum de medio tollit. Quum igitur semel & universe facta vacuatio citra periculum adhiberi non potest, quod vitiose se habet, paulatim vacuare expedit, & minutatim salubre quippiam pro eo reponere: ac primum quantum vires ferant detrahere, deinde quod defuit iteratione supplere, idque vel bis, vel ter, vel nonnunquam sæpius: ea curatio Græcis est ἐπίκρασις.

Dejectis & exiguis. *Prostratis* autem *viribus* nulla, vel morbo exigente, vacuatio ineunda. Quæ enim adeo exigua fuerit, ut viribus illis quasi dimensa & par respondeat, quoniam commodi nihil, incommodi vero atque perturbationis plurimum infert, tanquam inutilis & supervacua prætermittatur. Atque in viribus roborandis confirmandisque omne tum studium collocetur, idque cibis boni succi modice ac sæpius offerendis, quibus etiam facultas insit morbo adversa, quæ cacochymiam emendet. Quod si postea vires recreari atque refici contingat, tum idonea afferetur vacuatio; quod in diuturnis morbis sæpius usu venit. In acutis vero nimia cunctatio semper anceps est & periculosa.

CAPUT XI.

Præsentium præteritorumque observationes, ex quibus certior vacuandi quantitas indicatur.

Ex Gal. cit. loc. c. 9. 11. 13. Inventam venæsectionis quantitatem limitat. Mittendi *sanguinis quantitatem* ex morbi magnitudine atque virium robore perceptam, *exquisitius* atque perfectius evidentium causarum observatio *præscribet*.

Ex his causis *tres* numerantur *interiores* & nobis congenitæ, *temperamentum*, *corporis constitutio*, vel habitus, & *ætas*.

Totidem *externæ* & adventitiæ: *ambientis constitutio* ex anni tempore, regione & cœli statu profecta: *vacuatio suppressa* vel immodice procedens: *consuetudo* victus vel generis vitæ, vel vacuationis.

Præteritas hasce causas idcirco supra exquirebamus, ut ex iis exquisita morbi & virium magnitudo nobis eluceret. Præsentes & futuræ nondum morbum aut vires immutarunt: quoniam tamen humoris aliquid è corpore vacuare & vires dissolvere incipiunt, non parum ad evacuationem quam proponimus momenti obtinent.

Quas autem hæ vires habeant, sigillatim explicandum est,

Temperamentum. Calidum humidumque corporis *temperamentum* in propria solidarum partium substantia situm, quoniam vi insiti caloris assiduo plurimum dissipatur ac dissolvitur, non peræque copiosam fert vacuationem atque quod ab illo plurimum dissidet frigidum & siccum. Quodcunque vero corpus inde humidum appellant quod multo humore abundet in venis recondito, id facillime vacuationem tolerat.

Habitus *Corporis habitus* extenuatus, mollis & rarus,

rus, tum imbecillus, firmus atque densus pauca finit è corpore dissipari. Qui autem præpinguis & obesus existit, quanquam minimum dispergitur, difficile tamen venæ sectionem idcirco sustinet, quod exilibus sit venis, quas exinanitas pinguedo facile stringit deprimitque, ut inde metus sit ne nativum calorem extinguat. In corporis habitu æstimanda etiam est venarum capacitas: quibus enim amplæ & turgidæ spectantur, tolerabilior est evacuatio, quam quibus angustæ. Neque vero humorum natura posthabenda est: nam tenues & calidi celerrime dissipantur ac diffluunt, crassi ac frigidi diutius hærent. Atque hæc quidem ad corporis constitutionem habitumque pertinent.

Ætas. *Ætatum* porro quæ *decrepita* nuncupatur, quia effœtis est viribus, nullam venæ sectionem tolerat: moribundum senem præcipitat quisquis reliquum vitæ calorem cum sanguine profundit. Quæ *inter senectutem & pueritiam media* interveniunt, quoniam firmis viribus & corpore bene constituto tenentur, nulla vacuandi præsidia metuunt. *Puerorum* ætas virium quidem substantia abundat, cæterum quia corpus calidum & humidum obtinet, molle, tenerum ac patens, quod sponte sua assiduo digeritur ac defluit, sanguinis missionem tuto non feret: quantum enim ex incidenda vena vacuandum fuerat, id ultro ex corporis natura præstatur.

Quomodo Galeno cit. loc, cap. 13. Qui refutantur. Has ætates nullis annorum finibus *Hippocrates* circumscripsit. At *Galenus* neque ante annum decimum quartum neque post septuagesimum iis quas protuli causis adductus venam pertundit.

Quod profecto de pleniore illa veteribusque consueta vacuatione audiendum: nam moderatam quæ viribus, tum plenitudini aut par, aut inferior sit, utrique, pro eo ipso quantulocunque sunt præditi modo, facile ferent. Sic *Rhases* ætate decrepita quæ gravi urgenteque pleuritide vel peripneumonia torquebatur, sanguinem emisit. Sic *Avenzoar* filio suo trimo se utiliter venam secuisse commemorat. Hoc & ipsi plerumque experimur, sexto aut quinto ætatis anno tres sanguinis quatuorve uncias, pleuritim,

A interiores inflammationes, hisque graviores morbos finivisse. Sponte naturæ tum pueris, tum infantibus lactentibus sanguis interdum abunde prodit è naribus, nulla corporis aut virium jactura. Suis viribus, iisque validis, prædita est puerorum ætas: cur igitur ad illarum proportionem vacuare non possumus, quum præsertim eusarcus est puer, plene ac liberaliter educatus, cui amplæ venæ bene cocto puroque sanguine tument? Ad extremum vero, donemus virium robur lædi: utrum magis optandum fuerit, vel ut puer servata plenitudine succique copia intereat, vel ut ea imminuta offensisque quodammodo viribus à morbo vindicetur?

B Secandæ autem venæ necessitas in pleuritide interioribusque inflammationibus quam in continuis febribus puero major existit. Nulla igitur est ætas, quæ non aliquem vacuationis modum ferat.

Hæc sunt interiorum causarum observationes, quæ sponte intimoque motu corpus viresque afficiunt. Præter eas vero evidentium quoque constitutio tenenda.

Regio fervens & arida multum innati calidi viriumque, multum peccantis humoris è corpore haurit. Hinc vires comminuuntur, pauciorque sanguis manet in venis: in ea proinde contractiores parcioresque in sanguine mittendo esse convenit. *Regio frigidior* ac humidior innatum calidum humoresque intus coërcet, horumque minimum *Regio.*
C dissolvit: quocirca sanguis abundantius profundi potest. Cæterum extreme frigida, quæ plurimum in Boream devergit, sanguis frigore veluti conglacians, vacuationi vix cedit, sed & partes interiores, si à suo calore destitutæ maneant, ambientis frigoris injuria extinctionis periculum subibunt. Quæ inter illas intercedit regio *temperatior*, largissimam sanguinis profusionem tolerat.

In anni temporibus ver temperatum, succi viriumque abundans, sanguinem largius fundi permittit: estque vere secta vena præcavendis morbis idonea. Post ver, *autumnus*, deinde *hyems*, omnium vero minimum *æstas*. *Anni tempora,*

Cœli status qui calidior obtigerit, ut subsolana vel *austrina* tempestate, parcius: qui frigidior, ut valido *Aquilone* aut Favonio, is quoque parce largius autem, quicun- *Et tempestas,*

 que

que *clementior* nulla ingenti tempestatum vi jactabitur, sanguinem mittendum esse suadet.

Tria hic in ambientis constitutione perpetuo implicita atque colligata, jam *in unum conferamus*. Regione frigida & hyeme premens Boreas prorsus venæ sectione nobis interdicit: solusque Auster placidior illam admittit. Regione autem fervida & æstate, quum perflat Auster, venam pertundere formidolosum: at quum Boreas æstum temperat, tutissimum.

Hæ igitur causæ tum innati calidi, tum humorum substantiam vel conservant, vel dissipant, sed tamen obscure ac sine sensu.

Cæterum de manifesta *copiosaque vacuatione*, quæ forte tum erumpit quum venam secare proponimus, ita quidem statuendum. *Spontanea vacuatio materiæ morbi nihil detrahens*, veram atque legitimam non excludit. Quod igitur morbus exposcit, protinus vacuandum, præsertim si necessitas impellit, & vires spontanea illa vacuatione nondum in magnam offensionem incurrerunt. In vehementi pleuritide, quo tempore forte fortuna erumpet totius corporis sudor aut vomitio, aut alvus, sanguis mitti non debet, at sedatis illis paulumque recreatis viribus, vena incidenda. Symptomata enim quum illa sint, neque morbi substantiam detrahunt, neque vicaria esse possunt phlebotomiæ. Sic in febre ardente, lienteria quæ ex frigidæ potu immoderatiore laxato dissolutoque ventriculo inciderit, venæ sectionem non vetat. At quoniam vires inde paulo imbecilliores evaserunt, harum ser- A vata dignitate sanguis parcius emittetur.

Spontanea vacuatio.

Spontanea autem *vacuatio quæ morbi substantiam demit*, si jam ægrotum levet possitque quantum requiris vacuare, prorsus est naturæ committenda: Sin minus id possit, tantum ipse detrahes, quo ex conjunctis ambobus perficiatur quod postulas. Quæ sponte natura perfectura est, ne tangito, inchoata vero, nec ab ea perficienda, completo. Itaque in pleuritide, in febre assidua, si sanguis abundantius ex utero, ex hæmorrhoide, vel è naribus dimanet justaque sit vacuationis quantitas, ex qua æger satis levetur, venam non incides. Sin vero parcius aut languidius ex his locis profluit, morbusque interim vehementer urget, quod deficit, etiamsi puerpera sit laborans, B venæ sectione supplendum. Eadem ex causa in dysenteria purgans medicamentum offertur, ut quod sensim & languide per anfractus parum idoneos elabitur, affatim per ductus convenientiores derivetur ac defluat.

Consuetudo.

Consuetudo porro nobis observanda, in victus ratione, in vitæ genere, & in evacuatione. Qui frugaliter, sive ex consuetudine, sive ex morbi impedimento, *victitant*, parcius vacuandi sunt quam qui liberalius pleniusque vivunt. Qui *venæ sectionem* jam est *expertus*, modo vires crebra vacuatione nondum sint læsæ, alacrius ac levius eam perferet quam inexpertus. *Consueta quippe mala, minus sunt infensa.* Quapropter opinione sua vulgus longe fallitur, qua primam venæ sectionem, ut in primis salutarem suscipit, & quasi veneratur, conservatque in extremos usus commodaturam.

Aphor. 50 lib. 2.

CAPUT XII.

Futurorum observatio, aut verius provisio, præfiniendæ quantitati necessaria.

Ex Gal. cit. loc. c. 14.

Futura vires.

NOn solum vires præsentes emetiri, verumetiam *futuras prospicere*, acuti sapientisque est medici. Post vacuationem vires ita tueri atque conservare par est, ut alia deinceps adhibenda remedia ferre, & morbi longitudini atque judicationi sustinendæ satis esse queant. Quinetiam ne posthac intempestive & alieno tempore nutrire cogamur, sanguinis nonnihil re- A tinendum asservandumque est ad morbi decursum & ad reliquæ curationis spatium.

Quales erunt vires in posterum, conjectandum.

Futuras vires æstimabimus tum *ex causis procatarcticis*, quæ præsentes sunt & posthac etiam perseverabunt, tum *ex symptomatis*, quæ præter opinionem incidere possunt.

In causis procatarcticis præcipue sunt, *cœli constitutio*, & *vivendi ritus*.

Cœli

Ex cœli constitutione, *Cœli constitutio* si calida evaserit & sicca, ac istiusmodi deinceps expectetur, restrictius sanguis emittetur, quam si frigidam fore conjiciamus.

Ex victus ratione, Rursum si prospicimus ægrotum tenuiter *sobrieque victurum*, vel quia potionis & cibi languet appetentia, vel quia morbus devorare non sinit, ut in angina fauces præcludente, parcius evacuare monemur, quam si plenius is vivat. Servare tum aliquid sanguinis oportet, tanquam naturæ thesaurum & suppetias in levamen futuræ penuriæ.

Ex inopinatis symptomatibus: Jam vero repentina & *inopinata symptomata*, quæ vires summopere enervant & frangunt, sunt dolor vehemens, vigiliæ, vacuationes præter spem erumpentes, & in primis syncope. In hanc siquidem non pauci quam mox ab aperta vena ex consuetudine incidunt, vel quod natura sint imbecilliores, vel quod timore magno perculsi, vires omnes effundant: vel quod os ventris amara bile perfusum, aut quam maxime acri sensu præditum & infirmum nacti sunt. Quum igitur aliquid ejusmodi futurum suspicamur, quanquam vires tunc valent, sanguinem tamen vel nullo modo, vel præparce mittemus, nisi forte huic periculo ante sit occursum. Summæ autem prudentiæ fuerit, repentina & inopinata quæcunque incident, longe prospicere atque præcavere.

Quod declaratur exemplis. Hæc jam *exemplis illustremus*. Esto quispiam natura sanguineus, corpore eusarco, denso ac firmo, ætate florenti, qui multos dies luxuriosum vitæ genus secutus, alimentis se expleverit solidioribus & valentis materiæ: qui pristinam exercitationis consuetudinem intermiserit, domique otiose vixerit: cui sanguinis ex naribus, ex utero, vel ex hæmorrhoidibus vetus consuetaque eruptio jampridem substiterit: adeo ut ex harum concursione causarum, corporis habitus non mediocre incrementum ceperit, & venæ natura amplæ præ copia sint distentæ. Quocunque tempore hominem ita constitutum gravis vehemensque febris vel inflammatio prehendet, quam mox sanguis profundendus est, isque copiosus: quandoquidem tum morbi, tum causæ magnitudo id expostulat, ex præteritorum observatione confirmata.

A Quod si his etiam præsentia consentiunt adsitque aëris constitutio ex regione, anni tempore & ex tempestate collatis moderate frigida & humida, ægrotus vero ad vacuationem proclivis sit: posthac vero morbus non ad multos dies longius producatur, nulla calidioris futuræ tempestatis significatio appareat: nulla item futuri doloris, vel inediæ, vel vigiliarum, vel spontaneæ vacuationis comminatio intendatur: his ita in unum conspirantibus, quis dubitet largissimam sanguinis missionem imperare? At vero hisce contraria omnia quem non subito à sanguinis detractione avocabunt?

Permiscentur plerunque ac prorsus inter se *pugnantes existunt observationes*: ac tum B prudenti acrique judicio est opus, quo ex comparatis illis vacuationi modus præscribatur. *Indicationibus contrariis quid agendum.* Præteritorum recordatio plerumque copiosum sanguinem fundendum monet, cujus tamen libertatem nobis præsentium observatio subtrahit. Ut si quis pristina exercitationis consuetudine intermissa desidiæ se & luxuriæ dediderit, & alimentis expleverit, & solennis quędam vacuatio substiterit: sed hinc evaserit corpus pingue & album, laxum & molle, tenuisque succi plenum, adsitque æstas, regio æstuosa, cœlique status calidus ac siccus: omnino huic sanguinem non mittes: satis enim ex se ipso non modo obscure, verumetiam manifeste vacuatur. Parum vero detrahes in C eo ipso habitu, si hyems adsit, & regio frigida, cœlique status Aquilonius.

In hac autem rerum permistione non *observationum* multitudinem, sed *potestatem* velim te attendere, quod una plerumque reliquas omnes dignitate præstantiaque superet. *Observationum pondere æstimato.* Qui neque artis cognitione, neque longo rerum usu, neque prudenti syncerοque mentis judicio confidit se posse vacuationis quantitatem definire, is *Hippocratis* 1. Aph 3. consilio potius infra subsistat, quam exquisite vacuet.

Hoc autem loco non abs re fuerit perscrutari, *sitne uteri gestatio inter observationes habenda*. *Prægnatio inter observationes mittendi sanguinis habenda.* Ipsa veritatis species multa probabilitate suadet, in prægnantibus gravi morbo implicitis temperandum, ob fœtum qui utero continetur, *Hippocratis* patrocinio ac sententia hunc in modum defensa: *Mulier in ute-*

in utero gestans incisa vena abortit, idque magis si est A *fœtus auctior.*

At certe hoc perpetuum minime est: ut neque illud quod proxime ante scribitur: *Mulierem in utero gerentem acuto morbo corripi, lethale est.* Quum enim purgatio quæ malignis fit medicamentis, cum periculo graviore fœtus quam venæ sectione decernatur, si *Hippocrates* gravidæ morbo ex cacochymia tentatæ, purgationem largitur iis mensibus, qui inter tertium & octavum interponuntur: nos profecto iisdem multo tutius sanguinem mittemus ei, quæ aliquo plenitudinis morbo conflictabitur. Quod si media B gestatione liceat, longe tutius in initio factu fas est: quod sanguis magis redundet, & fœtus minore egeat alimento. Hoc tempore si sæpe natura illius supervacui effusionem sponte utiliterque aggreditur per nares, per hæmorrhoidas, aut per uterum: & nonnunquam menses statis temporibus salubriter effluunt: cur non similiter nobis liceat premente necessitate naturam arte imitari? Multæ, nisi vena circiter quartum mensem reseretur, abortiunt: fœtus enim copia obruitur.

Aph. 30. lib. 5. & 31. lib. 5.

Ex qua vena. Neque vero in plethora sola, verumetiam citra hanc, quum pleuritis aliave inflammatio vehementius urget, prægnanti vena *in cubito* cædenda. *Inferiores* autem prægnantium venas incidere minime tutum, quod impetu deorsum converso menses procedant, præcipiteturque fœtus. Octavo ac nono *mense* raro citra abortum sanguis emittitur, quum præsertim mulier levi ex causa, vel ob uteri imbecillitatem, vel ob lubricum lentorem, abortire consuevit. *Quo mense.*

Hac in re *Cornelius Celsus* morbi duntaxat viriumque magnitudinem animadvertit. *Antiqui*, inquit, *primam ultimamque ætatem sustinere non posse hoc auxilii genus judicabant, persuaserantque sibi, mulierem gravidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea vero usus ostendit, nihil ex his esse propetuum: aliasque potiores observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Firmus puer, & robustus senex, & gravida mulier valens, tuto curantur* Itaque uteri gestatio, quemadmodum & ætas inter quantitatis observationes habenda. Lib. 2. cap. 9.

De quantitate mittendi sanguinis hac quidem satis: deinceps vero de utendi ratione.

CAPUT XIII.

Quo morbi tempore, qua die, quaque hora sanguis emittendus.

Ex Gal. loc. cit. cap. 20. & 21. *Vena secanda est initio morbi,*

QUorum morborum causa est plenitudo, aliave humorum labes in vasis, ea A *incipientibus illis* quam mox secta vena summoveri debet. Hoc enim pacto quicquid morbi in posterum gignendum est prohibetur: quicquid vero genitum & procreatum jam est, facilius natura concoquet, evincet atque profligabit. Sic febres ardentiores antequam sanguinis moles fervoris incendio torreatur, aut vehementior putredo invalescat, acceleratum hoc remedium extinguit. Sic & interiores inflammationes hoc auxilii genus initio radicitus eruit, dum qui in partem confluxerat humor nondum obhærens, profluentis sanguinis impetum cursumque sequitur. Vires per initia firmæ sunt & constantes, nec admodum iis dissimiles quæ pridem erant integra valetudine: si quo igitur tempore, ipso maxime initio hoc præsidii genus tolerabunt. Qui plenitudine aut fluxione permanente alia vult remedia adhibere, perverso medendi ordine affectum conduplicabit, viribusque negotium facesset.

Sic tamen mature vena secetur, ut ventriculus *primæque venæ* nec ulla humoris corruptela, nec cruditate, nec cibo semicocto confertæ sint. *Evacuatis primis viis,*

Præcepit quidem *Avicennas* in morborum principiis phlebotomiam prorsus omittere & *concoctionem expectare*, dum morbus principium statumque præterierit: atque tum demum solum illam conferre asseverat. Idque non de solis partium morbis quos ante percensuerat, audiendum putat, quum & mox id ipsum de febribus omnibus præcipiat, maximeque de sanguinea, in qua quum aderit concoctio, jubet sanguinem profluenter educere. *Non, ut voluit Avicenna tantum post concoctionem,* lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 20.

Quia vero ista mirabiliter dissentanea videntur,

dentur, perpendendum *quibus illa rationibus* A *suadere contendat*, ut controversia ad unguem discussa, veritas ipsa clarius eluceat. *Inquit* igitur, per initia incisam venam noxios humores extenuare, & per corpus quoquoversum impellere, sanguineque puro & syncero permiscere: nonnunquam etiam nos expectatione nostra adeo decipi, ut cum salubri nihil prorsus vitiosi humoris educatur. Ex animi vero sententia atque voto omnia succedere, si expectata concoctione, quum jam morbus principium & statum praeterierit, sanguinem detrahamus.

Ejus rationes.

Refutatur. 1. Sed *minime tam inconsiderata ejus ferenda est sententia*: neque audiendi illius explanatores, quorum dicta quotidie re & eventis refelluntur. Quae enim absurdior futiliorque B sententia hac exgitari possit, phlebotomiam humores tenuare, quum ex superiorum demonstratione dilucide constet, qua ante, eadem & post phlebotomiam proportione humores in corpore retineri? Si qua forte mutatio incidit, quum tenuis humor expeditius celeriusque, crassior aegrius & pigrius emanet, verisimilius est, phlebotomiam sanguinem & humores potius incrassare debere. Cur deinde haec humores exagitet? si multitudinem demit, quae perturbationum & morbi causa fuerat, debet eadem omnia mitiora & tranquilliora reddere. At si peccans materia sanguine permiscetur in venis cur hęc secta vena non pariter foras exiliet?

2. Sed jam plenius aestimata rei veritate, donemus, morbum quempiam vehementem & acutum ex solius sanguinis exupe- C rantia natum, cujusmodi sunt utraque synocha, putrida febris ex plenitudine, angina, pleuritis, peripneumonia, jecoris aliarumque partium inflammationes. Hae si peracutae sunt & periculosae, prae sanguinis copia praecipites, quis non statim ipso initio venam pertundat; quis quum adhuc vires integrae sunt, non eam plenitudinem prorsus eximat, quae morbo causam dedit, & quae in vitae discrimen adducit? Hoc consilio in synocha festinamus statim initio sanguinem ad animi defectionem mittere, antequam materia putrescat.

3. At *ille*, in ea febre sanguinea principio sanguinem parce mittit, abundantius vero ubi coctionis signa comparent.

At quam quaeso concoctionem expectet sanguinis optimi & bene cocti, qui sola multitudine peccat? In his igitur ut in valde acutis *Hippocratis* consilio differre & cunctari malum est: sed statim si vires integrae & valentes erunt, ad animi usque defectionem ducendum. Si minus acuti & vehementes erunt morbi etiam per initia sanguis effundetur, idque pro multitudinis ratione. Num igitur in his venae sectionem omittemus, & cum *Avicenna* expectabimus dum concoctio eluceat, & principium morbus statumque praeterierit? Siccine morbum sinemus suo impetu protervire atque aegrotum tam immaniter jactari citra ullam artis opem? Si exitialis is erit, ad concoctionem nunquam perducetur: sin salutaris vel anceps, post statum in ipsa declinatione, quum jam prorsus evictus erit, & laborans à periculo tutus, quid tum venae sectione fuerit opus? 1. Aph 24. 2. Aph. 29.

Sed age hoc loco *temporum morbi & concoctionis vim expendamus*. Natura concoctione impuros noxiosque humores è purioribus secernit: hos ut conservet, illos ut tandē foras exturbet, aut sola per se, aut medicamenti ope. Atqui venae sectio nullo delectu omnes qui in venis sunt, promiscue & indiscriminatim prolectat. Quorsum igitur, ut haec fiat, humorum concoctionem atque secretionem praestolemur? Ut in phlegmone pus jam factum non amplius secta vena, sed alia ratione per vias breviores derivamus: ita in febribus quarum materia in venis coercetur, concoctus ac jam secretus humor, medicamento derivandus deturbandusque est. Qua in re tum temporis naturam habebimus adminiculantem, quę secretos humores foras excludere contendit. At si quis hoc tempore venam ausit incidere, non eos solum, sed pariter utiles eliciet: quodque gravius est, eos qui vi naturae secreti fuerant, puro sanguini permiscebit, hunc inquinabit, omnia confundet, naturaeque molitionem optimam interpellabit. 4.

Quum igitur *concoctionis manifestae signa* comparebunt, *non amplius venae sectione*, sed aut purgatione, aut aliis derivantibus praesidiis reliqua curatio transigenda: nisi (quod interdum fit) cruditatis signa denuo se pro dant. In febribus vacuata multitudine, ubi

Imo post perfectam coctionem sectioni venae locum non esse.

ubi quæ putruerant concocta sunt, per alvum, urinas & sudores ea vacuare tentandum. In pleuritide & in peripneumonia quæ putruerunt & in pus conversa sunt, per sputa: in hepatide, cava quidem per alvum, gibba per urinas, quemadmodum & in nephritide: singula denique per loca proxima & convenientiora sunt expurganda.

Si initio neglectum sit eam quam primum fieri possit secandum.

Si metu, ignavia, aliisve occasionibus venæ sectio primis morbi diebus administrata non est, *quocunque die*, etiam vigesimo, *in ægrum incideris*, si plenitudinis atque cruditatis signa permanebunt, hoc præsidii genus adhibendum, modo vires ferant, neque sint morbi diuturnitate collapsæ. Non enim dierum morbi numerus à phlebotomia per se ac primum dehortatur, sed quod sæpius, temporis progressu, vel concocta est morbi materia, vel sunt vires dissolutæ.

Ut autem universalium temporum, ita particularium & dierum quibus morbi recurrunt, delectus habendus, in his potissimum morbis, quorum certa est vel intermissio, vel remissio. Vacuatio non excandescenti, sed *mitescenti morbo* afferenda.

Extra paroxysmum,

Natura quidem plerumque febrium, maximeque intermittentium invasionibus vomitiones, & declinationibus sudores commode ciet, quo tempore nobis etiam licet eadem utiliter arte promovere: at non vel alvi dejectionem, vel venæ sectionem. In accessionibus ab his omnino temperandum est, ut quas neque natura tum molitur, sed si quæ forte incidunt, solius morbi fervore impetuque fiunt.

Et quare.

Nulla ejusmodi vacuatio quæ *vires* supra modum *lacessit*, in tanta accessionum quasi fluctuum agitatione tuto obiri possit. Quum enim humores tum maxime quodam quasi æstu incitati effervescant, obturbatique permisceantur, nulla omnino queat justa eorum fieri secretio. Esto etiam, peccans morbi materia extra venas majores exardescat; si hoc tempore vena reseretur; metuendum erit ne illa in venas exinanitas è vestigio commigret, fiatque ex intermittente continens. At vero maxima morbi tranquillitate vena secta, vix ullum naturæ negotium facessit, ipsamque multitudinem è venis majoribus eripit, nullo excandescentiæ metu. Maxima tranquillitas est medio remissionis intermissionisve tempore.

Si spatia inter accessiones porriguntur, facile sit medium ipsum pro rerum commoditate designare: sin angustum, difficile; quod interdum vix occasio sese offerat, ut vel ante, vel post venæ sectionem opportune ægrum alamus.

Hora matutina,

In quibus morbis, vel præcautionis, vel curationis gratia, potestas datur sanguini mittendo *horam* deligere, convenientior erit *matutina* quam pomeridiana. Nam à Solis exortu sanguis suscitatur, viget atque dominatur ipsoque diei lumine tenuis fit, serenus & ad fluendum aptior: maxime secunda tertiave hora. Hac ipsa ne æger sopore torpeat, experrectus insomnem horam saltem unam duxerit oportet. *Hesternum cibum* integre *concoxerit*, sitque *alvi & vesicæ munia executus*: eoque magis si una quæpiam ampliorum venarum erit incidenda. Nam exiles è quibus sanguis parcius emanat, nulla istiusmodi observatione feriuntur.

Primis viis liberis,

Astrologica etiam observatio, ut non parum efficax, tenenda.

Nisi morbus urgeat,

Cæterum quotiescunque *vehementiores morbi prement* & instabunt, tum venam pertundito. In vehementi enim & suffocante pleuritide, vel in angina, in sanguinis immoderato fluore, in extrema vasorum plenitudine, in aliis denique morbis qui nimium præcipites sunt, nihil istiusmodi delectus habendus. At vero in febribus aliisve morbis qui circuitibus affligunt, quietis aut remissionis animadversio multo præstantior qnam matutini temporis. In quamcunque igitur diei noctisve horam remissio inciderit, cæteris in id rite administratis, vena pertundetur.

CAPUT XIV.

Quæ ante venæ sectionem præparatio afferenda.

Ex Galen. citat. capitibus. Avicenn. l. 1. fen. 4. doct. 5. c. 20.

UT ad venæ sectionem opportuna temporis occasio, ita corporis idonea præparatio adhibenda, qua neglecta ægroto plurimum offensionis impendit. Partium

tium quæ in prima corporis regione sunt, A impuritas & expurgatio, potissima est ad venæ sectionem præparatio. Vitia *quæ opus impediunt* aut certe remorantur, *sunt ventriculi primarumque venarum cruditas, noxiorum humorum colluvies, alvus fæcibus astricta, os ventriculi nimiopere sentiens vel imbecillum:* quæ non omnino vetant & excludunt, sed duntaxat retardant venæ sectionem, dum arte sint sublata.

Ante venæ sectionem.

Cruditas ventriculi corrigenda. Alvus exoneranda.

Crudiore enim *ventriculo* secta atque exinanita vena, crudi succi plurimum in sanguinis locum rapiet. Et *suppressiore alvo* si venam eliseris, jecur exhaustæque venæ sordidum quiddam & impurum è fæcibus exsugent. Tantum moræ in vena pertundenda interponi debet, quantum satis est tum ad crudorum concoctionem, tum ut B excrementa descendant. Hæc sponte nisi succedant, clystere vel balano proclicienda sunt: prunis vel cassia alvus emollienda.

Coctus crudusve cibus *internoscitur* ex accepti ejus qualitate & copia, ex tempore quo acceptus est, ex ructu, ex ventriculi pondere.

Corruptus humor è prima regione expurgandus.

Corruptus humor in ventriculo aut in vicinis partibus exuperans, sive illic genitus est, sive aliunde, velut ex capite, ex jecore, aut ex liene procubuit, differre hortatur venæ incisionem, dum sit expurgatus. Secus enim multo majore detrimento quam cruditas rapitur in venas, hasque impuritate multa polluit. Hinc vel obstructiones, vel cachexiæ fiunt, vel morbi quibus mederi proposueris ingravescunt, evaduntque C eorum symptomata sæviora. Quinetiam impuri humores impetu ferociaque concitati excandescunt, ventriculum præcordiaque vellicant, hinc nausea, convulsio, lipothymia, syncope & alia symptomata, quæ terroris & metus plena sunt. Una bilis in os ventriculi tum effusa, omnium maxime hæc mala invehere solet.

Has autem partes à putridis humoribus occupari *portendunt* cibi fastidium, nausea, humoris vomitio, frequens alvi dejectio, ventriculi gravitas aut dolor, ventriculi præcordiorumve tumor atque distentio.

Quæ quoties præter ullam ciborum cruditatem in ægris apparebunt, è prima corporis regione antequam vena secetur *deturbandus est* vitiosus humor, illorum author & velut seminarium. Vomitione id moliendum si sursum vergit, hausta potione vel aquæ, vel hydrelæi tepescentis, pondo selibræ. Alvi autem dejectione, si eo declinat. Cassia in id parum efficax, ut quæ sola vi leniente & emolliente prædita, tenaces valde & glutinosos humores nec satis detergit, nec ex alvo subducit. Accommodatior est hiera picra, si febris non reclamat, vel rheumbarbarum, vel senna, vel agaricum, vel pro humoris specie aliud quoddam blandum, cujus vis universam corporis molem neutiquam exagitet. His non modo semel, verum etiam secundo & tertio pro rei necessitate expedit uti: sub hæc tamen mox ad venæ sectionem accingendum.

Et quaratione.

Quandoquidem humorum vitia, quum in omnes corporis regiones pariter irruerunt, methodus summaque artis præceptio est, eas suo quamque ordine vacuare, mesenterii quidem venas ante majores, atque has rursum ante corporis molem. Non autem contra, ne ex primis venis in majores, aut ex his in corporis habitum noxii humoris fit trajectio: quod sane est non expurgare, sed inquinare & labefactare corpus. At *ex habitu corporis* in venas majores, aut ex his in primas, atque in alvum, traducere consentaneum est. Quæ autem dixi vitia, non solum venæ sectionem remorantur ac tardant, sed omnino præpediunt. Hinc neque in hydrope, neque in cachexia, neque in scirrho jecoris aut lienis, vel exigente alterius morbi importunitate, scalpellum admovemus.

Non è regione tertia.

Tertium vitium, cui præparatio ante venæ sectionem adhibetur, erat *oris ventriculi sensus eximius aut imbecillitas.*

Eximius est *sensus* quibus nervi è cerebro missi, molles sunt, teneri, nudi, aut occursantibus rebus obvii: atque hi vix citra offensionem acria, acida aut salsa, quod genus habentur acetum, piper, sinapi, devorant.

Sensui ventriculi;

Imbecillitas, sive ex intemperie, sive ex rariore fibrarum structura provenerit, inde noscitur quod nec cibus appetitur, nec facile fertur, sed eo accepto dolor est, interdumque vel nausea, vel cibi vomitio.

Et imbecillitati.

Qui sic affecti sunt, ut ex levissima occasione, ex inedia, ex ira, ex tristitia vel timore,

more, ita ſane ex phlebotomia, quæ pariter cum ſanguine ſpiritus diſſipat, & reliquos humores commovet, vel convulſione vel comitali morbo, vel vel ſyncope ſtomachica *tentantur ad internecionis periculum*, vel in alia denique ſymptomata incurrunt, quæ hujus partis occaſione naſci proditum eſt.

conſulendum. Et quibus. His itaque ante venæ ſectionem *conſulendum*, oſque ventriculi muniendum iis quæ corroborant, quæ humorum acrimoniam retundunt, & quæ humoris influxum arcent. Id genus ſunt ſuccus mali punici, mali cotonei, medici, citrei, limonum, oxyacanthæ & uvæ acerbæ, acetum, aut qui ex his fiunt ſyrupi. Aut ſi qua frigidæ intemperiei ſuſpicio ineſt, ex uſu erunt ca- A lida aromatica, maxime ſyrupus menthæ, diacydonion, vinũ auſterum, aut aromatites. Horum tantulum, vel panis optimi momentũ his intinctum conferetur: mox vero ut æger paulum quieverit, vena incidetur.

Præparatio venæ ſectioni præmittenda, ſi morbi clementia ſinit. Immanis vero *importunuſque nulla præparatione* nullaque cunctatione feſtinare cogit. Sic in habitu athletico à quo præſens aut ſuffocationis aut ruptionis vaſorum periculum impendet: in vehementiſſima pleuritide, in febre ardentiſſima, eaque maligna, in caſu & prolapſione, aut in obtritu gravi: imminentis periculi eventus magis reformidandus eſt, quam noxa ex non præparato corpore. *Niſi morbus urgeat.*

CAPUT XV.

Quid ipſo ſectionis tempore faciendum.

Ex Avic. loc. cit. In vena ſectione decumbat æger. DEcumbenti ægro, in maxima tum corporis, tum animi tranquillitate vena incidenda, potiſſimum ſi vires imbecillæ ſunt, aut ſyncopes metus ineſt. Etenim dum vel ſtamus, vel ſedemus, animalis facultas corpus ſuſtinens laborat, ipſaque inteſtina ac viſcera ex præcordiis pendentia vitali naturalique facultati vim inferunt.

Pars prona ſit. Si *pars* quæ inciditur *prona* ſit, & in hanc facilis directuſque ſanguinis curſus, ex ea corporis ſede quam plurimum exinanire proponimus.

Vinciatur. Artus confricentur, dum incaleſcant, & B proxime ſupra eum locum in quem ſcalpellum adigetur *arctiue vinciantur*, ut ſanguine prolecto vena tumentior in conſpectum ſe det. Infra etiam illigari mos eſt, quum tremula inconſtanſque vena ad ſcalpelli quemvis impulſum ſubterfugit, aut è ſua ſede diſſilit. Quibus autem denſa & ſqualida cutis eſt, & quibus anguſtæ venæ, C aut in altũ demerſæ multa carne, vel adipe obductæ, iis multo arctius vinculum injici debet, quam quibus diverſa eſt conſtitutio.

Minores venæ foveantur aqua calida. *Minores* pedum manuumque *venas*, quia vinculis non ſatis implentur, *in calentem aquam* demittimus, quæ & profluenti ſanguini impetum facit.

Quæ non apparent, tactu explorentur. Si ne ſic quidem vena in apertum promatur, eam, quo loco ineſſe ſolet, *digitorum impulſu percunctare*, dum ſanguinis fluxu A & incurſione, illius ſit explorata ſedes: hancque ſignatam, ſcalpello induſtrius artifex feriat. Sedulo etiam atque etiam proſpiciat, ne vel flatu tumidum locum, vel arteriam, vel tendonem pro vena petat. Interdum enim injecto arctiore vinculo aliquid venæ ſimile intumeſcit: interdum preſſa arteria motu vacat, & pro vena ſe profert.

Scalpellum chirurgus viſu perſpicaci, manuque valida, ſummis digitis prehendet, nec plus mucronis proferet quam ad penetrandum ſit ſatis: manu altera membrum, ejuſque pollice venam ſtabiliet: ſenſim nullaque feſtinatione ſcalpellum intro ſuaviter, quoad ſatis erit impellet. *Scalpellum quomodo adigendum.*

Venæ quæ in *articulis*, in brachii flexu & in poplite extant, in rectum diffiſſæ tardius coaleſcunt, quod articuli motu, vulneris labra dehiſcant: neque ejuſmodi fiſſio tentanda, niſi quum iteratione eſt opus. *Extra articulos*, ut in capite, in manibus vel in pedibus, quæcunque emergunt, in rectum fiſſæ, cicatrice celerius obducuntur, quod labra ſemper inter ſeſe coëant.

Sub interiore, quæ *baſilica* dicitur, fere comes arteria deliteſcit, & ſub *media* nervus: utriſque muſculorum tendones plerumque ſubſternuntur. *Cephalica*, licet difficilis, omnium tamen ſolet eſſe tutiſſima. *Circumſpecte vena ſecanda in brachio.*

Chirurgus ne in tendonem, in nervum aut in arteriam impingat. Ex *nervo* aut tendone

donè puncto dolor fit ingens, stupor, resolutio & brachii convulsio cum tumore. *Arteria* sanguis ægre compescitur, illiusque magna vi effusa, virium sequitur exolutio: sed neq; incisa arteria coit, neque sanescit, ac pars tandem gangræna corrumpitur.

Nervo puncto qua auxilientur. *Punctum nervum* aut tendonem indicant doloris vehementia, & insequens convulsio atque tumor. Hujus si qua erit suspicio, vulnus ne coalescat, dùm ab impendente phlegmone vindicatum sit, & dies duo tresve abierint. Inhibebitur autem coalitus fotu tepentis olei. Lapso triduo si dolor conquiescat, nec novi quicquam obrepat, sinatur coalescere: Sin minus, adhibeantur aperientia, attrahentia, & qualia nervis compunctis conveniunt, ut terebinthina, adjecto interdum euforbii momento.

Incisam arteriam quæ obstruant. *Aperta arteria* sanguis emanat tenuis, rabicundus, igneus, & pulsu quodam exiliens. Subsidio autem est emplastrum ex aloë, myrrha, thure, & bolo armena, quæ ovi candido & pilis leporis sint excepta. His dein lintea ex liquore rosaceo imbuta insternentur. Emplastrum fasciis obvolvetur firme ac tuto ne triduo excidat: hoc blande summoto simile denuo imponendum. Si ne iis quidem arteria coalescat, tota transversim discindatur, ut extrema utriusque revulsa molli carne obducantur.

Pro diversitate humoris aliud foramen faciendum. Rursum autem, quod ad sectionis modum facit, si *crassus* aut viscosus sanguis, qualis melancholicus, inesse putabitur, aut cœli constitutio frigida sit, *ampla* fiet venæ apertio: sin *tenuis* & aquosus, aut ipsa cœli constitutio calida, *angustior*.

Promovendus sanguinis effluxus. Vena ut decet aperta vinculum à superiore parte laxabitur, quo inde *sanguis uberius defluat*. Si sanguini cursus erit idoneus, sinatur. si minus abunde & segnius fluat, idque sectionis errore, ea emendetur: si sanguinis crassitie, aliave ex causa; laborans pugnum arcte vehementerque adducat, nervos, musculos & latera tussi ac voce valida contendat: vulnus aquæ calidæ fomento proritetur. Si vecordem cura metusque terreant, hincque parcius sanguis emanet, intermissio fiat dum vires exponendis recreentur modis. Imo etiam si pro ratione sanguis dimanet, utile est medio cursu digitum vulneri imponere tum ut vires reficiantur minusque dissipentur, tum etiam ut deterior spurciorque sanguis ex intimis celerius in sectionem confluat.

Sistendus ubi satis effluxit. Emanantis autem sanguinis quantitas æstimanda est, ut is demum opportune *sistatur*. Æstimatio ex morbi necessitate & ex viribus est ineunda.

Quantum sit satis. In *plethora simplici*, ad imminentium morborum præcautionem, satis redundantiam demere, dum mediocritas sit reliqua. At quum jam *morbus* inest, isque *universalis*, ut febris, non satis illud fecerit, sed si vires tolerent, infra mediocritatem imminuendum est. Mediocris enim si putrescat, quasi effervescens intumescit, & tum corpori infestus, tum viribus gravis est: minui igitur debet, at parcius quam in plenitudine. In *partium* autem *phlegmonis* non una quantitas, sed tum coloris, tum substantiæ mutatio spectanda. Quum vehemens dolor, aut magna quædam inflammatio locis inest sectioni propinquis, sanguinis cursus non ante sistatur, quam vel dolor mitescere occipiat, vel ejus color commutetur: mutatio quippe indicat, sanguinem ex inflammata sede, in qua is est à reliquo dispar, evelli: quod omnino expectandum est, nisi aut parti vehementer impactus humor est, aut evacuatione vires exolvuntur. Hæc siquidem cogunt intempestive supprimere, ac potius iterato quod reliquum est detrahere, alias quidem eodem, die alias postero.

Signa & præsagia virium labantium. Ut enim effluenti sanguini, ita & *viribus attendendum*, ne deficiant. Vires *defecturas præmonstrant*, labans fluoris impetus, pallens faciei color, oscitationes, pandiculationes, aurium tinnitus, oculorum suffusiones: quæ omnia coarguunt, vitales spiritus imminui, & cor infringi destitutum calore. Ad hæc singultus & nausea, quæ fiunt irrumpente humore in os ventriculi. Omnium tamen certissima & minime fallax est pulsus mutatio, qui si ex crebro supra modum rarus evadat, aut ex magno parvus, ex vehementi debilis & obscurus, ex æquabili inæquabilis, vires collapsuras, aut perturbationem epilepsiæ non admodum dissimilem præsagit.

Hęc igitur si ex vacuationis quantitate incidant, protinus intermittendum, ne imbecillitas progressa vel mortem inferat, vel jacturam quæ nullo pacto resarciri possit.

At si vel metu & terrore, vel stomachi demorsu, hæc signa compareant, intercepto fluore laborans recreetur, ut exinde possit reliqua vacuatio compleri.

Revocandarum virium modi.

Recreandi multæ sunt rationes. Os atque faciem frigida conspergere: acetum, vinum, moschum, idque genus aromatica ad nares admovere. Ab his vero præstantissimum sit ægrum prosternere: partibus quippe omnibus in unam situs æquabilitatem adductis, cessat labor omnis, principesque partes caloris & spiritus plus sibi mutuo impartiunt. Si ne sic quidem relevetur æger, vomitus excitetur, aut faucium titillatu aut injecto oleo: quandoquidem is impetus stomachi cordisque tædia depellit, suscitatque robur. Mox vires instaurentur vino, succo mali punici, jure carnium, medicamento diamoscho, aliisve cardiacis.

CAPUT XVI.

Vt à venæ sectione regendus sit æger.

Ex Avic. loc. cit. Secta vena qua ratione occludenda.

SAnguine ut morbi magnitudo viresque ferebant emisso, *vinculum dissolvatur, vulnus exiccetur*, ne concrescente sanguine madens aut non coalescat, aut abscessus metum inferat. His siquidem non accurate animadversis, die octavo aliquando resignatum est vulnus. Adeps si exiliat, ne præcidatur, sed intro molliter referendus est. Detersum vulnus linteo obsignetur vel rosacea, vel dulci aqua imbuto: aut etiam oleo, si sanguinem iterum fundere consilium est. Fasciis linteum devinciatur, quæ nec arctiores sint, nec cutem ulcerisve labra distorqueant. Si icto tendone aut nervo fluxionis aut phlegmones metus est, emplastrum è cerussa imponendum est: in ambitu vero cataplasma ex sempervivo, solano, arnoglosso, aliisque frigidis.

Vt quieti dandus æger,

Sectus æger supinus decumbat, ut omnibus partibus in spinam dorsi tanquam in corporis basim reclinantibus summa sit quies, & in quiete partes exhaustæ repleantur, resarciaturque spiritus. Neque igitur ad consueta munia properet, neque celerius inambulet, neque ullo exercitationis genere se fatiget: neque utatur venere, neque in balneum descendat: quandoquidem sanguis & spiritus vehementius incitati, ne dissipentur aut incalescant, sedandi comprimendique sunt. Nec vero venæ sectioni continuo indormiendum est, ne aut languidior calor extinguatur, aut obruantur imminuti spiritus. Itaque vigilans conquiescat, absitque omnis tum animi, tum corporis contentio, quod & in lipothymia præcipimus.

Vt cibandus

Hora una aut altera à sanguine misso *alimentum licet offerre*, exiguum quidem, quodque boni sit succi, quod prompte alat, & quod sit profligando morbo accommodatum. Duabus abhinc horis, aut etiam minus, nihil vetat obdormiscere, modo assidentes prospiciant, ne vel laborans in brachium cæsum se devolvat, vel vinculum dissolvat, quo sanguis dimanet, vel aliud sibi incommodum ferat. Reliquus cibus sensim, tum copia, tum materia deinceps increscet, neque temere aut avide ad pleniorem properandum est, ut quem nativus calor imminutus non plene sit confecturus, & quem crudum multumque exuctæ venæ rapiant, quo demum omnem corporis molem referciant. Esto etiam, integra sit omnis alimenti concoctio, quid tamen juvat illico se succis largius implere, quos animus est vena secta demere? A misso sanguine exquisitior victus ratio tenenda, neque protinus æger ad pristinam diætam perinde ut canis ad vomitum redeat. Intemperantes idonei uenæ sectioni non sunt.

De iteranda venæ sectione sic statuendum est.

Ex Gal. cit. loc. cap. 21. In magno morbo viribus integris simul & semel exuperans sanguis auferendus.

Quum ex ferventis sanguinis copia, vel *maxima inflammatio*, vel *dolor vehementissimus*, vel ardentissima febris irrumpit: ipso protinus initio antequam effrænatus sanguis in principem aliquam partem incumbat, non modo quantum illius exuperat, verumetiam multo plus emittendum est, idque *universe* & *affatim*, etiam ad usque animi defectionem, *si validæ vires* tolerando sunt. Fere autem valent in plethoricis affectibus, in quibus raro vacuationis copia deficiunt.

Vali-

Validas quidem & integras vires, non autem imbecillas, permittit *Hippocrates* usque ad animi defectionem deducere. Nam constantibus & integris viribus defectio interveniens arteriarum duntaxat spiritus exolvit: illæsæ vero persistunt eæ vires, quas cordi, jecori ac cerebro natura congenuit. Licet autem in lipothymia illæ dispereant, ex his tamen insitis aliæ persimiles denuo suscitari poterunt, ex quibus impendio recreabitur æger. At imbecillis (quoniam illæ principibus partibus insitæ vires languent) si lipothymia obrepserit, vix instauratio fiet. Quocirca viribus imbecillis cavenda diligenter est defectio. Ita quidem de maximis urgentibusque morbis sanciendum.

Aph.23.

Vt & in levi morbo,

At *in levioribus*, iisque universalibus, ut in plethora, in febribus & aliis morbis, quorum materia coercita est in vasis, non quidem ad lipothymiam, sed tamen quantum expedit quantumque affectus expostulat, *universe & semel* statim initio vacuandum est, si modo vires annuant. Ea vacuatio citra ullam virium jacturam, exuperantem materiam subtrahit, antequam vel tota putrescat, vel in nobilem partem irrumpat, vel horrenda symptomata suscitet. Qui metu deterritus in his vacuationem partiri proponet, & minus sane proficiet, & morbum producet in longius.

Partite & eodem die viribus imbecillis.

At si per *virium imbecillitatem* nequit universa vacuatio compleri, quum præstantior virium quam morbi sit observatio, *partitione uti cogimur*, idque summo judicio summaque prudentia. Partitio autem fit ex modicis intervallis, atque vel dissoluto vinculo, vel digito indito vulneri, intermittatur A tantisper dum modis ante expositis restituantur vires. Interdum hora una, interdum etiam plures ad virium instaurationem necessariæ sunt. Optimum autem sit, non ultra diem prorogare, ac bis sanguinem (si vires sinunt) eodem die mittere, idque in morbis universalibus: & (nisi quid aliud vetat) antequam putredo aut alia invalescant mala, quantum expedit educere.

Sed in inflammatione diebus interjectis.

Cæterum in affectibus partium omnibus, præsertimque in *phlegmonis*, partitas evacuationes oportet *longiore intervallo* sejungi, atque repetitam vel in diem posterum, vel in perendinum differri: ut hoc temporis spatio, corrupti humores ex affecta sede remigrent in venas exhaustas, quos exinde altera sectio promptius eripiet. Pars enim laborans sensim uno alterove die humores suos eo deposuit, qui corrupti quum B sint, illic relinqui non debent, etiam si dolores conquieverint.

Nisi maligna sit.

At vero *venenatam* malignamque inflammationem, ut pestilentem bubonem vel carbunculum, necesse est eo ipso die festinanter iterata vacuatione demoliri, ne pestilens contagio diutius hæreat in venis.

Non tamen nimis crebra vena sectio instituenda.

Neque tamen confidentius atque audacius *crebrior vena sectio adeunda:* non parum enim spiritus calorisque demit, ac in senectutem immaturam & hanc morbis gravioribus obnoxiam præcipitat: cujusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralysis, apoplexia. Impensius enim refrigerato nativo calore, humidoque primigenio imminuto, viscera languescunt, cruditas dominatur, quæ tot malorum causa sit atque origo.

CAPUT XVII.

Emissi sanguinis observatio.

Emissus sanguis ut excipiendus.

EFfluens *sangui excipiendus* mundis tersisque pelviculis, terreis, vitreis, stanneis, aut argenteis, non item æneis, ne ab his propriæ substantiæ, vel coloris, vel alterius qualitatis conversionem subeat, quæ nostrum de corporis affectione judicium pervertat. Sint & pelviculæ multæ in quibus sanguinis varietas dispici ac distingui possit. Seponantur loco mundo, A quo nec pulvis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radii pertingant.

Quomodo ejus observanda substantia,

Omnium prima in his *observabitur sanguinis substantia*. *Viscosus* est qui lente fluxit & tanquam glutinum digitis obhæret, quorum neutrum efficit probus atque mediocris. *Crassus* est & densus, multasque fibras habet, qui ocius concrescit atque conglaciat: hic obstructionum aliorumque in-

excretione de morborum fit author. Qui tardius con- A crescit ac durescit, *tenuis* est: qui vero jam refrigescens minime durescit, is omnino vel aquosus, vel *putridus* est, cujus fibræ omnes direptæ atque corruptæ vanuerunt.

Fissione. Id ipsum planius *distinguit fissio*. *Crassus* ac compactus difficile finditur, *tenuis* facile: *putridus* vero non finditur, verum simul atque attingitur totus in partes exiguas discerpitur.

Quid judicet serum: *Serum* multum tanquam aqua citrina concreto sanguini innatans, vel potum liberaliorem, vel jecur infirmum quale hydropici, vel imbecillos renes, vel eosdem obstructos ostendit: quibus ex causis serum redundans in venas sanguini permiscetur. Hunc tamen non eo prorsus destitui par est, velut in his qui frugalius bibunt, aut B immoderatius sese exercent: crassescens enim sanguis difficile in tenues venas distribuitur, easque prompte intercludit.

Spuma: *Spuma* innatans nisi fluoris impetu nata sit, incendium atque fervorem ejus humoris ostendit, cujus calorem præ se fert: rubra quidem sanguinis: citrina, bilis: alba, pituitæ: livida, melancholiæ.

Color: Durescentis sanguinis *color* per summa rubicundus, boni utilisque sanguinis est index: ruber quidem ac lucidus ardentis, qualis est arteriarum, ruber vero & obscurus mediocris, qualis est venarum. Color citrinus, bilem: albus, pituitam: vridis, bilem retorridam: lividus aut plumbeus atram bilem cum pernicie, ut disparium colorum permistio varios humores exuperare com- C monstrat: qui an etiam putridi sint necne, sanguinis substantia palam facit.

Pinguedo. Sanguinis parte summa innatat nonnunquam *pingue quidam* & adiposum, instar telæ aranei cohærens. Hoc, si admodum pingue & obesum corpus est, ex ipso sanguine causam habet, qui est in adipem pronus. Sin corpus strigosius fiat minusque opimum, id ipsum colliquari & marcescere portendit.

Fæx subsidens, Ima parte concreti sanguinis *subsidet*, quod terrenum magis est atque *fæculentum*. Id quum finditur, sæpe apparet vel rubrum obscurum, vel nigrum, vel lividum, vel viride: unde humoris qui sanguinem perfundit, naturam videre est: atque ex coloris copia assequi quantum unusquisque humor in venis abundet.

Grana, Si diffisso sanguine *grana* quædam arenularum æmula offendantur, ajunt vel elephantiasim, vel propensionem ad hanc notari: quanquam observantibus raro tale quiddam deprehensum est.

Odor. Rarum est sanguinem à venis *graveolere*: quod si contigerit, putredinis corruptionisque deploratæ est indicium.

Sapor. Detractum sanguinem nemo *degustârit*: at si cui in os forte incidet, dulcisque apparebit, secundum naturam est: qui amarus, biliosus. acidus aut stipticus, melancholicus: insipidus, pituitosus: salsus pituita salsa perfusus.

Pelviculæ similes. Sanguinis substantia atque colore animadversis, conferendæ invicem erunt *pelvicula*: quæ si *omnes* optimum sanguinem æqualiter exhibeant, credibile est reliquum in venis similem haberi, illum tamen detrahendum fuisse, quod multitudine peccaret, quæ una corpus gravat, sensus offundit, & in putredinem aut in graviorum malorum pericula conjicit Si vitiosus & impurus sanguis conspicitur, multo etiam utilius eductus est, ut qui & copia & qualitate molestus, corpori negotium facesseret: sed & posthac diligentius vacuari corpus debet, aut pharmaco, aut venæ sectione. Non tamen quo impurior sanguis aut crudior alieniorve à sua natura longius desciverit, eo plus detrahes, vulgarium & malorum medicorum more: sed quanto humores citra ultrave sanguinis naturam longius recesserint, tanto parcius & cunctantius hauriendum de sanguine, qumque longissime ab ejus forma abesse deprehendentur, in totum erit à phlebotomia abstinendum.

Dissimiles. Si qui *prius* manavit *syncerus*, qui autem *posterius*, *pravus* existit, multi hujusmodi resident humores in corpore, proba victus ratione, idoneisque vacuationibus exterminandi. At si hoc ex phlegmone accidit, bono esse solet, nempe indicium completæ & integræ vacuationis, quæ morbi materiam ex affecta sede extirpavit. Si postrema pelvis purior est primis, consummata est vacuatio, quę sanguinem vitiosum omnem detraxit, dum utilis ac bonus dimanaret.

Quid sanguine in calentem aquam emisso observandum. *Sanguis in tepescentem aquam effusus*, divulsis secretisque substantiis multa profert. Serum cum aqua omnino confunditur, ut internosci nequeat: illi etiam permiscetur

cetur tenuior sanguinis portio, ex cujus colore liceat de humoris natura & specie quodam modo judicium facere. Crassior sanguinis portio & fibrosa subsidet in imo: quæ pura & secundum naturam esse judicabitur, si lucida, tenuis, subalbida, & cohærens fuerit. At crassior crassum etiam sanguinem inesse: obscura & nigra aliove infecta colore, sanguinem vitiosorum humorum fæcibus inquinari commonstrat, quos ipsa coloris differentia discernit. Si parum illa cohæret, distractaque facile dilaceratur, summæ putredinis est argumentum.

CAPUT XVIII.

De arteriarum sectione.

Ex Gal. de cura per venæsect. cap. 22, 23

Magna arteria nunquam secanda.

MAjorem arteriam in cubito venę substratam, aut quæ in poplite sita est, neque ex industria, neque imprudenter incidere fit tutum. Ejus enim sanguis ægre restingui potest, nempe tenuis & calidus, impetuque prorumpens: & sane nonnulli, volentibus medicis vinculo quasi hæmorrhagiam sistere, nata partis gangræna mortui sunt. Neque si reprimatur, facile queat vulnus ad cicatricem perduci, citra aneurysma, ob assiduum pulsum, obque tunicas crassas & præduras. In ipsa vero aneurysmatis chirurgia nō pauci periere. Prestat igitur quum necessitas postulat majorem arteriam totam oblique in transversum secare: nam sanguis deinde sistitur, utrinque ipsius extremis retractis, & vulneri imposito emplastro ex aloë supra descripto.

Sed licet secare minorem.

Minores vero *arterias* quæ in summis artubus, in capite, in manibus & in pedibus extant, *licet* citra hæc pericula incidere, ut quæ agglutinari possint, præsertim in molli humidoque corpore, quali mulieres ac pueri præditi sunt.

Quantum ejus sectio conferat,

Confert autem *harum sectio* quum vehemens diuturnusque dolor circum membranas vim infert, qui pungenti similis est ob membranæ sensum, & qui pulsans est ex arteriarum motu. Sanguis enim multus, tenuis & calidus, in affectæ partis arteriis coërcitus, fit doloris causa. Itaque si partibus extremis investigentur ac secentur arteriæ, quæ à sedibus illis affectis procedunt, dolor omnino vanescit.

Pauci hoc tempore arterias incidunt, quod non admodum conspicuæ sint, nec facile sit illas consequi. *In temporibus* tamen sectæ calidas acresque oculorum fluxiones inhibent, quarum gratia totæ discinduntur, aut inuruntur candente ferro, vel caustico medicamento. *Pone aures* secantur in vertigine, in diuturnis capitis doloribus calidis atque spirituosis, in faciei rubore & quibusdam aliis capitis affectibus inveteratis. Quæ *inter pollicem & indicem* excurrit, aperitur in diuturnis laterum doloribus inter viscera & diaphragma positis. *Iuxta malleolum* secta vetustos lenit coxendicum dolores qui jamdiu invaluere.

Ac quæ secanda.

Semper autem ejus delectus habeatur, quæ *è directo* affectæ sedis est, ad quam ne accedendum quidem fuerit, corporis totius provisione neglecta.

E directo.

CAPUT XIX.

De particulari sanguinis vacuatione.

Ex Gal de hirudinibus. cap. 1. 3. 4.

QUum sanguis *aliqua in parte* ita inhæsit, ut nec secta vena, nec medicatione revelli possit, ab ea potissimum parte quę offenditur educendus est remediis quæ ei ipsi parti liberandę insideant. Ejusmodi sunt *hirudo*, *scarificatio* & *cucurbita*, quæ parte jam læsa sanguinem manifeste exhauriunt.

Sanguisuga.

Hirudo morsu trifidum vulnus infligit, quod non cutem modo, verum altius quoque, si ea tenella ut pueris & infantibus est, penetrat. Exhausta porro exinanitaque & accurate præparata avidius tutiusque fugit, fereque continenter dum copia turgescat saturaque procidat. Plerumque etiam sublata ea sanguis confertim profluit, si præsertim *in prominentem venam* erat infixa: ac

Quomodo educat ex majori vena.

ac tum pro ſcapello & phlebotomia eſt. Ita quidem ex hæmorrhoide tam copioſum interdum ſanguinem evocat, ut emplaſticis adſtringentibuſque medicamentis ſit opus, & puerorum cubito infixa phlebotomiam exæquet. Quæcunque ſic è vena cava haurit, pro univerſali vacuatione habenda eſt.

Quomodo è minori. Quæ vero duriuſculæ cuti, aut ei parti cui *nulla* ſit *amplior* vena ſubjecta adhæreſcit, quam ſolum partem attigerit, evacuat: aut certe minimum è vicinis, nihil vero prorſus ex alto, aut ex diſtantiore loco prolicit. Quocirca iis duntaxat partium vitiis exugendis adhibetur, quæ in ſumma ſunt cute, ut ſcabiei, vitiligini, impetigini, pano, naſi facieique rubori & elephanticorum tuberculis.

Quomodo ſcarificatus. *Scarificatio* fit epidermide minutim ſcalpello diſciſſa, quæ tamen & nonnunquam altius ſubiens veram cutem ferit. Vacuat è ſola parte divulſa, niſi forte venam convulneret: exitum enim facit humori ſubjecto, nec tamen vi quicquam ex alto aut è longinquo trahit. Quo altius ſcalpellum adigitur, eo plenior ſanguinis eſt effuſio.

Expurgandæ cutis remedium eſt ſacrificatio, ac eorum quoque affectuum quibus dixi hirudinem opitulari, quinetiam eorum qui in cutem irruperunt eique jam contumaciter obhærent, ut ſcirrhi, inveteratæ phlegmones, & cujuſvis corruptæ materię. Ad hæc gangrænæ, ſphaceli, & aliorum in quibus nativus calor ſtrangulatus ventilari deſiderat.

Quomodo cucurbitula cum ſcarificatione. Largius autem ac uberius ſacrificatio ſanguinem profundet, ſi protinus adhibeatur *cucurbitula*. Hæc enim vi flammæ atque caloris non modo quicquid tenuis fluxique humoris ac ſpiritus partem circumfundit, ſed & quod in locis diſtantioribus penitioribuſque ineſt, validiſſime trahit. Atque ſi cutis ante ferro exaſperata eſt, id manifeſte in ſe prolicit: ſin vero levis ea & integra manet, è diſtantioribus penitioribuſque evocat in cutem, ac in eam ſedem transfert cuicunque fuerit impacta.

Itaque inhærens cucurbitula cute jam inciſa, corporis ſummas partes expurgat, multo quidem potentius, quam aut ſcarificatio ſimplex, aut hirudo, iiſdem ſuccurrit affectibus. *Sine ſcarificatione.*

Levis autem & quæ *ſine ſcarificatione* imponitur, non manifeſte ſanguinem, ſed unum ſpiritum extrahit. Cæterorum humores ad ſeſe rapit, irruentem fluxionem revellit, ſanguinis profuſionem undecunque factam directo contrarioque loco impoſita ſiſtit, quum præſertim ex vena ſanguinem mitti revellique imbecillæ vires minime ſinunt. Errabundum uterum fluctuantemque humorem cohibet: eum vero qui parti jam hæret impactuſque eſt derivat: & eum qui in alto corpore demerſus eſt evocat in ſummum: ut idcirco ſtuporis, paralyſis, inveterati doloris accommodatum ſit remedium. Flatus vero ac ſpiritus quavis ſede coërcitos expedite diſſolvit, atque diſſipat. Proinde palpitationem, ſingultum, colicum, nephriticumque cruciatum ociſſime compeſcit. Expeditiſſimum hoc præſidii genus ac minime periculoſum. Neque enim corpus ulla qualitate labefactat, neque vires infringit.

Hactenus remedia expoſui quæ ſanguinem tum univerſim, tum particulatim detrahunt.

Ad ea deinceps accingar, quæ non hanc illamve, ſed nullo diſcrimine omnem corporis materiam, vel abſumunt, vel diſſipant.

CAPUT XX.

Vniverſalis quæ per habitum fit corporis evacuatio.

Ex Gal. de venæſ. adv. Eraſiſt. cap.4. *Quæ per habitum corporis evacuant,*

EOrum *quæ per ſumma corpus exhauriunt* vacuantque, *alia ſudores* conſpicue cient, *alia halitum tenuemque* ſubſtantiam perſpiratu digerunt.

Hoc genere continentur *inedia, unctio* & *frictio*: *illo exercitatio, balneum, laconicum.*

Phlebotomiæ vires proxime imitatur *inedia*, ſenſim ac pedetentim *ſanguinem abſumens*, quem ſemel ac repente phlebotomia vacuat: præterea vero *crudos humores* alioſque complures *diſſipat*, omniſque generis *excrementa propellit.* *Vel inſenſili tranſpiratione id agunt, Vt inedia.*

Etenim natura libera nec impedita, ſalutaria æque nobis continenter procurat. Quum

Quum igitur consuetus corpori cibus aut subducitur, aut ex toto circumciditur, hujusque penuria ineſt,inſitus nobis calor omnium naturalium functionum author, per omnia diffuſus ac inſertus, novi cibi copia minime implicatus, ubique vim ſuam exerens, invaleſcit.

Quid ea utilitatis adferat. Ac primum quidem *utilem ſuccum* & ſanguinem in corporis partiumque ſubſtantiam mutat abſumitque nutritione.

Humoribus alimentariis. *Tenues* vero humores ac *ſupervacuos* in halitum digerit & ſine ſenſu diſſipat: crudos concoquit, mutatque in ſanguinem alendo corpori idoneum.

Quid excrementitiis tenuibus, Craſſis. Ex *ſupervacuis* autem *craſſos* attenuat, lentoſque detergit: ac proinde ſtrenue expedit obſtructiones: adhæc quicquid concoquere non poteſt, id ſaltem præparat, viaſque omnes corporis quibus excludatur patentiores expeditioreſque facit. Tum etiam expultrix facultas quæcunque præparata fuerint, in expurgationis vias adducit expellitque foras. Hinc plerumque alvus ſponte ſolvitur, vomitiones erumpunt, urina profunditur uberior, cerebri excrementa defluunt; & quæ à purgationis via longius abſunt, perſpiratione diſſipantur. His corpus univerſum ſublato quaſi onere levatur, reſpiratio libera fit ac facilis,mens ſenſuſque omnes expeditiores alacrioreſque evadunt.

Quid noxæ adferat inedia moderata. Hæc dum confert, *inedia impuro* quidem *corpori* plerumque ventriculum vitioſis implet humoribus: unde ſtomachi eroſiones, vigiliæ, corporis perturbationes & vertigines, quod ſcilicet inſitus calor perinde ac medicamentum noxios humores exagitet in alimenti penuria. *Quomodo eam corrigat,* At vero perturbatos ea demum ſubigit, domat atque depellit, unde magna ſequitur tranquillitas & morborum multorumque ſymptomatum ſedatio, ſuperſtite quidem etiamnum & integro naturali calore.

Quid corpori adferat moderata & immoderata. Hæc ſane *moderata* efficit inedia, ut quæ acres humores exacuit, incendit, calefacitque corpus. *Immoderata* vero quoniam pabulo atque etiam ſupervacuo humore abſumpto, ipſam quoque partium ſubſtantiam diſſipat, quæ caloris eſt ſedes, corpus tandem refrigerat, vireſque comminuit & obterit.

In quibus itaque morbis utilis vel inutilis. *Salubris* eſt tempeſtiva abſtinentia, & apprime utilis quæ per inediam fit evacuatio. Etenim blande nullaque violenta aut corporis, aut humorum impulſione, nullaque aliena qualitate in corpus inducta ſenſim ac lente progreditur. Acutis porro urgentibuſque morbis ſola inedia *vix tuto* ſuccurri poteſt, ſed aut venæ ſectione, aut pharmaco expedite vacuandus eſt corruptus ac putridus humor, qui de ſua bonitate plurimum deceſſit, & quem inſitus calor neque amplius in benignum reducere, neque derepente exturbare poteſt. At leves morbos ex cruditate futuros arcet cibi parſimonia: eoſdem recens genitos facile perſanat inedia: inveteratos quoque eos plurimum coctione lenit, tandemq; profligat. Ea ipſa ex plenitudine futuros convenienter inhibet, quod ſenſim ac tempore onerantem copiam eximat. Qui vero jam præſentes ex copia ſæviunt, eos non inedia, ſed venæ ſectio expedite tollit. Sed & in crudioribus morbis materiæ ſitus æſtimandus. Nam quum venis aut ſummis partibus, ut capiti, vel plenitudo, vel cruditas, vel pituita gravis moleſtaque eſt, cibus parcus ſiccuſque confert, ea moderatione ut præcordia primaſque partes ne collabantur alat, non autem ad corporis ſumma ipſe pertingat. Quum uero aut in ventriculo, aut in prima corporis regione vitium inhæreſcit, multo parcior ſicciorque victus imperandus.

Inedia appellatur modo abſtinentia, modo parſimonia, non cibi duntaxat, ſed & potus, qui magis promptiuſque quam cibus, tum viſcera, tum venas implet, iiſque negotium faceſſit. Quos igitur morbos inedia non ſuſtulit, medicatione curato. *Gal. ſanit. tuend. cap. 2. 4.*

Exercitatio. *Exercitatio* aliquantum quoque, ſed quam inedia minus abſumit ac digerit, idque magna tum corporis, tum humorum perturbatione.

Quid adferat corporis Hæc nullum extrinſecus *corpori* calorem confert, ſed ingenitum nobis & innatum ſuſcitat, qui dein quoquoverſum effuſus corpus humoreſque calefacit. Unde alimenti concoctio, diſtributio, nutritioque felicior.

Humoribus. Eadem *ſanguinem* & humores extenuat, mollit, colliquat & diffundit, atq; adeo perturbat, ut ſua illi vaſa impleant atq; diſtendant, vixque turgentes contineri poſſint; ſed vi impulſi aut foras exiliant, aut impetu in partem aliquampiam irruant. Ipſa etiam

cutis

cutis spiracula laxat & resolvit, quumq; validior suscitatus est calor, spiritus quoquoversum in corpus impelluntur, qui ductus omnes reserant, viasque expurgāt, & oborto sudore copioso supervacua propulsant.

Quibus itaque conveniat. Non ægrotantium, sed *bene valentium* est, quæ exercitatione fit sudorum eruptio. Etenim quia vires exolvit, corpusque defatigat, laboranti gravis importunaque est.

Et quando Bene valenti ad præcautionem accommodata, *concocto* certe ac jam distributo *cibo*, alvoque subducta. Impuriori corpori vitāda exercitatio. Quum enim vitiosos humores confundat ac perturbet, quos tamen nec evincit, nec prorsus depellit, plerumque morbis gravioribus rudimenta ponit.

Balneum. quid adferat humoribus. *Balneum* dulcis aquæ longe quam exercitatio potentius spiracula laxat remittitque, *humores* calfacit, extenuat, fluxosque colliquat. Ex his fuliginosos non modo dissipat è summis, verūetiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos foras evocat prolicitque sudores. Crassiores vero quos non discusserit, colliquat, & tanta vi concitat, ut in alias plerumq; partes jactati cōfluant.

Quibus itaque adversum. Quocirca balneum iis *adversissimum* est qui morbo gravi tenentur, atque iis qui citra morbum impuro plethoricove sunt corpore, & quibus nobilioris cujusdā visceris imbecillitas inest, aut præcordiorum durus renitensque tumor. Quippe liquatus humor præter naturam in partem languidam decumbēs in phlegmones discrimen adducit.

Quibus utile. *Vtile* vero & accommodatum iis deprehenditur, qui squalidi extenuatique sunt, & quibus jam magna partium solidarum inest ariditas: atque iis etiam qui ex febris ardore quasi retorridi evaserunt: melancholicis quoque & crasso terrenoque humore oppressis. Sed & in iis cautio adhibenda, ne ulla subsit in venis primis copia crudi humoris, quæ in omne corpus rapi possit: neve inter administrandum horror ullus incidat, qui febrem prænunciare solet.

Præsertim medicamentosum. Tanto autem manifestius atque validius hæc efficit *balneum*; quanto vel natura, vel arte calidius obtigerit, sive sulphureum, sive nitrosum, sive *medicamentorum* calidorum permistione comparatum sit.

Non solium aquæ calidæ *Solium* vero *aqua calidæ* in quod resupinus æger à genibus ad umbilicum demergitur, non movēdis sudoribus destinatum est, sed aut molliendo reserandoq; utero, aut leniēdo dolori, qui vētris imas partes excruciat.

Laconicum seu hypocaustum quid faciat. *Laconicum*, in quo sicco calore sudor elicitur, humores è corpore aliquanto valentius quam balneum resolvit.

Quibus utile, vel inutile. Morbis *accommodatur* frigidis atque diuturnis, quorum materia, aut in artubus, aut in summo hæret corpore. At quoniam in eo vapor fervidus, non solum corpori extrinsecùs occursat, verumetiam respiratione intro sese insinuans, ac in omnia diffusus, corpus haud mediocriter incendit & exiccat, nec calidis, nec acutis affectibus, nec impense bilioso, nec extenuato corpori decernendum. Quum vero humores cōturbet, corpusq; vehementer lacessat, iisdē atque balneum observationibus usurpetur.

His vacuandi generibus humoris atque spiritus non exiguum ex universo corpore dissolvitur in *sudores*, qui tamen per febres acutosque morbos, si res postulet, levioribus movebuntur auxiliis.

Vnctio & frictio, quid adferant corpori. Jam vero *unctio* atque *frictio* summa duntaxat corporis exinaniunt, neque humores intus ac penitus abstrusos, neque corpus ipsum insigniter conturbant. Mollis quidem longaque frictio corporis summa excalfacit, cutis spiracula laxat dilatatque, quibus ex causis humores in extrema corporis effusi incalescunt, extenuantur & liquefiunt, qui demum sponte sua dissipantur & evaporant. Unctio calida eadem, sed aliquanto validius confert. Altius siquidem penetrans non modo cutem emollit, verum etiam corporis interiora & humores contagione calfacit, extenuat, disperditque. Levior tamen est unctio & tolerabilior frictione longa.

Quibus conveniant. Illa quidē in acutis morbis, longa vero neque in acutis, neq; in crescentibus *est ex usu.*

His mihi concludenda videtur de venæ sectione deque omni vacuatione universali suscepta tractatio. Quam idcirco paulo pleniorem institui, ut omnia complecterer, quæ in hanc rem pertinent, & quæcunque veterum scriptis ambigua sunt aut controversa, perspicuam lucem acciperent. Quæ si cui vix licet omnia ad unguem ipso medendi usu complere, conandum tamē est, ut ad illa tanquam ad certam legem & regulam opus omne dirigat.

Libri secundi Therapeutices, De venæ sectione, finis.

LI-

LIBER TERTIUS METHODI MEDENDI DE PURGANDI RATIONE.

Caput I.

Quid purgatio, quotque ejus differentiæ.

Ex Galen. quos purgare oporteat.

Purgatio est humorum qualitate peccantium.



Urgatio, * *est eorum quæ sola qualitate molesta sunt evacuatio.*

A *Qualitatis* genere non eas solum complector quæ primæ appellantur, sed & secundas, & cujusvis substantiæ corruptionem. Nam corporis excrementa & humores supervacui quum immoderatius exuperant, non multitudine, sed qualitate peccant: quemadmodum, & qui aut nimium crassi sunt, aut glutinosi, aut acres. Præterea tum hi, tum etiam qui proprie succi nuncupantur, si vel intemperiem, vel alienam qualitatem, vel corruptionem sortiti sunt, qualitate peccant, & cacochymiæ nomine continentur.

Quum igitur hæc vitia à naturali constitutione eousque jam recesserunt, ut neque victu, neque alteratione sola emendari, neque naturæ calorisque beneficio in pristinam bonitatem reduci possint, auferenda certe sunt, omnisque eorum materia tanquam inutilis prorsus extirpanda. Id autem purgatione fit, quæ una cacochymiam subtrahit. Venæ sectio eum fortasse vitiosum humorem, qui consistit in venis, at non syncerum evacuat, sed sanguine & utili humore permistum. Purgatio vero id solum quod vitiosum est & qualitate peccat, utili relicto, nisi forte immoderatius efferatur.

Purgatio alia *sponte*, alia *arte & medicamenti* ope fit, quæ proprie appellatur medicatio. *Purgatio quotuplex.*

Hæc rursum *duplex*, *universalis*, & *particularis*.

B *Universalis*, non quæ omnes humores, sed quæ ex universo corpore, aut certe maxima ex parte, supervacua educit. *Particularis*, quæ partem quampiam propriis vitiis expurgat: ut è cerebro per palatum & nares muci derivatio: è pectore & pulmone excreatio: arenularum aut puris è renibus emictio: uteri per cervicem expurgatio: & quacunque rupta cute è quavis particula fit eruptio.

Est porro *universalis triplex*, *alvi perfusio*, *vomitio*, & quæ *alvi* nuncupatur *dejectio*: de quibus sigillatim accuratius differendum.

1. *Vrina in principio tenuis, & materia cruda purgationem non admittit, sed lenitivum duntaxat: crassa verò cum nebulâ admittit.* Hipp. 4. acut. 43.

CAPUT II.

De Clystere.

Ex Avic. lib 1. fen. 4. doct. 5. cap. 17. *Clyster medetur vitiis Intestinorum: Quare pro diversitate vitiorum & is varius.*

INtestinorum præsertimque crassiorum *vitiis* apte *clyster succurrit.* Eo quippe integris viribus pertingit, quo epoti medicamenti vis non nisi hebetior & longo viæ prolapsu fracta, ignavior accedit.

Quot igitur in intestinis vitia, tot & *clysterum genera:* alii dolores leniunt, alii humores acres consopiunt, alii ulcera detergunt aut siccant, alii fluxiones cohibent, alii evocant. Horum rursus alii flatus discutiunt, alii fæces emolliunt, alii humores eliciunt è vicinis partibus, qui purgantium genere proprie contineri solent.

Quid faciat purgatorius:

Nam præter flatus ac fæces cibique reliquias, non pauca etiam in intestinis cumulatur supervacanea pituita, quæ nonnunquam proruit à cerebro, assiduo autem ex ventriculi & intestinorum nutritione ut peculiare excrementum succrescit: maxime vero quibus ex multa ingluvie, aut ex glutinosis cibis magnus est cruditatum proventus. Ea quidem initio aquosa aut etiam mucosa existit, quæ diutius in longo viæ anfractu, præcipue vero in cæco intestino, aut in coli cellulis inhærescens, caloris vi tempore crassescit dum & vitrea & gypsea evadat. Talis interdum modo seorsum, modo fæcibus circumducta sponte redditur: plerumque tenacius intestinis adhærescit, ut neque illabenti excremento, neque medicamento cedat. Cumulata hæc copiosior, atque tum intestina, tum mesenterium inferciens, caput, sensus, corpusque universum degravat, obstructionum multorumque morborum procreatrix. Similis est & humorum quorumlibet ratio, qui aut sponte, aut purgationis vi è visceribus decussi & in intestina devoluti, illic subsistunt & hærent. Hos ergo attingens clyster incidit, extenuat, detergit, secumque deducit: ac multa sæpe crassa detrahere cernitur, quæ nulla purgationis vis excludit. Sed & inferiora expurgans, superiora consecutione exonerat: etenim viscera pressaque præcordia liberat, meliusque spirantia facit.

Is initio evacuationis adhibendus.

A clystere omnis est *purgationis initium:* hic dejectionis viam parat & expedit, vomitionis impedimenta subtrahit. Quumque in intestina defixi humores aliive eorum affectus sanandi sunt, flatus fæcesque clystere in primis excludendæ, ut dein sit in ipsos affectus vis efficacior.

Qua ratione.

In latus dextrum decumbenti facilius celeriusque subit, sursumque excurrens intestina proluit: sinistro decubitu in recto aut in colo intestino, quod aliorum mole premitur, plerumque subsistit. *Tepens* injiciendus, idque sensim, ne impetu flatus sursum magnis torminibus compellat. Ad alvi subductionem, quod sæpe conturbet subvertatque cibum, *ventriculo vacuo* indendus est: ad medicationem vero eo etiam cibis conferto admittitur, diuq; continendus est, ut tempore vires suas potentius exerat. Hoc diutius subsistente, potest laborans cibum sumere, aut huic etiam si volet indormire: nam postea licet non syncerus, ingenti tamen fœnore redditur.

Quam alte penetret.

Rarenter admodum aut *in ventriculum subit,* aut in mesenterii venas rapitur, licet odore vel sapore os naresve feriat, aut etiam urinas inficiat.

Quando subsistat.

Qui naturæ conveniens pro alimento subditur, *absorbetur interdum* si longa fuit inedia aut parsimonia cibi. Sæpe etiam, quum vehementes cruciatus, quales colici ac nephritici, torquent, subsistit ac manet, sursumque repit. Dolor enim, omnia quasi absorbens, vacuationem cohibet. Fere tamen remorantem clysterem acrior alter aut glans revocat.

Glans quid faciat.

Glans clystere longe ignavior est, nihil quippe eorum eluit aut sanat, quæ intestina afficiunt, sed alvum duntaxat idcirco movet, quod acrimonia podicem ad desidendum stimulet. Crebrior hæmorrhoidas irritat & aperit, acriorque ulcus interdum excitat.

Quam varius sit.

Ad podicis vitia, solent *omnis generis* componi, adstringentes, lenientes, prout affectus conditio poscit.

CAPUT III.

De Vomitione.

Ex Gal. quos purg. oporteat. Ex Avicen. lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 11. & 13 14. Vomitio quid.

VOmitio, *est impetu ventriculi sursum facta rejectio.*

Quum immoderato potu ventriculus fluctuat, redundans humor plerumque sine sensu per gulam in os refluit, crebraque expuitione redditur. Lumbrici quoque interdum ex intestinis per ventriculum & gulam in os surrepunt: atque in nausea & cordis dolore tenuis aqua è ventriculo confertim in os confluit. Hi motus omnes tametsi sursum præter naturam fiunt, nondum tamen possunt vomitionis appellatione contineri; sed qui duntaxat manifesto ventriculi conatu obtigerint. Ut enim uterus in partu collectis undique viribus sese arctissime summis partibus adstringit quo fœtum excludat: ita & ventriculus rei noxiæ injuria lacessitus compresso fundo totus sursum impetu fertur, vomitione quicquid infensum est excutiens. Motus hic omnium est naturalium manifestissimus, quo & ventriculus de propria sede exiliens, assidentes partes, quibus annectitur, magna vi divellit.

Aliis facilis. Hinc vomitio *difficilis* violentaque est, *aliis* tamen *magis, aliis minus.*

Aliis difficilis. Quibus pressum angustumque pectus, & quibus cervix gracilis & oblonga, ii raro ac certe violenter vomunt: facile vero & occasione levi qui contrario sunt habitu. Violenter rursum & periculose asthmatici, tabidi, & ii quos præcordiorum inflammatio aut dolor exercet: metus enim est aut suffocationis, aut cruentæ expuitonis, aut ruptionis, quemadmodum & in motu omni vehementiore.

Vomitionis difficilis incommoda. *Crebrior difficilisque vomitio* ventriculum, præcordia, & quæ sub his sunt viscera, crebra validaque concussione debilitat, eoque humores rapit impuros: caput implet, sensusque degravat & offundit.

Facilis commoda. Quæ vero *facilis & moderata* obtigerit, saluberrima est, & purgationum omnium præstantissima. Noxios quippe humores ex ipsis fontibus synceros elicit & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate in ejusve tunicis hæret illuviem in primis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris ac lienis, & ex pancrea omnis generis supervacuos humores synceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementissimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis viæ breves ac expeditæ magis quam in alvum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quanquam autem primum ab interioribus evellit, consecutione tamen caput reliquumque corpus levat.

Quibus affectibus conveniat. Quocirca omnibus *opitulatur affectibus*, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nauseæ, cibi fastidio, crebræ vomitioni, ventriculo præcordiisve distentis, ictero, cachexiæ, febribus intermittentibus, hemicraniæ, vertigini, incubo, epilepsiæ, suffusioni, omnibusque capitis affectibus, qui præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impuritas protulit. In quocunque igitur affectu languescit appetentia, & nausea vomendique desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam quæ purgatio non eluit, extripat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur in alvum, prompte in ventriculum remeant.

Tanti igitur vomitionis vis æstimanda.

Ad vomitionem præparatio. Cui autem ægre ea cietur, diligens adhibenda est *præparatio*. Quum enim vel ex corporis conformatione, vel ex humoris situ & crassitie, vomendi conatus angere solet, ac faciei oculorumque rubor, capitis tensio, sudor multus & interceptus spiritus obtingere, idque citra vacuationem ullam, non nisi adhibita præparatione vomitio tentanda.

Primum igitur attenuandus detergendusque humor, atque iis viæ molliendæ & laxandæ sunt quæ posthac traduntur.

Provocatio in vomitionem. Corpore autem convenienter præparato, quum vomendi necessitas premet, *addendus stimulus*, ut artis & naturæ concursione effectus edatur perfectior. Fere quidem jejunos nausea vomendique desiderium

rium premit, quum exinanitus ventriculus noxiorum humorum incursione infestatur. Nam pastis benignitate cibi noxius humor demulcetur leniturque nausea. Sæpe vero noxius humor ventriculum stimulat cogitque cibum vomere, nec tamen ipse prodit, ut quum extrinsecus ventriculum feriens nondum in ejus capacitatem penetrare potest, aut quum lentore suo intus illi tenacius adhærescit. Itaque synceri humoris supervacui vomitio jejunis maxime cienda: quanquam tum leviusculus cibus pharmaco præmitti potest, ut facilior succedat vacuatio. In id etiam corpus turbandum agitandumque est motu & exercitatione.

In vomitione quid faciendum. Atque quum oborto cordis dolore *illuvies copiosior effluens* laborantem urget, prono situ collocandus, firmato capite, & ventriculo manu compresso, dum primum cibus & pituita, deinde bilis varia, quantum necessitas postulat, eruperit, omnisque impetus sedetur. Si violentior vomitio nimiopere fatigat, superveniatque vertigo, æstus, angustia, suffocatio, cordis aut ventriculi compunctio: aut si immoderatius exuperat, atque vel succos utiles, vel sanguinem elicit, vel ramenta, vel nigrum quiddam fœtidum atræ bili persimile, lenienda certe & compescenda: atque in quiete continendus est laborans, ventriculus fovendus spongia macerata in aceto tepente, atque iis etiam firmandus quæ posthac dicentur.

Quumq; *sedata vomitione* plenus & validus existit, reliquumque corpus levius, utilis ea censeri debet & consentanea. Contra vero inutilis & noxia, si contraria appareant. *Quomodo vomitio æstimanda.*

CAPUT IV.

De purgantium medicamentorum viribus, ac primum ut unumquodque familiarem humorem totius substantiæ similitudine deducat.

Ex Gal. de fac. purgant. c. 2. 3. Purgantia omnes humores. PURgans *medicamentum humorem communi quodam omnium tractu prolicere*, non pauci censueruut, ejusque portione detracta aliam dein, consecutione quadam, ei, quę evacuata sit, succedere, idq; ne vacuum quicquam & inane in corpore subsistat. Neque medicamentum unum quempiam humorem, sed omnes promiscue hirudinis aut cucurbitulæ modo trahere, eum tamen qui tenuior & ad fluendum aptior sit, primum sequi, ab hoc deinde crassiorem, postremo crassissimum: atque si medicamentum infirmum & invalidum erit, nihil præter serum vacuari; si validius, cum hoc etiam bilem flavam; sin valentissimum, tum pituitam, tum bilem atram. Huic sententiæ suffragans *Averrhoes* putavit, tenues humores, quia purgationi aptiores, prius quam crassos, omni medicamenti genere prolici. *Lib. 5. collig. cap. 21.*

Non trahunt. *At si satis rerum peritus* animadvertisset, rheumbarbarum, agaricum atque sennam, etiam ex hydropico corpore non aquam, sed crassos humores, scammonium vero & iridem non crassos, sed tenues serososque vel ex corpore sano elicere, non tam turpi credo errore lapsus esset. Si vacuationis ordine tenuia semper cæteris antecedunt, cur non & sanguis prius quam bilis atra defluet, quem constat multo tenuiorem esse? Hæc opinio dum unicum medicamenti genus sola, pro vacuandi ratione, quantitate mutatum satis fore humoribus omnibus expurgandis statuit, perturbato rerum ordine summam confusionem invehit.

Hæc incommoda circumspectius animadvertens *Hippocrates*, recte novit, medicamentum humorem qui in corpore præter naturam continetur attrahere non communi & promiscua quadam vi, sed *totius substantiæ similitudine* insitaque familiaritate. *Sed judicio Hippocratis Lib. de Nat. hom. text. 31. tantum similem.* *Medicamentum* (inquit) *quum in corpus fuerit ingressum, primum sane id quod omnium maxime sibi natura respondet atque simile est deducit, deinde alia quoque trahit & purgat, quemadmodum semina & stirpes, terram ubi subierint, id quod in terra secundum ipsorum naturam est, sibi attrahunt, sive acidum, sive dulce, sive amarum, sive salsum, sive aliud quidpiam diversum. Primum igitur ejus quod sibi naturali similitudine conjunctum est plurimum arripiunt, tum cætera deinceps attrahunt. Talem quoque modum & medicamenta in corpore servant. Etenim quæ bilem movent, primum hanc meracissimam purgant, deinde mixtam.*

Quanquam igitur attractio alias caloris, alias

alias vacui & inanitionis vi, alias totius substantiæ similitudine fit, quæ tamen à medicamentis purgantibus est, una similitudinis proprietate completur, qua & stirpes succum è terra sibi idoneum, & unaquæque corporis particula id quod in sanguine sibi familiare & conveniens est, & lapis heraclius ferrum, & paleas sucinum.

Ex Gal. 3. de simpl. med. fac. cap. 24. 25. Et Mesue theor. 1. Non temperamento,

Hæc autem similitudo *non temperamentorum*, sed substantiarum est. Illa quippe attractionis causa statui minime potest: quandoquidem nullum medicamentum esset trahendæ pituitæ idoneum, quum illa frigida, universum vero purgantium medicamentorum genus calidum habeatur.

Ergo sola substantiæ similitudo causa est cur medicamentum huuc illumve humorem alliciat.

Non materia,

Hæc autem substantia *non ipsa est rei materia*, à qua unumquodque aut tenuis, aut crassæ substantiæ dicere solemus: neque hujus substantiæ similitudo attrahendi causa existit: nam neque agaricus, neque colocynthis, tenuis substantiæ quum sit, crassiorem pituitam, neque rheumbarbarum, quod astringentis & solidæ crassæque substantiæ, tenuem bilem educeret.

Sed præstantior est tota illa substantia, à qua tanquam ab intimo principio defluit & manat, quæ totius substantiæ proprietas appellatur.

Sed forma,

Hæc igitur cum neque materia sit, neque temperamentum, *necesse est rei species & forma sit*, quæ præcipua est ac fere tota compositæ rei substantia. Admirabiles ejus proprietates neque colore, neque sapore, neque odore, neque ullis sensuum qualitatibus, sed operibus solis percipi possunt, unde à plerisque cæcæ & occultæ nuncupatæ sunt.

Non ejusdem speciei, sed similis.

Quæ porro *eadem continentur specie*, substantiam non similem sed plane eandem habere dicuntur: ut ferrum ferro, magnetem magneti, non simili, sed eadem substantia dicimus. At vero magnetem ferro similem, non eundem, quod eorum substantiæ ac formæ affinitate quadam & familiaritate conjunctæ sint. Eadem in medicamentis quoque est ratio: censeturque agaricus pituitæ tota substantia similis. Ea autem substantiæ similitudo attractionis est causa, atque unumquodque id trahit quod simile, non quod eodem est genere. Sic agaricus pituitam, non agaricus agaricum trahit, nec pituitam pituita: Itaque perperam *Avicennas* colligit, si attractio fit à similitudine substantiæ, oportere ferrum attrahere ferrum, aurumque aurum.

Lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 4.

Inter similia autem trahit quod est potentius.

In hac autem similitudine *quod validius est trahit infirmius*, ut agaricus pituitam, non contra, quod agarico vis insit potentior, quam & temperamenti calor plurimum impellit. Si quando autem contingat, tam exiguam medicamenti portionem exhiberi, ut ab humoris copia obruatur, ea omnino frustrabitur purgandi facultate, & in alienam vertetur substantiam.

Tres purgantium sunt ordines.

Usus enim *tres* notavit *purgantium* medicamentorum *ordines*. *Unus* est malignorum, in quibus vis & substantia inest venenata, in quo habentur colocynthis & scammonium. *Alter* benignorum, quæ minimum ab alimenti natura defecerunt, cujusmodi sunt pruna, violæ, manna, serum lactis, cassiæ medulla. *Tertius* mediocrium, in quo sunt rheumbarbarum, agaricus, senna, aloë.

Et ideo purgantium remanentium in corpore alii effectus.

Itaque in corpore valido atque inedia exhausto, *benigni* medicamenti exigua portio in corporis substantiam facessit: *maligni* vero portio vel exigua in putredinem veneno finitimam: *mediocris* in humorem vacuandum, qui ex supervacaneorum est genere alendo corpori minime idoneus. Licet igitur agaricus calidus sit, verti tamen nihilominus potest in pituitam, utpote qui (quemadmodum & enicus) tota substrntia, non temperamento pituitosus sit. Hac rerum commutatione temperamenti qualitates pereunt, permanente substantia.

CAPUT V.

Purgans medicamentum nonnunquam alium quam proprium & sibi familiarem humorem extrahere è corpore.

Ex Mesue theor. 1. sect. 2.

Trahit autem purgans similem humorem,

A*ptam utilemque purgationem efficiunt* medicamentum accommodatum satisque validum ut humorem exturbet: natura robusta quæ proritantem humorem expellat & purgationem moderetur: humor tenuis & ad fluendum aptus: corporis viæ

per quas fluxurus est patentes & liberæ.

Si *quid horum desit*, aut *languida*, aut *inutilis* erit purgatio.

Inutilem dico quæ vel *alieni est humoris*, vel *effrænata* existit.

Quum igitur vacuandus humor corporis parte densa, adstricta, vel obstructa coërcetur, neque huic purgationis viæ patent: aut quum vel nimium glutinosus crassusque est, vel crudus, aliisque humoribus omnino permistus, vel in longinquas partes disjectus, tametsi natura valens convenienti medicamento proritetur, languida tamen aut inutilis succedet purgatio. Languida quippe ac imperfecta ejus humoris, qui vacuandus erat: *inutilis* vero alterius, qui paratior occurrerit.

Nisi inutilis sit purgatio.

Medicamentum enim quod proprio humore frustratur, quemvis obvium & paratiorem impetu adoritur atq; exturbat, eum scilicet qui aut ad fluendum est aptissimus, aut immodice exuperat, aut in via purgationis subsistit. Is enim quovis medicamenti genere impulsus excidit, ut qui sponte etiam interdum elabatur. Id sane commonefacit *Hippocrates*. *Si enim* (inquit) *eidem homini idem medicamentum quater in anno voles exhibere, hyeme pituitosissima tibi evomet, vere liquidissima, æstate biliosissima, autumno nigerrima.*

De nat. hum. t. 4.

Quum ergo melancholicus humor crassus, sanguine permixtus, forte irrepsit in cerebrum, licet medicamentum huic ducendo validum offeratur, potius tamen quam hunc eam detrahet pituitam quæ in ventriculo & in intestinis solet inhærescere: aut etiam bilem, quæ seorsum pura, atque tenuis, vel nimia copia, vel corruptela naturam extimulat. Cacochymiam igitur in venis conclusam, aut in corporis habitum effusam, vix medicamentum (nisi forte validissimum) detrahet, quod quæ citra ventriculum, circum viscera primasque venas consistunt, inprimis occurrant expurganda. His ex causis nonnunquam accidit, ut purgans medicamentum non proprium & peculiarem humorem, sed diversum plerunque exturbet.

Quinetiam *si effrenata vis ejus* fuerit, alienum quoque trahet: tum quippe natura vel gravius lacessita, vel jam imbecillitate languens, neque medicamenti vim, neque humoris impetum coërcere potest. Effrenatæ & immodicę sunt purgationes, ὑπερκαθάρσεις Græcis appellatæ, quibus non modo peculiaris humor, sed & reliqui deinceps profluunt. Etenim violentius medicamentum proprio humore detracto, in alios dein invadit, ac primum tenuiorem ad fluendumque aptiorem prolicit, deinde eum qui crassior atque pigrior sit, postremo sanguinem, quem natura tanquam reconditum thesaurum avidius amplexatur ac retinet. Cholagogum exempli gratia in primis bilem, deinde pituitam, tertio loco atram bilem, postremo sanguinem evocat. Phlegmagogum primum pituitam, deinde flavam bilem, postea atram, novissimum sanguinem. Melanagogum atram bilem primum, deinde flavam, tertio pituitam, ad postremum sanguinem naturæ familiarissimum.

Aut hypercatharsis.

Effrenatio ea, & purgationis exuperantia, *fieri non potest* totius *substantiæ proprietate*, quod nullum medicamentum possit omni humori substantiam similem habere.

Hypercatharsis non fit vi qua trahit similia.

Hanc non pauci ad medicamenti *calorem* & *acrimoniam* referunt, quæ tum venarum oscula patefacit recluditque, tum continenter adeo proritat, vix ut humorem suum coërcere possint. Verum si hypercatharseos ea causa sit, allium, pyrethrum & piper purgandi facultatem sortientur.

Non fit acrimonia, Ex Gal. quos purgare oporteat. *Sed vi purgandi generali.*

Quocirca præter peculiarem, quæ sua est cujusque, necesse est *generalem purgandi vim* medicamẽto attribui, qua in alios quoq; humores incũbat, eosq; communiter evacuet.

Compertum sit in Dione, purgandæ bili flavæ justam congruẽtemque quantitatem esse rheibarbari drachmas tres: atræ bili, sennæ drachmas sex: pituitæ, agarici drachmas tres. Consilium sit, triplex humoris genus expurgare, in idque medicamentum componere & accommodare: aptum id efficaxque comparabitur, si cujusque triens conferatur, & rheibarbari drachma una, agarici drachma una, sennæ drachmæ duæ permisceantur confundanturq;. Quod hac ratione compositum foret, nullam vim obtineret, nisi communi quadam & generali purgandi facultate simplicia illa mutuo se foverent. Neq; enim drachma una rheibarbari quicquã bilis purgare potis esset, neq; drachma una agarici pituitæ, neque sennæ drachmæ duæ, melancholiæ quicquam: neque igitur permista illa, nisi mutuas ope-

Quod probatur.

ras conferrent. Simile enim hic accidit, atque cum multi nisu communi grave quoddam onus attollunt.

Itaque præter propriam, necesse est & generali vi purgandi medicamentum unumquodque præditum esse, qua cum nimia purgatio erit, alios etiam humores detrahet, idque adjutum calore & acrimonia.

CAPUT VI.

Purgantis medicamenti facultatem à nostro calore excitari, substantiam vero ad expurgandum humorem non permeare.

Ex Averrhoë lib. 5. coll c. 21. Et Mesue theor. 1. *Purgans non operatur nisi ducatur in actum.*

PRoprietas peculiarem humorem expurgandi è tota medicamenti substantia & ex intimis principiis manans ac defluens, illi non energia & re ipsa, sed duntaxat potestate inest. Etenim si scammonio syncere bilis portio propius assistat, non hac quemadmodum magnes ferrum alliciet, sed duntaxat quum *à nostro calore excitatum* prorumpet, in actum & ad agendum impelletur. Dum enim ventriculi calore medicamentum teritur, calefit, omnique ratione exagitatur, tacita ejus facultas quasi solutis vinculis exurgens se promit, profertque vires novas.

Et vehementium vapor totum corpus pervadit:

Ac tum *vapor* ea ipsa facultate præditus illinc prosiliens, per cæcos occultosque ductus in omnes corporis partes quoquoversum effusus, ad noxium humorem pertingit. Atque is humorem jamdiu fortasse parti consuetum ac quiescentem, acrimonia incidit præparatque, & adversa qualitate partis naturam acrius stimulat proritatque ad excernendum. Ipsa vero medicamenti substantia in ventriculo intestinisve etiamnum persistens, eum ipsum humorem simul prolectat, ut purgatio communiter fiat trahente medicamento, & expellente partis natura.

Non eorum substantia.

Non igitur *pharmaci substantia* ad eum humorem concedit ac permeat, qui vacuandus est, vel hoc argumento, quod plerumque alvo soluta medicamentum in ventriculo subsistat, aut etim vomitione rejiciatur, quodque pilulæ duriores, posteaquam abunde purgassent, visæ sint, nondum dissolutæ, alias vomitione, alias dejectione reddi.

Quod probatur. 1.

2. Lib. 7. c. 4.

Hinc *Paulus* præcepit lathyridis grana integra vorare si imbecillus est stomachus, eaque, etiamsi minime atterantur minimeque in corpus permeënt, valide tamen purgare.

3. Lib. 1. simpl. c. 5.

Si, inquit *Serapio*, *medicamentum ad humorem longe dissitum accederet, illi familiaritate jungeretur, neque eum cujus jucunda voluptate perfruitur, detraheret aut exturbaret, queadmodum neque magnes fero junctus id ipsum alio trahit, sed plane retinet ac servat.*

Et hæc quidem consentanea iis sunt medicamentis quæ maligna dicuntur, & in quibus vis inest venenata, totique corpori infensa.

Contra ac in mediocribus

Nam quæ in *mediocrium* sunt ordine, ut senna & rheumbarbarum; quanquam, dum agunt, magna ex parte subsistunt in ventre, eorum tamen tenuior quædam portio irrepit in venas, vacuandumque humorem assequitur, illiusque tum color, tum odor manifestus in urinis est.

Et præcipue in benignis. In problem.

Benigna vero medicamenta in omne fortasse corpus pervadunt, & noxium humorem quasi vinctum reducunt in ventrem. De quibus ita censuit *Aristoteles*: Medicamenta, ubi ventrem adierunt, resolutaque sunt, statim ad venas per easdem feruntur vias per quas cibus commeat. Mox quum nihilo concoqui potuerunt, sed victrice perstiterunt potentia, relabuntur, & quæ sibi obsistunt, secum detrahunt, quæ res purgatio vocitatur. Venter porro selectum secretumque humorem ubi pariter cum medicamento excipit, gemino stimulo acrius lacessitus, quum diutius ferre non potest, totis viribus utrunque excutit dum à se deponat expellatque per loca convenientia.

Expulsio noxii attracti humoris à natura est

Non igitur quem humorem attraxit medicamentum, eundem exigit forasque excludit vomitione aut dejectione, prout scilicet ipsius vis insita in ventriculum aut in alvum irruerit, *sed natura sola*. Neque enim hinc solum vomitio obrepit, quod medicamentum in ore ventriculi inhærescat, idque infirmet: neque alui dejectio quod

quod in ventriculi fundum & in inteſtina id mox illabatur eaque debilitet, ſed quod medicamento proprietas inſit, qua familiarem humorem non ad ſe modo, verumetiam ad certum deſignatumque locum impellit ac movet. Ut enim cantharides ſcapulis brachiove admotæ, non ſolum ad ſe aquam alliciunt, ſed & urinas abundanter cient, quo tamen eorum ſubſtantia minime penetrat: ſic propemodum medicamenta quædam extrinſecus ventri applicata alvum ſubducunt, quædam vomitionem movent. Quanto igitur expeditius eorum ſumpta ſubſtantia, etiam in ventriculo aut in inteſtinis conſiſtens, purgandi vires obtineat exeratque?

CAPUT VII.

Per quos ductus medicamentum humorem detrahat.

Ex Avic. lib. 1. ſen. 4. doct. 5. cap. 4. Meſue theor. 1. ſect. 2. Viæ expurgationis ſunt venæ, Et occulti ductus.

QUI porro expurgatur humor, fere per apertos conſpicuoſque ductus traducitur, & à corporis ambitu in *venas* refluit minores, ab his in majores, è quibus per jecur in inteſtina devolvitur.

Cæterum in violenta purgatione humores non per hos ſolum, verumetiam per cæcos *occultoſque ductus*, vel ab extremo corpore, magna perturbatione confluunt in ventrem. Extincto animante ampliora duntaxat vaſa & ſpiracula cernuntur, plurima in ſe conſidunt atque connivent, quæ dum id in vivis erat, vi caloris & ſpiritus diſtenta latius patebant, per quæ non modo tenues, ſed & craſſos glutinoſoſque humores validioris medicamenti vi deduci putandum.

Quod probatur Trimo.

Sic hydropicorum aqua ex ingenti capacitate abdominis, aut in inteſtina rapitur, aut in veſicam remeat: ſic multa plerumque & è pulmonibus, & è cerebri ventriculis, neque tamen per venas, neque per manifeſtos ductus, in ventrem illabuntur. Sic & varii artuum articulorumque tumores, non œdematoſi modo, ſed plane ſcirrhoſi, alias in alvum, alias in os lenta ſaliva derivantur ab illitu hydrargyri, cujus vi colliquantur omnia, & è toto corpore in os impetu feruntur: ſic denique valentiores apophlegmatiſmi non è cerebro ſolum, verumetiam è ventriculo aliiſque partibus pituitam eliciunt, ea interdum copia, quæ neque cerebri ventriculis, neque totius calvæ capacitate contineri queat.

Secundo. Lib. de alimento. in medio.

Horum nihil mirum videbitur ei, qui præter rerum eventus, *Hippocratis* quoque ſententiam ſpectabit, qua is corpus intro foraſque ſpirabile ſtatuit, & naturam, quæ præſertim robuſta validaque ſit, ſemper viam moliri expurgandis ſupervacaneis, craſſioreſque materias vel per anguſtiſſima foramina deducere: quinetiam per oſſa abſceſſus fieri confirmat: quemadmodum & empyorum & pleuriticorum craſſus humor per denſam membranam traducitur in pulmones, ac demum tuſſi rejicitur. Hæc ſi natura per ſe facit, multo certe majora & admiratione digniora molietur adjuta trahentis medicamenti vi, præſertim ſi convenienter præparatum corpus, atque humor ad fluendum comparatus eſt.

Itaque purgantis medicamenti quod validum ſit facultas in omne corpus ſubiens ac penetrans, humorem familiarem (qui coërcitus non ſit) undique detrahit, non modo amplis patentibuſque viis, verumetiam occultis & ſenſibus incompertis.

Hæc de univerſo purgantium medicamentorum genere, deque viribus eorum, præmittenda videbantur.

Nunc vero *particulatim* medicamenti ſpecies quærenda, ejuſque quantitas & utendi ratio.

Quod ut accuratius exequamur, explicandum, *quibus morbis conveniat* purgatio, quod cuique adhibendum *purgationis genus*, clyſter an vomitio, anve medicatio: quæ *medicamenti ſpecies*, quam *validum*, & quo id *ordine: univerſe*, an *partite*: deinde *quantum* & *quouſque* vacuandum ſit, & *qua id ratione* faciendum. His enim tota completur purgandi tractatio.

CAP.

CAPUT VIII.

Quibus humorum vitiis, & quibus morbis adhibenda purgatio.

Ex Avic. & Mesue loc. cit.

Cacochymia proprie convenit purgatio.

CAcochymiæ *proprium* accommodatumque *remedium est purgatio*: quicquid enim impurum adeo corruptumque est, ut omnino naturæ limites transcendat, quoniam arte nulla emendari benignumque reddi potest, prorsus extirpari eximique debet. Hoc autem purgatione præstandum, quæ una omnem impuritatem seorsum ex quavis corporis sede subtrahit & vacuat, ex hac quidem promptius ac expeditius, ægrius tardiusque ex alia.

Et quæ primæ regioni,

Primæ regionis cacochymia purgatione sola commode utiliterque demi potest: & quæ in intestinis est, clystere: quæ circum ventriculum & præcordia, vomitione: utraque etiam pharmaco, sed maxime quæ aut in liene, aut in jecoris cavo, aut in pancrea, aut in mesenterio, aut in abdominis capacitate consistit. Ex his quippe sedibus viæ breves sunt ac directæ, per quas facile ea ferri potest in alvum, quo sponte etiam interdum prona ruit.

Cui non convenit venæ-sectio.

Venæ secta vis eo vix unquam pertingit, neque hinc humores vacuat: sed gravi sane dispendio naturæ ordinem pervertit quicunque impuritate derelicta purum syncerumque sanguinem profundit è venis: quique venas sectione exinanitas implet fœda illuvie rapta è primis sedibus, quæ quasi sentina est omnis impuritatis. Quis quæso adeo rudis in medendo sit, ut aut ventriculi cruditatem, aut lienteriam, aut dolorem colicum, aut lienis scirrhum, aut choleram, aut hydropem, aut his affines affectus audeat aut tentet vena secta curare?

Quæ secunda?

Quinetiam *venarum* cacochymia sola purgatione, non phlebotomia, eximi tota potest.

In qua permittitur venæsectio.

1. *Permittitur* tamen in hac plerunque *venæ sectio*, quum tam copiosa accrevit, ut venas supra modum distendens, pericula minetur, quæ ex immoderata impendent plethora; tum enim ad exuperantiam demendam adhibetur.

2. *Deinde* etiam quum ex ruptis, apertis, aut exesis vasis, vel foras ea prosilit, vel in partem quampiam abscedit: etenim revellit, impetumque sistit.

3. *Tertio* quum metus est, ne ea concitata vehementius & quasi furore corpus exercens, in principem aliquam partem feratur: impetum quippe sedat atque compescit.

4. *Nonnunquam* & citra hæc, quum præceps est morbus, cujus tamen materia in venis conclusa aut cruda est, aut viam expeditam non habet per quam facile medicamento detrahi possit, ejus portionem venæ sectio promptius quam purgatio demit, à qua & morbi sævitia sæpe mitescit, & natura quod reliquum est facilius coquit. Sic initio continuarum febrium, si vires ferant, nec venæ nimium exinanitæ sint, sanguis mittitur.

Cæterum quæ in his fit venæ sectio, impuritatis quidem portionem elicit, at minime synceram, sed sanguine permistam: nec ulla potest phlebotomia omnem venarum cacochymiam eximere, nisi forte sanguinem universum profundat. Nam vitiosus humor æquabiliter sanguini permixtus seorsum profluere non potest. Quocirca licet his ex causis aut necessaria, aut utilis fuerit venæ sectio, adhibenda tamen est tandem & purgatio, quæ ut proprium remedium reliquias detrahat.

Quæ tertia? Cui non convenit venæ-sectio.

Ea porro cacochymia quæ vel *partis alicujus* substantiam, vel *corporis habitum* occupavit, medicamento in primis, *non venæ sectione* ducenda: deinde quicquid reliquum fuerit, per cutis spiracula, aut per ductus peculiares movendum. Sic exhaurienda est cerebri pulmonumve crudior pituita, sic & totius corporis cachexia.

Quæ plurium regionum?

At vero in cacochymia, quæ *regiones multas* æquabiliter infestat, undelibet vacuatio nem auspicari licet. Ut si vel ab universa obstructione, vel à stipatione cutis, vel à vigiliis, labore, æstu, ira, pestilentia, vel ab aliarum evidentium causarum immoderatione, omnium humorum putredo corpus æquabiliter invasit, non magni interest à purgatione an à venæ sectione vacuationem inchoës, quanquam tutius primæ regionis præmittitur purgatio. At quum inæquabilis est cacochymia, ea in primis exhaurienda regio, quæ aut ve-

vehementius premitur, aut aliis mali initium dedit.

Iam vero à causis ad morbos ex cacochymia ortos me conferam.

Quo quaque regio ordine expurganda?

In continua febre quæ æstu magno & lassitudine fatigat, si neque nausea, neque vomitio, neque *primarum venarum* cruditas est, protinus initio vena secari potest. In ea vero quæ aut ex ventriculi jecorisque constitutione prava, aut ab esculentorum potulentorumque vitio proficiscitur, quoniam infima regio prius, ac etiam magis impuritate sordescit, ex eaque in venas & in habitum corporis vitium irrepsit, expurganda in primis est, utpote sine qua cæterarum nulla purior evadat. Hac etiam ratione in cachexia, in leucophlegmatia, in hydrope, in ictero, atque in aliis plerisque affectibus, quorum impuritas è jecoris aut lienis vitio corpori toti impertitur, purgatione sola vacuandum.

Nec quoties urinæ crassæ ac rubicundæ cernuntur, temere imperanda venæ sectio: nec si ex hac sordidus sanguis ac impurus emanat, continuo utilis putanda. Impuro enim mox impurior alius ex ipso fonte affluit. Non igitur è rivulis, sed ex fonte ipso exhaurienda mali scaturigo: cui nisi sit ante prospectum, vix cæteris dein potest arte succurri.

Ut autem in his, ita & in febribus intermittentibus, etiam atque etiam observandum, ne vel confusis, vel transmotis humoribus corpus evadat impurius. Nam febres tertianæ, quarum causa in jecoris cavo inhærescebat, sæpe intempestive secta vena in continuas abiere: & continuæ, in quibus admodum impura erant viscera, non parum exasperatæ sunt. Exhausto enim sanguine impurus humor, quavis sede sit derelictus, efferatur, ferociusque sævit. Alias bilis flava circum jecur, alias pituita, vel in cerebro, vel in pulmonibus, vel in ventriculo, quasi subsultans, detracto sanguine dejectisque viribus, graviora profert symptomata.

Constare hinc jam potest, quibus humorum vitiis & quibus morbis succurrat accommodata purgatio.

CAPUT IX.

Per quas vias instituenda sit purgatio, quo medicamenti genere, & quam valido.

Ex Galen. quos purgar. oporteat. Et Avic. lib. 1. f. 4. doct. 5. cap. 3.

Vias purgationis ostendit Sedes humoris.

DUo præcipue sunt quibus *purgationis* via indicatur: *vitii sedes*, & *naturæ motus* seu inclinatio.

Sede perspecta in promptu sunt ductus omnes qui ex ea aut per ventriculum, aut per aliud quodvis emissarium foras pertinent, per quos scilicet natura libera nec impedita, vitia sua expurgare consuevit. Hi sunt quos *Hippocrates convenientes* appellat.

Aph. 21. lib. 1.

Ventriculus quidem, & præcordiorum summæ partes vomitione: intestina, maximeque crassa, alvi profusione: pharmacia vero cum hæc ipsa, tum maxime viscera & venæ, habitusque corporis, commode expurgantur. *Renes* & vesica per urinæ vias: *uterus* per propriam cervicem: *cerebrum* per palatum & nares: *corporis summa* per cutem halitu & sudore.

Nisi vias morbus intercepit,

Si forte purgationis *vias morbus intercipit*, alio motum convertes: nunquam enim humor noxius in affectam sedem est derivandus. Quocirca neque imbecillo ventriculo cienda vomitio, neque in intestinorum ulcere aut inflammatione bilis eo devocanda, sed aliorsum revellenda: neque renibus inflammatis, aut exulcerata vesica, ad urinas, sed ad intestina, vitiosus humor conuertendus.

Et inclinatio humoris.

Motus vero ac impetus *naturæ* sic observandus. Humor noxius, per convenientes regiones atque vias delatus, sinendus est: atque etiam si segnius progreditur, incitandus: sit enim natura duce, quæ nihil perturbate, nihil nisi utiliter gerit. Qui vero insueto nec naturali cursu fertur inhibendus, & in brevem rectumque tramitem (si commode licet) revocandus, ut qui humoris impetu & impedita natura symptomatice fiat.

Medicamenti genus ostendit humoris species.

Jam vero *medicamenti genus ex humoris genere* petendum. Quot enim peccantium humorum, totidem & medicamentorum genera usus notavit, ut singulis accommodaret singula. Alia pituitam, alia bilem flavam, alia

alia atram detrahunt, sanguinis serum alia: & in unoquoque genere alia ex aliis partibus.

Ita enim quum arquato laboranti & flava bile suffuso medicamentum datur demendæ huic accommodatum, mox totus in habitum naturalem refertur, pristinumque colorem recuperat. Si aqua subter cutem fusa turgido medicamentum huic ducendę propinetur, aquosus humor excidet, magnaque vi foras erumpet, subsidente ventris tumore. At vero nullo aut minimo emolumento erunt, quæ diversa humoribus non accommodabuntur. Simili quoque ratione quum vel pituita, vel bilis atra molesta est, si suum cuique medicamentum congruenter afferatur, noxium humorem experimur detrahi, laborantemque vindicari à morbo. Ad hunc igitur modum medicamentorum genera ex humorum differentiis distinxit usus, ut suam cuique purgationem opponeret.

Quam validum eligendum medicamentum, indicat humoris situs.

In unoquoque porro medicamenti genere, tum in eo quod bilem, tum in eo quod pituitam, vel alium quemvis expurgat humorem, *quam validum* aut imbecillum deligi oporteat, noxii *humoris situs* ostendet. Ut enim non quælibet secta vena, ita nec quodlibet medicamentum è quovis corporis loco humorem detrahit, sed alia aliis corporis sedibus expurgandis accommodatiora sunt Mitiora quippe è prima corporis regione, mediocria e vasis majoribus, valentiora è corporis habitu ex singulisque particulis evocant.

Expedita facilisque purgatio est è ventriculo & ex intestinis: difficilior è venis mesenterii, deinde è jecore & ex liene: multo difficilior è vasis majoribus, atque etiam è minoribus: omnium vero difficillima ex ipsa partium substantia quæ ad summam cutem atque articulos accedunt. Quo enim pars quæque distantior & minus venis conspersa, eo difficilius medicamento cedit: major quippe in propinquum vis est quam in distans. Ut igitur tres corporis regiones limitibus discretæ sunt, ita & purgantium medicamentorum tres hisce ordines accommodantur.

Deinceps de medicamenti quantitate statuendum.

CAPUT X.

Vt medicamenti quantitas definienda sit.

Ex Galen. quos purgare oporteat.

POstquam medicamenti genus ex humoris specie, & quam validum, ex humoris situ, cognitum fuerit, æstimandum deinde qua id quantitate offerri debeat.

Cujusque purgantis sua quantitas est. Lib 5.c.8.

Sua autem est & definita *cujusque quantitas*, qua id conuenientem atque moderatum purgationis modum præstare solet, ut proximo libro enucleatius tradetur.

Quam limitat facilitas aut difficultas purgationis.

Quantitatem vel augere, vel minuere purgandi facilitate difficultateve cogimur. Quando autem facilis, & quando difficilis fit futura purgatio, *corporis, humoris*, atque *cæli status* ostendit.

Quæ dependet à corporis conditione.

Corporis statu continentur *temperamentum*, *habitus, structura*, atque *constitutio*, & *vacuandi consuetudo*.

Quæ dependet à corporis conditione.

E *sicco* exuccoque corpore atque macilento pauca detrahi possunt: multa ex humido & ex habitu eusarco.

Firmum densumque corpus, cujus viscera, venæ, ipsaque intestina natura angusta, aut obstruuntur, facile, aut coarctantur, supervacua retinet, nec facile elabi finit. Molle vero, rarum ac laxum, quale mulierum est, puerorum, & otio diffluentium, patentius est, per quod concitati tractique humores facile decurrant.

Robusti & laboribus assueti leviuscula aspernantur medicamenta, quemadmodum & quibus sensus est hebetior. Contra incitantur facile, qui exquisitiore sunt sensu, & qui vel natura, vel morbo, vel vivendi ratione delicatiores evaserunt.

Crebris *purgationibus assueti*, pharmaco minus lacessuntur, insueti magis: alienorum quippe horrifica recordatio naturam turbans ad excernendum stimulat, quemadmodum & pharmaci odor gravis, aut intenta cogitatio, alvum plerumque movet. At vero consuetudo familiaritatem, familiaritas amicitiam parit, quæ vim omnem lenit. *Sic longo tempore consueta etiamsi deteriora sint, minus infestare solent.* Aph. 49. lib. 2. Quibus ex consuetudine liquida est alvus, aut sponte inter-

dum solvitur, purgatio sæpe expectationem fallit imprudentum.

Humoris natura,

Humoris porro *species materia*, atque *copia*, medicamenti quantitatem hac ratione præscribunt.

Aquosus humor, bilisque tenuis, facile: pituita & melancholia pigre defluit.

Qui *crassus* durusque est, & quasi ardore resiccatus, velut fixus subsistit in via. Lentus vero & glutinosus ductibus obhærescit.

Copiosus & quasi restagnans, ut in obesulis, & in his qui se crapula ingurgitarunt, aut quavis ex causa humorum illuviem congesserunt, levi medicamento magna plerumque ventris perturbatione immoderatius profunditur. Nam exuperantia reseratis venis quasi ex pertuso dolio sponte effluit, non medicamenti effrænata vi, sed naturæ sese deonerantis robore, quæ interdum nullo etiam irritamento, sed impetu suo, id onus deponit & abjicit. Sobriis purisque corporibus purgationes obtingunt exiguæ, nec propterea tamen validioribus ea medicamentis solicitanda sunt: quoniam *qui integro salubrique corpore constant, difficile ferunt medicationes.* Noxio quippe humore destitutum vehemens medicamentum sanguinem carnesque colliquat, quo proprium ex ipsis humorem magna vi proliciat.

Ex Avic. lib.1.fen. 4.doct.5. cap.3. Aph.37. lib.2.

Cœli status.

Jam vero *cœli status*, ex *regione, anni tempore* & *tempestate* spectandus, purgationes quales futuræ sint ostendet.

Sub canicula & ante caniculam, atque in *regione* æstuosa, acer & paucus inest humor in corpore, qui & foras evocatur, ut proinde haud facilis ejus possit esse purgatio. Hyems media regioque gelida corpus densant & astringunt, humorem coarctant, qui ægre demittitur. *Aph.17. lib.3.*

Sic propemodum *aquilonia* tempestates corpora densant coguntque, & alvum exiccant. Austrinæ solvunt, laxant, & alvum humectant. Solo igitur austrino statu, & temporum regionumque moderatione, felices succedunt purgationes.

Hæc si omnia *summatim complectemur*, corpus siccum, robustum, densum, obstructum, purgationibus assuetum, melancholia pituitave crassa non admodum multa confertum, quę inveterata longe à viis purgationis dissita concreverit, hyeme, regione frigida, & tempestate aquilonia, difficillime medicamento moveri solvique potest. Hisce vero contraria sortitum, facile. Horum igitur observatione pharmaci quantitas conjici decernique debet.

Aliisque.

Ad hanc præterea *magnam vim habet* roboris, ætatis & prægnationis observatio, quæ non modo medicamenti quantitatem, sed & genus plerumque immutat, ceu mox docebitur.

At quoniam nos sæpe multa latent nullis indiciis comprehensa, incognitam laborantis naturam expedit blandis sensim pharmacis explorare, non temere vehementioribus impetere & labefactare. Cognitis ante & exploratis naturis tuta decernetur medicatio.

CAPUT XI.

Quantum & quousque vacuandum, universe, an partite.

Ex Avic.l. 1. fen. 5. cap.3.

UBI medicamentum & inventum, & justis viribus, & idonea quantitate, tum humori, tum corpori expurgando accommodatum fuerit, purgationis postea præfinienda est quantitas, atque æstimandum *quantum* & *quandiu sit vacuandum.*

Purgandus autem humor omnis qui peccat.

Noxius humor quum alienus ac præter naturam sit, sive morbum præcavere, sive profligare consilium est, prorsus eximi debet. Exigua quidem ejus derelicta portio, exquisita vivendi ratione, naturæ calorisque vi domari ac vinci poterit, ut integra interdum tutaque sanitas succedat nullo metu recursuri morbi. Multa tamen si reliqua sit, nisi hanc natura tandem subactam sponte propellat, nulla quantumvis exacta vivendi lege tutus à morbo æger esse potest: nam tametsi purgatione levatus appareat, in pristinam tamen valetudinem recidet, modò citius, modo tardius, alias gravius, pro humoris copia, malignitate, atque virium statu, & victus modo. Nam autore *Hippocrate, quæ à morbis relinquuntur, recidivos morbos facere consueverunt.* Quum enim derelicta portio totius conditionem referat, quæ omnino erat præter naturam, nunquam *Aph. 12. lib.2.*

quam

quam ipsa poterit in corporis substantiam converti, sed tempore synceros humores, atque etiam recens alimentum inquinabit, redivivosque morbos excitabit. Sic *impura corpora quo magis nutris, hoc magis offendis*. Itaque quicquid noxii inest humoris, id prorsus expurgandum, ut corpus à morbo vindicetur.

Aph. 9. lib. 2.

Vniverse, an partite, indicant.

Id autem *universe an partite* fieri oporteat, *humoris copia laborantisque vires* indicabunt: ita enim mittendi quoque sanguinis quantitatem ex morbi magnitudine & ex virium robore dimetimur.

Constantibus viribus pauca cacochymia universe detrahi potest, præsertim si concocta sit aut tenuis, ab eaque viæ pateant in alvum.

Vires

Imbecillis autem *viribus* non modo *multa*, sed & *pauca* cacochymia partite eximenda. Non enim vel in leucophlegmatia, vel in cachexia, humor quoquoversum in omne corpus effusus, potest ullius medicamenti vi ex distantissimis locis per cæcos occultosque ductus universus in alvum confluere.

Copia cacochymia.

Neque ut sanguis in plethora exuperans, semel & affatim totus ex aperta vena, ita *multus humor* è corporis habitu elabi profluereque potest. Atque si id medicamento quopiam præstari possit, necesse tamen fuerit corpus graviter concuti, humores varie permisceri, torsiones molestas inferri, ac spiritus dissipari: hinc tandem vires concidere prosterni, ac plerumque exolvi. Hæc in eos fere incidunt, *qui pravo utuntur cibo*, quos *purgante hausto medicamento statim deficere* tradit *Hippocrates*. Quum enim vitiosis corruptisque scateant humoribus, & pauco perfruantur bono succo facile purgationibus solvuntur & fatiscunt, atque venenatis pharmacis, quæ Hippocratis seculum usurpabat, non parum exagitantur.

Aph. 36 & 37. lib. 2.

Neque tamen tentandum leviorum medicamentorum quantitate immodica universos semel demoliri: sed assentiendum *Hippocrati, omnes evacuationes extremas periculosas esse*. Quod non de sola virium extrema debilitate morti proxima, sed & de peccantis humoris vacuatione extrema intelligendum. Nam alio inquit loco, *Empyi, aut hydropici, cum uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluxerit, omnino moriuntur*. Quanto magis in vitæ discrimen adducuntur, si valido aliquo medicamento, firmis etiam viribus, uno tempore universa tentetur purgatio? In multa igitur cacochymia tutius est paulo circa modum subsistere, quam ultra procedere.

Aph. 51. lib. 2.

Aph. 17. lib. 6.

Lipothymia, quæ purgationibus ob humorum vacuandorum acrimoniam & intestinorum torsionem intervenerit, levis est: gravis vero quæ ob concitati humoris corrupti tetrum vaporem in cor principesque partes sublatum: gravior ob malignam venenatamque pharmaci qualitatem: gravissima ob immoderatæ purgationis violentiam: neque tamen vires hæc æque dejicit atque exuperans plebotomia. Semper horrendum, exanimato jam ægro mortis imaginem obtrudere.

Itaque humoris copia accurate viribus comparanda est. Ex præsentium, præteritorum ac futurorum observatione, ex aliisque signis, quæ secanda vena, animadvertendum esse monuimus: tum morbi magnitudo, humorisque copia, tum virium robur, exquisite perspiciendum.

Virium autem *observatio* quum sit omnium præstantissima, non hic, ut in phlebotomia solum vacuationis modum, sed & *quod medicamenti genus*, quamque validum esse oporteat, præscribit. Tametsi enim morbi species, humorisque vacuandi sedes validum medicamenti genus postulent, aliquod tamen ex mitiorum ordine exhibendum suadet virium imbecillitas.

Imo & vires vim purgantis limitant.

Eadem quoque est tum *ætatis*, tum *prægnationis* ratio.

Vt & ætas,

Puero enim ac seni benigna, non ut ætati mediæ maligna decernes medicamenta, etiamsi humoris species atque situs eorum vim desideret.

Prægnans quoque integris viribus, licet horum vim tolerare possit, quoniam tamen fœtui qui intus geritur, quem servare volumus, vehementer obsunt, benignis solis est purganda.

Impregnatio.

Ad virium porro observationem pertinet expendere, *quæ corpora graviter ac moleste, quæ leviter ferant medicationes*: multis enim quibus integræ vires apparent, ingens ex purgatione labor, ac plerumque ob suam cujusque corporis, propriamque naturam, virium sequitur exolutio.

Facilis a n difficilis purgationis tolerantia.

In quibus ea fit.

Macilenti acriter feriuntur medicamenti qualitate prava, utpote quæ prompte in solidas partes se insinuet. Quibus acrium humorum copia ineſt, hos moleſtæ torſiones miſere fatigant, diriq; vapores principes partes offundunt. Dolorum metu non pauci medicationem deſpuunt & abominantur, quibus magna pernicie vitiorum colluvies omnem vitam languoribus exercet. *Quibus partes circa umbilicum & imum ventrem extenuantur & contabeſcunt, ad inferas purgationes tuti non ſunt.* Multoque minus quibus abſceſſus vel in pulmonibus, vel in jecore, vel in liene, vel in renibus aliiſve ſedibus deliteſcit. His enim concuſſis non modo dolor ingraveſcit, ſed & eruptionis, & defectionis virium metus incutitur. Quocunque vitio labefactatæ ſint interiores corporis partes, quia imbecillæ ſunt, facile medicamenti qualitate & acrimonia percelluntur. In ſumma, corpus, aut magna labe, aut morborum humorumve copia vehemementer preſſum & languens, medicamenti vi labefactatum concidit, quemadmodum & ruinoſæ ædes inſtaurando forte concuſſæ, mox univerſæ corruunt.

Aph. 53. lib. 2.

Et quæ cautio illis adhibenda.

Itaque *in his omnibus*, qui aut imbecilles ſunt, aut ægre ferunt vacuationes, pro medicatione expedit interdum inedia victuque opportuno blandiri, aut ægrum, ſi nequeat in integrum reſtitui, ſublata morbi portione levare. Vacuandum enim quantum & quouſque vires patiuntur: quumque jam diſſolvi apparent, etiamſi reſtent ſupervacua, protinus ſuperſedendum dum illæ recreentur.

At dum vires integrę manent atque perſiſtunt, tum univerſe, tum partite vacuandum eouſque eſt, dum nihil reliquum ſit morbi, & perfectæ purgationis indicia, quæ mox tradentur, omnia compareant.

Ex his ergo omnis præfinietur purgationis quantitas.

Nunc quæ illius ſit utendi ratio, explicandum.

CAPUT XII.

Quo morbi tempore, quo die, quaque hora purgandum.

Ex Galen. quos purg. oporteat. Et Avicen. lib. 1. fen. 4. doct. 5. c. 3. 5.

Tempus purgationis indicat Materiæ morbificæ concoctio.

SUmma *purgandi opportunitas* ex *morbi*, tum *concoctione*, tum *impetu* ſpectatur.

Concoctio eſt ſubſtantiæ in naturæ convenientiorem ſtatum caloris vi facta mutatio.

Non enim qualitates ſolas, ut quæ appellatur alteratio, ſed ipſam rerum ſubſtantiam concoctio mutat. Alimentum initio diſſimile, corpori tandem ſimile evadit, in illiuſque ſubſtantiam vertitur coctione crebra. Vitioſus vero putriduſque humor, & à natura prorſus alienus, tametſi in corporis ſubſtantiam neque faceſſere, concoctione tamen in aliquid melius & naturæ convenientius, ut in pus, aut in quippiam quod ſit puri finitimum, deducitur. Phlegmones materia putris, quemadmodum & ulcerum ſanies, in verum & exquiſitum pus vertitur, quod interdum ſputo aliiſve excretionibus innoteſcit. Venarum vero majorum ſuccus putreſcens in aliquid mutatur, quod eſt puri finitimum, cujus in urinæ ſedimento conſpicuæ ſunt notæ. Supervacui autem humores ſive putruerint, ſive nondum putredine tententur, nunquam vere concoquuntur, nec caloris noſtri beneficio, aut in pus, aut in quippiam illi finitimum mutantur: ſed duntaxat tum ſubſtantiæ, tum qualitatis moderationem quandam adipiſcuntur. Sic tenuis aquoſaque pituita influens in pulmones concoctione craſſeſcens facilius expuitur: craſſa vero extenuatur. Sic & utraque bilis circum viſcera (quemadmodum in intermittente febre) putreſcens concoctione miteſcit, domitaque promptius excluditur.

Quænam concoquantur.

Et à qua cauſa.

Omnis *concoctionis* inſitus noſter *calor* divinus eſt *opifex*, cujus una eademque vis optimum quiddam perpetuo molitur: atque ſi varia interdum opera emergunt, non illius, ſed ſubjectæ materiæ id varietas efficit. Non aliter is alimentum, aliter putridum humorem concoquit. Neque (ut quibuſdam videtur) pus à duplici calore, tum naturali, tum præter naturam ſit, ſed à naturali ſolo, agente tamen in materiam, quæ caloris præter naturam eſt particeps. Hanc neque prorſus vincere, neque in corporis ſubſtantiam, ſed in pus ſolum mutare poteſt; quod eſt putredine melius, ac inter putredinem & corporis noſtri ſubſtantiam me-

medium. Ut autem in phlegmones ſuppuratione, ita & in febribus corruptus humor dum concoquitur ac miteſcit, pariter etiam fluidior evadit, ſecerniturque à crudis ut ejus dein expeditior eſſe poſſit evacuatio.

At vero *purgandi tempus* opportunum præſcribetur ex *humoris ſpecie* & *ſitu*, atque etiam *ex morbi vehementia*.

Leviter affecti naturæ vivendique legibus committendi: quos enim ſponte natura perſanat, fruſtra medicina fatigat. At quibus nec naturæ vis nec proba vivendi ratio ſatis fuerit, medicina ſuccurrat. Si enim aut longius protrahitur morbus, aut vehementius excandeſcit, opitulandum arte.

Si humor prima corporis regione hæreat, expurgandus. Initio. Ac primum ſi corruptus vitioſuſque *humor*, aut *in ventriculo*, aut circum hunc conſiſtere ſignis deprehenditur, ſive pituitoſus, ſive biliofus, ſive alio quovis præternaturam genere corruptus ſit, *primo* quoquo *tempore* expurgandus eſt, præſertim ſi impetu quodam ſponte movetur neque locis illis tenacius adhæreſcit: alioquin leniter eſt præparandus: ejus vero concoctio haudquaquam eſt expectanda, ut quæ proprie futura non eſt, neque ejus ab urinis mutatio quærenda.

Qui autem vitioſus *humor altius* aut *in liene*, aut circum pancreas atque jecur, aut in meſenterio conditus erit, ſive lentam febrem, ſive intermittentem, ſive melancholiam, ſive diarrhœam, ſive cachexiam, ſive ingentem obſtructionem protulerit, *protinus* quoque detrahi poteſt, niſi aut admodum lentus craſſuſque ſit, aut ventriculi impuritas obſiſtat. *Si in ſecunda.* Hæc enim quum adſunt, primum quidem leniter detergendus eſt ventriculus, deinde attenuandus ac detergendus humor, poſtremo aut univerſe, aut partite vacuandus.

Quum autem vitioſus *humor in majoribus vaſis* concluſus, ut in continua febre, aut circum hæc aliqua ſede coërcitus, ut in pleriſque acutis morbis, putreſcit: tametſi corporis adſit præparatio, & ventriculus viæque omnes eo directæ, liberæ, expeditæque ſint, haud tamen recte poteſt ante coctionem exquiſite purgari. Etenim in morbis acutis tempns perfecte purgationi accommodatiſſimum, *ſtatus* eſt, aut verius *In ſtatu.* declinationis initium, quo & perfecta exiſtit concoctio, & vacuationes ſponte procedunt. Tum enim morbi materia fluida, & à reliqua puriore ſecreta jam eſt, ſimul natura præparatam illam expellere contendit. Itaque quum jam perfecta apparet concoctio, ſtatuſque vehementia miteſcente nulla ſuccedit vacuatio decretoria, move tu medicamento. His enim quæ præter rationem leviora apparent minime confiſus, quicquid concoctum præparatumque eſt, expurgabis, ut mox integra ſequatur ſolutio. *Aph. 27. lib. 1.*

At ſi tum natura evacuationem aggreditur ac judicat, ſinenda eſt dum opus compleverit. Deinde ſi integre judicavit, neque morbi quicquam reliquum fecit, res in tuto eſt, nec aliud quicquam movendum. Sin quippiam derelictum eſſe quaſi ex imperfecta criſi ſuſpicio ſit, quoniam *quæ relinquuntur in morbis, recidivos morbos facere conſueverunt*, medicamento quoque detrahendum. *Aph. 20. lib. 2.* *Aph. 12. lib. 2.*

Univerſa igitur morbi materia non niſi concocta & poſt ſtatum, quum jam ſymptomata præter rationem miteſcunt, radicitus extirpari poteſt. Id ipſum quod præcepit *Hippocrates, concocta medicari atque movere, non cruda.* *Aph. 22. lib. 1.*

Licet tamen quoque in augmento quandoque purgare. At *nihilominus morbi incremento*, quum nondum perfecte, ſed manifeſte ſolum, & in fine principii, quum obſcure concocta eſt materia, hanc etiam quodammodo vacuare licet. Quod enim juſſit Hippocrates concocta medicari, non ſolum perfecte, ſed & quovis modo cocta complectitur, mox ea duntaxat à medicatione removens atque excipiens, quæ ut in morborum principiis abſolute cruda ſunt. Ita quæcunque ullo modo concocta fuerint medicari ſinit, obſcure quidem cocta parce, manifeſte moderatius, perfecte verò cocta validius.

Ut igitur in phlegmone non univerſa materia retinetur, dum perfectam concoctionem ſit aſſecuta, ſed quicquid ſuppurat, quotidie elicitur, ita ſane & in acutis ſtatuendum morbis, idque ſive partium, ſive graduum ordine fieri putetur materiæ concoctio. Ita enim quicquid à purgatione reliquum erit, facilius natura domabit. In neutra corporis affectione impendentem morbum ſæpe arcemus purgatione, quæ vitioſos jam congeſtos humores detrahat.

Atqui

Atqui tum maxime multoque magis, quam ipso morbi initio, crudi ii sunt. Cur igitur non peræque initio utiliter illos purgemus?

Et hac de morbo quidem acuto, sed salutari, prorsusque tuto, præcepta sint.

Imo necessarium est in morbo ancipiti,

Cæterum *in ancipiti atque gravi*, cujus semper & symptomata sæva sunt, & minime tutus exitus, *statim per initia* non utiliter solum, sed & necessario utendum medicamento, neque prudentis sit medici concoctionem expectare, quæ fortasse futura non est. Quum enim anceps is sit ac vehemens, semperque metus impendeat, ne aut deterior evadat, aut laborantem ante statum juguletur, crudæ etiamnum materiæ nonnihil purgatione demendum ante concoctionem. Et certe cruda ea materia quum in plerisque acutis morbis turgere soleat, & quasi oberrans fluctuet & fluat refluatque in venis atque visceribus, non admodum ægre videtur medicamento cessura. Sic sæpe artis usu animadversum est, crudioris humoris purgatione, sive sponte, sive arte ea contigisset, accelerari concoctionem, moxque urinas puriores & cum sedimento fieri, & ancipitem periculosumque morbum tutum salutaremque reddi.

Ipsius Hippocratis *judicio* Ap. 29. lib. 1.

Id ipsum *Hippocratis* est consilium, *in acutis morbis inter initia utendum esse medicamento*: & *quum morbi incipiunt, movendum esse, si quid movendum videtur.* Quo autem acutior est morbus, hoc magis acceleranda validiorque decernenda purgatio: ut tandem *extremis morbis extrema diligentissime adhibeantur remedia.* His non solum remedii celeritatem, sed & vehementiam hortatus, concitatam omnem materiam protinus atque eodem ipso die evacuare docet, ne ultro citroque concita in principem aliquam partem irruat, repentinoque sit exitio. Itaque licet à perfecta concoctione felicior semper sit purgatio, ea tamen etiam ante concoctionem in ancipiti gravique morbo est necessaria: in salutari ac miti utilis.

Aph. 6. l. 1.

Aut cum in primis viis insuper hæret cacochymia.

Est & alia ratione ante concoctionem purgandi necessitas, si præter continentem acuti morbi materiam, quæ aut in venis, aut in visceribus, aut in habitu est corporis, & cujus expectatur concoctio, alia quædam *vitiosa in ventriculo*, in intestinis aut circum præcordia obhæret, dolore, æstu, nausea, amarore aliisve signis manifesta. Hæc enim omni tempore etiam nondum ulla morbi apparente coctione, utiliter potest adhibita præparatione medicamento trahi.

Humor igitur qui publicis viis subsistit, si præparatus est, omni morbi tempore utiliter dejici potest. Qui vero aut in visceribus inhæret, aut in venis concluditur, & proxima est morbi materia, dum concoctus apparet, feliciter: dum adhuc crudus est, utiliter atque etiam interdum necessario purgandus.

Quo die quaque hora purgandum.

Jam vero de purgationis *die* deque *hora* dicendum.

Tranquillo die purgatio tutior, expeditior vero perturbato. Quum enim morbus minus fatigat, & collectæ vires melius constant, facilius medicamenti vis & impetus tolerari potest. At quo die *morbus exasperatur*, agitataque ejus materia in motu est, promptius detrahitur. Quocirca si per vires licet, neque ingens metuitur perturbatio, impari die acutorum morborum, atque etiam decretorio (quo tamen natura decretura non est) copiosior expeditiorque, pari vero tutior fiet purgatio.

In febrium *intermittentium quiete*, medicamentum tanto ante accessionem tempore offerendum, quo possit purgatio compleri. Per accessionem quippe materia non in alvum, sed plerumque in diversum ruit, & sæpe accessionis vehementia purgatio subsistit. Præstat nihilominus ante accessionem, quam mox ab ea, & pridie quartanæ, quam postridie, medicamento uti.

Quo anni tempore?

Purgationi autem, quæ libera est, nullaque præsentis morbi necessitate ad præcautionem solam suscipitur, aptissimum est *ver*, deinde autumnus, aut quæ illis non absimilis, sed quodammodo temperata sit constitutio.

Quo die?

Dies non aquilonia, sed austrina humidave, quæ & corpora laxat, & humores liquefacit. Tempestas quoque similis & benevola syderum commistione salutaris.

CAP.

CAPUT XIII.

Quæ præparatio purgationi præmittenda.

Ex Galen. quos purgare oporteat. Et Avicenn. loc. cit. c. 4 & 5. *Ante purgationem* Aph 9.l.1.

UT in omnibus rebus agendis, ita maxime in purgandis humoribus, antequam aggrediare, diligens est *adhibenda præparatio*: qua & viæ pateant & trahenti medicamento omnia cedant ac obtemperent, *fiantque*, ut jubet *Hippocrates*, *corpora ante purgationem fluxa*.

Præparandum corpus.

Est autem *præparatio duplex*, una *corporis*, vacuandorum *humorum* altera.

Corpus sic præparatum comparatumque sit, ut viæ omnes, per quas medicamentum decurret, & per quas noxius humor derivandus expurgandusque est, liberæ sint & expeditæ. Primum igitur *ventriculus* humorum copia minime sit nauseabundus, ne haustum pharmacum nimiopere aversetur, aut mox revomat. Nec *intestina* coarctata obstructave noxiorum humorum cursum impediant. Etenim concitati si subsistant, aut ventris torsiones, aut fastidia, aut vertigines, aut animi defectiones movent, corpusque jactatione multa fatigant. Quod si aut è visceribus, aut è venis, atque ex corporis habitu eliciendi sunt, non modo ventriculum & intestina, sed & *mesenterii venas*, & viscera libera esse oportet.

Quibus remediis?

Itaque nausea omnis ante purgationem summovenda est, aut inedia, aut vomitione, aut detersione, atque dejectione per pilulam ex aloë. Suppressa jamdiu alvus clystere mollienda: aut si quid aliud intestinis adhærescit, detergendum id eluendumque est.

Præparandus humor crassus.

Noxius præterea *humor præparandus*: qui enim durus crassusve est, non facile per angustas vias profluit in alvum: glutinosus in his etiam obhæret. Quocirca durum mollire, crassum incidere & attenuare, lentum glutinosumque detergere oportet ante purgationem. Quæcunque id præstant, pariter quoque venarum per quas futura est purgatio obstructiones expediunt.

Quibus medicamentis?

Atque hæc vel *alimenta*, vel *medicamenta* sunt.

Internis,

Horum autem alia *intro* sumuntur, eaque vel arida, vel liquida. Arida, quum frigidi lentique sunt humores, & magna cruditas in primis est visceribus, præsertimque hyeme. Liquida, ut syrupi, apozemata & oxymeli, quum altius & in exilibus venis conditi sunt humores, in sicciore corpore, ac etiam æstate.

Externis,

Alia vero *extrinsecus* præparant, ut fotus & unguenta. Fotus suo tepore ac vapore per spongiam, partem quamvis blande concalefacit, nativumque ejus calorem erigit ac suscitat, humores qui ei præter naturam insident & impacti consopitique sunt excitat, emollit, attenuat, colliquat, fluxilesque reddit, ut facile sequantur quocunque medicamentum trahet. Hoc quidem præparationis genus diuturnis est affectibus accommodatissimum, quod tamen & *Hippocrates* acuti morbi, ut pleuritidis initio usurpavit, neque calorem veritus, neque fluxionem novam. Sed & quum omne corpus vitioso humore eoque crasso & glutinoso perfunditur, hunc nonnulli ante purgationem balneo perinde, atque fomento præparare jubent, quo tamen minime proritentur sudores, sed duntaxat emolliatur & liquefiat vacuandus humor. Fotui proximam vim obtinet unguentum, at infirmiorem, quod non admodum alte subire possit.

De diæt. in morb. acut com. 2. t. 1.

Quibus alimentis.

Victus quoque præparandi facultate pollet, quum attenuans detergensque imperatur: maxime vero tenuis ac parcior. Detracta enim de cousueto cibo portione, nativus calor crudos humores concoquit absumitque: frigidos vero crassos & glutinosos visceribus aut venis impactos partim absumit, partim adeo extenuat, ut etiam sponte nonnunquam procidant: quumque inedia corpus exhaustum excrementis vacat, liberumque est, medicamentum facile quoquoversum subit, ac integris viribus in omnia penetrat. A tenui victu medicatio synceros ac minime permistos humores commodissime detrahit.

Ea igitur crassis lentisque humoribus, ut melancholicis & pituitosis, ante purgationem adhibenda præparatio.

Humor tenuis non

Tenues vero, ut aquosos & biliosos, non *Avicennæ* consilio ante purgationem crassiores

incrassandus, ut voluit Avic lib. 1. fen. 4. doct. 5 cap.

fiores reddere oportet. Non enim quod ille existimat, ut sputorum quæ mediocri sunt substantia facilior est excreatio, ita & humorum mediocrium facilior est purgatio. Nam licet pulmonibus contenta materia supra modum tenuis, impellentis spiritus vi tussiendo non facile in arteriam sustolli excreariqueꞈpossit, sed tenuitate sua facile relabatur in pulmones: in corpore tamen convenienter præparato, quo tenuior ac liquidior sit humor, eo fluidior existet, & promptius trahenti medicamento cedet, ejusque impetum sequetur.

Et quare.

Sed acrimonia ejus obtundenda

Ferventior tamen & acrior is si fuerit, ejus ante purgationem *obtundenda* est & frenanda *acrimonia*, iis præsertim remediis quæ corporis quoque præparandi vim habeant.

Licet igitur tenuis humor concoctione aliquantum crassescat, atque tum evacuationi sit apparatior, non idcirco tamen & nos naturæ imitatione eum ante purgationem debemus crassiorem facere. Non enim quod crassescat, idcirco coquitur, neque concoctus idcirco purgationi aptior est quod crassior evaserit, sed quod sit à reliquis humoribus secretus, eumque natura prorsus vacuare contendat. Quo autem tenuior, eo ad effluendum est aptior. Aliud præparatio est, aliud concoctio. Hæc naturæ solius opera calorisque nostri beneficio, illa etiam arte tota plerumque perficitur. Detergentibus enim incidentibusque medicamentis expeditur obstructio, humorque attenuatur, non plene concoquitur. Præparatum humorem non semper licet exquisite purgare, concoctum vero Hippocratis præcepto licet, quum præsertim viæ patent.

Aph. 11. lib. 4.

Itaque corpus qua purgari debet, patens nec impeditum esto. In hoc quisquis peccat humor tenuis ac fluidus, si, ut in acutis morbis turget, statim initio nulla præparatione è quavis regione detrahendus est: sin vero parti cuipiam is firmius inhærescit, vix nisi detersus aut concoctus & naturæ vi secretus, trahenti medicamento obtemperat. Crassus vero atque glutinosus humor, non nisi vi & perturbatione, vel è patente corpore, deduci potest.

Forma præparationis convenienti.

Accommodanda porro unicuique est ea *præparationis forma*, quæ pariter morbi sævitiam leniat: ut acutis morbis potio, nonnunquam & unguentum ex eorum materia, quæ attenuando detergendoque refrigerant, at non impense calefaciunt. Diuturnis atque lentis valentiora, non potionis modo aut unguenti, sed & fotus & balnei forma: utilisque demum apta conveniensque victus tenuitas.

CAPUT XIV.

An jejuno, & qua forma, & quibus observationibus dandum medicamentum.

Ex Galen. quos purgare oporteat. Et Avic. lib. 1. fen 4. doct. 5. c. 4. & 5.

Purgans qua exhibendum forma,

Saluberrima est quæ sine offensione fit medicatio. Solet autem omnium primus ventriculus offendi, ut qui medicamentum summis integrisque viribus excipiens, primos ejus sustinet impetus, neque id nisi fractum retusumque longius penetrare sinit. Quum igitur in omni morborum curatione tanti sit momenti *ventriculus*, summa tum hujus, tum *medicamenti ratio* est habenda.

Liquida, an solida.

Medicamentum omne validum aut malignum naturæ infensum est: forma quoque omnis liquida ventriculi latera alluit, in illiusque substantiam altius se infert, ac proinde gravius eum ferit; solida vero minus, quod prompte in fundum intacta fere illius substantia illabitur. Cæterum liquida altius penetrat, in omniaque subit, potentius detergit, & infarctus expedit. Solida diutius hærens circum præcordia, tardior minusque efficax existit.

Imbecillo aut puro ventriculo quodnam conveniens medicamentum?

Ventriculus præterea quum aridior fuerit, atque prorsus vel ab inedia, vel à febre, vel à Solis ardore exhaustus, tum medicamenti vi plurimum lacessitur: tum id avidius in se recondens & velut exorbens, neque diffundi, neque vim suam exerere sinit. Contra vero, quum moderate est humidus. At immoderato humore potuve perfusus, medicamenti, quod præsertim imbecillum fuerit, plerumque vim obtundit. Itaque *imbecillo*, quemadmodum & *puro* ad unguem *ventriculo*, medicamentum blandum aptetur: aut si forte distantiorum partium

tium affectus validius exposcit, jejuno quidem, at non prorsus exinanito detur: quum nempe concoctus cibus descendit, ac nihilominus interior ventriculi tunica reliquiarum benignitate etiamnum madet. Sic enim in distantiores partes id permeat, minimum offensa ventriculi substantia. Quum autem malignitatis particeps est medicamentum, ut veratrum, *corpora*, inquit *Hipppocrates*, *ante potionem humectanda sunt cibo pleniore, quieteque.* Ipsum vero medicamentum, seu liquida, seu solida sit forma, sacchari, mellis, aromatis aut rei cujuspiam suavioris permistione condiendum, ut ventriculo præcordiisque jucundum occurrens, quadam odoris saporisque gratia vires suas feliciter exerat.

Aph. 13. lib. 4.

Quodnam robusto & impuro? At *robusto* atque *impuro ventriculo* liquida forma nullius rei suavitate oblita confert, idque longissime à cibo, ut altius in primas corporis sedes, in earumque humores se inferat. Et hæc quidem observanda, quum syncera optatur humorum detractio.

Quando blandum sumendum? At vero *blanda* leviaque medicamenta, quæ solas alvi fæces molliunt & exturbant, eccoprotica dicuntur, non multo ante cibum, atque etiam cum cibo sumenda.

Quando vomitio permittenda? Si cui consueta est matutina *vomitio*, ea ante medicamentum cienda. A medicamento quoque ea nonnunquam succedit, vel quod imbecillior sit ventriculus, vel quod pharmaci horrore concutitur, vel quod quum agitari cœpit, humores quorum copia obruitur, excutit, vel quod præcordiorum mole coarctatus pylorus, aut alvus fæce obstructa duriore, non id facile illabi sinit. Hæc tamen omnia diligens avertit præparatio.

Assumpto medicamento quid faciendum? *Hausto medicamento*, vel aqua hordei, vel succo mali punici, vel subaustero vino, vel saccharo, reliquiæ è faucibus & è gula detergendæ dejiciendæque sunt, quum præsertim horrendo sapore gravis suspectaque est vomitio. Surrectum dein corpus in quiete continendum, dum ventriculus medicamentum arctius complectatur: atque etiam interposito semihoræ spatio, si (quod fere fit) inexpugnabilis dormiendi necessitas premet, utile medicamento indormire, ut illius vis in sopore plenior excitetur: quum primum vero in actum id prorumpit, vigilandum penitus est, dum effectum omnem compleverit. Nam arctiore somno purgationis opus subsistit. Quum enim, inquit *Hippocrates*, *sistendum censueris, somnum molieris, nec quicquam movebis: contra quum medicamentum citare voles, corpus movebis: Motione enim corpus turbari, indicio est navigatio.*

Aph. 13. 14. 15. l. 4.

Quando cibus assumendus? *Cibum* plerique putant non ante offerendum quam medicamētum suo perfunctum sit munere: satis tamen sit è ventriculo id ita excidisse, ut nullus ejus odor, nullus ructus, nulla nausea, nullaque stomachi rosio subsit, quum præsertim syncera desideratur purgatio. Cibus enim medicamenti permistione corrumpitur. Solida forma, blandumque medicamentum, quod tardius descendat, longiorem cibi moram, eamque quatuor saltem horarum interponi postulat. Primus autem cibus detergens sit sorbitio, quæ medicamentis reliquias eluat, & quo decet impellat, simulque ventriculi interiora oblinens, omnem medicamenti qualitatem tædiaque demulceat.

Quo loco continendus qui purgatur? Qui purgatur, *continendus* est *temperato loco*: nam concitati jam humores æstus injuria, aut rapiuntur in cutem, aut nimium efferuescunt, febremque incendunt: frigore vero torpescunt, & densatis coarctatisque viis ignaviter exeunt. Liberior ac vastior aër, aut apertus flatibusque expositus, etiamsi nulla est intemperies gravis, difficiles efficit purgationes, quandoquidem corpora, præsertimque imbecilla, vehementer conturbat.

CAPUT XV.

Vtilisne & perfecta fuerit purgatio, an contra.

Ex Avic. lib. 1. fen. 4. doct. 5. cap. 4.

ARtificis cujusq; summum est studium, quorsum opus evadat animadvertere.

Purgationum alia *utilis*, alia *vitiosa* est.

Purgatio utilis est. *Vtili* talia purgantur, qualia purgari oportet, *vitiosa* vero aut aliena purgantur, aut non convenienti ratione.

Aut obscura. *Vtilis tres* statuantur *differentiæ, obscura, manifesta, perfecta.*

Obscura exiguam admodum peccantis humoris portionem detrahit, quæ quia conveniens est, confert quidem, nondum tamen ægrotum manifesto levat.

Aut manifesta, *Manifesta*, quæ insignem humoris portionem exturbat.

Aut perfecta. *Perfecta*, quæ nihil illius reliquum facit.

Quæ cognoscuntur ex dejectionibus. Signis hæ discernuntur, *à dejectionibus*, & *à laborantis tolerantia* depromptis.

Aph. 23. lib. 1. *Dejectiones*, inquit *Hippocrates*, *non copia æstimandæ sunt.* Neque enim fæcum, neque crudorum, quæ circum mesenterium exuperant, copiosa dejectio, utilem purgationem facit: *sed quum talia*, inquit, *dejiciuntur qualia dejici oportet*: qualia nimirum exuperasse & morbi causam fuisse, conjectura fuerat. Qualia autem sint illa, biliosane, an pituitosa, an melancholica, ex substantia & colore noscendum, nisi quid medicamenti color pervertat. Nam ex rheobarbaro & hiera flavescit dejectio, nigrescit vero multum ex cassia, aliquantum ex senna.

Et laborantis tolerantia. *Laborantis vere tolerantia*, atque levamen, quam perfecta fuerit purgatio, docet.

Quomodo obscura, Itaque si purgatione qualia oportebat, sed admodum pauca exierunt, & quibus laborans non magnopere levatum se percipit, *obscura* est purgatio, quæ confert quidem, sed leviter.

Si vero noxii humoris copia majore detracta ægrotus se ipso jam multo levior apparet, manifeste *utilis* est.

Utilis, Perfecta, Si plurimo humore seu universo, seu parte evulso, laborans non leviorem modo, sed vel ab omnibus, vel à præcipuis quibus affligebatur symptomatis sese prorsus vindicatum solutumque sentit, idque non quum adhuc purgatio fit, sed quum ea jam plane desiit, *perfecta* censeri debet.

Somno, Tum *somnus* placidus, isque multo quam ante arctior, citra ullum tamen veternum obrepit: non quidem ex virium imbecillitate, sed inde obortus, quod ex morbo perinde atque ex labore fatigatum corpus, mox ut peccantium humorum quasi sarcina deoneratur, sedato spirituum impetu levi somno conquiescit.

Siti, *Sitis* quoque si vehemens præcesserat, exquisita purgatione mitescit, detracta nimirum materia quæ illam concitaverat, aut si forte nulla fuerat, exquisita purgatione exiccatum corpus sitire incipit: *nec*, inquit *Hippocrates*, *id desinit purgari antequam sitiat.* Aph. 19. lib. 4.

Aliisque symptomatibus. Quinetiam à perfecta purgatione *appetentia* restituitur, dolor si quis urgebat mitescit, atque etiam febris, aut alia quævis morbi essentia extirpatur: hinc laboranti vires resurgunt, idque pro eorum quæ vacuata sunt ratione. Cæterum nonnunquam accidit, ut humor agitatus periodis conquiescat, aut morbus persistente intus causa sponte se remittat: ac tum laborans se morbo expeditum putat. At certe minime tuta est quæ citra vacuationem obtigerit malì levatio, &, ut inquit *Hippocrates*, *si quid fiat præter rationem levius, confidendum non est.* Aph. 27. lib. 3. Perfecta igitur purgatio non modo ex symptomatum sedatione judicanda, sed ex eorum maxime quæ purgata sint tum specie tum copia: quippe quum iis respondent quæ certis signis inesse deprehensa fuerant.

Horum igitur contemplatione innotescit, quid quantum & quamdiu purgandum: & quando absoluta fuerit purgandi necessitas.

Mala purgatio est vel inutilis, *Vitiosa* autem purgatio, aut inutilis est, aut molesta, aut exuperans. *Inutilis* est tum quæ humorem à noxio diversum trahit, tum quæ noxium proritat, non autem educit; conturbat enim magis quam evacuet. Utraque dum infensum humorem evellere contendit, eum diffundit & exagitat, suscitatoque vapore tetro corpus inflat atque distendit, ac proinde magis quam justa purgatio lacessit.

Vel molesta, *Molesta* noxium quidem humorem, sed vi quadam elicit, vel quod præparatio adhibita non fuerit, vel quod vehementius aut immoderata quantitate sit pharmacum, vel quod non correctæ malignitatis sit particeps, ut colocynthis, euphorbium, elleborus, vel quod externus error sit admissus. Omnis quippe ejuscemodi ægrotum præter modum affligit atque torquet. Hinc corporis lassitudo, capitis dolor, febris aliaque symptomata. Sub hac quidem talia exeunt qualia exire oportet, sed vires nimium convelluntur atque dissipantur.

Vel exuperans, *Exuperans* effrenataque purgatio cum humore noxio naturalis pariter atque necessarii nonnihil vi eripit, non citra virium offensionem. Quoniam igitur de propria corporis substantia nonnihil evellit, vel cruor citra hæmorrhoidas, vel ramentum, vel pingue aliquid, liquamini, aut loturæ car-

carnis simile, in excretis cernitur. Hinc torsiones, cordis dolor, æstus, anxietas, jactatio, corporisque perturbatio, præter hæc animi quoque defectio, & summa virium exolutio: spiritu quidem quasi naturæ thesauro vel vi direpto, vel pharmaci pernicie & malignitate oppresso.

His jam omnis concludenda videtur de universali purgatione tractatio. Quicquid enim praterea desiderari potest, ab his qua fusius de vena sectione pracepta sunt mutuari licet.

CAPUT XVI.

De Purgatione particulari.

Ex Avic. lib. 3. in illarum partium curatione. *De purgatione particulari.*

PRæter ea quæ publicas corporis regiones, alia etiam privatas quasdam sedes exhauriunt ac expurgant, quorum & hic tandem meminisse expedit. Ejusmodi numerata *errhina, apophlegmatismi, bechica.* Non ante his utendum quam reliquum corpus probe exinanitum sit, prorsusque vacet excrementis, ne aliunde noxios humores rapiant in affectam sedem, semper enim universalis curatio particulari præmittenda.

Errhinis, *Errhina* in nares vel immissa, vel hausta, cerebri supervacaneam pituitam proliciunt. Non eam quidem quæ in cerebri ventriculis, (hinc quippe nulla via excurrit in nares) sed quæ circum cerebri substantiam circumque meninges colligitur & fluitat. Hauriantur autem prono capite, ut recta per os ethmoides ferantur, nec recidant in fauces. Omnibus medentur soporosis affectibus, obtusosque sensus omnes expediunt, & interiores in quavis sede infixos dolores discutiunt.

Sternutatoriis, Similis propemodum est & *sternutamenti* ratio: sed quod vehementer succutiat, vis ei major. Etenim non modo cerebrum expurgat, sed & quæ in partem ejus posteriorem, atque etiam in fauces irruunt, valide succussu revellit.

Apophlegmatismis, *Apophlegmatismus*, vel mansus, vel gargarisatus, salivam atque pituitam ore deducit. Huic vis major est expurgandi cerebri ventriculos, quibus via declivis est in palatum: multo proinde maxima vis erit apophlegmatismi, si resupino capite hauriatur in nares, ut mox per summa palati relabatur in fauces. Ita quippe cerebri basim proluens longe validius ex illius ventriculis excrementa detrahit.

Et hæc quidem in primis necessaria ars destinavit expurgando cerebro, quod natura cumulandis excrementis maxime est obnoxium. Expurgatur autem tutius confecto jam cibo, quam quum crudus venter est ciboque turgens.

Pulmones interioraque thoracis expurgant, quæ *bechica* nuncupantur. *Bechicis.* Quanquam enim ex iis nonnihil detrahi potest in alvum, id tamen perexiguum est: ac maximam supervacuorum partem, vel in pulmonum substantia, vel in arteriis, tum destillatione, tum peculiari vitio congestam, necesse est impetu tussis expurgari. In id autem ea conferunt, quæ destinata pulmonibus, modo tenuiorem pituitam incrassant, modo lentam detergunt, crassamque attenuant, idque quadam lenitudine: nam exasperantia, ut salsa, acida & acria, tussim plerunque frustra cient: neque ex usu sunt, nisi quum pigriorem vel imbecilliorem expultricem vim stimulare oportet.

Commode autem bechica in lentam ac crassam *medicamenti formam* aptantur, qualis eclegmatis est aut crassioris syrupi, ne liquidior propere illabatur in ventrem. Lenta quippe (præsertim si sensim ac blande quasi lambendo demittitur) quoniam diutius subsistit obhæretque faucibus, majore portione subit in asperam arteriam. Hanc tamen semper potulentorum liquore irrigari, præterquam quod *Hippocratis* sententia confirmatum est, conspicue etiam in eo observavimus, cui ex vulnere gutturis sub larynge accepto, nec probe agglutinato, inter bibendum sorbendumque nonnihil semper humoris emanabat. Lib. 4. de morbis c. 33.

Ita quidem medendi vacuandique ratio summis jam praceptionibus exposita videri potest: qua tamen quoniam sola in usum accommodari nequit, par est deinceps singula tum simplicia, tum composita medicamenta illi subnectere, qua tanquam artis instrumenta ad profligandos morbos comparari usurparique solent.

Libri tertii Therapeutices, de purgandi ratione Finis.

LIBER QUARTUS, METHODI MEDENDI.

DE SUMMIS MEDICAMENTORUM generibus & facultatibus.

PRÆFATIO.

Qui sequuntur quatuor Meth medendi libri, à *Plantio* è veteribus excerpti, & in unum congesti sunt; verum à *Fernelio* relecti examinatique, ultimam tandem manum à *Plantio* accepere.

QVoniam omnis motus & omnis effectio è contrariorum dißidio atque repugnantia proficiscitur, Natura dum mundi hanc universitatem aßiduæ mutationi subjecit, simul eam necessario variis dißidiorum generibus quasi seminibus conspersit. Atque ut quatuor rerum primordia, ignem & aquam, terram & aërem, contraria instituit, ita & unicuique quod ex iis ortu proceßit, aliud quippiam opposuit dißidii lege.

Nullus igitur affectus subsistere potest in nobis, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium illa protulerit. Nullaque usquam est remediorum penuria, sed nostra eorum plerumque turpis ignoratio. Nullus toto genere immedicabilis est affectus, sed idcirco duntaxat, aut quod imbecillæ jam vires curationis prolixitati succumbant.

Summa igitur sit in investigandis remediis sedulitas, & quæ singulis morbis profligandis propria & accommodata sint, nobis semper in promptu extent & quasi acervatim occurrant.

In rememediis quidem numerantur venæ sectio, cucurbitula, sacrificatio, hirudo, ustio, sectio, huiusque generis non pauca: at pars eorum maxima ex medicamentis petenda, de quibus nunc mihi ineunda tractatio.

Ne quem vero immensam eorum quasi sylvam ingressum offendat turbulenta rerum confusio, omnem medicamentorum materiam posthac in classes quasdam referendam duxi.

Sed inprimis ut omnes eorum cognitio ex differentiis & generibus stabilita dilucidior sit & luculentior, pauca de his in universum præmittam.

CAPUT I.

Quid medicamentum, quotque id modis in nos agat.

Medicamentum quid.



MEdicamentum *est quod potestate naturalem corporis constitutionem quoquomodo immutat.*

Eorum autem quæ nos immutant & afficiunt, atque etiam agentium omnium, *alia* vim suam agendi *actu*, *alia potestate* duntaxat obtinent.

Aliud actu.

Actu quidem, quæ ita promptam & expeditam illam habent, ut primo quoque contactu nos immutent, ut ignis, ut ferrum candens. *Potestate* vero, quorum vis & facultas intus condita & quasi sopita nondum ita exeritur aut depromitur, ut primo quoque contactu agat. Sic piper potestate calidum est, & mandragora facultate frigida.

Aliud potestate.

Iuvabit autem in hanc contemplationem paulo altius incumbere.

Prima & communia rerum omnium elementa, terra, aqua, aër & ignis, & quæcunque cœlesti divinoque calore sunt prædita,

Quæ actu talia.

dita, ut sol, ut animantes & stirpes, energia *actuque* vires habent, easque sic promptas, ut semper agant, nec ullius externi subsidii ope vel irritamento indigeant. Ignis quippe semper calefacit, & aqua semper refrigerat. Sol quoq; perpetuo calfacit: & animantes quoad vivunt actu calidæ, quemadmodum & stirpes omnes: quandoquidem suis facultatibus alimentum continenter trahunt, coquunt & expellunt supervacua, cæterisque vitæ muniis fruuntur. Ex inanimorum quoque genere magnes seu heraclius lapis facultate illa cœlesti & quæ trans elementum est, vim actu habet alliciendi ferrum, & succinum actu paleas attrahendi.

Si qua forte alia comperientur vim actu habere, ut lapis ferrumve candens, aut aqua fervida, non eam quidem insitam sibi, sed *ascititiam* habent, & ab iis acceptam quę actu talia sunt.

Quæ potestate. Reliqua omnia mundi mista & vitæ expertia corpora, præsertim vero medicamenta, *potestate* duntaxat vires habent insitas, easque ex varia elementorum commistione profectas. Hæ autem illorum consopitæ vires, ab iis insuper excitari debent quæ actu vigent: nec ullum potest medicamentum insita facultate sua nos immutare, citra nostri caloris opem.

Quomodo actu fiant. Non hinc quidem quod calor noster vim ullam medicamento impertiat, (omnes enim hoc habent sibi congenitas) sed quod tacitas illas & otiosas suscitet & *in actum proferat*, à quibus deinde corpus nostrum mutatur & afficitur. Calor enim noster medicamentum dum subigit, ejus naturam, temperamentum & alias quascunque vires detegit & explicat; hoc vero quasi proritatum communi rerum omnium conditione reluctatur & obsistit, atque vicissim contagione corpus afficiens, omnes in id vires suas expromit.

Calida. Sic *piper* aut pyrethrum, etiam si actu frigidum sumitur, protinus ut depulso frigore à nobis incaluerit, suo ipsius calore nos acriter urit: & vinum licet nos plerumque dum bibitur refrigeret ascititio frigore, mox tamen ut incaluit impense calefacit.

Frigida. At vero lactuca, mandragora, & quodcunque *frigidum* est medicamentum, primum quidem ascititio frigore, deinde, quum incaluerit, insito quoque nos afficit, quemadmodum & aquæ frigidæ potus.

Haud absimili ratione quum *purgans* medicamentum calefit ac subigitur in nobis, purgandi vim suam exerit atque profert, qua dein corpus conturbat & peculiarem sibi humorem prolicit. *Purgantia.*

Deleterium quoque venenatam qualitatem tum primum depromit nos labefactare aditur, quum calefit, irriturque vi nostri caloris. *Venena.*

Ex his luculentius intelligi potest, nostrum calorem nullam medicamento agendi facultatem conferre. Unde enim venenatam illam qualitatem sortiretur, aut cur eam sibi adversissimam deleterio impertiret in suam perniciem?

Ita igitur de his, quæ actu, & de his quæ potestate vim habent, sentiendum.

Medicamentum autem non ab actu, sed *à potestate proprie definitur.* piper enim & allium, & lactucam, & mandragoram proprie quidem: cæterum nec ignem, nec nivem, nisi fusa nominis appellatione, medicamentum dixeris. *Æstimantur medicamenta ab eo quod sunt potestate.*

Quicquid porro calidum frigidum aliterve appellamus, aut *simpliciter*, aut *comparate* dicitur.

Simpliciter & absolute, quod vim illam summam & impermistam obtinet, ut ignis simpliciter calidus est, aqua absolute frigida. *Quæ vel simpliciter talia,*

Comparate vero, cujus vis & facultas contrarii quidem permistione repressa obtunditur, sed tamen cæteris adhuc in mistione superior, præpollet, actumque profert, ut piper, ut lactuca. Quod hujus est generis, nec summe, nec absolute calidum, ut ignis, sed homine eucrato (qui & universe substantiæ mediocritatem obtinet) calidius: & lactuca eo ipso frigidior est, ob idque talis comparate dicitur: ut enim sumptum piper temperatum hominem calefacit, ita & lactuca eum ipsum refrigerat. Quod si ad unumquemvis hominem referre velis, quod uni calidum, alteri frigidum plerumque videbitur. *Vel per comparationem.*

Ita igitur vires, quæ tum actu, tum potestate insunt, æstimandæ sunt in iis quæ per se, non per accidens agunt. *Per se* id agere dicitur, quod proxime, nulliusque interventu nos immutat, ut ignis, ut nix. *Per se,*

Ex

Ex accidenti vero, quod non proxime, sed alterius cujusdam interventu, ut aqua frigida æstuoso cœlo corpori moderate affusa. Ea quippe primo occursu atque contactu, ac proinde per se refrigerat: at certe quoniam cutem densat nihilque exspirare aut dissipari sinit, insitum nobis calorem cohibens ac etiam intro compellens conservat, atque auget, & idcirco corpus ex accidente calefacit. Sic rheumbarbarum licet occursu primo aliquantum calefaciat, quod tamen bilem quæ ardoris febrisque causa est expurget, accidente refrigerat: quemadmodum & calida medicamenta quæcunque febrium obstructiones infarctusque expediunt.

Hæ præcipuæ sunt & cognitu necessariæ agendi efficiendique differentiæ.

Nunc quo tota definitio particulatim explicetur, tradendum quot quibusque modis immutetur corporis nostri naturalis constitutio. Hæc quidem in tribus maxime posita est, ex hisque constat; ex bona corporis & humorum temperie, ex materiæ commoderatione, & ex formæ seu substantiæ integritate: nam ex his tribus continetur humanum corpus, temperamento, materia atque forma. Trifariam igitur id immutari potest, atque triplex omnino statuendum est nos afficientium medicamentorum genus. *Vnum naturalem* tum corporis, tum humorum *temperaturam* mutat, ut quod impendio calidum, frigidum, humidum, siccumve est. *Alterum materiæ commoderationem*, ut quod nimium densat aut rarefacit, adstringit aut laxat, incrassat aut attenuat. *Tertium* corporis humorumve *formam* atque substantiam demolitur, ut quod illam deterit, aut diripit ceu venenum, & quod illam detrahit aut penitus eximit, ceu quod septicum & purgans medicamentum appellamus. Et hæc quidem simplicia sunt genera.

Afficiunt autem, ut temperamẽtum,

Vel materiam.

Vel formam.

Postremum hoc genus proprie & maxime medicamentum est, alimento prorsus adversum. Ut enim alimenti, ita & medicamenti propria ratio, ex ipsius substantiæ forma spectatur.

Alimentum quidem est quod corporis substantiæ quodammodo simile, in eam tandem facessit atque convertitur, quam tum alit, tum interdum auget. Id si ita simile est ut in corporis substantiam conversum, nulla interim aliena qualitate illam insigniter afficiat, simpliciter & absolute alimentum dicitur, ut caro, ut ovum.

Huc pertinent alimentum,

At si substantia quodammodo simile, exuperante qualitate corpus immutat, *alimentum* est *medicamentosum*, ut lactuca, vinum generosum, mespilum, cotoneum malum.

Alimentum medicamentosum.

Quod porro substantia prorsus est dissimile, simulque nulla est præditum qualitate, qua corpus manifeste afficiat, id neque alimentum, neque medicamentum censeri debet. At si in substantia nobis prorsus dispari qualitates nimium exuperantes obtinet, sive temperamento, ut hyoscyamus, ut pyrethrum, sive à materia, ut thus, galla & alumen, sive à forma profectas, ut scammonium, ut arrhenicum, & veneni atque deleterii genus universum, id prorsus & usquequaque *medicamentum* est.

Venenum.

Medicamentum.

CAPUT II.

De primis & secundis medicamentorum facultatibus.

Medicamentum aliud *simplex* aliud *compositum*.

Hoc simplex,

Simplex appellamus quod sponte soliusque naturę beneficio emersit, cujusmodi sunt rosa & absinthium.

Aut compositum.

Compositum quod arte & industria ex multorum permistione constat, talis est theriaca.

De simplici prior erit tractatio; de composito & compositionum formis posterior.

Illius vires triplices.

Ut igitur paulo ante ex triplici corporis nostri constitutione tria nos afficientium medicamentorum genera statuimus: ita & omnes simplicium *medicamentorum vires*, atque facultates *in tres ordines* aut differentias distribuendæ sunt. Aliæ enim sunt, quæ *primæ* qualitates aut facultates appellantur, aliæ quæ *secundæ*, aliæ quæ *tertiæ*.

Prima qualitas.

Prima qualitas seu facultas ex primorum elementorum permistione & qualitatum simplicium temperamento proficiscitur, ejusque qualitatis vim & naturam imitatur,

tur, quæ cæteris in temperamento antecellit. Ea enim licet contrariarum vi sit repressa, quia tamen superior est, vim agendi præcipuam obtinet, & medicamento nomen suum impertit.

Alias autem *unica* dominatur & vincit, alias vero *duæ*.

Simplex,

Ab una & *simplici* quatuor fiunt medicamentorum facultates, à quibus aliud calidum existit ut piper, aliud frigidum ut mandragora, aliud humidum ut oleum, aliud siccum ut aqua marina.

Ex duabus qualitatibus quatuor quoque prodeunt *conjugatæ facultates*, à quibus medicamentum, aut calidum siccumque est, aut calidum & humidum, aut frigidum ac siccum, aut frigidum & humidum.

Hæc prima, tum simplex, tum conjugata qualitas, atque facultas, elemento quidem actu inest, quia nullius contrarii permistione obtunditur aut impeditur. At *medicamento* illa solum *potestate* inest, quia contrarii permistio impedit & cohibet vincentem qualitatem ne prompte & primo quoque occursu agat. Quocirca piper dum actu frigidum est, non temperamento sed ascititia qualitate tale existit: eam autem vim & potestatem qua nos calefacit, sibi insitam habet & à naturæ primordiis accepit.

Cujus quatuor gradus,

Quoniam autem eorum quæ verbi gratia calida appellantur non una est omnium vis & æque valida facultas, *quatuor* eorum *gradus* & ordines usus distinxit. *In primam* ea classem referuntur, quæ obscure, necdum manifeste agunt; *in secundam*, quæ jam manifeste; *in tertiam*, quæ vehementer; *in quartam*, quæ summe atque extreme, ut quæ in calidorum genere deurunt escharamque moliuntur.

Et cujusque sua latitudo,

Deinde etiam uniuscujusque classis & ordinis, ut cujus non parva sit *latitudo*, tres statuuntur partes, *initium, medium* & *finis*; ut eorum quæ ordine tertio calida dicuntur, alia in hujus ordinis initio, alia in medio, alia in fine consistunt.

Secunda qualitas.

Secunda medicamentorum facultas ex eorum materia temperamenti, sive qualitatis primæ vi perfusa suscitatur. Est autem materia alia tenuis, quæ tum in corpus, tum in humores sese prompte infert & insinuat: alia crassa atque lenta quæ hæret ac subsi-

A stit nec alte penetrare potest: alia mediocris, quæ ambarum medias vires sortitur. Calor vero in quamcunque materiam inciderit, agendi vim atque celeritatem auget, quemadmodum & siccitas; at frigus & humiditas reprimunt & cohibent.

Quotuplex.

Ex horum porro commistione varia, secundæ medicamentorum facultates emergunt, quarum *hæ sunt præcipuæ*, ex methodo depromptæ. Incidens sed attenuans & incrassans: Detergens & glutinosum, quod oblinit vel emplasticum est: Exasperans & lævigans: Aperiens & occludens: Dilatans & coarctans, & coangustans, seu adstringens: Rarefaciens & densans: Relaxans & contendens, quod adstringens & corroborans: Attrahens, digerens, dissolvens & repellens: Maturans seu pus movens, & corrumpens seu septicum: Agglutinans & exulcerans, seu vesicas excitans: Sarcoticum & exedens: Epuloticum & disrumpens, quod causticum vel escharoticum est.

Quomodo oriatur ex materia tenui & calore.

Sic autem *materiæ atque temperamenti permistio illas profert.*

Medicamentum quod *tenuis* est *materiæ* si pariter *calidum* est, idque citra ordinem tertium, ut petroselinum, hyssopus, sumptum quidem corporis meatus exiguos aperit, ex humoribus tenues dissolvit, dissipat seu halitu digerit, hincque sudores & urinas movet, crassos vero incidit, attenuat seu comminuit: foris autem impositum cutem rarefacit & dilatat: ex alto quoque corpore spiritus humoresque trahit atque resoluit. At si jam quarto est calidorum recessu, septicum habetur, quod nimium aut urit, aut ulcerat, aut vesicas excitat, aut colliquat.

Materia tenui & temperie aut frigore,

Quod vero *tenuis* est materiæ si *temperatum*, aut etiam si pariter id frigidum existit, ut acetum, intro sumptum aperit quoque & attenuat, sed ignavius quam calidum: at foris inductum corpori quatenus frigidum est fluxionem repellit & eruptionis impetum cohibet, idque validius quam quod frigidum adstringensque est, altius enim frigoris vim deducit.

Materia moderata & frigore.

Quod vero cum *media materia frigidum* quoque existit, ut omphacium, protulaca, modice fluxionem repellit ac sistit, siccat & astringit.

Temperie, tempe-

Medicamẽtũ mediocris materię quod una

temperatum fuerit, ut oleum simplex, relaxat, emollit scirrhos, concoquit, maturat atque pus movet.

Calore, At *moderate calidum*, ut chamæmelum, quia dolorem lenit, anodynum appellatur.

Quod paulo *calidius*, sed citra tertium est ordinem, ut absinthium, sumptum quidem aperit ora vasorum, glutinososque detergit humores, ac proinde venas meatusque omnes expurgat, & eorum obstructiones expedit: quod tenuior materia, quia celerius & sine detersione penetrat, non efficerit. Quod jam tertium caloris recessum superat, ut colocynthis, aristolochia, non solum detergit, sed etiam quia acrius, partes ipsas vehementer exasperat & exulcerat. Eadem quoque præstat si foris corpori sit inductum.

Materia crassa & temperie, Medicamentum quod *in crassa* terrenaque materia *temperiem* quandam caloris frigorisque nactum sit, ut bolus Armena, aut terra Lemnia, interiores meatus obstruit cutemque obturat, exasperata lenit & soluta agglutinat: inferciens enim est aut emplasticum, aut lævigans, aut etiam glutinosum. Quod autem moderate, seu calidum, seu frigidum existit, ut rosa, ut myrtus, laxiores partes contendit, atque idcirco corroborat.

Calore. At *immoderatius* velut ordine quarto *calidum*, ut calx, auripigmentum, arrhenicum, exedit estque septicum, causticum, vel escharoticum.

Frigore. Immoderatius vero *frigidum*, atque siccum, ut galla, nux cupressi, ora vasorum sumptum non modo obstruit, verumetiam contrahit & occludit, meatus omnes coarctat seu coangustat, ipsos vero humores supra modum incrassat. Foris impositum cutem densat & adstringit, fluxionis impetum cohibet ac etiam repellit, & vulnus cicatrice obducit.

Ita igitur facultates secundas ex medicamenti materia temperamento perfusa prodire quivis intelligere possit: quarum tamen singularum rationes luculentius posthac explicabimus.

Caput III.

De Saporibus.

Vt secundæ qualitates, ita & sapores oriuntur: Quare qualitatum secundarum indices sunt, non tertiarum. Ut autem *facultates secundæ, ita & medicamentorum sapores* ex eorum materia primis qualitatibus instructa prodeunt, quumque horum magna sit ex origine affinitas, optima ratione *sapores indices* erunt & internuncii primarum, atque secundarum facultatum. Itaque calidumne quippiam an frigidum sit, tenuis an crassæ materiæ sapore internoscitur.

At vero tertias medicamentorum facultates, ut purgandi peculiarem humorem, aut obtundendi venenum, aut aliam quampiam ex iis quas mox subjiciam, non sapor ullave sensuum qualitas, sed una patefacit experientia & observandi consuetudo.

Sunt autem novem sapores, *Novem* autem *saporum differentiæ* sunt, nec plures gustus notavit, *acer, acidus, pinguis: salsus, austerus, dulcis: amarus, acerbus, insipidus.* Tres primi è tenui materia prodeunt, medii è mediocri, postremi è crassa atque terrena.

Acer. *Sapor acer* est qui linguam & os acrimonia ferit, atque compungit, simulque calefacit, & interdum quasi exurit: is maxime *conspicuus* est in pipere, pyrethro & euphorbio: quorum exemplo de cæteris inferioribus æstimandum. *Suscitatur* autem ex tenui, sicca calidaque materia, nec in alia consistere potest. Quicquid igitur acre seu mordicans gustu percipitur, id statim igneæ *naturæ particeps* est. Atque si nondum vehemens est sed citra tertium ordinem subsistit, ut hyssopus, petroselinum, feniculum, thymus, vim atque facultatem habet: intro quidem sumptum penetrandi & meatus aperiendi, crassosque humores attenuandi: extrinsecus vero corpori insidens, cutem rarefacit, humoresque elicit ac resolvit. Quod vero jam acrius est tertiumque calidorum ordinem excessit, & gustando præter acrimoniam tenui vapore caput ferit, aut exurit papulasque excitat, ut sinapi, pyrethrum, euphorbium: aut vesicas infert, ut lepidium, cantharis, ranunculus, aut colliquat & putrefacit, ut sublimatum, chamælea & thapsiæ succus.

Acidus. *Acidus sapor* gustum quoque penetrat & tenuitate ferit, sed citra ullum sensum calo-

loris: talis maxime in aceto *deprehenditur*, etiam in succo mali citrei, in quibusdam malis punicis & cotoneis. *Emanat* hic ex tenui siccaque materia, cujus vel calor insitus putredine expiravit, ut in aceto, vel frigidior intemperies tenuitati ab origine comes est, ut in aliis quæ commemoravi. Quocirca acidum penetrando & incidendo nihilo est acri *infirmius*, imo sane ad hæc nihil quicquam est aceto valentius, præsertim si aut vetus est, aut stillaticium, hoc enim metalla, quemadmodum & citrei mali succus margaritas dissolvit. At vero non ut acre foris impositum dissolvit, atque dissipat, sed contra repellit cohibetque fluxiones: idque validius quam frigidum adstringens, altius enim frigoris vim deducit. Sic acetum experimur & fluxiones repellere, & omnem sanguinis è naribus eruptionem atque dysenteriam, tum vapore suscitato, tum etiam fotu cohibere, ipsasque hæmorrhoidas & immodicas uteri purgationes suffitu insessuve sistere, omnemque sanguinis rejectionem potum, vel per se, vel admista aqua promptissime cohibere. Neque idcirco id inter adstringentia numerandum, longe enim ab his materia distat, sed unius frigoris alte subeuntis beneficio fluxiones repellit, siccitate vero quæ plane valida est eas, atque sanguinis eruptiones sistit ac cohibet.

Pinguis. *Pinguis sapor*, nec calore, nec acrimonia gustum sollicitat, sed linguam orisque partes lentore quodam oblinit. Is præcipue *animadvertitur* in oleo, tum simplici, tum amygdalino, in butyro, in adipe qui nec vetustate rancidus, nec natura sit acrior, cujusmodi leonum est & vulpium. Pingui quoque sapore est althæa, atque ejus & psyllii mucus & tragacantha. In aliis plerisque tum adipibus, tum oleis, ut in ricinino, in amygdalino amaro, sub pingui alii quoque sapores existunt: at vero ut non unus simplexque est horum sapor, ita nec facultas, nec materia simplex & una. *Nascitur* pinguis sapor ex tenui non quidem ignea, sed plane aëria materia, quæ calore & frigore quodammodo temperata sit. Atque ea licet tenuis, sicca tamen non est: alioqui pingue perinde atque acidum & acre penetraret ac incideret. At certe humoris ejusque aerei particeps magis est: ac proinde *præcipua vis* ejus atque facultas est relaxare, emollire & humectare.

Salsus. *Salsus sapor* linguam non admodum calefacit, sed acriter siccando corradit. Hic in primis *elucet* in sale atque in nitro, deinde moderatius in crithmo herba. In mediocri materia consistit cum calore & siccitate. Aqueæ enim materiæ (quæ non exquisite simplex est) partes quasdam terrenas permistas calor externus tandem præassans, & urens atque siccans, salsum saporem *inducit*: fitque à terreno sicco quod in aqueo humido caloris vi præassatum attenuatumque est. Neque igitur prorsum terrenus neque aqueus, sed ex amborum permistione quandam materiæ mediocritatem sortitur. Neque si ex calore processit hic totus manet, sed permistione obtunditur, siccitas vero major conquiritur ac persistit, Quocirca salsum *moderate penetrat* & incidit, corradendo stimulat & expurgat, valide siccando tenues inchores absorbet, corpora conservat & à putredine tuetur: syncero tamen salsorum usu & nimio, humores & sanguinem labefactari constat. Atque salsus hic sapor secundum naturam fit à calore non admodum acri, sed qui tamen sensim multoque tempore terrenas partes, quæ sunt in aqueo humido, exurit, atque siccat: hinc in salso sapore siccitas major, quam calor deprehenditur. Alius etiam salsus sapor arte præsertim alchymia profertur, ex siccissima planeque terrena materia, quam acerrimus calor extreme, tum exussit, tum assavit. Nullumque corpus est in rerum natura è quo & calcem & proprium salem non eliciant alchymistæ, quem unusquisque gustu percipiat & agnoscat, ut è fuligine, è vini fæce, è nitro, hujus enim axungia appellata, sal est. At vero omnis ejuscemodi impense calidus est, ac in plerisque causticus & qui pro cauteriis usurpatur.

Austerus. *Austerus sapor* os & linguam moderate constringit, & quadam asperitate coarctat; hinc quadamtenus siccat & refrigerat. Hic propropriè crudus appellatur, estque immaturis fructibus *peculiaris*, ut in succo uvæ acerbæ, pomorum, pirorum, mespilorum immaturorum, atque etiam in portulaca. *Consistit* in media materia, quæ terrenæ & aqueæ pariiceps est, in qua non

non calor, sed frigiditas dominatur & exuperat. Ac proinde austerum omne *strenue refrigerat*, extinguit, cogit atque contrahit, fluxiones moderate sistit atque repellit. Hæc autem frigiditate potius atque siccitate efficit, quam materiæ mediocritate. Quum enim in ea ipsa materia naturalis calor dominari cœperit & frigiditatem hanc evincet, quumque vi caloris terrenæ materiæ aquea exquisite permista fuerit & jam maturatio facta apparebit, depulsa austeritate in eadem materia succedet dulcedo. Sic enim crudorum fructuum austeritas maturatione dulcescit, non tam materiæ quam qualitatis mutatione.

Dulcis. *Dulcis sapor* gustu suavis atque jucundus oblectat, nullaque qualitatis exuperantia molestus est. Ejusmodi *conspicuus* est in saccharo, melle, glycyrrhiza, polypodio, jujubis & aliis plerisque fructibus: atque in omnibus lenientibus. Hunc tamen saporem cave ne cum pingui & oblinente confundas: licet enim affinis quodammodo, re ipsa tamen diversus est. Distat autem ab eo non qualitatibus primis, quia uterque temperatus est, aut obscure calidus, sed una materia, quæ in pingui tenuior est, in dulci paulo crassior, sed quæ tamen non ultra mediocritatem procedat. Quocirca dulce quadamtenus, sed minus quam pingue *relaxat*, magis vero asperitatem lenit: præterea quoniam & materiæ, & temperamenti mediocritatem obtinet, anodynum est, maturat, concoquit & pus movet.

Et hi quidē sapores in mediocri sunt materia. nunc de his qui in crassa consistunt.

Amarus. *Amarus sapor* dulci ex adverso oppositus, insuavis ac tristis sensum ipsum velut corradit aut divellit. Eo *insignis* est aloë, deinde absinthium, centaurium minus, & colocynthis: quorum exemplo cætera dignosci possint. *Crassa* ejus est *materia* atque terrena, quam exuperans calor præassavit & exiccavit: omneque amarum calidum siccumque est. Hinc sane præcipua *vis* detergendi & meatus expurgandi ei inest, idque cum calore, non tamen extremo. Quum enim calor penetrando crassiusculam materiam secum deducit, ea quicquid obvium est secum rapit & abradendo expurgat. Et quo amarius medicamentum, eo valentius id efficit. Absinthium quidem moderate: at aloë, aristolochia, centaurium minus, & colocynthis non expurgant modo & abstergent, sed & partes ipsas immodico usu exasperant, atque corrodunt & exulcerant. Hinc aloë ora venarum aperit profunditque sanguinem præsertim ab hæmorrhoidibus, aristolochia interiores disrumpit abscessus, centaurium & colocynthis exulcerant secumque ramenta detrahunt. His autem ut intro sumptis infarctus expediendi, ita & admotis sordida ulcera detergendi & expurgandi eximia vis est. Quinetiam amarum quia siccando supervacuos humores, aut absorbet, aut detergit, & dulcedini quæ putredinis parens est prorsus adversatur, ratione optima putredinem arcet & corpora diu integra conservat.

Acerbus sapor austero finitimus, eo tamen gravior molestiorque est, ac magis linguam omnemque gustum constringit & exarat: ac proinde magis tum siccat, tum refrigerat. Is *luculenter* in malicorio, in galla, in rhoë & cupressi nucibus conspicitur: atque in aliis quam plurimis, quæ acerbitate sunt his proxima. Eorum materia plane terrena est & sicca, nec aquæ, nec humoris manifeste particeps, in qua non calor, sed frigus plane dominatur cum siccitate. Quoniam igitur frigida fluxiones *repellunt*, ut adstringentia humorum impetum sistunt & cohibent, ut siccantia coarctant, atque densant & vulnera cicatrice obducunt, ut vero terrena humores incrassant. *Acerbus.*

Insipidus ἄποιος dictus, qui proprie sapor non est, sed saporis privatio, nulla qualitate manifesta gustum ferit. Tali esse *videtur* farris genus universum, & cucurbita & citrulus, quibus & alia plurima finitima sunt. His materia tametsi crassa quodammodo est, non tamen prorsus terrena & sicca adstringens, sed humore quodam etiam perfusa, qui tamen non exquisite sicco permiscetur vi caloris. Et quum neque ipsius frigoris vis superet, accidit necessario, ut nullo gustu sapor, nulla effectu qualitas aut facultas percipiatur. At nihilominus hæc eorum materia quoniam vere *emplastica* est, meatus omnes & intus, & foris infercit & obstruit, exasperata lenit, & soluta agglutinat. Quanquam autem hic sapori dulci affinis est, distat tamen quod & in paulo crassiore, atque crudiore sit materia, & à temperie *Insipidus.*

perie aliquantum in extremum frigidius devergat, dulcis vero sapor in calidius. Moderato enim ac miti calore bene concoquente plurima dulcescunt, ut fructus. Atque etiam in dulci nonnihil inesse caloris argumento est, quod dulcia non pauca, ut mel vetustate aut coctura amarescunt.

Hi sunt igitur simplices omnes sapores atque synceri, in quibus dignoscendis seorsum exercitari oportet. Ex sapore autem quæ medicamenti temperatura, & quę materia sit cognoscitur: ex his demum quibus id tum primis, tum secundis qualitatibus, ac viribus sit præditum.

Quomodo qualitates ostendant sapores varii.

Quibus vero *sapores varii inesse deprehendentur* ut absinthio, quod præter amarorem, qui primus est obvius, adstrictionem quoq; habere percipitur, diversæ quoq; substantiæ, atque facultates, ut detergendi & adstringendi, seu corroborandi insunt. E contrario A quoq;, si cui medicamento, ut cichorio, facultates inerunt variæ, ut detergendi & refrigerandi, ex variis id quoq; & fere contrariis substātiis & saporibus constabit. Itaq; è sapore sive simplex is est, sive multiplex, de materia deq; facultatibus medicamēti judicari potest. Id autē facile ac certo fiet, si simplex aut exquisitus sapor erit. At raro admodū purus syncerusq; & solitarius invenitur.

Et ubi eas sapor non ostendit, ad experientiam confugiendum.

In quibus igitur *sapor non certo* poterit medicamenti vim atq; facultatem exprimere, *experientia succurrit* ac supplet atq; etiā, si gustu aut ratione videberis facultatem assecutus, eā tamen experimento identidem confirma. Multa enim plerumq; solitaria meditatio & probabilis ratio suadet, quæ usus & experientia coarguit. At ne te fallax experientia decipiat, etiā atq; etiam cave ne effectū, qui per accidens à medicamēto processit, primum ac per se editū esse judices.

CAPUT IV.

Quibus observationibus statuendi sint facultatum ordines.

Vt primarum, ita & secundarum gradus quatuor.

UT in primis, ita & *in secundis facultatibus virium ordines quatuor* habendi sunt: atq; in astringentium vel attenuantium genere, *primæ classis* existunt quæ obscure id agunt, *secundæ* quæ manifeste, *tertiæ* quæ vehementer, *quartæ* quę summe ac extreme.

Rursum uniuscujusque classis seu ordinis & *initium* quoddam est, & *medium* & *finis*.

Singulorum quæ sita latitudo.

Multorum simplicium facultates veterum diligentia & observatione in ordines digestæ sunt, quarum imitatione & exemplo quæ desunt referri in eosdem possunt.

Quæ varient in Medicamentis.

Id autem consideratius & circumspectius agendum, iis nimirum æstimatis & observatis quæ simplicium vires minuunt, vel augent. Ea sunt *regio, tellus, situs, tempus, cultura* & *præparatio*.

Pro diversitate regionis.

Ut enim similes vitis palmites diversis regionibus atque locis depacti diversa vina, ita similia semina, *regione* atque tellure varia, stirpes proferunt facultatibus viribusq; varias. Regio calida & ęstuosa omnia edit profertque acriora & vehementiora: hebetiora vero frigidior & humidior. Origanum hyssopum & satureiam advectas è Cappadocia aut Creta, iis duplo acriores deprehendimus quas nostra Gallia protulit.

Telluris.

Tellus arenosa atque sicca, acriora quoq; edit, quemadmodum inculta atq; deserta: A frigida vero palustris & uliginosa, & quæ multa cultura magnoque labore subigitur, uberiora & lætiora, sed multo ignaviora.

Situs.

Collis *in austrum* declivis præstantiora gignit quam in adversum aquilonē deciduus.

Temporis.

Vere & æstate media stirpes omnes dum multo succo eoque maturo & probe cocto turgent, validiores sunt quam autumni fine, quum deciduis foliis & exhausto succo effœtæ manent: semperque prior germinatio posteriore utilior.

Culturæ.

B Ad hæc tempore frigidarum humidarumque stirpium vis hebescit quum *jam plane inaruerint*: calidarum vero siccarumque invalescit. Etenim althæa aut malva quæ prorsus arida fit, nec humectat, nec probe emollit: neque plantago, aut solanum, aut sempervivum, quum proprio humore destituitur, commode refrigerat. Origanum vero, hyssopus, aut thymus convenienter arefactus, dissipato humore aqueo multo magis, tum calefacit, tum exiccat.

Præparationis.

Præparatio quoq; arte quæsita simplicium vires auget, vel imminuit. Nam calida attenuantia, atq; detergentia, si sensim arefacta & *in pulverem redacta* offerantnr, multo præstātiores habent vires & effectus edunt manifestiores, quam virentium expressus succus: atque hic validior est quam aqua in

qua illa fuerint incocta. Non enim ut quidam prodidit, aqua simplex tanquam communis sit materia omnium quibus permiscetur, cum calidis calefacit & cum frigidis refrigerat, sed perpetuo calidorum & attenuantium, quæ incoquuntur vim obtundit. Quinetiam *coctio* omnis eorum quibus tenuis est materia, vim aut minuit, aut prorsus dissipat: crassorum vero ut metallorum, adstringendi siccandique facultatem auget. *Lotio* quoque incidendi atque detergendi vim aufert, emplasticam vero auget.

Horum igitur atque similium observatione prætermissa, statui certo non potest, quam valida sit ullius medicamenti facultas. In æstimandis autem simplicium medicamentorum viribus, hisque in classes digerendis, veterum imitatione omnia ex mediocri tum loco, tum regione tum præparatione quærenda sumendaque sunt.

Ea autem quantitate sumendum medicamentum, ut in suo gradu constituatur.

Hic porro non minus obscura, quam controversa quæstio existit, *qua quantitate designati sint in medicamentis facultatum ordines.* Quum enim quod secundi est ordinis calidorum aut detergentium, copia majore sumptum, æque valide, vel etiam validius calefaciat aut detergat, quam quod est tertii ordinis, copia & quantitate minore acceptum: constat profecto simplicium vires & ordines ex pari eorum quantitate constituendas esse. Sed quænam ea quantitas est atque mensura? drachma ne an uncia? & quod gradu secundo calefacit drachmæ pondere, si unius unciæ pondere sumatur tertio calefaciet, atque necessario in varias classes erit referendum? Hinc non minus difficilis suboritur disputatio de dosi constituenda medicamenti alterantis, quod nimium aut prima, aut secunda facultate agit.

His dissolvendis non pauci vehementer æstuant, atque rei tam arduæ interpretationem in justi libri magnitudinem auxerunt, quam tamen ita paucis complectar. Medicamenti cujus vim experiri volumus A *quantitas ea sit mediocritate, quæ non protinus exolescat*, aut deficiat. Non enim scintillæ vis & calor quantus sit (summus autem est perinde ac totius ignis) percipi potest, quod prius extinguatur, quam in nos agat neque piperis aut pyrethri minima portio.

Qua non facile exolescat.

Quum autem moderata & jam insignis medicamenti quantitas ad experiundum sumitur, mandendo æstimandum & perpendendum non quantum, aut late, sed quam vehementer aut acriter agat. Piperis enim granum si manditur, os & linguam acrius & vehementius calefacit, quam uncia feniculi: ac proinde piper toto genere censetur feniculo calidius, licet uncia feniculi plures oris partes ac latius calfaciat. B Quæ pari mensura sunt, si pari quoque acrimonia & vehementia agunt, pari statuantur ordine: si vero impar sit agendi vehementia, diverso. Sic igitur ut facultatis robur & ordo designetur, efficiundi qualitas & vehementia spectanda.

Jam vero *in præstituenda dosi alterantis* medicamenti, alterandæ seu mutandæ *partis amplitudo* atque *situs* æstimetur.

Dosin autem alterantis, indicat partis amplitudo & situs.

Affectionis quæ in ea parte est (seu intemperies fuerit, seu obstructio) magnitudo, alterantis medicamenti ordinem præscribit: si enim pars frigida sit ordine secundo, medicamentum opponetur, quod C secundo quoque sit ordine. At qua id quantitate sit offerendum, ex affectæ partis magnitudine, atque situ decernitur. Si magna pars est quæ laborat, aut longe ab occursu medicamenti dissita, largius: si parva aut medicamento obvia, parcius & minore dosi id offerendum est. Crudum aut refrigeratum ventriculum sex octove piperis grana calefaciunt, quæ ad refrigeratum uterum nihil aut minimum contulerint: & æstuantem oculum aquæ rosaceæ semuncia recreat, quæ concalefactum caput nihil juuet. Horum igitur observatione & prudentis medici judicio, alterantium medicamentorum dosis præscribenda.

CAPUT V.

De tertiis medicamentorum facultatibus.

Tertia qualitas. TErtia medicamentorum facultas, de qua mihi dicendum restat, non è temperamento, non è materia, sed è tota rei substantia atque forma primum ac per se proficiscitur: ac proinde occulta totius substantiæ proprietas appellari solet.

Est 1. in evacuantibus. Ab hac *duæ medicamentorum differentiæ* prodeunt: alia enim *evacuantia*, alia duntaxat *alterantia.*

Evacuant, quæ totius substantiæ familiaritate atque similitudine peculiare sibi quiddam proliciunt.

E toto. *Horum* rursus alia *è toto corpore*, alia *ex una quapiam particula* trahunt.

Quæ *è toto corpore*, purgantia dicuntur: & eorum quædam attractum humorem vomitione reddunt, ut asarum & veratrum album, quædam dejectione, ut rheumbarbarum & scammonium.

E parte. Quæ *ex una quapiam parte*, aut ex cerebro, per os atque palatum, ut apophlegmatismi, aut per nares, ut errhina, aut ex utero per cervicem supervacuum humorem trahunt, ut aristolochia.

Cæterum quæ vel *urinas cient*, ut petroselinum, vel *menstruas purgationes*, ut artemisia, vel *excretiones* movent, ut hyssopus, quoniam non attrahendo, sed vel detergendo, vel extenuando atque penetrando, excrementa depellunt, quodammodo evacuantia, non tamen purgantia ritè dici possunt, non enim similitudine trahunt.

Alexipharmacis. At vero *Alexiteria* & alexipharmaca, id est, quæ aut venenum aut deleterium medicamentum proliciunt amoliunturque similitudine, ut schistum lac, agaricum, dissecti pulli gallinacei calentes percussæ parti applicati, scorpius ipse proprii inflicti veneneni alexiterium, jure inter evacuantia connumerantur, nec tamen proprie cathartica dici debent:

Ex alto trahentibus. Hujus quoque classis sunt quæ vulneri foris imposita tela atque spicula evellunt & *evocant*, ut radix arundinis.

Hæ sunt igitur eorum differentiæ, quæ totius substantiæ proprietate evacuant.

Quanquam autem, quæ primis aut secundis facultatibus agunt, *alterantia* proprie nuncupantur, multa tamen tertiis etiam facultatibus, seu tota substantia alterant. *2. in alterantibus.* Ea sunt quæ abdita proprietate totam rei substantiam immutant, atque rem ipsam demoliuntur ac prorsus corrumpunt.

Horum alia sunt *deleteria*, alia *antidota* & antipharmaca. *Quæ vel deleteria,*

Deleteria quidem sunt quæ proprie venena dicuntur. Quum enim venenorum, id est, eorum quæ præsentanea vi nos interimunt, alia id manifesta, sed tamen violenta & excellenti qualitate præstent, ut euphorbium urendo & opium stupefaciendo: alia vero qualitate occulta, hæc sane non illa veneni appellatione complectimur. Hæc igitur totius substantiæ dissidio nobis infensa noxiaque sunt, ut dryopteris, pityocampe & hydrargyros: ut venenatarum bestiarum ceu scorpii, phalangii & rabidi canis ictus. Etenim cum saliva hæ virus ictu ejaculantur, quod sensim intro subiens ac prorepens, in principes tandem partes insilit, earumque vires ac substantiam dirimit. Priora vero intro sumpta quum nequeunt à nostro calore domari atque vinci, hunc tandem omniumque facultatum substantiam pervertunt.

Antidota vero & antipharmaca deleteriis plane contraria sunt, eaque totius substantiæ dissidio sic immutant & obtundunt, ut ne minimum dein nos queant offendere. *Vel antidota.*

Horum alia haustum, vel *injectum venenum*, aut etiam deleterium medicamentum, totius substantiæ contrarietate ac dissidio frangunt obtunduntque aut prorsus extinguunt, ut citrii semen. *Veneni injecti.* In hoc genus pertinent & quæcunque pestilentes aliosque epidemios morbos profligant, aut arcent, ut mithridatium.

Alia *virulentarum bestiarum ictibus* medentur, ut alyssum & pimpinella rabidi canis: quorum ampla est tractatio, & eximia vis medendo. *Ictu inflicti.*

In hoc porro tertiarum facultatum genus referenda sunt quæcunque unicuique *corporis particulæ*, aut juvandæ, aut lædendæ *3. in specificis.*

addicta

addicta creduntur: pro quibus nonnulli frustra quartas medicamentorum facultates induxerunt. Etenim salvia cerebrum idcirco juvat & corroborat, quod illius substantiæ similitudine *familiaris* sit: qua ratione & buglossum cordi, & eupatorium jecori, & asplenium lieni, & scolopendrium vel asplenium lieni gratum familiareque est. At vero totius substantiæ dissidio, atque *repugnantia*, lepus marinus solos pulmones, cantharis vesicam solam exulcerat.

Quæ omnia cognoscuntur experientia.

Tertia hæc medicamentorum facultas, quia extra sensus est humanos, nec sapore, nec odore, nec tactu, nec ullo deniq; sensu nosci deprehendive potest, sed una observatione & *experientia*, quę usu longo & artis exercitatione bene stabilita confirmataq; sit.

Quid sit experientia.

Hic autem apposite *de experiundi ratione* pauca subnectere videbor. Experiri est quippiam effectu probare. Alia enim sensu aliquo comprobantur, quorum est certissima cognitio: alia ratione probabili, quę tamen è sensibus ducta derivataque est: alia usu, & effectuum atque eventuum observatione. Hæc igitur rerum notio, quæ ex crebra eventuum observatione habetur, proprie dicitur experientia: ut alia cognitio sensu, alia demonstratione vel opinione, alia experientia percipiatur, & experiens, qui experientia doctus evasit.

Et quorum.

Ea autem *experientia nosci debent*, quæ nec sensus percipere, nec ratio ulla consequi potest: atque hæc forte sola vel casu deprehenduntur: ac sæpe diuque quæsita, fortuito plerumque inveniuntur & occurrunt nobis. Sic sane & purgantium medicamentorum & alexipharmacorum cognita vis est. Non quod semel duntaxat, sed quod identidem, atque similiter & eadem rerum omnium concursione sæpius evenerit, experientiam gignit. Quumque effectus aliquis sæpius observabitur ex causa quapiam proficisci (cavendum tamen ne causarum similitudo nos eludat) vis hujus atque facultas erit experimento cognita. At nihilominus ex aliquo experimento interdum affinitate rerum ducimur in alterius experimenti investigationem.

CAPUT VI.

De Medicis ponderibus & mensuris.

Pondera ut apud omnes eadem habeantur,

Rerum omnium æstimatio, aut numero fit, aut pondere, aut mensura. Numeri una est & eadem apud omnes ubique gentium ratio, non etiam ponderis aut mensuræ, sed maxima horum varietas, & uniuscujusque ditionis suum pondus suaque mensura, patrio nomine insignita. Sed tamen quoniam re. um omnium maxime, quæ ad medendi usum comparantur, certas & communes esse leges oportet, certa quoque & omnibus *communia decet esse pondera*, ut una lege, una sit omnium gentium consensio.

Minimum debet haberi granum.

In id autem stabiliendum in primis est pondus *minimum* ceu minutum, è quo (velut in numeris ab unitate) additione continua aucto prodeant cætera pondera. Id quidem est *granum* omnium ponderum minimum, è quo fiunt obulus, scriptulus seu scrupulus, drachma, uncia, libra & quæ ex his componuntur, semuncia, sescuncia, selibra, sesquilibra.

Granum igitur cui tanquam basi reliqua innituntur pondera, ratum constansque esse decet: neque id granum esse hordei, neque tritici, neque ciceris, neque frugis ullius, aut leguminis, quod nullius par sit ubique gentium pondus. At vero *numarium minutum*, quod aurifabri granum appellant, & Latine momentum dici potest, omnibus mundi nationibus unum idemque est & stabile: quod auri sacra fames & opum furiosa libido, inviolate & incorrupte servat, idque signis & exemplaribus undique identidem collatis.

Numarium:

E quo reliqua pondera nascuntur.

Hoc igitur nobis sit omnis ponderis initium: *è quo medicinarum pondera* recepta nunc lege *stabilita* sunt hoc pacto.

Obolus ℈ß	pendet		g̃.x.
Scriptulus seu scrupul.	℈j.		g̃.xx.
Drachma	ʒj.	℈.iij.	g̃.lx.
Semuncia	℥ß		ʒ.iiij.
Vncia	℥j.		ʒ.viij.
Sescuncia	℥.ß.		ʒ.xij.
Quartarius seu quadr.	quart.j.		℥iij.
Selibra	℔ß		℥.vj.
Libra	℔j.		℥.xij.
Sesquilibra	℔j.ß		℥.xviij.

Ita

Diversa à nummulariis. Ita numarium pondus quod non modo numularii, sed & mercatores usurpant, *vulgare medicum superat quincunce*: estque ad id proportione sesquiquinta Geometris appellata. Nam drachma numaria pendet g.lxxij. & uncia quæ drachmis quoque his octo constat, pendet drachmas medicas ix. & g.xxxvj. sive unciam medicorum unam cum drachma una & granis triginta sex: libra vero numaria quæ unciarum xij. (nam est ubi xiiij. est ubi xvj. aut xviij. aut xx. uncias habet) pendet medicorum ℥ xiiij. ʒ iij. & g.xij.

Tractaret tamen Medicos illis similia habere. Atque hæc ita licet pharmacopolarum & recentium medicorum usu recepta confirmataque sint, certiora tamen & iniquitati ac fraudi minus opportuna pondera retinere si velimus, in ea re præsertim in qua vel levissimum detractum momentum non solum errorem, sed etiam periculum creare potest, *præstiterit*, ut momentum numarium, ita & *cætera inde prodeuntia pondera usurpare*, ut una eademque sit ubique gentium certa & constans medicis & pharmacopolis ponderum mensurarumque regula, quæ & aliis omnibus. Itaque obolus grana xij. semiobolus sex, scriptulum xxiiij. drachma septuaginta duo pendebit, cæteraque ad horum proportionem.

Vt habuerunt veteres. Quæ ponderis ratio *veteribus medicis usitata* fuit, in scriptulo xxiiij. grana constituentibus: quod τὸ γράμμα vox pro scriptulo Græcis usurpata aperte demonstrat. Propterea enim γράμματα ipsis appellantur, quia tot minutis scriptulum constat, quot nimirum apud eos sunt literarum figuræ. Idem ratio quoque ipsa comprobat. Quum enim scriptulum siliquas sex pondere æquet, & siliquam σιτάρια quatuor æquent, scriptulum quatuor & viginti frumenti grana pendeat necesse est. Antiquum autem pondus imminutum & adulteratum propolarum avaritia fuisse credibile est, qui quam possunt maximo coëmunt pondere, quæ postea divendant quam minimo.

Quænam pondera habuerint veteres. Hæc igitur pondera sunt, quibus hodie omnia referuntur ad lancem, ut aliis frustra sit opus.

At ne iis deesse videar, qui veterum ponderum interpretationem desiderant, illa quoque paucis complectar atq; subjiciam, quę *Græcis*, *Latinis* & *Arabibus* usurpata fuere.

Pondera.

Granum numarium basis omnium ponderum, tanquam minutum & λεπτὸν, ob id minutia appellatum.

Chalcus sive Æreolus } pendet g.ij, siliquæ dimidium.

Siliqua Latinis, ceration & dichalcum Græcis, kirat Arab. } pendet g.iiij. chalcos duos.

Semiobolus, ἡμιωβόλιον, dau ic Arab. } pendet g.vj. ereola tria, siliquam unā dimidiam

Obolus Onolosat Arab. } Scriptuli dimidium, pendet g.xij. seu siliquas tres, chalcos sex.

Scriptulum, gramma Græcis & διώβολον dictum } pendet g.xiiij, seu obolos duos, chalcos xij.

Semidrachma, sive τριώβολον, ilarium Oribasio, victoriatus Scribonio & Celso. } pēdet g.xxxvj. Sesquiscriplum.

Drachma Attica, holce quoq; Græcis dicta, unciæ pars octava, } pendet g.lxxij. scrupulos tres, obolos sex.

Denarius Romanus paulo gravior est drachma, ut denarii duntaxat septem sint in uncia. Hincque Celsus & Scribonius, qui pro drachma vertunt denarium, septem solum drachmas ponunt in uncia: Plutarchus tamen, Galenus & Plinius dum Latina aut Græca transferunt, denarium drachma, & drachmam denario, quasi nil differant, reddiderunt, pro unciæ parte octava.

Sextula
Hexagium
Aureus
Solidum } pars sexta unciæ, pendet scrupulos quatuor.

Sicilicus pro didrachmo apud Scribonium pendet ʒij. Assarius & ἀσσάριον quoque appellatur quod duodenis obolis, sicut as unciis constet.

Duella sextulas duas ℈.viij.

Stater est semuncia ℥ß seu ʒiiij. Dupondium quoque dicitur, pendetq; Assaria duo.

Vncia Attica libræ pars duodecima pendet drachmas octo, seu tradente Celso denarios Romanos septem.

Romana libra
Pondo
As } pendet uncias xij. sive drachmas xcvj.

Mina sive Mina Attica paulo gravior est, pen-

pendetque drachmas centum, seu uncias xij. cum dimidia.

A Quanquam autem proprie as libra dicitur, plerumque tamen & rem unamquamque solidam & integram significat: utque libra ita res quæque in partes xij. distribuitur quæ totius sunt unciæ: aliæ vero partes sic Latinis appellari solent:

As, libra, res ipsa tota.

Vncia pars assis seu totius duodecima.

Sextans	unciæ	duæ.
Quadrans		tres.
Triens		quatuor.
Quincunx		quinque.
Semis		sex.
Septunx		septem.
Bes & octunx		octo.
Dordrans		novem.
Dextans		decem.
Deunx		undecim.

Mensuræ.

Quasuam mensuras liquidorum. Jam vero *de mensuris*: quoniam magna in his & incerta est varietas, recte quidem videntur exolevisse, ac pro illis concavis quibus, tum arida, tum liquida veteres dimetiri solebant, libras & pondera nunc passim medici usurpant: nisi forte quum virentes herbas præstituunt, quarum non adeo exquisitum pondus desideratur: has enim pugillis & manipulis mensurant.

Manipulus m. quantum manu comprehenditur.

Pugillus p. quantum digitis tribus capi potest.

Potest tamen quisquis volet concavas mensuras ad liquores præsertim sibi comparare, easque ponderibus coaptare, ut alia sit libræ unius, alia duarum, alia trium, aliæque aliorum ponderum capaces.

At nihilominus *veterum mensurarum*, quæ tum aridis, tum liquidis accommodabantur, hic interpretationem subjiciam.

Cochlearium mensura minima, capit vini mediocris substantiæ seu flavi ʒij. & ℈ß.

Cheme, mediocre seu minus cochlearium, capit cochlearia parva ij. seu ʒij. ℈j.

Mystrum, seu cochlearium magnum ligulæ par, cochlearia parva ii. ß. seu ʒij. ß.

Concha, mystra ij. chemas ij. ß. seu cochlearia v.

Cyathus, conchas ij. mystra iiij. cochlearia x. seu ℥j. ß.

Acetabulum, græcis oxybaphon sesquicyathum, conchas iij. mystra vj. cochlearia xv. seu ℥ij. ʒij.

Quartarius, τέταρτον ἡμικοτύλιον sextarii pars quarta, cyathos iij. cochl. xxx. ℥. iiij. ß. oxybapha ij. mystra xij.

Hemina, seu cotyle, seu tryblium & ἡμίξεστον, dimidia sextarii pars, hemisextarius Parisiensis: continet quartarios duos seu ℥ ix. cyathos vj. oxybapha iiij. mystra xxiiij. cochlearia lx.

Sextarius Gæcis ξέστης, mensura omnium usitatissima, congii pars sexta, heminas duas, quartarios quatuor, cyathos xij. seu ℔. j. ß. chopina est Parisiensis.

Chœnix Græcis, modulus Latinis, sesquisextarius est, ℔. ij. ℥iij.

B *Congius*, Græcis Chus, sextarios sex, ℔. ix. quartarios xxiiij. Pintæ tres sunt Paris.

Vrna congios quatuor, sextarios xxiiij.

Amphora Quadrantal } idem, urnas duas, sextarios xlviij.

Metretes & Ceramium Græcis, Cadus Latinis } capit congios seu choas xij. sesquiamphoram, sextarios lxij. seu ℔. c. viij.

Culeus capacissima Romanorum mensura, continebat amphoras xx. sextarios 960. congios 160. urnas 40.

Aridorum vero *mensuræ* Romanis hæ fuerunt, quæ & liquidorum communes erant præter modium. *Aridorum.*

Ligula par mystro,	
Cyathus capit	ligulas iiij.
Acetabulum	ligulas vj.
Quartarius	acetabula duo.
Hemina	acetabula iiij. ligul. xxiiij.
Sextarius	hem. 2. quartarios iiij. acetabula octo.
Semodius	sextarios octo.
Modius	sextarios sedecim.
Medimnus	chœnicas 36. sextar. 72.

C Hæ liquidorum mensuræ vino præsertim dicatæ fuerunt, quod si mediocris est substantiæ, referetur ad id quod dixi pondus. At quoniam *oleum* levius est *vino* parte nona, *mel* vero gravius vino parte dimidia, quæcunque mensura capit mellis uncias xv. capit vini uncias x. & olei ix. Eaque proportio in mensuris omnibus observanda: quæ si iniquæ fuerint, pondus quod minime unquam fallax est est, iis erit pro lege.

CAP.

CAPUT VII.

De componendorum medicamentorum cauſis.

Medicamentum aliud ſimplex, Vel unica qualitate præditum,

VT morborum ita *medicamentorum genus duplex* ſtatuendum, unum *ſimplex*, *compoſitum* alterum.

Simplex medicamentum appellatur, quod ſponte ſua tale exortum eſt, nihil noſtra adeptum induſtria.

Hoc autem alias *unica*, alias *pluribus*, tum *ſubſtantiis*, tum *facultatibus* præditum eſt.

Vnica, ut piper, pyrethrum, euphorbium, quorum ſubſtantia omnis prorſus tenuis calidaque eſt.

Vel pluribus.

Pluribus, ut roſa & abſinthium, quæ mediocri ſubſtantia detergunt, craſſa & terrena corroborant: & rheumbarbarum, quod tenui purgat, terrena alvum & ſanguinem ſiſtit. Hoc eorum genus poſſis quodammodo, nempe natura & prima origine, compoſitum appellare, quod varias illas tum ſubſtantias, tum facultates ortu ſint nacta.

Aliud medicamentum compoſitum. Et quale,

Cæterum hoc loco *compoſitum dicimus*, quod non ipſo ortu, ſed arte operaque noſtra tale evaſit, ut theriace, mithridatium & quodcunque ex multorum permiſtione conſtat. His tamen non ars vires contulit, ſed duntaxat ſimplicia convenienter miſcuit, è quorum actione mutua nova & incomperta vis tandem emerſit.

Compoſitionis medicamentorum neceſſitas.

Miſcendorum autem & componendorum *medicamentorum* magna fuit tum ad ſimplices, tum ad compoſitos morbos *neceſſitas*. Simplicem morbum ſimplex plerumque medicamentum, quod paribus ſit viribus, tollit. Quumque ſimplex aliquod citra ullam corporis & virium offenſionem morbum prorſus depellat, quia omnium præſtantiſſimum, nulla compoſitio permiſtione quærenda: neque quod ſimplici effeceris, compoſito tentandum. Etenim compoſito prius eſt ſimplex, & certius & exploratius, neque ejus quod vel optima ratione compoſitum ſit, ante experientiam tutus ac certus uſus eſſe poteſt: nam multa plerumque nos conſentanea putamus, quæ permiſta tacitis ſeſe viribus perimunt atque demoliuntur. Optimum igitur & in primis conducibile ſit, ad unumquemque affectum ſimplicem præſtantiſſima ſimplicia tanquam remediorum baſes accommodare, & in promptu habere, non guſtu modo & ratione, ſed experimento quoque & uſu longo comprobata.

Prima, defectus ſimplicis morbo paris.

At vero quoniam non ſemper cuique morbo peculiare remedium licet opponere, ad ſimplices etiam affectus multis de cauſis neceſſaria fuit medicamentorum permiſtio. *Prima* quum, ut dixi, ſimplex medicamentum *deeſt* curando *morbo prorſus oppoſitum*: ejus enim penuria compoſitum uſurpamus, cujus vires ſint morbo pares. Ut quum intemperies affligit numeris duobus à mediocritate diſtans, ſi nullum in promptu medicamentum ſit frigidum ordine ſecundo, duorum quæ primi & tertii ſint ordinis pares portiones temperatæ, compoſitum efficient ordinis ſecundi & depellendo morbo accommodatum. Eadem in detergentibus, attenuantibus atque cæteris permiſcendis eſt ratio.

Secunda, ſimplicis

Altera componendi cauſa ex ſimplicis medicamenti vitio depromitur, quod aut *imbecillum* eſt, aut *malignum*.

Imbecillum ſeu ignavum ac pigrum, acrioris permiſtione excitatur, ut rheumbarbarum ſpica vel cinamomo, ſenna ginzibere, agaricus & turbith ginzibere quoque aut ſale gemmeo: aloë aſaro, ſpica xylobalſamo: abſinthium cinamomo: & quorum vis in craſſiore materia fixa inhæreſcit, ſi altius aut longius deducenda eſt, attenuantium aut acrium adjectione impellitur. Nonnunquam tamen & hæc agendi celeritas præparatione comparatur, præſertim tritura vel coctione. Aſarum enim aut piper aut calaminthe, diligenter trita cribroque tenui creta, longius penetrat, validiuſque aperit ac digerit. Aes quoq;, chalcanthum, alumen, aliaque metallica, uſtione tenuitatem acrimoniamque nanciſcuntur.

Aut malignitas.

Quod porro *malignum*, aut pravum medicamentum fuerit (ſi qua ejus utendi neceſſitas eſt) benignioris permiſtione obtunditur: ut ſcammonii atque etiam aloës acrimonia maſtiche, tragacantho, cotoneo malo, roſis phœnicobalanis: venenata qua-

qualitas, dictamno, scordio: ellebori nigri malignitas, aniso, dauco, cumino: æruginis ad malignorum ulcerum detersionem acrimonia retunditur olei & ceræ permistione in Æpyptiaco, aut aquis adstringentibus: vis opii narcotica ne quid officiat, castorio & croco emendatur: hæc quoque correctio interdum præparatione fit, ut, ne aloës acrimonia venas exedat, lotione eximitur, & æs ustum lavatur, ut fine morsu cicatricem inducat.

Tertia, partis affectæ situs,

Tertia componendi causa ex affectæ partis substantia, situ, præstantia atque sensu existit. Quum enim pars *densa longeque* à remediis *dissita* fuerit, ut ren & uterus, plerumque attenuantia basi permiscemus quæ eo penetrent, plerumque alia quæ substantiæ familiaritate basim, id est, præcipuum simplex medicamentum eo dirigant: ut, medicamentis cephalicis betonicam, pulmonicis hyssopum, cardiacis buglossum, hepaticis agrimoniam; splenicis scolopendrium, hystericis artemisiam.

Præstantia, sensus,

Pars quoque *nobilis*, aut exquisiti sensus, (si basis vehementior fuerit) aliud quiddam sibi tota substantia familiare misceri postulat, & quod se suumque robur conservet. Ea propter quæ visceribus accommodantur medicamenta, corroborantibus fulciuntur, & quæ sub alimenti sunt specie, ut medicata vina, quia minus molesta, cæteris antecellunt.

His igitur de causis simplex affectus compositum plerumque medicamentum postulat.

Quarta, in morbo composito ejus varietas.

Quarta & omnium maxime necessaria componendi causa est *affectuum varietas.* Quot enim simplices ii fuerint, totidem facultates iis opponentur, neque ulli simplici vis est depellendi compositum affectum: quandoquidem simplex simplici, non autem composito contrarium est. Si quod ortu simplex varias tum substantias, tum facultates sortitum est, ut satis sit composito affectui tollendo, bene est: sin minus, permiscenda tot erunt simplicia quot facultates expetuntur.

Causæ & symptomatis conjunctio,

Si simplex quidem est morbus, sed quem vel sua interior *causa* ut humoris lentor, vel *symptomatis gravitas*, ut doloris sævitia comitatur, necessaria est medicamenti compositio, quæ in singulos affectus referatur atque pertineat.

Sive morbi in eadem parte sint, sive in diversis.

At multo magis si multi iique dissimiles morbi, ut intemperies & obstructio in *eandem partem* concurrant: aut etiam si *partibus* ii *diversis* insideant, ut jecoris calida intemperies, renum calculus, & uteri obstructio menses supprimens. In his igitur necesse est medicamentum ex iis componatur quę singillatim unumquemque affectum depellant.

Quum multæ compositionis bases collectæ fuerint, addenda fortassis his rursus erunt quæ singulas illas vel adjuvent, vel emendent: ut jam inde non parvus simplicium numerus accrescat. Sic enim fiunt quæ polychresta medicamenta veteres appellarunt.

Secundaria quædam causæ compositionis.

Hæ igitur causæ quatuor, nempe simplicis medicamenti penuria, ejus perversitas, affectæ partis conditio, & affectuum varietas, efficiunt ut necessaria fit medicamentorum compositio. Sunt & aliæ quædam *causæ*, *non* eæ tamen *necessariæ*, sed vel *utiles*, vel *jucundæ*.

Medicamenti forma.

Utilis quidem est *medicamenti forma*, quod solida potentius trahat, liquida commodius penetret & eluat. Quocirca medicamentum in catapotiorum formam accommodamus, quum potentius è capite & è distantioribus locis trahere: in potionem vero, quum ventriculum & præcordia expurgare, & in omnia penetrare consilium fuerit: sic quoque si dolor leniendus est, aut emolliendum quippiam est, unguentum: sin vero evocandum quippiam aut digerendum est, emplastrum potius usurpamus. Adde quod quadam utilitatis specie medicamenti formam utentis consuetudini aut naturæ plerumque aptamus, quod alii catapotia, alii bolos, alii potiones penitus aversentur: ut etiam utilem medicamento formam demus, quædam interdum adjicienda sunt, ut potioni hydromeli, unguento oleum, emplastro cera vel lithargyros, quæ nullas vires, sed formam duntaxat exhibet.

Suavitas.

Iucunditas porro quoad licet medicamentis comparanda modo ut illorum vim & facultatem non tollat: tristia enim & horrenda nec sumuntur facile, nec continentur, sed ventriculum evertunt, corpus conturbant, ac plerumque animi defectione vires exolvunt. Comparatur autem medicamento

Color, to jucunditas colore, odore, sapore. Ad *colorem* & tenuitatem, purgãs medicamentum in tenui & puro liquore maceratur, quædam foliis auri integuntur, cerusa unguentis additur, ut albescant. *Odor,* Ad *odoris* gratiam medicamentis addimus anisum, daucum, cinamomum, caryophyllum, nucem moschatam, & ipsum quoq; moschum, aut ambarum. Externis quoque spicam nardi, iridem, cyperum, malabathrum, amomum, costum. Hæc enim odoris jucunditate non modo oblectant, sed & corroborant, & corporis spiritus vehementer reficiunt, animumque exhilarant. In *saporis* suavitatem *Sapor.* (qui quam odor magis ventriculum & præcordia recreat) amara medicamenta, melle vel saccharo leniuntur, nimium dulcia succo limonum, vel aceto, vel succis austeris, ut nempe expetet laborantis gustus: cathartica in vino, & liquore rosarum stillaticio macerantur, additis aromaticis: eadem quoque ex carnium jure sumuntur.

Hæ igitur causæ sunt omnes quæ medicamento, quod basis appellatur, nonnulla adjicere cogunt, ex quorum permistione & coagmentatione quædam fit compositio.

CAPUT VIII.

Lex & methodus componendorum medicamentorum.

In compositione medicamentorum primum basis constituenda est. VT methodo quadam apta fiat medicamentorum compositio, *basis in primis constituenda est*, id est, medicamentum simplex in compositione præcipuum & velut columen, cui cætera innitantur, profligando affectui accommodatissimum, ejusq; tum *qualitas*, tum *quantitas* designanda.

Qualitas quidem *ex affectus* qui præter naturam in corpore fuerit *specie*: *magnitudo* ex illius *magnitudine*, & ex laborantis *partis natura* atque *conditione* præscribetur.

E quibus. Ut quum frigidus erit affectus, medicamentum pro basi statuetur atque eligetur calidum: atque si ordine secundo frigidus est, id à mediocritate in contrarium pari ordine recedet. Si pars quoque affecta profunda fuerit, aut longe dissita, densa, obtusi sensus, atque ignobilis, hinc basis facultas augenda erit, ut vires omnino pares in ipsam affectus substantiam exerceat. Partis quoque dignitate æstimata, medicamentum quærendum quod ei consentaneum sit, eamque singulari quadam familiaritate juvet. Horum observatione basis designabitur affectui contraria, eique par viribus, & affectæ parti consentanea.

Oportet igitur medicinam facturo, selecta omnis generis remedia ad unumquemque affectum & ad partem affectam accommodata, undique ratione & experimento cognita comparentur, ut quasi in promptuarium recondita ac seposita suppetant ad usus. Atque in primis si simplex & solitarius morbus sine causa interiore, sine symptomate proponetur curandus, simplex depromatur medicamentum, quod depellendo illi par sit viribus, & partem juvet, aut saltem non offendat. Si simplex nullum par morbo suppetet, ex multis unum tale comparetur, quæ aut similium, aut etiam contrariarum sint virium.

Si *basis* quæ sit arte constituta omniumque optima, fuerit nihilominus vel *ignava* nimis, vel *maligna*, vel *minime* ad partem sit *accommodata*, aliorum permistione juvetur, & reliqua, ut dixi, attexantur, quæ illius effectum opusque prosperent, ac promoveant. *Quomodo reliqua basi addenda.*

Basis si non quantitas, vis saltem summa atque præcipua in compositione esse debet: neque enim theriaci pastilli, neque euphorbium, neque scammonium in compositionibus quæ ex iis constant, cæteris quantitate, sed tamen viribus antecellunt. Cæterorum quæ basis effectum felicitant, tum quantitas, tum vis minor sit, ut neque in affectum, neque in partem insigniter agat, sed in solam basim, cujus tamen vires minime pervertat. Eorum vero quæ melioris usus, ut odoris saporisque gratia induntur, multo quidem minus vis elucere debet aut basi obsistere.

Jam vero si *morbus* simplex quidem est, sed quem interior quædam *causa fovet*, aut aliquod *grave symptoma* comitatur uniuscujusque profligandi constituenda quoque basis est, cujus etiam quantitas ex affectus magnitudine designetur, ut quo vehe- *Qualis basis constituenda, si morbo causa adsit vel symptoma,*

mentior is fuerit, validiorem quoque baſim ſortiatur. Atque ſi uno eodemque tempore his omnibus quę pręter naturam concurrunt pariter occurrendum eſt, confuſæ baſes in quandam compoſitionem referantur, quæ una vice fit omnium. Si quid vero eorum magis videbitur urgere, in id quoque magis ac præcipue remedio valentiore incumbendum.

Si varii morbi in eadem parte,

Si præterea morbi complures *in unam eandemque partem* concurrant, cum omnibus unum æque poſſit remedium opitulari multo magis compoſitum id eſſe oportet, & eo ratione quam dixi & variis baſibus atque ex iis quæ illas conſtabiliant ac undique perficiant conſtitui.

In diverſa.

Si *in varias* longeque *diſſitas partes* varii morbi inciderunt, non æque neceſſaria eſt compoſitio, cum ſua cuique remedia ſeorſum pura aptari poſſint.

Hæc componendorum medicamentorum methodus eſt, ex ipſa quoque methodo medendi deprompta, quæ morbo depulſo, corpus in naturalem habitum reſtituit. Hic autem obiter *dubitare licet*, utilis ne ſit *multorum* ejuſdem facultatis ſimplicium *permiſtio*. Empiricorum vetus is mos fuit, in eundem uſum & effectum multa undique ſimplicia congerere, ut unum ſaltem ex multis in compoſitione exiſteret, affectui curando proprium, & laborantis naturæ conſentaneum. Hanc & nunc rationem plerique ſectantur, qui neque affectus ſpeciem, neque magnitudinem inveſtigant, neque laborantis naturam, neque remediorum vires aut ratione aut uſu compertas habent.

In ſimplici morbo compoſita baſi uti.

Licere in primis & ſecundis qualitatibus,

De his vero ita ſtatuendum: Si *prima* aut etiam *ſecunda* medicamentorum *facultas*, ut calefaciendi, refrigerandi, molliendi, incidendi, detergendi, aut ſimilis quædam compoſitione quæritur, complura hiſce facultatibus prædita apte commiſceri poſſunt: atque tametſi complurium vires non ſint, quam unius efficaciores, in eundem tamen effectum conſentiunt, nec ſeſe perimunt: ut plantaginis, ſolani, lentis paluſtris & ſempervivi commiſtio: aut ex malva, althæa, & helxine compoſitio.

Non in tertiis.

Cæterum ſi *tertia* quædam qualitas compoſitione expetitur, *non æque* certo aut tuto multa & varia permiſcueris. Cum enim e- A juſcemodi qualitas obſcura quodammodo ſit, nec ſenſibus deprehenſa, quæ ex multorum confuſione emerget, admodum incerta atque anceps erit, nec niſi experimento vel obſervatione comprobari poteſt. Tametſi enim quædam ſeorſum comperta ſint ſimiles effectus edere, plerumque tamen tacitis etiam quibuſdam viribus omnino diſſentiunt, ut idcirco ſi in unam eandemque compoſitionem concurrant, non ſeſe juvent atque corroborent, ſed contra perimant atque pervertant.

Niſi vere conſentiant.

Non igitur poſſunt compoſitionis tacitæ vires ex ſimplicium viribus conjici, niſi etiam *uſu compertum ſit, ea* ſibi omnino *conſentire*. Ut enim non omnia quæ dulci ſunt ſapore, ſi concurrant, dulcem jucundumque ſaporem proferunt: neque vini Cretici & B pomacii, & lactis, & mellis (quæ ſeorſum ſingula palatum juvant) permiſtorum ſuavis eſt & gratus ſapor: neque omnium quæ ſeorſum ſuavem ſpirant odorem, ſi confundas, ſuavis quoque odor evadet: ita neque omnium quæ adverſus venenum ſeorſum deprehenſa ſunt vires habere, permiſtio atque compoſitio ratione cenſeri poteſt priſtinas aut æque validas vires retinere. Quod enim fuerat in ſingulis, raro deprehenditur in miſtis: denuoque debet compoſitio etiam obſervatione comprobari.

Medicamenta priſtinas vires retinent.

Exiſtit huic affinis & *alia quæſtio*, an quæ diverſarum virium permiſcentur, ſingula priſtinas *in compoſitione vires retineant* eaſque adhibita nobis exerceant. Conſtat quidem, C veteres phlegmonarum incremento adſtringentia diſcutientibus miſcuiſſe: ut ſimul pares vires exererent. At qui fieri poteſt, ut contraria illa confuſa non ſeſe mutuo retundant?

In compoſitis recentibus.

Hæc igitur diluenda ſunt. Cum *recens eſt* eorum *permiſtio* utraque priſtinas ſuas vires integras retinent, eaſque adhuc ut ante exerunt. Neque in his modo quæ foris adhibentur, ſed & in his quæ intro ſeu potionis ſeu antidoti forma ſumuntur. Nonnulli vim quandam in nobis ſtatuerunt diſcretricem, quæ ſingula illa antequam ſint perfecte confuſa, ſecernat in nobis, & quæ ſingula ſuis aptet partibus atque affectibus, eaque in proprios uſus referat & accommodet: quemadmodum & iidem ſentiunt, vim

Avicen.

vim illam discretricem, ex simul permistis diversis alimentis, quid parti cuique conveniat attribuere.

Non invoteratis. At vero cum multorum in *compositione jamdiu facta est* confusio, atque ea quam juniores fermentationem appellant, mutua actione omnium quædam coitio atqne concursio evaserit, pristinæ singulorum vires non amplius integræ manent, neque illas potest facultas ulla discretrix in nobis sejungere: sed pereuntibus & extinctis singulorum viribus, novæ prorsus emergunt, ex illarum tamen concursione profectæ. Quæ autem hæ sint novæ vires, ex primis quidem atque secundis qualitatibus quænam fiant, potest ex simplicibus ipsis conjici. Ex tertiis vero quænam summa facultas oriatur, quæ totius compositionis formam atque totam substantiam comitatur, cum ex simplicium occultis viribus illa prodeat, non nisi experimento disci cognoscique potest.

CAPUT IX.

De medicamentorum formis, eorumque eliciendis viribus.

Forma Medicamenti alia aliis utilis. FOrmæ tum sumendi, tum admovendi medicamenti, quam compositionis longe *diversa est ratio*: magnique refert qua forma quodvis seu simplex seu compositum medicamentum administres. Nam præterquam quod alios aliæ formæ delectant, aliæ etiam formæ tum ad partes affectas, tum ad morbos accommodatiores sunt, neque formarum pares sunt omnium vires, quandoquidem ad extenuandum atque penetrandum convenientior est liquida, ad corroborandum & adstringendum solida. Quæ talia sumuntur qualia sponte prodierunt, sive recentia, ut holera & acetaria, sive arefacta, ut siccæ radices vel stirpes, nondum formæ cujusquam dicuntur conditionem adepta.

Primæ *formarum differentiæ* inde *depromptæ* sunt, quod medicamenti, tum simplicis, tum compositi, *alias ipsa substantia* & materies, *alias vis* ejus præcipua atque facultas arte elicita suggeritur.

Solida ad adstringendum. *Vim* ipsam atque facultatem interdum ipsi *materiæ permisceri*, in eaque contineri confert, ut in medicamentis adstringentibus, corroborantibus & siccantibus: interdum

Liquida ad attenuandum. vero *à materia secerni*, ut in medicamentis attenuantibus, diaphoreticis & purgantibus, quod crassior illa & compactior materia viribus obsit.

In quibus sit solida? Ita *forma omnis*, aut *solida* est aut *liquida*.

Solidarum prima atque simplicissima est pulvis, qui deinde & ipse in alias coaptatur formas: quales sunt pastillus, electuarium, tum liquidum, tum solidum, catapotium, bolus, eclegma seu delictus, antidotus multiplex, recentioribus confectio appellata: partim enim aromatica est & analeptica, partim opiata & anodina, partim cathartica, partim antipharmaca: conditum simplex, conditum compositum: ex quibusdam autem horum liquore quovis solutis potiones fiunt medicæ.

Quæ vero solam medicamenti facultatem retinent *formæ* fere *liquidæ*, hæ sunt, liquor stillaticius, infusum seu dilutum, & universum factitiorum vinorum genus, jus seu decoctum, emulsio, medicatus succus, sapa seu rob: è quibus & aliæ comparantur, julepus, syrupus, apozema. Ex his quoque varie commistis potiones fiunt medicæ, clysteres, glandes, pessi, noduli. *In quibus liquida?*

Externorum medicamentorum formæ eadem possunt methodo institui: pulvis inspergendus, fomentum siccum, sacculus, fomentum humidum, insessus, balneum, epithema, collyrium, mucilago, embrocha, oleum, ceratum simplex seu illitus, unguentum, puls, cataplasma, emplastrum. *Externorum medicamentorum formæ quæ?*

Cauterium autem, errhinum, gargarisma & apophlegmatismus, facultatum potius quam formarum sunt nomina.

De singulis ergo hisce formis *particulatim tradendum*, & explicandum, *qua ratione*, & *qua simplicium proportione* præscribi temperarique debeant. *Quid de iis tenendum?*

Simplicium autem cognitio, collectio, delectus, expurgatio, conservatio, præparatio, correctio & miscendi industria, seorsum ad pharmacopœos referuntur ac pertinent: quorum tamen in primis & medicum gnarum peritumque esse oportet si qui-

quidem apud artis ministros auctoritatem dignitatemque suam retinere ac tueri velit: quos docere hæc ipsa debet, quemadmodum componendorum medicamentorum formula ad pharmacopolas ostensuri sumus.

Formarum ergo rationes atque vires expositur, à liquidis auspicemur.

Liquida quomodo fiat?

Quas veteres olim medicamentorum facultates memoriæ prodiderunt, eas in integris illis primum quidem sunt experti: alii postea, ut laborantium deliciis subscriberent, eas varie crassiore terrenaque materia sejunxerunt: ut *destillatione, infusione, decoctione,* & *succi expressione.*

Destillatione,

Lib. 4.

Quum autem in physiologia demonstratum sit, stirpis cujusque materiam humorem continere alimentarium, & alterum primigenium, in quo præcipua vis inest, aqua stillaticia alimentarii humoris portio est tenuior: quæ si sine odore & sine sapore est, nullas; sin odorem saporemque stirpis retinet, exiguas illius vires habet. Oleum vero humidi est primigenii portio aërea, atque ut illius odorem saporemque, ita & vires plurimum refert, quarum tamen non parum ignis vi dissipatur & evanescit.

Elixatione,

Elixatione facultas (quæ præsertim in crassiore materia inhæret) manifestius evocatur, atque in jus ipsum transfertur: quæ vero in tenuiore consistit, tota plerumque dissipatur ac disperditur.

Infusione.

Infusio vim multo majorem transfundit in quemvis accommodatum humorem, nihilque aut minimum dissipat tenuioris substantiæ, quod sensim blandeque fiat, nulla vi immodici caloris.

Expressione.

Expressione qui quasi plantæ sanguis citra liquoris alieni permistione succus extorquetur, nulla videtur illius facultate destitui.

Quomodo haberi possit vis refrigerandi & humectandi.

Sed hæc rursum planius ex facultatum discrimine distinguam.

Refrigerandi, humectandi, emolliendi atque relaxandi facultas, in foliis virentibus & humore multo præditis, & in fructibus atque seminibus inveniri potest. Neque enim plantago, neque solanum, neque sempervivum, si exaruit, manifeste refrigerat, neque althæa, aut malva, aut helxine arefacta manifeste humectat vel emollit. Neque profecto facultas ea admodum destillatione syncera evocatur, quod empyreuma siccitasque conquiratur calore. Elixatione vero ac infusione efficacior manet, multoque magis expressione, ut in jure, in mucilagine, in succo vel oleo.

Calefaciendi & siccandi.

Calefaciendi autem, *siccandi*, attenuandi, detergendi, penetrandi & adstringendi facultas in arefactis quoque integra consistit, & aliquando valentior quam in virentibus: quandoquidem in his ex humoris alimentarii ejusque aquosi & crudiusculi perfusione ea facultas obtunditur. Hæc è virentibus stirpibus destillatione aliquantum eximi potest, sed expressione plurimum: infusione atque decoctione, sive ex virentibus illis sive ex aridis, mediocriter elicitur, si præsertim è liquore accommodato, ut ex hydromelite, fiat: nam aqua calidorum & attenuantium quę incoquuntur vim hebetat, atque remittit, neque potest integras illorum calidorum vires assumere aut adipisci, sed necesse decocti jus mediam & mixtam naturam aquæ, & eorum quę incoquuntur, obtineat.

De singulis quæ ratione fiant rursum summatim tradendum.

CAPUT X.

Liquoris destillatione eliciendi ratio.

Quomodo aqua odorifera,

Liquor *stillaticius* duplex comparatur, *aqua* & *oleum.*

Aqua elicitur è floribus, herbis & radicibus virentibus, quæ tempore legitimo lectæ & expurgatæ, in vaporarium integræ conjiciuntur, si tenuior substantia, in qua præsertim *vis inest odoris*, expetitur; cui deinde blandus lentusque ignis subdendus.

Medicamentosa,

At *si medicamentosa facultas* desideratur, recentes herbæ atque radices minutim concisæ, atque etiam tonsæ, suoque succo immersæ ac madentes, in fictile vas omnis alienæ qualitatis expers recondendæ & operiendæ sunt, loco tepido, dum uno aut altero die insita earum facultas, olim tacita & penitus recondita, sese expromat.

At

E pluribus stirpibus, At si *multarum stirpium*, & quæ diversæ sint facultatis, vis quædam summa extrahenda est, confusæ illæ contritæque, suo sinantur liquore madere atque macerari, dum fermentatione omnium in quandam unitatem facta sit coitio.

Eliciende, Postea vero omnia promiscue *in vaporarium coaptentur*, vitreum, aut plumbatum, & inducatur stillans capitellum cæmento vel luto tenaci obseratum, ne quid exspiret: e cujus oblongiore canaliculo & quasi cervice receptaculum propendeat, diligenter etiam obseratum.

Sabulo aut aqua? Vaporarium porro in cacabum æneum, *cinere sabulove* aut *aqua* plenum, fornaci superpositum & coaptatum, sic mergitur ut ne fundum ejus attingat, ignisque succenditur è prunis aut carbonibus aut è stipulis, qui minime tetro fumo opus inquinet: isque initio acrior, deinde languidior & ignavior, qui duntaxat moderatam caloris vim conservet.

Illi quæ per sabulum, Quæ *per cineres* aqua elicitur, acrior est magisque empyreuma redolet, ac minus vernaculæ & insitę facultatis retinet quam quæ per aquam, asservatur tamen diutius, & tardius corrumpitur. Utraque tamen ratione & modo stirpium pars tenuis, in qua tum odoris, tum saporis, vis inest, dissipatur, simulque facultatum pars maxima exolescit, ut non temere illis sit fidendum.

Ea præstat quæ per aquam? Quapropter tertia destillandi ratio solius *vaporis vi* inventa est, quæ una omnium maxime stirpium odorem, saporem facultatesque retinet citra ullam empyreumatis insuavitatem: quę tamen ut diutius conservari possit, postea octo circiter dies insolatur.

Quomodo hæc destillanda? *Ad hanc comparandam* lebes æneus aqua plenus fornaci inducitur, & lebetis labris amplæ ollæ vel urnæ labra quoque coaptantur, & luto agglutinantur. Olla vero circumquaque in ambitu amplis foraminibus pertusa est, in quæ vaporaria herbis plena inseruntur & agglutinantur, ut cùm accensus ignis fuerit, ferventis aquæ solus halitus in ollam subiens, vaporaria contingat, & blande è stirpibus aquam suscitet. Ne tamen coërciti atque conclusi halitus copia calor obruatur, urna vel olla summo fastigio exiguum foramen habeat, quo halitus partem expiret, possitque calorem pro nutu moderari. Liquoris hujus stillaticii si quam cæterorum vis aliquanto ignavior est, jucudior tamen, suavior & ad multa accommodatior existit.

Quæ vires pereant destillatione? Id autem minime silendum, earum stirpium quarum tenuis est & rara materia, ut ocymi, florum violarum, rorismarini, vires cum odore & sapore quavis *destillatione exolescere*: earum vero quarum crassa est & densa materia, magis retineri ac conservari.

Oleum è quibus eliciendum? *Olei* autem è stirpibus *eliciendi* diversa est *ratio*: neque in id *virentes* sed convenienter arefacta sumuntur, partim ut humoris alimentarii & aquei minuatur portio, & oleagina (quæ humidi primigenii pars est sincerior & purior) eliciatur, partim etiam ut herbæ teri possint. Inprimis enim eas tundere & terendo in tenuissimum pulverem redigere necesse est.

Qua ratione? Is *immissus in cucurbitam* vitream quæ protractum collum habeat & tanquam longam proboscidem, exacte, ne quid expiret, Hermetis sigillo obserandam, in diplomate per octo decemve dies finitur, dum per medium vitrum quandam conquirat substantiæ macerationem. Deinde proboscidis summo naso detruncato, collocanda transversim cucurbita est in perforato amplo fictili in id adaptato, & tenui cinere undique ad duos tresve digitos aggesto operienda, & vivo carbone fumi experte desuper dato paulatim calefacienda, dum in aliud agglutinatum vas profluat oleum primum pallidum, dein flavescens.

Quale sit oleum quod elicitur? Hac ratione Alchymistæ ex lachrymis, resinis, atque etiam metallis per humectationem *oleum extrahunt purius*, & odoratius, cum peculiari phlegmate, quod nec odore, nec viribus oleo cedit. Sed ad id longo opus est tempore & maxima diligentia, atque in moderando attemperandoque igni dexteritate summa: & ad postremum pro *Et quantum.* impensa opera & pulveris libra dimidia vix puri & synceri olei *uncia* elici potest.

CAPUT XI.

De infusione, elixatione & succorum extractione.

Quæ vires infusione eliciantur.

INfusio, quod caloris vi nihil dissipet, *simplicium vires* puras syncerasque transfert in liquorem: at non omnes, sed eas præcipue quæ in tenuiore sunt substantia: eas vero quæ in crassa ac terrena, non æque validas. Purgandi etiam vim summam elicit, quum præsertim tenuis ac penetrans liquor fuerit aut simplicium naturæ consentaneus.

Et quo liquore,

Rei autem infundendæ *convenientes liquores* sunt multiplices, quorum præstantissimus est aqua vitæ, quæ tenuissima cum sit, in omnes commissæ materiæ partes sese insinuans, concretum illius succum attenuat, incidit, colliquat, secumque rapit: ab hac deinde sunt vinum album ac tenue, aqua tum simplex, tum stillaticia, tum in qua attenuantia simplicia sunt incocta, hydromeli, mel & oleum.

Quaque ratione?

In his quæ maceratur materia, exarefacta sit & aquoso humore destituta, expurgata, minutim concisa aut tusa, ut liquorem omni ex parte combibat. Tamdiu autem maceretur dum contabescat, & sapore deprehendatur vim omnem suam exuisse: aut si multa variaque permiscueris, dum omnia fermentatione unam eandemque communem naturam sint adepta, quod fere triduo fit. Liquor autem in quem eorum materia conjicitur vel tepidus sit, vel tepido loco asservetur, vel insoletur, ut blandi caloris beneficio adjutus vim promptius exorbeat.

Hac igitur ratione *comparantur potiones* catharticæ, & *aceti, vini, mellis* atque *olei* complura factitia genera.

Vinum hac ratione quomodo fiat medicatum?

Vinum autem ut commode fiat, stirpium materia quum viribus excellit legitur, & in umbra siccatur: deinde in mustum conjicitur dum defervescat, ac post duos tresve menses quum jam vinum deferbuerit & fuerit defæcatum, transfunditur reconditurque: nec si stirpium materia diutius macerari sinatur, corruptionem subit, nisi vinum forte vapescat dolio nimium vacuato, aut non convenienter obturato. In vetustius etiam vinum macerata stirpium materia, non parum id efficax reddit. Quum autem vinum naturæ jucundum sit ac familiare, quascunque vires acceperit, eas per omnia sese insinuans, prompte in singulas & abditissimas corporis partes diffundit atque impartit, estque optimum medicinæ vehiculum. Vis ei præcipua hyeme ad crassos lentosque humores, ad obstructiones, ad morbos frigidos ac diuturnos, qui sine febre fatigant: ad quæ quovis est syrupo vel medicato liquore præstantius.

Aceti, aut *mellis*, aut *olei*, conficiendi non admodum dissimilis est ratio: de quibus seorsim particulatim trademus.

Quanam coquenda sint?

Liquor in quo jam stirpes incoctæ sint, quod & earum jus appellatur, non parvas earum vires elicit; & *coctio* ea quæ propriè elixatio dicitur, rerum facultatem atque speciem à materia sejungit. Elixantur autem quorum vis & facultas cum quadam tenui substantiæ portione transfertur in liquorem, ut ligna, pulveres, radices, herbæ, germina, fructus, semina, flores. Lapides & metalla elixari nequeunt.

Quo liquore?

Liquor vero, aut aqua simplex est, aut hydromeli, aut lactis serum, aut succus, aut simile quippiam: raro vinum, quod prompte acescat aut vapescat, rarius aqua stillaticia, quod vis ejus exolescat. Non igitur, ut Montanus quidam memoriæ prodidit, simplex aqua omnium eliciendarum virium communis est materia, neque ut ea cum frigidis frigida est, ita cum calidis calida, neque si seorsim diutius excoquitur (quod ille putat) incalescit, sed frigida semper, tametsi minus, persistit.

Calida?

Itaque *calida* tenuiaque medicamenta, quorum vires integræ desiderantur ad frigidos crassosque humores attenuandos, aut lentos detergendos, aut ad expediendos veteres infarctus, ex hydromelite tenui coquenda sunt, quod eorum vim aqua simplex nimium obtundat.

Frigida?

Frigida vero, ut biliosos ferventesque humores ac febrium ardores valide restringuant, ex aqua coquenda, addita etiam sub finem interdum aceti parte octava, si cum refri-

refrigeratione extenuatio quoque & penetratio expetitur.

Quæ paucum? Facultas porro, quæ in tenui atque dissipabili est substantia, ut penetratio, extenuatio, apertio, resolutio, coctione *pauca* evocatur, multa disperditur: quæ vero in crassiore est materia, ut absterfio, adstrictio, repressio, incrassatio, non nisi coctione pleniore educi potest; altius enim demersa est. *Quæ multum?* Quin & eorum quæ coquuntur materia æstimanda, crassane sit, dura sicca atque compacta, ut lignorum, radicum aridarum & seminum: an è conrrario.

Ac qua ratione coquenda sint? Cum igitur singula selecta expurgataque fuerint, seorsum moderate (ut supra de infusione dixi) arefiant in umbra, dum aquosus humor fuerit absumptus. Ita enim ut odore atque sapore, sic viribus efficaciora fient; dein *quum coquenda* erunt, quæ compactiora sunt & diutius coqui postulant, prima in tepidam aquam conjicienda sunt, dein quæ mediocriter, postremo quæ levius: ut primum ligna, deinde radices, semina, lignorũ cortices ac fructus, postremo flores, quis non nisi macerari debent.

Quousque? Igne lento qui tetri & alieni fumi fit expers, sensim *eo* serie *coquantur*, dum arida atque dura mollescant: cætera vero plane contabescant, & in liquorem vires suas odore saporeque noscendas singula deponant, quod nec, ut quidam putant, hora una, nec ullo temporis certo spatio, sed uno periti artificis judicio definiri potest.

Quomodo colanda? Percocta omnia quinque sexve horas maceranda sunt in tepido liquore, & antequam penitus refrigescant, *excolandum* est jus, atque in usus recondendum.

Ut autem virium quædam prodeat æquabilitas, nihilque cætera viribus aut sapore nimiopere superet & obtundat, simplicis uniuscujusque vis atque sapor seorsum ante permistionem æstimandus observandusque fuit.

In Apozemate qua aquæ copia esse debeat. Moderatus tamen atque conveniens virium saporisque modus juri impartietur, si *recentes herbæ*, radices, cortices, seminave, quibus præsertim vis saporque validus inest, ex liquoris sextuplo *pondere* coquantur ad dimidias, ut stirpium rècentium unciæ quatuor aut manipuli quinque, ex aquæ libris duabus, dum libra una supersit.

At *arida* ex octuplo liquore ad tertias, ut arefactarum stirpium unciæ quatuor ex aquæ unciis duabus & triginta, dum undecim vel duodecim restent. Has enim quod aridiores sint & humoris non parum combibant, ex copiosiore liquore, & quod in sicca earum materia vis firmius inhæreſcat, diutius elixari par est.

Quæ in syrupo. Et hæc quidem ad julepi aut apozematis usum: nam *syrupis*, quod pluri melle & sacharo condiantur, efficacius reddi decoctum opertet, & parem fere mensuram relinqui juris atque herbarum. *Recens* enim herbarum radicumque materia ex quadruplo liquore coquitur, dum ad tertias redeat: *sicca* vero ex sextuplo liquore, dum ad quadrantem redeat: ut libra una materiæ aridæ ex libris sex aquæ, dum sesquilibra supersit. Manipulorum is modus esto, ut singuli paulo minus quam singulas uncias pendeant.

Ea igitur mediocritate nec crassum, nec insuave nimis jus fuerit, atque moderata dosi integras vires sortietur.

Quam mutat cujusque simplicis natura. Quanquam autem hæ communes sunt coquendi leges, sciendum tamen peculiariter est, quam simplex unumquodque decoctionem ferre potest, ut vis integra elici possit: quorundam enim etiam si dura sint, ut asari, iridis, pyrethri & cyclamini vis coquendo perit: quorundam virentium & mollium manet, ut sennæ, malvæ, cichorii, buglossi, in id quidem *simplicis cujusque naturapernoscenda*. Et hæc quidem ad quasvis potiones comparandas.

In quibus & quomodo fomenta coquenda sint? Ad *fomenta* vero ex aliis etiam plerisque liquoribus stirpes coquuntur, ut ex lacte, si leniendus est dolor, ex oleo si quid emolliendum, ex aqua aluminosa si adstringendum, è lixivio si valide detergendum siccandumque est.

Expressio quas vires eliciat? *Succus* è viridi stirpe aut fructu *expressus*, ut illius fere omnem substantiam, atque saporem, ita & summas vires obtinet.

Quomodo fiat? *Exprimitur autem* ex minutim concisis tusisque radicibus, herbis, floribus, atque seminibus, quæ tusa utiliter sinuntur biduo aut triduo macerari, dein in linteum rarum conjecta, vel manibus, vel prælo, vel torculari subiguntur, dum succum profundant: alia quidem facile, ut quæ humida sunt & succulenta, ut plerique fructus: alia difficile, ut quæ exucca sunt & paucio-

 ris

ris ſucci, ut thymus, polium, laurus, ſalvia, ſampſuchus, & quorum lenta viſcoſaque eſt materia, ut bugloſſum, borrago, portulaca: ex his enim vix niſi ignis tepore liquatus ſuccus prolicitur.

Expreſſus ſuccus turbidus optimus.

Omnium *efficaciſſimus* eſt qui recens ſit ac *turbidus*: qui autem jam inclaruit puriorque redditus eſt, licet gratior jucundiorque ſit, ut tamen fæcem ita & facultatis portionem depoſuit, neque ullius purgantis medicamenti quod defæcatum ſit, vis admodum valida deprehenditur.

Utilis tamen quoque clarus.

At nihilominus ad ſyrupos & potiones qui accommodabitur, expreſſus phialaque reconditus leniter inſolari, aut tepido loco reponi debet, dum vinorum ritu deferbuerit, fæcemque depoſuerit, & quicquid craſſum ineſt ſubſideat. Ita deinde quicquid *purius* & clarius innatat ſecretum in potiones confertur. Hac ratione comparatur limonum ſuccus, granatorum, & cotoneorum, pomorum, pirorum, ceraſiorum, oxyacanthæ & ribes: hi enim diutius ſine coctura perſiſtunt.

Quomodo clarificetur?

Recentium quoque herbarum ſucci eadem poſſunt ratione elici. At plerumque protinus ut extracti ſunt, in rem præſentem *clareſiunt*, idque vel ſæpius colo denſo aut panno tranſmiſſi, vel ex ovi candido ſcopulis agitati, vel leniter fervefacti, dum omnis craſſior ſordes ipſi candido tanquam viſco adhæreſcat.

Quomodo incraſſeſcat?

Concreti porro & obdurati ſucci plerique aſſervantur in varios uſus, qui aut mox ut expreſſi ſunt & colo tranſmiſſi lento igni coquuntur, dum *craſſeſcant*, ut ſapa, defrutum, miva cydoniorum, rob ex ribes: aut inſolantur concreſcuntque in ſolidam formam, ut aloë, ſcammonium, elaterium, lycium, acacia, mororum ſuccus.

Emulſio quomodo fiat?

Emulſio junioribus dicta huc etiam pertineat. Ex fructibus enim & quibuſdam ſeminibus contuſis elicitur, quæ quod ſucci minimum fundant & ne attritu pingueſcant, inter conterendum liquore aſperguntur, qui deinde, ſimplicium viribus perfuſus, colatur & exprimitur, hac fere ratione: ℞ amygdalarum dul. expurgatarum uncias duas, quatuor ſeminum frigidorum majorum recentium & mundatorum an. drachmas duas, ſeminis lactucæ & papaveris albi an. drachmam unam: pariter omnia terantur in mortario marmoreo, affuſa ſenſim libra una aquæ coctæ quæ jam refrixerit, aut aquæ decoctionis hordei vel glycyrrhizæ.

Quibus viribus ſit prædita?

Huic quidem non parva *vis eſt* ad refrigerandum, ad renum ardores extinguendos, & ad leniendam urinæ acrimoniam. Ad pectoris quoque & pulmonum vitia, conteruntur pinei nuclei piſtacia aut ſtrobili: nonnunquam & ſyrupus aliquis permiſcetur leniens atque refrigerans.

Caput XII.

De julepo, apozemate & ſyrupo.

Iulepum quomodo faciant veteres?

Potionum *formæ* ad ſimplicem intemperiem, & ad corporis vel humorum præparationem, & ad alios pleroſque uſus, *tres* nunc præcipuæ uſurpari ſolent, *julepus*, *apozema* & *ſyrupus*.

Iulepum juniores *Græci* julapium appellant, idque è quovis liquore ſtillaticio, aut ſucco defæcato, addito mellis ſaccharive triplo, conficiunt, coquuntque ſenſim, expumando, dum toto fere liquore abſumpto mellis conſiſtentia fiat.

Recentiores cum igne.

Nunc vero ſimplicior fit atque liquidior: quodque ſimplex ſit, ab apozemate; quod liquidus, à ſyrupo diſtat. Accommodatur autem is præcipue intemperiei corrigendæ, leniendæ ſiti, & compeſcendo atque frenando humoris ardori, & malignitati frangendæ. Fit proinde vel è cardiaco liquore ſtillaticio, vel è puro defæcatoque ſucco, ut limonum aut granatorum, vel è jure unius paucorumve ſimplicium, cui mellis ſaccharive quadrans permiſcetur, leniterque coquitur, ac deinde clareſit, & conditur aromate, ut citra aquæ ulliuſve liquoris permiſtionem omnino jucunda fiat potio.

Abſque igne.

Interdum etiam *nulla ignis vi* ex his fit quæ coqui non poſſunt, ut ex aquis ſtillaticiis, & ſucco limonum: quæ omnia ſaccharo expurgato affuſa, colo denſo ſubinde tran-

transfiguntur. Fere autem sacchari quadrans aut sextans inditur, cinamomi vero ad unamquamque dosim scriptuli dimidium. Est & alia julepi ratio, cum hyeme, aut in virentium herbarum penuria, quivis syrupus duplo aut interdum quadruplo stillaticii alteriusve puri liquoris diluitur, nullo ignis beneficio.

Apozema cui usui fit? *Apozema* æque ac julepus liquidum est, sed ex complurium simplicium decocto compositum, quæ in multos variosque *usus* accommodantur: atque id fere ad tres quatuorve doses instituitur. Id autem quoniam fere julepo insuavius est, raro in eosdem usus destinatur, sed maxime in humorum attenuationem, atque detersionem, in corporis præparationem, & in reliquiarum expulsionem.

Quomodo id faciant veteres? *Olim* quidem veteres modo virentes, modo aridas herbas mulsæ incoquebant, propinabantque jus colo transmissum: hyeme vero earum pollinem tenuissimum mulsæ inspergebant, hæcque vice erant apozematis.

Recentiores? *Nunc vero* decoctarum stirpium jus assumitur ea quam supra dixi ratione, in quod sacchari aut mellis aut cujusvis syrupi quadrans, si non admodum insuave, aut triens, si insuavius, est, solvitur: rursumque leniter & parce coquitur aut solum calefit ut clarificetur & aromate condiatur, ea dosi quam nunc in julepo dixi.

Quomodo fiat purgans? Hæ quidem potiones in rem præsentem usurpari solent. Solet exigendis quoque humoribus præparatis è simplici apozemate *catharticum* ex tempore fieri, incoctis scilicet in eo aut dilutis medicamentis purgantibus.

Syrupus cui usui fit? *Syrupus*, quod in herbarum penuria recondatur, asserveturque diutius, crassiore fit consistentia, in eos præcipue *usus* in quos & apozema, quanquam plerumque julepi etiam commoditatem habet.

E quibus fiat? *Ex iis* comparatur quæ vix hyeme suppetunt nobis, aut quæ æstate non facile fit aut promptum, cum necessitas postulat, ex variis locis tam multa congerere.

Qua ratione in genere? *Fit haud secus* ac apozema, è stirpium succo, vel ex earum coctarum jure, in quod adhuc tepidum pro libris ternis singula ovorum candida injicies, diuque scopulis agitabis dum sordes omnis spumæ adhæres-cat. Deinde in id ipsum mellis sacchari ve par pondus dissolve, & rursum coque dum fervendo sepositaque spumæ portione, sub hac detectus humor clarus appareat. Tum denuo coletur & leviter exprimatur, reddaturque igni lento, dum percoctus sit in syrupi consistentiam, & in singulis libris binæ duntaxat liquoris unciæ supersint.

In specie è succis crassioribus. Quum tamen jus ipsum ex admixtis fructibus, ut ex prunis, ficubus, myxariis, zyziphis, aut ex quibusdam mucosis seminibus, ut althææ, cydoniorum, aut psylli, aut ex tragacantho vel gummi Arabico *crassum* lentumque evaserit, ut convenienter coletur, mellis saccharive minus indendum est. Accuratius is clarificatur, ut diutius asservetur, nec putrescat facile, percoquiturque in mellis consistentiam, ac dum extracta guttula atque refrigerata, non amplius perfluat, & diluti mellis crassitudine indurescat. Quoniam autem plus sacchari quam apozema habet, liquorisque minimum & vix sextantem retinet, ut valida integraque ejus facultas transferatur in saccharum, jus, ut supra dixi, meracius atque efficacius assumendum est.

Efficaciores è succis defæcatis. Omnium autem *validissimi* sunt ii syrupi, qui è *defæcatis* expurgatisque fructuum succis comparantur, in quos par quoque sacchari modus additur, expurgantur coquunturque, ut superiores. Aut si forte succi vis coctione nimia disperditur in sacchari jam expurgati & perfecte cocti libra una, succi crudi & residentia defæcati selibra sensim dissolvatur atque coquatur. Si metuitur ne hic syrupus ob succi cruditatem situm contrahat, insoletur dies aliquot. Hi enim si vel blando igne, vel diplomate lente ac sensim coquantur, tota & integra succi vis transferetur in saccharum.

Ex melle confectus. *Ex melle* confectus syrupus quia diutius asservatur, minus, neque ad consistentiam coquendus est: is quoque magis incidit ac detergit. *Ex saccharo* autem suavior, sed non æque efficax: percoquendus is est, at fere tandem candefit, quod tamen vitium præcavetur, si mellis quadrans permisceatur saccharo.

Harum compositionum formulas hic nullas descripsimus, quod multæ posthac omnisque generis passim occurrant.

Caput XIII.

De clystere & balano.

Clyster ad quæ utilis

A Clyster sive clysmus est alvi & intestinorum diluvium atque perfusio siphone in podicem indita. *In varios* is *usus* comparatur, *ad* molliendas fæces obduratas, & intestina oblinenda, *ad* flatus dissipandos, *ad* expultricem vim proritandam, *ad* crassos & pituitosos humores detergendos qui intestinis adhærescunt, *ad* humores è locis distantioribus evocandos, *ad* compescendos dolores, *ad* coërcendam alvum & corroboranda intestina, *ad* naturales vires instaurandas.

E quibus constet.

Constat fere clyster omnis ex libra una juris vel cujusvis liquoris, in qua sextans, aut quod summum sit quadrans medicamentorum diluatur cum olei quadrante. Pueris aut pusillis infra subsistitur, grandioribus B supra transcenditur ad sesquilibram, simili cæterorum ratione servata. Omnium primus atque simplicissimus ex hydromelitis libra una, olei quadrante & salis drachmis duabus constabat: deinde vero compositiores redditi sunt.

Emolliens.

Qui *emolliens* dicitur, ex jure fit coctarum herbarum emollientium, ut radicis althææ & liliorum, malvæ, helxinæ, violæ, mercurialis, acanthi, seminis lini, althææ & fœnigræci, ficuum: in quo soluta sint interior pulpa cassiæ, mel violatum, butyrum salis expers, oleum simplex aut violatum. Interdum ex oleo simplici tepefacto, vel ex oleo & butyro, additis mucilaginibus, ut prorsus intestina oblinat.

Discutiens.

Ad flatus dissipandos confert jus origani, calaminthæ, rutæ, chamæmeli, anethi, cum semine anisi, carvi, cumini, feniculi & cum baccis lauri: quo dissolvatur mel anthosatum, confectio è baccis lauri: cum oleo rutæ, lauri aut chamæmeli. In eundem usum fit ex oleo nucum puro, vel addito vino Cretensi.

Stimulans.

Proritabitur expultrix facultas, si salis communis drachmæ duæ, vel salis gemmei drachma semis liquefiat, vel hiera simplex, vel composita, vel diaphœnicum, vel confectio Hamech, vel aliquid ex his quæ potenter stimulant.

Detergens.

Detergens ex hordeo, furfure, rosis, plantagine, absinthio, beta, agrimonio, centaurio minore & contritis lupinis, admista hiera & melle rosato.

Purgans.

Evocabuntur quoque *humores* è superioribus sedibus, si istis pulpa colocynthidos ad duas tresve drachmas incoquatur: aut tantundem dissolvatur pilularum cocciarum aut quodvius acrius medicamentum, quandoquidem diutius intestinis obhærens, viscera, reliquumque corpus vi sua conturbare expurgareque potest.

Dolores sedant.

Cum *dolores leniendi* sunt, melilotus, chamæmelum, semen lini & althææ, aliaque anodyna coquuntur in lacte, adduntur que vitelli ovorum duorum. Aut si doloris causa perspecta est, induntur quæ illam summoveant, ut exin dolor mitescat.

Adstringens.

Si concitatior alvus cohiberi *adstringique* debet, & intestinum corroborari, conveniunt rosæ rubræ, plantago, portulaca, sanguinaria, tapsus, cauda equina, additis granis myrti, & cupressi nucibus: in quorum jure interdum mastiche, bolus armena, sanguis draconis, amylum, farina fabarum, aliaque ejusmodi quæ quandam pultis speciem exhibent, permiscentur sine oleo.

Nutriens.

Recreantur porro intestina, si jusculo capi carnisve alterius bene succulento, aut vino rubro generoso subaustero proluantur: exinanita quippe avidius hæc plerunque retiC nent, & in corporis commoditatem referunt.

Glans quibus utilis?

Balanorum seu *glandium usus est* ad proritandam vim intestinorum excretricem: cum enim subditus vix supra sphincterem musculum ascendat, hunc solum acrimonia stimulat, & desidendi cupiditatem infert.

Quomodo fiat?

Fit autem teres & oblongus quatuor sexve digitos: infantibus betæ vel mercurialis cauliculus, melle vel butyro salso oblitus, pro glande est, quemadmodum & sapo albus in eam coaptatus formam. Cæteris mel coctione incrassescés, & in eam quam dixi formam redactum: cui, si acrior desideratur, salis vulgaris drachma dimidia, vel gem-

gemmei ſcrupulus dimidius, vel pulveris hieræ ſcrupuli duo, vel pulpæ colocynthidos pulveratæ ſcrupulus unus inſpergitur.

Frequentior Frequentior porro balani *uſus* ſæpe hæmorrhoidas, interdum ulcera & condylomata proritat. Quocirca non ſolum ad alvum ciendam, ſed ad hæmorrhoidas quoque reſerandas aut ſiſtendas, & ad tenaſmum, ex idonea fingitur materia. *quomodo proſit vel noceat?*

CAPUT XIV.

De potione purgatoria.

Potio purgans quam utilis? CAtbartica potio, quod latius ſeſe diffundat, ſubeatque tenues venas, ad humores quoſvis expurgandos *efficacior* eſt bolo, pilulis & quavis ſolidiore forma: & pilularum drachma una liquore ſoluta, non minus purgabit quam duriorum duæ. At vero quod medicamentum vel acrimoniæ, vel malignitatis particeps, liquidum id magis, quam ſolidum partes principes ferit atque vellicat.

Qua doſi? Purgantis potiones *doſis* raro excedit tres uncias, ne copia ventriculum ſubvertat.

Quomodo fiat infuſione, Fit autem interdum ex ſimplicium purgantium *infuſione*, ut cum rheibarbari drachma una & ſemis, agar trochiſcati drachma una, & drachma dimidia cinamomi electi macerantur in hydromelite, aut in aquis ſtillaticiis betonicæ & endiviæ, & in expreſſo diluuntur ſex drachmæ ſyrupi capill. ven.

Coctione, Interdum *ex jure coctorum* fit purgantium, ut quum polypodii quercini, ſeminis carthami, radicis petroſelini, uvarum paſſarum expurgatarum an. ʒij. foliorum ſennæ emundatorum ʒiij. epithymi ʒj. decoquuntur in unam doſim, addendo ſub cocturæ finem cinamomi ʒß. & in expreſſo diluuntur ſyrupi de ſcolopendrio ʒvj. fitque potio.

Utraque? Interdum *mixtura quadam junguntur* decoctum & infuſum, ut ſi ad varios expurgandos humores præſcribas. ℞. Endiviæ, lupuli, betonicæ, bugloſſi an. m. ß. foliorum ſennæ emundatorum ʒiij. fiat decoctio ad ℥iij. in qua colata infunde rheibarbari lecti ʒjß. agarici trochiſcati ʒj. cinamomi ʒß. in expreſſo diſſolve ſyrupi violati, vel capilli veneris ʒvj. fiat potio. hac quoque formula apozemata fiunt in plures doſes, atque ſyrupi in varios atque multiplices uſus conſervandi.

Interdum vero ipſa *purgantium materia*, vel in tenuem pollinem redacta, vel ab antidotis accepta, aquis ſtillaticiis aliove liquore *diluitur*: ut cum rheibarbari drachmæ duæ pulveratæ dantur ex aqua roſarum & ſyrupo roſato ad dyſenteriam: aut pulveris hieræ ſimplicis uncia ſemis ex hydromelite, aut catholici drachmæ decem ex decocto hordei, aut diaphœnici ſemuncia ex jure radicum cichorii, oxalidis, petroſelini & polypodii. *Quomodo ipſa purgantis dilutione?*

Purgantium porro aliæ quædam ſolidiores formæ ſunt, *bolus*, ut qui fit ex drachmis decem pulpę caſſiæ, cum ſaccharo, vel cum pulvere Ducis, & qui ex catholico vel ex diapruno. *Purgantium ſolidiores formæ bolus,*

Electarium quoque ſolidiore forma, ut quod è ſucco roſarum eſt, & diacarthami, & quæcunque ad horum imitationem ſolent in rem præſentem præſcribi. *Electarium,*

Pilulæ his ſolidiores exiſtunt, quarum varia genera, & conficiendarum rationem poſthac exponemus. *Pilulæ.*

CAPUT XV.

De ſolidioribus formis, ac primum de pulvere.

Quæ fiunt ex pulvere. SOlidiores formæ præcipuam è *medicamentorum pulvere* nanciſcuntur materiam, qui ut rei neceſſitas poſtulat, varie in illas coaptatur. De eo igitur tanquam baſi in primis dicendum.

In pulverem teruntur quę aut natura duriora ſunt, aut prorſus exaruerunt, ut quædam radices, complura ſemina, herbarum folia, ſurculi, flores, plurimaque aromatum genera. Hæc igitur mortario teri poſſunt, *E quibus fiat pulvis.*

ſunt, alia quidem *tenuiſſime* & in exquiſitiſſimum lævorem, quorum nempe vis & facultas in ſubſtantia non admodum tenui poſita eſt, & quæ altius penetrare deſideramus: alia vero *craſſiuſcule* & minus accurate ut flores & aromata, quorum nimis attenuatorum vis facile diſperditur.

Craſſiuſculus?

Et qua ratione,

Aluta itaque tegendum mortarium, ne pars tenuiſſima attritu evolet atque vaneſcat in auras: neve acrimonia aſtantes feriat offendatque, ut fere fit in thapſia & euphorbio. Si tenuiſſimus pulvis expetitur, denſo cribro cernendus eſt, ac ſubinde mortario reddendus dum totus trajici poſſit, ac demum ſedulo recondendus.

E duris,

Quæ multo ſunt *duriora*, ut corallium, margaritæ & alia complura tum lapidum, tum metallorum genera, quæ præſertim in collyria uſurpari ſolent, mortario primum craſſiuſcule trita, marmori deinde vel porphyrio ſolidiſſimo induntur, & laborioſe lævigantur dum nihil aſperum aut durum ſubſiſtat.

Minus duris,

Quæ porro *minus dura* ſunt aut arida, quia pulverari nequeunt, ut radices quædam & ſemina atque fructus, ſeorſum pila contunduntur pilo mundo, deinde cernuntur & aliis permiſta ſiccioribus promiſcue teruntur atque pulverantur.

Pinguibus,

Amygdalæ, pinei nuclei, cucurbitę, melonis & aliorum quorundam ſemina, quia trita *pingueſcunt*, & tempore rancida evadunt, minutiſſime conciduntur.

Glutinoſis?

Glutinoſa, ut gummi ammoniacum, bdellium & myrrha, quod minime contundantur, vino, aceto, aut alio quovis liquore ſolvuntur & expurgantur.

Quo ordine?

Hæc igitur aut ſeorſum ſingula, aut confuſa pulverantur, ſed *quadam ſerie*, primumque duriſſima, poſtremo tenerrima.

Quomodo aſſervanda?

Pulveres tum cardiaci, tum corroborantes, *ampulla vitrea reconduntur* in uſus: quibus nunquam pinguia ſemina, ut quę diuturnitate ranceſcant immiſcenda ſunt, ſed quum apparabitur electuarium illa poſtulans, tum recentia addentur opportune.

Ad quæ utilia?

Pulveres *ad varios accommodantur* affectus, non ſolum ad venena & vulnera, aut ad vires corroborandas, aut adjuvandam concoctionem, ſed præterea ad ſiſtendas deſtillationes, ad alvum vel cohibendam vel ſubducendam. Is ſi non admodum inſuavis eſt, purus datur: ſin inſuavis, addito ſacchari triplo aut quadruplo. Extrinſecus quoque in varios uſus pulveres tum capiti, tum aliis partibus inſpergi ſolent.

Trochiſci quomodo fiant?

Paſtilli quos τροχίσκους & κυκλίσκους, ceu orbiculos complanatos Græci dixerunt, ex pulveribus quoque ac plerumque ex metallicis fiunt. Arida quoque medicamenta diligenter contrita, humore aliquo non pingui junguntur excipiunturque dumcoëant, ut liquore ſtillaticio, vino, aceto herbarum ſuccis aut quadam mucilagine. Humore abſorpto concinnantur formulæ orbiculares lupinorum ſpecie, proptereaq; ἀρτίσκοι Græcis & nobis paſtilli ceu parvi panes dicti, qui aut blando igni exiccantur, aut ſenſim in umbra exareſcunt, reconduntur que. Cum uſus requirit, convenienti humore diluuntur, aut cerato molli, aut in alias coaptantur formas.

Quem uſum habeant?

Hoc tantum diſtant à pulvere, quod hujus ſoluti putent vires promptius diſſipari & vaneſcere, paſtilli vero utpote ſolidioris atque compactioris, melius retineri & conſervari.

Antidota quibus utilia?

Antidoti non ſolum *adverſus venena*, quæ vel per morſus, vel per cibos, vel per potiones, vel per inſpiratum contactumve inferuntur, ſed adverſus viſcerum interiorumque partium affectus omnes, ad vires quoque corroborandas, & ad expurgandos humores dantur, perinde ac pulveres: ex his enim fiunt vel melle vel paſſo exceptis.

Quomodo fiant?

Mel optimũ in *fictilem patellam* conjectum, aquæ vel alterius liquoris quadrante diluitur, ſenſimque moderato igne coquitur atque deſpumatur, cumque expurgatum plane fuerit, deponitur, & fervore ſedato perductoque ad teporem qui immiſſum digitum admittat (nam calidius pulverum vim abſorbet) in libras ſingulas ternæ confuſorum pulverum unciæ paulatim inſperguntur, paulatimque ligneo pilo melli permiſcentur, dum ubique ſubſtantiarum quædam fit æquabilitas. Cum mixtura prorſus infrixit, eximitur & pyxide reconditur, nec liquida nimis, nec ſolida, ut deinde mutua ſimplicium actione melior ſuccedat fermentatio. Si amygdalæ, dactyli, aliive fructus, aut ſaccharum etiam indendum fuerit, aut caſſiæ, aut thamarin-

dorum

dorum pulpa, aut manna, minime debet istorum causa mellis pondus augeri.

Et hæc conficiendæ antidoti summa est ratio, in qua simplicium vires integræ persistunt admodum efficaces, probeque fermentantur, & diutissime conservari possunt. hujus innumera posthac exempla suppetent.

Electuarium minus utile antidoto. *Electuarium* formæ solidioris juniores antidoti vice in laborantium gratiam substituerunt, idque saccharo concinnatum, sed commodo & *effectu minori*. Neq; enim simplicium æque validæ vires manent, neque par est fermentatio, neque conservatio.

Quomodo fiat? Pulveres eadem ac in antidoto ratione triti cretique *confunduntur*: saccharum vero liquore stillaticio aut quovis alio qui tamen acidus minime sit (nunquam enim vel limonum, vel mali punici succo, vel aceto solutum denuo obdurescit) igne diluitur, despumatur, expurgaturque, coquitur lente supra syrupi crassitudinem, atque dum extracta guttula soliditatem prorsus adepta videatur. Tum demum aliquantum refrigerato, paulatim pulvis inspergitur, & accurate pilo agitatur, confunditurque dum æquabilis omnium fit unitas. In singulas expurgati sacchari uncias, pulveris non admodum ingrati drachmas singulas: insuavis vero minus inspergunt. Exempta dein massa antequam refrigescat mensæ inducitur, pilo dilatatur atque complanatur, & refrigerata discinditur in tessellas, vel quadratas, vel quadrangulas, vel rhomboideis, ponderis duarum triumve drachmarum, quæ in sacchari duritiem siccescant. Quidam mixturæ adhuc calentis guttulas excutiunt, quæ mox concrescunt in orbiculos, ut in electuario cui manus Christi nomen indiderunt.

Pilulæ è quibus fiant? *Pilulæ ex aridis* quoque sed minus laboriose contritis medicamentis finguntur, quibus plerunque arefacti succi, & lachrymæ gummi accedunt. Omnia convenieti pondere permista humore excipiuntur non pingui quidem, sed neque tenui ut pastilli, lento tamen & glutinoso, ut in massam juncta aptius cohæreant, nec tempore exiccata massula dehiscat, nec simplicium expiretur facultas. Humor igitur aut mel erit coctum & expurgatum, aut syrupus crassiusculus, aut lenta quædam mucilago, ex idoneo succo vel liquore comparata. At nihilominus si vel lachrymas, vel gummi, vel succos, ut aloën, scammonium, sagapenum, ammoniacum, tragacanthum compositio habeat, tenui quovis liquore cogi satis ea poterit.

Qua ratione? *Ac primum quidem* gummi aut lachrymæ expurgatæ subiguntur pilo calido dum mollescant, pulveres paulatim induntur, ac postremo liquoris affunditur quantum mistura postulat. Molliuscula fit initio, ut simplicium concursione fermentatio proba fiat: exacto biduo aut triduo recondenda massa oleo amygdalino oblinatur, obvolutaque aluta vel tenui membrana referatur in pyxidem.

CAPUT XVI.

De mediis medicamentorum formis. primum de delinctu.

Linctus ubi utilis? *ILinctus*, Græcis eclegma, thoracis destinatus affectibus, mediam sortitur substantiam, eamque glutinosam, ne præpropere elabatur in ventriculum, & media quasi via subsistens atque obhærens, thoraci, pulmonibusque impartiri possit.

E quibus, *Fit* igitur maxime *ex fructibus*, cujusmodi sunt uvæ passæ, dactyli, ficus, myxaria, zyziphа, & ex succis glycyrrhizæ, scyllæ, brassicæ, prasii, hyssopi, ex tragacantho, gummi Arabico, ex semine cydoniorum, malvæ, melonum, cucumeris, citrulli, ex amygdalis, avellanis, strobilis.

Et quomodo fiat? Horum igitur contusa cretaque impulsu materia, aut melle cocto, aut syrupo, aut mucilagine *accommodata excipitur*, dum mediam nacta crassitudinem, mellis aut pultis modo delingi possit.

Quomodo? pulveribus, Si qui præterea *pulveres*, ut cinamomi, zinziberis, iridis, ari, dracuntii, aut diaireos, aliorumve electariorum induntur, pro eorum modo lentus liquor, qui omnia comprehendat, augendus.

Electuariis. Fit etiam linctus ex ipsis *electariis* & saccharo candefacto, aut penidiis; quæ in eam formam thoracio quodã syrupo solvuntur. Quocirca liquoris quantitas præscribi nulla potest, sed artificis committenda arbitrio.

CAPUT XVI.

De succis medicatis & conditis.

Rob quid. SUccago, Græcis ἀποχύλισμα, & Arabibus *robub* appellata, succus est fructuum herbarumve expurgatus atque defæcatus, & ignis solisve beneficio in duriusculam sapæ consistentiam percoctus. Hæc diu incorrupta servari potest, & simplex appellatur: quæ autem mellis saccharive nonnihil in palati gratiam acceperit, composita.

Quomodo fiat, à succo uvarum ducto exemplo explicatur. Ab *uva* triplex omnino substantia elicitur. *Una*, quum in lebete coquitur, exprimitur, & quod expressum fuerit, denuo in duriusculam consistentiam recoquitur, hęc veteribus inusitata fuit. *Altera*, quæ proprie *sapa* Latinis, σίραιον & ἕψημα Græcis, & rob Arabibus appallatur, ex quam recentissimo fit musto ad tertias cocto, quod & mellis crassitudinem superat, & tempore dierumque numero ut saccharum candescit. Quod si aliquantum tardetur, dum dulcore minimum deposito acrimonię nonnihil mustum conquirat, nunquam postea in sapam concrescet. Sed ex hoc ad dimidias aut etiam ad tertias cocto expumatoque, fiet quod veteres *defrutum* dixerunt, id etiam ex meraciore vino conficitur. Sic sane & cotoneorum, & ribes, & baccarum oxyacanthæ, & cerasiorum, & pirorum, & malorum, & prunorum recens succus fervefactus, concrescet in sapalem crassitudinem, quæ aut simplex fiet, aut addito saccharo composita.

Herbarum & fructuum expressi succi in alios, ut supra dixi, vel siccantur vel reconduntur usus.

Quomodo condiantur. *Condiuntur fructus* aut saccharo, aut melle, aut permistis ambobus: exigui quidem, ut cerasia, pruna, baccæ ribes & oxyacanthæ, integri: majores, ut mala, pira, cydonia, persica, citrea, juglandes virides confecti, & foris intusquc purgati. Saccharum aqua solutum clarificatur & percoquitur, tumque *humidiores fructus*, ut cerasia, corna, pruna, persica, baccæ ribès atque oxyacanthæ, *Fructus molliores,* immerguntur coquunturque leniter, donec absumpto fructuum humore, saccharum in priorem redeat consistentiam.

Fructus vero *duriores*, ut cotonea, juglandes virides, citrea, pira, & mala, intus forisque purgati atque secti elixantur donec tenerescant, deinde eximuntur, & demadescunt: in hac eorum aqua saccharum dissolvitur, clarificatur & percoquitur: huic dein fructus redduntur & recoquuntur, dum reliquo humore absorpto, syrupi consistentia fiat. *Duriores,*

Amariores fructus, ut juglandes, citreorum & aranciorum cortices, novem circiter dies tenui lixivio quotidie mutando macerantur, exin aqua coquuntur dum mollescant, condiunturque ea quam dixi ratione. *Amariores?*

Haud secus *radices*, ut eryngii & satyrii, acori & zinziberis: *herba* quoque ut menta, lactuca earumque teneriores cauliculi condiri solent. Hæc porro saccharo imbulta ac bene saturata eximuntur, & sole vel igne lento exiccantur, ut condita sicca evadant, quæ plerosque magis quam liquida juvant. *Radices, Herba,*

Condiendorum *florum* diversa est ratio: pulverato enim duntaxat immerguntur saccharo, ut conservari possint, quæ proinde conditura neotericis *conserva* nuncupatur. Quod enim florum vis coctione facile dispereat, non igni coqui, sed duntaxat insolari debent. *Flores, E quibus conserva?*

Flores igitur ut rosarum, violarum, buglossi utriusque, nymphææ, genistæ, cichorii, aranciorum, persicorum, betonicæ, salviæ, hyssopi, pæoniæ, rosmarini, calendulæ, exemptis supervacuis demetuntur summo vigore. *Et quomodo fiat?*

Hos dein *alii* integros, simulque saccharum duplo pondere pulveratum in vitreato vase invicem insternunt, insolantque unum, duos, tresve menses pro florum tenuitate & natura. 1.

Alii recentes flores laboriose conterunt, & sacchari duplum triplumve pondus addunt, exquisite illa permiscent, recondunt & insolant, ut sensim nulla virium aut odoris dissipatione fermentatio fiat. 2.

Alii saccharum tenuissime terunt, huic rosa- 3.

rosarum aliorumve florum succum affundunt, ex iisque confusis pastillos, & figuræ cujusvis panes confingunt, quos linteo obductos insolant, dum plane exaruerint. Hos bene reconditos conservant in annum, ad quosvis usus multo cæteris præstantiores.

4. *Quidam* flores integros duplo triplove primario saccharo liquato & adhuc calente immergunt & perfecte commiscent, dein ubi refrixit misturam pyxidibus recondunt & insolant.

Quomodo fiat conditum compositum?

Conditum compositum quale juniores plerique in rem præsentem præscribendum duxerunt, mixtura quædam est apposita ex simplici condito aut conserva, & ex quodam electario aut pulvere corroborante, quibus tandem conveniens sacchari modus adjicitur. Temperandorum lex quidem nulla, sed utilitati jungenda est commoditas. Raro tamen conservarum uncia plusquam pulverum drachmam admitit: ut in cardiaco quod habet conditaræ buglossi, nymphææ & rosarum, corticis citri conditi an. unciam dimidiam, pulveris electarii diambræ, de gemmis & diamargariton frigidi an. scrupulum dimidium, ossis è corde cervi, seminis citrei & cardui bene dicti, radicum runicis & tormentillæ an. scrupulum unum, scobis unicornu grana octo, folia auri minutim concisa sex numero, sacchari albi quantum satis esse videbitur ad conditi formam.

Huc quadam rerum affinitate pertinere videtur mixtura quæ neotericis est *pasta regia*, Mesuæ electuarium regium. *Pasta regia.* Ex his ea maxime conficitur quæ pectoris pulmonisque vitiis, & extenuatis succurrunt: cujusmodi est quæ continet, amygdalarum dulcium cortice liberatarum ℥j. strobilorum, pistaciorum recentium & expurgatorum an. unciam dimidiam, pulpæ dactylorum, myxariorum & uvarum passarum an. drachmas sex, gummi tragacanthi & Arabici an. drachmam unam, amyli uncias duas, pulpæ capi elixi uncias quatuor: fructus omnes aqua rosata aliquandiu macerati cum cæteris tundantur, & saccharo modo convenienti paulatim insperso omnia subigantur in massam, ex qua boli aut panes dulciarii fiant cujusvis figuræ, sensim exiccandi, & auri foliis obducendi. Adduntur interdum quatuor seminum frigidorum majorum cortice expurgatorum, seminis papaveris albi & sesamini, an. drachmæ duæ: interdum cinamomi drachmæ tres aut semuncia: interdum ambræ aut musci sex octove grana.

Quæ ex quibusdam horum massa simplicior conficitur, si diligenter subacta in panes aut placentulas concinnetur, furnoque leniter coquatur, fiet qui *Massa* panis, aut Marci panis à junioribus est appellatus. *Massa panis.*

Et hæ quidem præcipuæ sunt sumendarum compositionum formulæ, quæ nunc usurpari solent.

Deinceps quæ foris admovētur tradendū.

CAPUT XVIII.

De externorum medicamentorum formulis, ac primum de humidis.

Fomenta cui usui sint?

IN externis medicamentis prima sint humida *fomenta*, quæ ut variis partibus & *in varios* coaptantur *usus*, ita & ex varia constant materia. *Alia* dolores leniunt, *alia* laxant atque emolliunt, *alia* distringunt, *alia* siccant ac dissipant, *alia* partes corroborant. Sua autem est cujusque affectus & partis apta peculiarisque materia.

Qua materia fiant.

Hæc non aliter quam supra dixi, *ex* convenienti idoneoque *liquore* coquitur, alias ex aqua simplici, cui interdum sub finem vinum vel acetum sit adjectum, alias ex lacte, alias ex lixivio, alias ex ferrariorum aqua. Modus & quantitas tum simplicium, tum liquoris, partis fovendæ magnitudini & situi accommodetur.

Itaque ad *caput* siccandum atque corroborandum, & ad ejus destillationes sistendas, lotio fotusque fiet ex cephalicis stirpibus, tenui lixivio incoctis, addito interdum vino, interdum sale aut alumine. *Ad capitis destillationes.*

Ad *lateris dolores* finiendos, ex mollientibus, anodynis & leniter discutientibus, aqua incoctis, affuso interdum vini albi quadrante. *Dolores lateris.*

Ad *ventriculi dolores* & ejus concoctionem juvandam, ex stomachicis, vino rubro adstringente & aqua percoctis. *Ventriculi.*

 Ad

Tumores jecoris. Ad *jecoris lienisque tumores* & veteres infarctus, ex mollientibus & attenuantibus, quibus & adstrictio lenis ad partium robur accedat, nunc vino albo, nunc aceto sub finem imposito.

Nephritin. Ad *nephritidem* laxantibus & anodynis, aqua simplici vel hydromelite incoctis, fovendum.

Vterum. *Vtero* his quæ tum affectui, tum parti convenient, modo fotu, modo vapore succurritur.

Qua ratione adhibenda fomenta? *Fotus* porro parti affectæ per filtrum, vel per spongiam inducitur, quæ eo ipso jure calente imbuta, ac deinde expressa sit, aut per vesicam, aut lagenam, ejusdem juris plenam.

Insessus. Quum amplior est pars, quam ut fotu ullo tegi tota possit, *insessus* aptandus est, constans copiosiore decocto, in quod pars tota affecta immergi possit: non alia is quam fomentum ratione comparatur.

Quibus utilis? Particulatim autem *mire conducit* tibiarum atque coxendicum doloribus, uteri affectibus mensibusque ciendis, colicis, iliacis, præsertimque nephriticis doloribus. In hunc quippe laborantes partes omnes demersæ, plurimum levantur, nulla reliqui corporis perturbatione.

Balneum quibus utile? *Balneum* vero ut totius est corporis, ita & ejus, tum interioribus, tum externis *confert* affectibus.

Frigidum. Quod moderate *frigidum* est, aut egelidum, aut nondum tepidum, calidiores viscerum intemperies emendat, quibus plerunque corpus universum absumitur atque marcescit: corporis summa refrigerat itemque densat, sudores coërcet, nec tenuem substantiam dissipari sinit.

Tepidum. *Tepidum* quo diutius sine manifesto calorem suscitat & auget, hunc cum optimo succo & alimento in corporis summa evocat, omnia humectat ac modice refrigerat, extenuata implet, habitumque meliorem procurat, nec quicquam sudore halituve digerit: quæ omnia confert, nulla corporis humorum aut spirituum perturbatione.

Calidum. Quod porro *calidius* fuerit, corpus calefacit, rigidis perfrigeratisque nervis atque musculis opitulatur, humores crassos attenuat, concretos diluit, colliquat, fluxilesque reddit, interiora quoque sed maxime cutis spiracula laxat, sudores ciet, multaque dissipat è corpore, hacque ratione ex accidenti siccat. Simul vero his est incommodis molestum, fluxiones si quæ sunt in partes imbecilles auget, spiritus incendit, corpus vehementer exagitat, adeo ut si vel plethoricum vel impurum fuerit, morbo prompte tentetur. Atque balneum ejusmodi simplex esto.

Quid balneum compositum? *Compositum* vero ut fomentum variam materiam, pro affectus symptomatisve natura continet.

Epithema quibus utile? *Epithema* aliter quam olim nunc plerique usurpant, estque tum viribus tum formula à fomento diversum: id similiter parti cuipiam admovetur fereque principi, quam vel ab intemperie, vel ab insiliente malignitate vindicare, vel corroborare consilium est. Id cordi & jecori peculiare est.

E quibus fiat? *Concinnatur* ex aquis stillaticiis aliisve liquoribus, & binis unciis singulæ accommodatorum pulverum drachmæ dissolutæ permiscentur, mixtura deinde tepefacta per spongiam tenuem, vel per pannum mundum imbutum expressumque, parti inducitur. Nonnunquam pulveres aliaque simplicia sacculo includuntur, qui tepentibus aquis inspersus imponitur.

Pro jecore. Ut ad *jecur* calidum & imbecillum id confert, in quo sunt aquarum stillaticiarum endiviæ, cichorii, portulacæ, rosarum, plantaginis an. ℥ij. aceti ℥j. ß. in quibus solvantur rosarum rubrarum, cimarum absinthii, trium santalorum, cyperi, schœnanti, trochiscorum è camphora, singulorum pulveratorum ʒj. fiat epithema.

Corde. *Cordi* vero muniendo atque corroborando superponatur quod habet aquarum buglossi, boraginis, rosarum, cardui benedicti & scabiosæ, vini albi odorati an. ℥ij. in quibus solvantur foliorum melissæ & pimpinellæ, grani tinctorii, xyloaloës, corticis citri sicci, radicum dictamni & tormentillæ an. ʒj. caryophyllorum ʒß. croci ℈j. fiat epithema.

Sacculus minus efficax epithemate. Si pulveres *sacculo* libet comprehendere, crassiuscule terantur ac duplo fere pondere. Sacculos eos ipsos citra ullius humoris perfusionem nonnunquam partibus inducunt, sed usu minore.

Mucilago quibus utilis? *Mucilago* ad humectandum, molliendum & leniendum dolorem in primis *efficax*, tum sola, tum illitui juncta.

Elici

Quomodo eliciatur? *Elici* autem ea solet ex plerisque seminibus, ut cydoniorum, althææ, malvæ, psyllii, lini, fænigræci, quæ aliquantum tusa aut incisa in liquore aut stillaticio, aut alio qui ad rem conducat macerantur: hic tepefactus vel fervefactus dum totus lenti cujusdam mucoris speciem induat, linteo colatur & exprimitur. Singulis autem aquæ unciis singulę seminum drachmę satis sunt. A Sic cydoniorum & psyllii contusa semina, in aquis solani & plantaginis macerantur, ad erysipelata & quasvis inflammationes. Sic ad molliendum althææ & lini mucilago elicitur ex jure ficuum, & fænigræci mucus ex aqua chamemęli aut salvię aut ex hydromelite, cum quid leniter resolvi postulat.

CAPUT XIX.

De oleo, cerato, unguento.

Oleum simplex fit, OLei genus statuendum *duplex*, unum *simplex*: *mixtum* alterum.

Simplex fit aut *pressu*, aut *destillatione*.

Pressu, *Pressu* ex fructibus, baccis aut seminibus oleagineis, quæ mortario tusa, & aquæ calidæ vapore tepefacta, sacculoque inducta torculari premuntur dum purum emanet oleum. Ita quidem ex amygdalis dulcibus & amaris, pistaciis, strobylis, nucibus avellanis & juglandibus, atque etiam ex baccis lauri, juniperi & myrti, ex seminibus lini, canabis, ricini, cucurbitæ, cucumeris, papaveris & hyoscyami, denique ex uvarum acinis tritis, calefactis & torculari expressis oleum simplex elicitur.

Destillatione. *Destillatione* vero ea quæ *per descensum* appellatur ex lignis, herbarum foliis arefactis, & olla comprehensis, vi ignis superpositi oleum in vas subjectum & agglutinatum profluit, quod fere empyreuma redolet: qua ratione oleum eruitur è junipero, tartaro & è lateribus quod philosophorum nuncupant. Elicitur & destillatione *per ascensum* dicta, quomodo supra docui quintam essentiam junioribus inventam, è stirpium materia sejungi, præcipuamque earum vim cum odore atque peculiari sapore retinere.

Oleum mixtum. *Mixtum* porro oleum è simplici fit, in quod stirpium, fructuum, florum, & quorumvis simplicium materia mergitur: id deinde insolatur vel coquitur, dum inditæ materia vires prorsus hauserit, tum demum exprimitur atque reconditur. Sic oleum fit rosatum, violatum, melinum, rutaceum, vulpinum, scorpionum, lumbricorum, aliaque generis hujus complura.

Fit è simplici oleo, Simplex oleum ex olivis aut amygdalis expressum *sumitur*, omnis alienæ qualitatis expers, purissimum ac optimum, quod integre ac pure eorum quæ infundentur, velut communis quædam materia, vires excipiat. Hoc autem, ut pulchrius synceriusque evadat, & ne tempore pinguescens aut rancescens sordescat, tetrumque nanciscatur odorem, lavari in primis debet, vel aqua simplici, vel rosacea, blandeque agitari, aqua subinde mutata dum prorsus albescat.

In eo macerantur medicamenta quadrantis, aut (ut vires erunt) sextantis pondere. *Maceratis in eo medicamentis.* Si non insolatu, sed coctione comparandum id est, cum medicamentorum materia humor quoque aliquis ut vinum, aqua simplex vel stillaticia, vel succus de recenti stirpe extractus affundatur, & eousque decoquantur dum humor omnis absumptus fuerit, & olei guttula igni data non amplius crepitet, ne si asservandum fuerit, putredine situve inquinetur. Humoris indendi modus quadrans ad oleum aut etiam triens esto: aut oleum sine humore duplici vase sensim coquatur, ne fervendo ustionis vel nidoris insuavitatem conquirat.

Atque hæc & similia composita olea veteribus Græcis quidem μύρα, Latinis vero *unguenta* ceu unguinosa odoramenta appellantur. *Hoc unguentum veteribus dicebatur.* Unde myropolæ & unguentarii dicti qui aromatibus atque aliis odoratis rebus olea imbuunt ac spissant ad odoris gratiam. Ipsis siquidem ejusmodi odores conditi expetebantur, non ad fomenta solum & catalapsmata, aut ad ulcera inunctionemve corporum, quibus vario usu illinebantur, sed propter fragrantiam etiam & suavitatem odoris: quæ quidem

nostris quoque & oleis unguentis quoad fieri potest concilianda esset, sed ea in re medicorum in primis, dein & pharmacopœorum accusanda est incuria. Quinetiam simplex quodvis oleum si fragrabat, unguenti nomine dignabatur. Unde laurinum unguentum Galeno dictum: & Stacte perquam odoratum & preciosum unguentum per se efficere tradita Dioscoridi.

Embrocha quid? *Embrocha* non est ulla medicamenti compositio, sed utendi quædam ratio: partis nempe cujusvis irrigatio atque perfusio oleo facta, quod vel alte cadendo, vel blande fricando intro adigitur.

Ceratum quomodo fiat? *Illitum* appellamus quod veteres *ceratum* mollius dixerunt: ex oleo & cera in id comparatum, ut olei vis atque facultas cuti diutius insideret. Oleum quippe permisto ceræ triente aut quadrante incrassatur. Sed ut temporis & cæli constitutio fuerit, ceræ plus minusve indendum est, ut æstuoso cœlo plus, rigido vero minus. Cera minutim concisa in oleum conjicitur, eaque liquantur simul vel igne lento, vel ne exustionem redoleant vase duplici: vix dum liquata igni subtrahuntur, continenterque rudicula permiscentur dum coëant. His interdum adipes adduntur, & axungiæ, & mucilagines, quæ paulatim quoque refrigerando permiscentur. Si nihilominus exustio metuitur, cera pilo calido subigenda est, adjecto adipe aut mucilagine, ut res postulat, sensimque affuso oleo, dum omnia in linimenti mollitudinem concrescant.

Ejus generis est Acopum. Hoc genere continentur quæ quod fatigatis nervis affectisque lassitudine musculis sint utilia, *acopa* Græci dixerunt: cujusmodi est quod habet, olei, ceræ an. ℥ij. terebinthinæ ʒij. mellis ℥ß.

Vnguentum recentiorum è quibus constet. *Vnguentum* id *jam* appellant quod Græcis est ἔγχριστον, medicamentum quidem quod in cerato molli crassiusculam quandam materiam confusam habet, ut idcirco ceratum crassius appellari jure possit. Ea autem est herbarum arefactarum, aut metallorum, aut terrarum pulvis tenuissimus, qui refrigescenti cerato inspergitur, & ne quid grumosum maneat, accurate spatha permiscetur. Id cerato seu linimento aliquanto crassius evadit.

Quomodo fiat? *Mixturæ modus* est ut oleum pulveris quadrantem, ceræ vero sextantem contineat. Succi quum ex usu erunt & gummi & resinæ, ficciores quidem ut pix, ut mastiche, teruntur: humidiores ut terebinthina instillantur: mediæ ut ammoniacum & bdellium, aceto, vino, aut alio liquore solutæ induntur, siccanturque dum, absumpto humore, moderata sit unguenti consistentia.

Qua quantitate præscribendum? Illitus aut unguenti *præscribendi quantitas* vix duas transcendit uncias, nisi affectæ partis amplitudo majorem postulat.

CAPUT XX.

Puls, cataplasma seu malagma, emplastrum.

Quomodo fiat puls? PVls ad demulcendum dolorem, ad molliendum, ad resolvendum & ad concoquendum; ex farinis fit liquore quodam solutis, & moderata coctione coactis. Nonnunquam & panis medulla farinarum vice substituitur: ut quum ad arthritidis dolorem panis mica lacte bubulo diluitur, coquiturque adjectis sub finem vitellis ovorum & croco. Nonnunquam mucilagines pro liquore sunt, ut si in libra una mucilaginis seminum althææ, lini & fœnigræci, paulatim igne lento hordei farina inspergatur, coquaturque cum ovorum vitellis & croco dum pultis forma existat. Butyrum, adipes & olea his inter coquendum continenter misceri possunt, idque in varios usus, & ne puls dum laboranti particulæ insidebit, præpropere siccescat.

Cataplasma? *Cataplasma* ad eosdem fere usus atque puls accommodatur, media inter unguentum & emplastrum, quasi ex amborum materia mixtum, consistentia. Fit ex radicibus, herbis, floribus, surculis, coctis atque contusis dum abunde mollescant, adjectis dein farinis & oleis. Unde non aliud cataplasma censeri debet, quam quod veteres malagma dixerunt, cum & ex his ipsis quæ dixi medicamentis malagma confici Celsus tradat. Itaque recentes radices, herbæ, flores, surculi, fructus, præsertimque

que caricæ coquuntur dum contabescant, cribro cernuntur, cretis adduntur & mucilagines, & farinæ, & adipes, & olea, rursumque coquuntur dum in pultis aut concreti mellis crassamentum coëant. Hoc deinde cataplasma linteo aut stupæ canabinæ inducitur, & super integram cutim injicitur.

Quæ ingredientium proportione? Omnium autem *modus is esto*, ut stirpium pars sit una, farinarum semis, adipis aut olei quadrans. Si quæ semina, aut radices aridæ, stirpes indendæ fuerint, pulveratæ substituentur pro farinis hac formula: ℞. Radicum althææ, liliorum & iridis an. ℥ij. caricas sex numero, malvæ, violariæ, parietariæ, rutæ, absinthii, an. m. j. coquantur & cribrentur, deinde addendo florum chamæmeli & meliloti, seminis anisi & feniculi pulveratorum an. ℥ß. coquantur in cataplasma.

Sinapismus. *Sinapismus*, tum qui cum axungia tum qui sine hac fit, in cataplasmatum est genere. Conficitur enim ex pulpæ ficuum & fermenti pari pondere, quibus seminis sinapis contusi quadrans concorporatur. Nonnunquam adduntur & farinæ adipes sed ea semper ratione, ut sinapi compositionis totius pars sit quarta, tametsi ejus vis intendi remittive ex causa potest.

Emplastrum quibus utile? *Emplastro* forma solidior inest, quoniam id non inditur in ulcera, sed parti superinducitur, iccirco maxime ut eam corroboret & exiccet, vel impactos ei humores digerat, interdum ut concoquat, raro ut emolliat. Non enim emplastri substantia intro se infert, sed foris insidens quæ subjecta sunt potius in se rapit & evocat.

E quibus conficiatur? *Præcipua ejus materia*, aut lithargyrus est, aut cera, aut gummi aliquod, aut permista omnia, quibus tamen oleum aut adeps additur, ut apte cohæreant, nec partem cui inducantur inquinent, & quod ex his agglutinatis emplastrum fit, non adeo tenaciter parti adhærescat ut ægre summoveri possit. Sic quod tetrapharmacum appellant, ex oleo, cera, pice & resina coalescit. His lentis glutinosis ac vere emplasticis, aridarum stirpium aut metallorum creti pulveres plerumque induntur, omniaque legitime concorporantur.

Qua ratione? *Primum* autem si cera inditur, ea liquatur in oleo: si lithargyros, ea quoque ex oleo coquitur: si qui præterea insunt herbarum succi & liquores aut mucilagines, cum his pariter fervefiunt dum absumantur. Postea vero his permiscentur adipes, & resinæ, & gummi, ut ammoniacum, bdellium, sagapenum, aut pura, aut liquore quodam velut aceto, aut vino soluta: postremo terebinthina infunditur. His demum confusis & in legitimam temperaturam coctis, igne subducto pulveres paulatim insperguntur, agitanturque spatha dum omnia in massam coëant. Ex hac manibus oleo perunctis subacta finguntur magdaliæ, ac tum tenuissima quæque admiscentur, ut crocus humore solutus, moschus, ambra & cætera quæ ignis vim nullam sustinent. Magdaliæ ea sint consistentia quæ minime manus inquinent, & lentam nihilominus solidamque emplastri nanciscantur formam, nec mollem, nec plane duram. Sic igitur singulorum in temperatione quantitas judicio potius quam legibus præscribenda: quam qui non obtinuerit, liquidis denuo vel siccis malaxando adjunctis, aptam compositionis formam inducet.

Est porro & alia simplicior emplastri species, cum prætermissis lentis hisce & glutinosis, ceræ plusculum oleo liquatur, ut indendos pulveres comprehendat. *Ceratum durius*, non autem emplastrum id juniores appellant. *In hoc oleum* & cera pari sunt pondere: at nihilominus cum æstas est aut recens pinguisque cera, paulo minus sit olei; plus vero si vetus aridaque cera aut hyems fuerit. Si qui pulveres conveniant, hi detracta ceræ portione substituendi erunt. Et hoc quidem ceratum est durius. Ut autem emplastri forma existat si quod gummi, aut terebinthina, aut adeps, aut medulla exigitur, minuendum est oleum. Si vero resina, pix, metallica, aridæ stirpes, aut alia quævis exiccata atque pulverata inerunt, minus esto ceræ. *Ceratum durius è quibus fiat?*

Qua ratione? Antequam aut horum pulveres indantur, reliqua quæ in cerati compositionem venerant, *coquantur* dum bene coëant, & eousque dum exempta eorum portio atque refrigerata legitimam emplastri consistentiam habere videatur, crassaque sit mediocriter, & ut cera igne remollita sequax & quadam tenus glutinosa.

Junio-

Qua ratione tela emplastica? Juniorum quorundam sedulitas formarum varietate capta, *telas emplasticas* invenit, quæ pro partis affectę magnitudine confectæ & impositæ, aliæ resolvunt, aliæ ulcerum sordes expurgant, aliæ illa agglutinant & cicatrice obducunt, non in alios quam emplastrum usus aptæ. In emplastrum quod coquendo legitimam prope consistentiam sit assequutum, tela vetustate quodammodo jam attrita demergitur, emplastro convenienter utrinque imbuta atque A infecta, extrahitur tenditurque, ut refrigerata obdurescat, ac tum demum obvoluta reconditur, ut quæ sic habet: olei, axungiæ porci, lithargiri, an. ℔j. ceræ novæ, axungiæ arietis, picis nigræ tusæ an ℔ß. coquantur sensim, sub finem addendo colophoniæ pulveratæ uncias novem, cerusæ uncias tres: quum idoneam substantiam compositio nacta fuerit, immergendum linteum, dum utrinque infectum sit satis: atque ubi refrixerit, recondendum.

CAPUT XXI.

De siccioribus medicamentorum formis.

Pulvis fit ad externa ut ad interna. P*Vlvis* ad externos affectus, sive è stirpibus & earum seminibus, sive ex metallicis & terrenis petitur, non aliter quam sumendus apparatur: quanquam interdum formæ quædam crassiusculum postulat. Is in *varias* coaptatur *formas*, in *sacculum*, in *scutum*, *frontale*, *cucufam*, *suffitum*.

Qua ratione ex eo fiat sacculus? *Sacculus* pro fomento sicco est ad flatus dissipandos, ad dolores qui ex his orti fuerint demulcendos, ad refrigeratos artus, ad humores evocandos & absorbendos, denique ad destillationes sistendas. Ejusmodi est qui continet milii ℔ß. salis vulgaris ℥iiij. baccarum lauri modice contusarum B ℥ij. sem. anisi, feniculi, carvi & cumini, florum chamæmeli, comarum anethi, an. ℥j. integra nec tusa omnia sartagine torrefiant, & protinus recondantur in sacculum: calidus capiti, ventri, aut cuivis parti affectæ inducatur, subinde mutetur dum optatum effectum præstiterit.

Scutum? *Scuti* forma ventriculo peculiaris est, in id maxime ut illius insitum calorem suscitet, concoctionem juvet, illique omnino robur addat. Atida materia crassiuscule teritur ad unciam unam vel sesquunciam, C carptoque bombace excepta geminis linteis consuitur in scuti formam. Ut in eo quod habet rosarum rubrarum, mentæ, absinthii, salviæ, sampsuchi, anethi an. ʒij. caryophyllorum, nucis moschatæ, galangæ, schœnanthi an. ʒj. Redigantur in pulverem ex quo cum bombace scutum concinnetur.

Cucufa seu cucullus? Non alia ratione *cucufa* minutim consuitur, ad frigidam capitis intemperiem, & ad dolores inde genitos, ad destillationem sistendam, modo ejus forma capiti apta sit & conveniens. Pulveris modus duarum est unciarum: ut qui recipit salviæ, sampsuchi, rorismarini, stœchedos, betonicæ, an ʒij. corticis citri sicci, granorum alckermes an. ʒjß. piperis, carpamomi, caryophyllorum, nucis moschatæ an. ʒj. referantur omnia in cucufam. in eosdem usus is quoque pulvis interdum capillis inspergitur. Ex cardiacis ut ex melissa, floribus buglossi & rorismarini, ex semine ocymi, cardui benedicti, xyloaloë, macere, singulis pondere drachmæ unius cum croci scrupulo, sacculus intersuitur cordi aptus.

Ex his præterea quæ capitis ardorem compescunt & somnum conciliant, ut ex rosarum, florum nymphææ, violarum, betonicæ, serpilli an. ʒj. *frontale* concinnatur: *Frontale.* quibus si conciliandus somnus erit, addentur lactucæ, papaveris albi & hyoscyam olia aut semina.

Suffitus quibus utilis? *Suffitus*, & odoramenta *ad spiritus* reficiendos & cor exhilarandum, ab externaque malignitate vindicandum: ad crassam pulmonum pituitam & infarctus solvendos: ad siccandum roborandumque cerebrum, ejusque destillationes coërcendas, ex convenienti singulorum fiunt materia.

Quomodo fiat? *Hæc trita* aut prunis candentibus inspergitur, ut odoratum fumum expiret: aut aqua rosarum stillaticia vel alia odorata diluitur, quæ sensim igne incalescens suavem halitum edat: aut in pilę pomive formam conglomerata, in odoris gratiam circunfertur.

Pro cerebro, Ad siccandum corroborandumque *cerebrum* efficacior est suffitus siccus, qualis ex suc-

succo cyrenaico, xyloaloe & caryophyllis: sistitur destillatio suffitu ex rosis, mastiche, vernice.

Pulmone. *Pulmones* expurgat ex tussilagine, iride, thure, aut sulphure.

Cordi. *Cordi* halitus confert ex xyloaloe, caryophyllis, nuce moschata, calamo aromatico, styrace, benioin, ambra, moscho, quæ trita ut veterũ thymiamata, vel in pastillos referuntur, vel aqua rosarum, vel lavendulę, vel florũ aranciorũ soluta, igni superponuntur.

Quomodo fiat pomum odoratum. Ex horum quibusdam pulveres fiunt odorati, ex his rursum ladano exceptis *poma odorata*, ut quod habet styracis aridæ ℥ß. calami aromatici, benioini, rosarum rubrarum, majoranæ siccæ, radicis iridis florentiæ an. ʒiij. macis caryophyllorum an. ʒij. ambræ, moschi, an. ℈ß. ladani purissimi quantũ ad omnia concorporanda desideratur. Pilo malaxantur calido, affundẽdo sensim aquã rosarum, aut naphthę vel terebinthininæ momentum, ut tenacior massa fiat.

Sapo. *Sapo* quoque horum permistione odoratus evadet, hac ratione, ℞ saponis albi (qui ex vervecis adipe, ex calce & sale constat) ℔j. radicis iridis florentiæ ℥j. mentæ, majoranæ, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ʒij. aquæ lavendulæ quantum satis fuerit ad concorporandum.

Cypriæ aviculæ. *Cypriæ* quæ vocantur *aviculæ* eos ipsos pulveres habent, cum duplo aut triplo carbone è salice: ex his deinde, vel ladano, vel terebinthina coactis junctisque effinguntur avicularum formę, quę citra flammam ignẽ facile admittant, è quo fumus expireŕur.

Tedæ. Si pulveres cum cera subigantur, ex hac concinnatæ minutiores *tedæ*, quum incendentur, jucundum quoque halitum edent. ℞ Carbonis salicis ℥iij. styracis, calamithæ ℥ij. benioin ℥j. caryophyll. pulveratorum ℥ß. concorporentur cum gummi tragacanthæ, effingaturque vel tedæ vel aviculæ.

Methodi medendi libri quarti finis.

LIBER QUINTUS, METHODI MEDENDI
De usitata interiorum MEDICAMENTORUM MATERIA.
PRÆFATIO.

Singula medicamenta per classes virium tradenda. De simplicium medicamentorum *viribus generatim quidem dixi, & qua ratione permisceri illa componique debeant. Nunc vero particulatim omnem eorum materiam persequi, & in quasdam* facultatum classes *digerere consilium est, quæ summis affectuum generibus ex adverso respondent, ut unicuiq; medicinã facturo statim cõstet & in promptu sit, quod remedium ad curationem, tum interioris, tum externi affectus proferat.*

Adnotatis his quę cuique peculiaria sunt. *In id autem non solas simplicium medicamentorum quæ in eodem sunt genere, sed & sin*gulares, ac proprias cujusque vires, *tum veterum tum nostra observatione cognitas recensebo, ut ex unoquoq; genere quid ad quemvis affectum aptius conveniat accommodatumq; sit, seligere liceat. Non enim quæcunq; uno & eodem genere continentur ut attenuantia, prorsus similia sibi sunt: sed singula insuper peculiares sibi vires sortiuntur, quibus ad hunc illumve affectum magis conducant, aut hanc potius quam aliam partem juvent.*

Quo viriũ classes sint? in internis. Universalis *porro* interiorum *affectuum curatio iis completur, quæ partis cujusque intemperiem corrigunt, quæ humores emolliunt, attenuant aut detergent, quæ corporis vias leniunt & aperiunt, in quibus posita est omnis ad vacuationem præparatio: iis deinde quæ jam præparatos humores detrahunt & vacuationis reliquias ex quavis particula eximunt, quæ prorsus expurgatas partes ab omni malignitate aut temperiei labe vindicant, quæ illas tandem corroborant ac firmant.*

In externis morbis *Posthæc vero non admodum dissimili serie* externarum *facultatum materiam distinguam.*

Quæ autem medicamenta singulis morbis *atque symptomatis peculiari quadam dote opem ferunt, in particulari singulorum curatione tradentur.*

In singulis classibus selecta tantum adferenda.

In his recensendis tum universalibus tum particularibus remediis, ex immensa medicamentorum sylva ea solum protuli, quæ velut optima *& in hominum salutem usu longo comprobata, medendi exercitatione usurpari debent. Quæ nulla naturæ & virium offensione cognita fuerint languentibus opem ferre, eximio quasi cultu servanda sunt, nec temere in nova quævis & incomperta prorumpendum. Sapore multa aut profutura, aut nihil certe nocitura putantur, quæ sæpe vidi tacitis viribus, sola observatione noscendis, alia sumpta, alia solum admota, in perniciem summam & exitium miseros præcipitare. Vtinam qui omnem ætatem discendis stirpium nomenclaturis conterunt, operam suam iis experiendis sedulo navarent. Vt in rebus cæteris quæcunque optimæ sunt habitæ, magno mortalium usu retinentur, aliæ vero tempore exolescunt, ita & in stirpibus credi par est, eas omnium esse præstantissimas, quarum prisca etiam nunc extant nomina.*

Quocirca non *operæ precium esse duxi, hoc loco* stirpes *singulas &* metalla, *atque* res *omnes è terra marique comparatas, in medendi usum eorum more coaptare, qui omnia peræque indignis laudibus quasi encomiis celebrare contendunt, naturæ potius inani ostentatione, aut admiratione, quam medicinæ fructu.*

CAPUT I.

Quæ simplicem intemperiem corrigunt.

Intemperies corrigitur,

PArtium interiorum totiusque corporis simplicem *intemperiem emendat* contrariorum usus, quæ sumpta aut *qualitate sola*, aut *sua pariter materia* nos immutant.

Vel alterantibus,

Qualitate sola, quæ non in nostram vertuntur substantiam, sed prætereuntia suam nobis qualitatem impertiunt, & intemperiem immodicam temperant. Horum alia *frigida*, alia *calida, humida*, aut *sicca* existunt.

Frigidis,

In *frigidorum* genere primas obtinet aqua simplex frigida, quæ citra ullum substantiæ nostræ incrementum, exuperantem calorem obtundit: ad quam deinde accedunt oxycratum, & potiones non paucæ ex aqua comparatæ, & mali punici, & citrii, & consimilium simplicium succi, in quibus tamen & alia quam refrigerandi facultas inest.

Calidis,

In *calidorum* genere habentur piper, zinziber, pyrethrum, sinapi, & quæcunque citra alimenti conditionem refrigeratas corporis partes calefaciunt, depulsoque frigore calorem suscitant.

Humidis.

Sic propemodum de *humidis* atque siccis A statuo, aquæ potum aut balneum etiam intro subeat, & inanes corporis capacitates impleat, quod tamen minime in corporis naturam mutetur, simpliciter humectare: *Siccis:* quemadmodum & violam, & malvam, & althæam, & hordei decoctum, potus vero parsimoniam & arida omnia, quod eum supervacuum humorem absumant, *exiccare.*

Vel materiam suppeditantibus,

Materia pariter atque qualitate intemperiem emendant, quæ coctione in sanguinem & succum vertuntur alendo corpori idoneum, qui pristinæ qualitatis semper particeps, conditionis suæ quandam substan- B tiam gignit in nobis: sicque pro dissipata calida frigidam substituens, atque reponens, cum substantia ipsam quoque intemperiem mutat novamque suggerit. Ea sunt quæ alimenta dicuntur medicamentosa.

Frigidis &

In *frigidorum* ordine sunt lactuca, cucumis, pepo, cerasium, aliique fructus complures, qui, dum nos alunt, nos pariter refrigerant, & exuperantem partium humorumque calorem obtundunt.

Calidis,

In *calidis* numerantur vinum suave, uva passa, strobili, pistacia, sorbilium ovorum vitelli, & juvenum quadrupedum avium-

que

que carnes: horum quippe usu corporis substantia alitur, & pro frigida calidior redditur, nativus quoque calor fovetur atque suscitatur.

Humidis. In *humectantibus* ea sunt quæ non humore supervacuo, sed utili & alimentario partium solidarum substantiam implent, alunt & augent, citra ullum caloris aut frigoris præter naturam incrementum, ut hordei cremor, pullorum gallinaceorum aut columbinorum decoctum, hœdinæ aut vitulinæ carnis jusculum, in quo etiam humidiores herbæ sint incoctæ.

Siccis. Corporis vero substantiam vehementer *siccat* & absumit inedia, idque ex accidenti, per se autem panis biscoctus & arefactus è fabis, pisis, hordeo & milio torrefactis & sale cōspersis, & meracius guajaci decocti jus.

Quorum materia copiosa est. *Copiosa* est tum alimentorum, tum medicamentorum, tum etiam cęterorum remediorum *materia*, quibus intemperies omnis emendari abigique solet, nec integre potest eorum tractatio sine medendi ratione compleri.

CAPUT II.

De præparantibus.

Humores intemperiem inducentes præparandi primum. Simplex intemperies diutius vix solitaria subsistit quin sibi consentanei humoris ejusque supervacui proventum faciat, & ex simplici composita evadat: hæc uero non ante potest commode tolli, quam vitiosus humor qui illius comes est expurgatus fuerit. Expurgari autem convenienter nequit ante præparationem idoneam: hæc igitur si deest, vacuationi est præmittenda, fereq; curationis est initium.

Est autem *præparatio duplex*: una *corporis*, *humorum* altera.

A natura, *Vtraque* rursum aut *natura*, aut *artis* fit beneficio.

Natura quidem in concoctione, qua sensim inutiles & supervacui humores, insiti caloris vi mitificantur & domantur, acres frenantur, crassi attenuantur, duri molliuntur, lenti deterguntur, adeo ut non amplius vel partibus vel viis ipsis adhæreſcant. Eos tandem sic concoctione præparatos, natura plerumque vel sponte vacuat: in idque opus illa etiam vias per quas excretura est dilatat atque patefacit.

Aut arte, Cæterum cum non semper natura valeat sola humorum vitia domare, ut in diuturnis morbis, sed nec in acutis omnia illi tuto commiseris, idcirco *artis subsidio* illam plerumque adjutare cogimur, præsertim autem vacuatione, & ante hanc tum corporis, tum humorum præparatione. Hac quidem non vere coquuntur humores superuacui, sed fervidi & acres temperantur, crassi attenuantur, duri molliuntur, lenti deterguntur, & corporis exasperatæ viæ leniuntur, clausæ patefiunt aperiunturve: atque in his maxime posita est omnis tum corporis tum vacuandorum humorum præparatio.

De singulis igitur particulatim dicendum.

Cujus qualitatis & materiæ sit medicamentum domans humores, Frænans *domansque medicamentum* dixeris quod ferocientes humores, turgentes & quoquoversum impulsos coërcet atque compescit, ut eorum perturbatione sedata, facilior fit in alvum deductio. Id autem frigidum esse oportet, non tenuis substantiæ, ne magis exagitet, neque tamen crassæ, quod hæc vacuationi obsit, sed quodammodo mediæ: cui etiam austeritatis quiddam sit adjunctum: hæc enim peculiari dote ferocientis humoris acrimoniam obtundit. Itaque medicamentum ejusmodi sapore austerum, acerbum & quodammodo crudum existit, ut omphacium, succus oxalidis, mali punici acidi, citrii & medici, succus quoque oxyacanthæ & ribes: his enim maxime bilis retunditur acrimonia.

Concitans, Contrarium huic est medicamentum acre, quod vehementi calore & tenuitate bilem auget, eamque *concitat* & in furorem agit: quo genere est sinapi, nasturtium, piper, cardamomum, omneque calidiorum aromatum genus.

Detergens, *Detergens* medicamentum, Græcis est ῥυπτικὸν, tum calidis tum frigidis humoribus præparandis aptum accommodatumque est, quod utrisque lentor plerumque insit. Id lentos atque glutinosos humores, aut visceribus, aut internis meatibus, aut etiam ulceribus cutisve poris præter

ter naturam adhærescentes eluit, prætereunsque secum deducit atque rapit. Quod *cutis poros* expurgat, quia in eos penetrare debet, tenuis cujusdam & nitrosæ est substantiæ: quod vero *interiore* infarctu liberat, siccum est & mediæ cujusdam substantiæ: quod enim tenuis est, celeritate nimia citra effectum ullum penetrat, hoc vero mora quadam & moderata crassitie lentos humores convenienter abradit. Sapore id fere amaro est, qui & in eadem substantiæ mediocritate considet: hæc illius detergendi facultas interdum cum frigida est intemperie, ut in cichorio, & omni intybi genere: sed efficacior cum calida, quæ tamen citra ordinem tertium existat, ut in absinthio, in aristolochia & centaurio.

Exterius, Interius,

Glutinosum,

Huic ex adverso opponitur *glutinosum* ἐμπλαστικὸν; cujus partes colligatæ invicem tenaciter cohærent. In quamcunque id corporis partem impegerit, ei firmius adhærescit, eam oblinit, atque etiam si cava est obstruit: vere inquinans, infarciens & emplasticum id est. In interiores corporis ductus insertum, eos obstruit & infarctu implet: cutis meatibus illitum tenaciter hæret, eosque fortiter obstruit. Huic media quodammodo est materia, humore multo aqueo vel aëreo, sed tamen tenaci perfusa: citra manifestum calorem in quadam calidi frigidique mediocritate. Ejusmodi est quod pingue appellant, quodque dulci est sapore, aut insipidum, nec acre, nec mordax, nec acidum, ac salsum, nec amarum.

Attenuans,

Attenuans medicamentum, quod Græcis est λεπτυντικὸν, crassos atque compactos humores incidit, comminuit & varie disjungit. Id facile penetrare oportet, ac proinde tenuis esse materiæ: sive pariter frigidum sit, ut acetum, sive calidum, ut piper. Cæterum quod in tenui materia calorem habet secundo aut tertio recessu, estque fere sapore acri, id in attenuantium genere valentissimum est.

Incrassans,

Incrassans quod Græcis est, παχυντικὸν, tenues fluxosque ac liquidos humores consistentiores compactioresque reddit. hoc vero efficit dum crassa sua materia se tenuioribus illis permiscet, perinde ac si aquę terra inferatur fiatque lutum. Sita est hæc vis & facultas in crassa & terrena substan- A tia, quæ aut frigida, aut temperata sit, citra ullam acrimoniam.

Deobstruens.

Obstructione & *infarctu liberans*, quod Græcis est ἐκφρακτικὸν, non simplex est & uniusmodi, ut neque una atque simplex est obstructionis ratio. Sed ut hæc vel à lento, vel à crasso fit humore, ita & quod obstructione liberat, vel detergens est vel attenuans, vel etiam interdum emolliens. Præcipue autem infarctu liberans id appellare liceat, quod unum potest omnia præstare.

In his igitur posita est vacuandorum humorum præparatio: at vero eam quæ corporis est, hæc præcipua faciunt.

Cujus qualitatis & materia sit medicamentum corpus præparans leniens.

Leniens seu lævigans, Græcis est λειαῖνον, B asperas & summa facie inæquales partes æquabiliter implet, ac planas lævesque reddit. Exquisite humidum id est, humore multo aqueo atque etiam aëreo abundans, in mediocri tamen & minus crassa, quam glutinosa materia, quæ tamen humorem ipsum cohibeat, nec diffluere sinat, ut melius implendis partibus atque lævigandis adhærescat. Estque quemadmodum & glutinosum in quadam caloris frigorisque mediocritate, omnis acrimoniæ & vehementioris qualitatis expers.

Exasperans.

Exasperans, τραχῦνον Græcis, detergente multo est validius, ut non solum sordida & aliena eluat, sed & partium quibus adhærent substantiam corradat, & quadam inæqualitate divellat. Id certe vehementer siccum est, & calore quodam præditum, in mediocri tamen materia: hoc genere C sunt centaurium minus, aristolochia, aloë & quæcunque vehementer amara sunt, salsa & acria.

Aperiens.

Aperiens medicamentum, quod ἀναστομωτικὸν appellant, vasorum ora reserat, omnesque interiorum partium ductus, ut venas, arterias, ureteres & intestina dilatat & amplificat: quæ connivent junctave sunt solvit longiusque disjungit. Id substantia est mediocri, sed tamen calida, ut alte penetret, nec immodice sicca, ut commodius relaxet, nec vias coarctet.

Occludens.

Occludens atque congustans, quod venarum & arteriarum ora reliquosque corporis ductus coarctat, & in angustum adducit, Græcis est συνακτικόν. Crassioris id substantiæ est, frigidum pariter & siccum, omnis

omnis expers acrimoniæ & amaroris, ut quod in austerorum adstringentiumque genere primas obtinet.

Dissolvens, *Dissolvens* διαφορητικὸν dicitur, quod intro sumptum detergendo & attenuando, non solum obstructas vias aperit, sed & obstruentes humores in corporis summa impellit, eosque tandem vel sudore vel halitu A dissolvit. Id autem substantiæ est tenuis & calidæ, ut detergendo attenuandoque celerrime penetret in omniaque subeat: huic ex adverso est cohibens, & tenuis humoris dissolutionem coercens: quod certe vel crassum omnino est vel oblinens.

Deinceps autem sit de expositarum facultatum materia tradendum.

CAPUT III.

Frigida quæ æstuantem & ferocientem bilem compescunt, inhibentque putredinem.

Frigida triplicia sunt. FRigidorum medicamentorum *alia* simpliciter refrigerant, ut lactuca, *alia* refrigerando acrium humorum impetum sedant, ut mali punici succus, *alia* attenuant & detergunt infarctuque liberant, ut cichorium: de quibus sigillatim dicendum.

Quæ simpliciter refrigerent, & acrium humorum impetum sedent? *Lactuca* frigida est initio tertii, humida secundo, idque simpliciter citra adstrictionem aut ullius qualitatis excessum, cruda quæ estur, aquæ frigidæ modo refrigerat, ventriculi & præcordiorum æstum compescit, bilem fervidioremque sanguinem frenat. Neque tamen ut aqua emollit, aut ventriculi præcordiorumve robur solvit, sed nulla offensione pro succo fervido temperatiorem profert, eumque benignum ac probum. Ea temperatione somnum accersit, veneris insomnia coërcet: ad quæ ejus quoque semen usurpari solet.

Portulaca frigida ordine tertio, humida secundo, sapore austero, bilis fervorem per febres maxime ardentes atque malignas, ejusque ferocientis & concitatæ impetum sedat, & putredinem cohibet ne serpat longius. Ventriculum corroborat, ejusque vomitiones sedat, cum præsertim siti à bilis ardore exæstuat. Ventris quoque biliosas fluxiones atque dysenteriam sistit. Cruda acetariis expetitur, herbæ coctæ jus & interdum succus medicamentis, quorum penuria semen usurpatur.

Plantago utraque frigida siccaque est ordine secundo, modice adstringens folio & semine, radice quoque abigendis febribus peculiariter est efficax. Ea quoque bilis fervorem compescit, sitim sedat, etiam si vel decocti jus, vel stillaticius liquor ore A contineatur. Sanguinis rejectiones alvique biliosos fluores & dysenteriam cohibet: at nihilominus jecur renesque infarctu liberat.

Rosa frigida primo, sicca ordine secundo, leniter adstringens, præsertim *alba*, *rubra* vero paulo minus frigida, sed sicca adstringensque magis. Quocirca bilis æstum retundit, confertque ad febres ardentes & quascumque putrescens biliosus humor procreaverit. Ventriculum jecurque corroborat, & effluvia reprimit quibus per febres caput tentatur, ejusque dolores demulcet & somnum conciliat. Quod sapore B non admodum jucundo sit, stillaticius liquor hujus in eadem non minori facultate accommodatur. *Rosa pallida* caloris est particeps atque siccitatis in tenui substantia, multoque magis quæ *moschata* appellatur. Utraque amara abstergensque venarum, arteriarum ac præcipue jocinoris obstructiones expedit, nec secus ac aloë crebro usu ora venarum aperiens sanguinem prolicit: bilem flavam serososque humores subducit, ac proinde morbo regio incipientique hydropi non parum confert.

Omphacium uvæ acerbæ & nondum ma- C turescentis succus, frigidus est ordine secundo, siccus primo, austerus quemadmodum & fructus omnis crudioris succus. Aestum omnem febriumque ardores valde compescit. Incipientes phlegmonas cohibet, putredinem coërcet ac sitim extinguit. Ac nihilominus jecoris obstructiones expedit, ut idcirco regium morbum fœdosque colores abstergat: quę dum prestat leni simul adstrictione ventriculum je-

jecurque corroborat, nec ut acetum acrimonia ferit.

Cerasium quod rubrum *subacidumque* est, frigidum ordine secundo siccumque primo est, languenti stomacho confert, appetentiam excitat & sitim extinguit. Ejus succus quum vini modo expressus deferbuerit fæcemque deposuerit, in annum asservatur, febrium demulcet ardores æstuantique stomacho auxiliatur & odoris suavitate cor exhilarat. Et (quod cæterorum acidorum austerorumque commune est) serpentem putredinem cohibet. At qui è *dulci* cerasio exprimitur, stomacho nocet, estque mali succi febricitanti prorsum infensus.

Ribes fructus Arabibus appellatus è suo frutice racematim propendens, subacido dulcique sapore, acidum cerasium suavitate superat, nihilo facultate inferior. Ejus succus frigidus & siccus ordine secundo, acidus acerbusque ac leniter adstringens, in annum quoque asservatur: acutis febribus opitulatur, earumque putredini resistit, cardiacis confert, vomitum & biliosum alvi profluvium sistit, appetentiam movet, sitim sedat, sanguinis fervorem demulcet & bilis acrimoniam domat, erosiones & vellicationes ejusdem tollit.

Mali punici acidi multo quam cerasii aut ribis succus est acerbior & adstringentior, sed insuavior. Quocirca bilis ardorem alvique profluvium efficacius compescit, acutarum febrium non putredinem modo, sed & malignitatem coërcet, earumque acrimoniam strenue retundit, syncopas stomachicasque defectiones arcet, viscerum substantiam roburque tuetur.

Mali medici seu *citrii*, *limonii & arancii succus* acidior est quam punici & acerbior, minus tamen adstringens. Minus quoque vomitiones, aut alvum sistit, aut syncopas tollit, aut viscerum robur servat: febrium tamen acrimoniam & malignitatem, earumque concitatiorem materiam non minus frænat atque demulcet. Præterea tenuitate quadam vias ductusque expurgat, calculosis renibus opitulatur.

Oxyacantha quam mali punici succus frigidior, acerbior adstringentiorque habetur, & quamvis insuavior minusque cardiacus sit, ferocientem tamen febrium humorem æque cohibet: validius vero bilis impetum, hinc ortam diarrhœam & disenteriam, aliasque ejus fluxiones sistit atque coërcet.

Acetum frigidum atque siccum ordine secundo, licet tenue sit & alte penetret crassosque humores extenuet, credaturque obstructiones expedire, pariter tamen non mediocriter humores cohibet. Hinc alvi profluvia & sanguinem undecunque manantem, incipientesque inflammationes & sumptum & admotum arcet: bilis quoque impetum sedat, temperatque febrium æstus, sitim extinguit; appetentiam movet, nauseam tollit, aperientia medicamenta prægnantibus tutiora reddit. Quæ dum præstat in humoribus, ipsam tamen viscerum partiumque substantiam vellicat & ferit, neque his æque ac superiores succi robur tuetur.

CAPUT IV.

Frigida medicamenta quibus attenuandi detergendique vis inest.

Medicamenta frigida attenuantia & detergentia quæ?

INtybi genera quatuor quæ nuncupantur seriola, intybum sativum, intybum agreste, & cicerbita, omnia quidem frigida atque sicca gradu secundo, & aliquanto validiora agrestia, quam sativa. Omnia sanguinis humorumque fervorem leniunt, & veneris appetentiam extinguunt. Simul etiam quoniam amara sunt & detergentia viscera, maximeque jecur infarctu liberant, absumuntque aut dissipant collectam in illis biliosam illuviem, vividumque faciei colorem reddunt. Ad hæc vero adstrictione quadam stomachum, proprie autem jecur atque renes corroborant, ut ne assiduo illorum, præsertim cichorii, quod intybum est agreste, esu, vel potu, quisquam incommodum perceperit.

Oxalidis quæ Latinis rumex appellatur & quæ frigida atque sicca est secundo recessu, vis præcipua est in radice, deinde in folio. Licet nullo sit amarore prædita, jecoris tamen primum ac præcipue, deinde lienis

lienis atque renum infarctus tollit. Hinc regium morbum emendat, lienem discutit, arenulas expurgat, & menses ciet, moderate quidem omnia. *Semen* vero leniter adstringit & corborat: hinc alvi profluvia & stomachi vitia potum sanat.

Cucurbitæ, cucumeris, melonis & citruli pulpa frigida & humida ordine secundo, quæ quoniam improbum succum gignit, ac facile corrumpitur, raro in artis remedia usurpatur. *Semini* præcipua vis est, quod integrum si coquitur, jusculo refrigerato, modice siccat, incidit & abstergit, ut etiam lentes in facie deleat, ac propterea jecur ac renes expurgat urinasque ciet. Quod vero expurgatum fuerit, tritum aquaque hordei exceptum, sanguinis & urinæ ardores lenit minusque siccat.

Lichen vulgo hepatica dicta refrigerat & siccat ordine primo, ut & inflammationes compescat, moderate abstergit & regium morbum sanat. Ad hęc tamen omnia quam intubi genera ignavior: cæterum hepati familiaris atque vernacula.

Trichomanes polytrichon, callitrichon omneque A *adianti genus* calore quodammodo temperatum est. At modice siccat, extenuat ac digerit. Quocirca crassam glutinosamque pulmonum pituitam expellit, confertque asthmaticis, lentamque & visceribus adhærentem bilem eluit. Hinc ictericis succurrit, hydropicis, lienosis, nephriticis, horumque calculos terit ac menses movet. At nihilominus ventris fluxiones cohibere Dioscoridi creditur.

Gramen & *asparagus* moderate refrigerant siccant atque etiam abstergunt. Hinc jecoris & renum obstructiones aperiunt, B prosuntque regio morbo correptis & nephriticis. Gramini præcipua vis in radice: asparago in radice atque in semine, cujus & cauliculi eduntur crudi.

Eupatorium quod argimonium appellant, folio atque semine commendatur. Incidit detergitque, ac modice adstringit, nullo manifesto calore. Proprie autem jecur deinde omnia quoque viscera infarctu liberat, servato eorum robore. Febribus diuturnis morbisque ex obstructione profectis mire succurrit.

CAPUT V.

Formulæ potionum quæ ex his simplicibus in rem præsentem præscribi solent.

Sitim & ardoremo quomodo sedet aqua?

SItim quæ per summos æstus aut per febrium ardores vehementer excruciat, *aqua* in primis compescit, quæ pura sit, levis & omnis alieni saporis ac odoris expers: qualis è purissimo fonte per saxa arenosa rapide profluit. Quæ tamen amplius extenuari leviorque reddi potest, vel agitatione vel transfusione crebra: immersa etiam interdum cibarii panis medulla, quæ fermenti acrimonia illam servato sapore emendet. Quæ diu igne ferbuerit in fictili mundo & si tenuem de se vaporem multum expiraverit, attenuata tamen est leviorque facta, sed minus frigida, quod igneam quandam in se vim conceperit: neque pristinam suavitatem retinet, quod contrarii ignis vi immutata sit, & de sua natura decesserit

Quomodo illi robur affletur?

Vt autem tutius *& citra viscerum offensionem* pro potu ac vice vini sumi possit, in ea integrum hordeum incoquitur dum crepue- A rit: vel glycyrrhiza, vel uva damascena, vel corinthia vel saccharum, cum præsertim ulla est pectoris affectio, adjecto sub finem cinamomi momento, si ventriculi robur servandum est.

Quomodo fiat acida?

Quod *si acida magis delectant*, aut nausea & animi defectio dulcibus proritatur, aut ferociens humor frenandus est, aut viscerum robur conservandum, in ea vel mali punici expurgata grana incoquuntur, vel medici citrive mali pulpa, vel cerasia, vel uva acerba, vel oxyacanthæ baccæ: aut certe horum expressus defæcatusque succus aqua cocta & refrigerata eo modo diluitur, qui ad laborantis palatum faciat. Sic enim servatur aquæ refrigerandæ facultas, ejus mollities qua tandem ventriculum visceraque relaxat atque pestilentes, ejusmodi potiones his conferent, qui ventriculo & visceribus sunt imbecilles, & qui nausea aut animi defectione, aut alvi profluvio, aut mali-

maligna putredine, aut immodica virium ſpirituumve diſſipatione laborant.

Quomodo fiat deobſtruens.

In diuturnis porro febribus & in cæteris morbis quos jecoris lieniſve calidior intemperies, aut vetus obſtructio etiam cum tumore progenuit, ut in ictero, in cachexia, in leucophlegmatia, in diuturno alvi profluvio, ſi vino parcendum eſt, ut plerumque licet, pro potu erit juſculum radicis graminis, aut oxalidis ſi præſtantius deſideratur, aut cichorii ſi præſtantiſſimum. His enim citra ullum incommodum ſervatoque robore, jecoris quæ dixi mala tolluntur: quemadmodum & lienis vitia radicis bugloſſi, aut aſplenii herbæ, aut corticis tamariſci juſculo.

Quomodo Iulapia fiant, quæ ſitim & ardorem ſedent?

Medicatæ vero *potiones ad ſitim*, bilis *æſtum* ac fervorem, & ad febrium ardores, earumque arcendam putredinem, ex aſſervatis iiſdem ſuccis & ex aquis ſtillaticiis ſic fiunt *julepi formula* in rem præſentem. ℞. Aquæ roſarum ſtillaticiæ ℔j. ſacchari clarificati ℥iiij. bulliant igne lento dum exquiſita ſit permiſtio. Utendum ex modo pari aut duplo aquæ coctæ refrigeratæ.

Alius. ℞. Aquarum ſtillaticiarum endiviæ & roſarum an. ℔ß. ſacchari albi ℥iiij. coquantur modice in julepi conſiſtentiam. Ex aqua portulacæ vel plantaginis ſimiles quoque comparantur, cum præſertim alvus profluit.

Acida?

Jam vero ſi *acidi* julepi uſus fuerit neceſſarius, ſeu propter nauſeam & animi defectionem, ſeu ut bilis fervor putredove coërceatur, acidus ſuccus quicunque videbitur ad rem accommodatior defæcatus, in julepum ſub finem indetur, ne fervore exolvatur aciditas. ℞. Aquæ roſarum, ſucci limonum, ſucci granatorum, ſacchari albi an. ℥iiij. lente coquantur dum deſpumaverint. Aut Julepi roſati, ſucci limonum, an. ℔ß. miſce in eoſdem uſus.

Diluta?

Dilutior vero hic fuerit, qui habet aquæ fontanæ ℔j. aquę roſarum, ſucci limonum, ſucci granatorum, ſacchari albi an. ℥iiij. coquuntur dum deſpumaverint. Ex aceto quoque vel omphacio ſic fiet. ℞. Aquæ puriſſimæ ℔j. aquæ roſarum, ſacchari albi an. ℥iiij. aceti ſub finem injecti ℥ij. vel omphacii ʒiij. coquantur in julepum.

Quomodo hyeme?

Hyeme vero vel in ſuccorum penuria, ſyrupi pharmacopolio aſſervati aquæ coctæ quadruplo diluuntur. Ejuſmodi ſunt ſyrupus è limonibus, è ſucco citrii, è granatis acidis, ex omphacio, pe ribes & e ſucco oxalidis, ſyrupus acetoſus & oxyſaccharum ſimplex.

Hæ igitur potiones bilioſis febribus tum intermittentibus tum continuis, ſeu ardentes ſeu peſtilentes eæ ſint, accommodari ſolent.

Quomodo Apozemata refrigerantia & extergentia.

Cæterum noxiorum atque ferventium in illis humorum præparatio, aliis perficitur medicamentis, quæ *refrigerando pariter detergant* & attenuent: bilis enim tametſi fervida, plerumque tamen tenax craſſaque eſt, velut in fellis cyſti: nonnunquam & per has febres viſcerum teniumque venarum obſtructio è pituitoſis & obduratis eſt humoribus. Tum igitur apozemate infarctus tollendus, quod ex his aut ex horum quibuſdam conſtet. ℞. Radicis cichorii, oxalidis, graminis & aſparagi an. ℥ß. endiviæ, ſeriolæ, agrimonii, hepaticę, polytrichi, callitrichi, adianti albi an. m. j. ſeminis cucurbitæ, cucumeris, melonis & citruli an. ʒij. coquantur ex aquæ ℔ij. ad dimidias. Calato & expreſſo juri adde ſacchari albi ℥iij. fiat apozema, clarificetur & aromatizetur ʒij. ſantali citrini, vel ſantali citrini & cinamomi an. ʒj.

Etiam quæ malignitati reſiſtant.

Si qua forte *malignitatis ſuſpicio* ineſt, arceri ea ſimul poterit adjectis radicibus tunicis & tormentillæ, ſeminibus citrii & cardui benedicti, & limonum ſucco: de quibus tamen poſthac plenius.

Autumno aut hyeme?

Autumno quum jam herbæ marceſcunt, aut *hyeme* quoniam frigidis jam arefactis vis nulla manet: Radices ac ſemina ſic debent in apozema conferri. ℞. quatuor radicum frigidarum an. ℥ß. quatuor ſeminum frigidorum majorum, ſem. endiviæ, lactucæ & aſparagi an. ʒj. Coquantur ex arte ad quartaria tria. Colatis adde ſacchari albi ℥ij ß. fiat apozema clarificatum & aromatizatum. Si res acidum fieri poſtulet, radices horis quatuor in aceto macerentur, aut ſub cocturæ finem affundatur aceti pars octava. Nonnunquam & ſacchari vice ſyrupus aliquis diluitur in apozemate, ut ſyrupus de cichorio, de endivia, de limonibus: nonnunquam juſculum, ſi non admodum ingratum fuerit, nulla ſacchari ſyrupive permiſtio datur, ut quod habet radi-

radicum graminis, asparagi & oxalidis A an. ℥j. sem. endiviæ & melonum an. ʒij. Coquantur ad ℔j. jus coletur in rem præsentem

Quomodo è syrupis? Cum non facile suppetet apozematum materia, *syrupi* in usum asservati diluentur, duplo triplove aquæ coctæ, aut liquoris cujusdam convenientis. Ejusmodi sunt syrupus è cichorio simplex, syrupus de endivia, & syrupus Byzantinus: qui omnes etiam à purgatione derelictam intemperiem emendant & eximunt.

CAPUT VI.

Medicamenta quibus bilis atra domatur & quibus præparatur.

Bilis præter naturalis fervida corrigitur dictis acidis, QUæ porro Medicamenta ad atram bilem, aut etiam ad ei finitima cæruleam aut æruginosam (quæ ex præassata citrina aut prassina fiunt) conferant, si domanda ea fuerit, ea ipsa usurpentur acida quæ supra dixi flavæ bilis acrimoniam consopire atque frenare: etenim crebro usu, atræ perinde ac flavæ bilis symptomata lenient.

Atra bilis minori fervore, his. Sin vero *fervor minor* fuerit qui leniri duntaxat postulet, hæc peculiariter convenient.

Viola purpurea frigida ordine primo, humida secundo, aquea & emolliens, fervidos acresque humores temperat, lenit atque subducit: siccam exustamque & qui ab hac fiunt capitis dolores consopit, somnumque accersit, cordis tædia depellit.

Buglossum utrumque, tum hortense quod borrago appellatur, tum agreste, calidum humidumque est ordine primo. Eadem quæ viola confert, ac præterea animum lætitia & hilaritate perfundit, discutitque melancholicorum imagines & spectra.

Malorum fragrantium succus, ut odoris suavitate cor reficit, ita & quicquid huic infestum est, præsertim vero bilis atræ fuliginem domat: suaque substantia illius materiam diluit & mitificat: cordis palpitationem arcet.

Citrago quæ & melissophyllion, calida siccaque recessu primo. Demulcet quoque atram bilem: confert ad timores & tristitias quæ occasione nulla ex atra bile suscitantur, lætaque facit somnia. Simul quoque aliquantum detergit.

Ad expurgationem præparatur, his. At vero quum bilis atra *ad purgationem præparanda* erit, medicamenta quæ ipsi præparandæ conveniunt, si fervidior ea acriorque fuerit, ex iis constent quæ mox subjiciam: sed quæ tamen frenantium, quæ A dixi, mistione temperata sint. Si vero lenta, crassa atque terrena ea fuerit, & tanquam fæx limusque sanguinis nullius sit caloris particeps, ut in lienis tumore & morbis diuturnis inde profectis, iis quę sequuntur solis ad purgationem præparabitur.

Fumaria calida primo ordine, sicca secundo, modice acris & amara: viscerum omnium obstructiones tollit, eaque corroborat, exustos humores blande ac sensim expurgat, sanguinemque puriorem reddit: urinam biliosam & multam commanducata aut pota ciet: diuturnis febribus ex viscerum obstructione & morbis omnibus ex sanguinis impuritate remedio est: corpus enim & humores à putredine vindicat. B

Lupulus calidus primo recessu, siccus secundo, cauliculis & flore insignis, lienem præsertim ac deinde cætera viscera infarctu liberat, urinasque movet: fumariam facultatibus omnibus æmulatur, sed saporis molestia minore.

Cassutha quæ vulgo cuscuta, primo ordine calida, sicca secundo, amaroris adstrictionisque particeps, melancholiam tum herba, tum semine proprie incidit atque detergit, obstructum lienem expedit, deinde & jecur, arquatumque nigrum & febres lentas diuturnasque pellit, quandoquidem venas omniaque vasa à putridis humoribus C expurgat, servato ventriculi & reliquorum viscerum robore.

Scolopendrium, quod est asplenium, quodque ceterachum appellant, nulla saporis insuavitate, folio solo lienem diebus quadraginta absumit, fœdumque ex obstructione colorem detergit, atque calculos etiam in vesica comminuit.

Polypodium moderate calefacit, siccat vehementer, dulci simulque austero sapore præditum: lentos & crassos humores ter-

get & expedit, atram crassioremque bilem sensim expurgat. Nimia autem ejus austeritas leniente & humectante quopiam, ut gallinaceo jure, mollienda est.

Capparis, cujus florem ac radicis corticem usurpant, calidus siccusque est tertio recessu. Attenuat detergitque adstrictione leni, coctus appetentiam excitat ac ventriculum recreat, lienis prædurum tumorem dissolvit, præcipue cortex aridus tum sumptus, tum admotus: eumque diebus quadraginta colliquare traditur. Jecoris quoque obstructionibus non leviter succurrit.

Tamariscus calidus est & siccus principio gradus secundi: incidit abstergitque. In id primas tenet virentis succus apprime efficax, ab hoc est cortex, deinde flos ac folia, postremo loco lignum: hujus decoctum peculiari facultate lienem validissime comminuit, prodestq; morbo regio consumptis.

Epithymus calidus siccusque ordine tertio, incidit, ac leniter adstringit, melancholiam extenuat ac lienem valide expurgat, morbisque omnibus eximie confert illius vitio prognatis. Sed tamen sitim æstumque suscitat: quamobrem uvæ passæ, violis aliisque lenientibus permiscendus.

Quomodo ex his fiant. Ex his compositiones in rem præsentem fient quæ ad hypochondriacam melancholiam, ad maniam, ad cordis palpitationem & cæteros ex atra bile affectus conferent.

Iulepi? Ut *julepi* ex aquis stillaticiis violarum, buglossi utriusque, melissæ & fumariæ. ℞. Stillaticiarum aquarum violarum, buglossi, boraginis an. ℥iij. succi malorum redolentium, sacchari albi an. ℥iiij. fiat julepus sumendus ex pari portione aut ex duplo aquæ hordei. ℞. Florum violarum, buglossi, borraginis recentis, florum pomorum redolentium & melissæ an. m. ij. macerentur horis duodecim in ℔ duabus aquæ tepidæ. In expresso dissolve sacchari albi ℔ß. fiat julepus lenissime coctus.

Apozemata? *Apozema* ex earum herbarum radicumque decocto ad crassam & fæculentam melancholiam, ad lienis obstructiones atque tumores, ad quartanam omnesque affectus melancholicos. ℞. Radicum buglossi, polypodii querni an. ℥ß. corticum capparis & tamarisci an. ʒiij. cymatum lupuli, fumariæ, melissæ, cassuthæ, scolopendrii an. m. j. fiat decoctum ℔j. in quo dissolve sacchari ℥iij. coquantur in apozema clarificatum.

CAPUT VII.

Calida medicamenta simplicia frigidos humores præparantia.

Calida. CAlida tum præcipue ex usu fuerint, quum corpus vel *nimiopere refrigeratum*, vel *frigidis pituitosisque humoribus confertum* existet.

Ex his autem *alia* probum utilemque succum progignunt, *alia* crudorum concoctionem adjuvant, *alia* supervacuos ac pituitosos humores attenuant, detergunt & ad purgationem præparant.

Alia utilem succum præbent. *Primi* quidem *generis* sunt calida alimenta, quæ quoniam boni sunt succi, nativum calorem augent simulque utilem calidum succum generant. Inter quæ primas tenet vinum generosum, deinde avium quadrupedumque salubriorum carnes, sorbilium ovorum vitelli, uva passa, strobili id est nuclei pinei, pistacia.

Alia cruda concoquunt. Calida vero aromata & quæcunque posthac tradentur suo calore partium robur augere, earumque insitum calorem fovere atque suscitare, *crudorum concoctionem complent.*

Attenuant & detergent hæc. At vero quæcunque calida substantiæ tenuitate crassam pituitam *incidunt* aut lentam *detergunt*, ut inde profluentior evadat, ea ad purgationem præparant: in quorum censu hæc præcipue numerantur.

Apium præcipuam vim obtinet in radice, deinde in semine; censetur secundo calidorum ordine, tertio siccantium. Venarum, arteriarum renumque obstructiones, abstergendo attenuandoque solvit flatusque discutit. Sed epilepticis (ut quorum paroxysmos irritet) & fœtui & mulieri lactanti infensum.

Petroselinum tertio est ordine calidorum ac siccorum, cujus etiam vis in semine atque radice. Extenuat, aperit, menses urinasque ciet, obstructiones tollit, & flatus extinguit. Secundas & mortuum fœtum edu-

ducit recens potum aut vulvæ suppositum.

Feniculum semine valet & radice, estque tertio gradu calidorum & secundo siccorum: viscerum renumque infarctus expurgat, torminaque sedat, quam prædicta tutius & validius.

Betonica calida siccaque recessu secundo, incidendi detergendique vi prædita: stomacho laboranti prodest, ejusque concoctionem juvat, pulmonis, jecoris, lienisque vitia expurgat, menses ducit, renum lapides exterit, regium morbum sanat, omnibus denique obstructionibus expediendis & cum febre & sine febre accommodatissima.

Hyssopum solo folio valet, quod calidum, siccumque est ordine tertio, tenuium partium: præcipuam vim habet attenuandi & detergendi humorem crassum, quem per alvum etiam exigit: sic viscerum omnium, sed maxime pulmonum obstructiones expedit, crassamque eorum pituitam.

Prassium quod & marrubium album appellant, (nam nigrum quia fœtidum intro nunquam sumendum) folio ac semine secundo est calidorum ordine, tertio siccorum, quod quia tenue & amarum est, jecur, lienem, thoracem, uterumque valide expurgat & obstructiones liberat. Id tamen censuit Dioscorides renibus ac vesicæ nocere.

Stœchas calida sicca primo ordine, subastringens & mediocriter amara, extenuat, detergit, omniaque viscera obstructione liberat, simulque corroborat, & eorum putredinem arcet.

Origanum folio atque umbella eo quo prassium ordine, universas obstructiones aperit. Hinc tussientibus & peripneumonicis ictericisque confert, lienosis atra deducit, menses quoque ciet. Crudo etiam nauseabundoque ventriculo efficax.

Calamintha præcipue montana eodem quoque ordine, incidendo abstergendoque infarctus omnes expedit, urinas ac menses expellit, regium morbum & asthma expurgat, corpus sudore digerit, elephanticis, quia crassos humores extenuat, cutem calefacit, mordet, fugit, postremo ulcerat, remedio est. Prægnantibus vero suspecta, quandoquidem seu pota, seu admota, conceptum interimit ejicit.

A *Pulegium* eodem caloris siccitatisque est ordine: crassos humores extenuat & lentos, quia subamarum, detergit: crassam pulmonum pituitam & lienis atram bilem educit, menses secundasque pellit, ventriculi cruditates nauseamque compescit.

Satureia, quæ & thymbra, pulegii vires proxime imitatur.

Thymus calidus siccusque ordine tertio, strenue incidit, viscera omnia potu expurgat, maxime vero pulmones atq; thoracem. Menses quoque ciet, sed fætum expellit.

Chamædrys quasi pusilla quercus, calida sicca tertio ordine, crassos lentosque humores incidit & terget, atque viscerum obstructiones expedit, urinasq; & menses ciet.

Chamæpytis sicca tertio ordine, calida secundo, eadem quæ chamædrys efficit, & B peculiariter regio morbo correptis & arthriticis auxilio est, ab odore pinus & similitudine, quasi pumila pinus appellata.

Rubia radice atque semine pollet, calida ordine secundo, sicca tertio. Eximia detergendi facultate insignis, qua jecur, lienem, renes atque uterum exquisite purgat. Nam icterum sanat, lienem absumit: urinam crassam atque copiosam, nonnunquam & cruentam movet, menses ciet, appositaque secundas fœtumque detrahit: ut proinde minime sit tuta prægnanti.

Centaurium minus calidum siccumque gradu secundo, folio ac flore utile. Jecoris, splenis, renum & uteri obstructiones vehementer adeo solvit, ut etiam, tamen immoderato usu, sanguinem atque etiam C prægnanti fœtum excludat.

Gentianæ radix calida siccaque ordine secundo, summe amara. Terget, tenuat, purgat & obstructiones liberat, eadem quæ centaurium, ac multo etiam validius præstat.

Aristolochia præsertimque rotunda, calida atque sicca tertii gradus initio, radice ad omnia quæ dixi superioribus quoque est efficacior, adeoque valide cerebri & pulmonum lentam putremque pituitam expurgat, ut epilepsiæ ab utero, tussi & asthmati eximie conferat, & interiores rumpat abscessus: sed abortum quoque provocat.

Aloë calida siccaque ordine secundo, adstringens & amarissima, ventriculum impense roborat, quæ præsertim lota fuerit:

 len-

lentam crassamque pituitam extergit, & omnes omnium viscerum obstructiones valide adeo solvit, ut & venas corradat, & earum oscula crebriore usu referet, & sanguis emanet, quum præsertim extenuantium medicamentorum permistione exacuitur, idque non amarore solum, sed purgandi quoque vi, qua quod detersit protinus expurgat, detrahitque in alvum. Crudos humores & supervacuos absorbet, cæteros à putredine tuetur.

Quomodo ex his fiant Iulepi, Nunc autem *extemporaneas* aliquot ex his *compositiones* exempli gratia subjiciam, quæ lentam crassamque pituitam apparent, contumacesque obstructiones expediant. ℞. aquarum hyssopi, feniculi & betonicæ, an ℥iij. sacchari albi ℥ij. fiat *julepus* clarificatus & aromatizatus ℈iiij. cinamomi.

Apozemata. *Apozema.* ℞ radicum apii, petroselini & feniculi an ℥ß. hyssopi, betonicæ, origani, satureiæ, an. m. j. coquantur in hydromel. ad ℔j. decoctum coletur, deturque ad ℥iij. Calidarum enim herbarum vis purior atque validior in hydromeli quam in aquam transfertur: hebescit enim si aqua permista sit.

Acida. Si *acidum* magisque *penetrans* apozema esse conveniet, radices horis sex macerentur in acri aceto.

Valentia. *Validius* id autem reddetur si rubiæ radicem, prassium, calamintham, thymum aut pulegium habeat, sed insuavius & gestanti in utero mulieri suspectum. Id hyeme perinde ac æstate comparari commode potest, quod calidæ stirpes exarefactæ calefaciendi, incidendi detergendique integra facultate minime frustrentur. Quapropter veteres vice apozematis aut syrupi, hyeme aridas herbas in exquisitum lævorem tunsas dabant ex hydromelite. Hyeme quoque in apozemata conferuntur semina anisi, apii, petroselini, feniculi.

Valentiora. Si *magna attenuandi* & in distantissima quæque penetrandi vis desideratur, hæc ex guaiaci jusculo seu cocta seu in pulverem redacta offerantur, apozematis specie, maxime in frigidis artuum & articulorum morbis: promotis quidem sudoribus, si vitium in summo est corpore, aut sine his in viscere reconditur. Si vetustior ac contumacior fuerit interior viscerum obstructio minime ciendi erunt sudores: sin vitium in summo sit corpore purgatione præmissa cieri utiliter poterunt.

Ex cæteris simplicibus quæ postremo loco inter valentissima recensui, compositiones & ad menses ducendos & atterendos calculos præstitui solent.

CAPUT VIII.

Purgantium medicamentorum materia.

Purgantia alia sunt. NUnc quæ medicamenta præparatos jam humores exigant è corpore *impuritatem tollant*, proposita jam serie tradendum. Eorum autem quæ corpus quovis modo seu sursum, seu deorsum versus exinaniunt, *alia* id quadam materiæ conditione, *alia* formæ & totius substantiæ proprietate, *alia* utrisque præstant.

Emollientia Solius materiæ vi *emolliendo* quidem & leniendo alvum subducunt, oleum & butyrum, malva, althæa, viola, mercurialis, pruna, psyllium & hujusmodi plurima: quæ quoniam formæ proprietate prorsus destituta sunt, inter purgantia neutiquam recenseri solent, quemadmodum neque hydrelæum, quod tamen vomitiones ciet.

Comprimentia, Et cotonea mala *comprimendo* obvias partes sic coarctant & adstringunt, ut humoris in se reconditi non parum eructent & exprimant. Myrobalanos tamen eadem quoque vi purgare cum Mesue non affirmem. Etenim si peculiari quodam instinctu hunc quam illum potius humorem prolectent, atque, ut fatetur, myrobalani citreæ bilem, cepulæ pituitam, indæ melancholiam ducant, ea vacuandi varietas non ab adstringente materia, quæ una omnium est communis, sed à cujusque formæ proprietate proficiscitur: quanquam non dubito eorum materiam obvios humores quos attigerint adstrictione sua depellere. Quadam igitur formæ proprietate quodammodo prædita hæc sunt.

Tertia porro quæ peculiarem quendam humorem insita duntaxat proprietate

Vomitoria. te trahunt, alia *vomitione* alia *dejectione* purgant.

Et *vomitione* alia blande ut semen atriplicis & raphanus: alia mediocriter ut asarum: alia moleste ut elleborus.

Alvum moventia. Horum vero quæ *alvum movent*, alia *bilem* flavam, alia *melancholiam*, alia *pituitam*, alia humores tenues *aquososque* dejiciunt.

Singulis humoribus dicata. *In unoquoque genere* quædam *imbecillius*, quędam *validius* id præstant.

Bilem blande purgat rheumbarbarum, valentius scammonium: pituitam modice agaricus, valide turbith aut colocynthis: melancholiam facile senna, moleste elleborus niger: aquosum humorem moderate iris vel cucumer agrestis, immoderate & impetu daphnoides.

Quorum sua cujusque agendi ratio. Neque solum ex viribus & energia, verumetiam *ex agendi ratione* horum differentiæ existunt. Nam licet rheibarbari tanta portio sit, quæ pares atque exigua scammonii portio vires obtineat, non tamen similiter & ratione pari aget: neque potest rheumbarbarum quantumvis auctum scammonii rationem & naturam imitari; neque scammonium quantumvis imminutum rheibarbari conditionem sortiri. Inest enim præter communem & alia sui cuique proprietas individua quam in alio nusquam reperias: hanc ex veterum monumentis nosse aut usu investigare decet. Quę in unoquoque genere imbecilliora sunt, è proximis sedibus expurgant, ex ventriculo, intestinis, mesenterio, jecore & ex liene: valídiora è distantioribus magna vi extorquét.

Ex hac potius quam alia parte. Cæterum ut humorum ita & purgandorum locorum certior cognitio ex medicamenti natura capi debet, quæ ut cuipiam humori, ita & *cuipiam parti expurgandæ addicta* est & accommodata. Capiti agaricus, pectori cassia fistula, ventriculo & intestinis aloë, jecori rheumbarbarum, lieni senna, articulis hermodactyli proprietate affines sunt, qua & eo vim suam dirigunt & inde potentius trahunt.

Hæ summæ sunt purgantium medicamentorum vires ac differentiæ, quas deinceps sigillatim persequemur.

CAPUT IX.

Quæ bilem flavam ducunt, Græcis cholagoga appellata.

MAnna quæ & mel roridum calida ordine primo, leniens, leniterque extergens, citrinam bilem creditur blande expurgare, idque nulla offensione virium. Quocirca infantibus bimulis aut etiam junioribus dari potest, duarum triumve drachmarum *pondere*, hordei aut pulli jusculo diluta: adultis vero & ætate florentibus tres unciæ aut non satis, aut parum commode alvum subduxerint.

Cassia fistularis calida humidaque primo ordine, lenit, emollit & laxat: bilis acrimoniam febriumque æstus obtundit, sitimque sedat, sed flatus excitat. Infantibus *sesquidrachma*, adultis vero imbecillis aut etiam prægnantibus unciæ, validioribus sesquunciæ, pondere flavam bilem alvo leniter detrahit. Crassam vero pituitam, etiam si contigerit, quia lubrica, celerrime præterfluit, ignavius expurgat. Datur itaque pulmonum thoracisque affectibus leniendis, jecori bile æstuanti, febri ardenti, præsertim si squalidum corpus est, aut æstuosum cœlum: datur quoque renum & vesicæ ardoribus. Ventriculo tamen humidiori, laxiori, nauseabundo, ac imbecillo, quemadmodum & profluenti alvo *infensa*.

Rosarum rubrarum ac præcipue *pallidarum* succus calidus siccusque ordine primo, amarus, detergens & obstructiones expediens. Bilem ab alvo atque aquas citrinas manifeste ducit. Permiscetur autem convenienter vel sero lactis, vel saccharo syrupi specie, cujus dosis est à sesquuncia ad uncias tres. Accommodatur autem proprie obstructo jecori, ictero, cachexiæ, incipienti hydropi, febribusque lentis: prægnanti parum tutus, quod venas plerumque reseret.

Rheumbarbarum calidum siccumque ordine secundo, amarum, crassiore substantia adstringens atque corroborans, tenuiore vero detergens ac purgans. Educit flavam bilem atque pituitam. Tenuis ejus portio purgandique vis *coctura* dissipa-

tur atque disperditur: sincera vero elicitur, in extenuante quodam liquore macerata, adjecto vino albo & cinamomo: ejusque siccitas & adstrictio humectante aut leniente syrupo vel alio liquore lenienda. Infantibus, pueris, senibus, prægnantibus & ex morbo jam imbecillis familiare ac tutum. Lactantes pueros drachmæ unius *pendere* purgat, ejusque diluti summum pondus est drachmarum trium. Febrium omnium materiam *blande* subtrahit, jecur proprie expurgat, idque strenue corroborat, & ejus obstructiones incipientesque scirrhos dissolvit, icterum & cachexiam sanat, ventriculum quoque convenienter expurgat & firmat, idque mitius quam aloë. E distantioribus vero sedibus noxium vix humorem prolectat: validioribus & quibus crassi humores per angustas vias ex alto sunt educendi minus congruit, quod adstrictionis vestigium purgando relinquat, sed & iis *adversissimum* est totum & cum magmate datum. Hoc autem summe confert vomitioni, lienteriæ, dysenteriæ, sputo cruento, sanguini undecunque erumpenti, ruptis atque contusis: proprie vero assum & ex plantaginis succo haustum.

Aloë deligenda substantiæ mediocris: nam quæ tenuis est & perspicua, ignavior existit. bilem pituitamque crassam expurgat, sed lente, ac præcipue è ventriculo & intestinis, easque partes detergendo vacuandoque corroborat. *Datur* à ʒjß. ad ʒiij. Huic autem *permisceri debent*, quæ vim ejus stimulent, cinamomum, macer, nux moschata, spica, caryophylli: & quæ ejus acrimoniam exesionemque retundant, tragacantha & mastiche. *Confert* autem proprie nauseæ, cruditati, & quibus aut ventriculus aut præcordia multo crudo conferta sunt humore, voracibus, frigidis humidisque corporibus: hæc enim abunde siccat, vix tamen è partibus quæ supra jecur sunt quicquam detrahit in alvum. *Nocet* hepati, ut cujus tenues venas amarore & acrimonia vellicet, podicem corradit, aperitque hœmorrhoidas. Adversissima igitur iis qui sanguinem aut vomunt, aut excreant, aut

A quovis modo ex alvo aut utero profundunt. Deinde etiam calidis, siccis extenuatisque corporibus, nisi quum ingens est humidorum excrementorum proventus. Nec puero apta, nec prægnanti tuta, nec seni excrementis vacuo utilis.

Scammonium calidum siccumque ordine tertio: acre, penetrans & conturbans. Bilem tenuem atque citrinam ex universo corpore, simulque aquam citrinam ac serosos humores trahit. Quumque vis ejus quasi furens & effrenata sit, prompte quidem ac cito & è distantioribus vacuat, neque tamen crassiusculos ullos humores, seu pituitosos, seu biliosos qui circum præcordia ac viscera concreverunt & obhærent evellit, sed effectum quasi præcipitans &

B accelerans, eos duntaxat qui tenues sint & fluxioni apti humores secum rapit: idque tum ex abdomine, ut hydropicis, tum è venis, & è summo corpore, ac inde pauca succedit emictio. Nec puero, nec seni, nec prægnanti, *nec* imbecillo *conveniens*, nec ardente febre aliove acuto affectu jactato: sed robusto duntaxat, qui ætate sit valida & universa purgatione indigeat. Ejus tamen nonnihil imbecillis interdum pharmacis utiliter permiscetur, ut eorum aut tardiorem vim acceleret, aut sopitam extimulet. Opere quidem universum corpus conturbat, calidos humores inflammat, paratis febrem accendit, visceribus principibusque partibus qualitate maligna infensum.

C Quocirca non syncerum sed temperatum retusumque datur, ut ea permistione quam *diadacrydion* appellant. Fit autem hunc in modum. Scammonium lavatur & concutitur in aqua rosarum, in qua prius incoquantur, cortex myrobalani citreæ, spica & cinamomum. In hac horis viginti quatuor maceratum, tandem siccatur, deinde diluitur excipiturque oleo amygdalarum dulcium, cum pauca tragacantha, ac demum coquitur in cotoneo malo acido expurgato, ac massa diligenter oblito. Quibus convenit *datur* diadacacrydion à ℥vj. ad xij.

CAP.

CAPUT X.

Quæ atram bilem detrahunt, melanagoga propterea dicta.

SEnna calida ſiccaque initio gradus ſecundi: folliculis & ſemine quam folio præſtantior, ſubamara, abſtergenſque eſt: melancholiam retorridam, bilem atque craſſam pituitam commodiſſime purgat, non ſtatim è diſtantioribus locis, ſed præpue è liene, deinde etiam ex aliis viſceribus, ex hypochondriis & meſenterio, in quibus omnis eſt illuviei ſentina. Ex iis enim ſedibus vix aliud quicquam æque valide corruptos atque craſſos humores prolicit, aut obduratos tumores evacuat, aut, in tenues venas ſubiens, veteres earum obſtructiones expedit: neque tamen vicinas hydropicorum aquas detrahere poteſt. Diuturnorum atque lentorum morborum quos viſcerum impuritas, aut vetus obſtructio genuit, *ſingulare eſt præſidium*, ut lentarum veterumque febrium, melancholiæ, epilepſiæ, ſcabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiaſis & omnis denique impuritatis. Senſus pariter exacuit, cor exhilarat, torſionibus ſæpe *moleſta*, non quod flatulenta ſit, ſed quod firmiter hærentes humores ac plerumque acres nequeant ſine ſenſu doloris evelli. Nunquam tamen deprehenſa eſt vel inteſtina corradere, vel ſanguinem proritare: blande alioqui, ſed tamen lente purgans, nulla qualitate infenſa, niſi quod ventriculo aliquantum gravis: pueris ac ſenibus utilis, neque prægnantibus adverſa. *Permiſcenda* ei ſunt quæ ventriculum roborent, ſimulque tardiorum vim extimulent, cujuſmodi ſunt zinziber, cinamomum aut ſpica: & quæ leniendo ſine torſionibus facile deducant, cujuſmodi ſunt jura pinguia, pruna, jujubæ, uvæ paſſæ, viola, althæa, polypodium, & qui ex his fiunt ſyrupi. *Datur* autem pulvis ejus ad drachmas duas: decoctum è drachmis tribus ad drachmas ſex: dilutum ab uncia dimidia ad unciam unam.

Elleborus radice præcipue utilis: hæc autem calida ſiccaque eſt ordine tertio. *Albus* vomitione purgat, ſed maxima corporis perturbatione & præfocationis metu, ex qualitate venenata. *Niger* vero bilem inprimis atram, deinde etiam flavam atque craſſam pituitam detrahit in alvum, non è viſceribus modo, ſed & è venis, è quibus ſanguinem rapit, & è partibus extremis, præcipueque è cerebro. Quocirca *confert* in primis elephantiaſi, cancro, herpeti, vitiligini, melancholiæ, furori, vertigini, epilepſiæ. Purgatio ex elleboro *difficilis* terroriſque plena, nec puero, nec ſeni, nec imbecillo, nec gravidæ, ſed robuſto ſoli & animoſo adhibenda, quum pervicacioris morbi neceſſitas expoſtulat, nec aliis ceſſit remediis. Infundantur autem radicum cortices contuſi, aut etiam coquantur *à ſcrupulo* uno ad drachmam unam, in jure carnium pingui, aut in hydromelite, aut in aqua hordei, aut in aliquo leniente ſyrupo, expreſſumque detur. Pulvis ſeorſum decernendus non eſt, ne convulſionem accerſat, ejus quoque dilutum tutius aliis permiſtum medicamentis, quam purum offertur.

CAPUT XI.

Quæ pituitam educunt, phlegmagoga ob id dicta

AGaricus albus ſit levis & friabilis, calidus primo ſiccus ſecundo gradu. Craſſam præcipue ac lentam pituitam deinde etiam bilem utranque expurgat: maxime quidem *à ventriculo*, meſenterio, jecore, liene, utero & pulmonibus, quorum obſtructiones atque in iis genitos inveteratos morbos tollit. A cerebro vero, à nervis, articulis, ſummiſque partibus debilius trahit, quod vis ejus ignava ſit & imbecilla. Aliquantum *horrendo* eſt ſapore, & ventriculo infenſus: quapropter *maceratus* vino in quo zinciber aut caryophyllum aut ſpica maduerint, concinnatur & confingitur in trochiſcos. *Datur* pulvis ejus à drachma una ad drachmas duas, decoctum vel dilutum à drach-

drachma una ad drachmas duas, decoctum vel dilutum à drachmis duabus ad unciam dimidiam, non robustis modo & validis, sed & infirmioribus, puberibus, senibus nondum præcipitatis, ac etiam gravidis, idque nullo periculo, si morbi conditio expostulat.

Turpethum, quod album, gummosum, eligitur, radix est herbæ lacte turgentis, quæ alypia dicitur; & folia, habet ferulæ minora. Id calidum siccumque tertio ordine, pituitam non modo tenuem, sed & crassam & lentam à cerebro, à nervis & ab articulis evellit, multoque magis è pulmonibus, & è visceribus. *Confert* morbis frigidis diuturnis, quos levior purgatio non subtraxit. Ventriculum autem *subvertit*, corpus conturbat & immodice siccat. Quæ mala *corriguntur* permistione zinziberis, mastiches, olei, amygdalarum dulcium & sacchari. Raro seorsum datur, sed lenioribus permistum, nec puero, nec seni, nec gravidæ, nec debili, sed uni robusto conveniens. *Datur* pulvis à scrupulis duobus ad drachmam unam: decoctum à drachma una dimidia ad drachmas tres. Nonnulli radicis thapsiæ corticem pro turpetho *substituunt* gravi errore, & qui scrupulorum duorum pondere vomitionem dejectionemque magna perturbatione ac periculo concitet.

Hermodactylus, cujus radix rotunda, tum foris tum intus, alba & modice compacta sit, calidus siccusque initio secundi. Crassam lentamque pituitam expurgat ab articulis, sed admodum lente & languide, & idcirco vix unquam seorsum, sed validiorum medicamentorum permistione corroboratur. Ventriculum *offendit*, flatusque suscitat: quæ *incommoda tollunt* cuminum, myrobalani atque zinziber, aut spica. *Datur* pulvis drachma dimidia ad drachmam unam: decoctum vero à drachma una ad drachmas duas.

Colocynthis calida siccaque ordine tertio, amarissima. Lentam pituitam crassosque humores ac glutinosos, pariterque bilem utramque (quod vix alii concessum) detrahit, & aquam citrinam, idque maxime ex articulis & distantissimis reconditissimisque partibus. *Confert* morbis inveteratis contumacibus, quos neque agaricus neque turphetum solverit. Vehementer autem ventriculum, viscera, corpusque *conturbat*: venas aperit & sanguinem elicit, quam aloë aut aliud quodvis pharmacum potentius: intestina corradens gravibus torsionibus excruciat. Quocirca exquisitissime trita *diluitur* oleo amygdalarum dulcium, additaque tragacantha aut mastiche concinnantur trochisci: vel coquitur ex jure pingui, aut ex alio quovis liquore leniente. Nec puerorum, nec senum, nec prægnantium (fœtus enim vel suppofita enecat) sed ætate duntaxat florentium & robustorum medicamentum est, vixque nisi aliorum permistione tuta. *Datur* à scrupulo uno ad drachmam dimidiam.

CAPUT XII.

Quæ aquas & serosos humores ducunt, hydragoga dicta.

EBulus calidus ac siccus ordine secundo, hydropicorum aquas facile per alvum deducit, nonnunquam & vomitione rejicit. Est autem ventriculo aliquantum *gravis*, succi vis efficacior, purgatque unciæ unius pondere. Elicitur autem vel è radice, vel è mediano cortice stipitis contuso, affusa aqua hordei vel uvarum passarum, cum cinamomi vel nucis moschatæ momento & cum saccharo. Coctura vis ejus purgandi perit & exolvitur, neque ut Discorides scribit eam persistere usu compertum est. Fructum nonnulli condiunt duplo sacchari, & cinamomi parte octava, exhibentque unciam unam. acinorum vero drachma una tunsa idem ex mulsa aut vino albo præstat.

Sambucus eodem temperamento iisdemque pollet viribus, sed ebulo aliquanto infirmior.

Hæc sola ex iis quæ aquas ducunt imbecillis & prægnantibus, sed ne temere quidem *decerni possunt*: cætera vero quæ deinceps tradentur, ut nec pueris, nec senibus, nec imbecills, nec prægnantibus, quod menses, ac plerumque conceptum expellant

lant: ita neque extenuatis, neque biliosis, neque febre, neque acuto mobo correptis, *neque* æstuoso cœlo *conveniunt*: sed robustis duntaxat, qui frigidis diuturnisque morbis tenentur, idque frigido aut certe temperato cœli statu.

Iris cui flos purpureus, efficacior est ea cui albus, calida & sicca tertio recessu, acris & fauces exurens: ventriculo ac visceribus *infensa* non parum est, acrimonia qualitatis suæ. Dejectione nonnunquam & vomitione aquam præcipue citrinam ducit, ab hac deinde & crassiorem pituitam, viscerum obstructionibus expediendis *efficacissima*. Radicis succus unciæ unius *pondere* ex uvæ passæ jusculo & saccharo, addita spica aut cinamomo, moderate purgat: sicca vero tunsaque radix ex eodem liquore, aut ex sero lactis, à drachma una ad drachmas duas. Decoctæ hujus purgandi vis vanescit: *Nec* puero nec seni, nec prægnanti *tuta*, quod cæterorum more quæ valide aquas expurgant, menses moveat abortumque faciat.

Soldanella hydropicorum aquas pulvere ad ʒj. decocto & succo ad semunciam pota salubriter educit.

Cucumer agrestis calidus siccusque ordine tertio, vehementer amarus, abstergens & ora venarum aperiens. Fructus præcipue aquas deorsum sursumque movet, nec non pituitam, atque interdum bilem: nec multo infirmior ejus radix: efficacissimus autem succus è maturo fructu inclinante æstate leniter expressus siccatusque, *elaterium* appellant. Permiscetur autem atque *temperatur* leniente liquore, vel tragacantha, addito cinamomo vel spica. *Datur elaterium* à granis decem ad viginti, radix vero pulvere à granis quindecim ad triginta, decocto à drachma dimidia ad drachmam unam.

Ricinus calidus siccus tertii ordinis initio. Dejectione ac vomitione hydropicorum aquas & serosos articulorum humores expurgat, simulque crassam pituitam ac bilem. *Dantur* autem ejus grana quinque aut quod summum sit octo, quæ quoniam vehementer magnoque labore ac impetu & turbulenta vertigine purgando *corpus jactitant*, expurgata torrefiunt igneque siccantur, aut in massa coquuntur, ac deinde trita dantur ex decocto feniculi & uvarum passarum, addito saccharo & cinamomo. Quinetiam integra & minime trita grana liquato saccharo & melle obducta si vorentur, blande purgant, minima offensione ventriculi.

Lathyris vires habet ricino proximas, cujus grana haud secus præparata *dantur* à septem ad duodecim. In eundem quoque usum vulgus tria quatuorve lathyridis folia ex pingui jure cum holeribus coquit. Qui vero tum hæc, tum grana cruda ex solo vino trita propinant, in magnam *perturbationem* atque terrifica symptomata corpus misere præcipitant.

Esula major pityusa est Dioscoridis, cujus radix magna & lacte turgens, turbeth appellata, quod ulceret venenataque sit, prorsus exolevit & ab usu recessit.

Esula vero *minor* eligitur, quæ rotunda nuncupatur atque etiam peplos. Hujus minor est radix, calida siccaque ordine tertio, aquas altius immersas valide purgat, deinde pituitam atque bilem atram. Cordi autem ac visceribus *vim infert*, exulcerat, venarum ora aperit excitatque febrem. Quæ mala *emendantur* permistione bdellii, vel tragacanthæ, atque myrobalani vel cotonei mali. Sed ante maceranda herba est diem circiter unum in aceto, vel in succo portulacæ, vel solatri, vel intybi, facta subinde liquoris mutatione. Radicis cortex *datur* in pulverem redactus à granis v. ad x. Lac vero à tribus ad septem. Sunt qui hodie tunsæ herbæ succum, qua dixi arte præparatum, aut aloë aut pici permiscent, quam deinde substituunt pro scammonio, ex quo diadacrydion comparatur.

Tithymali species usurpantur interdum in eosdem usus: præparanturque ratione non dissimili.

Mezerei species tres describuntur Mesuæ. *Prima* quæ majoribus atque virentibus est foliis, iisque tenuibus & gracilibus: daphnoides est Dioscoridi. *Secunda* quæ folio est olivæ, angustiore, sed multum pingui & viscoso: thymelæa est. *Tertia* est Dioscoridis chamelæa. *Primam* duntaxat admittit Mesues, posteriores duas, ut perniciosas exterminat. Ea calida siccaque est ordine quarto & *acerrima*, inflammat febremque accendit, exulcerat, cordis

principumque partium vires veneni modo A exolvit. At nihilominus quod aquas citrinas & melancholicos humores eximie ducat hydropicosque *mire juvet*, interdum usurpatur. In id autem ejus folia corriguntur, ut esula. Proprie vero *macerantur* in aceto & succo oxyacanthæ, vel mali punici, vel cotonei, cum tritis myrobalanis, deinde siccantur. Quum usus postulat hac ratione præparata folia infunduntur *à drachma* dimidia ad drachmam unam, vel coquuntur à scrupulo uno ad scrupulos duos, in pingui aut leniente jure, adjecto saccharo & cinamomo: pulvis autem eorum datur à granis v. ad grana x. mastiche & spica permistus.

Euphorbium calidum siccum ordine quarto. *Vrit*, ulcerat & magna angustia in syncopen, frigidumque sudorem præcipitat. Anno primo prorsus est venenatum, hinc in annum quartum integris persistit viribus. Omnium autem validissime aquas & crassam lentamque pituitam ab extremis partibus evocat. Sed quæ dixi illius pericula *emendantur*, si diem unum maceretur in oleo amygdalino, deinde exceptum mergatur in citreo malo acido, quod deinde massa obductum coquitur. Quumque usus exposcit, *datur* à granis vj. ad x. cum mastiche, cinamomo & spica. Ac ubi corpus perturbari cœperit, danda subinde potio quæ refrigeret & leniat.

Caput XIII.

Quæ vomitum cient.

Oxymeli juniores plerique iis annume- A rant quæ vomitiones cient, quod nusquam tamen est usu compertum. Quod enim *acetum*, ut Dioscorides diligenter animadvertit, adstringens sit, id ipsum sanguinis eruptiones è naribus, ex utero & ex hæmorrhoide, alvi quoque profluvia & vomitiones cohibet, idque non modo potum, sed & odoratum & appositum. At vero *stillaticium acetum* vulgares nonnulli non parvo periculo experti sunt vomitiones movere, quandoquidem ventriculum, intestina, omniaque interiora viscera summis cruciatibus exulcerat, quemadmodum & hoc ipsum metalla omnia dissolvit, ab B arte igitur ut perniciosum exulet. Cæterum quum ventriculus crasso lentoque humore confertus est, multo ante vomitionem tempore is extenuari præpararique commode potest *oxymelite*, non simplici modo, sed interdum composito, ut demum addito stimulo expeditior feliciorque sit vomitio.

Raphanus domesticus esculentus quum sit, *offensione nulla* vomitione purgat, atque ventriculum blande exinanit: quæcunque nimirum in eo crassa sunt attenuat, quæ lenta sunt detergit, ac demum stimulata expultrice vi sursum extollit, nulli ætati neque prægnanti infensus. Teruntur autem radicis ejus concisę *unciæ duæ* affusaque mulsa succus exprimitur tepidus offerendus. Seminis (quod efficacius sit) semuncia ℥iij. similiter teritur, addita mulsa aut sero lactis aut aqua hordei.

Peponis radix nulla etiam *qualitate infensa*, ventriculum eo quo & raphanus modo vomitione expurgat: Nec puero, nec seni, nec prægnanti gravis. Ea autem arida atque trita *datur* ex aqua mulsa à scrupulis duobus ad drachmam unam.

Vrtica his aliquanto acrior, non modo è ventriculi capacitate, sed partibus quoque ei vicinis crassos hnmores evocat, ac facile *minimoque labore* vomitu pellit, nec calore, nec acrimoniam quicquam offendens. *Datur* semen ejus tritum ex aqua mulsa, aut leniente jusculo & saccharo à drachma dimidia ad drachmam unam.

Asarum calidum siccum gradu tertio, attenuans, obstructionesque aperiens, odore aromatico: vomitione validius quam quæ nunc proposui, primo ventriculum, deinde vicinas quoque & abditiores partes ex intervallis purgat, è quibus & crassam pituitam, & bilem tum flavam, tum æruginosam evellit. *Omnis malignæ qualitatis expers*, atque etiam pręgnanti tutum, prefertim quum non exquisite teritur. Viridia folia *dantur* à v. ad viij. trita & affuso vel hydromelite, vel sero lactis, vel leniente decocto expressa. Radix cujus præcipua vis est trita,

ta, datur ex liquore simili, à drachma dimidia ad scrupulos quatuor. Maceratur vero in eo ipso liquore à drachma una & dimidia ad drachmas tres, expressumque datur. Coctura vis ejus vanescit quemadmodum & cæterorum quę vomitione purgant.

Iuglandis arboris quum præsertim succo madet, decerptus medianus cortex, arefactus tritusque vomitionem ciet, longeque mitius juli ejus qui catuli vocantur, quique florem antecedunt, deciduntque frondescente arbore. Hi enim furno siccati, tusique, *à drachma* dimidia ad drachmam unam, ex leniente liquore, aut ex vino albo, sursum purgant, colicosque dolores ac nephriticos tollunt.

Spartum majus quod stipite est quadrangulo, calidum siccum ordine secundo, incidit & attenuat, vomitione pituitam aliosque humores trahit, tum flore, tum semine: atque licet sapore non injucundo sit, ventriculum tamen *conturbat* & aliquantum offendit. Quocirca *permiscendum* ei feniculi semen cum cinamomo & saccharo, daturque pulvis aut seorsum, aut ex aqua mulsa à drachma dimidia ad drachmam unam.

Balanus myrepsica quam granum ben Arabes dixerunt, duplex, major quæ instar est avellanæ, minor quæ ciceris est magnitudine, utilior est & ad purgandum accommodatior. Calida tertio, sicca secundo recessu, oleosa, sed tamen acris, ventriculum visceraque *conturbat*, crassos lentosque humores vomitione purgat. Medulla eximitur *siccaturque igne ac* torretur, daturque ex feniculo, cinamomo & saccharo, vel ex feniculo, & cinamomo subacta, ut ricinus, coquitur in massa, daturque *à drachma* dimidia ad drachmam unam.

Elleborus albus calidus siccusque tertio ordine: *mordet*, & vomitu tam violenter purgat, ut prope strangulet. Corpori viribusq; perinde atque venenum infestus prorsum fugiendus est. Si cui tamen robusto hunc exhibere morbi diuturnitas & pervicacia suadebit, radicis fibræ *à scrupulo* uno ad scrupulos duos in raphani radicem infigantur, iisq; postridie exemptis raphani radix offeratur. Aut eę fibrę in jure pingui aut in vino dulci, aut in leniente decocto cum cinamomo & aniso *macerentur* nocte una, expressusque liquor addito saccharo propinetur.

Non pauca ex iis quæ aquas detrahunt vomitum quoque cient, ut *sambucus*, *ebulus*, *ricinus*, *lathyris & esula*: sed hoc tamen loco ea solum persequor quæ citra alvi dejectionem vomitione purgant.

CAPUT XIV.

Purgantia quæ ab usu recesserunt.

Exoleverūt quædam purgantia. PLeraque *veterum monimentis* celebrantur *purgantia* medicamenta quæ tempore dierumque numero, ut supervacua *exoleverunt*, alia *quod* commoditate *usuque minimo* naturam vehementius *conturbarent*, alia *quod* nulla aut certe quam *minima dejiciendi vi* sine fructu molesta ægrotis essent.

Quæ nimium turbarent corpus. *Prioris generis* sunt lapis armenius, lapis cyaneus, nitrum aliæque salis species, sarcocolla, sagapennm, opopanax, æs ustum, antimonium & squamma æris, cyclaminus, staphys agria, thapsiæ succus, invólucrum majus. Et quæ rustici interdum usurpant, pix nigra, buxi contrita folia, & ejus fruticis quem nigrum prunum vocant fructus.

Vel quæ nimium imbecillia: Ad emolliendum. *Posteriori classe* continentur quę aut *alvi faces emolliunt*, aut intestina leniunt, pruna, jujubæ, myxaria, ficus recentes, viola, malva, althęa, atriplex, beta, blitum, mercurialis, psyllium, ejusque mucor, butyrum.

Trahendum bilem. Deinde quæ *bilem flavam* imbecillius *trahere* dicuntur, tamarindi, eupatorium, absinthium, capillus veneris, rumex major, chamæpitys, lactuca sylvestris, myrobalani citreæ & quæcunqne fere alvum mollire dlximus.

Melancholiam. Quæ pręterea *melancholiæ* & bili retorridæ accommodantur: serum lactis, fumaria, volubilis, lupulus appellata, brassica semicocta, pulegium, polypodium, cortex radicis capparis, thymus, epithymus, myrobalani nigræ.

 Postre-

Pituitam. Postremo quæ *pituitæ* conveniunt, stœchas, origanum, tragoriganum, hyssopus, polypodium, cnicum, centaurium minus, scylla, arystolochia, cerebinthina, thlaspi, struthion id est lanaria, dracuntium majus, myrobalani cæpulæ & emblicę.

Quæ nunc præparantibus accensentur. Ea igitur quod hac tempestate hisce regionibus minimum sint efficacia, non purgantibus, sed iis que ad purgandum juvant & *præparant*, & iis in quibus purgantia maceranda permiscendave sunt, adscripsimus.

Hæc igitur purgantia simplicia operibus jam diu confirmata, in artis usus satis superque fuerint, nisi cui forte nova quædam benigniora observationibus occurrant.

Composita in officinis purgantia omnes humores. Ex his quoque *compositiones in pharmacopoliis* asseruatæ quas in antidotarium retulimus. Sunt autem ejusmodi: Ad expurgandos *omnes humores*, syrupus catharticus minor & major, catholicum liquidum ac solidum.

Ad *bilem*, syrupus rosarum pallidarum, syrupus persicorum, hiera simplex, electariũ è prunis tum simplex tum compositum, electarium è succo rosarum & diacidoniωn.

Pituitam. Ad *pituitam*, electarium diacnicum, diaphœnicωn, benedicta, confectio hamech, hiera diacolocynthidos.

Melancholiam. Ad *melancholiã* è senna & cõfectio hamech.

Aquas. Ad *aquam* citrinam, electarium hydragogũ minus & majus, & electarium è thymelæa.

Pilulæ bilem. Ex iisdem quoque *pilulæ* asservantur, ad *bilem* quidem hæ leniores, pilulæ è hiera, pilulæ stomachicæ, pilulę ruffi & assajeret, pilulæ imperiales: valentiores autem pilulæ sine quibus & pilulæ aureę.

Pituitam. Aliæ ad *pituitam*, ut pilulæ de agarico, pilulæ lucis, cocciæ, de hermodactylis, & polypochrestæ.

Melancholiam. Ad *atram bilem* pilulæ è fumaria, pilulæ indę, pilulę è lapide cyaneo.

Aquas. Aliæ ad *aquas*, ut pilulæ è thymelęa, & unguentum lathyridis.

CAPUT XV.

Præscriptionum purgantium formulæ, & primum Glandis.

Formulæ purgantium INeorum gratiam qui vix dum artis operibus initiati *præscriptionum formulas* quas imitentur expostulant, hoc jam loco explicaturus sum, qua temperatione quibusque formis, tum composita quæ dixi purgantia medicamenta in rem præsentem accommodari discernique soleant, sumpto à balanis & clysteribus exordio: ad ea dein progressurus quæ supervacuos humores è singulis corporis regionibus detrahant.

Glandium. Alvus proritatur *glande* ac subducitur: pueris aut infantibus *betæ* vel *mercurialis* cauliculus radixve oleo intincta, aspersave sale aut saliva pro glande est. Recentis etiam *ovi vitellus* cum salis & croci momento linteolo raro illigatus delicatioribus & infantibus nodulus fit balani vice subdendus. *Sapo* quoque albus aut succidia in glandis formam palmæ longitudine exacuitur, inditurque blande: citra morsum alvum exonerat.

Præsertim ex melle. Crebrius autem *ex melle* in eandem formam concinnatur, quod eousque coquitur, dum crassecat nec amplius digitos inquinet. Evadet is acrior si salis vulgaris drachma dimidia conspergatur. Ne tamen sua acrimonia primo statim ingressu anum stimulet, sal aut quidvis aliud acre melli dum coquitur permiscendum. Mellis uncia, salis vulgaris drachmam unam habeat, aut salis gemmei scrupulum unum, aut muscerdæ scrupulos duos, aut pulveris hieræ simplicis drachmam unam, aut hieræ diacolocynthidos drachmam dimidiam, aut agarici scrupulos duos, aut colocynthidos pulverisatæ scrupulum unum.

Hæ tandem intestini calore liquefacta atque suscitata id ipsum ad excernendum proritant, sphincteremque recludunt.

Clysterum formulæ.

Clysteris usus. QUum *ad facilem* expeditamque *purgationem* vias liberas esse oporteat per quas detrahendus sit humor, *clyster* intestinorum capacitatem exinaniens & mesaraicarum ora venarum patefaciens, in præparantium censu habendus est.

Varietas. *Alius* quidem obduratas alvi fæces emollit cohibitasque deducit, *alius* coërcitos flatus

tus

tus discutit: *alius* crassam lentamque pituitam infarcientem intestina iisque tenacius adhærentem abstergit, secumque rapit: *alius* ex alio vacuandos humores evocat: *alius* dolorum acrimoniam lenit: *alius* immodicum alvi fluorem sistit: *alius* sanguinem supprimit, aut intestinorum ulcera siccat.

Formula in genere. Fere autem *clyster* libram unam aut uncias quindecim *habet* liquoris, mellis uncias tres, olei tantundem, salis momentum.

Simplicissimi. Omniumque primus ac *simplicissimus* olim continebat hydromelitis probe cocti uncias quindecim, salis vulgaris drachmas tres, olei simplicis uncias tres.

Emollientis, &c. *Emolliens* hæc contineat, radicis althææ & liliorum an. ℥j. ficus pingues concisas quatuor, malvæ, violæ, helxines, mercurialis, acanthi an. m. j. seminum lini, fœnigręci, & anisi an. ℥. coquantur, & in ℔j. percolata dissolvatur cassię fistularis, mellis violati, butyri recentis, vel axungiæ anseris an. ℥j. olei violati vel simplicis ℥iij.

Discutiens flatus: ♃. Quatuor emollientium, origani, calaminthes, chamæmeli, anethi an. m. j. seminum anisi, feniculi, carvi & cucumini an. an. ℥ß. baccarum lauri contusarum, seminum rutæ & sileris an. ʒij coquantur, & in ℔j. jusculi, dissolve electarii diaphœnicωn, vel benedictæ ℥ß. confectionis è baccis lauri ʒiij. mellis anthosati, sacchari rubri an. ℥j. oleorum rutæ & anethi an. ℥jß. Ex inferioribus partibus detur in alvum. Additur his interdum oleum è nuce juglande, quod etiam solum vel vino permistum flatus valide dissipat, quemadmodum & rutaceum oleum.

Clyster detergens hac formula præstituendus: ♃. Origani, calaminthes, abrotani, absinthii, centaurii minoris, furfuris, hordei integri an. m. j. seminis carthami contusi, polypodii quercini an. ℥j. hermodactylorum ℥ß. percoquantur, & in juris ℔j. dissolve hieræ simplicis ℥j. vel hieræ diacolocynthidos ʒvj. mellis rosati ℥ij. salis ʒij. fiat clyster sine oleis. his nonnunquam & succi betæ vel mercurialis ℥j. affunditur.

Ex horum quoque materia *proritans clyster* est comparandus, cui si cæteris purgantibus prætermissis pulpæ colocynthidos semuncia incoquatur, validissime è distantissimis evocabit atque deducet.

In varia affectuum concursione atque confusione, ex multorum permistione *varii* quoque *usus* clysteres fient, hac formula: ♃. Quatuor emollientium, chamæmeli, meliloti, anethi, origani, calaminthes, abrotani, furfuris, hordei an. m. j. seminum anisi, feniculi, carvi, lini & fœnigræci an. ℥ß. In ℔j. decocti juris dissolve catholici ℥j. vel hieræ simplicis, diaphœnici an ℥ß. mellis rosati, sacchari rubri an. ℥j. olei chamæmeli & violati an. ℥jß. Hi igitur omnes *in præparantium* sunt genere.

A purgatione vero clyster interdum quoque necessarius est, qui aut anodynus sit, aut immoderatum profluvium cohibeat intestinaque corroboret, aut sanguinem supprimat, aut intestinorum ulcera persanet.

Anodynus: ♃. Radicum althææ & liliorum an. ℥j. malvæ, violæ, chamemeli, meloti, an. m. j. seminum althęę, lini, fœnigræci & cydoniorum an. ℥ß. coquantur ex lacte, & in hujus ℔j. dissolve butyri recentis ℥ij. vitellos ovorum duorum. subter indatur.

Adstringens: ♃ Rosarum rubrarum, balaustiorum, plantaginis, sanguinalis, arnoglossi, verbasci, an. m. j. seminum oxalidis, portulacæ, plantaginis & myrti an. ℥ß. coquantur in lacte ustulato, vel in aqua fabrorum. In jusculi ℔j. dissolve, amyli ʒij. gummi Arabici vel tragacanthæ ustulatæ, vel masticheς ʒj. clyster fiat sine oleis.

Adstringentior fiet, sanguinemque supprimet, intestinorum ulcera siccabit, & ad cicatricem perducet, si huic prætereà addas boli armenæ, sanguinis draconis an. ʒij. Multo quoque præstantior redditur, si pro jusculo usurpentur herbarum succi.

Purgationes.

Formula purgationum. NOnnulla quoque assumpta solas ab alvo fæces ducunt & exturbant, eccoprotica propterea appellata. Ea recte cibis præmittuntur, ut eorum impulsu celerius & validius excidant. Eadem quoque pastis ciboque confertis offerri pos-

possunt, sed cibum præcipitant alvumque subducunt minore profectu. Nonnulli cibis illa permiscent, sed ii, ut alvum exonerent, aut nondum confectos cibos præcipitant, aut certe corrumpunt. At unam aloëm cibis interponere nihil nocuerit, quum præsertim in pestilenti constitutione in corpus illam distribui volumus, ut humores à putredine vindicet.

Quæ alvum leniter molliunt. Itaque ad *molliendam alvum* si neque olus, neque oleum, neque butyrum, neque pruna satis erunt, mannæ calabriæ ℥j. ex carnium jure soluta sorbenda est semihora ante pastum, aut cassiæ fistularis semuncia ex saccharo.

Detergent. Quum autem simul quædam desideratur *ventriculi detersio*, vel aloës vel pilularum stomachicarum, vel rheibarbari & aloës drachma dimidia, in pilulas duas tresve concinnata, voretur paulum ante pastum. Ita enim copiosius dejiciet, quam si tripla multo ante tempore fuisset assumpta. Qui hæc vel lenissima aversabitur, pruna circiter duodecim coquat è jure duarum triumve drachmarum sennæ, additoque saccharo edantur ex suo jure.

Validius molliunt. Quum *plenius mollienda* est alvus citra insignem ullam humorum purgationem, æstuoso præsertim cœlo per febrem ardentem & sitim validam, ita præscribendum. ♃ mannæ calabriæ ℥ij. dissolve ex jusculo capi. horis tribus cibo præmittatur. Aut validius sic: ♃ cassiæ fistularis ʒx. adsperge ducis pulverem, fiatque bolus. Aut sic: ♃ diaprun*o*n lenientis simplicis ʒv. medullæ cassiæ fistulæ ℥ß. cum saccharo. fiat bolus.

Quæ unum humorem purgant. Quum autem seorsum expurgandi sunt humores, medicamentum longiore intervallo cibum præcedat, ut purum nec aliena permistione fractum è ventriculo excidat, penetretque prius in venas quam cibi potusve permistione interpelletur. Ventriculo detergendo atque purgando accommodatissima est aloë, lieni senna, jecori rheumbarbarum, mesenterio & intestinis agaricus: quanquam & unumquodque in alias etiam partes, in aliosque humores vires exercet.

His igitur è prima corporis regione citra reliqui corporis perturbationem ullam præparati detrahuntur humores: atque sic

E ventriculo. A *è ventriculo.* ♃ massæ pilularum assajeret ʒj. rheibarbari ʒß. ex syrupo absynthii malaxentur finganturque *pilulæ* septem. *Potio* autem quod ventriculi latera proluat, validius extergit. ♃ pulveris hieræ simplicis ʒiij. rheibarbari electi contriti ʒj. diluta unciis tribus hydromelitis propinetur jejuno. Si vires permittant, addetur ʒj. aut ʒjß. El. diaphœnicon, ut medicamenti languida vis proritetur ociusque prolabatur in alvum. At quum ventriculi seu pituitosa, seu biliosa impuritas vel nauseam, vel animi exolutionem languescente pulsu, vel syncopen accersit, lenioribus res tuto gerenda. Quum quis præterea aloës amarorem fastidit, rheumbarbarum, & si hoc quoque grave & insuave, senna in eam quam mox subdam formulam, aptetur.

Mesenterio. B At vero si jam altius circum *ventriculum*, circum *pancreas* aut *mesenterium* conditus est humor, biliosus præsertim, his ducendus est pharmacis, quæ habent pulpæ cassiæ fistularis vel diaprun*o*n simplicis ʒvj. rheibarbari electi triti ℈iiij. ex saccharo *bolus* fiat, vel *potio*. ♃ rheibarbari electi ʒjß. electarii lenientis ʒiij. syrupi violati ℥ß. aquæ decoctionis hordei ℥iij. solvantur in potionem. Ita quidem rheibarbari substantia, quia sicca & adstringens, leniente aliquo (nisi immoderate alvus profluat) temperanda. Vel sic, ♃ aquæ stillatitiæ endiviæ, vel cichorii ℥ij. vini albi odorati ℥j in quibus macera rheibarbari selecti triti ʒij. vel ʒijß. cinamomi ʒß. in expresso dilue syrupi adiantini aut de cichorio simplicis ʒvj. Ejusmodi potio C vel ex aliis quoque aquis, ut buglossi, betonicæ, aut melissophylli comparata, laboranti puero, vel seni, vel jam imbecillo, vel prægnanti mulieri, quum non alia secura fuerit purgatio, decernenda; quæ & interdum syrupi rosarum pallidarum uncia una validior evadet.

Quæ plures humores ex iisdem sedibus. Complurium autem *humorum confusa illuvies, ex iisdem sedibus* sic eluenda: ♃ endiviæ, lupuli, betonicæ an. m. j. florum cardiacorum an. p. j. foliorum sennæ expurgatorum ʒijß. aut ʒiij. decoquantur ad ℥iij. In colato jure macera rheibarbari electi contriti ʒjß. agarici trochiscati ʒj cinamomi ʒß. vel syrupi è cichorio simplicis ℥vj.

Hyeme. *Hieme* cum herbarum est penuria; ad coquendum assumantur polypodium, cni-

cnici semen, uvæ passæ, radices cichorii, oxalidis, graminis, aut feniculi.

Subito.

Si *casus præceps* est, drachmæ decem vel sescuncia catholici ex hydromelite aut convenienti jure propinetur: vel in decocto & expresso jure quod habeat foliorum sennæ ℥iij. agarici ℈iiij. diluantur catholici, syrupi de cichorio an. ℥ß. vel ʒvj.

Pervicaciori malo Apozema.

Quum *pervicacius malum* his sedibus non uni purgationi cessurum speratur, *apozema* vel *syrupus* subinde dandus, dum victum malum sit. ℞ radicum graminis, petroselini & feniculi, polypodii, seminis cnici, passarum expurgatarum an. ʒiij. endiviæ, lupuli, hyssopi, scolopendrii. an. m. ß. foliorum sennæ ℥jß. decoquantur in aquæ ℥xij. ad ℔ ß. In aqua colata macera agarici albissimi ℥ß. In expresso solve sacchari albi ℥jß. vel syrupi è cichorio simplicis ℥ij. Apozema hoc erit in tres doses.

Syrupus.

Syrupus in eosdem usus. ℞ radicum apii, petroselini, & capparis in aceto horis sex maceratarum an. ʒß. agrimoniæ, endiviæ, cichorii, lupuli, fumariæ, cassuthæ, scolopendrii, hyssopi, origani an. m. ß. seminum anisi, cucurbitæ & melonum, glycyrrhizæ an. ʒij. coquantur in aquæ ℔. tribus ad ℥xv. in quibus infunde horis duodecim foliorum sennæ electorum ℥iiij. agarici albi ℥ij. florum cardiacorum, epithymi an. p. j. zinziberis, cinamomi an. ʒij. fervefiant ac exprimantur, ac dein dissolve syrupi è cichorio, è scolopendrio & hyssopo an. ℥ij. sacchari albi ℥ß. coquantur in syrupum: dentur ℥ij. ex convenienti decocto. Si posthac affectus expostulet, seorsum sescunciam syrupi, ʒj. aut ℈iiij. reheibarbari expressum diluetur.

Horum igitur imitatione possint generis omnis compositiones ad expurganda primæ regionis vitia præstitui. At nihilominus in ascite, quod aqua citrina densis membranis arctius coërcita sit, & à purgationis viis ductibusque seposita, validorum medicamentorum vim efflagitat.

Quo modo secunda corporis regio expurganda?

Quæ porro humorum impuritas *in secundam corporis regionem* quæ majorum est venarum invaserit, nisi languidiores vires aut acrior morbus obstet, pharmaco valentiore demenda est, & iis quæ dixi lenioribus nonnihil eorum adjiciendum, quæ scammonium, turpethum, colocynthidem, hermodactylos, hujusque classis pharmaca continent. Ut cassiæ fistulari, vel diapruno simplici, vel catholico pondo semunciæ: vel diluto rheibarbari, vel agarici, vel sennæ, miscendum aut diaphœnici, aut diacarthami, aut diacydonii, aut confectionis Hamech ʒij. vel ʒiij. pondo: qua etiam ratione supra scripto syrupo turpethum & scammonium adjungatur: aut syrupus catharticus major, aut electarium catharticum majus usurpentur.

Regio tertia ut expurganda?

Patefactis tandem & expurgatis primis regionibus, *tertia* jam quæ summarum est partium, ut capitis, lumborum, artuum cacochymia, quemadmodum & hydropicorum serosus humor, aliis insuper vehementioribus detrahenda, quæ ut vires erunt & corporis præparatio, ita convenienti tum dosi, tum forma decernentur.

CAPUT XVI.

Capitis & cerebri peculiaria medicamenta.

Expurgatis humoribus reliquiæ derivandæ.

OMnem jam eorum medicamentorum materiam quæ noxios humores tum apparant, tum è publicis corporis regionibus detrahunt exequutus, ea dein persequar quæ purgationis universæ reliquias è singulis partibus, præsertim è cerebro, è pulmonibus, è thorace, è corde, è jecore, è liene, è renibus, ex utero atque ex articulis derivent. Et ea demum quæ partes ipsas prorsus omni illuvie expurgatas corroborent, pristinæque reddant valetudini. Id autem remediis præstandum quæ peculiari dote partem unamquamque juvent.

Quibus id fieri possit è cerebro.

Cerebri igitur *mucum atque pituitam per nares* hæc eliciunt.

Samsuchum narium mucum ac pituitam impositum blande expurgat.

Salvia & *betonica* utraque trita & in alterutram narem indita, si aliquantum finitur, pituitam nullo tædio prolicit, cerebrumque mire levat.

Anemone, quæ præsertim quadrato est caule & flore purpureo, acris est, propriè vero succus ejus naribus infusus cerebrum expur-

expurgat: commanducata radix pituitam trahit.

Beta utraque & nigra & candida nitrosa quadam facultate cerebri excrementa deducit, in idque succus earum ex melle aut hydromelite naribus indendus.

Brassica sativa eadem qua beta vi nitrosa, naribus immissa, capitis pituitam elicit, cæterisque humoribus exonerat.

Radix iridis nostratis, naribus subdita sternutamenta movet, & pituitam prolicit, quod & succus validius præstat, sed quod acrior sit, leniente liquore temperandus.

Elaterium cucumeris agrestis succus, iridis succum facultate superat, ut majori quoque remperatione sit opus.

Quomodo ex iis fiant. *Cyclamini* succus ad purgandum caput omnium efficacissimus, at non satis tuto naribus instillatur, quod cerebri meninges acerrime feriat.

Qua autem ratione hæc convenienter aptentur in errhina, dicendum.

Errhina blanda. *Errhinum blandum.* ℞. foliorum sampsuchi, salviæ, betæ & anemones (quum haberi potest) recentium an. m. j. Terantur, & affunde aquæ betonicæ, vini albi an. ℥ij. expressus succus accommodetur in errhinum. Si acrius optatur, addenda radicis iridis virentis semuncia. Hauriendus autem hic succus est in nares prono capite, ut altius subeat, ne relabatur in fauces.

Valentia. *Valentius.* ℞. Radicis cyclamini ʒj. elaterii, si in promptu est, ʒß. Trita macerentur in ℥iiij. vini albi vel hydromelitis, ut mitius evadat. Expressus succus reponatur in ampullam. In hoc maceratum oblongum contortumque linamentum in nares inserendum: nam succus si haustus feratur in cerebrum, abunde quidem mucum eliciet, sed acerrimo & tamen momentaneo dolore: neque aridorum pulveres tuto possunt in nares inspirari. At tenuissime contrita illa excipi possunt mellis uncia una quo nares sublinantur. Cyclamini quoque radix in oblongæ turundæ speciem præcisa & aqua vitæ macerata si naribus indatur, pituitam abunde proliciet.

Quomodo usurpanda? *Oportet* autem quæ immittuntur *non prorsus nares obturare*, ut quum ducetur spiritus, errhini vaporem vimque secum deducat in cerebrum: ipsum quoque laborantem prono haberi capite, ut excrementum cerebro meningibusque circumfusum promptius illabatur in nares.

Sternutatoria quæ? Quæ porro pituitam *sternutamenta promovent*, diversa sunt facultate: nam & his acriora fere sunt, & cerebrum impulsionis vi concutiunt, sicque ejus supervacanea undique in priora atque in nares derivant. Sunt autem hujusmodi.

Struthium, quæ & lanaria & saponaria nuncupatur, sternutamenta ciet, ac mucum prolicit trita cum melle & naribus infusa.

Castoreum ut aliis facultatibus cerebrum nervosque juvat, ita & ipsum sternutamento purgat.

Ptarmica hoc est sternutatoria ex ipsius effectus præstantia nomen invenit, quandoquidem & foliis & floribus efficacissima est evocando sternutamento.

Batrachii radix acerrima arefacta tritaque naribus subdita sternutamento cerebrum expurgat.

Elleborus albus potentissime sternutamenta movet, si vel sola radicis ejus fibra inseratur in narem, multoque magis si arida ea in aqua vitæ macerata sit. Pulverem ejus in nares indere, non nisi veterno aut apoplexia correptis & consopitis liceat.

Euphorbium vel odore solo sternutatorium est, cujus etiam oleo perunctæ nares, aquoso multo stillant humore.

Quomodo usurpanda? Quum autam horum effrenata vis sit, ne quid inopinato contingat, singulis certius quam permistis compluribus atque compositis *uti liceat*.

Struthium & batrachium terantur macerenturque in hydromelite, in quo dein intincta linamenta indantur in nares. Veratro tamen & euphorbio ea quam dixi præcautione utendum.

Apophlegmatismi, *Per palatum vero pituitam hæc proliciunt* mansa aut gargarizata.

E quibus. *Mastiche* commanducata blande & leniter pituitam ex ore & faucibus potius quam è longinquis elicit, perinde ac omnia fere diutius ore circumducta.

Uva quoque *passa* & per se cum nucleis & cum pipere commanducata, caput blande purgat.

Sinapi vero tunsum ori quovis modo inditum, è cerebro pituitam ducit, naribus quoque admotum sternutamenta ciet.

Na-

Nasturtium semine eadem quæ sinapi præstat.

Pyrethrum radice idem & aliquanto validius efficit.

Piper longum tametsi calidius, non æque ad ducendam pituitam efficax.

Staphys agria non solum quod acri semine os faucesque velut exurat, sed peculiari quoque vi cerebri pituitam evocat, & ore profundit.

Quomodo fiant inde noduli. Hæc *ita comparentur* in usum: ℞. Sacchari candefacti ℥j. mastiches ℥ß. piperis longi, pyrethri, staphydis agriæ an. ʒj. fiat pulvis, qui referatur in *nodulos* ore continendos premendosque dentibus: hæc quidem mansa præcipue gingivas, dentes, maxillas & oris fauciumque partes, expurgant, quas nimirum calor attigerit.

Gargarismi. At vero *gargarizatu* quoniam altius in fauces incidunt, longius quoque proliciunt, ut ex ipsis faucibus, ex amygdalis, ex œsophago & palati cavo, quemadmodum & penna altius in fauces indita. ℞. Seminis sinapi tunsi ex aceto ℥ß. piperis longi in pulpulverem triti ʒj. hydromelitis ℔j. fiat gargarismus. Vel sic: ℞. Ficus pingues incisas quatuor numero, uvarum passarum expurgatarum ℥j. glycyrrhizæ ℥ß. coquantur ad ℔j. In expresso jure dissolve radicis pyrethri tenuiter tritæ ʒj. piperis longi ʒß. fiat gargarismus. Piperis enim atque pyrethri vis coquendo vanescit atque disperditur. Sed neque gargarizatu cerebri interiora exquisite purgantur, quod minime ad cerebri basim is pertingat, quo maxime cerebri excrementa confluunt.

Liquores hauriendi? Optima autem & utilissima cerebri expurgatio per palatum fiet, si aptus conveniensque *liquor haustus* in nares resupino capite relabatur in fauces. Etenim transitu cerebri basim subiens viam per quam excremento cursus est expedit, cerebrum vi sua ferit, cujus etiam excrementa facultate deducit: hanc autem cæteris mitiorem ita decernito. ℞. Radicis althææ & betæ an. ℥j. hordei integri, glycyrrhizæ, uvarum passarum an. ℥ß. coquantur in hydromelite ad ℔j. In quo macera radicis pyrethri, radicis cyclamini contritarum an. ℈ij. exprimatur liquor in eum quem dixi usum.

CAPUT XVII.

Frigida quæ capitis ardores & deliria mitificant, accersuntque somnum.

Quibus temperandum, roborandum cerebrum calidum & siccum. Rosa sicca destillationes arcet, quas tamen humida ac recens odore solo proritat, capitis dolores ex ardore compescit, accersitque somnum, cerebrum mentemque roborat.

Viola frigida & humida, tum odore, tum substantia, capitis quoque ardores ac mentis perturbationes lenit, inducto sopore.

Nymphæa tota refrigerat ordine secundo, ejus radix atque semen exiccat, flos vero humectat, isque naribus ac fronti admotus, capitis ex bile dolorem lenit, somnum conciliat, sumptusque omnem extinguit ardorem.

Lactuca tum admota, tum summo cibo sumpta, acres demulcet humores, desipientiam sedat, vaporisque suavitate somnum accersit, idque blande & citra offensionem ullam.

Solanum furiosum venenatum est ac inutile; *hortense* vero esculentum est & admotis foliis somnificum: sed & hortense immoderate sumptum mentem quoque perturbat.

Hyoscyamus albus eligendus cui flos & semen album est, cui vero *flavum* aut nigrum, quod vel insaniam vel soporem inferat, fugiendum. Sed ne *albus* quidem tutus, quod immodico usu dementet.

Papaver album medicinis tutius sed minus efficax quam *nigrum* & *sylvestre*, quod rhœada appellant, flore rubro, nigro autem semine: estque frigidum ordine tertio.

Sempervivum majus frigidum quidem abunde, sed nullius particeps malignitatis.

Tria hæc fronti & naribus admota acres fluxiones sistunt, capitis ardores extinguunt, dolores leniunt ab æstu & febris ardore natos, somnumque inducunt ac deliria sedant.

Caphura frigida sicca gradu tertio, acris, odorata, partium tenuissimarum. Capitis ardorem, cephalalgiam ab æstu naribus admota, aut cum santalis & aqua rosarum

rum ſtillaticia in frontis & temporum fotum adhibita mitigat, ſanguinem è naribus profluentem ſiſtit, exæſtuans cerebrum recreat odore, ſed libidinem extinguit.

Mandragora frigida ordine tertio, ſiccaque primo perhibetur, radice, folio, fructuque uſurpanda. Eximia ei vis refrigerandi atque compeſcendi ardentium febrium æſtus, capitis dolores ac deliria, ſed præcipua conciliandi ſomnum, ſoporifera enim eſt & narcotica. hæc autem præſtat tum fructus odore, tum folio radiceve trita, inductaque ex oleo fronti atque temporibus.

Opium frigidum ſummo quartove gradu, ſiccum primo: plane narcoticum eſt, quod ſublato, aut conſopito ſenſu ſtuporem inferat. Ad leniendum acerbum dolorem, ad quemvis ardorem protinus extinguendum, ſoporemque accerſendum, extrinſecus moderate appoſitum omnium, quæ ſupra dixi, efficaciſſimum, quod vel naribus illitum odore ſolo confert. Medicamentis inditur quorum exuperans calor temperari poſtulat, intro alias minime purum admittitur.

Quæ ex iis fiant Medicamenta in officinis? Hæc igitur præcipua eſt eorum materia, quæ in prædictos uſus coaptantur, vel in ſyrupos, vel in pilulas, vel in antidotos: hujuſmodi ſunt *quæ aſſervantur*, ſyrupus roſarum ſiccarum, ſyrupus nymphææ, ſyrupus papaveris, diacodειων ſimplex, diacodειων compoſitum, pilulæ è cynogloſſo, Philonis antidotus, & trochiſci è ſuccino, trochiſci de Caphura & trochiſci Narcotici.

Quæ ex tempore? *In rem* autem *præſentem* fotus fiunt ſincipitis, *embrochæ, illitus, cataplaſmata, frontalia.*

Fotus. Ut in cauſo & capitis dolore ab æſtu, *fotus*, qui habet aquarum ſtillaticiarum plantaginis, roſarum, ſolani an. ℥iij. aceti ℥jß. caphuræ ʒß. miſce in fotum ſincipitis & temporum. Aliud: ℞ roſarum, violarum, nymphææ, lactucæ, ſolani, ſempervivi an. m. j. ſeminum lactucæ, hyoſcyami & papaveris albi an. ʒß. coquantur ex aqua ſimplici, acetique ſextans ſub finem indatur: tepido ſinciput foveatur per ſpongiam aut per ſplenia.

Hæc eorum materia (ſerpillo, meliloto, betonica rutaque additis) tuſa cretaque & roſaceo unguento, aut populeo, vel oxyrrhodino excepta in *cataplaſma* redigitur: accommodatum vigiliis, phrenitidi, omnique deſipientiæ, fronti ac ſincipiti inducendum. *Cataplaſma.*

Ad hæc quoque vitia earum partium *embrocha*, id eſt irrigatio, fiet ex oleo roſato, nymphææ, papaveris albi & mandragoræ: quibus ſi extrema res eſt, opium addetur, ſed ea temperatione ut ejus non ſupra grana dena, olei unciæ ſingulæ excipiant. *Embrocha.*

Addita cera *illitus* ex his fient, & cerata tum liquida, tum ſolidiora, fronti temporibuſque inducenda. *Illitus.*

Ex his quoq; aceto exceptis *oxyrrhodinum* fiet compoſitum, iiſdem partibus inducendum, ut quod: ℞ olei roſarum, nymphææ & papaveris albi, aceti, aquæ ſtillaticiæ ſolani & betonicæ an. ℥ß. miſta agitentur pro embrocha frontis, ſincipitis. *Oxyrrhodinum.*

Alid: ℞ unguenti populei & roſacei aceto lotorum an. ʒvj. ß. ſeminis papaveris albi & pſyllii contuſorum, ceræ an. ʒß. malaxentur & concorporentur in cerati formam, quod inductum linteo fronti circundetur.

Aliud ſiccum: ℞ roſarum rubrarum, foliorum violarum & nymphææ an. p. j. foliorum betonicæ, lactucæ, & hyoſcyami an. m. ß. ſem. lactucæ & papaveris albi & amygdalarum amararum contuſarum an. ʒiij. conciſa omnia & (ſi aridora ſunt) vapore aquæ roſarum madefacta exceptaque ſpleniis, interſuantur, & applicentur fronti & temporibus.

CAPUT XVIII.

Calida medicamenta quæ affectuum cerebri, præſertimque frigidorum, reliquias proprietate diſſipant.

Quibus roborandum temperandumque cerebrum frigidum? SAlvia calida primo, ſicca ſecundo, quæ anguſtiore folio efficacior habetur, ea leniter adſtringit, & emanantem ſanguinem cohibet, ventriculum atque cerebrum corroborat, torpentem appetentiam excitat: peculiariter autem nervos fir-

firmat, eorumque vitiis omnibus medetur, in idque vires obtinet castoreo finitimas.

Betonica cerebro auxiliatur, idque vel odore solo recreat. Hinc comitialibus furiosisque medetur, paralysim, torpentiaque membra persanat.

Sampsuchus calefacit siccatque tertii ordinis initio, tenuium est partium, & valide digerit, odorisque suavitate cerebrum, nervos corroborat: ex hisque flatus, crassam pituitam, & hinc subortas obstructiones dissolvit.

Rosmarinus sampsucho præstantior, una cum cerebro & nervis cor, sensus omnes & memoriam confirmat: tremori atque paralysi salutaris.

Stœchias cerebrum nervosque juvat, & frigidis eorum medetur affectibus, illisque moderato calore quasi vitam restituit: vertigini, epilepsiæ atque melancholiæ saluberrima.

Laurus calefacit & subadstringit, baccæ in medicamenta adjiciuntur, quæ nervorum lassitudines reficiunt, & ad unguenta quæ calefaciunt & discutiunt, earum succus aurium dolori & gravitati instillatur.

Myrtus quam laurus adstringentior, moderato calore atque suavitate cerebro familiaris, ejus spiritus viresque fovet & firmat, nec parum sistendis destillationibus opitulatur.

Acorus qui *Galanga* est, calidus siccus ordine tertio, oris halitum commendat, frigidis & flatuosis ventriculi & cerebri affectibus medetur, inditus naribus cerebrum juvat & firmat, ore vero detentus venerem stimulat.

Pæonia mas præstantior est fœmina, calida siccaque ordine secundo, radice, flore, semine celebrata. Cerebrum odorata mire recreat, sed admota sumptaque magis: mentis perturbationem sedat, nocturna ludibria atque etiam incubos dissipat, timores, pavoresque discutit, comitiali morbo medetur. Cerebri, quemadmodum & jecoris, renum, uterique obstructiones tollit.

Ruta ordine tertio calefacit & exiccat: odorata & admota mentis hallucinationes & desipientiam arcet, melancholicosque pavores discutit, cum oxyrrhodino illita capitis dolores quacunque ex causa mitigat.

Serpillum acre, calidum & siccum initio tertii, & odoratum ex oxyrrhodino appositum cerebrum juvat, atque corroborat, ut idcirco dolores, deliria, mentisque perturbationes sedet accersito somno: at nihilominus rheumatismos frigidasque destillationes capiti inductum sistit & dissipat.

Spica quæ & pseudonardus, calefacit & siccat ordine secundo, caput admota calefacit ejusque humores supervacuos exiccat, & destillationes arcet, apoplexiæ, paralysi tremorique utilis.

Centaurium minus rheumaticis affectibus auxilio est, nervis accommodatissimum, ut quos humore turgentes citra noxiam evacuet ac desiccet.

Iridis illyricæ seu florentiæ radix & *alcë* præterquam quod somnum alliciunt, dolorem etiam capitis temporibus & fronti ex rosaceo illitæ sedant, & odoratæ cerebrum recreant.

Compositiones porro ex his paucæ extant, præcipuusque est syrupus è stœchade. Aquæ vero singulorum stillaticiæ fere usurpantur, & ex his quædam saccharo conservantur, ut flores rorismarini, & salviæ & stœchados. Olea quoque non pauca, ut myrtinum, laurinum, rutaceum, nardinum. *Quæ ex his asserventur medicamenta?*

In rem vero *præsentem*, cum vel affectuum frigidorum materiam siccare, vel cerebrum corroborare consilium est, horum plurima in *capitis lotiones* aptantur, additis juniperi baccis & anisi feniculique semine: coquunturque vel sarmentorum lixivio, vel aqua cui sub finem vini albi quadrans affundatur. In id non modo virentes, sed & arefactæ herbæ conferunt, ut quarum integra vis etiam subsistat. *Quæ ex tempore fiant?* *Lotiones.*

Oleum quoque ad frigidos quosvis affectus sic comparari potest ℞. Baccarum lauri, myrti, & juniperi an. ℥ß. seminis feniculi, rutæ & pæoniæ an. ʒiij. salviæ, betonicæ, sampsuchi, florum stœchados, rorismarini & spicæ an. ʒij. Tunsa omnia conspergantur ℔ß. aquæ vitæ, dum omnino madescant: deinde affusa olei libra una coquantur vase duplici dum liquor omnis sit absumptus, expressumque oleum recondatur in usus. *Oleum.*

Caput XIX.

Quæ destillationes sistunt & quæ cerebrum corroborant.

Quibus temperandum roborandumque cerebrũ humidum.

Mastiche vapore tenues capitis fluxiones incrassat atque cohibet, vorataque cerebrum tenuibus expirationibus impetitum tuetur ac firmat, præsertim vero in febribus, epilepsia, vertigine & in cæteris quæ sympathia fiunt.

Vernice suffitu aliquanto adstringentior & valentior mastiche, ad cætera tamen non tuto sumi potest.

Succinum quod Arabum est carabe, & Græcorum ἤλεκτρον, calidum primo, siccum secundo ordine, leniter adstringit, tritumque ac potum vomitiones ventrisque fluxiones ac destillationes sistit, attritu jucundum spirat odorem, suffituque cerebrum recreat, siccat, ejusque destillationes quocunque ruant cohibet, quod & collo circumductum non leviter confert.

Thus calidum siccumque secunda classe, frigidas capitis destillationes, tum interiores ad fauces, pulmones & ventriculum, ad dentes & maxillas, tum externas sistit & quodammodo discutit atque siccat, tum suffitu tum appositu emplastri vice.

Agallochum xylaloë, calidum siccum secundo gradu, odoratum, adstringens, subamarum, firmat omnia interiora viscera, sed peculiariter cerebrum, tum mansum, tum suffitum, eximie siccat & corroborat.

Spica nardi humores è capite, seu in pectus stomachumve procumbentes sumpta ac etiam ore contenta proprietate cohibet, viribus cæteris quam pseudonardus præstantior.

Styrax calidus gradu primo, siccus secundo, cerebro quoque jucundus: cujus suffitu cerebrum siccescit, destillationes sistuntur, & raucedines gravedinesque mitescunt.

Melanthium calidum siccum recessu tertio, ad omnia, ad quæ styrax, atque etiam efficacius accommodatur. Nam frictum adductumque naribus expirante odore destillationes omnes & coryzam exiccat, imbecilloque cerebro opitulatur: Intro vero non tuto immittitur.

Succus quem officinæ *benjoin* appellant, calidus siccus ac summe tenuis, odoris suavitate cor, cerebrum sensusque omnes exhilarat, caput suffitu siccat, ejusque supervacua absorbet, inclinantibus morbis aptus.

Caryophyllum odoratu cerebrum corroborat & exiccat, ejusque affectus frigidos persanat, mentem erigit, memoriamque firmat.

Nux moschata ejusque *macer* si vel manditur vel naribus inditur, tum odore, tum substantia, cerebri, mentis, sensuumque vires auget.

Myrrha suffitu cerebrum quoque recreat, supervacuos humores abstergit & absorbet.

Ambarum caput odoris suavitate roborat, & epilepsiæ confert, cæterisque frigidis opitulatur affectibus.

Compositiones ex his nullæ extant, sed re exigente *ex tempore* comparari possunt: fere autem singula teruntur in pulveres, quorum sit varius usus. *Quæ ex his fiant composita ex tempore?*

Suffitus adstringens destillationes tenues & acres, habet rosarum rubrarum, mastiches, vernicis, succini, singulorum contusorum ℥ß. Crassas vero ac frigidas sistit, cerebrumque corroborat qui ℞. Succini, seminis melanthii an. ℥ß. styracis, calaminthæ, benioin an. ʒiij. maceris, cariophyllorum, nucis moschatæ an. ʒij. Terantur in pulverem crassiusculum ad capitis suffitum. *Suffitus.*

Si myrrha & mastiche singulæ pondo unciæ unius aqua rosarum stillaticia solvantur, adjecto pulvere præscripto, *trochisci* concinnabuntur *ad suffitum* apti. *Trochisci.*

Pulvis capillis inspergendus destillationes arcens. ℞. Xyloaloës, succini, caryophyllorum an. ʒiij. rosarum rubrarum, sampsuchi, maceris, nucis moschatæ an. ʒij. *Pulvis.*

Cucullus vero seu intersutus pileus quo caput ad destillationes & frigidos affectus muniri solet. ℞. Sampsuchi, rosarum rubrarum, florum rorismarini, salviæ & stœchados, spicæ nardi arefactorum an. ʒij. corticis citri sicci, grani infectorii, maceris, piperis, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ʒiij. fiat pulvis. qui bombace carpta

carpta exceptus coaptetur in cucullum.

Nodulus. Cerebrum quoque roboratur siccaturque *odoratis in nodulum* conjectis, vel in globum pomi specie. ut: ℞. Seminis melanthii torrefacti ℥ß. spicæ nardi, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ʒij. trita concludantur syndone in nodulum.

Pomum odoratum. *Pomum odoratum* hac formula: ℞. Sampsuchi, rosarum rubrarum, pseudonardi an. ʒij. maceris, xyloaloës, nucis moschatæ, caryophyllorum an. ʒiij. styracis, benioin an. ℥j. Trita contusaque omnia excipiantur ladano purissimo, vel mucilagine gummi tragacanthæ, fingaturque globuli pertusi, asperso pulvere ambaris & moschi an. ℈ß.

CAPUT XX.

Ad pulmonum pectorisque vitia.

Quæ pulmones Vitia quæ tum *pulmoni*, tum *pectori* inhærescunt purgato jam corpore atque destillatione sedata, fere quidem vel *leniendo*, vel *detergendo* extenuandoque tolluntur.

Ab infarctu liberent. In idque ex *infarctu liberantium* ordine aptissima sunt, quæ incidendo atque detergendo, nec vehemenrer calefaciant siccentue, nec exasperent: sed leniant & quadamtenus humectent, ut strobili, mel, terebinthina. Interdum etiam acriora, sed ex melicrato, ptisana, vino dulci, aut leniente sorbitione data.

Quæ ejus arteriæque asperitatem leniant. *Arteriæ autem pectorisque asperitatem hæc peculiariter leniunt, simulque ardorem extinguunt.*

Pruna dulcia moderate refrigerant, humectant vero ordine secundo, alvum molliunt ac subducunt, pectus arteriamque leniunt, bilis ardorem ac sitim compescunt.

Zyzypha, quæ & jujubæ, ac myxaria, quæ & sebesten, quo prunis dulciora hoc viribus omnibus eis antecellunt.

Cremor hordei refrigerat, humectat & oblinit, sitim restinguit, detergit sine adstrictione, ac facile in thoracis partes illabitur.

Succus amygdalarum dulcium arteriam pulmonemque lenit, ac simul emolliens, humores è thorace sputis educit: qui *ex amaris* elicitur, obduratos ac tenaces validius expectorat.

Semen malvæ quia humectat & oblinit asthmaticis bibendum datur, thoracem pulmonemque proprietate juvat, raucamque vocem lenit.

Semen bombacis quod crassa leniendo extenuet, tussi & thoracis vitiis peculiariter medetur.

Viola fervidos acresque humores temperat & siccescentes pulmones humectando recreat, eorumque exasperatas vias lenit.

Glycyrrhiza temperata calore, modice humida: omnia exasperata, proprie vero arterias lenit, tussim siccam, asthma atque sitim mitigat.

Gummi Arabicum refrigerans ac modice siccans, sed tamen quia emplasticum, asperitatibus omnibus medetur, nec ventriculum relaxat.

Tragacantha frigida secundo, humida primo recessu: humidior quam gummi, aptiusque tussim veterem, omnesque asperitates lenit.

Nuclei pinei calore temperati, luculenter humidi: emolliunt ac detergunt; purulentam crassam, lentamq; expuitionem promovet.

Pistacia quia leniendo subamara sunt & adstringentia, pulmonis thoracisque obstructiones liberant.

Avellanæ tostæ destillationem arcent, crudæ vero ac recentes tussi veteri medentur, stomacho tamen infestæ, præsertim quæ vetustate nimium exaruerint.

Mel calidum siccumque ordine secundo, valenter detergit, alvumque subducit, non nisi coctum sumitur, nam flatus crudum excitat & ventriculum offendit.

Saccharum minus calidum ac siccum quam mel, utque gratius est & suavius, ita & omnia mitius quam mel efficit, nec stomacho infestum est.

Compositiones ab his *extant*, syrupus zyzyphorum, syrupus violatus, electarium tragacanthæ frigidum, eclegma è pino, pilulę bechicæ, pilulæ albæ & penidia. *Earundem virium compositæ.*

Ad quarum imitationem aliæ quoq; possunt *in rem præsentem* præstitui, quemadmodum & potiones quædam lenientes pectorales appellatæ, quales ex hordei m. j. passarum

rum ℥j. zyzyphis, myxariis an. nu. viij. glycyrrhizæ ℥ß. in aquæ ℔iij. percoctis.

Quæ expurgent.

Hæc vero pectoris pulmonumque vitia detergendo & extenuando purgant.

Uva passa quæ dulcis fuerit, leniendo detergendoque leniter, thoracis ac pulmonis affectibus eximie succurrit.

Ficus abstergendi facultatem & incidendi obtinent, præcipue vero thoracem purgant, tussi veteri diuturnisque pulmonum vitiis conveniunt, gutturi, arteriæ & anhelatoribus aptissimæ.

Capillus veneris proprie pectus & pulmones expurgat, pleuritidi & peripneumoniç utilis.

Adiantum album crassa & lenta ex pulmone educit.

Hyssopus peculiariter peripneumoniæ, asthmati, orthopnœç & tussi veteri ex destillatione opitulatur, præsertim si ex melle, aut uvis passis, ficu & ruta decoctus potetur, detersor familiaris.

Prassium quod album appellatur, crassa e pectore educit, utiliterque datur asthmaticis, tussientibus, & interdum tabidis.

Origanum linctum ex melle tussibus medetur: inclinanti quoque peripneumoniæ & pleuritidi.

Calamintha orthopnœç, asthmatique confert ex hydromelite.

Abrotanum maximeque ejus semen recta cervice spirantibus, ruptis, convulsis, tussi, orthopnœç auxiliatur.

Polypodium radice usurpatur calida siccaque ordine secundo: dulcis pariterque subaustera est, crassam pituitam detrahit, præcipue vero è pulmonibus, quia lenis est & dulcis

Cnici semen ac proprie ejus medulla in usum venit, calida siccaque ordine secundo: abstergens & aperiens, simulque leniens, proprie pectus atque pulmonem lenta pituita expurgat, vocem clarificat.

Iris flore ac radice insignis, calida siccaque ordine secundo: inveterata omnia pectoris pulmonumque vitia blande expectorat.

Hellenium radice utile, calidum ordine tertio, siccum primo, ad educendos lentos & crassos thoracis humores accommodatum: veterem tussim emendat, orthopnœam, convulsiones, inflationes, stomachique vitia, menses quoque movet & urinas.

Satureia, quæ & thymbra: medetur pulmonis & thoracis vitiis, & thymum viribus æmulatur.

Thymus ut obstructiones hepatis & viscerum solvit & expurgat, ita crassa lentaque è pulmone & thorace expectorat, anhelosis & asthmaticis cum melle datum omnia thoracis vitia excreabilia facit, sed fœtum excutit.

Iuniperus calida & sicca ordine tertio: baccæ crassos & glutinosos humores extenuant. Potæ ad vitia thoracis, ad tusses, inflationes & tormina prosunt: sed ramentum ligni devoratum interficere creditur.

Seseli massiliense officinis siler montanum calefacit & desiccat ordine secundo: radix & semen tenuium sunt partium, stomachi viscerumque concoctionem juvant, tusses diuturnas sanant, & orthopnœæ medentur.

Dracunculus calidus siccus, acer & amarus, leniterque adstringens, tenuium est partium. Radice viscerum omnium crassos ac lentos humores attenuans expurgat, tussibus ex destillatione prodest: bis terve elixa in cibo radix crassos ac glutinosos humores è pulmone valide extergit, incidit, & expurgat.

Arum calidum siccum ordine secundo: easdem atque dracunculus vires, sed multo infirmiores obtinet.

Cepa, porrum, allium, scordium, vim acrem & excalefactoriam habent, qua viscerum omnium imprimisque pectoris crassos & viscosos humores extenuant, detergunt & expurgant: præcipue vero porrum & scordium purulentam crassamque pulmonum materiam pectore expellunt & arterias purgant, si aut cum ptisana hydromeliteve cocta edantur, aut cum nasturtio, melle & resina in eclegmate delingantur. Si semel atque etiam iterum mutata aqua parum præcoquantur, acrimoniam quidem illa & cacochymiam deponunt, sed inefficaciora ad commemorata paulo redduntur.

Scylla pectus crassis & lentis humoribus infarctum expurgat, tussim veterem & asthma persanat, saniem è pectore elicit.

Crocus lethargicos strenue juvat, sed pituitam

tuitam attenuans ad spiritus difficultatem, ad tussim & pleuritidem mire confert.

Zinziber crassam pulmonum pituitam attenuat, tenuem concoquit, tussis veteris, asthmatis frigidiorumque affectuum familiare remedium, quod præcipue recens conditum fuerit.

Aristolochia utraque amara & subacris, abstergit & digerit, sed rotunda crassos humores validius extenuat, & ab iis natas obstructiones promptius expedit. Hinc asthmaticis, suspiriosis & pleuriticis auxilio est.

Gentianæ radix extenuando & abstergendo obstructiones efficaciter expedit, idque tanta vi ut jumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus auxilietur pota.

Myrrha tuberculo fabæ devoratur in vetere tussi, orthopnœa, in laterum pectorisque doloribus.

Hæc autem peculiari dote tabidis opem ferunt.

Proprie tabidos. *Scabiosa* calida sicca, non modo quia amara, sed & ingenita facultate valide adeo pulmonem expurgat, ut ejus tum abscessus atque vomicas, tum etiam pleuritidas proprietate rumpat & expurget.

Pimpinella calida siccaque ordine secundo, abstersionis adstrictionisque particeps: tabidis aptissima, cruentas excreationes sistit, sordidas ac purulentas expurgat, ulcera detergit, mirifice siccat & agglutinat.

Tussilaginis radices & folia petuntur, hæc virentia temperatis proxima sunt siccaque vero modice acria & calida evadunt, hinc siccas tusses & orthopnœas sanant, & accensa, inspirato fumo, pulmones tam blande expurgant, ut sine noxa omnes thoracis abscessus rumpere credantur.

Symphytum, consolida major ordine secundo excalefacit, siccatque: collectum in thorace pulmoneque pus expurgat & sanguinis rejectiones sistit.

Pulmo vulpis arefactus si bibatur suspiriosos adjuvat, tabidorum ulcera agglutinat, roboratque pulmonum substantiam.

Ex his *componuntur extantque* medicamenta hujusmodi, syrupus hyssopi, syrupus prassi, electarium diaireos simplex & diaireos compositum, conditum adianti, conditum florum iridis, conditum radicum enulæ, zinziber conditum, eclegma è scylla simplex & compositum, pilulæ scabiosæ. Et quæ ad sanguinis excreationem & ad tabidos purulentosve conferunt, trochisci è terra lemnia, syrupus symphyti. *Earundem virium composita in officinis.*

Ex tempore. Quum magna sit horum compositorum supellex, raro *decernuntur* alia nisi cum penuria subest, aut ad implicitos affectus insueta desideratur permistio, ut quæ leniendi & expectorandi hoc modo vim obtinet. ℞ zyzypha myxaria, ficus passas an. vj. num. uvarum passarum ab acinis liberatarum ℥j. polypodii quercini, seminis cnici, radicis helenii an. ℥ß. adianti albi, hyssopi, prassii, origani, satureiæ an. m. j. seminis althææ & seseleos an. ʒij. coquantur exprimanturque ad sesquilibram, adjectoque pari sacchari pondere recoquantur in syrupum. Si vel eclegmata vel electaria rei præsentis necessitas expostulet, horum permistio ex his quas ante protuli formulis discenda.

CAPUT XXI.

Quæ cordis discutiant affectus cardiaca appellata.

Cardiaca a via malignitatem depellunt. QUod affectus pauci in cor invadere posse credantur, *cardiacæ facultates* precipuæ sunt, noxia omnia *malignaque depellere*, & cordi *robur conferre*.

Malignitatem depellunt alia *frigida*, alia *calida*.

Frigida. CARDIACA FRIGIDA HÆC SUNT.

Buglossum utrumque languentibus medetur & syncope vexatis, melancholicos exhilarat, & ex diuturno morbo convalescentes recreat.

Viola & *nymphæa* in cardiacis frigidis quoque habentur: utraque cordis tædia discutit, spiritus excitat, ac tetros arcet vapores.

Semen mali citrii amarum, venenis resistit, oris suavitatem commendat, ad mulierum malaciam confert.

Succus mali citrii & *punici* acidi & *arancii* acidi frigidus siccus ordine tertio: adversus internas & pestilentes putredines, venena, & partium principum maximeque cordis imbecillitatem in primis utilis est, & dum-

car-

cardialgia, hoc est mordicatio ventriculi os infestat.

Semen oxalidis cordis & oris stomachi inextricabilia vitia, maxime scorpionum ictus sanat.

Mali odorati atque *cotonei* succus cor & stomachum roborat, syncopen tollit, venenum consopit aut arcet.

Calida.

CALIDA.

Melissophyllum syncopen ex frigida causa, mœrorem tristitiamque excutit.

Doronicum, quod Paulo Arnabo dicitur, radix calida & sicca ordine tertio, subdulcis, intus alba, foris flava, pollicis crassitie, nodosa, densa: cordis palpitationi & venenatorum morsibus atque ictibus auxiliatur, ipsumque cor peculiariter roborat.

Veronica altera quæ & tunix & bistorta, calida & sicca, subamara: contra nocturnas peregrinationes & difficiles somnos commendatur, adversus toxica, serpentum & scorpionum ictus ex vino albo bibitur: succus pestis arcet contagia, & vomitiones cohibet.

Dictamni radices & folia in usu sunt, calefaciunt & siccant ordine tertio, tenuium sunt partium: ad morsus & ictus venenatos exhibentur, & ad pestilentium febrium malignitatem.

Pentaphyllum, tormentilla vulgo, siccat tertio recessu citra manifestum colorem, subadstringit, tenuium est partium: venenis resistit & pesti, omnes sanguinis eruptiones cohibet.

Atractylis hirsutior quibusdam, aliis acanthium, *carduus benedictus* vulgo, calidus siccus, amarissimus: obstructiones internorum viscerum tollit, & eorum ulcera sanat, adversus pestilentes aliosque venenatos & putres affectus in primis efficax.

Stœbe scabiosa, ut abcessus interiores rumpere, ita & pestilentium morborum virus è corde foras extrudere creditur, & eorum bubonas carbunculosque discutere.

Ocimi semen cardiacum est, cor enim exhilarat, ejusque defectionem tollit, & humidum stomachum roborat.

Alia Corroborant. Frigida,

CORROBORANTIA FRIGIDA.

Os è corde cervi, hominis cor quadam substantiæ similitudine roborat, ad cardiacam affectionem & syncopen in primis utilis, pro quo in eosdem usus *cornu cervi* substituitur.

Cornu unicornis omnium præstantissimum creditur cor tueri, veneni vim omnem obtundere, & pestilentium morborum perniciem lenire.

Ebur frigidum siccum primo gradu, cordis robur tuetur & conceptum adjuvat.

Aurum temperatissimum, foliolis & veluti bracteolis ad naturæ robur & affectus melancholicos, ad exolutum stomachum, ad cardiacos & præter rationem mœstos efficax.

Argentum frigidum humidumque temperate, auri vires quadamtenus æmulatur, sed jam metallicæ malignitatis quodammodo particeps.

Vniones seu margaritæ frigidæ siccæ, integræ potiores: cor proprietate roborant, syncopen tollunt, putredini cor obsidenti, pestique & venenis obsistunt.

Sapphirus potus ictos à scorpione juvare, & cor ab omni veneni labe tueri creditur, & intestinas ulcerationes emendare.

Hyacinthus virulentarum quoq; bestiarum ictibus & malignis medetur affectibus.

Smaragdus, eadem non potus modo, sed & collo subnexus confert, & melancholiam mœstitiamque solvit.

Corallus frigidus siccus secundo gradu: ut adstringendo stomachum roborat, & sanguinis rejectiones magnopere sistit, ita & cordi robur conservat, idque munit adversus pestilentium morborum injurias.

Succinum cor & stomachum firmat: cardiacis & cordis palpitationi accommodatum.

Sigillum lemnium frigidum & siccum primo recessu: morsus serpentum & omnium reptilium sanat, mortiferas & venenatas potiones nocere prohibet.

Bolus armena, frigida ordine secundo: pestilenti febri opitulatur, eique resistit, putredinem cohibet, & sanguinis expuitionem, dysenteriam, & destillationem.

Caphura malignos vapores, præsertim calidos, extinguit, ab hisque ortam sensuum exolutionem reparat.

CALIDA. Calida.

Xylaloë ad cardiacos affectus, ad syncopen, ad omnia denique cordis frigida utiliter exhibetur.

Cor-

Cortex citrei mali, odorus, calidus siccus: cor aliasque principes partes muniens, putredini & venenis resistit.

Cinamomum, calidum tertio ordine, siccum secundo: putridam saniem exorbet, ad deleteria & venena utile.

Caryophyllum calidum siccum tertio gradu, odoratum, acre, subamarum: cardiacos affectus & syncopen tollit, viscera corroborat, & cordis spiritus resarcit.

Amomum calidum siccum tertio gradu, valide siccat & adstringit, odorisque suavitate cor recreat.

Crocus calidus ordine secundo, siccus primo, coquit, digerit, mediocriter adstringit, cor in primis, deinde alias partes, roborat, emendatque earum putredines: sed extra modum sumptus lethalem vim inferre perhibetur.

Moschus calefacit, siccat ordine tertio, tenuium est partium, odore spiritus instaurat, languidas partes ac præcipue cor firmat & roborat, lipothymiam & vires resolutas sarcit, sed imbecillum cerebrum, biliosis præsertim, ferit.

Ambarum, calidum siccum secundo gradu, humores calefacit, incidit, attenuatque, stomachicis miscetur, cor & cerebrum proprietate roborat, & syncopen tollit, sed ebrietatem accersere dicitur permistum vino: senibus & natura frigidioribus accommodatius, quam juvenibus.

Ex his composita in officinis. Syrupi,

Hæc porro simplicia in *compositiones* coaptantur, quæ sunt hujusmodi: *Syrupus* buglossi, syrupus è succo aut infuso violarum, syrupus nymphææ, syrupus è succo oxalidis, syrupus malorum redolentium, syrupus è succo persicorum malorum, syrupus è succo limonum, syrupus granatorum, syrupus è cortice citrii, syrupus è succo citrii acido. Quibus omnibus cardiaca quodammodo vis inest cor muniendo arcendoque putredinem: unus autem syrupus melissophylli malignitatem omnem extinguit.

Electaria,

Electarium quoque de gemmis, diamargariton frigidum, electuarium de ambra, electuarium exhilarans, mithridatium & theriace.

Condita,

Flores præterea & fructus saccharo *conditi* conservatique, ut buglossi flos & radix, flos violarum, persica condita, mala odorata condita, cortex citri conditus, & nux moschata condita.

Composita extemporanea,

Quinetiam non paucæ *extemporaneæ compositiones* in alias quoque transferuntur formas, ut in pulveres, in condita, in pastam regiam, in destillatum instaurativum, in epithemata, in suffitus & odoratos globulos: quorum exempla quædam exercitationis gratia hic subjeci.

Pulveres,

Pulvis. ℞. Cornu cervi & unicornis, margaritarum splendidarum, scobis eboris an. g̃. vij. fiat pulvis tenuis ex cochleari sumendus, aqua buglossi & vino albo dilutus.

Tabella,

Ejusce pulveris drachmæ duæ exceptæ unciis tribus sacchari albi soluti aqua rosarum stillaticia, concinnantur *in tabellas* quas manus Christi appellant. Huic & nonnihil interdum additur electarii de gemmis aut de ambra, interdum & ambaris momentum. Fit & ad pestilentiam hac formula. ℞. Fragmentorum gemmarum sapphiri, hyacinthi, smaragdi, margaritarum, coralli rubri an. ℈j. ossis è corde cervi, eboris, seminis ocymi, cardui benedicti, citrii, oxalidis, radicum tunicis, tormentillæ & angelicæ, doronici an. ʒß. terræ lemniæ, boli armenæ an. ʒj. moschi, ambaris an. g̃ viij. sacchari albi soluti aqua melissophyilli ℔ß. concinnetur electarium in tabellas pondo ʒij.

Condita,

Conditum cardiacum. ℞. Corticis citrii conditi, conservæ buglossi, violarum & rorismarini an. ℥ß. pulveris electarii diamargariton frigidi & electarii de gemmis an. ℈ß. sacchari albi quod satis est ad conditi formam.

Epithemata,

Epithema. ℞. Aquarum stillaticiarum melissophyli, buglossi, cardui benedicti & rosarum an. ℥ij. aceti ℥j. In quibus dissolve omnium santalorum, xyloaloës, caryophyllorum, corticis citrii sicci, tritorum omnium an. ʒj. croci ℈j. caphuræ ℈ß. fiat epithema cordi inducendum ad æstum & malignitatem arcendam. In id quoque pulveres sacculo includuntur; qui vel siccus cordi admovetur, vel supra dicto liquore imbutus. Odore quoque labes arcetur ex his quæ epithema constituunt.

Destillata,

Destillatum cardiacum & instaurans. ℞. Conservæ buglossi utriusque, violarum, rosarum & nymphææ, corticis citrii conditi an. ℥ij. pulveris electarii diamargariton

tum frigidi, electarii de gemmis & de ambra, croci an. ʒij. ſeminis citri, oxalidis, cardui, atractylidis & citrii mali, radicum dictamni, veronicæ & pentaphylli an. ʒiij. juſculi caporum juvenum alteratorum, cum lactuca, oxalide, portulaca, ſcabioſa & meliſſa ℔vj. trita confuſaque omnia vaporario vitreo incluſa igni mandentur, vel aquæ ferventi, ſenſimque liquor eliciatur. His nonnunquam perdicum aut turturum, aut etiam nemoralium teſtudinum præparatarum conciſa caro permiſcetur, cum medulla panis albi. Excepti deinde liquoris libra dimidia, cum ſacchari unciis duabus, & cinamomi drachma una, colo tranſmit- A titur in uſus, affuſa interdum ſemuncia ſucci granatorum aut limonum. Deſtillatum *aliud* malignitatem arcens & obtundens. ℞. endiviæ, bugloſſi utriuſque, ſtœbes, pentaphylli, cardui benedicti, oxalidis, pimpinellæ, betonicæ, recentium omnium an. m. j. radicum dictamni, veronicæ, & pentaphylli, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, doronici romani, zedoariæ an. ℥ß. ſeminum oxalidis, cardui, atractylidis & plantaginis ʒvj. theriaces, mithridatii veteris an. ℥ij. Recentes herbæ tundantur, hiſq; aſpergantur reliqua omnia exquiſite trita, ſinanturq; triduo macerari: ex his dein in vaporarium conjectis ſenſim liquor excipiatur.

CAPUT XXII.

Ventriculo accommodata.

Stomachica.

QUæ *ſtomachica* nuncupantur medicamenta, alia *humorum* quibus eſt imbutus ventriculus illuviem exugunt abſumuntque, vel prorſus *detergunt*, ejus robore ſervato: alia *concoctionem adjuvant*, cæteraſque illius functiones confirmant.

Alia abſtergent humorem calidum,

Prioris quidem *claſſis* ſunt, malum citrium & medicum, malum punicum & cydonium ſeu cotoneum, ceraſium, ribes, oxyacanthe, ſorba, meſpila, & quæcunque ſupra dixi *æſtuantem bilem frenare*. Hæc enim bilis reliquias obtundunt, vomitiones ſiſtunt, æſtuantem ventriculum refrigerant, ſitim extinguunt, cibi faſtidia diſcutiunt & appetentiam invitant, diſſolutumque ventriculum adſtringunt & corroborant.

Quæ vero deinceps ſunt, id ipſum præſtant *in frigidis humoribus*, qui ſtomachi tunicas infarciunt.

Frigidum.

Mentha utraque calida & ſicca principio tertii ordinis, guſtu acris, ſubamara, tenuium partium, adſtringendi & exiccandi vim obtinet. Stomacho apprime utilis eſt, appetitum excitat, & in condimentis peculiarem uſum invenit, in eo humores frigidos craſſoſque excalefacit, attenuat & abſorbet, ſingultus, vomitiones choleramque ſedat, ſanguinis vomitiones ſiſtit: ſed conceptioni reſiſtere creditur.

Betonica crudorum concoctionem adjuvat, datur acidum ructantibus & ſtomachi- A cis, dolorem capitis ex ventriculi ſympathia ſedat.

Abſinthium calidum primo gradu, ſiccum ſecundo, adſtringens, amarum & acre, excalefaciens pariter & detergens, roborans & deſiccans: ejus decoctum ſtomachum corroborat, bilem eique inhærentem pituitam detergit, vacuatque tum per alvum, tum per urinas. Hinc morbo regio correptos ſanat, malaciam ſtomachi, & inflationes diſcutit, appetitum excitat, nauſeam arcet, lumbricos pellit: comæ, folia & ſemen uſurpantur: ſed ſuccus ſtomacho infenſus eſt.

Salvia excalefaciens, & ſubadſtringens, appetitum excitat, cruda craſſaque conficit, & ſtomachum corroborat, ſingultum quoque lenit. B

Siſymbrium, balſamita vulgo ſeu mentha aquatica, excalefacit atque ſiccat tertio ordine, tenuium partium eſt, & digerentis facultatis: redundante pituita vomitiones, ſingultus ſtomachique diſſolutiones cohibet ſeu ſumptum, ſeu admotum, urinam ciet. Non edendum gravidis niſi mortuo jam conceptu, quippe etiam impoſitum ipſum extrahit.

Succinum calidum primo receſſu, ſiccum ſecundo, ventriculum & cor roborat, nauſeam ſedat, pravos ventriculi humores abſorbet atque eos gigni prohibet, ventriſque fluxiones ſiſtit.

Cor-

Alia corroborant. Frigida.

Corroborantia & adstringentia *frigida*, quæ tum reliquias acrium humorum absorbent, tum concoctionem juvant.

Rosa amara, adstringens præcipue, rubra, arefacta: stomachum & jecur corroborat, ejusque dissolutioni medetur, vomitiones & lienterias sistit.

Cytinus mali punici flos, stomachum roborat, fluentem alvum sistit, bibitur commode sanguinem excreantibus.

Balaustium adstringentem quoque vim habet, & eandem quam cytinus.

Myrtus, tum baccis, tum folio, citra calorem, ventriculi supervacua & alvi illuviem siccat atque concoquit, fastidium abigit, præcipuamque corroborandi facultatem adstringendo obtinet.

Oliva recens flava, nec dum matura, utilis stomacho, ipsum roborat, adstringit, appetentiam movet, humores acres digerit. Idem præstant olivæ halmades, quæ muria conditæ servantur.

Coriandri semen præparatum adstringit, terget, concoctionem adjuvat, ventriculum roborat, ejusque exhalationes in caput ferri prohibet.

Rhus frigidum ordine secundo, siccum tertio, vehementer adstingit, ventriculum ejusque facultates omnes roborat sumptum & admotum, vomitiones, dysenterias, sanguinis eruptiones, aliasque diuturnas fluxiones cohibet obsoniis inspersum, aut aliter sumptum inflammationes mitigat, menses quoque sistit.

Acacia frigida primo gradu, sicca tertio, valide adstringit: stomachi robur viresque omnes fovet, vomitum sistit, menses supprimit.

Lycium siccat ordine secundo, calore temperatis proximum est: adstringit, terget, digerit.

Hypocistis eadem quæ acacia, & multo validius præstat, eodem quoque censu *cistus* existit, aliquanto tamen siccantior & adstringentior.

Calida.

Calida quibus præcipua vis est ad frigidos crudosque ichores absumendos, & ad concoctionem augendam, hæc fere sunt:

Mastiche calida & sicca ordine secundo, parum adstringit, minimum est acris: stomacho auxiliatur, purgantium acrimoniam frangit, exhalationes reprimit, destillationes arcet & absumit, vomitionesque sistit.

Crocus stomacho utilis est, ciborumque concoctionem juvat.

Myrobalani omnes vehementer adstringunt, stomachum expurgant, & corroborant, vomitiones, dysenterias & alia alvi profluvia compescunt, & appetentiam revocant.

Galanga calida sicca tertio gradu, sapore acerrimo linguam admodum vellicante: concoctionem adjuvat, oris halitum commendat, venerem stimulat.

Spica nardi calida excessu primo, sicca secundo, adstringit, subacris & leviter amara, stomachum roborat sumpta & admota, omnesque frigidos affectus concoquit.

Agallochum odoratum, gustu adstringens & subamarum: ventriculum frigidum corroborat, concoctionem adjuvat, ejus putredinem summovet, & superfluentes humores absorbet, flatusque discutit.

Macer calidum siccum tertio gradu, vi aromatica odoreque suavi præditum, subacre, tenuium partium: hoc peculiare habet, ut ventriculum roboret, & concoctionem juvet.

Nux moschata calida sicca, secundo gradu: vim habet roborandi ventriculum, & frigidos ipsius affectus sanandi, concoctionem juvandi & flatus discutiendi.

Zynziber calidum tertio ordine, humidum primo, odoratum: obstructiones aperit, stomachum corroborat & excalefacit, concoctionem promovet, vapores crassos & flatus discutit, crassos humores attenuat, aquosos absumit.

Caryophyllum ventriculi calorem roburque suscitat, concoctionem perficit, cardialgiam tollit & nauseam doloresque ex cruditate & flatuum copia subortos.

Cinamomum excalefacit, adstringit, roboratq; ventriculum & concoctionem juvat.

Ambarum siccitate ventriculi superfluentes humores absumit, odoris suavitate pravam illorum qualitatem omnemq; impuritatem ac putredinem emendat, suscitato nativo calore ac spiritu concoctionem juvat, cæterasq; functiones validiores efficit.

In id quoq; usurpantur *quæcunque cor nativumq; calorem fovere* & roborare tradita sunt.

Ex his porro *compositiones extant* asservanturque variæ, syrupus myrtinus, syrupus,

menthæ & abſinthii & mivæ cydoniorum, electarium myrtinum, electarium diarrhodon, & aromaticum roſarum majus, trochiſci è ſpodio, myrobalani, emblicæ & cæpulæ conditæ, juglandes nuces conditę, ſorba condita, cydonia condita, conſerva roſarum & menthæ, cortex citri conditus, & nux moſchata condita.

Quarum imitatione aliæ quoque *ex tempore* præſcribuntur, ut *vinum* abſinthii, & *juſculum* è radice cichorii, & abſinthii coma, *julepus* è ſucco cydoniorum aut granatorum, & aqua roſarum ſtillaticia. *Condita* quoque multiplicis uſus.

Adhæc *fomentum* è roſa, cytino, ſalvia, mentha utraque & abſinthio, cum portione cyperi, calami aromatici & ſchœnanthi, adjecto ſub finem vini quadrante. *Ceratum molle* ex oleo maſtiches, menthæ, abſinthii, A nucis moſchatæ & nardino, aut horum quibuſdam cum ceræ momento. His etiam ut *unguenti* ſpecies evadat, interdum pulveres inſperguntur galangæ, maceris, nucis moſchatæ, xylaloës, & zinziberis: ut ſingulæ olei unciæ ſingulas pulverum drachmas habeant, cum ceræ tantillo & ambari aut moſchi exiguo. Aut ſi pluſculum pulverum atque ceræ ſit, *ceratum ſolidius* exiſtet, in quod plerumque ſolet maſtiches triens quadranſve addi, tundique pilo calente: quo etiam pertinere videtur ceratum ſtomachicum. *Sacculus* præterea minutum tranſſutus in ſcuti formam concinnatur ex aridiorum tritorum pulvere, ut qui habet roſarum rubrarum, cytinorum, menthæ, abſinthii, ſampſuchi, arefactorum an. ℨiij. ſpicæ nardi, galangæ, nucis moſchatæ, caryophyllorum an. ʒ. ij. croci ℈ß.

Caput XXIII.

Iecori peculiaria medicamenta.

Hepatica,

Cum *jecoris* tum ſubſtantia tum venæ exiles ſæpe infarctu & humorum illuvie præpediri ſoleant, magnaque ſit hujus viſceris dignitas & præſtantia, id quidem maxime medicamenta poſtulat quæ *obſtructione liberent* atque *corroborent*, nullo vehementi calore.

Alia expurgant.

In hac autem non omnia promiſcue, ſed peculiari quadam dote iſta conferre comprobantur.

Frigida,

Gramen modice frigidum ſiccumque ſubadſtringens & ſuave, tenuis ſubſtantiæ: jecoris infarctus ſolvit roburque tuetur.

Intybum omne calidam hepatis intemperiem, atque etiam inflammationem extinguit, ſanguinis fervorem ſedat, obſtructiones jecoris aufert: hinc bilioſam ejus collectionem expurgat, icterum perſanat, jecur proprietate quadam corroborat, nec ventriculum offendit, ſemen genitale minuit.

Cicerbita, hierucium & chondrilla, ut temperatura affines ſunt, ſic viribus minimum diſcrepant, eadem quæ intybum, ſed ignavius multo præſtant.

Lichen, quæ hepatica, detergit, mediocriter refrigerat, jecoris obſtructiones tollit, icterum & impetigines curat, ſanguinis inflammationes compeſcit.

A *Adiantum* omne tenuat, digerit, aperitque jecoris obſtructiones, & ictericis confert.

Quatuor ſemina frigida majora & minora refrigerant, incidunt, ac detergent, tenuium ſunt partium, ut jecoris quoque obſtructiones expediant.

Plantago frigida ſicca ordine ſecundo, adſtringit, & nihilominus digerit, hepatis obſtructiones ſolvit, putredines & dyſenterias coërcet, fluxiones ſiſtit, tum folio tum ſemine.

Oxalis omneque rumicis genus, tum radice tum ſemine blande jecoris illuviem expurB gat, obſtructiones expedit, ex eaque genitos affectus perſanat: & adſtrictione leni nec injucunda ipſam pariter jecoris ſubſtantiam firmat & corroborat.

Calida. *Calida.*

Expatorium calefacit, incidit, abſtergit, peculiariter vero jecoris obſtructiones expurgat ſervato robore, diututnis & erraticis febribus apta.

Fumaria jecur obſtructum aperit, laxiuſque firmat, bilem expurgat, ſanguinem impurum clarificat, & putredini reſiſtit.

Lupulus calidus ſiccus primo ordine: detergit & aperit, expurgat jecur, & obſtructio-

ctionibus liberat, icterum sanat, mensesque movet.

Asparagus jecur infarctu liberat, tum radice tum semine, regioq; morbo auxiliatur.

Idem ac etiam efficacius conferunt *apii, petroselini & feniculi* radices, quæ si calidior erit affectus, aceto macerandæ sunt.

Absinthium, ut ventriculo, ita præcordiis & jecori opitulatur, quodque in venis biliosum est per urinas expurgat.

Prasium, ut gustu amarum est, ita jecur infarctu liberat, & regium morbum expurgat.

Peucedanum veteres hepatis obstructiones aperit, confertque incipienti scirrho.

Chamædrys amara, subacris, incidit, terget: viscera, præcipue vero jecur expurgat & obstructionibus liberat.

Chamæpitys terget, purgat, obstructum jecur liberat, ictericis auxilio est.

Alia corroborant frigida.

CORROBORANTIA FRIGIDA.

Santala omnia frigida gradu terrio, sicca secundo, calidis naturis conveniunt, proprie vero hepar corroborant & refrigerant, cardiacos juvant.

Ebur frigidum siccum gradu secundo, adstrictionis cujusdam particeps, qua visceribus robur adjicit.

Spodium, ebur ustum, refrigerat, adstringit, sitim compescit, ventriculum & hepar roborat.

Rosa & *lichen* jecur roborant.

Corallium frigidum siccumque ordine secundo adstringit, roborat: bilis fervorem compescit, ejusque impetum seu sursum seu deorsum sedat, jecoris substantiam quovis modo solutam impingit atque coarctat, & sanguinis undecunque manantis fluorem sistit.

Calida.

CALIDA.

Iuncus odoratus, seu schœnanthum modice calefacit adstringitque, mediocriter digerit, ventriculum & hepar corroborat, sanguinem excreantibus auxiliatur.

Calamus aromaticus calidus siccus ordine secundo, leniter adstringens minimum acer: ventriculum & hepar excalefacit roboratque, hydropem sanat & tussim.

Eupatorium moderato calore peculiariter hepar corroborat.

Vva passa tota substantia jecori familiaris, moderata adstrictione ipsum roborat.

Id ipsum præstat *pistacium* subamarum, odoratum, atque essentiæ tenuitate jecur obstructum expedit.

Composita medicamenta quæ humorum reliquias è jecore per urinas *expurgant* sunt syrupus cichorii, syrupus endiviæ, syrupus bizantinus, syrupus è radicibus minor, syrupus è radicibus major, & oxymeli compositum. *Ex his composita in officinis expurgantia.*

Corroborant vero electarium trium santalon, & trochisci eupatorii, electarium diacubebe, & trochisci è succino. Refrigerat vero conserva cichorii, surculi lactucæ, endiviæ & portulacæ conditi, cerasia condita, oyxacantha condita, & ribes conditum. *Corroborantia.*

Aut si quando res ipsa expostulat, *recentia* fient *apozemata* modo simplicia, modo acida, affusis interdum herbarum succis. *Electaria* quoque & *condita* confusis pulveribus atque conservis. *Fotus* præterea si quid emolliendum aut calefaciendum est & *epithema* si refrigerandum ex aquis stillaticiis endiviæ, portulacæ, absinthii, plantaginis & rosarum paribus portionibus & aceti parte octava, in quibus trium santalorum, rosarum, lupinorum & trochiscorum è caphura pulveres convenienti dosi soluti sint. *Illitus* quoque & *unguenta* ex his quæ ipsi quoque ventriculo accommodavimus. *Extemporanea.*

CAPUT XXIV.

Quæ lieni conveniunt.

Splenica.

Apta *lieni* medicamenta ea sunt, quę sua-vitate quadam terrenum illius humorem vel emolliunt, vel quodammodo colliquant, detergunt & attenuant, sine adstrictione conspicua, ut deinde obstructione soluta facilius excidat in alvum.

Horum quædam moderate *frigida* sunt & *humida*, quæ exuperanti bili retorridæ conveniunt, ut viola, buglossum utrumque, succus malorum fragrantium. *Frigida.*

Plurima vero moderate *calida* sunt & tenuium partium, ut crassam fæculentamque me- *Calida intus.*

melancholiam attenuent, atque dissipent: A qualia hæc sunt:

Lupus salictarius, seu lupulus, lienis obstructiones expedit, eumque expurgat.

Cassuta peculiariter lienem obstructione liberat, arquatumque nigrum pellit.

Scolopendrium seu asplenum & ceterachum, proprietate lienem expurgat, absumitque.

Raphanus lienem extenuat & obstructione liberat, jecori etiam prodest.

Radix apii lienem expurgat, & obstructione liberat, ejusque tumores dissolvit.

Cortex thamaricis peculiariter lienem expurgat, obstructionibus liberat, absumitque, & icterum sanat.

Capparis, radicis cortice inprimis, dein fructu & cauliculis, tum decoctis in oxymelite, tum pulveratis, spleni scirrhoso e- B eximie benefacit, atque frequenti usu lentos crassosque humores exterget & incidit, tandemque per urinas & per alvum exigit.

Agnus calidus siccus tertio gradu, flore & semine insignis, aperit, extenuat, flatus discutit, duritiem & obstructionem lienis dissolvit: sed genitale semen absumit, & libidinem extinguit.

Chamedrys lienem valide adeo expurgat, ut ipsum absumere credatur.

Acori veri radix in usu est, quæ *galanga* major dicitur: calefacit & siccat tertio ordine: gustu acris est & modice amara, odore non injucunda, tenuium partium, detergit & extenuat: lienes induratos resolvit, atque comminuit, duritias & collectiones omnes sanat decocto hujus foventibus. C

Scylla calida sicca ordine tertio, summe incidit & resolvit: duritias lienis collectionesque discutit, & obstructiones valide expedit, quartanam & icterum sanat.

Lapathum digerente detergenteque facultate præditum lienem ex aceto sumptum juvat, ex vino coctum sumptumque regio morbo prodest, lepras impetiginesque sanat.

Rubiæ semen ex oxymelite potum lienem absumit.

Id ipsum præstat & *peucedanum*, & *raphanus*; & *iris* similiter ex aceto aut oxymelite pota.

Aristolochia multo validius lienem obstructione liberat, laterisque doloribus auxiliatur, putrescentia sanat, & sordida expurgat.

Cancamum, vulgo gummi *lacca*, obesos extenuat, concretumque lienem dissolvit.

Horum quædam etiam *foris admota*, sed maxime quæ deinceps sunt, lienem plurimum expediunt. *Foris.*

Ruta, tum sumpta, tum admota ex aceto cataplasmatis vice, lienis obstructiones duritiasque tollit.

Nasturcium præsertimque semen ejus cum melle illitum lienem extenuat & comminuit.

Struthium duritiem quoque lienis solvit.

Vrtica cum cerato imposita concretum conduratumque lienem colliquat.

Sinapi calidum siccumque quarto recessu, lienis tumores, omnisque generis dolores ex alto in summa trahit.

Centaurium minus calidum primo ordine, siccum tertio, summe amarum & subadstringens, valideque abstergens: optimum est ad lienis & jecoris obstructiones solvendas, sed & lienem induratum foris impositum sanat.

Asarum calidum siccum tertio ordine: tenuium partium, hepatis & splenis obstructiones referat, eorumque duritias dissolvit, icterum sanat, febribus diuturnis auxilio est: valet foliis, sed radice efficacissimum.

Cyclaminus calidus siccus tertio gradu: radix in usu est. Incidit, terget, aperit, digerit, resolvitque. Lienis durities & tumores fotu aut illitu persanat, tum recens tum aridus, arquatum sistit, & biliosum sudorem ciet.

Alia *ex his aptantur* in eos syrupos qui tetrum bilis atræ vaporem demulcent, cujusmodi sunt syrupus violarum, syrupus buglossi, syrupus è succo malorum bene olentium, & syrupus melissæ & confectio alkermes. Alia in eos, qui melancholiæ reliquias ex tumente liene vel dissipant, vel absumunt: quales sunt syrupus scolopendrii & fumariæ, syrupus è radicibus, oxymel scylliticum, electariũ diacapparis, trochisci è capparibus & dialacca, electarium de gemmis, electarium exhilarans, & aliæ complures compositiones ad cordis affectus relatæ. *Ex his composita in officinis.*

Ex quibus dein *in rem præsentem julepi* fiunt

Extemporanea intus. fiunt & *apozemata*, *electaria* quoque & *condita*.

Foris. *Foris* præterea *fotus* ex ruta, urtica, struthio, nasturtio, centaurio minore, in quo aceti quadrans insit. *Illitus* ex oleo rutaceo, oleo de capparibus, oleo amygdalarum amararum, oleo liliorum, lotis aceto scyllitico cum cera: quibus si sextans adjectus sit pulverum iridis, asari & cyclamini, cum bdellio & ammoniaco solutis aceto forti, *emplastrum* efficiet lienis obstructioni tumorique accommodatum. Possunt & aliæ formæ complures pro rei necessitate ex tempore præstitui.

CAPUT XXV.

Renum ac vesicæ medicamenta.

Quæ urinam arenulasque movent. QUæ leniunt & refrigerant, arenulas minime sinunt in calculum concrescere, urinæ ardorem demulcent, eamque facilius emittunt. Quæ *urinas cient*, tenuitate substantiæ ac siccitate sanguinem attenuant & colliquant, serumque secernunt atque deducunt in renes.

In hoc genere nonnulla traduntur moderate frigida, ut pepones, melopepones, cucurbitæ, cucumeres, hordeum & gramen: sed omnium efficacissima sunt quæ in substantiæ tenuitate calida siccaque sunt tertio recessu, ut apium, petroselinum, foeniculum, daucus, phu, seseli, asarum & smyrnium. Quæcunque urinas strenue cient, eadem quoque renes & urinæ ductus abstergendo incidendoque expurgant, & arenulas pariter exturbant, & calculos ex arenularum adhæsu leviter concretos dissolvunt atque diripiunt.

Quæ calculum exturbant. At vero solidiores *verosque calculos* quæ proprie *comminuere* traduntur, *attenuant* inciduntque nullo calore nullaque siccitate insigni: nimius enim calor concretum calculum magis excoquit & obdurat, obiterque quæcunque mediis viis obhærescunt supervacanea secum in renes deducit, unde urina alias supprimitur, alias tenuis & pellucida præterfluit. Hoc genere sunt limonum succus, radix oxalidis, rubi, asparagi, graminis & personatæ, betonica, adiantum, asplenium. Nonnulla etiam *asperitate sua* calculi summam faciem abstergunt & attritu comminuunt: ut vitrum combustum, ovorum testæ, milium solis. Nec desunt quæ id *proprietate* efficiant, ut lapis judaicus.

Quæ renes & vesicam moderate expurgant. Utraque igitur *affectis renibus opitulatur*: sed hæc præcipue. Amygdala amara & dulcia eorumque recens oleum, zyzypha, myxaria, glycyrrhiza, gummi, amygdalæ amaræ & cerasi, pistacia, strobili, caricæ, & quæcunque leniendis pulmonibus convenire diximus, eadem *renum ac vesicæ* scabriciem *leniunt*, urinam demulcent atque effundunt, nec arenulas in calculum coagmentari sinunt.

Althææ radicis jus potum eadem confert, & urinæ difficultati medetur, renum & vesicæ cruditates pellit: ejus semen renum calculos etiam confringit.

Quatuor semina frigida minora, lactucæ, portulacæ, intybi, cichorii, renum siccitatem, asperitatem ardoresque leniunt.

Semen melonum & quatuor semina frigida majora sicca sunt ad finem primi ordinis, incidunt, tergent, tenui sunt essentia, præsertim arefacta & contrita: hinc urinas adeo movent, ut renibus arenis aut calculo pressis non mediocriter prosint.

Halicacabi rubentes fructus tenuandi & abstergendi vi, renes valide expurgant & urinam pellunt.

Fraga quoque chamæbati Idæi fructus, renum & vesicæ sordes & arenulas eluunt, detritosque calculos excludunt, præcipue autem ab his aqua stillaticia.

Plantago utraque semine aut folio arefacto, renum obstructiones tollit, idque abstergendi quadam & tenuandi facultate, qua præter cæteras pollet.

Adiantum omne urinas ac menses movet, renesque valide adeo expurgat, ut calculos minuere credatur.

Helxine subfrigida, abstergit, leviterque constringit, calculo tamen & urinæ difficultati succurrit.

Graminis radix moderate frigida & sicca, tenuiumque partium, urinæ difficultatibus medetur, & calculosa vesicæ rudimenta com-

comminuit, quod & ejus semen præstat.

Asparagi radix trita & ex vino pota urinam ciet, renes infarctu liberat, calculos exturbat, nephriticis auxiliatur: neque credi par est longo ejus usu uesicam exulcerari: semen genitale auget, veneremque stimulat.

Ruscus tum radice subamara, tum foliis & baccis ex vino potis urinam ciet, vesicæ calculos deterit, stillicido urinæ medetur, mensesq; movet, & morbum regium sanat.

Eryngii radix calore temperata, non modice sicca, pota colicis medetur, calculos, stillicidia, difficultates urinæ & renum vitia sanat.

Chamæmelum potu & & insessu calculos urinasque pellit.

Quæ valide. Quæ vero subjiciuntur quod calidiora acrioraque sint, ad ea ipsa vesicæ renumque vitia *efficaciora* comprobantur.

Cicer omne calidum siccum ordine primo, incidendi abstergendique facultate præditum: obstructiones tollit, urinam movet, & renes expurgat, renum & vesicæ calculos exterit: sed *nigrum* & parvum validissime, ab hoc deinde *rubrum*.

Terebinthina calefacit, mollit, discutit, terget, expurgat: viscerum omnium, maximeque renum, obstructiones tollit, & angustos meatus aperit, urinam ciet, putredinem cohibet.

Pimpinella calida sicca ordine secundo, ex vino pota calculos terit, & stranguriam decocta juvat:

Saxifraga calida & sicca, eadem, sed multo efficacius, confert.

Crithmum vulgo creta marina calida sicca tertii ordinis initio: dysuriæ & regio morbo opitulatur, renumque calculos confringit.

Lithospermum vulgo milium solis, semine ex vino poto calculos comminuit, urinas pellit, stranguriamque discutit.

Sisymbrium aquaticum & *Sion* excalefaciunt, tenuium sunt partium & sapore acri: ea cruda coctaque potenter urinas movent, calculosque dissolvere atque excernere traduntur.

Urtica calida sicca recessu tertio, tenuium partium & acris: tanta abstersione valet ut ventrem subducat, renes infarctu expediat, calculosque terat.

Anonis calida ad finem secundi, attenuando tergendoque urinas ducit, calculosque confringit, radicis cortex præcipue utilis, deinde ejus calculi, qui antequam spinis muniantur sale conditi gratissimi sunt.

Petroselinum vulgare, Plinio apium sativum, Græcis selinum, calidum ordine secundo, siccum tertio, foliis, semine & radice: obstructiones tollit, urinam ciet, renes & vesicam abstergit, eorumque calculos comminuit: eadem foris, tum fotu, tum insessu confert.

Feniculi radix & comæ renum & vesicæ vitia expurgant, urinam movent tum sumptæ, tum admotæ.

Smyrnium quod & *libysticum*, radice urinæ difficultati medetur, semen etiam renum & vesicæ vitiis confert, cætera præstat quę apium & petroselinum.

Raphanus uterque calidus tertio, siccus secundo, tum radice, tum semine: renes expurgat, urinam ciet, calculos comminuit & exturbat.

Apium saxatile quod petroselinum macedonicum, calidum siccumque tertio recessu, radice præsertimque semine: urinam ducit, renum & vesicæ doloribus potum succurrit.

Daucus semine primum, deinde radice calefacit & exiccat: urinam vehementer pellit, ut etiam calculos excludat.

Seli massiliense daucum viribus æmulatur.

Personata, quæ bardana, radice & semine urinas pellit, renes infarctu liberat, arenulas calculosque excutit.

Pæonia radix acris & subamara, ex vino pota renum & vesicæ dolores lenit, seminis grana sumpta calculorum rudimenta pueris eximunt.

Tribulus uterque, præsertimque sylvestris, poto semine renes purgat, calculosisque medetur.

Spartum, gemista appellatum, secunda classe calidorum & siccorum, incidendi, extenuandique viribus præditum, semine præsertim, urinas ducit, & tum vesicæ tum renum calculos comminuit.

Iuniperi fructus calidus tertio, siccus primo, stomacho utilis est, renes deterget, & urinam pellit: sed caput tentat.

Lauri bacca & folia, tum fotu, tum insessu vesicæ conferunt affectibus: radicis cortex

tex renes expurgat & calculos rumpit, sed conceptus enecare traditur.

Calamus odoratus urinam movet, renum vitiis & stranguriæ commode opitulatur.

Cyperus radice insignis, quæ calida & sicca, citra acrimoniam incidit, calculo vexatis congruit, & urinam movet.

Cardamomum ex vino sumptum affectis renibus & dysuriæ medetur.

Perzclymenum, quod est involucrum majus, & caprifolium officinis, vehementer calidum & siccum, tum fructu, tum folio urinam movet, calculos pellit, & si plusculum bibatur cruorem profundit.

Ex his composita in officinis, Præcipuæ ex his comparatæ *compositiones* sunt syrupus capillorum veneris, syrupus de limonibus, syrupus althææ, syrupus raphani, electarium diaspermaton, & electarium λίθον τέλεον.

Extemporanea intus, At vero *in rem præsentem* varia ex his *apozemata* decernuntur, alia quæ leniant & laxent, alia quæ expurgent deturbentque arenulas aut calculos: quibus interdum oxymeli scylliticum utiliter affunditur. Pulveres quoque & electaria & condita his formulis quæ supra sunt expositæ.

Foris. *Fotus* quoque & *insessus*, tum ad compescendos nephriticos dolores, tum ad comminuendos calculos ex radicibus althææ, raphani, petroselini macedonici, feniculi, eryngii & bardanæ, cum malva, parietaria, betula, chamæmelo, betonica, nasturtio, pimpinella, & origano, lauro & junipero. Ex quorum deinde magmate, addito polline seminis althææ, lini & fœnigræci, seseleos & dauci, cum axungia cuniculi & anseris, *cataplasma* concinnandum est. *Illitus* præterea ex oleo liliorum, chamæmelino, laurino, nardino, è scorpionibus & terebinthino.

Nonnulla etiam in *clysteres* induntur, qui eductis primũ fæcibus summe sint profituri.

CAPUT XXVI.

Vteri Medicamenta.

Hysterica, QUÆ *utero conferre* traduntur, *alia* immodicum ejus fluorem sistunt, *alia* suppressum movent, *alia* humorum colluviem eluunt, expurgantque uterum, *alia* corroborant.

Alia menses sistunt, Quæ *mensium fluorem sistunt* fere frigida sunt omnia: genitale semen extinguunt, sedantque veneris impetus, & uteri strangulatus compescunt: nec frigidis aliter juvatur uterus.

Nymphæa, quæ præsertim candidam radicem habet, muliebri profluvio medetur, veneris insomnia cohibet, & semen genitale extinguit.

Cytinus & *balaustium* refrigerant siccantque gradu secundo, adstringendi vim habent, menses aliasque vulvæ fluxiones cohibent.

Rhois semen obsoniis inspersum pro sale, & decoctum potui datum, menstruas mulierum purgationes & alba earum profluvia retardat.

Idem *ramusculorum rubi* decoctum præstat, multoque efficacius ejus foliorum & cauliculorum succus expressus & sole siccatus.

Cornu cervi ustum & lotum, & *ebur* in tenuissimam scobem redactum, fœminis fluxione vulvæ laborantibus magnopere prosunt è convenienti liquore hausta.

Portulaca mulierum purgationes sistit, venerisque impetus & insomnia sedat.

Plantago refrigerat densatque: hinc sanguinis eruptiones omnes cohibet, atque ut alvi profluvia ita & vulvæ fluxiones compescit, & adversus uteri strangulationes ex lana subjicitur.

Sempervivum utrumque refrigerat gradu tertio, & moderate siccat, muliebres fluxiones sistit, & veneris ludibria strangulatusque retundit.

Alia movent lenius. Quæcunque autem *menses movent*, calida fere sunt recessu tertio, nec tamen vehementer siccant: ejusmodi sunt amara & acria, quorum tanta vis est, ut in distantissima salvis viribus penetrare possint, & venarum ora reserare, crassa extenuare, & lenta detergere: atque etiam cum mensibus pleraque peculiari dote alias quoque uteri sordes & illuvies expurgare. Nec pauca ex his conceptus secundasque pellunt, aut etiam fœtus enecant.

Chamæmelum calidum ſiccumque primo receſſu, tenuium partium, anodyna digerendique facultate præditum, potu & inſeſſione menſes & fœtus evocat, uteri duritias & flatus diſſolvit.

Betonica uterum expurgat, & nihilominus corroborat, & conceptum retinet: utilis prægnantibus, quibus alba ſordidaque illuvies utero manat.

Laurus calefacit & emollit, ejuſque decoctum in muliebres inſeſſus additur, & vulvæ ſordes vel prægnanti tuto eluit.

Parthenium decoctum ad vulvæ duritiem & ſtrangulatum inſeſſu prodeſt.

Lilium, radice, foliis & floribus utile, aſſum, & ex roſaceo tuſum, ſubditumque, vulvam emollit, & blande expurgat.

Trifolium odoratum calidum ſiccumque ordine tertio: ſemen & folia ex aqua pota vulvæ ſtrangulatui ſuccurrunt.

Pæonia radix ejuſque grana nigra vulvæ ſtrangulatui & uteri doloribus ex vino pota medentur.

Validius. Quæ *validius menſes cient* aut uterum expurgant, minime tuta ſunt prægnanti, quod plæraque ſolutis acetabulis conceptum ejiciant, quædam etiam ſeu ſumpta, ſeu admota interimant.

Sampſuchus menſes ducit tum ſumptus, tum in peſſo ſubditus.

Ocimum ſumptum in acetariis uterum expurgat, veneremque ſtimulat.

Origanum attenuans, aperienſque menſes evocat.

Meliſſophyllum ſecunda claſſe calidorum, prima ſiccorum, ad menſes educendos tum potu, tum inſeſſu utile, & ad concipiendum juvat.

Praſſium mulieribus quæ non purgantur, menſtrua & à partu ſecundas pellit; difficile parturientibus ſalutare.

Scordium menſes ducit, & fotu potuve partum accelerat.

Baccharis odorata, radice ſubdita, partum educit.

Artemiſia ſpecies duæ, calidæ ſecundo, ſiccæ primo, tenuium partium, ſumptæ aut in uteri fomenta vel inſeſſus accommodatæ, menſes ducunt, ſecundas fœtuſque extrahunt, uteri præcluſioni conferunt: earum quoque ſuccus cum myrrha ſubactus & admotus, elicit quæcunque concluduntur in utero.

A *Pulegium* calefacit ſiccatque ordine tertio: potum extenuando menſes, ſecundas, fætuſque pellit: tumores, duritias & uteri converſiones inſeſſu tollit.

Cyperi radix refrigeratæ & præcluſæ vulvæ fotu auxiliatur, menſeſque evocat.

Phu valeriana dicta, calida ſiccaque ordine ſecundo: menſes fotu ducit & urinas.

Rubiæ majoris radix ſemenque menſes, ſecundas, fœtuſque ſubditum trahit, ſumptumque pellit.

Rolium montanum, cui teucrio nomen eſt, menſes & à partu ſecundas, mortuumque fœtum ſumptum ejicit.

Seſeli tum ſemine, tum radice uteri ſtrangulatui medetur, menſes & fœtum utero excludit.

B *Dauci* ſemen efficax adeo promovendis menſibus, ut etiam ſecundas fætuſque pellat, & ſtrangulatus ſumptum ſedet.

Ruta incidit & digerit, menſtrua ducit, flatulentos uteri tumores diſcutit ex oleo cocta & infuſa, & vulvæ ſtrangulatu liberat: cum melle trita & obſcœnis partibus inducta, veneris appetentiam & ſemen extinguit.

Calaminthe calida ſiccaque tertio receſſu, acris & modice amara, vehementer incidit & abſtergit: menſes valide adeo ciet, ut & conceptum, ſeu pota, ſeu admota, interimat & ejiciat.

Sabina tertio eſt gradu calidorum & ſiccorum, acris & valide digerens: menſes, ſiquid aliud, provocat, fœtum etiam viventem enecat & mortuum ejicit.

C *Dictamni* radix, tum pota, tum vel ſuffitu, vel peſſo excepta, mortuos jam fœtus educit, & ſolo guſtu partus accelerat.

Ariſtolochia utraque menſes, ſecundas & fœtus, cum myrrha & pipere pota pellit: ſubdita eadem præſtat, & uteri ſordes expurgat.

Centiana radix ſumpta extenuat, abſtergit, purgat & obſtructione liberat, nec modo ſumpta, ſed & ſubjecta menſes, fœtus & ſecundas excludit.

Iridis radix fotu mollit, aperitque locos, & muliebria trahit, & glandis modo cum melle appoſita fœtus evocat.

Aſari radix ſubdita menſes conceptuſque trahit.

Smyr-

Smyrnium, radice, herba aut ſemine ſumptum, aut etiam fervefactum ſubditumque menſes ſecundaſque pellit, & abortum facit.

Myrrha calida ſiccaque ordine ſecundo, tenuis & valide detergens, vulvam emollit, & præcuſam aperit, menſes & partus celeriter extrahit, præſertim quæ ſtacte appellatur.

Styrax & *bdellium* myrrhæ vires imitantur.

Caſtorium cum pulegio potum, menſes, partus, & ſecundas ejicit.

Sagapenum ex hydromelite ſumptum, menſes potenter ciet, ſed fœtum exanimat.

Galbanum non ſumptum modo, ſed & admotum menſes partuſque evocat.

Oppopanax uteri tumores duritiaſque appoſitum ſolvit, menſes trahit, ſed fœtum enecat.

Alia uterum roborant.

Eorum quæ *corroborando utero* deſignantur, *alia* eum *ipſum firmant* conceptumque continent, *alia* moderato calore *fovent* & manantem illuviem exorbent, amara quadamtenus & odorata, *ut ſimul aperiant* & calorem ſuſcitent, odoriſque ſuavitate uterum oblectent.

Prioris generis ſunt:

Biſtorta officinis appellata, frigida ſiccaque moderate, & adſtringens menſtrua ſiſtit, uterum corroborat, conceptumque retinet ac fovet, tum admota radice, tum ſumpta, cum nuce moſchata & caryophyllis.

Corallium, tum ſumptum, tum ſubditum, menſes cohibet, uterum conceptumque corroborat.

Coſtus impurum uterum expurgat, tum ſuffitu, & ad concipiendum juvat.

Betonica eadem ut ſupra dixi confert, fœtumque recreat.

Caryophyllum tum ſumptum ex vino odorato, tum ſubditum, uteri ſtrangulatum lenit, & uterum fœtumque recreat.

Nux moſchata & *macer* eaſdem quoque vires obtinent.

Nardus ſeu ſpica nardi impura vulvæ profluvia, ſaniemque ſubdita abſorbet, conceptumque ſuffitu adjuvat.

Styrax ſuffitu quoque uterum expurgat, exiccat & corroborat, uteri ſtrangulatum compeſcit, & ad concipiendum præparat.

Succinum ſuffitu potuque uterum ſiccat, pravos humores in eo gigni prohibet, corroborat, & ad concipiendum juvat.

Melanthium ſuffitu menſes ob craſſitiem lentoremque ſuppreſſos educit, uterum excalefacit, exiccat & corroborat.

Calamus odoratus, tum potu, tum appoſitu aut ſuffitu menſes evocat, uterum ſiccat & recreat.

Benjoin liquor creditur cyrenaicus, calidus, ſumme tenuis & halitu digerens: uteri fluxiones ſuffitu vel peſſo exorbet, ipſumque, ut & partes omnes nervoſas, corroborat.

Moſchus, tum ſumptus, tum peſſo ſubditus, uteri ſtrangulatum tollit, venerem proritat, uterum odore recreat, ſiccat & corroborat, concipiendique ſpem auget.

Ambar quoque præfocationem arcet atque ſiſtit, & tum ſumptum, tum ſubditum, omnia quæ moſchus valide confert.

Ex his compoſita ſiſtentia menſes, in officinis.

Compoſitiones vero ad uteri refrigerationem & ad immodicos *menſes cohibendos* hæ *extant*: Syrupus è portulaca, ſyrupus è ſucco oxalidis, ſyrupus myrtinus, aqua plantaginis portulacæ diluti: trochiſci ſpodii, trochiſci terræ lemniæ, trochiſci ſuccini: oleum roſarum, nymphææ & myrtinum, unguentum Comitis.

Extemporanea intus.

Ex tempore autem *decernetur julep* roſatum, & ex aquis ſtillaticiis myrti, plantaginis & oxalicis, adjecto ſucco vel oxyacanthæ, vel cydoniorum. *Pulveres* quoque & *electaria* aut *condita* ex corallio, lapide hæmatite, margaritis, cornu cervi uſto & ſuccino, addito ſaccharo roſato aut conſerva roſarum, aut alia quavis adſtringente.

Foris.

Emplaſtrum quoque quod habet boli armenæ lotæ in aceto ℥iij. terræ lemniæ ſimiliter lotæ ℥ij. ſanguinis draconis, maſtiches an. ℥j. nucum cupreſſi, gallarum, roſarum, balauſtiorum tritorum an. ʒß. ceræ & unguenti comitis an. quantum ſatis eſt ad corporanda in emplaſtri formam. Vel farinæ fabarum dilutæ mucilagine gummi arabici, vel tragacanthæ, quantum ſatis eſt ad excipienda & vincienda, & cogenda omnia in emplaſtri conſiſtentiam, quod lumbis & pubi inducetur. Ex eadem quoq; materia peſſi ſubdentur vel injectiones.

Moventia menſes in officinis.

Ad *movendos* porro *menſes* & ad expurgandum uterum extant ſyrupus capillorum vene-

veneris, syrupus hyssopi, syrupus artemisię, electarium diacalaminthes, tum simplex, tum compositum, trochisci è myrrha, qui etiam secundas pellunt, & pilulæ sagapeni, quibus etiam vis inest mortuum fœtum excludendi.

Extemporanea. Harum exemplo aliæ quoque formulæ *re urgente* præscribentur tum sumendæ, tum admovendæ: ut *fotus* hujusmodi. ℞. Chamæmeli, sampsuchi, ocimi, pulegii, origani, prassii, calaminthæ, artemisiæ, melissophylli, parthenii, abrotani, absinthii an. m. ij. coquantur in aqua quæ satis sit ad *fotum*, vel *insessum*, vel *injectionem*. Eadem aptari poterunt *in pessos*, quos etiam utiliter ex radice dictamni, aristolochiæ, gentianæ, ex myrrha, styrace & aloë, terebinthina exceptis, concinnare liceat.

Ad *uterum* vero *corroborandum* & adjuvandam concoctionem extant *electarium* de gemmis, electarium aromaticum, electarium diasatyrion, satyrium conditum & eryngium *conditum*. *Suffitus* quoque decernetur qui habeat melanthii seminis ℥ß. styracis, calaminthæ, succini, schœnanthi, calami odorati, spicæ nardi an. ʒiij. rosarum rubrarum ʒij. fiat pulvis ad suffitum. Aut *pessus*: ℞. Liquoris cyrenaici, iridis, rosarum rubrarum an. ℥ß. zibeti, ambaris an. g. iiij. moschi g. ij. fiat pulvis: qui syndone exceptus in balanos aut pessos aptetur. *Uterum roborantia.*

CAPUT XXVII.

Quæ arthritidi & externis quibusdam affectibus medicamenta conferunt.

Artuum affectorum remedia varia. Externi affectus qui in unam quampiam particulam sive cum ulcere sive citra ulcus incidunt, peculiaria habent libro proximo tradenda remedia. Qui vero in plures partes invadunt, ut arthritis, paralysis, tremor, artuum dolores & qui ex universa fluxione orti fuerint, huc commode referri possunt. Per hos igitur affectus cum jam satis purgatum corpus & fluxio cohibita fuerit, si humorum reliquiæ sumendis digerendæ dissipandæque videbuntur, in id apta erunt simplicia quæ ad cerebri affectus supra attulimus: quandoquidem nervorum eadem atque cerebri est ratio.

Ad eorum dolores, Intus. Proprie vero & peculiariter *ad artuum dolores* hæc commendantur: Helenii radix & iridis, chamæpytis, verbascula duo, calaminthe, acori radix, centaurium minus, hermodactylus, in apozemata aliasve compositiones aptanda: de quibus mox sigillatim dicam.

Foris. Cæterum præcipua ad horum malorum curationem *topicorum* vis est: quorum *alia* statim *initio* ardorem si quis inest, extinguunt & fluxiones arcent, nec tamen humores in partem inflammatam altius impingunt: *alia dolorem* qui citra inflammationem fuerit *compescunt*: *alia* dolore sedato impactum *humorem* attenuant, *digerunt* dissipantque, ne tempore obdurescens concrescat in tophum.

In initio ad sistendas fluxiones. Quum igitur chiragræ aut podagræ initio dolor ardorque articulos *obsidet*, hæc ex usu erunt.

Aquæ stillatitia rosarum, plantaginis & solani, quibus aceti sextans aut quadrans affundatur: id enim fotu calido inflammationes sedat, reprimitque fluxiones, & collectas quodammodo discutit, arthriticis & podagricis accommodum. In ejus ℔j. si camphuræ ʒj. aut ʒj. ß. solvatur, cæteros articulorum cruciatus qui etiam alte demersi sunt compescit.

Psyllii semen maceratum mucilaginem edit ad omnes inflammationes, sed proprie ad articulorum calidos dolores, in primis salutarem.

Cotonei mali & *althææ* semina mucilagines quoque reddunt non minus efficaces, si præsertim ex aqua solani aut plantaginis elicitæ fuerint.

Hyoscyami folia recentia aut per se aut cum polenta calidas acresque fluxiones sistunt, omnesque dolores mitigant, & medicamentis in id compositis commode miscentur.

Cicutæ folia atque semen, arefactusque succus omnem dolorem sedant, qui præsertim ex inflammatione ortus fuerit.

Eadem quoque vis *sempervivo* utrique & *mandragoræ*; quibus si dolor intolerabilis non facile finiri potest, *opii* momentum addetur,

tur, quod sensus torpore inducto, in calidis praesertim affectibus, dolores omnes sedat atque consopit.

Demulcendos dolores. *Anodyna quae dolores quacumque ex causa ortos demulcent.*

Lac vaccinum acres fluviones, partiumque omnium inflammationes fotu mitigat: quod & polentae forma permistis anodynis evidentius praestat.

Stercus vaccinum, cum praesertim depascuntur herbas, impositum, emollit & resolvit, ardoresque mitigat, vesparum ictus sanat, & addito aceto tumores digerit.

Oesypus calefacit & emollit, paulumque digerit, dolores quacunque ex causa compescit: quod & lana succida eo imbuta praestat.

Thus calidum ordine secundo, siccum primo: anodynum quoque est, & ex ovi candido subactum impositumque omnem dolorem lenit.

Humores dissipandos. *Dolorum autem humorumque reliquias haec imposita digerunt & evocant.*

Verbascula duo, quae paralysis & arthriticae herbae vocantur, calida & sicca, manifeste adstringunt atque digerunt, foliaque tusa utiliter imponuntur articulorum doloribus & paralysi.

Chamaepitys quae iva arthritica, citra insignem calorem aut acrimoniam, latentes in alto & in flaccidis partibus humores imposita absorbet & exiccat, partesque firmando roborat.

Calamintha triplex, affecto articulo inducta totum excalefacit, humoremque ex alto evocat, ischiadicis familiaris.

Nasturtii, quemadmodum & urticae semen, adurentis particeps est facultatis, & idcirco fixos pervicacesque coxendicis dolores evellit.

Helenii radix frigidos diuturnosque partium affectus sanat, coxendicum dolores & articulos humore nimio luxatos.

Centaurii minoris decocti jus clystere saepe infusum ischiadicis mirificum auxilium praestat, humorem enim elicit, doloremque levat. Succus vero epotus, aut etiam herba ipsa ex hydromelite decocta peculiariter nervorum vitiis succurrit: & cum oleo partibus contusis emplastri modo imposita praesentissimo est auxilio.

A *Hermodactylus* pituitam crassam ex articulis trahit & expurgat, podagrae & arthritidi confert, tum sumptus, tum admotus in cataplasmate.

Oppopanax ischiadicis inductum & podagricis opitulatur.

Bdellium calefacit, emollit, discutitque duritias, & nervorum nodos.

Ammoniacum calefacit, & inter emollientia principatum obtinet, articulorum tophos dissolvit, & induratos lienes sanat, arthriticos & podagricos juvat.

Sagapenum calidum tenuiumque partium, paralyticis & convulsis confert, articulorum nodulos dissolvit.

Galbanum mollit ac digerit, eadem quae B sagapenum confert.

Castorium tenuium partium & calidum, nervis accommodatum, contumaces & scirrhosos eorum affectus sanat, potum illitumve prodest tremori, convulsioni & omnibus nervorum vitiis.

Euphorbium omnium calidissimum, causticae & urentis facultatis, tenuium partium: crassos & lentos humores quocunque sint loco incidendo digerit: aurium sonitum & dolorem tollit, coxendicos & paralyticos juvat.

Non paucae ab his *compositiones* deducuntur; aliae leniter refrigerantes, aliae anodynae, aliae dissipantes & exiccantes, quae quoniam externae sunt, in proximum librum apte referuntur. *Ex his composita.*

C *Ex tempore* vero hę facile apparari possunt. *Fotus* per oxycratum comparatum ex aquis stillaticiis vel succis solani, plantaginis & rosarum, vel etiam hyoscyami si dolor vehementer excruciet: in quibus quadrans aut sextans insit aceti. Aut si dolor alte sit demersus, ut in humeri, cubi, aut coxendicis articulo, caphurae etiam nonnihil insit, in singulis quippe libris binae drachmae. Ad haec mucilago seminis cydoniorum ex aqua solani inducta, aut semine psyllii, aut utraque simul hoc fere modo: ℞. Aquae stillaticiae plantaginis & solani an. ℥iij. in quibus macerari finito super cineres calidos seminis cydoniorum & psyllii an. ʒß. extrahatur mucilago, quae tepida inducatur locis dolentibus, obducaturque stupa canabina; aut linteo oxycrato tepido imbuto. *Sistentia fluxiones.*

Herbę quoque ex oxycrato in *cataplasma* coquuntur sine oleo, sine adipe. Nihil enim pingue inflammatis partibus imponendum: quanquam hac in re non parum confert unguentum populeum in aceto lotum.

Sedantia dolores. Ardore sedato quum doloris immanitas repressa fuerit, cataplasma *anodynum* ex medulla panis in pultis formam fiet hoc modo. ℞ medullę panis ℔j. sensim ex lacte coquatur dum crassescat, asperso pulvere qui habeat florum chamæmeli, & meliloti an. ℥j. rosarum rubrarum, salviæ an. ℥ß. nonnunquam & oleum inditur chamæmeli vel liliorum. In id quoque illitus conveniet qui habeat mucilaginis seminis althææ, lini, & fœnigræci, depromptæ ex aqua chamæmeli ℥jß. olei liliorum, chamæmeli & violarum an. ℥ß. axungiæ anseris ʒvj. croci ℈ij. ceræ quod satis est ad illitum.

Humores digerentia. Doloris demum *impactam materiam* antequam obdurescat *digerunt*, emplastrum è mucilaginibus, è meliloto, & oxycroceum: sed valide quod habet gummi pini, picis nigræ an. ℥ij. ceræ, axungiæ an. ℥j. thuris, hermodactylorum, radicis iridis, sulphuris non extincti an. ℥ß. olei irini quantum satis fuerit ad concorporandum in emplastri formam. Locis compactioribus, præsertim coxendici, ex cæteris gummis validiora inducuntur, sinapismus quoque, & alia, proximo libro tradenda.

Methodi medendi libri quinti Finis.

LIBER SEXTUS,

METHODI MEDENDI

DE

EXTERNORUM MEDICAMENTORUM MATERIA.

PRÆFATIO.

Externorum medicamentorum tot classes, quot morborum. *Summas externorum medicamentorum facultates tot omnino statuendas esse, quot & summa externorum affectuum genera, medendi lex methodusque demonstrat: ipsamque eorum materiam, in quam nunc incumbo, in quasdam facultatum classes digerendam, quæ affectibus ex adverso contrariæ sunt.*

Harum quidem aliæ *calidis affectibus fluxionibusque succurrunt, quales sunt refrigerans, repellens, emplastica seu infarciens, anodyna, narcotica.*

Aliæ *tumoribus affectibusque frigidis, ut rarefaciens, emolliens, attenuans, absumens vel exiccans, attrahens atque resolvens.*

Aliæ *abscessibus & ulceribus, ut suppuratoria vis, sarcotica, agglutinans, detergens seu expurgans*

Aliæ *contra, solvendæ cuti & aperiendæ conveniunt, ut vesicans, cathæretica, septica, escharotica & caustica.*

De his igitur, deque earum contrariis, sigillatim tradendum, & quas unaquæque facultas alias de se particulatim vires proferat.

CAP.

CAPUT I.

Refrigerantia medicamenta.

Refrigerantia.



Orum quæ *refrigerant* ut varii ordines, ita & effectus quoque varii sunt, *alia* simplices inflammationes demulcent, *alia* erysipelata, *alia* herpetes, carbunculos & ignem sacrum: quæ hac ita serie subjunximus à lenioribus exorsi.

Leniora,

Leniora ea sunt quæ ad interiorum quoque æstum tuto sumuntur, ut lactuca, tum sativa, tum silvestris, portulaca, intybi genera quatuor, helxine, hieracium: calidas enim phlegmonas & lenia erysipelata compescunt.

Sed hæc *potentius.*

Lenticula palustris frigida & humida ordine secundo: collectionibus calidis, podagris & igni sacro commode illinitur cum polenta.

Valentiora.

Vmbilicus veneris humidus ac frigidus, obscure adstringentem & leviter amaram obtinet facultatem, qua phlegmonas erysipelatosas, & erysipelata phlegmonosa persanat, & omnibus partibus excalefactis in cataplasma commodissime aptatur.

Psyllium secundo ordine frigidum, semine in primis efficax, prodest erysipelatis: fronti imponitur in dolore & temporibus ex aceto aut posca: ejus mucilago utiliter illinitur cuicunque dolori & collectioni inflammationique: siquidem egregie adeo refrigerat, ut si in aquam ferventem conjecta fuerit, ea protinus defervescat.

Hyoscyamus albus tertio ordine refrigerat, succus ex tenero semine foliis caulibusque expressus, collyriis dolorem lenientibus commode miscetur, & contra acres calidasque fluxiones: cum farina aut polenta contra oculorum, pedum, aliarumque partium inflammationes: semen eadem tritum potest additum cataplasmatis dolorem levantibus: folia ad eadem tum per se tum cum polenta usurpantur.

Papaver sativum ordine quarto frigidum: ejus capita trita & cum polenta cataplasmatis mista, inflammationibus & ignibus sacris medentur. Capitis ardores cum rosaceo, oculorum inflammationes cum ovi candido & croco mitigat. Nigrum frigidius est albo, cujus succus est vocatum opium, ad omnia longe efficacissimum.

Caphura frigida sicca gradu tertio, lacryma indicæ arboris, tenuium partium, acris & odora: repellit & facile penetrat, phlegmonas & erysipelata refrigerando mire juvat, ad gonorrhœam & albas vulvæ fluxiones efficax, cum succino è convenienti liquore hausta.

Hæc igitur simplices inflammationes quæ præsertim è fervidiore sanguine profectæ sint, ut phlegmonas, erysipelata & artuum dolores persanant. Quæ vero deinceps erunt, quoniam præterea austeritatem quandam & *adstrictionem* obtinent, ardentes biliosasque eruptiones extinguunt, herpetas, epinyctidas, carbunculos & ignem sacrum. *Et quæ simul adstringant.*

Portulaca recessu tertio frigida, humidaque secundo, æstuantibus auxiliatur, & calefacta omnia egregie refrigerat: quodque austeritatis & adstrictionis cujusdam sit particeps, fluxiones omnes reprimit; biliosas eruptiones, ut herpetes, impetigines, ignemque sacrum retundit.

Polygonum portulacæ vires æmulatur, collectionibus fervidis ignibusque sacris auxiliatur.

Plantago exiccat & adstringit, pariterque refrigerat ordine secundo. Hinc eruptiones sanguinis, nomas, carbunculos, herpetas, epinyctidasque cohibet, ambusta & inflammationes demulcet.

Ligustri folia astrictiore vi fervidis inflammationibus & carbunculis illita prosunt, & commanducata oris ulceribus medentur, & eorundem decocto ambusta utiliter foventur.

Solanum hortense refrigerat & adstringit ordine secundo: ad inflammata & omnia quæ refrigerari & adstringi postulant, & ad fluxiones acres mire conducit: ignibus sacris & herpetibus folia cum polenta inducuntur. Somnificum vero multo magis refrigerat, ut pene ad papaveris vires accedat,

dat, nec nisi foris illini aut aliter admoveri innoxie possit. Cortex radicis ejus usurpari debet.

Sempervivum utrumque ordine tertio refrigerat: desiccat vero & adstringit mediocriter, phlegmonas refrigerat, erysipelata herpetasque cohibet. Sed & ad nomas, oculorum inflammationes & ambusta, folia per se vel cum polenta illita conferunt. Succus per se eadem præstat, fotu aut cum rosaceo infusus.

Corianum refrigerat & leviter adstringit, erysipelatis & herpetibus medetur: epinyctidas, testium inflammationes carbunculosque cum melle sanat. Succus ejus cum cerusa & aceto ardentes in summa cute inflammationes juvat.

Mandragora, tertio ordine refrigerat. Radicis cortex valentissimus est, ab hoc succus è malis, aut è caule collectus. Folia recentia oculorum inflammationibus, & iis quas ulcera excitarunt, cum polenta inducta prosunt, articulorum dolores leniunt. Radix trita ex aceto herpetibus & ignibus sacris medetur.

Acetum refrigerat & adstringit, inflammationes arcet impositum, fluxionesque reprimit, & sedem vulvamque procidentem: ad ignem sacrum, lepras, impetigines, cum aliquo convenienti efficax est: phagedænas ulcerum, nomasque fotu cohibet, item ulcera quæ serpunt, panos & pruritus.

Omphacium, & *mali punici*, *citrii limonumque succus* perfecte refrigerat, & bilis acrimoniam impositus valide obtundit. Eo commodissime utemur contra omnes calidos & biliosos affectus, non quidem puro, ne adstrictione immodica calorem ipsorum cute densata includat, sed succo portulacæ aut sempervivi temperato: ita enim herpetas, impetigines, lepras, phagedænas nomasque sanat.

Ex his composita in officinis, *Compositiones* ab iis fiunt, oleum rosarum, oleum violarum, oleum nymphææ, oleum papaveris, hyoscyami & mandragoræ, unguentum refrigerans & unguentum populeum.

Extemporanea. Præter hæc vero *re exigente* alia præscribuntur his sane præstantiora. Nam oleo, cerato aut unguento moderata vis inest refrigerandi, neque quum ingens inflammatio erysipelasve summa corporis exurit, satis ea prosunt, nisi & aceti momento perfundantur: omnis quippe adeps omneque oleum mox ut incaluit, quasi incensum partis calorem auget, & summam cutem exulceratam exasperatamve sorde coinquinat.

Multo ad refrigerandum præstantior vis inest *epithemati, fomento*, aut *cataplasmati*. *Epithema* fit ex aquis stillaticiis rosarum, plantaginis, solani, intybi & portulacæ. Valentius comparatur ex recentium herbarum coctarum jure: valentissimum ex earum, præsertimque è solani, sempervivi, hyoscyami, papaveris & mandragoræ expressis succis, qui linamentis sint excepti. Quinetiam eæ ipsæ tusæ herbæ imponuntur *cataplasmatis* specie. Benefacit & mucilago à seminibus althææ, cydoniorum & psyllii, aqua vel succo quodam accommodato maceratis deprompta: vix quippe ulla potest adstrictio in lenta mucilagine haberi. Debent autem in liquoris tepidi libris singulis seminum unciæ quoque singulæ demergi, dum liquor concreverit. Quum levior est ardor, mucilagini permiscetur oleum quoddam refrigerans *linimenti* forma. ℞ ceræ albæ liquefactæ ℥j. in quam dissolve oleorum violarum & papaveris lotorum aqua solani frigida an. ℥j. mucilaginis seminis cydoniorum & psyllii extractæ in aquis, vel succis solani & plantaginis ℥iij. fiat illitus. huic addi potest caphuræ ℈ß. Mire juvat *cataplasma* ex refrigerantium succis, & hordei expurgati farina, quæ sine igne agitantur, & ea temperatione permiscentur dum polentæ aut pulticulæ nanciscantur crassitiem. additur utiliter caphura: adduntur quoq; sub permistionis finem interdum mucilagines, rarius olea. Quę igne permista coquuntur, melius quidem coeunt ac firmius cohærent, sed minus refrigerant.

Omnia porro in vehementi ardore & æstuoso cœlo frigida inducuntur, atque etiam interdum arte refrigerata, & protinus ut partis fervore acrius incalescunt arescuntve, commutantur: quod subinde fit, dum represso ardore atque dolore pars livescere incipiat. consistendum enim tum est, ne pariter extincto insito calore pars gangræna vel sphacelo pereat. Hyeme vero atque inflammatione tepida etiam sub-

subinde admota juvant.

Ad herpetes vero, impetigines, phagedænas aut ignem sacrum, portulacæ, plantaginis aut sempervivi succis, aceti, omphacii, succi limonum aut granatorum par modus additur in fotum, aut ex his farina orobi & hordei permistis, pultis specie cataplasma existit.

CAPUT II.

Repellentia medicamenta.

Repellentia qualia, REpellens medicamentum quod Græci ἀποκρουστικὸν dicunt, id appellamus, & quod influentem humorem cohibet, & quod cum ipsum, aut etiam parti leviter infixum in adversum rejicit, estque hoc priore vehementius. Utrumque frigoris vi perficitur, cujus natura est cohibere, comprimere, repellere & retrudere. Sed ad hos effectus validissimum id frigus est, quod in crassa terrenaque substantia consistit, qualis nimirum ea est quæ acerbo, austero, adstringentique sapore deprehenditur. Ea enim partis substantiam premens atque coarctans, influentem humorem remeare cogit. Huic ex diametro attrahens opponitur, de quo postea sermo habendus.

Vitis viniferæ folia capreolique refrigerant & adstringunt, trita & illita capitis dolores, stomachi inflammationes, & aliarum partium ardores, fluxionesque sistunt.

Et qua. *Rosa* refrigerat & adstringit, præcipue rubra, sed arefacta magis. Contusa & illita præcordiorum inflammationibus & sacris ignibus medetur. Succus oris ulcera, gingivas, tonsillas & faucium ardores gargarizatu reprimit & fluxiones cohibet. Arida vero rosa vino aut aqua calente dum extaberit macerata, ad capitis, aurium, oculorum, sedis, recti intestini ac vulvæ dolores facit fotu adhibita. In id efficax quoque est rosarum fæx post rhodostagma in alambici fundo residua, similiter macerata & calens locis dolentibus imposita, partim ita mitigata, partim repressa doloris causa.

A *Rubus* immaturo fructu & floribus refrigerat, potenter adstringit & desiccat, mollioribus & recens natis foliis & germinibus levius. Hæc tamen mansu apthas & alia oris ulcera sanant, & gingivas firmant. Flos & fructus immaturus ut hæmorrhoidas manantes, dysenterias, & alia ventris profluvia sistunt, ita herpetas cohibent, oculosque procidentes confirmant.

Myrti utriusque germina, folia, baccæ & semen refrigerant & adstringunt, sanguinem excreantes sanant, & vesicæ erosiones exiccant, oculorum fluxiones & inflammationes cum polline polentæ leniunt. Semen in desessionibus utile sedis vitiis & vulvæ procidenti, aut fluxione la-B boranti: fluentes quoque capillos continet. Trita folia & ex aqua imposita, partibus omnibus fluxione laborantibus cœliacisque prosunt: & admisto omphacino oleo ad ulcera serpentia, ignem sacrum, testium inflammationes & ambusta conferunt.

Cupressus folio & nuce seu pilula modice refrigerat, sed valde siccat & adstringit. Folia hernias intestinorum per se reprimunt, & cum polenta ignibus sacris, ulceribus quæ serpunt, carbunculis & oculorum inflammationibus illinuntur. At, tum folia, tum pilulæ ex vino potæ dysenterias aliaque alvi profluvia & sanguinis rejectiones sistunt, vulnera glutinant, & sanguinem ex iis manantem supprimunt.

Quercus siccat & adstringit, sed validius adstringit quę in trunci cortice membrana

ſubeſt, & quæ ſub glandis putamine fructus carnem conveſtit: ab his folia. Omnium decoctum datur dyſentericis, ſanguinem excreantibus, ventriſque diuturno profluvio vexatis: & in peſſo contra mulierum fluxiones. Eodem ad incipientes & creſcentes phlegmonas, aliaſve humorum defluxiones utuntur: nam quæ jam vehementes conſtiterunt, adſtringentibus haud indigent.

Galla omphaticis tertii ordinis in ſiccando, ſecundi in refrigerando, admodum acerba & terrea: deſiccat & reprimit fluxiones, adhæc conſtringit comprimitque partes laxas ac languidas, omnibuſque fluxionum affectibus ſtrenue reſiſtit. *Galla altera* flava, laxa & magna, exiccat quidem & ipſa & adſtringit, ſed tanto imbecillius quanto acerbæ qualitatis minus eſt particeps. Decoctum earum ad inſeſſus utile, contra vulvæ & ſedis procidentias fluxioneſque.

Balauſtium ſylveſtris mali punicæ flos, *cytinus* ſativæ & domeſticæ, inſigniter adſtringunt, ſiccant & refrigerant, craſſæ ſunt eſſentiæ: fluxiones cohibent, humida gingivarum vitia, mobileſque dentes decocto colluto emendant, herniam prolapſu inteſtini erumpentem cataplaſmate repellunt. *Malicorium* aſperum mali punici putamen, eadem præſtat quæ balauſtium.

Acacia ex fructu aut foliis Ægyptiæ ſpinæ expreſſa, & arefacta in umbra, ſiccat ordine tertio, refrigerat primo. Hæc ignem ſacrum, ulcera quæ ſerpunt, menſium exuperantiam & prociduam vulvam cohibet, procidentes oculos & citam alvum reprimit. Lota levem ſuam acrimoniam deponit & commode oculorum medicamentis admiſcetur. In ejus locum, ex fructu immaturo & virgultis prunorum agreſtium coctis ſuccum expreſſum, coactum & in tabellas confectum inſolatumque ſubſtituimus.

Hypociſtis acaciæ vires imitatur, verum aliquanto magis ſiccat & adſtringit.

Rhus, vulgo ſumach, fructus eſt racemoſus, cortice acido, adſtringente, repellente. Fracta, contuſa lividaque illitus ex aqua ab inflammatione vindicat, fluxiones omnes compeſcit. Aqua in qua is maduit, decocta cogitur, coitque in mucilaginem, omnia quæ ſemen, præſtans. Folia etiam A eandem vim ſortita gangrænas & pterygia cohibent ex aceto illita: liquamentum mellis conſiſtentia fit ex aridis foliis ex aqua decoctis, eadem quæ lycium, conferens.

Oxyacantha adſtringit & deſiccat, & ſecundo ordine refrigerat: alvi profluvium & muliebrem fluxum, omneſque fluxionum affectus cohibet atque ſiſtit.

Meſpila adſtringunt, ſtomacho grata ſunt, alvumque ſupprimunt.

Sorba minus quam meſpila adſtringunt: alvo fluenti in cibo accommodatiſſima: quod & decoctum eorum poteſt.

Corna in cibo adſtringunt, profluvio alvi atque dyſenteriæ ſalutaria.

Cotonea mala, parva, rotunda & odorata, adſtringunt & refrigerant: fluxiones B ſiſtunt; decocto eorum ſedes & vulvæ procidentes proluuntur. Cruda cataplaſmatis miſcentur ad cohibendam alvum, contraque ſtomachi ſubverſionem & ardorem, mammarumq; inflammationes. Hęc quidē ſumpta, nec minus tamen admota juvant.

Compoſitiones quæ fluxionem inhibent repelluntve, ſunt oleum omphacinum, omotribes, & ex hoc recenti oleum roſaceum, oleum melinum, oleum myrtinum, oleum maſtichinum comparatum: unguentum diachalciteos, emplaſtrum Comitis, emplaſtrum ad herniam, & alia quædam inter emplaſtica relata. *Ex his compoſita in officinis,*

Quum igitur levior quædam calidaque fluxio ut phlegmone incipiens fatigabit, revulſione præmiſſa, & dolore ſi is acrius C urgeat mitigato; adhibendus *fotus* oxycrati ſpecie, ex aquis ſtillaticiis roſarum, plantaginis & ſolatri, addito aceti roſati ſextante, eave temperatura, ut bibi poſſit. Mox *unctio* ex oxyrrhodino, quod interdum myrtini olei dimidium habeat. Benefacit & *mucilago* è ſemine cydoniorum & pſyllii, ex aqua roſarum, plantaginis, ſolani, affuſa aceti parte octava. Efficacius eſt *cataplaſma* ex decocto aut ſucco roſarum, balauſtiorum, plantaginis, ſolani & ſempervivi, & ex polline fabarum, permiſtis omnibus, coctiſque in polentæ aut pulticulæ ſpeciem. huic, ſi gravior fluxio expoſcet, pulveres inſpergentur rhois, myrti, roſarum, boli armenæ, aut terræ lemniæ. Ad extremum his non ſatis proficientibus, adſtringentis noſtri *empla-* *Extemporanea, quomodo in uſum ducenda.*

plastri portio oxyrrhodino diluta imponetur unguenti specie. Supra vero sedem affectam locus per quem fluxio decurrit cingetur emplastro adstringente, quod fluxionis vias coangustet. Horum continuandus eousque est usus, dum fluxio consistat, & tumor aut non amplius increscere aut subsidere videatur. Ac tum deinde ad unguentum diachalciteos & cætera transeundum, quibus mistæ insunt vires.

A Atque ita fluxionum quidem initio tempestivus est repellentium usus, nisi forte vel pestilens, venenata aliterve maligna materia existat, vel critico modo depulsa, vel emunctoriis excepta allectave sit, vel acerbum & excruciantem dolorem habeat conjunctum: quippe illicientibus tum, & paregoricis utendi locus est, non repellentibus & exasperantibus.

CAPUT III.

Emplastica Medicamenta repellentibus finitima.

Emplastica.

EMplasticorum quæ temperatura sit & quæ materia, quasque vires sortita ea sint, supra quidem comprehensum est cum detergentibus illa opposui. Quæ vero *simpliciter* talia dicuntur, frigida, crassa atque terrena, nec ulla qualitate molesta sunt: proinde meatus infarciunt, tenuemque humorem permistione incrassant. *Alia* quędam insuper siccant & ulcerum humores absorbent. *Alia* etiam leviter adstringunt & roborant, nec humores diffluere sinunt.

Alia meatus infarciunt.

Primo hæc *genere* continentur.

Triticum lentoris quiddam & obstruentis naturæ nactum est. Ejus farina cum ovi liquore juncta fluxiones sistit, ex hyoscyami succo nervorum fluxionibus illinitur, pollen vero ejus ex aqua mulsa aut hydrelæo coctus omnem inflammationem valentius quam farina simplex compescit: extrinsecus admotus cutis spiracula infarcit & humores coërcet.

Fabarum farina ex liquore quovis frigido admota cataplasmatis specie eadem confert.

Amylum farina triticea tum frigidius, tum siccius, vere ac proprie emplasticum est: contra fluxiones oculorum & pustulas cavaque ulcera efficax: sanguinis quoque rejectiones potu cohibet.

Crudum *ovi albumen* emplasticum est, refrigerat, fluxiones arcet, oculorumque inflammationes lenit, vesicæ, & renum exulcerationibus prodest.

Alia simul exiccant & adstringunt.

Quæ vero sequuntur emplastica, *exiccant pariter*, & vulnerum aut ulcerum quemcunque attigerint humorem, combibunt exorbentque, ut idcirco sistendo sanguini conveniant.

A *Mumia* humani est cadaveris liquamen, thure, myrrha & aloë in sepulchro conditi: calida sicca ordine tertio, leviter adstringit: peculiariter vero tum sumpta, tum admota sanguinem undecunque prorumpentem sistit.

Mastiche leviter adstringit, siccatque sine morsu, & sanguinis rejectiones cohibet.

Corallium adstringit & moderate refrigerat: contra sanguinis rejectiones in primis efficax: excrescentia coercet, ulcerum cava & oculorum cicatrices abstergit.

Lapis hæmatites adstringit & refrigerat, tenuissime tritus ex ovi candido oculorum B phlegmonas lenit, sanguinis expuitioni & cuivis eruptioni conducit, oculorum ulcera per se siccat, & cicatrices includit.

Terra omnis in medendi usum recepta, summe siccat citra omnem morsum, quod omnis igneæ substantiæ prorsus sit expers, ut quæ proprie *argilla* apppellatur: hinc leviter refrigerat siccatque, & meatus oblinit occluditque, quæ præsertim lota fuerit.

Sigillum lemnium strenue siccat & leviter adstringit, vique emplastica, undecunque prorumpentem sanguinem, tum sumptum, C tum admotum, cohibet.

Bolus seu terra armena validam siccandi vim obtinet; qua putria oris & tabidorum ulcera desiccat, sanguinis expuitiones aliasque rejectiones, quemadmodum & dysenterias, compescit.

Sanguis draconis, officinis factitius ex hircino sanguine, bolo armena & sorborum aliorumve adstringentium succo, eadem quæ bolus, ac etiam promptius efficit.

Gypsum emplasticum vere est ac siccans;

 ad

ad sanguinis eruptiones utile & ad ophthalmias ex ovi candido. Ustum ac deinde lotum, quemadmodum & *calx elota*, emplasticum magis evadit. Omnia quidem excipienda diluendaque sunt aceto, cui etiam uni præcipua vis est, ut fotu solo erumpentem sanguinem protinus compescat.

Metallica quæ subjiciam emplastica quoque sunt, & sine morsu siccant, adhæc quoque non leviter adstringunt.

Lithargyrus chrysitis & argyritis siccat primo recessu, nullo insigni calore aut frigore: modice adstringit & terget: cum oxelæo cocta emplastica fit & complurium emplastrorum materia: vis ei occludere, adstringere & explere cava.

Cerusa refrigerat, siccat, occludit, repellit & adstringit: emplastica tamen est, candefacit emplastra quibus inditur.

Pompholyx, Arabum tuthia, ex æris vel detritæ cadmiæ favillis tenuissimis, quæ fornacum metallicarum summis caminis adhærent progignitur: refrigerat, adstringit & exiccat: lota omnium prope citra morsum siccantium evadit præstantissima: hinc ad ulcera cancrosa, ad aliaque maligna, & ad oculorum fluxiones efficacissima.

Spodium vero pompholyge aliquanto crassus & adstringentius: è crassiusculis favillis quæ in fornacum pavimentum decidunt succrescit: plurimas tamen pompholygis vires imitatur.

Cadmia factitia, botrytis appellata, & pompholyge & spodio crassior, ac magis terrena, siccior & adstringentior.

Naturalis vero, quæ officinis est *lapis calaminaris*, sicca minus existit, veruntamen usta sæpius acetoque restincta & in exquisitum lævorem trita, oculorum inflammationes arcet, palpebras inversas reducit, & in emplastris laxos œdematososque tumores siccat atque dissolvit.

Stibium, vulgo antimonium, valenter adstringit, refrigerat, meatus obstruit. fluxiones oculorum collyriis inditum & sanguinem manantem, quod præsertim coctum fuerit, sistit, est enim rosionis expers, & vim habet usto plumbo persimilem. ambusta igni in pustulas erumpere non patitur cum adipe recenti illitum, & maligna ulcera comprimit, nec latius serpere finit.

A *Plumbum* frigidum humidumque existit, multo magis quod aceto lotum fuerit, & in pollinem redactum: adstringit, & phlegmonas incipientes arcet, oculorum fluxiones reprimit, partiumque omnium ac præcipue sedis ulcera rebellia & cancros demulcet: Plumbum ustum eadem efficit, sed acrimonia majore, nisi lotum fuerit. At plumbi recrementum, quod scoriam appellant, his multo vehementius adstringit. Molybdæna, plumbago dicta, recrementum in camini fundo repertum, quo vi plumbi argentum aurumve expurgatur, magis refrigerat & adstringit quam lithargyros, estque substantiæ crassioris: eundem tamen usum in emplastris obtinet acrimoniæ expertibus, detergentibus minime idonea.

B *Alumen* scissile & candidum adstrictione est vehementissima præditum: ab hoc rotundum; quod aqua solvitur, & igni liquescit celerius quam scissile: gingivas humore turgidas comprimit, dimotos vacillantesque dentes cum aceto firmat, sanguinem profluentem, eruptiones papularum & aurium fluxiones inhibet.

Compositiones ab iis extant unguenti aut emplastri forma, unguentum album, unguentum è cerusa, unguentum è lithargyro, unguentum nutritum, unguentum diachalciteos, unguentum diapompholygos, & unguentum exiccans rubrum. *Ex his composita in officinis.*

Ad hæc autem alia *in rem præsentem* comparantur hac formula, quæ sanguinis aliorumque humorum fluxum sistit. ℞. Boli armenæ ℥ij. amyli ℥j. sanguinis draconis, C masticbes, myrrhæ, olibani an. ℥ß. symphyti, rosarum rubrarum an. ʒj. Bolus & sanguis draconis diluuntur aceto, cætera teruntur, omniaque ovi candido & oleo rosato, vel myrtino excipiuntur in *cataplasma*. his interdum vehementiora accedunt adstringentia, ut trochisci è terra lemnia & alumen ustum. Pleraque etiam intro sumuntur ad immodicos sudores, ad dysenteriam, ad cruentam excreationem, quæ fiunt ex mucilagine gummi arabici & tragacanthæ, deprompta ex aqua plantaginis & rosarum, asperso amylo, aut tritici, vel oryzæ polline. Convenit & *pulvis* qui habeat boli armenæ ℥j. lapidis hæmatitæ, corallii rubri an. ʒj. sacchari rosati ℥jß. vel con- *Extemporanea.*

conservæ rosarum & symphyti an. ℥j. Idem quoque pulvis exceptus mucilagine tragacanthæ in *hypoglottidas* fingitur adversus hæmaptoicos.

CAPUT IV.

Anodyna medicamenta.

DOloris causa admodum multiplex est, & quicquid eam contrarietate tollit, *dolorem* vere *sedat*, at nequaquam anodynum id appellamus, sed quod persistente causa dolorem lenit & mitigat, quanquam proprie paregoricum dici debet. Id autem *vel* temperatum existit, corporique nostro consimile, *vel* ordine primo calidum, tenuisque substantiæ: quod nimirum doloris causam æquabilem reddit, temperat, demulcet, corporisque substantiam fovet.

Ejus sunt generis, quæ tum pus movent, tum emolliunt, præcipue vero hæc.

Althæa ordine primo calida & modice humida, laxat, digerit, phlegmonem demulcet, mitigat & concoquit. Radix in aqua mulsa decocta, & cum adipe anserino aut suillo subacta, ad uteri inflammationes & præclusiones utilis. Decoctum radicis ex aceto, collutione dentium mitigat dolorem: radicis mucilago ad omnia utiliter accommodatur.

Malva humida & glutinosa, leniter digerit & emollit, moderato & tepido calore prædita. Ejus decoctum vulvas insessione mollit: erosionibus intestinorum, vulvæ & sedis prodest, clystere infusum, aut fotu admotum. Sacris ignibus & ambustis decocta ex oleo folia imponuntur, nervis prosunt & vesicæ: potum decoctæ jus facilem partum reddit crebriore usu: illita inflammationes lenit, & indurata emollit. Id illi peculiare est, ut imposita ictibus vesparum & apum dolores levet.

Lilium radice & foliis deficcat, abstergit & digerit. Radix assa aut cum rosaceo trita ambustis medetur, uteros emollit, mensesque provocat, & in vino clavos pedum tollit, si triduo non solvitur. Succus è flore expressus ad omnia efficacior.

Chamæmelum temperato est calore, extenuat, digerit, rarefacit & laxat, dolores mitigat, & ad lassitudines mire confert. Tensa remittit & laxat, quæque mediocriter dura sunt emollit, & condensata rarefacit: ejus decocto vesicæ vitia utiliter foventur.

Melilotus omnes sed præcique oculorum inflammationes mollit, dein etiam uteri, sedis & testium, in passo decocta & illita, addita aliquando fœnigræci farina, aut lini semine, aut polline molario.

Lini semen primo ordine calidum, omnem intus forisque inflammationem compescit & emollit, cum melle, oleo & exigua aqua decoctum. Cum lixivio parotidas duritiesque discutit, herpetes & favos purgat in vino decoctum. Ad vulvæ inflammationes in desessionibus utile.

Fœnum græcum secundo ordine calidum, siccum primo, digerit: ejus farina molliendi & discutiendi facultate prædita: inflammationes exiguas, sed duras, digerendo curat. Seminis decoctum insessu ad uteri inflammationes præclusionesque utile: & exulceratis locis commode infunditur. Farina cum anserino adipe pessi vice apponitur, loca quæ juxta uterum sunt emolliens & relaxans.

Lac alienæ omnis qualitatis expers, medicamentum leniens est, ad acres & mordaces fluxiones, præcipue oculorum, commodissimum, non eas modo sero abluens, sed etiam pinguedine corpora illiniens: ad quæ omnia lac mulieris bene habitæ recens utilissimum & humano corpori est familiarissimum. Lac omne concoquit & relaxat, sed maxime bubulum: phlegmonas oculorum cum rosaceo & ovo concoquit: infunditur & ultero exulcerato: ad sedis & pudendorum ulcera, & ad omnia quæ leniri postulant apprime conducit. Hinc cancrosis ulceribus aliis medicamentis anodynis permistum applicatur. Collutum oris phlegmonas mitigat, tonsillas & columellam phlegmone liberat, venena erosione interimentia nocere prohibet.

Butyrum facultatis est remollientis, concoquentis, paululum etiam digerentis. Exiguas & quæ in teneris & mollibus sunt corporibus phlegmonas id solum persanat, ut parotides bubones & oris inflammationes. Gingivis puerorum assidue illitum, exitum dentibus accelerat: cataplasmatis inditur quæ extrinsecus imponuntur parotidibus, hypochondriis, bubonibusque, idque initio ex aqua rosacea lotum, & modico intinctum croco.

Oleum quod ex maturis *olivis* exprimitur, salis expers, ætate medium, moderate calidum est, lenit, omniumque maxime humectat & emollit, lassitudinis optimum remedium, ob idque Græcis acopum appellatum: corpus ad obeunda munera promptius alacriusque reddit.

Oleum amygdalarum dulcium ad hæc omnia quam simplex oleum præstantius & efficacius, tum admotum, tum sumptum.

Oesypus calefacit ac emollit, paulumque digerit: omnium partium doloribus, tum per se, tum ex aceto & rosaceo efficaciter imponitur.

Succida lana easdem vires habet: percussis & contusis peculiariter.

Adeps omnis qui tenuitate substantiæ sit præditus, dolorem lenit atque demulcet, humorum acrimoniam obtundit & aliquantum digerit: ejusmodi est qui à feris & agrestibus animalibus sumitur: at qui à domesticis quæ conclusa degunt in urbibus, tum crassior est, tum humidior.

Adeps suillus insigniter humectat, emollit & relaxat, at non admodum excalefacit, quod calorem obtineat nostro calori finitimum: vicinam oleo vim nactus, nisi quod aliquanto magis tum emollit, tum concoquit. Quamobrem cataplasmatis quæ ad phlegmonas exiguas & aliquantum duras accommodari solent miscetur, in teneris præsertim corporibus.

Adeps vitulinus suillo aliquanto calidior & siccior, eumque proxime viribus imitatur.

Adeps gallinaceus suillo vehementius emollit & relaxat, simulque humorum acrimoniam obtundit.

Adeps anserinus tum suillo, tum etiam gallinaceo calidior est & partium tenuiorum, magisque obtundit quæ in alto corpore demersa fuerint.

A *Adeps humanus*, ut omnium medius, ita & mediocriter ad omnia usurpatur.

Medulla indurata & scirrhosa corpora emollit. Optima omnium cervina, dein vitulina: ex utraque pessi componuntur ad emolliendos uteros: miscentur commode omnibus medicamentis emolliendi vi præditis.

Et hæc anodyna simplicia. Quæ autem causam vel summovendo vel compescendo leniunt dolorem, quod curandi lege id efficiant, ex iis petenda & depromenda sunt, quæ ad unumquemque curandum affectum proferuntur.

Eliciuntur *extantque ab iis* oleum chamæmelinum, oleum liliorum, oleum leucoii lutei, oleum sesaminum, oleum amygdalarum dulcium, oleum anethinum, oleum irinum, oleum ex vitellis ovorum. *Ex his composita in officinis.*

B Itaque cum dolor vehementer fatigat, is prompte ne vires prosternat leniendus est *fotu* ex jure althææ, malvæ, violæ, liliorum, chamæmeli, meliloti, anethi, semine lini & fœnigræci, ex aqua & lacte percoctis, deinde *cataplasmate* ex libra una medullæ panis similaginei & lacte aut sapa coctæ, adjectis ovorum vitellis tribus, rosacei sescuncia, & croci drachma una. Huic etiam interdum permiscentur *mucilagines* seminis althææ, lini & fœnigræci, cum florum chamæmeli & meliloti tritorum an. ℥ß. Summe conferunt memoratæ mucilagines depromptæ ex aqua chamæmeli, additis oleis aut adipibus accommodatis, & ceræ momento illitus forma, ut qui ℞. mucilaginis seminis althææ & lini tractæ ex aqua rosarum ℥j. olei liliorum & amygdalarum dulcium, œsypi, axungiæ anseris recentis an. ℥ß. ceræ ʒvj. *Extemporanea quomodo usurpanda.*

C Hæc vera est & simplex anodynorum ratio: quorum tamen vis eorum permistione augetur & increscit, quæ doloris causam tollunt.

Sic enim ad *artuum* atque nervorum *dolores* ex frigida materia ortos, veteres acopa & myracopa ex his concinnarunt. ℞ sampsuchi, rorismarini, rutæ, pulegii, origani, centaurii minoris, marrubii an. libram dimidiam, radicum iridis florentinæ, cucumeris agrestis, & aristolochiæ rotundæ, baccarum lauri & myrti contusarum an. ℥j. florum junci odorati ℥j. Tunsis omnibus *Ad artuū dolores.*

busaffundantur vini & olei an ℔vj. macerenturque horis xxiiij. postridie coquantur dum vinum fuerit absumptum. In expresso humore eliquantur terebinthinæ, bdellii, ammoniaci, resinæ & ceræ an. ℥iij. caryophyllorum, nucis moschatæ, cinamomi an. ℥ß. compositio in pyxidem reponatur ad usus.

Sic etiam plethorico aut *cacochymo corpore*, quum acerbus dolor ex fluxione urget, qui A mitigari è vestigio postulet, quod sola lenientia partes laborantes relaxant & enervant, evocantque fluxionem, unde magis distenduntur atque dolent, ipsis propterea convenienti modo adstringentia permiscentur. nimia siquidem adstrictio conduplicat dolorem, & relaxatio partes dolentes effœminat. Modus itaque erit, ut fluxio leniter reprimatur, infirmisq; partibus robur, & excrucianti dolori lenimentũ adferatur.

CAPUT V.

Narcotica.

DOlorem idcirco *narcotica* leniunt, quod A inducto stupore partis sensum obtundant, torpidioremque reddant, ut doloris urgentem causam ea minime percipiat. Omnia quidem vehementer frigida existunt, sed quæ tamen non hac sed peculiari facultate sensum adimant. Etenim sempervivum majus licet alterco frigidius, minime tamen partem ullam admotum stupefacit.

Hyoscyamus seu altercum, cui semen & flos candidus est, ad externos affectus usurpatur. Folia recentia tum per se, tum cum polenta mista ad oculorum pedum aliarumque partium inflammationes, ad omnes denique mitigandos dolores utiliter illinuntur. Succus quoque ex virente herba contusa aut etiam ex semine expressus ad acres calidasque oculorum fluxiones, dolores aurium, & vulvæ vitia benefacit. B semen confert podagris, testibus inflammatis, mammisque à partu lacte turgentibus, si tritum cum vino inducitur. Miscetur utiliter & aliis cataplasmatis dolorem levantibus.

Cicuta summa refrigerandi vi pollet: folia dolorem omnem & epiphoras sedant. Succus exprimitur è foliis floribusque aut etiam à semine viridi, qui in sole densatus in pastillos ad inflammationes, erysipelata & herpetas medicamentis levandi doloris gratia permiscetur.

Mandragora tertio est ordine refrigerantium. Succus è cortice recentis radicis contusæ aut ex pomis expressus & sole concretus, miscetur medicamentis ocularibus, & omnibus quæ dolores finiunt. Folia quoque recentia oculorum inflammationibus omnibusque ab ulcere ortis cum polenta auxiliantur. Radix trita ex aceto ignibus sacris medetur: articulorum dolores cum polenta sedat.

Torpedo tanta stupefaciendi insita vi insignis est, ut per sibi infixum tridentem piscatorum manus protinus stupefaciat, eumque universum qui manibus eam prehenderit, aut nudis pedibus calcaverit. Oleum narcoticum id redditur in quo viva torpedo extincta fuerit.

Papaver album quod & sativum, fotu, tum folii, tum capitis ex aqua decocti, somnum accersit, sed potu magis vigilias discutit. Capita trita & per se, & cum polenta ignibus sacris & inflammationibus prosunt: oculorum vero inflammationibus cum tosto ovi luteo & croco: igni sacro & vulneribus cum aceto, podagris cum lacte mulieris & croco.

Papaver *nigrum* frigidius est, magisque narcoticum.

Meconium papavere aliquanto magis refrigerat & torpefacit, sed usu tamen periculosius est.

Opium tum ipso papavere, tum meconio multo ad refrigerandum & stupefaciendum potentius, desperatis duntaxat levioribus auxiliis admovendum in ardore summo & intolerabili cruciatu cum exquisito sensu. Nam sensus obstupefacit, tenues & acres fluxiones coërcet: sed nisi moderatum & correctum fuerit, periculi plenum existit. devoratum enim mortiferum est: oculis admotum caliginem & rugas inducit, surdastrasque reddit aures, & partes omnes

Ex his composita in officinis. omnes ad motum, sensumque torpidiores factas, excrementis tandem opprimit.

In narcoticis *compositionibus* præcipuæ sunt, philonium romanum, & pilulæ è cynoglosso: oleum hyoscyami, papaveris & mandragoræ; in quibus & opii nonnihil interdum diluitur.

Extemporanea. Narcotica leviora externis medicamentis tuto permisceri possunt, quæ vigilias & deliria sedant, & iis quæ ardores atque erysipelata extinguunt, ex hisque ortos cruciatus sedant. Opium vero non nisi quum dolor acerbior vires dissolvit, syncopesque metum incutit, nec alia remedia juvant, medicamentis permiscendum. Quumque id rei necessitas exigit, corrigitur castorio, A myrrha & croco: possuntque trochisci mitigatorii hac ratione teneri: ℞ Gummi arabici & tragacanthæ, amyli an. ℥ß. cerussæ lotę aqua rosarum ʒvj. styracis, myrrhæ, castorii, opii sapa soluti, singulorum ℈iiij. croci ʒß. Trita omnia excipiantur mucilagine psylli ex aqua rosacea, finganturque trochisci. hi in usus varios aptari possunt, atque externis præsidiis misceri quæ adhibentur leniendis partium doloribus. Hæ quidem facultates simplicium medicamentorum sunt quæ calidis affectibus eorumque symptomatis medentur. Quæ autem frigidis & ex frigido concretoque humore in partem quamlibet impacto genitis opitulentur, proxime tradendum.

Caput VI.

Emolliens, relaxans, & rarefaciens medicamentum.

Durum siccitate, repletione, concretione. Durum id corpus dici solet quod pressum carni nostræ minime cedit. Est autem id *triplex*. *Unum* quod vehementer *siccum* est atque terrenum, sive natura tale evasit, ut lapis, sive ab externis causis, ut exercitatione valida, solis fervore, æstuario, ardenti febre aut inedia. *Alterum* quod *plenum* distentumque est largioris humoris affluxu, ut plenus uter, aut hydropici venter: idque proprie nobis tensum ac renitens, Græcis ἀντίτυπον appellatur. *Tertium* quod frigoris vi *concrevit*, sive id extrinsecus incidat, ut in glacie, sive ex propria partis intemperie, ut adeps, sive influentis humoris natura, ut crassa pituita in scirrho proprio calore destituta sponte obdurescens atque concrescens. Postremum hoc fere ac proprie durum est medicis: cætera in alias referunt differentias, ut siccitate durum in siccum, plenitudine durum in tensum ac renitens.

Quid emolliens. *Emolliens* igitur medicamentum id proprie fuerit, non quod copia distentum ac renitens vacuat, aut siccum humectat, sed quod concreta excalefacit, solvit, atque colliquat. Est autem mediocris id materiæ, & moderate nec supra secundum ordinem calidum, ne tenuiorem humoris portionem dissolvens, reliquam obduret. Est id quoque humore aërio confertum, ut oleum maturum, & adeps temperati animalis, omni acrimonia omnique externo sapore & qualitate vehementi destitutus, pingui, & oleagineo eoque subdulci sapore id deprehenditur.

Si tensum totidem modis atque durum dicitur, *trifariam* quoque *relaxans* dicetur, & quod humectat, & quod calore emollit, & quod in tumore collectam materiam evacuat, sive sanguis ea sit, sive pituita, sive serosus humor, sive flatus. Sed hoc proprie *relaxans* appelletur, quemadmodum Græcis χαλαστικόν, & emolliens μαλακτικόν. Quod vero *rarefaciens* appellamus & Græci ἀραιωτικόν solidam compactamque materiam solvit, & diffundit, ejusque partes invicem longius disjungit, ut exiguos poros ampliores reddat. *Quomodo differat à relaxante.* *Rarefaciente?*

B Ejusmodi diaphoreticum quoque est quod cutem corporis solutiorem efficiat, ut per ejus spiracula vapores commode difflari possint. Substantia huic tenuis est, ut alte satis penetret, eaque moderate calida, ne adustione aut siccitate immodica meatus coarctet. Quod huic contrarium est condensans seu πυκνωτικόν, partis substantiam solidiorem compactioremque reddit, & cutis poros contrahit, ut eorum partes minori intervallo coëant. Id moderate est frigidum, sed tamen crassum est, acerbum vel austerum. *Quale sit rarefaciens.*

Itaque quæ simpliciter humectant, ut vio-

Quæ ſint emollientia? viola, helxine, acanthus, malva, althæa, oleum ſimplex, omnium quidem mitiſſime *emolliunt*. Quæ vero his paulo calidiora ſunt & tenuia, emolliunt, laxant atque *rarefaciunt*, ut chamæmelum, lilium, ficus aridæ, butyrum recens, adeps ſuillus recens. *Rarefacientia leniter?*

Quæ vero hoc genere calidiora atque tenuiora ſunt ad ſecundum tertiumve ordinem ſcirrhos emolliunt, digerunt, *diſſipantque*. ut hæc:

Valide? *Lini ſemen* omnem duritiem emollit & leviter diſcutit. ex oleo & aqua coctum vulvæ tumores & duritias inſeſſu perſanat, uteri & inteſtinorum exeſiones demulcet & lenit.

Ficus arida præſertimque pinguiores coctæ & illitæ tumores duros, ſtrumas, nodoſque omnes, parotidas ac furunculos emolliunt. Decoctum earum ejuſdem naturæ eſt: nam cum farina triticea ad tumores maxillarum, panos, parotidaſque illinitur.

Fœnigræci ſemen molliendi & diſcutiendi quoque facultatem habet. ejus farina cum anſerino adipe uterum emollit & ralaxat, & in hydromelite decocta, addita axungia, genitalibus induratis medetur.

Vitis alba ſeu bryoniæ radix calefacit ſiccatque moderate inflammationes, & duritias emollit & diſcutit, abſceſſus rumpit, lienes induratos liquefacit & abſumit foris cum ficubus impoſita: pſoram etiam ac lepram ſanat, lentigines, varos, ſugillata & cicatrices nigras cum fœno græco emendat.

Cucumeris agreſtis radix calida ſicca emollit, digerit & abſtergit: Illita ex polenta omne vetus œdema diſcutit. impoſita cum terebinthina reſina tubercula rumpit. decocta ex aceto & illita podagras alioſque articulorum dolores diſcutit. arida trita, alphos, lepras & impetiginem abſtergit, & in facie maculas aut cicatrices nigras expurgat. ad quæ omnia præſtantius eſt *elaterium*.

Iridis radix calida ordine ſecundo, ſicca tertio, ſtrumas watereſque duritias cocta & illita mollit, idem & ſuccus ex ea expreſſus confert, qui malagmatis & acopis utiliter imponitur, lienes ex aceto impoſita extenuat: decoctum radicis ad muliebria fomenta apprime utile, molliens aperienſque locos.

Ebulus exiccandi & modice digerendi facultate pollet. radix vulvas cocta emollit & aperit, & quæ circa eas ſunt affectiones inſeſſione corrigit, inveteratos tumores concretoſque ſolvit, podagricis cum taurino adipe auxiliatur. Folia recentia ac tenera cum polenta illita inflammationes mitigant.

Oeſypus omnium pinguium mitiſſime mollit, laxat, digeritque.

Adeps ſuillus inveteratus & ſalis expers, potentius quam recens emollit: vetuſtate enim ſubſtantiæ tenuitatem, calorem & acrimoniam quandam nanciſcitur, qua recens languidus & imbecillus indiget. Cæteri autem calidiores, ut adeps gallinaceus, anſerinus, anatinus, vitulinus, bubulus, recentes magis, vetuſtate acriores jam facti, minus emolliunt, digerunt vero potentius & ſiccant. Qui vero è ſiccioribus ſunt animalibus, ut arietinus, hircinus, cervinus, abunde ſiccant, nec emolliunt.

Medullæ omnes, ut dolores compeſcunt, ita etiam molliunt, calefaciunt, rarefaciuntque. Colliguntur æſtatis exitu, ex oſſibus humidiores, è ſpina vero ſicciores. Laudatiſſima omnium cervina, quæ viſcera, chordas, tendoneſque emollit: hanc proxima ſequitur, vitulina, eadem ſed aliquanto ſegnius præſtans.

Ladanum calefaciendi molliendique vi præditum: venarum ora patefacit, in peſſis vulvæ duritiem ſanat: in medicamenta quæ dolorem finiunt, ut quæ duritias omnes emolliunt, utiliter inſeritur.

Gummi è pino recens, articulorum maximeque coxendicum lenit dolores; prædurous tumores emollit atque concoquit: quod autem vetuſtius eſt calefacit magis ac digerit.

Terebinthina reſina, ab hac dein *lentiſcina*, & aliæ omnes acrimoniæ expertes, emolliunt, concoquunt, leviterque diſcutiunt.

Ammoniacum calefacit, mollit, extrahit. ex aceto commode liquatur igne leni, ne uratur, aut ex aceto tunditur in mortario: tubercula duritiaſque mollit ac diſcutit, articulorum coxendicumque doloribus auxilio eſt cum nitro & oleo ſubactum impoſitumque: & ex aceto ſolo jecoris lie-

lienisque duritias solvit: nodos qui in artubus occalluerunt cum melle aut cum pice illitum discutit.

Bdellium molle & pingue, calefacit & emollit: coquit, modiceque digerit: duritias omnes & bronchocelas discutit, cum jejuna saliva subactum: vulvæ spiracula appositu & suffitu laxat: malagmatis inseritur quæ contra duritias & nervorum nodos prosunt: contusum solvitur affuso vino aut aqua calente.

Styrax liquidus calefacit, emollit & concoquit: vulvæ præclusæ duritiave laboranti convenit, menses educit appositu, miscetur utiliter emollientibus & discutientibus malagmatis.

Ammoniacum, bdellium & styrax, aliaque generis ejusdem, ubi jam *vetustate* exaruerint, discutiunt potius quam emolliunt. Attamen in recentium & molliorum penuria arida ista pingui oleo soluta usurpantur.

Galbanum excalefacit, mollit; coquit & discutit. furunculos sanat: uteri eversiones atque duritias, articulorum nodos, concretaque omnia aceto liquatum solvit.

Oppopanax calidus ordine tertio, siccus secundo; emollit ac modice digerit, galbano aliquanto valentior & calidior.

Ex his composita in officinis. *Compositiones* hinc fiunt, oleum liliorum, oleum violaceum, oleum chamæmelinum, oleum lumbricorum, oleum lini, oleum irinum: unguentum de althæa, unguentum resumptivum, emplastrum diachylon magnum, emplastrum è mucilaginibus.

Extemporanea quomodo ducenda in usum. Cum autem referentur *in usum*, ut sedandi doloris, ita scirrhos concretosque humores emolliendi initium ab humido *fotu* ducetur. Id autem comparatur ex radice lilii & althææ, ex malva, viola, adjectis quibusdam attenuantibus, anetho, origano, calamintha, serpillo, pulegio, thymo, quæ omnia ex aqua simplici vel hydrelæo cocta adhibentur in fotum.

Mox à fotu quum tepefactus humor adhuc incalescit, ac modice solutus est, cutisque spiracula patent, illitus adhibendus ex *unguento* althææ, vel resumptivo. Vel ex hoc extemporali. ℞ mucilaginis seminis althææ, lini, & fœnigræci depromptæ ex decocto ficuum ℥jß. olei liliorum, anethi, & irini, adipis anseris & anatis an. ℥ß. ceræ pinguis quantum satis est ad illitus consistentiam. Hæc igitur quod calore liquata & frictione adacta alte subeant possintque in affectam sedem & in noxium humorem penetrare, strenue quidem emolliunt atque juvant.

Proximas his vires obtinet *cataplasma* hujusmodi. ℞ radicum althææ, liliorum, ebuli & iridis an. ℥ij. malvæ, violæ, chamæmeli, meliloti, anethi, an. m. ij. caryocas pingues incisas viij. coquantur dum contabescant, terantur, & cribro cernantur, postea adde radicum bryoniæ & cucumeris agrestis crudarum & derasarum an. ℥ij. pollinis seminis lini & fœnigræci an. ℥j. adipis gallinæ, anseris & anatis an ℥iij. Rursum modice coquantur in cataplasma. *Emplastro* quod crassior ejus substantia nequeat per cutem alte subire, non tanta emolliendi vis inesse potest. Hoc tamen extemporale vires summas obtinet. ℞ mucilaginis althææ, seminis lini & fœnigræci depromptæ ex decocto ficuum ℔ß. axungiæ, anseris, gallinæ, & vituli, medullæ cervi & vituli an. ℥ij. ceræ citrinæ ℥iiij. coquantur in duplici vase ad emplastri crassitiem, inspergendo sub finem radicis iridis florentinæ, styracis, calamitæ an. ℥ß. Validius emplastrum est diachylon, quo rursum efficacius est emplastrum è mucilaginibus, ex quorum permistione & temperatione varia, alia non pauca decerni solent.

CAPUT VII.

Attenuantia medicamenta.

ATtenuantium, ut ad interiores affectus, ita & ad externos eosque contumaces non parvus est usus. Ea quidem rarefacta cute, dum altius intro subeunt, non modo frigidum, crassum concretumque humorem calore liquant, sed & partium tenuitate eum ipsum incidunt & extenuant, adeo, ut exin vel sponte sua in halitum & vaporem abeat, vel saltem trahentium vi facile dissipetur. Quæ subjiciam

quod

quod ea facultate plurimum valeant, affectus sane varios calore & attenuatione tollunt, non quod attrahant digerantve, sed quod his extenuatus humor sponte sua plerumque evolet.

Anethum ex oleo decoctum crudos & incoctos humores concoquit & incidit, hinc varios sedat dolores, ex cruditate obortos flatus discutit, tormina compescit. Mulieribus uteri prefocatione correptis decoctum insessu perutile. Corpus immodico labore defatigatum levat, somnumque conciliat.

Pulegium crassa lentaque incidit, extenuat & concoquit: cum polenta ischiadicis & aliis partibus frigore affectis inductum confert: nervorum convulsiones & opisthotonum sedat: decoctum prurigines, inflationes, uteri duritias & subversiones insessione tollit: lienosis cum sale utiliter adhibetur.

Satureia, partium omnium crassos lentosque humores extenuat, & concoquit, lethargicos calefacta excitat, cum triticea farina ischiadicis opitulatur.

Origanum extenuandi facultate oedemata aliosque laxos tumores fotu illituve discutit: prurigines, scabies, regiumque morbum ejus decoctum balneo expurgat. Succus ejus cum lacte aurium tinnitus doloresque finit.

Thymus valide incidit & recentia oedemata seu fotu, seu illitu ex aceto discutit, sanguinis grumos dissolvit: thymos pensilesque verrucas tollit: coxendicibus cum vino & polenta impositus medetur.

Sampsuchus tenuium partium digerentisque est facultatis: arida folia ex melle subacta sugillata eximunt: aceto excepta luxata firmant & oedemata dissolvunt: acopis & malagmatis calefaciendi resolvendique gratia permiscentur.

Rosmarinus abstergentis incidentisque facultatis particeps, ex vino tenui coctus admotusque oedemata dissipat, nervorum dolores sedat: sed & suffitu destillationes tussimque compescit.

Hypericum calefacit, tenuique substantia incidit, & crassa comminuit: lassos fotu illituque recreat, contusis attritisque nervis eximie succurrit.

Absinthium peculiariter ilibus, praecor- A diis, jecori & stomacho dolenti cum cerato tritum imponitur: epinyctidas ex aqua, & anginas cum melle & nitro sanat.

Centaurium minus veteres duritias emollit & extenuando resolvit, siccat, & valide nulla acrimonia adeo deterget, ut sinus fistulasque persanet.

Elenium lentos crassosque humores extenuat: radix & folia ex vino cocta & admota partes frigidis & diuturnis obsessas affectibus excalefaciunt atque persanant, quemadmodum & ischiadas & exiguas articulorum prae humoris copia luxationes.

Dauci radix praesertimque semen excalefacere multumque discutere foris impositum deprehenditur, & oedemata solvere. B herba his inferior & hebetior existit.

Ruta strenue incidere ac digerere lentos crassosque potest humores: quin & partium tenuitate flatus dissipat: ad veteres stomachi dolores & cruditates, ad tusses & laterum thoracisque affectus cum spirandi difficultate, ad coxendicum articulorumque cruciatus fotu & illitu benefacit: testium collectionibus inflationibusque cum lauri foliis, & exanthematis cum myrto in cerato prodest: succus instillatus aurium doloribus ac tinnitui succurrit. silvestris ad omnia praestantior.

Cuminum semine efficax, calefacit ordine tertio, siccat & nonnihil adstringit, tormina inflationesque discutit coctum & illitum ex oleo & hordei farina, testium collectionibus impositum, cum uva passa aut C lolii farina ceratove opitulatur.

Laurus calefacit, mollit & incidit: decoctum foliorum ejus vulvae & vesicae vitiis apprime convenit fotu vel insessu: folia cum polenta & pane inducta flatulentum omnem tumorem discutiunt: baccae foliis calidiores omnibus thoracis rheumatismis prosunt.

In medicamenta commode adjiciuntur quae nervorum lassitudines reficiunt, & in unguenta quae calefaciunt & discutiunt.

Adipes & medullae ex calidis ferocibusque animalibus quod calidiores tenuioresque sint, partemque facile imbuant, attenuandi facultate insignes sunt, cum praesertim vetustate acriores evaserint: ut adeps vulpinus, caninus, ursinus & leoninus: & quae ab his animalibus eruuntur medullae.

Olea quoque vetustate & annis extenuata purgataque, attenuandi vim majorem nanciscuntur.

Ex his composita in officinis. Jam *ex istorum temperatione* constat, oleum anethinum, oleum rutaceum, oleum amygdalarum amararum, oleum è scorpionibus, oleum è capparibus, oleum nardinum, tum simplex, tum compositum, oleum hypericinum, oleum laurinum, oleum vulpinum, oleum terebinthinæ: deinde unguentum Agrippæ & unguentum quod Arogon dixerunt.

Extemporanea qualia esse debeant. Itaque, ut frigidi, crassi lentique humores, qui quavis corporis particula vel in scirrhum, vel circum nervos, membranas aut articulos effusi coiërunt, facile tandem evelli, attrahi dissiparique possint, molliendi in primis, deinde vero extenuandi sunt, idque vel utraque seorsum facultate, vel ambabus pariter coufusis. Quæ id efficiant medicamenta, fotus vel epithematis, vel embrochæ, vel unguenti forma coaptentur, ut altiùs possint in corpus & in concretam materiam penetrare. Solidior enim, qualis est emplastri forma, non æque facile potest.

Et qua. Quomodo que in usum ducenda. Itaque pars affecta hoc *decoctio* primum fovenda, quod non perinde ac emolliens necesse est è recentibus herbis constitui, quandoquidem arefactæ efficaciores vel hyeme ad extenuandum deprehenduntur. ℞ radicum enulæ, iridis & ebuli, baccarum juniperi an. ℥ij. origani, calaminthæ, pulegii, thymi, anethi, samsuchi, rorismarini, centaurii minoris, foliorum lauri, an. m. j. seminis anisi, feniculi, cumini & rutæ an. ℥ß. modice coquantur ex aqua sufficienti, affuso sub finem vini albi quadrante, pars calide foveatur per spongiam, ut potentius humorem colliquet & attenuet.

Si malum jam vetustate occaluit, his initio vel præmitti, vel permisceri debent emollientia.

Mox à fotu calente adhuc & patente cute *embrocha* fiat ex attenuante quovis oleo per lanam succidam: aut pars unguento Agrippæ vel Arogo duriter affricetur ad ignem. Aut si multorum desideratur permistio, emplastrum è mucilaginibus, aut diachylon solvatur duplo triplove olei irini vel rutacei. *Epithema* hoc validius humorem quemvis frigidum attenuat & liquefacit, in parte præcipue nervosa, quum cæteris præmissis digerendi atque dissipandi tempus jam instat. ℞ aquæ vitæ ℔j. in qua tepida macera thymi, calaminthæ, pulegii, origani aridorum an. ℥ß. radicis pyrethri, zinziberis, nucis moschatæ, spicæ, caryophyllorum an. ʒiij. aqua exprimatur in usus.

Detersus dein locus rigandus imbuendusque est *oleo* terebinthinæ vel hoc stillaticio. ℞ radicis iridis & helenii baccarum juniperi an. ℥ij. hyperici, rorismarini, sampsuchi, thymi, satureiæ, absynthii, centaurii minoris an. ʒiij. dauci, seminis rutæ & cumini, baccarum lauri an. ʒij. nucis moschatæ, caryophyllorum, zinziberis an. ʒjß. croci ʒj. styracis, castorii an. ℥ß. Tritis omnibus affunde aquæ vitæ ℔j. deinde cum absorpta fuerit, terebinthinæ & olei an. ℔j. confusa omnia excipiantur stillante vaporario, primumque eliciatur aqua, deinde oleum, utrumque seorsum recondatur.

Ne pars ab unctione nuda maneat, *emplastro* tegi poterit constante paribus portionibus unguenti Arogi & emplastri è mucilaginibus; vel ex fœce stillaticii olei cum cera subacta.

CAPUT VIII.

Absorbentia medicamenta.

EMollitus, attenuatus & alia quavis ratione apparatus jam humor, tum demum vel *absorbendus* vel attrahendus, forasque per patefactam cutem evocandus est, dum tumor omnis subsideat, & affectus symptomata mitescant. Absorbent quidem valide exiccantia, quibus tanta attenuandi siccandique vis inest, ut quemcunque attigerint humorem præter naturam citra dissolutionem absumant. Hæc liquida forma aptari par est, si altius subire convenit. Conferunt autem œdematosis, aquosis, flatulentisque tumoribus, nonnunquam & scirrhosis, & præduris, sed inclinan-

nantibus, & quibus exquiſita emolliendo attenuandoque præparatio eſt adhibita.

Acetum tenui ſubſtantia apprime digerit & vehementer ſiccat, fotu calido œdemata, ſugillata, podagricoſque dolores tollit, & ulcera, quæ ſerpunt: ferventis vapor aquam intercutem abſumit, & aurium tinnitus.

Sal humores ſupervacuos tenuat & abſorbet, & quicquid in corporibus præter naturam humidum eſt, id totum abſumit, reliquam ſolidiorem ſubſtantiam cogit, contrahit, & impenſe exiccat & à putredine vindicat, gingivas humidiores aut putreſcentes perſanat: ex oleo illitus œdemata & hydropicorum tumores minuit, luxatos & podagricos juvat: pruritus, lichenas, lepras pſoraſque & ulcera ſerpentia fotu compeſcit.

Muria & aqua marina ſalis effectus exhibent: iſchiadicis, podagricis & œdemate vexatis fotu conveniunt.

Nitrum ſalis vires æquat, niſi quod parcius contrahit: miſcetur emplaſtris quæ extenuant, ſiccant & abſumunt, & quæ lepras abſtergunt.

Cinis omnis uſtione igneas partes conquirit: *ficulneus* valide extenuat & abſumit, acrimoniæ urentiſque facultatis plurimum ſortitus. Huic proximus eſt *ſarmentitius*, & qui ex ilice aut braſſica ſumitur. Omnes cum axungia vel oleo illiti œdemata diſcutiunt, articulorum doloribus, nervorum nodis & contuſionibus mire proſunt.

Lixivium pro cineris qui eluitur natura vires habet. Omne quidem vehementer abſtergit, exiccat & abſumit, flatulentos œdematioſoſque tumores diſcutit, & eadem quæ cinis fotu præſtat: ſed omnium maxime quod ex cinere *ficus* & *tythimalorum* fit, adeo ut ob ſubſtantiæ tenuitate nullo ſenſu doloris exurat.

Alumen valide adſtringit, ſiccat & abſumit: excreſcentem carnem, putreſcentia ulcera, gingivas humore prægnantes, oris ulcera, oculorum epiphoras, aurium fluxiones, pruritus atque lepras ſiccat ac coërcet.

Calx cineris ſpecies, ſed tenuioris ſubſtantiæ quam qui è lignis fit, vehementer adeo urit ut cruſtas ſuſcitet. Elota vero citra morſum potenter exiccat, validiuſque abſumit ac digerit ſi marina aqua lavetur. Lixivium quod ejus lotione vim & acrimoniam conquiſivit, omniũ ſumme exiccat & abſorbet.

Compoſita in id uſurpantur oleum caſtorii, oleum euphorbii, oleum philoſophorum & petroleum.

Si igitur mollis laxuſque tumor doloris ac ruboris expers in parte quapiam, ut in genu aut in ſcroto collectus eſt aut late diffuſus, ut in tibiis & pedibus eorum qui cachexia, hydrope, aut inclinante podagra laborant: pituitoſus ſeroſuſque humor aut etiam flatus concluſus primum abſorbendus eſt fotu è lixivio ſarmentorum vitis, aut ilicis, aut ficus, aut braſſicæ, per ſpongiam novam, quæ aliquandiu ſinenda, arctiuſque vincienda eſt. Nonnunquam origanum, calamintha, thymus, & alia quædam ex incidentium & attrahentium genere utiliter incoquuntur in lixivio. Si vehementior deſideratur exiccatio, lixivium uſurpetur ab extincta elotaque calce. Sublata ſpongia ſiccataque cute, *embrocha* fiat ex oleo caſtorei, euphorbii, aut è lateribus: aut ex alio, quod habeat ſalis marini, vel nitri ℥ß. aluminis, ſulphuris an. ʒij. ſolvantur aqua vitæ ad ſordium craſſitiem: deinde adde olei nucum, vel rutæ, vel terebinthinæ ℥iiij. agitentur, & modice calefiant, dum permiſta omnia unguenti temperaturam habeant.

At vero quum ſcirrhoſus tumor eſt, iſque jam quadamtenus emollitus, quicquid in eo præparatum eſt humoris, exiccandum non modo præſcripto fotu, ſed & aceti acerrimi & aquæ vitæ vapore. In hæc duo permiſta lapis molaris candens immergitur, tumorque ſcirrhoſus ita exponitur, ut calentem vaporem undique excipiat. Mox deinde oleo vel unguento ſiccante perfunditur duriuſque premitur & quaſi ſubigitur. Hac abſorpta portione quod reliquum eſt rurſum emollitione præparandum, rurſuſque ſiccandum: atque ſic alternanda remedia dum humore omni abſorpto tumor totus ſubſideat.

Utrique demum tumori, tum ſcirrhoſo, tum œdematoſo continuo ab unctione emplaſtrum aliquod digerens, attrahens atque reſolvens ex iis quæ mox dicentur inducendum. Aut hoc etiam emplaſtrum vehementer ſiccans imponendnm, quod è vomica ſaniē per cutis ſpiracula manifeſte exugit.

exugit. ℞. olei veteris ℥vij. ceræ albæ ℥v. liquefactis adde terebinthinæ ʒiiij. permiſtis refrigeratiſque inſperge ſalis petræ, nitri, cineris ficulnei an. ℥j. fiant magdaliæ.

CAPUT IX.

Attrahentia.

Attrahentia qualia ſint?

ATtrahens medicamentum Græcis ἑλκτικὸν & ἐπισπαστικὸν repellenti adverſum, foris impoſitum humores, tum ſeroſos, tum craſſiuſculos, ſpirituſque ex alto corpore in ſumma transfert. Id autem *calore* præſertim efficit, cui præcipua attrahendi vis eſt. Cui tamen ſi præterea tenuis ſubſtantia, atque ſiccitas accedat, multo efficacius evadet.

Eorum ſunt tres ordines.

Quod ordine ſecundo completo calidum eſt ac tenue, *attrahit* id quidem.

Quod vero jam tertio receſſu conſiſtit, non attrahit modo, verum etiam quod attractum eſt diſſipat, eſtque metaſyncriticum, id eſt, evocans ex alto & *reſolvens.*

Quod denique hæc tum tenuitate ſuperat, reſolvendo vel puſtulas, vel veſicas excitat, diciturque vel rubrificans, vel *phœnigmus.*

Unde ſingulis trahenda vis?

Attrahendi porro *facultatem alia* inſitam ſibi obtinent, ut dictamnus, propolis, ſagapenum, thapſia: *alia* à putredine, ut fermentum, fimus columbinus, anſerinus, & quicunque à calidiore animante decidit: *alia* totius ſubſtantiæ ſimilitudine, ut ſcorpius vulneri ſuo impoſitus deleterium venenum, quod ejaculatus eſt, extrahit & evocat.

Quæ ſint attrahentia inſita vi?

Anagallis cui flos purpureus, attrahendi adeo inſita facultate valet, ut adactos corpori aculeos evellat: ſuccus gargarizatu & naribus infuſus capitis pituitam eadem vi purgat.

Anemone utraque acris. commanducata radix, aut ſuccus naribus infuſus pituitam trahit, folia & caules menſtrua cient vellere appoſita, illita quoque lepras eximunt.

Calamintha admodum tenui eſt eſſentia, qua humores ex alto evocat, atque transmutat, confertque iſchiadicis. ſtrenue digerit, humores incidit & extenuat valenter craſſos, quales ſunt qui elephantiaſim procreant, ex vino cocta ſugillata tollit, nigraſque delet cicatrices.

Narciſſi radix diuturnis articulorum doloribus, trita ex melle & impoſita ſubvenit: infixa corpori extrahit, illita cum lolii farina & melle.

Struthion ſeu ſaponaria, cum polenta & aceto illita lepras tollit, tubercula diſcutit cum farina hordeacea & vino decocta: ſternutamenta movet, trita cum melle & naribus infuſa ex ore pituitam ducit.

Ariſtolochia utraque ſurculos & ſpicula extrahit, ſquamas oſſium illita educit: in peſſo ſubdita menſes, ſecundas & fœtus omnes educit.

Hiberis, naſturtium agreſte Latinis, ordine quarto calida: radix ejus apprime utilis ad coxendicis dolores, cum ſuillo adipe ſalſo emplaſtri modo horis quatuor inſidens. hoc modo rheumatiſmos omnes ſanat occultos: exiccandi ſcilicet & ex alto evocandi trahendique facultatem obtinens.

Lepidion vulgo pigeritis calefacit etiam ordine quarto; iſchiadicis præſenti remedio illinitur tritum cum radice enulæ & horæ quadrante impoſitum: lepras idem quoque eximit.

Thlaſpi ſemen calefacit & exiccat ordine quarto: bilem & pituitam per ſuperna & inferna purgat: menſes ciet & fœtus enecat, prodeſt iſchiadicis per ſedem infuſum.

Cardami, ſeu naſturtii ſativi ſemen adurentis eſt facultatis perinde ac ſinapi. Coxendicis dolores excalefacit illitum cum polenta & aceto: œdemata & panos diſcutit cum pice, extrahitque infixos corpori aculeos, lienem illitum cum melle extenuat, & favos expurgat, lepras & impetigines abſtergit, furunculos & carbunculos rumpit, & ad ſuppurationem deducit. herba eadem, ſed multo imbecillius præſtat.

Sinapi calefacit ſiccatque ordine quarto, extenuandi & extrahendi vim habet: lethargicis deraſo capiti illinitur ficubus admiſtum & impoſitum donec rubeſcat locus: ad coxendicum cruciatus, lienes, & omnis generis diuturnos dolores confert, quo-

quoties permutandæ affectionis causa ex alto in cutis summa aliquid trahere animus est. Alopeciis illitum medetur: sugillata cum melle aut adipe aut cerato delet: extrahentibus emplastris scabiemque exterentibus utiliter admiscetur: ex aceto contra lepras & feras impetigines perungitur: gravitati aurium & sonitui, tritum cum ficu & impositum prodest.

Vrtica, tum folia, tum semen articularibus morbis & podagricis, cum oleo vetere, aut cum ursino adipe, imponuntur, & lienosis cum cerato: tubercula & parotidas sanant, adeo scilicet digerente facultate valent.

Hermodactylus calidus siccus ordine secundo: podagræ omnique arthriditi confert cataplasmate admotus, cum vitellis ovorum & farina hordei vel mica panis.

Pyrethrum calidum siccum ordine tertio. Radix pituitam elicit, sudores ciet inuncta ex oleo, diuturnis rigoribus efficax: contra refrigeratas resolutasque partes corporis eximie conducit: stupidis partibus illita sensum restituit.

Dracontii radix acris & amara tenuiumque partium, calefaciendi vim obtinet, crassa & lenta extenuat, ad vitiligines cum melle efficaciter illinitur. polypos & carcinomata absumit & eliquat, maximeque succus qui & radice & foliis est valentior.

Cyclamini, ejus quæ Arabum est arthanita, radix tertio ordine calida & sicca, aperit, incidit, attrahit & discutit. Succus medicamentis tubercula, strumas, aliasque durities discutientibus commiscetur: ac bile suffusis cum melle illitus competit. Decocto radicis luxata, podagra & capitis ulcuscula, pernionesque utiliter foventur. Cavata radix oleo impletur & cineri ferventi imponitur, adjecto interdum ceræ modico: & unguentum comparatur inprimis utile pernionibus & tumoribus omnibus frigidis ac crudis: ipsos enim aut maturat, aut resolvit: officula etiam extrahit.

Cyclaminus altera, quæ officinis beatæ Mariæ sigillum nuncupatur, illita cruda (nam coctæ vis perit) sugillata non sine morsu tollit, tunsa exceptaque pari axungiæ veteris modo strumas, prædurosque tumores omnes emollit, & integra cute dissolvit.

Tithymali omnes strenue calefaciunt, resolvunt, siccantque & detergent, myrmecias, acrochordonas, pterygia & thymos auferunt, detergunt quoque lichenas & psoras.

Elleborus eruptionibus pituitæ medetur cum axungia illitus, & suppurationi veteri: alphos, impetigines, scabies leprasque eximit.

Thapsia, tam radix quam succus, omnium maxime quæ pares cum eis vires adepta sunt, vim habent atttrahendi, ubi ex imo aliquid evocandum est. Succus illitu aut radix recens affrictu alopecias explent. Radix succusque cum æquis ceræ thurisque portionibus sugillata livoresque tollunt, cum melle lepras cutisque vitia emendant: cum sulphure tubercula discutiunt: sed non diutius, quam horis duabus dimittantur, ne inflammatio invadat: locus deinde aqua maris calida fovendus.

Anacardi ordine quarto calidi ac sicci, serpiginem, impetiginem & morphæam illitu tollunt, sed non multo post locus aqua abluendus.

E *resinis* autem uva *strobilina* omnium calidissima & celerrime siccans, ut terebinthina mordacitatis expers. Illa è profundo validius quam cæteræ resinæ trahit.

Pix nigra mollis & pinguis, vulvæ durities & sedis tubercula discutit, laterum, articulorum partiumque omnium dolores aut sola, aut cum sulphure inducta dissipat: carbunculos & strumas disrumpit cum melle subacta, estque digerentium medicamentorum communis materia.

Castoreum valde tenuium est partium, calefacit siccatque. coquit ac discutit tumores contumaces & scirrhosos. illitum prodest tremulis, convulsionibus & omnibus nervorum vitiis.

Euphorbium coxarum doloribus, paralysi, tremori, convulsioni, omnibus frigidis affectibus mire prodest: squamas ossium eadem die eximit. pituitam per nares largiter evocat, & sternutamenta ciet.

Sulfur calefacit, trahit è profundo, discutit, terget: saliva, vel lotio, vel vetere oleo, vel melle subactum ictibus venenatis prodest: psoras, lichenas, lepras cum terebinthina tergendo & dissipando persanat.

Ex eorum porro genere *quæ putredinis vi trahunt*, mitissimum est *fermentum*, quod tenuium *Quæ à putredine attrahentia.*

nuium est partium, mediocriter calidum: proinde citra molestiam quæ in profundo sunt extrahit & digerit: particeps est aciditatis & caloris ex putredine.

Fimi omnes attrahendi facultate pollent, at non parvo discrimine.

Columbinus admodum calefacit, attrahit & rubrificat, cum hordeacea farina & aceto mixtus strumas discutit. arefactus tritusque cum nasturtii semine, inveteratos coxendicis, lateris, cervicis & lumborum dolores, podagras & arthritides omnes extirpat.

Anserinus aliquanto calidior, iisdem viribus sed efficacioribus præditus est, ac vix præ acrimonia ullius est usus.

Gallinaceus vero eadem, sed inefficacius potest. nam multo quoque minus calet, si præsertim à conclusis gallinis sumitur.

Stercus caprillum digerentis & acris facultatis adeo, ut induratis & scirrhosis tumoribus congruat, non lienis modo sed aliarum quoque partium, idque fabacea farina & oxycrato permistum. Confert & ad aquam intercutem emplastri specie. Ustum tenuioris essentiæ non tamen manifeste acrius redditur. Miscetur digerentibus cataplasmatis quæ ad parotidas & bubonas diuturniores accommodantur.

Ex his composita in officinis. Inter *composita* autem quæ valide trahant ac digerant habentur oleum ricinum, oleum balaninum, oleum sinapinum, quæ pressu perinde ac amygdalinum elici possunt. Emplastrum è meliloto, emplastrum è baccis lauri, emplastrum oxycroceum.

Extemporanea quomodo in usum ducenda. Sed his multo præstantiora sunt quæ ex commemoratis simplicibus possunt *in rem præsentem* parari.

Quum igitur scirrhi duriorisve tumoris attenuatus præparatusque humor minime potuit exiccantium medicamentorum vi totus absorberi, evellendus resolvendusque est attrahentium medicamentorum vi, quæ in imo conditos demersosque humores in cutem summam transferunt. Eadem porro si diutius parti insident, attractos tandem aut manifeste aut sine sensu dissipant. Convenienter ea in solidam *pulveris emplastrive* formam aptantur, quæ ipsa non intro se infert, sed advocat ad sese subditum humorem aut spiritum. Extemporalia igitur his formis describentur. ℞ picis aridæ, ceræ novæ, axungiæ suillæ, saponis nigri an. ℔ß. liquefiant coganturque in emplastrum. Aut sic: ℞. picis siccæ, ceræ novæ an. ℔ß. axungiæ suillæ ℥vj. sulphuris ignem non experti ℥iij. liquentur in emplastri crassitiem. Aut sic: sulphuris, radicis pyrethri, hermodactyli an. ℥jß. additur & nonnunquam salis nitri vel salis petræ, vel salis marini torrefacti ℥j. Hoc etiam vehementer trahit & discutit: ℞ olei veteris ℔j. lithargyri, picis siccæ an. ℔ß. ladani, ammoniaci, galbani, aceto forti solutorum, an. ℥iij. æruginis tritæ ℥jß. fiat emplastrum.

Imponuntur & *cataplasmatum* formulæ quibus discutiendi vis summa est. ℞. pulpæ ficuum ex aceto aut ex aqua vitæ coctarum, fermenti veteris an. ℔ß. radicum ireos, cucumeris agrestis & bryoniæ recentium & crudarum an. ℥ij. seminis urticæ & nasturtii an. ℥ß. Trita omnia contundantur in cataplasma. Addi quoque potest fimi caprini aut columbini sescuncia. Hi fimi arefacti tritique & cerato aut pice excepti, valide etiam trahunt: at validius si ex carycis aut melle in cataplasmatis formam aptentur, validissime si vel anacardino melle vel sapone nigro coquantur.

Sinapismus quoque vehementer discutit, sed vehementiori dolore & papularum ardore. ℞ pulpæ carycarum coctarum in aqua & aceto, seminis sinapis ex aceti triti an. pares portiones. Aut pulpæ carycarum, sementi an. partem unam, sinapis partes duas. Tenellis corporibus sinapi minuendum, augendum vero durioribus, atque robustis. detracta etiam sinapis portione nonnunquam tandundem utiliter addetur seminis thlaspi, vel nasturtii contusi. Hisce autem omnibus multo validius trahit cataplasma quod habet Radicis thapsiæ tritæ ℥j. axungiæ suillæ ℥iij. Hoc tamen non modo albicantes papulas excitat, sed & partem universam in tumorem attollit non levi sensu ardoris. Quod vero sequitur, non attrahit solum, sed & attractum validissime dissipat leniori quodam pruritu aut ardore. ℞ radicis cyclamini crudæ & contusæ ℥j. axungiæ ℥ij. Prior quidem cyclaminus erit efficax, sed multo præstantior est altera quæ Dioscoridi est posterior, & officinis beatæ Mariæ sigillum appellatur. *Sinapismus quomodo fiat?*

CAP.

De helleborismo.

CAPUT X.

Phœnigmus, ejusque usus.

Phœnigmus quem usum habeat? HUmores parti cuivis insidentes, qui A neque mollientibus, neque attenuantibus, neque attrahentibus resolvi discutive potuerunt, *phœnigmis* liquati trahuntur, ac defluunt. Eorum ope hydropicorum aqua & serosus humor undevis educitur; capitis, coxendicum omniumque articulorum pervicax dolor eximitur.

Quomodo componatur? *Compositum* nihil quod vesicas excitet asservari solet: prompte tamen sic aliquod apparatur. *Saponis* nigri & *salis* vulgaris triti pares portiones confundito dum concorporentur & emplastri forma fiat: impositum B vesicas excitat, aquamque ducit nullo sensu doloris.

Titymalus omnis acer quidem est, & hoc quoque acrior est *ranunculus*. Uterque tusus & impositus humores ex alto non sine dolore prolicit in vesicam.

Phœnigmus *cantharidibus* omnium promptissime nec admodum vehementi ardore serosos humores largiter evocat. Cantharides in exquisitum lævorem tritæ parti imponuntur jam frictione rubenti & excalefactæ. At mitius unguentum fuerit quod in portione una tritarum cantharidum, axungiæ vel cerati liquidi quadruplum contineat. Tutius quoque & moderatius fuerit cataplasma quod habet cantharidum tritarum partem unam, seminis sinapis contusi partes tres, pulpæ ficuum aut fermenti acris partes sex. Cuicunque autem parti è cantharide phœnigmus insederit, urinæ ardorem dysuriamque ciet. Rupta aut aperta pustula mox sensim emanat, inductoque pingui, aut leniente unguento, non ante finitur exulceratio siccari quam omnis humor ex affecta parte sit exhaustus.

Hactenus quidem remedia protuli, quæ externis affectibus citra exulcerationem medentur: ut tumoribus collectionibusque frigidis, ex hisque progenitis doloribus.

Nunc quæ remedia affectibus opitulentur externis in quibus aperta exulceratave cutis est, ut abscessibus, vulneribus, ulceribusque variis, dicendum.

CAPUT XI.

Maturantia.

Concoctio duplex. MAturatio ἡ πέπανσις à cibi concoctione diversa, est vitiati corruptique humoris in convenientiorem naturæ statum deductio. A

Est autem ea, *duplex suppuratio* ἡ ἐκπύησις, & *concoctio* quædam seu mitigatio ὁ πεπασμός.

Suppuratio. *Suppuratio* est corrupti putridique sanguinis in pus exquisitum commutatio: ex hoc enim solo pus efficitur sincerum.

Mitificatio. *Pepasmus* vero seu mitificatio, est putridæ bilis, tum flavæ, tum atræ atque etiam pituitæ, non in pus quidem, sed tamen repressa putredine in benigniorem & minus naturæ molestam substantiam conversio.

Quibus sua respondent medicamenta. Quod pus movet medicamentum, ἐκπυητικὸν dixerunt: quod concoquit, πεπαστικὸν, seu mitigatorium, cui ex adverso est σηπτικόν.

Quibus ea viribus prædita? Utraque maturatio proprium est naturæ & *nostri caloris opus*, nec ullum medicamentum per se maturat. Utrumque tamen, tum suppuratorium, tum mitigatorium, duplex existit. *Vnum proprie*, quod insiti nostri caloris vim atque substantiam tuetur,

tur, vel etiam auget: temperate id quidem calidum & partis cui foris adhærescit temperaturæ non admodum dissimile. Id quoque in eum humorem qui computruit calorem inducit insito nobis simillimum, cujus etiam beneficio corruptus is humor in benignius quippiam mutatur. *Alterum genus* ex accidenti maturat: idque moderate calidum & humidum est, vereque emplasticam materiam sortitum. hoc dum cutis spiracula infarcit & obstruit, spiritum caloremque nativum partis cohibet, nec dissipari sinit: qui dein intro remeans augescit, & vel pus conficit, vel corruptum humorem mitificat ac concoquit.

Quæ ea sint? De iis igitur quo *phlegmonarum pus* movent primis tradendum.

Aqua tepida fotus per sesemper calefacit & humectat, mollit & concoquit, interdum tamen ex accidenti humores quoque digerit ac dissipat.

Hydrelæum modice calidum parti affusum maturat & concoquit, idque evidentius quam aqua tepida.

Oleum maturum salis expers, calefacit moderate, humectat & emollit, præsertim quod nec frigidum summe, nec calidum, sed tepidum adhibeatur: concoquit quoque & pus movet, aucto nativo calore, dum cohibet occluditque quicquid è nobis foras effluere est natum.

Butyrum, per se concoquit & pus movet, tum medicamentis quæ id præstant commode miscetur, maxime in puerorum molliorumque corporum phlegmonis exiguis.

Oesypus non dissimilem butyro concoquendi & pus movendi vim obtinet.

Adeps omnis præcipueque domesticorum animalium mollit, concoquit & pus movet: nam præterquam quod suo lentore perinde atque oleum offarcit cutis spiracula, cohibetque quicquid è nobis effluere aptum est, calorem etiam obtinet nostro finitimum. In eorum quos usurpamus censu imbecillior est *suillus*, ab hoc *vitulinus*, hunc *gallinaceus* sequitur, *anserinus* omnium efficacissimus, ut non modo movendi puris, sed etiam digerendi facultate jam polleat.

Medulla cervina & *vitulina*, ut scirrhos emolliunt, ita etiam concoquunt, & pus movent eadem qua adeps ratione.

Farina tritici perpurgata furfure, ex oleo aut ex hydrelæo coacta cataplasmatis forma cutis spiracula offarcit, & calorem nativum intus continet, adaugetque, qui demum humorem supervacuum maturat, concoquit, & in pus album, læve & æquale convertit. Idemque prꝺstat & *tritici pollen*.

Panis triticeus recens & adhuc calens admotus eadem efficit: aut si tempore exaruit, hydreleo, aut oleo pingui ac dulci, aut butyro mollitus, & in cataplasma redactus.

Caryca pingues ex aqua aut ex hydrelæo coctæ & illitæ, aut forma cataplasmatis ex oleo aut butyro, & farina triticea admotæ, pus movent, panos, aliosque tumores ad maturitatem perducunt.

Tussilaginis & *oxalidis* folia sub cineribus cocta & ex adipe tunsa, phlegmonas aliosque abscessus celeriter maturant.

Radix althææ laxat, mitigat, & difficilia tubercula concoquit. Cocta in aqua mulsa, fotu ad parotidas, strumas, aliosque tumores maturandos efficax. Cataplasmatis specie ex adipe suillo vel anserino, aut etiam oleo cocta, adjecta farina triticea, aut panis medulla, potentius concoquit & maturat.

Liliorum radix cocta dum plane contabescat, mollit atque maturat, præsertim assa, & ut althææ radix adipe excepta cataplasmatis specie.

Cepa licet cruda acris sit & mordax, coctura tamen dissipata acrimonia, emollit, pus movet, in his præsertim tumoribus qui ægre suppurant.

Pix mollis & liquida, lentoris multi particeps, per se emolliendi, puris movendi & concoquendi facultate pollet: arida, rosaceo, in affectu calido, aut oleo convenienti dissolvitur in eosdem usus: dura enim mollit, pus movet, tubercula, panosque discutit. ex pice molli, cera & oleo compingitur ceratum puri generando perutile.

Resina terebinthina, aut etiam *lentiscina*, dura mollit, & concoquit cruda. Elotæ omnes acrimoniam deponunt, & adjecta cera & butyro, vel ovi vitello, vel oleo quopiam accommodato, puris movendi facultatem adipiscuntur.

Thus molle, album & pingue, moderate calidum, mediis ac temperatis naturis consentiens, insignem puris movendi facultatem

tem obtinet, utpote nulla ficcandi aut adstringendi vi præditum.

Ladanum ad primi exceffus finem calidum, emollit & moderate concoquit.

Styrax liquida, feu rubra, calefacit quoque, emollit & concoquit.

In hoc quoque cenfu habentur *bdellium* & *ammoniacum*: & quæcunque moderato quodam calore emolliunt, eadem quoque movent.

Ex his compofita in officinis. Jam vero *unguenta ab his extant* maturantia, bafilicum minus, bafilicum majus, unguentum de althæa, unguentum Agrippæ, & quod refumptivum appellant: *emplaftrum* quoque diachylon compofitum, & emplaftrum è mucilaginibus.

Extemporanea quomodo in ufum ducenda? Itaque fi qua collectio, aut tumor præter naturam, partem obfedit, ifque calidus cum rubore, calore & dolore lancinante, cujus materia non diffolvenda, fed in pus vertenda videatur, ut in plegmone, furunculo & carbunculo: fluxione cohibita, repreffoque ardore atque dolore, maturatio atque fuppuratio juvabitur quidem *fotu* ex hydre- A læo tepido, aut ex eorum decocto, quibus emolliendi pariterque maturandi facultas ineft: quibus pariter & dolor leniri & calor obtundi poffit. Protinus à fotu conferet *illitus* facultatis ejufdem: moxque *cataplafma* pultis fpecie ex mucilagine althææ, lini & fœnigræci defumpta ex decocto caricarum, in quo farina tritici foluta coctaque fit, adjecto oleo & ovi vitello.

Si minus calida eft phlegmone & ægre fuppurat, ut idcirco maturantia *validiora* poftulet, cataplafma fiat ex radice althææ, liliorum & ceparum cum oxalide, malva, B acantho, chamæmelo & meliloto exquifite coctis atque cretis: quibus deinde farina frumenti, lini & fœnigræci adjecta fit cum butyro & axungia gallinæ vel anferis.

His *rurfum validius* eft unguentum bafilicum utrumque, & emplaftrum diachylon compofitum, & emplaftrum è mucilaginibus, quorum utrumque olei liliacei vel irini permiftione emolliendum eft, quo altius fubire poffit, virefque fuas exercere.

CAPUT XII.

Detergentia & expurgantia abfceffus & ulcera.

Abftergentia qualia fint? QUæ extrinfecus inducta abfceffus & ulcera mundant, fordefque expurgant, emplafticis contraria, non aliam naturam fortita funt quam quæ intro affumpta diximus lentos atque glutinofos ductuum humores detergere & expurgare. Ea Græcis idcirco ῥυπτικὰ & καθαρτικὰ nuncupantur.

Eorum quatuor funt ordines. *Ordine* autem & viribus plutimum diftant: *leniora* enim apertarum phlegmonarum pus eluunt & evocant, his *valentiora* funt quæ craffiorem ulcerum fordem detergunt, *valentiffima*, quæ malignorum ulcerum corruptam carnem exedunt, atque etiam fiftularum callos blande exterunt, quæ fane funt cathæreticis proxima.

Leniora. Sic autem digerenda funt.

Cichorii, endiviæ, omniumque intuborum fuccus licet frigidus, quia tamen amarus, tuto detergit, & ulcera non minus quam vifcera purgat.

Rofarum præfertim rubrarum fuccus, cum adftrictione leni, deterfionis tamen, A ut & amaroris particeps eft, hinc melli rofato & ex aridis rofis fyrupo detergendi facultas infignis.

Plantaginis folia vel integra ulceribus inducta fordem luculenter extergunt: fuccus ulcerum malignitatem emendat, expurgataque ad cicatricem perducit.

Sedi, feu fempervivi majoris fuccus licet refrigeret ac leviter adftringat, omnia tamen quæ de plantagine protuli potentius efficit.

B Hæc igitur tuta admodum & utilia funt cum nondum tota ruptæ phlegmones reftincta eft inflammatio: aut ulcus ardore atque dolore diftorquet.

Agrimonii & *betonicæ* fuccus aliquantulum calidus detergit, omniaque vulnera & ulcera, capitis præfertim, fanat, nec quicquam putrefcere, aut in fiftulam coalefcere finit. *Valentia.*

Apii fuccum ad extergendum non minus efficacem juniores experti funt, quem idcirco paffim in id ufurpant.

Fabacea farina leviter abstergit, ut idcirco A cutis sordes, maculas è sole contractas & lentes in summa cute exterat.

Hordei farina modice quoque abstergit & paulo plus quam fabacea siccat.

Cicerum farina incidit & exterget, scabies, impetigines, maligna etiam ulcera cum melle purgat.

Orobi farina cutis aspredinem, pruritum, lentigines in facie atque etiam maculas & ulcera cum melle detergit: nomas gangrænasque cohibet.

Lupinorum farina exterget valide, alphos, livores, achoras, exanthemata, scabies, gangrænas ulceraque maligna partim extergendo, partim digerendo siccandoque citra acrimoniam juvat.

Fœnigræci farina furfures, achoras, lepras B & lentigines emendat, & ex vino autm elle subacta carcinomata purgat.

Seminis lini farina varos, favos, ungues scabros cum nitro & melle eximit: ex vino cocta herpetas & serpentia ulcera cohibet.

Mel calidum siccumque ordine secundo, aperit, putredini obsistit, siccat, deterget expurgatque meatus & ulcera, nec ut sal corporum substantiam coarctat: crudum cocto & despumato detergentius quidem multo est & mordacius, sed eo minus agglutinat.

Saccharum mellis species cum sit, siccat quoque & abstergit, sed quod rubrum est, potentius, utpote calidius & acrius.

Terebinthina licet substantia tenuis, quia tamen subamara, blande abstergit, & tum sumpta, tum admota sordes expurgat. C

Aloë vehementer amara, moderate tamen terget, ut ne puris quidem & aperistatis ulceribus sit molesta: peculiariter serpentia ulcera cohibet, putridis genitalibus medetur, & oculorum medicamentis permiscetur.

Thus extergit quoque, sed quam aloë ignavius.

Myrrha vero quod cum amaritudine summa tenuis sit substantiæ, potentius quam aloë extergit: proprie autem impetigines ex aceto purgat, albugines tollit, caliginem d scutit, scabritiem lævigat.

Valentiora. Quæ porro sequuntur, *valentiore detergendi facultate* prædita malignis pervicacibusque ulceribus accommodantur.

Marrubium siccat detergitque valide adeo, ut folia ex melle illita sordidis medeantur ulceribus, nomasque cohibeant: quod efficacius expressus succus ex melle confert & illitus oculis vivendi vim exacuit.

Melissophylli succus & *marrubii* maligna etiam ulcera, proprie vero thoracis & pulmonum sanat, & cum melle oculorum caligines delet.

Absinthii succus calefacit & valide deterget, & expurgat, sordemque ulcerum eluit, ac in fistulam abire prohibet, & à putredine vindicat: eadem decocti jus, sed inefficacius præstat.

Anagallidis utriusque succus siccando & extergendo putrida juuat ulcera, & cum melle oculorum caliginem discutit.

Scordium vetera ulcera purgat, siccat & cicatrice obducit.

Hipericum arefactum atque tritum inspersumque humida atque putrida ulcera persanat.

Vrticæ semen sordida ulcera quæ citra acrimoniam detergi exiccarique postulant convenienter sanat: carcinomata & serpentia ulcera addito sale sistit.

Cyperi radix siccat & sine morsu abstergit, arida tritaque ulcera omnia præhumida, qualia sunt oris, genitalium, atque sedis, etiam si depascant, compescit.

Aristolochiæ utriusque radix strenue abstergit, sed rotundæ potentius: putredines sanat & exest: ulcerum sordes expurgat, vermesque necat & extrahit.

His vero quæ sequuntur ad exedendam putredinem & fistularum callos exterendos *vis major inesse* comprobatur. *Valentissima.*

Centaurii & *chelidonii* succus exiccat detergetque valide adeo, ut vetera malignaque ulcera, sinus quoque & fistulas expurget, detergat, tandemque persanet.

Iridis radix calefacit, exiccat, abstergit, arida tritaque cum melle, ulcera capitis præcipue expurgat: ejus vero succus infusus fistulas & sinus detergit & carne explet.

Sabina calida siccaque ordine tertio, vehementer abstergit, cum sensu quodam acrimomiæ & exesionis: ulcera quæ atra cernuntur & admodum sordida cum melle expurgat, putrida exedit, sinuum fistula-

rum-

rumque callos exterit, si modo vis ejus citra noxam perferri potest.

Gentianæ radix impense amara, expurgat abstergitque, alphos delet, vulneribus sinuatim depascentibus medetur.

Asphodelus radice efficax, calida sicca extergente & discutiente: ulcera sordida purgat, fistulosa sanat, depascentia sistit.

Ari radix calida sicca & detergendi facultate insignis. ulcera omnium generum, sive phagedænæ sunt, sive carcinomata, sive serpentia, sive fistulosa, commodissime expurgat.

Dracontii radix, ut acrior & amarior, ita efficacius maligna & phagedænica ulcera, trita cum melle expurgat, fistulasque & sinus exterget.

Cucumeris agrestis radix arida tritaque, ut alphos, lepras impetigines, cicatrices nigras, & in facie maculas abstergit, ita & veteres sinus fistulasque expurgat.

* *Elleborus* potenter exterget, ad alphos quoq; impetigines & lepras accõmodatus: si in fistulam callo obduratam immittatur, duobus tribusve diebus callum detrahet.

Misy, sory, chalcitis & chalcanthum, usta lotaque maligna ulcera fistulasque valenter detergent: cruda vero aut non lota vim habent exedentem & cathæreticam. Pro iis, quod nobis desint, substituitur *vitreolum ustum* atque *elotum*.

Ærugo, elota putridis quoque ulceribus & sinubus expurgandis aptissima.

Spuma nitri, nitrum & aphronitrum quanquam uehementer tergent, non tamen ulceribus, sed lepris, alphis impetiginibus aliisque cutis vitiis expurgandis cum aqua calida aut vino infunduntur. Pro his quod desint *sal petræ* expurgatus substituitur.

Alumen crudum & ex eo comparata aqua, nomis, phagedænis, chironiis, malignis, putridis & pascentibus ulceribus conveniunt, non tam detergendo, quam cohibendo ne longius serpant.

Ex his composita lenia. Ex *his* igitur quæ *primi* sunt *ordinis compositiones* fiunt expurgandis phlegmonis recens apertis, ut quæ habet mellis rosati ℥j. vitellum ovi unius, farinæ, hordei quod satis est, ut in unguenti speciem concorporentur: adduntur interdum terebinthinæ lotæ ʒij. si melior optatur detersio. Valentius autem est quod recipit succi apii ℥viij. succi agrimonii ℥iiij. succi plantaginis ℥ij. mellis rosati ℥x. coquantur aliquantum, deinde adjice farinæ hordei, lupinorum & fœnigræci an. ℥j. percoquantur in unguentum, permiscendo sub finem terebinthinæ ℥ß. Si crassius aut tenacius pus fuerit, detersio major fiet hac formula. ℞. resinæ, mellis terebinthinæ an. ℔ß. myrrhæ, sarcocollæ, farinæ lupini & fœnigræci, radicis iridis an. ℥ß. fiat unguentum. Huc pertinet unguentum aureum, cui vis quoque detergendi par quodammodo inest, & emplastrum de janua, & emplastrum gratia Dei nuucupatum, quæ aut solida, aut oleo tenui diluta induci possunt, ad capitis in primis aliarumque partium nervosarum ulcera. Huc quoque referri poterunt quæ tertii ordinis sunt vehemẽter detergentia, cujusmodi ex ærugine cæterisque acrioribus metallicis constant, si lenioribus solvantur & temperentur, veluti emplastri divini drachma una si tribus recentis vitelli dissolvatur, aut si unguenti ægyptiaci, aut apostolici drachma cum duabus tribusve tetrapharmaci aut cerati alterius subacta unitaque sit, ulceribus blande extergendis optimum comparabitur remedium. Sic & præcipitati pulvisculus leniente quopiam exceptus, nullo morsu superfluam carnem absumit, & ulcus sorde expurgat.

Si jam ulcus sordidum est, & mali moris, *Valentia.* sive id sponte natum est, sive ex vulnere aut ex phlegmone negligentius curata, factum, ex his quæ *secundi sunt ordinis* unguentum comparabitur hac formula. ℞. Plantaginis, absinthii, marrubii, scordii, melissophylli, hyperici recentium & contusorum an. m. j. coquantur aliquantum in vino albo & oleo ℔jß. in quo expresso dissolvantur radicum cyperi, iridis & aristolochiæ rotundæ tritarum atque cretarum an. ℥ß. ceræ ℥iiij. rursumque coquantur dum crassescant, ac tum adde resinæ ℥ij. thuris, myrrhæ, aloës, sarcocollæ an. ℥j. & postremo terebinthinæ ℥jß.

Quæcunque *validiora* desiderantur, ea in- *Valentiora.* super nonnihil habent æruginis: cujusmodi sunt emplastrum divinum remollitum, unguentum Apostolorum & unguentum Ægyptiacum, omnium certe quæ extant præstantissima.

Si vero è sinu aut fistula exterendus est cal-

 lus

lus, injicietur decoctum, quod habeat plantaginis, absinthii, centaurii minoris, sabinæ, foliorum olivæ, & agrimoniæ an. m. j. radicum gentianæ contusæ ℥ij. fiat decoctio in vino albo, in quo colato ad ℔j. dissolve mellis rosati, syrupi, absinthii, an. ℥jß. Si non id præstiterit quod postulas, vel myrrham, vel aloën, vel unum quodpiam ex his postremis medicamentis dissolve: ut A unguenti ægyptiaci ℥ß. sicque sensim augeri vis potest dum optatus existat eventus.

† *Exposita eorum medicamentorum materia quæ partium externarum inflammationes, præduros tumores, phlegmonas, abscessus ulceraque sanant;*

Deinceps ad ea pergendum quæ vulneribus medentur, èaque ad cicatricem perducunt.

De helleborismo.

	S. A.		S. A.
* *cautio in sumendo.*	4. 13.	*item.*	4. 15.
item.	4. 14.	*quibus periculosius?*	4. 16.
item.	4. 15.	*convulsionem facit.*	4. 16.
motus necessarius.	4. 14.		

CAPUT XIII.

Profluentem sanguinem cohibentia, ἴσχαιμα Græcis appellata.

Sanguinem sistunt.

QUæ sanguinem uberius prorumpentem sive ex aperta exesave sponte vena, sive ex rupta, aut in vulnere præcisa, *alia* quadam proprietate, *alia* vi emplastica, *alia* caustica id ipsum præstant.

Quæ *primi* sunt *ordinis*, non statim frigida sunt omnia aut adstringentia, sed ex his quædam calida & acria, ut urtica. Quæ *secundi*, venarum exitus inferciunt atque implent, moxque arefacta nihil effluere sinunt. Quæ *terti* ordinis, urendo venas coangustant, crustulaque obducunt, quæ omnia cohibet.

Alia proprietate quadam.

Telephium tertia sempervivi species, & quæ huic similis *crassula major* appellatur, in sistendo sanguine & curandis vulneribus efficax: tertio recessu frigida, humida secundo.

Polygonum ab effectus præstantia sanguinariæ nomen obtinuit, quod eo sive integro, sive tunso stillanti parti inducto sanguis coëat & in grumos concrescat, ut non amplius effluat.

Pimpinellæ folia, tunsa aut etiam cocta, si apertam venam attingant, protinus sanguinem sistunt, quod & radix luculentius efficit: eadem quovis modo sumpta sanguinis vomitiones excreationesque supprimunt: subdita vero mulierum purgationes hæmorrhoidasque cohibent.

Urticæ radice recenti in narem inserta sanguis mox supprimitur, quod nec minus tum ea ipsa, tum foliis tunsis vulneri inductis præstatur.

Pentaphylli radices, folia floresque vehementer adstringunt, & desiccant sine morsu, & in multo sunt usu ad sanguinis rejectiones.

Androsæmum licet calidum & siccum, recenti tamen vulneri impositum, sanguinem continet.

Hippuris seu *equisetum* adstringit manifeste atque siccat, proprie vero succus sanguinem è naribus manantem reprimit. arefacta folia trita & inspersa cruenta vulnera glutinant.

Salicis folia & cortex præcipueque lanugo & flores inserti naribus erumpentem sanguinem prompte sistunt, & redacti in pulverem & calamo efflati in nares idem præstant.

Isatis valenter quoque siccat & adstringit: cujus

In Pravis Ulceribus & cacochymia

† JOH. HEURNIUS.] hoc secretum reservavit sibi & filiis. ♃. *ligni guajaci* ℔ß. *Sarsæparill, chinæ an.* ℥iiij. *rhabarb.* ℥ij *fol. Sennæ* ℥iiii. *agarici recent. trosc(isc).* ℥j. *epithymi* ℥ß. *infunde in Vasculi vini rhenani Amphoris* (stopen) *xij. bibat bis die cyathum.*

cujus folia recens vulnus conglutinant, nec sanguinem effluere sinunt.

Symphytum majus atque etiam *petræum* siccat atque conjungit moderato calore: tunsæ radices, ut sumptæ sanguinis rejectionem, ita & recenti vulneri illitæ, eruptionem sistunt, labraque vulneris conglutinant, quemadmodum minutim concisas carnes cogunt si una coquantur.

Corallium, *hæmatites lapis jaspis* & qui *cornalinus* appellatur, occultis quoque viribus sanguinem supprimunt.

Alia vi emplastica. At vero mumia, thus, myrrha, mastiche, sanguis draconis, terra lemnia, & bolus armena, *in emplasticis* habentur & obstruendi siccandique facultate sanguinis effluvia cohibent.

Ex his composita extemporanea quomodo in usum ducendae? Quum itaque recens vulnus sanguinem immoderatius profundit, emplastica quædam aceto lota cum pulvere eorum, quæ proprietate sistunt, aut in pulveris inspergendi, aut in cataplasmatis formam aptabuntur ovi candido excepta. ut: ♃. boli armenæ, terræ lemniæ, lotarum in aceto an. ℥j. mastiches, sanguinis draconis an. ℥ß. thuris, myrrhæ, radicis consolidæ majoris, pimpinellæ & urticæ an. ʒij. fiat *pulvis*. Vel ♃. boli armenæ, sanguinis draconis an. ℥ß. thuris, mastiches, aloës an. ʒij. pilorum leporis minutim incisorum ʒiij. pul. succini & corallii rubri an. ʒjß. ovi candido excipiantur, & turunda oblonga indantur in nares.

Causticorum usus si quando forte ad cohibendum sanguinem necessarius fuerit, posthac tradetur. *Alia caustica.*

CAPUT XIV.

Glutinantia medicamenta.

Glutinantia qualia? GLutinans medicamentum κολλητικὸν Græcis appellatum est, recentia vulneris labra adducta conjungit & ad pristinam reducit integritatem. Id autem efficit quia prohibet ne inter coitura labra, aut influat, aut succrescat humor. Adstringens id esse oportet, crassæ terrenæque substantiæ, ac siccum ordine secundo, calore temperatum, ut nec detersione, nec acrimonia feriat.

Arnoglossum, quæ *plantago*, siccat & adstringit sine morsu, recentibus vulneribus aptum, quæ citra metum inflammationis glutinat, vetera quoque ulcera sordida, maligna & elephantica expurgat, & inæqualia cicatrice obducit.

Cynoglossum, seu lingua canina, ut oris fauciumque ita & cæterarum partium ulcera terget, recentiaque vulnera glutinat, horumque calorem temperat.

Myriophyllum, seu *millefolium* adeo exiccat, ut cruenta vulnera protinus glutinet, & ab inflammatione vindicet, seu viride, seu siccum, ex aceto oblitum.

Salicis, tum folia, tum flores citra morsum siccant & adstringunt, cruentumque vulnus glutinant, & inflammationem arcent.

Vlmi folia & cortex medianus spissandi vim obtinent; multoque magis succus è pomis expressus, recentia vulnera celeriter his admotis coeunt atque solidescunt.

Verbena siccat & adstringit, glutinandis vulneribus familiaris, vetera quoque putrescentia ulcera cohibet, sordida ex melle purgat, & cicatrice obducit.

Myosotis, quæ *pilosella* adstringit atque siccat, foliorum farina vulnera mirum in modum glutinat.

Anagallis citra morsum siccans, tusa & admota recentibus vulneribus, præsertim senum, efficaciter medetur.

Betonica vulneribus quoque recentibus, præsertim capitis, accommodatur.

Stabe, quæ & scabiosa, omnibus quoque vulneribus & maxime pectoris succurrit.

Bugula & *sanicula* recentioribus primum cognita inter vulnerarias herbas primas tenere creduntur.

Hipericum siccat moderato calore, folia, flores, fructus tunsi glutinandis vulneribus imponuntur.

Atractylis in sanandis quoque vulneribus efficacissima, eadem ulceribus fistulisque diuturnis medetur.

Lumbrici terræ triti & admoti vulnera omnia, præcipueque nervorum, glutinare traduntur.

Cochleæ pusillæ tritæ iisdem quoque viribus esse creduntur. quas & ad interiora ulcera præsertim pulmonum usurpant.

Sarcocolla emplastica & subamara, citra morsum siccat, & ulcera glutinat.

Myrrha, thus, magisque thuris cortex, *aloë, mumia*, & omnia fere quæ sanguinem cohibere diximus, glutinandis sunt vulneribus aptissima.

Terebinthina resina, atque etiam *abietina*, quæ nobis frequens est, omnibus medicamentis vulnera glutinantibus utiliter permiscetur: nec sola aut ovi luteo excepta parum conducit.

Pix mollis & liquida iisdem quoque medicamentis adjungitur, & pix sicca atque resina arefacta, sed hæ durioribus corporibus aptiores.

Lythargyros auri quod emplastica sit & fere omnis qualitatis expers, non modo glutinantibus, sed & cæteris quoque emplastris, ut communis quædam materia substituitur.

Ex his composita quomodo in usum ducenda?

Quum igitur recentis vulneris suppressus jam sanguis fuerit, idque citra phlegmones metum, labris propius adductis atque junctis, instillanda aut linamentis inducenda erunt unguenta carptis linamentis excepta varie ex iis concinnata simplicibus: hisque superponenda lintea vino rubro tepido imbuta expressaq; leniter. Si exiguum est vulnus, satis fuerit terebinthina lota, adjecto ovi luteo, & farinæ momento.

Efficacissimum quoque est *balsamum artificiale*, ita concinnatum. ℞. utriusque plantaginis, sempervivi utriusque, symphyti utriusque, betonicæ, verbenæ, pimpinellæ, pilosellæ, pentaphylli, absinthii, centaurii minoris, millefolii, cynoglossi, equiseti, atractylidis, hyperici an. m. j. recentibus contusis, affunde aquæ vitæ ℥viij. sinantur macerari diebus quatuor, quinto succus ex his tepefactis exprimatur. in quo dissolve olei optimi loti in aqua rosarum stillaticia ℔ij. coquantur vase duplici dum succi dimidium absumptum sit, ac tum adde terebinthinæ lucidæ ℔j. percoquantur in reliqui succi consumptionem pure. coletur atque recondatur ampulla vitrea. Potest & oleum tusis herbis cum aqua vitæ pariter affundi, atque quatriduo macerari, ac deinde coqui, & liquor totus exprimi, pursusque excolari, ut in eo tandem terebinthina vase duplici percoquatur.

Hinc & *unguenta* quibusdam adjectis comparari possunt in primis efficacia. ut: ℞. balsami prædicti ℔ß. ceræ albæ, resinæ an. ℥ij. sarcocollæ ℥j. thuris, masthiches an. ℥ß. fiat unguentum in vase duplici. Rursum quoque validius ita comparabitur ad nervosarum partium conglutinanda vulnera & carne implenda. ℞. lumbricorum terrestrium expurgatorum atque tunsorum ℔ß. macerentur diebus sex in olei optimi ℔ß. his deinde fervefactis exprimatur oleum, eique adde balsami præscripti ℔ß. sevi arietini mundi ℔ß. picis nigræ ℥iij. resinæ ℥ij. ammoniaci, galbani opopanacis aceto solutorum & colatorum an. ℥j. thuris masthiches an. ℥ß. coquantur vase duplici in unguentum, vel etiam si voles in emplastrum.

Ex his quæ ad balsami compositionem protuli, *potio* quoque perutilis fit ad vulnera, quæ vel in pectoris, vel in abdominis cava penetrant cum viscerum offensione, & ad inveterata ulcera, præsertim renum atq; pulmonum. si amaror metuitur nimius, subtractis absinthio & centaurio minore substituantur stœbe seu scabiosa, agrimonium & brassicæ cymæ. Tunsæ omnes aut ex his quædam vino aspergantur albo & tenui, dum prorsus mersæ madescant, & mellis colati quadrante. Marcerentur diebus sex. tepefactis his aut modice fervefactis vinũ exprimatur, denturq; jejuno ℥iij.

CAPUT XV.

Sarcotica medicamenta.

Sarcotica qualia?

Σαρκωτικὸν medicamentum est, quod deficientem carnem in vulnere aut in ulcere cavo progignit, ipsumque cavum carne implet. Id quidem proprium est naturæ opus: quodcunque tamen medicamentum ulcus moderate siccat, ejusque sordes blande ac mediocriter citra morsum detergit, quoniam sanguinem, qui gignendæ car-

carnis est materia, tuetur, & impedimenta subtrahens ulcus purum aut quale saltem acceptum est conservat, sarcoticum dixerunt. Est autem id substantiæ mediocris, moderate atque infra ordinem secundum, tum calidum, tum siccum, ut acrimoniæ sit expers. Calidius enim aut tenuius carnem colliquat: crassius autem aut frigidius nimium siccat & adstringit.

Herbæ quibus sola sit progignendæ carnis facultas, paucæ admodum sunt: sed quæ recentia vulnera conglutinant, & quæ sordida ulcera leviter expurgant, eædem quoque carnem gignunt, si modo mitiorum quorundam permistione temperentur.

Fœnigraci, orobi & *lupini* farina, sive sola, sive melle & ovi luteo & terebinthinæ momento excepta, mitissime carnem generat.

Thus peculiari facultate sarcoticum est, & in mediis corporibus carnem gignit: in aliis vero, tum siccioribus, tum humidioribus nonnihil additur his consentaneum.

Manna thuris vulnera quoque cava & ulcera convenienter explet.

Pix liquida atque etiam sicca mannæ thuris commode jungitur, ut ulcera vulneraque cava impleat.

Terebinthina blande tergendo siccandoque efficit, ut ulcerum cava carne impleantur.

Sarcocolla quæ præsertim in aqua rosarum stillaticia aut in lacte soluta sit, citra morsum desiccans & ulcera commode detergens, ea quoque facile carne implet.

Aloë, præcipue lota, paulum extergit, ut ne puris quidem ulceribus sit molesta: hinc ad ulcera carne implenda apprime utilis.

Myrrha siccans atque detergens, ulceribus carne implendis aptissima.

Ex his composita quomodo in usum ducenda?

Si quod igitur ulcus est aut recens vulnus cujus portio quædam sublata sit, ut idcirco non protinus agglutinari queat, sarcoticis primum caro gignenda est, deinde ulcus glutinantibus committendum.

Sarcotica autem medicamenta tum ex his quæ protuli, tum ex agglutinantium, detergentium atque suppurantium temperatione fiunt. Sic quidem *tetrapharmacum* quod & basilicum appellant, ad gignendam carnem passim extat, & basilicum magnum, & unguentum aureum, & emplastrum gratia Dei, & de janua, & emplastrum divinum.

Potest & præscriptum supra balsamum ad vulnera implenda atque glutinanda ita comparari. ℞. balsami præscripti ℔ß. in quo liquentur vase duplici ceræ albæ, resinæ, ammoniaci, an. ℥j. galbani, olibani, mastiches, myrrhæ an. ℥ß. aristolochiæ rotundæ tritæ ʒij. fiat *unguentum*: aut si voles aucta cera *emplastrum*.

Pulvis quoque in eundem usum hac forma præscribitur: ℞. sanguinis draconis, boli armenæ an. ℥ß. mastiches, olibani, sarcocollæ an. ʒiij. aloës lotæ, aristolochiæ rotundæ, radicis ireos an. ʒjß. fiat pulvis. huic etiam addi convenienter possunt ambræ g vj.

CAPUT XVI.

Epulotica medicamenta seu cicatricem inducentia.

Cicatricem inducentia qualia.

Ἐπουλωτικὸν medicamentum Græcis est quod impleti jam ulceris summam carnem vehementer siccat & obdurat, & *in cicatricem* cuti simillimam cogit. Id autem abunde siccum est, ut humorem absumat: est & crassioris materiæ, ut carnem adstringat, contrahat, atque denset. Nullius caloris sed frigoris cujusdam particeps, omnique morsu destitutum.

Terra armena putrescentia oris ulcera sanat, cæteraque siccat & cicatrice obducit.

Lenia.

Terra lemnia eadem quoque, sed imbecillius efficit.

Lithargyros moderate siccat & adstringit, & ulcera cicatrice obducit.

Cerusa siccans quoque & adstringens, excrescentia leniter reprimit, & cicatrice claudit.

Malicorium & balaustium adstringunt, humida ulcera siccant, hisque cicatricem inducunt.

Myrtus siccat quoque & adstringit, trita & ulceribus præ nimio humore cicatricem non recipientibus auxiliatur.

Hæmatites lapis siccat adstrictione levi, qua tamen excrescentia reprimit & obdurat.

Hæc quidem *leniora* sunt & lenioribus ulceribus tenerisque corporibus apta.

 Lapis

Valentia. *Lapis calaminaris*, qui cadmia est lapidosa, sæpe ustus acetoque extinctus vehementer siccat, excrescentia reprimit, & cicatrice munit.

Cadmia vera siccat & adstringit, sed non sine acrimonia, quam tamen lotione ex aqua rosarum & plantaginis deponit, sicque utilior ad cicatrices inducendas evadit.

Spodium & *pompholix* acria quoque existunt, sed lotione mitia adeo redduntur, ut citra morsum excrescentem carnem coërceant, & cicatrice obducant.

Concerpta etiam *linamenta* sola tum sicca, tum madefacta in styptico rubro vino, aut in quo absinthium, rosa & aluminis pauxillum sit incoctum, inter epulotica merito sunt habenda.

Valentiora. *Scoria ferri*, plumbum ustum, stybium quod & antimonium ustum, calx viva, alumen ustum, vitriolum ustum, æris squammæ, æs ustum, omnia quidem acria sunt, & vere cathæretica, sed quæ tamen sæpius lota dum omnem acrimoniam deposuerint, epulotica redduntur: optima sane malignis ulceribus cicatrice obducendis in durioribus corporibus: idque modo trita & inspersa, modo excepta cerato ex oleo rosaceo, melino, myrtino, omphacino, aut mastichino.

Ex his composita in officinis. Ex eorum levioribus *extat* unguentum album, è cerusa, quod & in emplastri formam aptatur, unguentum rubrum exiccans. In id quoque valentiora sunt unguentum diachalciteos, austero vino subactum & myrteo emollitum, unguentum diapompholygos, & unguentum quod proprie adstringens appellavimus.

Possunt & alia *in rem præseatem* ita comparari. *Extemporanea.* Calx viva toties in aqua frigida aut in aqua plantaginis lavetur, dum omni destituatur acrimonia, & ex oleo rosaceo quantum sensim combibere poterit diu in mortario subigatur in unguenti formam. Aliud valentius. ℞. plumbi usti & loti, pompholygis seu tuthiæ lotæ, æris usti & loti, aluminis quoque usti & loti an. ℥j. oleo rosato & aceti momento excepta, in mortario diu subigantur in unguenti speciem. Ex iisdem quoque pulvis tenuissimus confici potest, addendo lumbricorum terrestrium arefactorum, sanguinis draconis an. ℥jß.

Cum *plumbi crudi* lamina tantopere commendetur non ad simplicia modo verum etiam ad maligna & cancrosa ulcera, tum sananda, tum etiam cicatrice tegenda: cumque ad eandem omnia multo præstantiorem crudi plumbi tenuissimum pulverem sim expertus, inspersum malignis ulceribus, illa blande citra ullum doloris sensum corrigere, expurgare, & ad cicatricem perducere, ejus conficiendi rationem subticere nolui. Plumbum in laminas quam tenuissimas ducitur, hæ minutissime conciduntur, aceto quam acerrimo immerguntur, macerantur que triduo, permutato quotidie si videtur aceto, postea exemptæ & igni siccatæ citra ustionem, in mortario laboriose teruntur, sic tandem in tenuissimum levissimumque pulverem rediguntur, cujus vis est ad ea quæ dixi, & ad multo majora singularis & eximia.

CAPUT XVII.

Cathæretica medicamenta.

Cathæretica qualia? Exedens medicamentum, καθαιρετικὸν Græcis appellatum, est quod inutilem, tum putridam, tum excrescentem carnem absumit, & polypos, tubercula, verrucas, callosque detrahit: non quidem universum ac repente, sed quasi liquefaciens ac sensim tabefaciens citra ullam vicinæ carnis corruptionem aut putredinem. Id autem vehementer & jam quarto ordine calidum est atque substantiæ pertenuis, qua se altius in absumendam materiam insinuet. Quod igitur epuloticum medicamentum siccando comprimendoque sine doloris sensu facit, id cathæreticum non sine acrimonia & sensu doloris exedit.

Hoc genere continentur, testarum, concharum & rerum causticarum, ut tithymalorum cinis, pumex crematus, sal torrefactus aut melle duplo exceptus, ollaque nova exustus: alumen ustum, pompholyx, plumbum ustum, stibii seu antimonii cinis, qui peculiariter cancros absumit. *Qua simplicia?* Vitrioli gene-

genera, quæ pro chalcantho, chalcitide, myſy & ſory uſurpantur: adhæc ærugo & æris ſquamma, hydrargyrus ſublimatus, & idem præcipitatus, atque cinabrium.

Compoſita quomodo uſurpanda? Quum igitur in ulcere aut putredo aut mollis fungoſaque caro tantopere luxuriat, ut neque detergentibus, neque vehementer adſtringentibus eximi tota poſſit, neceſſarius eſt cathæreticorum uſus, quæ quicquid ſupervacuum eſt ſenſim exedant. Ex his ſimplicibus *compoſitiones* extant: unguentum Apoſtolorum, unguentum Ægyptiacum: poſſunt & trochiſci ex calce viva trita & melle excepta confici, qui acriori igne ſiccentur, & trochiſci aſphodelorum hac formula. ℞. ſucci radicis aſphodelorum ℥iiij. calcis vivæ ℥ij. æruginis ℥j. permiſta in trochiſcos concinnentur: qui ſole fervente ſiccentur, vel igne.

CAPUT XVIII.

Septica medicamenta.

Septica qualia? PUtrefaciens medicamentum Græcis σηπτικὸν eſt, quod tum humorum, tum corporis, materiam labefactat, & cum fœtore quodam corrumpit. Eſt autem id inſito nobis calori adverſiſſimum, ut cujus vim atque ſubſtantiam prorſus demolitur. Quod frigidiſſimum & veluti quarto eſt ordine, naturalem certe calorem extinguit, interimitque partem, idque ſenſim, ac plerumque ſine ſenſu. Septicum tamen id appellare non licet, ſed id ſolum quod ſumma caloris acrimonia inſitum nobis calorem aut diſſipat, aut in igneum convertit, ſimulque qualitate maligna humidum primigenium diſſolvit, & omnem partis ſubſtantiam tabefacit atque colliquat, & putredinem cum fœtore inducit. Id igitur ſummi eſt caloris in ſubſtantia moderate craſſa: nam tenuior à noſtro calore evinci facile diſſiparique poſſet.

Quæ? *Hoc genere ſunt*, auripigmentum ſeu arrhenicum, tum purum, tum ſublimatum, ſandaracha, chryſocolla, aconitum, dryopteris, piryocampe. Hæc quidem licet vehementer calida, nec tamen cauſtica ſunt, neque eſcharotica, nec cruſtam in nuda carne gignunt: ſed qualitate prorſus maligna atque venenata carnis quam attigerint ſubſtantiam corrumpunt & in putredinem cadaveroſam deducunt, quæ multo deterior eſt quam ex gangræna. Venenata autem eorum vis ſenſim intro ſubiens præcordia viſceraque ferit.

Quocirca non niſi repreſſa crebra lotione ex ſucco portulacæ, limonum, ſolatri, aut ſempervivi ulli ulceri adhibenda ſunt, debentque cerato leni permiſceri, parva copia & in parte quæ à principibus procul abſit. Majore enim copia nec repreſſa in ulceribus cordi propinquis, ut in mammæ cancro, illa, præſertim arrhenicum & ſublimatum, mulierem diebus ſex ſuſtuliſſe notavi, perinde ac ſi id hauſiſſet. Horis circiter tribus ab inſperſo pulvere vehementi rigore concuſſa, vomitione mox tentari cœpit, & crebris animi defectionibus corripi, cum pulſu languido; quæ dein ſenſim aucta, oborto extremarum partium frigore, & facie reliquoque corpore ſupra modum intumeſcente, miſere illam jugularunt. Periculoſus omnino iſtorum uſus, nec certe ad chirurgiam neceſſarius, cum ſine fructu ullo pernicioſa ſint: nec enim partem quam attigerint, ut cauſtica, urunt, nec cruſtam inducunt, ſed quam corruperint, ita relinquunt arte excidendam. *Quomodoque uſurpanda?*

Quocirca ejuſmodi remedia prorſus *exterminanda* ſunt, omniaque vel detergentibus, vel cathæreticis, vel eſcharoticis, vel cauſticis, citra perniciem eximenda abſumendaque ſunt. Aut ſi parum meticuloſus eſt laborans, & conſtanti animo, conſtantibuſque viribus, ea vel ſectione, vel candenti ferro demolienda ſunt, quibus nulla in corpus aliena qualitas inducitur. *Aut potius non uſurpanda?*

CAPUT XIX.

Escharotica & caustica medicamenta.

Vesicantia & exulcerantia qualia?

EXulcerans medicamentum, quod Græcis est ἐσχαρωτικὸν non modo nudam carnem, ut cathæreticum absumit, sed & cutem ipsam divellit. *Vesicans* id quodammodo efficit, sed levius & ignavius, quod ardoris vi humorem proliciat & solum pustulas excitet. Escharoticum multo vehementius urit, ut jam crustas inducat, nec tamen intra cutem subit. Utrumque summo & quarto est calidorum ordine: sed vesicans in tenui, escharoticum in crassa densaq; substantia.

Quæ?

Hoc ordine sunt:

Corticis fraxini cinis, qui saliva dilutus & parti cuivis impositus, cutem urit, sine pustula.

Sabinæ crematæ cinis, verrucas & duriora cutis tubercula exest.

Cinis è cremata vini fæce id ipsum quoque præstat exiguo humore liquatus.

Sapo niger mistus pari portione salis marini triti, impositus cutem quoque urit, ruptaque crustula sanies copiosa manat. Fit autem sapo niger e calce, sale, oleo & sevo. Sapo autem albus, è calce, cinere, & sevo vervecino.

Nitrum atque etiam ejus succedaneum quod est *sal petræ* exquisitus, instar pisi loco madido inductum, cutem divellit & urit inducta crustula.

Kaustica qualia?

† Καυστικὸν *medicamentum* est quod non modo summam cutem, ut escharoticum, sed & veram quoque solvit atque disrumpit: nonnunquam & in subjectam carnem cauterii instar penetrat, non id quidem sensim colliquans & exedens, sed repente exurens, crusta densiore inducta. Id quam escharoticum vehementius est, ferventissimo calore præditum in crassa terrenaque substantia.

Quomodo à præcedentibus differant?

Tria hæc igitur, causticum, escharoticum & vesicans, quod vires in cutem exerant, uno eodemque genere contineri par est, & solum agendi vi distare. Quæ vero non ipsam cutem sed solam nudam carnem efficiunt, diversi plane sunt generis.

Quæ ea sint?

Quum igitur quavis ex causa cutis aperienda fuerit, nec laborans sectionem ustionemve tolerare potest, inducto caustico medicamento uri, rumpique debet. *In causticorum* autem *censu* præcipua sunt, calx viva, vitriolum ustum, æs ustum, & quæ ex his fit aqua fortis alchymistica. Ex his quoque lapis fit ruptorius qui sesquihoræ spatio cutem penetrat. ℞ vitrioli usti ℥ij. salis armeniaci ℥j. calcis vivæ, cineris è vini fæce an. ℥iij. Tritis atque permistis affunditur lixivium ficulneum aut thythymallinum, quod subinde colatur dum illorum materia tota fere dissoluta sit, lixivium deinde in olla nova aperta coquitur ac fervescit dum crassescat atque lapidescat. In ampullam vitream & obturatam reconditur loco sicco, ne humidioris aëris attactu liquescat.

Quæ non sint?

Cinnabrium, mercurius sublimatus, & præcipitatus, ejus pulvis integram cutem nec exulcerant, nec divellunt, neque in hunc ordinem, sed solum inter cathæretica valentiora haberi possunt.

CAPUT XX.

Adambusta.

In ambustis,

SEu igni, seu aqua oleove fervente *ambusta* est corporis pars quæpiam, alia *inflammationem sedant* simulque extinguunt empyreuma, aut evocant: alia *pustulas prohibent* & reprimunt; doloremque levant: alia *ulceratas partes* aut excoriatas dolen-

† JOH. HEURNIUS In secretis habuit.] ℞. *Alum. usti misce cum præcipitato carni denudatæ est pro caustico. nam dorsi cultri crassitie tantum crustam facit.*

Vesicatorium

† JOH. HEURNII.] ℞. *Fermenti Ficuum pinguium, sinapi, cantharidum an. ℥j. coq. ex oxymell. scyllit. extendatur in aluta ad daleri magnitudinem.*

lentes leniunt & ad sanitatem perducunt.

Alia inflammationem sedant. *Primi generis sunt* potestate frigida omnia, ut aqua, acetum, & ex his oxycratum, ovi albumen, succus sempervivi, lactucæ, endiviæ, solani, hyoscyami, plantaginis & portulacæ, & horum aquæ stillaticiæ, terra quævis obvia, sed maxime Cimolia, & quæcunque levis, ut bolus Armena, commemoratorum succo aquave destillata aut oxycrato soluta & protinus illita, coriandrum viride, lenticula semicocta, cerusa, alumen aqua solutum cum ovi candido, atramentum scriptorium ex aqua, caphura. Atque hæc ab ustione protinus arripienda & tepida applicanda, quia actu talia anodyna evadunt & empyreuma foras evocant, dein qua valent potestate ardorem extinguunt & inflammationem sedant.

Alia ardorem eliciunt, Ut enim ignis, si propius ipsi pars usta admoveatur, proprii inusti mali fit alexiterium, eamque revocato empyreumate dolore levat, sic nonnulla *impressum partibus ardorem foras calore prolectant*, atque ita sedata inflammatione ambustis medentur. Ut ari & porri illita folia præsenti sunt ambustis remedio. Cæpæ cum sale contusæ ambustæ parti impositæ miraculo persanant. Oleum quoque sale addito idem efficit. Sambuci & ebuli contusa folia & apposita idem prestant. Radicis etiam asphodeli decoctæ in oleo succus perniones & ambusta sanat.

Alia pustulas prohibent, Frigidorum usu quum partis ambustæ ardor repressus statim initio fuerit & mitigata inflammatio, tum ea inducenda quæ *pustulas prohibent*, simulque dolorem leniunt.

Gluten quod ex tergoribus boum fit pellucens & candidum, dilutum aqua, ambustis utiliter allinitur, & pustulas prohibet.

Ligustri, *salviæ*, *myrti*, singulorum cruda folia, cerato vel adipe suillo excepta, quia & sedandi doloris & reprimendarum pustularum vim habent, ambustis utilissime imponuntur. Eadem viridia contusa, & malvæ & papaveris corniculati, admista axungia aut cerato, efficaciter quoque ambustis illinuntur.

Mori folia ad ambusta teruntur, ex oleo vel aceto linenda

Sic *malvæ folia* oleo incocta & trita sacris gnibus & ambustis utiliter imponuntur.

A *Lactuca* cum sale illita prodest recens ambustis.

Et *helxine* admota.

Hyperici folia cum semine, & *althæa*, cum pauco oleo illita sanant ambusta.

Pulticula ex hordei farina ambustis ex vino prodest, & ex ovi quoque candido.

Ovum crudum cum sua testa tritum & illitum.

Et virides *platani pilulæ* cum axungia sanant ambusta.

Alba & *nigra oliva* prodest ambustis trita & oblita, quod empyreuma eliciat & pustulas reprimat.

Gummi spinæ Ægyptiæ ambustis quoque prodest, quod dolorem levet & pustulas gigni prohibeat illitum cum ovo.

Arctium & verbascum & ex floribus hujus B destillata aqua pernionibus & ambustis commode imponuntur.

Lilii radices tostæ cum rosaceo ambusta persanant, idem decocta folia præstant.

Herba cucullus vulgo appellata, charta convoluta & sub cineribus cocta, dein contusa & addito oleo ambustis inducta, intra triduum persanat.

Thus quia anodynum & astringens, ambusta pernionesque cum pingui suillo aut anserino subactum percurat.

Ruta in olei libra vinique sextario cocta commode foventur partes quas penetrabile frigus adusserit.

Ambusta aquis fervidis si statim *ovo* occupentur pustulas non sentiunt, admista præsertim *hordeacea farina* & *salis momento*.

Chrysanthemi flos utiliter ambustis cum C melle imponitur.

At vero pars si jam pustulosa aut *excoriata* ulceratave est, quæ leniunt & moderate siccant usurpanda erunt, qualia metallica usta & lota, leni & blando liquore excepta. *Alia excoriata curant.*

Calx aqua rosarum aut plantaginis lota & rosaceo unguento subacta, blandum fit pustulosis & ulceratis remedium: efficacius fiet, si vivam eam & illotam, cerato liquido exceptam, parti pustulosæ inducas, aut *myrrham* tritam cum vino rubro adhibeas, aut *hyoscyami* viridis succum continenter illinas.

Magnes quoque crematus & tritus, & *hæmatites*, & *ostreorum cinis*, commodissime ambustis insperguntur.

Ovis in aqua duratis & putaminibus in prunas exustis, tum lutea ex rosaceo apte illinuntur.

Frumentum tostum in ferro & tritum è vino ulceratis præstantissimo est remedio.

Betæ folia in vino cocta & trita utiliter excoriatis illinuntur: ejusdem succus rosaceo liquido paulatim instillatus quantum combibere potest, illis quoque remedio est.

Folia myrti pulverata, aqua rosarum perfusa, blande exiccant, & cutem nutriunt.

Hordeum tostum, tritum & ovi candido utiliter illinitur.

Ficus cum cera & rosaceo subacta ambustis cicatricem obducit.

Cinis sarmentorum vitis & vinaceorum, ambustis cum rosaceo prodest.

Idem *brassicæ radicum* cinis & folia decocta, & *coriandrum* cum lacte muliebri præstant.

Cyclamini radices cum sempervivo tritæ ambusta sanant, ita ut cicatrix fallat.

Idem quoque præstat calida admota *plantago* & *beta*.

Gallarum pulvis intertrigines & ambusta excoriata inspersus sanat.

A *Cinabaris* cum sanguine draconis illitus.

Hederæ flores ex cera.

Lactis cremor cum hordei combusti cinere.

Laridum ad flammam liquatum dum destillet, aqua rosacea exceptum.

Oleum ex induratis *ovorum vitellis* & mortario plumbeo contritis, tandemque in sartagine frixis, ubi crustæ deciderunt pustularum, ervo cum melle aut iride ulcus expurgandum, tandemque sicco linamento.

Ad hæc *compositiones* paucæ *extant*, oleum rosaceum, oleum è tartaro, oleum myrtinum, oleum ex ovis, unguentum populeum, unguentum rosaceum, album Rasis, diapompholygos & διαχαλκίτεως, emplastrum è cerusa, de minio, diachalciteos, & nutritum, rosaceo aut aqua plantaginis soluta. *Ex his composita in officinis.* B

Ex tempore vero ex cerusa, oleo myrtino, adipe suillo, spuma argenti & cera, optimum ad perniones & ambusta comparabitur unguentum, Vel sic: ℞. mucilaginis seminis cydoniorum & tragacanthæ an. ℥ß. olei ovorum & nenufaris an. ℥j. misce in formam unguenti. Item ℞. ficus aridas quot voles, cum cera eliquata subigantur in ceratum. † *Extemporanea.*

Methodi medendi libri sexti Finis.

LIBER SEPTIMUS, METHODI MEDENDI

DE COMPOSITIS MEDICAMENTIS.

PRÆFATIO.

Unde natæ medicamentorum formulæ;

P*Ræclaris olim viris qui tum medicinæ, tum chirurgiæ usu & exercitatione celebres evaserunt, præcipuam curam summumque studium fuisse comperimus, ut ad difficiles quosque affectus* peculiaria sibi remedia *quasi thesauros reconderent, ut felici operum*

† JOH. HEURNIUS.] ℞. *Olei olivarum, raporum, butyri salit, ceræ flavæ an. p. æqual.* F. s. a. Unguentum.

† D. LANSBERGIUS. *cum Hulstæ medicinam faceret, ad miraculum vidit eo omnes curari qui à pulv. Tormentario læsi erant; plures quam mille curavit sine cicatrice. Mater ejus id habuit à Vetula Flandra quæ inde victum sibi comparabat.*

rum successu, nominis sui dignitatem & gloriam augerent atque tuerentur. Ea licet unusquisque domi conficienda curaret, & tanquam arcana haberentur, tempore nihilominus annorumque numero, aut morte, aut precibus, aut precio, aut commutatione, aut aliis plerisque modis cognita invulgataque fuere.

Hinc vero alii publicis mortalium commodis potius addicti, sparsas medicamentorum compositiones quæ jam paßim innotuerant, conferendas esse dixerunt, *operamque navarunt, ut è celeberrimis authoribus optimas & quamplurimas in libros quosdam medicamentarios referrent. Ita quidem Scribonius Largus & Actuarius & Nicolaus Myrepsus & Nicolaus Præpositus opera sua concinnarunt.* A quibus collectæ?

Hoc labore fieri haud potuit quin ex variis authoribus complures *non admodum dißimiles* in eundem usum compositiones *adducerentur: ut syrupi effectus ejusdem, & pharmaca multa ex aloë, nec pauciora è scammonio, aut è colocynthide, aut turpetho, quæ sola componendi ratione, aut simplicium quorundam varietate distant: & electaria quoque, & emollientia & detergentia multa, quorum præcipua vis ex ærugine est, & quæ aliorum simplicium sola immutatione variant, ut est cujusque authoris arbitrio concessum. Sic igitur multa tandem congesta fuere, quorum pars maxima ociosa & supervacua. Conducibilius autem erat in quovis genere optima quæque seligere, cæteris ut inutilibus prætermißis.* Quid in iis abundet?

Sed & hac remediorum congestione affectus complures omni ope destituti *manent, ad quos nimirum non satis accommodata remedia inventa fuissent. Ea siquidem multorum hinc inde colligendi cura, empirices quodammodo imitatrix & æmula, nullo delectu nullaque methodo adhibita, nec morbis, nec symptomatis, nec eorum causis remedia accommodavit, nec eorum genera ex eorum differentiis constituit.* Quid desiciat?

Neque præterea quid unaquæque compositio aut utile, aut supervacuum, aut gratum, aut insuave *contineret, usquam expendit, sed quales ab indoctis plerumque viris usurpatæ fuerunt, nullo adhibito judicio recepit atque comprobavit. Ex his quoque plurimas nonnulli suo quique arbitrio inverterunt atque* depravarunt: *vix ut nunc ulla restet pharmacopœis certa componendi ratio, & nondum rata aut stabilita sit ea medicinæ pars quæ in primis est ad curandos morbos necessaria.* Quid depravatum sit?

Hoc quum multi paßim reformandum *esse judicarent, dedi operam, ut compositiones, quemadmodum & superiore libro simplicia, arte traderentur: & quæcunque utiles usuque faciles existunt, pristinam formam retinerent: quæ vero distortæ, recta censura in meliorem formam aptarentur, nec quicquam aut superesset aut deesset ad morbos eorumque causas & symptomata profliganda necessarium. Itaque non omnes veterum monumentis tritas compositiones, sed præcipuas duntaxat persequor, novas plerumque adjicio, ut opus omni medicamentorum genere compleam: plurimas circumcido, quæ sub his comprehensæ, confusam & indigestam multitudinem reddunt.* Quomodo eæ sint restitutæ in genere?

Invulgata earum nomina retinui, *sed non iisdem ubique aut simplicibus aut ponderibus, quandoquidem, ut curandis morbis aptiores essent atque suaviores, quædam in plerisque commutanda fuerunt.* In singulis medicamentis?

Vt tandem pharmacopœorum commoditati quodammodo responderem, in classem *unam syrupos, in alteram pharmaca, in aliam electaria, & reliqua in suam quæque classem digeßi unde rursus deprompta facile poßint in medendi usum referri,* Quo ordine sint digesta?

DE

DE SYRUPIS.



YRUPUS ACIDUS *simplex omnes, tum calidos, tum frigidos humores præparat, & quodam robore attenuat, eorum putredinem coërcet, bilis ardorem febriumque æstus & sitim lenit, obstructas vias expedit, alte in omnia penetrat, urinas sudoresque à purgatione ciet.*

℞ aquæ purissimæ lib. quatuor, sacchari albi lib. quinque, coquantur dum exspumaverint, & dum aquæ dimidium supersit: ac tum affunde aceti vini albi lib. tres. Rursus coquantur in syrupi crassitudinem.

SCHOLIA AUCTORE GUIL. PLANTIO.

Syrupi inventio.

Syrupos & julepos multaque alia tam simplicia, quam composita medicamenta inventa Arabum esse vel appellatio ipsa barbara manifesto ostendit. Longo tamen ante tempore veteres Græci & ex eadem materia & in eosdem usus sua habuerunt apozemata: quæ quod præparandis ad purgationem, tum corporibus, tum humoribus accommodarentur, propotismata ipsis sunt appellata, quasi purgationibus prævias potiones dicas, quod recta medendi ratione viam medicamentis purgantibus sternant. Ita Galenus origanum, hyssopum, pulegium, calaminthum in mulsa & oxymelite incoquit ad purgandi corporis præparationem. Et, si ipsi credimus, Archigenes, Antonius Musa, aliique complures prisci medici ex cichorii, anethi, iridis, chelidonii, & similium herbarum succis cum mulsa dulciculas ejusmodi potiones ægrotis conficiebant ad varios hepatis aliarumque partium affectus. Et Dioscorides radices comasque in aqua decoquit, & fervefactum jus excolat, deinde vel per se, vel mulsa & melle dulcoratum exhibet, aut ut recondatur, tam diu decoquit dum ad mellis crassitudinem pervenerit.

Ejus ab apozemate & julepo differentia.

Ut hæc tria, apozema, syrupus, julepus, *solo conditura modo inter se* differant. *In* apozemate *enim præterea quod pro re nata ex tempore fere decernitur in tres quatuorve doses partiendum, ad conditturam satis erit si sacchari aut mellis trientem recipiat, ut subtriplum scilicet saccharum sit ad excolatum decoctum aut expurgatum succum.* Syrupum *vero qui ut asservari diu possit perfectiorem coctturam desiderat, tantundem aut minus aliquanto sacchari vel mellis obtinere par est atque colati decocti aut purificati succi. His quia dilutior, penetrabilior & delectabilior* julepus *est, solum propterea sacchari sextantem, aut pro saccharo convenientis syrupi parem modum recipere abunde fuerit, ut subduplus sacchari modus sit ad decoctum accommodatum, aut aquas stillatitias.*

Quare iis mel addatur & saccharum?

His vero omnibus ex decoctis & succis plantarum, & fructuum comparatis potionibus mel & saccharum adduntur, *non ad conservationem solum, aut gustus & saporis suavitatem, & gratiam, sed ob proprias etiam mellis & sacchari vires quas ipsis impertiunt. Quum enim duo hæc quotidiano propemodum usu consueta nobis sint & familiaria, non ut condimenta solum, sed etiam ut cibaria, utraque utique ratione potiones quibus hæc admista fuerint, vires naturales in morbis sopitas & languentes exuscitant & erigunt, nativumque calorem qui solus morbos concoquit & mitificat, recreant, crassaque extenuando & vitiosa extergendo, & obstructa expediendo, purgationes quam facillimas præstant. Atque hæ à melle & saccharo facultates ejusmodi potionibus accedunt, suas & ipsis ad varios usus haud parvas utilitates habentibus quas singulis describendis avunculus ipse operis auctor declarabit, eo servato ordine, quem & componendi ratio postulat, & medendi methodus præscribit.*

Quo ordine hæc à Fernelio pertractentur.

Nam quum simplex prius natura composito existat, & recta adhibendorum remediorum ratio alia aliis ordine usurpandis præponi velit, à simplicioribus & iis quæ recta medendi via præmittuntur orationem exorsus est, *eundem toto opere in cæteris rationem servaturus, à syrupo acetoso simplici ducto initio. Nam apozemata & julepos hoc loco silentio præterit, quod in præsentia de iis medicamentis solum sermonem instituat, quæ apud pharmacopolas in longum tempus asservantur, & alioqui singularum partium morbis convenientia apozemata supra sunt ab auctore tradita. Et quamvis condita, quas conservas vulgo appellant, & ex herbis & fructibus conditicii quidam succi ἀποχυλίσματα Græcis dicti, simpliciores sint syrupis*

rupis, ob eamque causam præponendi videantur, post purgationes tamen quia fere instituuntur ad partium robur tuendum, aut etiam conciliandum, ideo auctori consilium fuit in alium locum rejicere, ita scilicet medendi flagitante methodo.

Quem in usum inventi syrupi?

Inventi *autem* sunt syrupi, *ut in promptu essent quoties his utendi occasio inciderit: quod herbæ earumque radices & fructus quovis tempore ad manum præsto non adsint, & quum suppetunt, urgeat adeo interdum necessitas, ut ex his apozemata & julepos parare non patiatur.*

In quos ordines divisi?

Primo autem loco *syruporum compositiones traduntur, quæ præparandis ad purgationem humoribus conveniunt: deinde vero quæ partium singularum expurgandis reliquiis, quæque tuendo ac conservando illarum robori accommodantur. Atque hæc generaliter de syrupis.*

Notanda in syrupo acetoso simplici,

Particulatim vero syrupus acetosus *simplex non è solo aceto & sacchare (quemadmodum & alii acidi) componendus erat, sed adjicienda fuit aqua quæ aceti vim & acrimoniam temperaret. Cavendum ne pro aceto albo destillatum imponatur, quod acerrimum interiora omnia ferit non parva sumentis pernicie. Cavendum etiam ne aceti plus adjiciatur, siquidem hæc mensura æquabilis visa est. Si quis autem aceti acorem suspectum habeat, ne penetrabili suo frigore molli carne corpora, quale puerorum & mulierum, præcipueque in ipsis uterum offendat, (ὑστεραλγὲς enim acetum est Hippocrati) poterit utendi tempore permistione aquæ dulcis, aut stillatitiæ, aut etiam convenientis decocti, quam dilutissimum syrupum hunc reddere, aut pro eo oxysaccharo uti.*

Composito.

Syrupus acetosus compositus *descriptus hic non est, ne pharmacopœos inani jactura oneret. Nam addita portione syrupi è radicibus, compositus evadet, & in usus eosdem aptus. Id quidem auctori consilium fuit, compositiones omnium quam optimas ad summa quæque morborum causarumque genera proponere, ut nihil prorsus maneat remediis destitutum. At vero inanem & supervacaneam compositionum farraginem undique eorum more corrogare, qui incompertis nec comprobati, remediis inconsiderate chartas implent, onerosum nimis pharmacopœis, studiosis vero indistinctum & confusionis plenum fore existimavit.*

Syrupus e succo limonum *minus quidem quam acetatus extenuat ac penetrat: at bilis fervorem, corporisque æstum ac sitim magis restinguit, & ardentium febrium putredinem, pestilentiumque malignitatem magis cohibet: oris præterea ventriculi & cordis principumque partium robur tuetur, nauseam, vomitionem, animi defectionem & syncopen arcet: peculiariter vero renes expurgat, & urinam ducit.*

♃ Succi limonum expurgati lib. v. lente coquantur in syrupum.

Ratio eum similesque conficiendi.

Plantius. *Syrupi de limonibus, de acetositate citrii, de granatis acidis, de aurанciis, de omphacio, è succo oxalidis, oxyacanthæ, & de ribes, omnes quidem acidi, è succis fiunt, qui aut residendo, aut colando clariores purioresque sunt redditi. his deinde par sacchari modus, aut etiam minus additur sine aquæ permistione, propterea quod aciditas ea minime infesta est, sed suavis & cardiaca. Et minus quoque dilueretur sacchari (quemadmodum in julepis) si diutius succi conservari possent. Sunt qui succos præpurgant residendo in & insolando, aut per spumantia albumina colando, aut etiam leviter solum exprimendo, ut in protropo vino fit, deinde cum saccharo expurgato, id est, ex æquali aqua cocto, dein clarificato, tandemque in julepum percocto paulatim admiscentes bacillo versatili agitant, dum comprehendantur & una coëant: aut cum saccharo prope percocto parum coquunt: aut etiam cum primario saccharo (quale Maderanum) eo tantum usque coquunt, dum colliquefactum saccharum sit & plane dilutum. Atque eo modo syrupus è limonum & citriorum succo, syrupus acetatus simplex & julepus rosatus albissimi fiunt: granatorum vero, oxyacanthæ, de ribes, & è rubro aceto, ut genuini coloris gratiam retineant, minus sunt diu ad mistu- ram pistillo converberandi. Atque conficiendi hæc ratio in succis quidem fructuum præcipueque acidis locum habere potest. alii vero, ut herbarum & radicum succi, majorem ad syrupos præparationem requirunt, atque bis coquendi sunt: semel per se ad tertiæ fere partis consumptionem: deinde ubi colando & residendo declarati fuerint, cum optimo saccharo in syrupum percoquendi, alioqui facile corrumpuntur & situm contrahunt.*

Syrupi *qui sequuntur ex acidis quoque succis comparati, superioris vires imitantur: ut* Syrupus e succo citrii acido, syrupus e granatis acidis, syrupus ex aurанciis, syrupus ex omphacio, syrupus e succo oxalidis. *Peculiariter tamen* syrupus è succo citrii acido *febris æstum, putredinem & malignitatem restinguit.* Syrupus de granatis acidis *ventriculum & viscera magis corroborat, vomitione, & animi defectiones sedat.* Syrupus de aurāciis *cardiacus magis est & suavis.* Syrupus ex om-

omphacio *situm magis compescit*. Syrupus è succo oxalidis *bilem obtundit, obstructionesque solvit*. Syrupus è ribes *suavior & adstringentior*.

Una eademque omnium conficiendorum ratio. in succo enim cujusvis expurgato sacchari aliquantum minus diluitur: hæcque stannato vase excepta igni dantur, sensimque percoquuntur in syrupum.

OXYSACCHARUM SIMPLEX *mistas, tum attenuandi, tum obtundendi & coroborandi vires sortitur; mistæque humorum materiæ, hincque ortis febribus erraticis confert*.

℞ Succi mali punici acidi ℥viij. aceti ℥iiij. sacchari albi & puri ℔j. coquantur in syrupi consistentiam.

Ejus vires. PLANTIUS. *Oxysaccharum easdem quas syrupus acidus vires obtinet, sed inferiores, præter roborandi vim, qua præstat: propterea morbis æstivis & mollioribus corporibus ejus quam syrupi acidi tutior usus est. Ne tanta syruporum varietas frustra asservetur, auctor recte ac prudenter oxysaccharum compositum, oxymeli compositum & oxymeli scylliticum compositum prætermittit. Nam quum ex usu esse putabuntur, medicus illa expedite componet atque præscribet, oxysacchari ℥j. & syrupi de radicibus majoris ℥ij. vel syrupi adiantini ℥ſ.*

OXYMELI SIMPLEX *crassos humores valde extenuat, lentosque detergit, & veteres solvit infarctus, crassa è pectore ducit; asthmati contumacibusque febribus accommodum*.

℞ Aquæ purissimæ, mellis optimi an. ℔iiij. coquantur exspumando, dum aquæ dimidium absumptum sit: ac tum affunde aceti acerrimi ℔ij. rursumque exspumando percoquantur in justam consistentiam. Dilutius vero quod fit habet aquæ purissimæ ℔j. mellis ℥iij. aceti ℥jß. eaque despumando leviter coquuntur.

OXYMELI SCYLLITICUM *simplex multo validius, crassa attenuat, & ad omnia quæ dixi confert*.

Id ex aceto fit scyllitico quod melli ex aqua cocto despumatoque affunditur, percoquiturque ut alterum. Utrumque autem COMPOSITUM reddetur adjecta dupla portione syrupi è radicibus majoris.

Illud in desuetudinem abiit. PLANTIUS. *Aceti mulsi quod oxymeli vocant*, rarior nobis usus *est quam fuit veteribus, quibus syrupus acetatus nondum comparatus erat, qui, detergendi vi qua mel sacchаro præstat excepta, cætera quæ oxymeli, habet minime inferiora, aliaque præterea non parvi ad febres momenti. Quod autem hodie passim in pharmacopoliis asservatur acetum mulsum, ingratum plane est: sive id nimia ejus crassitie ex multa coctione nata accidat, sive etiam acore ejus nimio, qui non perinde nostratis mellis atque sacchari permistione hebetescat & obtundatur. Quantavis enim aqua dulci, aut decocto accommodato crassum istud oxymeli diluas, nunquam tamen similiter gratum & potabile, atque syrupum acidum effeceris. Dilutius vero quod in rem præsentem fit, à nonnullis & oxymeli Galeni appellatur. id in omnia penetrantius multo est & jucundius. parva enim coctione quum non crassescat, sed in eo aquæ fluxilitas servetur, quam aceti adjuvat tenuitas; & mellis præterea spurcitia omnis partim spumæ detractione, partim clarificatione detergeatur: tenuissimum propterea simul & lucidissimum evadit, si mel præsertim album & acetum album receperit, & pauco aceti acore gustanti sit minime molestum; frequentiore tamen ejus usu & pleniore haustu stomachum offendi constat: iis præsertim quibus ventriculos natura est admodum sensile: unde ejus in febribus, seu acetosius, seu mellitius pares, parum tutus est usus.*

Quale mel eligendum? Mel *autem* probum *deligatur, quod inter crassissimum & tenuissimum sit mediocre, sapore dulcissimum & acerrimum, simulq; dulcedinis sensum inferens & vellicatu pungens linguam, colore pallidum aut subrutilum & pellucidum, odoratissimum & recentissimum, quodque sublatum non facile ob sequacem lentorem abrumpatur, pondere grave, unde in imo vasis quod stdit supernatante pretiosius, & inter coquendum spumæ parum emittens. Nostris tamen temporibus candidissimum mel & suavissimum vereque aromaticum, liquidissimum, maximeque fluxile, album & duram crustam ducens, ex Lusitania & Gedano Antverpiam deportari cœpit, quod bonitate Attico, & Siculo minime cedit: verum id jam institores, ut pleraque alia, nostrates sæpius abluendo & dealbando mentiuntur; quam eorum fraudem insuavitate odoris & gustus deprehendes. Huic bonitate & colore proxime accedit mel Narbonense, & hisce etiam regionibus quod è favis sponte primum defluit virgineumque mel vulgo appellatur. Improbius vero mel coctione melius redditur: ususque despumati semper aptior, nisi stomachum inflaret in eo diutius immorans, æstuosumque esset & bilem augeret.*

Et quibus id utile? Mel pueris, *non tineosis & senibus accommodum, alvum & urinas movet, caloremque nativum suscitat & tuetur, & longam prorogat senectam: Picrocholis vero & juvenibus, quod facile in bilem convertatur, adversum*

SY-

SYRUPUS E CICHORIO *moderate refrigerat, viscera omnia leni adstrictione corroborat, detergendo aperiendoque jeconis aliarumque partium infarctus solvit, bilem eluit & ad purgationem præparat, initiis acutarum ardentiumque febrium & pestilentium accommodum atque salutare.*

♃ totius intybi agrestis, quod cichorium vocant, ℥iiij. radicum oxalidis, graminis & asparagi, contusarum an. ℥ij. lichenis, eupatorii, intybi sativi, endiviam vulgo appellant, seriolæ, cicerbitæ, lactucæ sativæ & agrestis, adianti albi, adianti nigri, adianti simplicis & saxifragi, lupulorum, cassuthæ an. m j. coquantur omnia in lib. x. aquæ dum ad sex redeant. In expresso jure dissolve sacchari albiss. lib. vj. coquantur in syrupum clarificatum.

Quare immutata de scriptis? PLANTIUS. *Quum syrupus è cichorio crebro in usum veniat descriptione Nicolai Florentini, aut Guilielmi Placentini, & uterque ex confusa quadam simplicium, tum calidorum, tum frigidorum miscella, atque etiam ex rhab. constet, vix ut dici possit in quem præcipue effectum sit accommodandus: non præter rationem hic descriptio immutata est, & prorsus ad eos effectus comparata qui titulo recte enunciantur: ad quos propter radices calidas aliorum neuter decerni potest.*

Quomodo in varios usus aptari possit? *Si forte acidus* desiderabitur, *huic syrupi acetosi, vel oxysacchari triens permiscebitur: aut si paulo calidior, vel magis penetrans, velut ad complicatos affectus, syrupi è radicibus tantundem, vel etiam semis affundetur. Rhabarbarum autem si usquam addendum esset, utendi tempore potius adjiciendum videretur quam parandi, quod ejus purgandi vis, & coctione, & diutina asservatione vanescat, & ad præparationem humorum hic syrupus, non ad purgationem comparetur, roborandique vis insit major in rhabarbaro, quam quæ præparatorio propositionati conveniat. Sed ne utendi quidem tempore per se utiliter permisceri potest, quia purgandi ejus facultas nullas, aut certe perexiguas vires sit habitura, obstante videlicet nimia syrupi crassitudine. Eadem de causa syrupus ipse ad eos effectus, ad quos describi solet, non ita efficax per se fuerit, quemadmodum si decocto conveniente diluatur & jucundior reddatur.*

Quis error in hujus compositione committatur? *Nullo itaque ægrorum commodo sed* solo dispendio faciunt, *qui singulis syrupi libris ℥j. rhabarbari incoquunt, eamque interdum mensuram non duplicant modo & triplicant, sed quadruplicant etiam & sextuplicant, contra omnium codicum fidem, qui pro quaque lib. tantum ℨiiij. permiscendas esse jubent. Hallucinantur & qui syrupum hunc è solo cichorii succo componendum esse contendunt, haud dissimiliter atque syrupum è citriorum succo: qui in eo licet veritate maxime nitantur, quod componendis medicamentis multorum simplicium inter se pugnantium congeriem rejiciendam esse ducant, ideoque Guilielmi Placentini & Nicolai Florentini è cichorio compositiones, ut discrepantes temereque & citra rationem institutas repudient, non tamen propterea è cichorii succo compositio in earum locum substituenda est: quum ad eos effectus quos syrupus de cichorio præstare comperitur, recte præstitui non possit. Sive enim ad purgationem præparanda bilis est, jecorisque & aliarum partium obstructiones liberandæ, sive moderate refrigerandum & roborandum, ut acutarum pestilentiumque febrium initio, quid horum quæso efficere possit ejusmodi succus, qui diu & vehementer contundendo ægreque exprimendo primum crassior redditus, deinde per se ad tertiæ partis consumptionem fervefactus, tandemque ad syrupi crassitudinem cum saccharo percoctus, omnis propemodum virtutis suæ jacturam vaporando fecerit? tantundem fere ac ipsum merum saccharum. Secus habet in decoctis & succis fructuum, præcipueque acidis, qualis citriorum, limonum, granatorum & similium succus est. Hi enim integras vires suas in syrupos conferunt, quum nec pressu substantiæ tenuitatem, nec coctura facultatem amittant, quemadmodum supra adnotavimus. Decocta vero quod multorum simplicium vires recipiant, & propter aquam tenuiora sint & fluxiliora, similiter non crassescunt, nec vires deperdunt coquendo. unde & ex his constantes syrupi præparandis ad purgationem corporibus magis conveniunt: qui vero ex aliis succis fiunt, post purgationem patente jam & fluxili corpore, rectius in eos usus decernuntur, quos singulis describendis auctor commemorat.*

SYRUBUS INTYBI DOMESTICI *bilem obtundit, jecur refrigerat, expurgat atque corroborat, icterum & è jecoris obstructione ortos morbos persanat. post purgationem utilis, & concocta jam quodammodo febrium aliorumve morborum materia.*

♃ Endiviæ recentis, seriolæ, lichenis, lactucæ, agrimonii, cicerbitæ, hieracii an. m. j. ß. quatuor seminum frigidorum majorum an. ℥j. santali albi & rubri contusorũ, rosarum rubrarum. an. ℨij. coquantur ex viij. ℔. aquæ ad dimidias. Adde colato juri sacchari albi ℔iiij. Rursum pariter coquantur, despumentur, expurgenturq; coquendo adde succi endiviæ residentia purgati ℔j. postea succi granatorum acidorum puri & defecati ℥iiij. percoquantur in syrupum.

PLANTIUS. *Syrupum hunc endiviæ tametsi incerti auctoris, componendum tamen atque reservandum idcirco putavit, quod summa ratione descriptus videretur, atque ita plus efficacitatis habiturus, quam si è solo endiviæ succo constaret, ut nonnulli volunt: omnibus jecoris vitiis per sanandis post corporis purgationem* utilis, *atque biliosorum morborum reliquiis expurgandis, inprimisque cutis scabiei & prurigini accommodatus.*

Ejus vires.

SYRUPUS BYZANTINUS *mistas vires sortitus, tum jecori, tum lieni expediendo expurgandoque comparatus, idque post purgationes: ictero & arquato nigro & diuturnarum febrium reliquiis peculiaris.*

℞ Succi intybi sativi & apii an. ℔ij. succi lupi salictarii & buglossi an. ℔j. coquendo purgentur dum inclarescant, & cum sacchari ℔. tribus syrupus fiat.

Quo tempore utilis

PLANTIUS. *Interpres Mesuæ negat in febribus ante diem septimum syrupo byzantino utendum esse, sed communiter in compositis febribus statim initio apparandæ materiæ usum fore syrupi acetosi simplicis cum feniculi decocto & tertia parte mellis rosati. Post purgationem vero, quia hepaticorum & splenicorum reliquias valide expurgat curationemque complet, utilissimus futurus est syrupus hic byzantinus percurandis utriusque visceris morbis solutu contumacibus, qualis icterus est & arquatus niger, addito præsertim syrupo è radicibus. Compositus prætermissus est quod simplicis vim pervertat, nimiumque habeat aceti.*

SYRUPUS SCOLOPENDRII *crassam terrenamque melancholiam extenuat, mollit, fluxamque reddit, lienem obstructione liberat, tumentemque solvit, melancholiæ, quartanis, diuturnisque febribus apprime utilis.*

℞ Polypodii è quercu, radicum utriusque buglossi, corticis radicum capparis, corticum thamarisci, singulorum ℥ij. scolopendrii veri m. iij. lupi salictarii, cassuthæ, capilli veneris, melissophilli, singul. m. ij. coquantur in aquę lib. ix. dum ad quinque redeant. Colato adde sacchari albi ℔iiij. percoquantur in syrupum expurgatum & clarum.

PLANTIUS. *Syrupum scolopendrii recte & magno usu compositum huc retulit, quod nullus apud pharmacopœos extaret veterum descriptione ad terrenæ melancholiæ præparationem accommodatus. Est autem verum scolopendrium asplenum Dioscoridis, & officinarum ceterach.*

SYRUPUS E RADICIBUS *lentam crassamque pituitam terget & extenuat præparatque. Iecoris omniumque viscerum obstructiones solvit, tumoresque submittit, fœdos virginum colores expurgat, urinas ciet, febres quæ ægre solvuntur inveteratosque affectus finit.*

℞ Radicum apii, feniculi, petroselini, rusci & asparagi an. ℥iiij. radicum capparis & rubiæ an. ℥ij. coquantur in ℔x. hydromelitis diluti, dum redeant ad ℔vj. & cum sacchari ℔v. clarus fiat syrupus.

PLANTIUS. *Quum duo tradantur syrupi è radicibus, unus è duabus petroselini & feniculi, alter è quinque, prorem consulto prætermisit, ut parum efficacem & paratu facilem si res postulet: posteriorem ut efficacem servandum putavit, cui ut efficacior existeret, & ad plures affectus utilior, capparis & rubiæ radicem recte adjecit. Acetum rejecit, quod plerumque sine eo desideretur, quodque si res postulet facile ei syrupi acetosi portio præscribendo admisceri possit, & interdum aliorum quoque permistione temperari.*

Quare hic & hac ratione præscriptus.

SYRUPUS ADIANTINUS *moderato calore omnes æquabiliter humores, quacunque corporis sint parte, leviter incidit atque deterget: cuivis incipienti morbo, & cuivis naturæ, ætati, regioni: atque etiam prægnanti familiaris.*

℞ Adianti albi m. iij. adianti nigri, adianti simplicis, saxifragi, betonicæ, pimpinellæ, asplenii an. m. ij. coquantur ex aquæ ℔viij. dum ad quinque redeant. In expresso solve sacchari albi lib. iiij. mellis optimi expurgati lib. ſ.

PLANTIUS. *Syrupi capillorum Veneris artificiosa descriptio, quum nulla extet, his utiliter hac inserta est: quæ lectissimorum simplicium, in varios effectus, tum substantia, tum temperamento conspirantium, delectu absolvitur. Vnde præparantium syruporum hic omnium maxime est à vario &* multiplici usu *polychrestus, ad quarumcunque partium, præcipue vero thoracis, jecoris, lienis, renum & uteri quosvis affectus, omni ætate & natura utilis. Sed & ipsius ea est prærogativa, ut alvum in ejus usu aliquandiu perseveranti solvat, & humores non solum præparet, sed præparatos etiam exigat inprimisque crassam pituitam & bilem, quemadmodum recentioribus medicis quibusdam & nobis ipsis artis tractandis operibus sæpenumero observatum est: quem quidem effectum pariter præstat, quum adiantorum omnium decoctum, tum albi maxime. quamvis contra Dioscoridi tradatur alvum sistere.*

Ejus usus.

Cæterum qui, *vel uvas passas, vel glycyrrhizam*

Cronenburgii in componendo error.

zam adiantis permiscent in syrupum, ii quamplurimorum affectuum alioqui communem, paucorum proprium efficiunt, ejusque arctant usum, quam latissime alias patentem: ac tenuandi & detergendi vim ipsius istorum permistione obtundunt. Rectius itaque ex solo adiantorum decocto syrupum hunc conficerent, qui ceu communis materia ipsis asservaretur ad cujuscunque generis affectus, deinde quum res postularet peculiari decocto ad hujus aut illius partis affectus accommodarent: ad thoracis (exempli causa) passularum aut glycyrrhizæ decocto: ad jecoris, agrimonii aut cichorii: ad lienis, aspleni aut tamarisci: ad renum, urinas aut arenulas promoventium. Ita enim decocto convenienti syrupi vis communis parti cuipiam simul destinatur & augetur, quæ in descripto syrupu inest longe efficacissima.

Hæ syruporum compositiones præparandis ad purgationem humoribus sunt aptæ. Nunc autem qui syrupi partium singularum expurgandis reliquiis conferant tradendum.

SYRUPUS E STOECHADE *cerebri atque nervorum affectibus frigidis, ut paralysi, epilepsiæ, convulsioni, tremori, & destillationi è capite quovis procumbenti, mire conducit.*

℞ Florum stœchados ℥iiij. thymi, calaminthes, origani an. ℥if. salviæ, betonicæ, florum rorismarini an. ℥f. seminis rutæ, pæoniæ, feniculi an. ℥iij. coquantur ex aquæ ℔x. ad dimidias. expressum jus cum sacchari & mellis singul. lib. duabus denuo coquatur in syrupum. Condiatur cinamomi, zinziberis, calami odorati an. ℥ij. quæ raro linteo illigata in syrupum sint appensa.

Quare hic immutatus.

PLANTIUS. *Syrupo è stœchade quod parum capitalis esset, alia quædam non præter rationem adjecit, salviam, betonicam, rorismarinum, semen rutæ, pæoniæ & feniculi, variis cerebri & nervorum affectibus multum profutura. Alias non video quamobrem capitis affectibus destinari debeat hic syrupus, quum stœchas, quæ primas in hac descriptione tenet, estque velut basis syrupi, veterum auctoritate hepatica sit potius, aut splenica quam cephalica. Ad viscerum enim omnium obstructiones inprimis commendatur, quas substantia tenui & ignea facile aperit, simulque altera subadstringente terrea interiora omnia roborat. Ad condituram autem si calamus aromaticus deerit, substituatur nux moschata, quæ roborandi cerebri vim habet præcipuam.*

SYRUPUS ROSARUM SICCARUM *calidos cerebri affectus temperat, sitim extinguit, ventriculum roborat, somnum conciliat, tenues defluxiones cohibet.*

A ℞ Aquę simplicis ℔iiij. in qua tepida maceratā horis xxiiij. rosarum rubrarum arefactarum ℔j. In expresso solve sacchari albi ℔ij. coquantur in syrupi consistentiam.

Præparationis ratio.

PLANTIUS. *Aridarum rosarum macerationem secundo & tertio plerique renovandam esse volunt, quo (ut ipsi arbitrantur) augeatur vis syrupi, unca tamen efficax non minus fuerit. Terna siquidem infusione longe copiosissimam aquam affundi necesse est, veluti pro siccarum rosarum lib. una aquæ libras octo, alioqui multiplici maceratione, vel exhaurietur, vel calida expressione nimium crassescet: sed & singulari infusione rosarum facultatis non minus combibet quam pluribus, quemadmodum in sale accidit aqua solvendo. In omni autem alvi fluore utilis est hic syrupus confirmandis corroborandisque* B *partibus, & ulceribus agglutinandis blandeque detergendis, tum per se, tum aliis excipiendis facultatis ejusdem.*

SYRUPUS NYMPHÆÆ *capitis ardores, phrenitides, vigiliasque compescit, & somnum conciliat, destillationem asperitatis lenit.*

℞ Florum nymphææ recentium ℔ß. florum violarum ℥ij. foliorum lactucæ, m. ij. seminis lactucæ, portulacæ & cucurbitæ an. ℥ß. coquantur in ℔iiij. aquæ dum tres supersint. expresso adde aquę rosarum stillaticiæ ℔ß. sacchari albi ℔iij. percoquantur in syrupum.

PLANTIUS. *Syrupus nymphææ simplex omissus est, ut parum utilis: compositus descriptione Francisci Pedemontani propter semina quamplurima, acetum & succum granatorum, prorsus alienus est, & ad ea inutilis quæ desiderantur. Quocirca jure hic alius descriptus est perfacilis, & utilis ad ea quæ in-* C *scriptione proponuntur. Alterius autem nymphææ, quæ flore est luteo, & radice candida, flores sunt hoc syrupo componendo præferendi.*

Quare hic præscriptus.

SYRUPUS DE PAPAVERE *eadem confert quæ nymphææ, ac peculiariter molestam tussim compescit, & destillationes quæ fauces gutturque exasperant.*

℞ Capitum papaveris albi mediocriter maturorum & recentium ℥viij. capitum papaveris nigri recentium ℥vj. aquæ cœlestis ℔iiij. coquantur ad medias. deinde adjectis sacchari & penidiorum an. ℥viij. coquantur in syrupi consistentiam

PLANTIUS. *In syrupo de papavere simplici minus inditum est capitum papaveris nigri, quod ejus non æque tutus sit atque albi usus. Compositus autem syrupus è papavere complura habens lenientia prætermissus*

sus idcirco est & ab usu rejectus, quod talis re exigente facile comparari possit, addito syrupo jujubino, aut violaceo.

DIACODION *præterquam quod somnum accersit, cerebri quoque destillationes, quocunque irruant, arcet, ventriculum firmat, dysenteriam aliaque alvi profluvia sistit.*

♃ Capita papaveris albi, tum magnitudine, tum maturitate mediocria xij. num. aquæ cœlestis ℔ij. coquantur ad tertias. colato adde sapæ optimæ ad tertias coctæ ℥iiij. mellis optimi ℥ij. Perfecte simul coquantur, addendo sub finem rosarum rubrarum, balaustiorum, acaciæ, rhois culinarii tritorum an. ʒij. seminis portulacæ, corallii albi & rubri an. ʒj.

Præparationis ratio. PLANTIUS. *Diacodeion, rejectis quibusdam supervacuis & insuavibus, in meliorem formam relatum est, aptam sistendis destillationibus. In eundem usum Dioscorides capita papaveris in aqua ad dimidias per se decoquit, dein adjecto melle & hypocistidis succo in eclegmatis consistentiam redigit. Capita autem papaveris*, neque perquam viridia, *neque etiam ariditate exucca esse debent, sed quum viridi adhuc maturitate sonare incipiunt, ad compositionem decerpenda sunt: propterea* κώδωνες & κώδειαι *Græcis dicuntur, id est, strepentia papaverum capitula.*

Quomodo in usum ducendus? *Compositio hæc præ nimia crassitie, quia insuavior quibusdam esse queat,* usus tempore *poterit hordei decocto, aut alio quovis accommodato dilui. Quinetiam si vel conciliandus somnus erit, vel ab acri & tenui fluxione exulcerationis periculum impendebit, ad eam tum inhibendam, tum etiam temperandam, recenti seminis papaveris decocto, aut ejusdem cremore è decocto hordei expresso, Diacodii vim augere licebit. Neque metuendum est ne noxa ab his ulla corpori oriatur; licet quarto excessu frigefacere tradantur ab auctoribus: quum tenera papaverum germina nationes pleræque olerum modo in cibis adhibeant, & expresso è semine oleo vescantur, semenque ipsum operibus dulciariis, (ut placentis & panibus) ad gustus & saporis gratiam aspergant citra ullam offensam, aut somnum graviorem: quo utique modo Ægyptii sesamini oleo & sesamo palati gratia utuntur. Ex qua consuetudine omnia dicta factaque* quasi papavere & sesamo sparsa, *pro eleganti dulcique oratione dixit* Petronius. *Nam & papaveris lacryma ceu liquor opium Græce dictus, & succus è foliis & capitulis expressus, meconium Græcis appellatus, non unica, sed multiplici substantia constant, una aquea valde frigida, altera aërea temperata, & tertia calida amara & odorata. Illa in virentibus & teneris, in aridis hæ magis elucent. At vero opium vel potius meconium, quod ad nos convehitur, adulteratum plane est & occulta quadam vi nobis infensum, ideoq; minime utendum, quacunque id arte corrigatur. Quum enim opium ex lacte ipso capitum papaveris sylvatici cum maximo labore exiguum conficiatur, meconium vero sine molestia & abundanter ex foliis terantur, facile institores, qui compendium & lucrum quærunt, opium adulterant, aut pro eo meconium ex Apulia, aut Hispania comportant.*

SYRUPUS VIOLARUM COMPOSITUS *acrem destillationem temperat, raucitatem, tussim gravem, & arteriæ asperitatem, pleuritimque lenit, & sitim compescit.*

♃ Florum violarum recentium ℥ij. seminis cydoniorum, seminis malvæ an. ℥j. zizypha, myxaria an. xx. num. decocti cucurbitæ, vel seminis ejus ℔v. coquantur ad medias, & cum sacchari lib. ij. syrupus fiat.

PLANTIUS. *In composito hoc syrupo nihil est immutatum, quod arte compositus videretur.* Hujus, leniendo, *refrigerando, humectando, ad omnem arteriæ ardorem & asperitatem utilis, sed & ardentem urinam & nephriticum cruciatum demulcet. violæ autem herba & folia cocta maturandi vim habent: semen cholagogum est ad modum rheibarbarici: habetur & flore medio subcroceum quiddam, quo anginæ & puerili epilepsiæ succurri tradunt, si cum aqua bibatur.*

Ut & simplicis usus. *Violæ flos, & ex eo una aut altera infusione simplex syrupus comparatus*, fervidos acresque *humores temperat, lenit atque subducit, idcircoque in pleuritide utilis: atram retorridamque bilem & ab hac fuliginem domat, indeque suscitata symptomata, capitis dolores, vigilias, insomnia consopit, & cordis tædia depellit: calidiora sicciora que medicamenta commode leniendo frenat. hæ dotes cum magnæ sint, syrupus ex violarum recentium diluto confectus, merito inter polychrestos censendus est.*

Præparationis ratio. *Hoc è fragrantibus violis aliquantulum in umbra, ut decet, siccatis, & aqua tepida maceratis expressum, cum primario sacchаro, si percoquatur in syrupum, in annum & eo amplius citra rancorem ullum aut corruptionem asservari potest, ad commemoratos usus ante & post corporis purgationem utendus. Frustra autem quidam, tum violaceo tum rosaceo syrupo conficiendo, violarum, & rosarum macerationem novies renovant, quum una & altera tertiave, aut ad summum quarta infusione nihilo inefficaciores futuri sint, quemadmodum conficiendorum medicamento-*

mentorum formula ad pharmacopœos ostensuri sumus.

At syrupus è glycyrrhiza parum necessarius visus est, quod parum sit efficax, quodque in syrupo de hyssopo sit comprehensus, neque tanta alioquin varietas quicquam conferat, sed confusionem potius tironibus adferat.

SYRUPUS ZIZYPHORUM *eadem qua syrupus violarum & multo efficacius præstat: uterque morborum initiis aptus.*

℞ Zizypha lx. num. myxaria xx. num. florum violarum, adianti albi, hordei à cortice liberi, glycyrrhizæ an. ʒvj. seminis malvæ, cydoniorum, seminis papaveris albi, melonum & lactucæ, tragacanthæ an. ʒiij. Semina cydoniorum & malvæ & tragacanthæ linteo raro illigata, cum cæteris coquantur in aquæ lib. v. ad medias, & cum sacchari albi ℔ij. percoquantur in syrupum.

SYRUPUS DE HYSSOPO *thoracis pulmonumque vitia, tum calida, tum frigida leniendo blande ac leniter expurgat, sputum attenuando detergendoque concoquit faciliusque reddit: peripneumoniæ atque pleuritidi invalescenti & inclinanti aptus.*

℞ Hyssopi arefacti ℥jß. radicum polypodii quercini, feniculi, glycyrrhizæ, seminis carthami an. ℥j. hordei expurgati, adianti albi an. ℥ß. passularum purgatarum ℥jß. ficus siccas, palmulas pingues an. x. num. coquantur in aquæ ℔vj. ad dimidias, expressum cum mellis & sacchari an. ℔jß. percoquatur in syrupum.

Immutationis ratio.

PLANTIUS. *Syrupi de hyssopo descriptio eadem permansit, nisi quod pro radice apii substituta est radix polypodii, & pro radice petroselini semen carthami, quæ multo aptiora sunt & accommodatiora. Subtracta sunt quædam lenientia, quæ in syrupo violato, & zizyphorum satis habentur, ut huic vis esset paulo detergentior.*

SYRUPUS DE PRASSIO *validissime incidit, tenuat, detergit, expurgatque thoracis, pulmonumque vitia: strenue confert inveteratis affectibus ex crassa lentaque pituita, ut asthmati, tussi veteri, empyemati: quinetiam peripneumoniæ & pleuritidi jam inclinatæ confert.*

℞ Prassii albi recentis ℥ij. glycyrrhizæ, polypodii quercini, radicum apii & feniculi an. ℥ß. adianti albi, hyssopi, origani, calaminthæ, thymi, stœbes, satureiæ, tussilaginis an. ʒvj. seminis anisi & bombacis an. ʒiij. uvarum passarum expurgatarum ℥ij. ficus passas pingues x. num. coquantur in lib. viiij. hydromelitis diluti ad dimidias: expressum percoquatur in syrupum cum mellis & sacchari albi an. ℔. ij. condiatur ℥j. radicis iridis florentinæ.

PLANTIUS. *Syrupus de prassio veteri descriptione Ioannis Mesuæ ex tanta permistione lenientium, detergentium, & incidentium confusus videtur, ut dici vix possit in quos præcipue usus referendus sit: quod & de aliis plerisque qui nulla methodo nullaque ratione ex variis undique authoribus congesti sunt, dici etiam potest. Quocirca cum propositi jam essent syrupus violarum & zizyphorum pro humectantibus & abunde lenientibus, & syrupus de hyssopo pro moderate detergente, incidente, & expurgante pectoris vitia, ratione optima hunc de prassio syrupum summe incidentem, atque detergentem esse voluit, ut extremis & inveteratis mederetur affectibus quem tamen quisquis volet superiorum permistione temperabit.* Immutationis ratio.

SYRUPUS SYMPHITI *tabidorum & ulceratorum pulmonum saniem & pus blande ac leniter expurgat, sine metu erupturi sanguinis, pulmonesque pariter corroborat.*

℞ radicum & cymarum symphyti majoris & minoris an. m. iij. rosarum rubrarum, betonicæ, plantaginis, pimpinellæ, polygoni, scabiosæ, tussilaginis an. m. ij. E tusis omnibus recentibus exprimatur succus, coquatur & expumetur ad lib. iij. addendoque sacchari albi lib. ijß. syrupus fiat.

PLANTIUS. *Quod syrupus nullus usquam extaret, aut esset in usu descriptus ad tabem purulentosque pulmones, in tanta penuria hic è symphyto utilis sane, & arte summa præstituendus erat.*

SYRUPUS E SUCCO BUGLOSSI *cor præcipue corroborat & exhilarat, ejusque palpitationem & syncopen discutit, melancholicos & maniacos juvat.*

℞ Succi buglossi defæcati ℔iij. sacchari albi ℔ij. Percoquantur in syrupi consistentiam.

SYRUPUS E SUCCO BUGLOSSI DOMESTICI, & SYRUPUS E SUCCO VIOLARUM, & SYRUPUS E SUCCO PERSICORUM MALORUM, *omnes quidem cardiaci*, eadem ratione confici solent.

PLANTIUS. *In syrupo buglossi, tum sylvestris, tum domestici, & in syrupo è succo violarum, aut*

aut succo persicorum malorum, aut de cootice citrii, A *nihil immutandum fuerat. Cæterum magna fuit necessitas udjiciendi syrupi melissophylli, quod nullus in usum veniret, qui cordis affectus & pestilentium venenatorumque morborum injuriam propulsaret.*

SYRUPUS E CORTICE CITRII MALI *cor etiam quavis ex causa frigida torpescens, aut palpitatione affectum excitat & exhilarat, mœstitiamque discutit.*

℞ Corticum citriorum malorum recentium in aqua maceratorum & præparatorum ℔j. coquantur in aquæ ℔vj. dum duæ supersint, & cum ℔iij. sacchari albi syrupus fiat, condiaturque cum cum moschi g. vj.

SYRUPUS MELLISSOPHYLLI *omnium maxime cordis palpitationi & syncopæ succurrit, peculiariter vero pestilentium & venenatorum morborum* B *malignitatem obtundit & arcet.*

℞ Radicum dictamni, pentaphylli, veronicæ & doronici romani an. ℥ß. foliorum melissophylli, stœbes & morsus, florum buglossi utriusque & rorismarini an. m. j. seminis oxalidis, citrii mali, feniculi, atractylidis (qui carduus dicitur) benedictus) & ocymi an. ℥iij. coquantur in aquæ ℔iiij. ad dimidias: expresso adde sacchari albi lib. iij. succi melissæ, aquæ rosarum an. lib. ß. Percoquantur in syrupum conditum cinamomi & santali citrini an. ℥ß.

SYRUPUS E MENTHA *ventriculum moderato calore juvat, lenique adstrictione corroborat, concoctioni opitulatur, nauseam, vomitum, singultum & lienteriam sedat.*

℞ Succi cydoniorum dulcium, succi cydoniorum acidodulcium, succi granatorum dulcium, succi granatorum acidorum, succi granatorum acidodulcium an. lib. jß. in his permistis macera horis xxiiij. menthæ siccæ lib. jß. rosarum rubrarum ℥ij. coquantur ad medias: colatis adde sacchari albi lib. iiij. percoquantur in syrupum conditum ʒiij. gallæ moschatæ linteo raro illigatæ.

PLANTIUS. *In syrupo de mentha majore nihil immutandum fuit, neque asscribendus erat minor alter, ut qui sub hoc comprehendatur. In syrupo absinthii nihil quoque immutandum.*

SYRUPUS ABSINTHII *ventriculi reliquias, vel expurgat, vel absumit, ex morbo convalescentibus appetentiam vividumque colorem reddit: jecur infarctu liberat, regiumque morbum discutit, ac omnia concoctionis instrumenta corroborat.*

℞ Absinthii romani lib. ß. rosarum rubrarum ℥ij. spicæ nardi ʒiij. macerentur horis xxiiij. contusa in vini albi veteris ac odori & in succi cydoniorum an. lib. ijß. coquantur igne lento ad medias, & cum sacchari lib. ij. percoquantur in syrupi crassitudinem.

CYDONIORUM MIVA *appellata ventriculum heparque roborat, concoctionem juvat, appetentiam excitat, vomitum & lienteriam compescit.*

℞ Succi cydoniorum defæcati ℔vj. coquantur prunis lentis ad medias sensim expumando, dein affunde vini rubri veteris & optimi lib. iiij. sacchari albi lib. iiij. & denuo coquantur dum mellis consistentia crassescant. condiantur cinamomi ʒjß. caryophyllorum & zinziberis an. ℈ij.

PLANTIUS. *Hæc miva cydoniorum media est inter simplicem & compositam, & utriusque vires obtinet.*

SYRUPUS MYRTINUS *ventriculum & viscera corroborat, vetus alvi profluvium, sanguinis omnem eruptionem, omnemque cerebri destillationem sistit.*

℞ Baccarum myrti ℥jß. santali albi, rhois culinarii, balaustiorum, baccarum oxyacanthæ, rosarum rubrarum an. ℥jß. mespilorum lib. ß. contusa omnia coquantur in lib. viij. aquæ ad tertias: expresso adde succi cydoniorum & granatorum an. lib. ij. sacchari lib. v. coquatur ut artis est.

PLANTIUS. *Syrupus myrtinus veterem retinet compositionem. Syrupus autem byzantinus quod omnium hepaticorum reliquias à purgatione valide* C *expurget curationemque compleat, commode huc referri potest.*

SYRUPUS FUMARIÆ *è sanguine salsos exustosq; humores expurgat. pruritum, scabiem, impetiginem, omniaque cutis vitia emendat, maligna fistulosaque ulcera, cancrum & elephantiasim demulcet.*

℞ Endiviæ, absinthii romani, lupuli, cassuthæ, scolopendrii veri an. m. j. epithymi ℥jß. coquantur in lib. iiij. aquæ ad medias colatis adde succi fumariæ expurgati lib. j. ß. succi utriusque buglussi an. lib. ß. sacchari albi lib. iiij. coquatur syrupus bona consistentia.

PLANTIUS. *Quum multæ sint syrupi è fumo terræ descriptiones, nulla sane videtur hac una convenientior, & usu facilior ad expurgandam omnem sanguinis impuritatem.*

SYRU-

SYRUPUS E SUCCO BULGLOSSI UTRIUSQUE, E SUCCO VIOLARUM, & SYRUPUS MELISSOPHYLLI *ad lienem quoque pertinent.*

SYRUPUS E MALIS ODORIFERIS *tetros melancholiæ vapores infringit, pavores, mœrores, furoremque sedat & exhilarat.*

♃. Succi malorum acidodulcium fragrantium ℔iiij. succorum violarum, buglossi domestici & silvestris, aquæ rosarum stillati ciæ an. ℔j. coque simul, expuma & cola, deinde adde sacchari albi ℔vj. percoquantur in syrupum.

PLANTIUS. *Ridiculum videbatur syrupum è pomis habere tanquam pomarium simplex, nisi & alii ad melācholiam vel atram bilem succi accessissent.*

SYRUPUS ALTHÆÆ *crassam obstruentemque renum pituitam, & lentam purulentamque eorum saniem, & arenulas blande ac clementer expurgat, citra manifestum calorem: urinæ præterea demulcet ardorem.*

♃ Radicum althææ ℥ij. cicerum rubrorum ℥j. radicum graminis & asparagi, glycyrrhizæ mundatæ, uvarum passarum expurgatarum an. ℥ß. cymarum althææ, malvæ, helxines, pimpinellæ, plantaginis, adianti utriusque an. m. j. quatuor seminum frigidorum majorum & minorum an. ʒiij. coquantur ex aquæ ℔vj. dum quatuor supersint, cum sacchari albi ℔iiij. percoquatur syrupus.

PLANTIUS. *Syrupus althaæ cum nusquam descriptus haberetur, frequens tamen ejus esset usus ex cujusque arbitrio, non aliter potuit, nec utilius ad eos qui propositi sunt affectus componi.*

SYRUPUS RAPHANI *renes & vesicam validius expurgat, calculos comminuit, arenulas exturbat, suppressam urinam deducit.*

♃ Radicum raphani domestici & silvestris an. ℥j. radicum saxifragi, rusci, levistici, eryngii, anonis, petroselini & feniculi an. ℥ß. foliorum betonicæ, pimpinellæ, pulegii, cymarum urticæ, nasturtii, crithmii callitrichian. m. j. fructui halicacabi, zizypha an. xx. num. seminis ocymi, bardanæ, petroselini macedonici, seselios, carui, dauci, lithospermi, corticum radicis lauri an. ʒij. uvarum passarum expurgatarum, glycyrrhizæ an. drach. vj. coquantur quo decet ordine in aquæ lib. x. dum sex supersint, è quibuscum sacchari lib. iiij. & mellis expumati lib. ij. syrupus fiat clarus, & conditus ʒj. cinamomi & ʒß. nucis moschatæ.

PLANTIUS. *Quod syrupus nullus descriptus inveniatur ad renum calculos & arenulas exturbandas, magno certe usu hic è raphano substituendus erat, qui apte & convenienter ex iis componitur quibus summa vis est comminuendi calculos, aliis quibusdam interjectis lenientibus atque detergentibus.*

SYRUPUS ARTEMISIÆ *suppressos, aut parcius fluentes menses potenter movet, quod syrupus adiantinus & hyssopi moderatius efficiunt: uteri strangulatus & subversiones sedat.*

♃ Artemisiæ m. ij. radicum iridis, helenii, rubiæ, pæoniæ, libistici, feniculi an. ℥ß. pulegii, origani, calaminthes, nepitæ, melissophylli, sabinæ, samsuchi, hyssopi, prassii, chamædryos, chamæpityos, hyperici, parthenii, betonicæ an. m. j. seminis anisi, petroselini, feniculi, ocymi, dauci, rutæ, nigellæ an. ʒiij. Contusa macerentur horis xxiiij. in hydromelitis ℔viij. coquantur ad ℔v. & cum sacchari ℔v. percoquantur in syrupum conditum cinamomi ʒj. & spicæ ʒiij.

PLANTIUS. *In syrupo ex artemisia, quod multa continerentur uterinis affectibus parum apta & inconsiderate confusa, non pauca, quæ aut non suppet.. nobis, aut quorum vis coquendo exolescit, ea, ut super.. ua aut incommoda, author subtraxit, iis solum relictis quæ præcipua sunt & optima.*

PURGANTES COMPOSITIONES.

MEdicamenta quæ ad purgandos humores comparantur, tametsi in formas aptantur varias, in unum tamen locum omnia referre expedit, ita quidem ordine à mitioribus instituto.

ELECTARUM E PRUNIS *summe leniens, obduratam alvum molliens, varios humores blande ac leniter expurgans, per vehementes cœli æstus, in febrium ardore, in siti, omni ætati utilis.*

♃ Radicum althææ, polypodii è quercu, passarum expurgatarum an ℥ij. glycyrrhizæ mundatæ, seminis cnici an. ℥j. malvæ, violæ, helxines, mercurialis an. m. ij. coquantur in lib. x. aquæ, dum ad sex redeant: in colati dimidio percoquantur pruna dulcia, zizypha, mixaria an. xx. num. ficus

cus passæ pingues x. num. deinde pulpa cribro transmittatur. in altero colati dimidio bulliant foliorum sennæ mundatorum ℔j ſ. expressumque hoc pulpæ permisceatur cum sacchari & mellis expumati an. ℔ſ. rursum coquantur ad electarii consistentiam, sub finem inspergendo cinamoni tenuissime triti ℥j. zinziberis ʒiij.

Dosis ℥j. *Tota compositio est* ℔iij. *doses autem sunt circiter* XXVij *aut* XXX.

ELECTARIUM E PRUNIS SOLIDUM *eadem præstans*.

℞ Pruna dulcia num. x. malvæ, violæ, mercurialis, helxines an. m.j. polypodii è quercu, seminis carthami, radicis althææ, passarum purgatarum, glycyrrhizæ an. ℥ſ. A foliorum sennæ mundatorum ℥x. coquantur ex aquæ ℔v. dum duæ supersint. deinde torculari expressis adde sacchari rubri ℔j ſ. coquantur rursum igne lento in electarii solidi consistentiam, asperso sub finem pulvere electarii aromatici rosati majoris ad ʒiij. concinnentur tabellæ pondere ℥j.

Tota compositio est ℥.*circiter* XX. *doses circiter* XXX.

UTRUMQUE COMPOSITUM *fiet, atque validius è locis distantioribus omnes humores, præsertim vero bilem utramque, expurgabit hoc modo*.

℞ Electarii è prunis simplicis recentis & adhuc calentis ℔j. in quo dissolve diadacrydii ʒiij.

Dosis à ad ʒiij.℥ſ. *ad compositionis doses sunt circiter* XXXij.

PLANTII SCHOLIA IN PURGANTES COMPOSITIONES.

UT *syrupi, ita & purgantium medicamentorum compositiones undique arte nulla depromptæ sunt, & in medicamentarios codices relatæ, ut idcirco duas tresve, aut plures deprehendere liceat effectibus plane consimiles, nec apte ad curandos affectus accommodatas. Quo fit, ut non abs re author purgantium compositiones multum immutaverit, ut ad singula conveniens quiddam & utile proferret. Quantum autem posteriores istæ à primis nomina sortitæ, à vetustioribus distent, quantumque propositis affectibus magis conveniant, unusquisque simplicium viribus æstimatis facile intelliget. Diapunon tum simplex, tum compositum à Nicolao descriptum cum maxime refrigerare debeat & febribus convenire, aromata plurima continet calidissima, quæ etiam in composito scammonii acrimoniam exasperant*.

CATHOLICUM SIMPLEX *omnes æquabiliter humores blande ac leniter è quavis corporis particula deducit & expurgat, sive cum febre, sive sine febre, nec pueris, nec senibus, nec prægnantibus infensum*.

℞ Radicum helenii, buglossi, cichorii, althææ, polypodii quercini, seminis cnici contusorum an. ℥ij. stœchados, hyssopi melissophylli, eupatorii veri, asplenii, betonicę, artemisię, an. m. ij. uvarum passarum expurgatarum ℥iij. quatuor seminum frigidorum majorum, seminis anisi, glycyrrhizæ an. ʒiij. coquantur omnia ex arte in ℔ x. hydromelitis, dum vij. supersint. In colato jure macera horis xij. foliorum sennæ mundatorum ℔j. agarici albi ℔ſ. zinziberis ℥j. aliquantum bulliant. & in expresso liquore dissolve pulpæ myxariorum ℔ſ. foliorum A sennæ mundatorum tenuissime tritorum ℥iiij. syrupi infusionis rosarum pallidarum ℔j. mellis optimi expumati ℔ij. percoquantur igne lento in mellis temperaturam, inspergendo sub finem rheibarbari electi & cinamomi electi an. ℥j. santali citrini ℥ſ. nucis moschatæ ʒij.

Dosis est ℥j. *Tota compositio existit* ℔iiij. *Doses sunt circiter quinquaginta*.

PLANTIUS. *Catholicum hoc vere dici potest, quod medicamenta omnes humores purgantia & partibus singulis interioribus præsertim familiaria contineat. Blande autem atque clementer purgans, ab extremis summisque partibus nihil aut minimum detrahit: catholicum vero majus id valide & efficaciter* B *præstat, cujus compositio ex omni pharmacorum genere constat, quæ tum è propinquis, tum è distantioribus sedibus trahant, apte confusis atque repressis. In catholico autem veteri male coquitur rheumbarbarum & cassia, quæ cum thamarindis accessit, ac totam fere compositionem corrumpit*.

CATHOLICUM MAIUS *omnes quoque humores promiscue trahit, idque validius, non è vicinis tantum, sed & è distantioribus sedibus, citra corporis perturbationem aut virium jacturam*.

℞ Quatuor seminum frigidorum majorum mundatorũ, seminis papaveris albi an. ʒj. tragacanthæ ʒiij. rosarum rubrarum, santali citrini, cinamomi an. ʒij. zinziberis ʒj. rheibarbari selecti, diadacrydii an. ℥ſ. agarici, turpethi an. ʒvj. sacchari albi soluti in aqua rosarũ in qua ℥ij. foliorũ sennę incoctæ sint, ℔j. concinnẽtur tabellæ ponderis ʒiij.

Dosis

Dosis tabella una. Tota compositio est ℔j ſ. *Doses autem circiter quinquaginta.*

SYRUPUS INFUSIONIS ROSARUM PALLIDARUM, *tenuem bilem serososque humores è primis visceribus nullo labore detrahit, morbis levioribus, pueris, senibus & imbecillis aptus.*

℞ Aquæ infusionis rosarum pallidarum ℔v. sacchari expurgati ℔iiij. coquantur igne lento in syrupi temperationem, macerantur autem rosarum pallidarum recentium lib. duæ in aquæ tepidæ lib. vj. horis xij. operculato vase: rosæ deinde eximuntur exprimunturque, his recentes aliæ similiter substituuntur, hisque abjectis aliæ tertio, quarto, octavo etiam atque nono, dum facultatis plurimum liquor ebiberit. in quo saccharum solvetur, nequo profecto ex contusis rosis, neque ex earum succo perinde efficax syrupus fuerit.

E PERSICORUM FLORIBUS, *aqua, ut dixi, maceratis* SYRUPUS *quoque fit, qui similiter bilem aquasque ducit & vermes enecat.*

PLANTIUS. *Syrupus rosarum pallidarum, electarium è succo rosarum & diacydonion veterem componendi rationem retinent, non admodum manifesta mutatione. At in electario diacarthami, quod mannæ, granata mellis rosati & sacchari geminati adjectio, compositionis rationem solidam perverteret, hic recte est suppressa.*

ELECTARIUM E SUCCO ROSARUM *bilem ac tenues aquososque humores valide & è distantioribus locis prolicit: his utile ac tutum qui articulari morbo laborant, nec admodum vehementi febre jactantur.*

℞ Succi rosarum siccarum recentium, sacchari albi an. ℔j ſ. coquantur in electarium solidum igne lento. Insperge sub finem trium santalorum, mastiches, cinamomi exquisite tritorum an. ʒij. diadacrydii ℥j ſ. caphuræ ℈ ſ. concinnentur tabellæ ponderis ʒij ſ.

Dosis tabella una. Tota compositio est ℥xxij. *doses autem sunt circiter septuaginta.*

DIACYDONION *eadem quæ electarium è succo rosarum aliquanto moderatius atque facilius efficit.*

℞. Pulpæ cydoniorum expurgatæ, coctæ & cribro transmissæ ℔j ſ. succi cydoniorum ℔ ſ. sacchari albiss. ℔ij. coquantur iu mellis crassitiem, inspergendo sub finem cinamomi triti ℥j. zinziberis, maceris, caryophyllorum an. ʒij. diadacrydii ℥ij.

Dosis à ʒiij. *ad* ℥ ſ *Tota compositio* ℔iiij. *doses autem circiter nonaginta.*

ELECTARIUM DIACNICU *pituitam serososque humores, atque etiam bilem è distantissimis evocat atque ducit: peculiariter capitis, nervorum, articulorumque doloribus benefacit.*

℞ Pulveris electarii diatragacanthi frigidi, medullæ seminis cnici, hermodactylorum an. ℥ß. rosarum rubrarum, succi glycyrrhizæ, cinamomi an. ʒij. turpethi ℥j. diadacrydii ℥j. sacchari albi aqua rosarum soluti ℔j. concinnentur tabellæ ponderis ʒiij ſ.

Dosis tabella una.

DIAPHOENICON *bilem crudamque pituitam atque etiam lentam clementer expurgat, compositis ac etiam diuturnis febribus & morbis ex cruditate ortis, & colico flatulentoque dolori aptum.*

℞ Pulpæ palmularum mundatarum ex hydromelite coctæ & cribro cretæ, penidiorum recentium an. ℔ ſ. amygdalarum expurgatarum ℥ſij. Contusis & permistis omnibus adde mellis expumati ℔ij. Paulum coquantur: ac deinde insperge zinziberis, piperis, maceris, cinamomi, foliorum rutæ siccorum, seminis feniculi & cauci an. ʒij. turpethi tenuissime triti ℥iiij. diadacrydii ℥j ſ.

Dosis est ʒiij. *ad* ℥ß. *Tota compositio est fere* ℔iiij. *doses autem insunt centum & circiter triginta.*

PLANTIUS. *In diaphœnico palmulæ hic recte macerantur & coquuntur in hydromelite, quod vetus infusio, quæ triduo in aceto fieri præcipiebatur, horrendum saporem præ se ferat. Subtracta quoque sunt nonnulla, ut levistici semen, pinei nuclei, galanga, xyloalo, quod nimium multa inessent facultatis ejusdem: auctaque est palmularum, penidiorum & aliorum mitiorum quantitas, ut inde compositio tota usu suavior & facilior existat.*

BENEDICTA *crassos pituitososque humores atque etiam serosos à parte evocat, calculi materiam revellit, ipsosque calculos exturbat & nephriticum dolorem lenit, frigidæ naturæ, frigidoque cœlo apta.*

℞ Turpethi ʒx. diadacrydii, hermodactylorum, rosarum rubrarum an. ʒv. caryophyllorum zinziberis, saxifragi, seminis apii, salis gemmei, galangæ, maceris, carui, feniculi, acinorum asparagi & rusci, seminis milii solis, quatuor seminum frigidorum majorum, glycyrrhizæ an. ʒj. mellis optimi expumati ℔j ß. conficiantur ex arte.

Dosis à ℥iij. ad ℥ß. Tota compositio est fere ℔ij. doses autem insunt circiter quinquaginta.

PLANTIUS. *Ex benedicta, quod multo calidior videretur, nec usu facilis, nec propter febrem tuta, optima ratione author subtraxit spicam nardi, macropiper, cardamomum & crocum, atque pro his substituit quatuor semina frigida majora, & glycyrrhizam.*

CONFECTIO HAMECH *bilem atram ac retorridam, salsamque pituitam detrahit, maniæ, psoræ, lepræ, impetiginis, cancri & elephantiasis peculiare subsidium.*

℞ Corticis myrobalanorum citrearum ℥ij. cepularum & nigrarum, violarum, colocynthidis, polypodii quercini an. ℥jß. absinthii, thymi an. ℥ſ anisi, feniculi, rosarum rubrarum an. ℥iij. Tusa omnia macerentur in seri lactis ℔ij. deinde coquantur ad lib. j. fricentur manibus, & exprimantur. Colatis adde succi fumariæ, pulpæ prunorum & uvarum passarum an. ℔ſ. sacchari albi, mellis expumati an. ℔j. coquantur ad mellis crassitiem, inspergendo sub finem agarici, sennæ tritorum an. ℥ij. rheibarbari triti ℥ſ. epithymi ℥j. diadacrydii ℨvj. cinamomi ℥ſ. zinziberis ℨij. seminis fumariæ & anisi, spicæ nardi an ℨj.

Dosis à ℨiij. ad ℥ß. Tota compositio est ℔iij. & ℥viij. doses vero insunt circiter octoginta.

Immutationis ratio. PLANTIUS. *In confectione Hamech frustra myrobalani geminantur in decocto primum, deinde rursum triti impositi. Rheibarbari cocti vis perit, cassia & manna cum thamarindis coctæ corrumpuntur, scammonii cocti vis exolescit, nec facile aliis permiscetur. Quocirca aptior multo atque utilior, & usu facilior est ea confectio, quam hic nobis author expressit.*

Præscriptionis ratio. *Hæ compositiones omnium optimæ sunt ac tutissimæ, quod in iis turpethi & scammonii acrimonia atque fervor pulchre retunditur permistione, vel pulpæ prunorum atque uvarum passarum, vel hermodactylis & amygdalis, vel rosis earumque succo, vel myrobalanis. Aliæ quædam extant non æque tutæ, ut electarium indum utrumque, electarium elechof, electarium de psyllio & diaturbith, in quibus scammonii & validiorum acrimonia minime retunditur, imo potius calidorum societate exacuitur. Adde quod nihil ea contineant, aut præstare possint quod non aliæ hic descriptæ feliciter efficiant. Quocirca ad omnium affectuũ causas summovendas satis eæ possunt conducere.*

HIERA SIMPLEX *bilem pituitamque ventriculo, intestinis, hypochondriis & mesenterii venis impactam expurgans, valideque infarctu liberans, morbis omnibus cruditate & ex venarum obstructione genitis blande succurrit.*

℞ Cinamomi, maceris, asari, spicæ nardi, croci, mastiches, ex ℨvj. aloës non lotæ ℨ centum sive ℔j. & ℥ß. mellis optimi expumati ℔iiij. Conficiantur ut artis est.

Datur pulvis solus à ℨij. ad ℨiij. melle vero exceptus ab ℥j. ad ℥jß.

HIERA DIACOLOCYNTHIDOS, *quæ una fuerit vice omnium à veteribus descriptarum, crassos lentosque humores, præcipue vero bilem atram & aquas citrinas tuto ac clementer expurgans: eximie confert paralysi, tremori, convulsioni, arthritidi, inveteratisque nervorum affectibus, atque etiam hydropi, deinde melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, psoræ, lepræ, maligno ulceri, cancro & elephantiasi, qui affectus leniora aspernantur pharmaca.*

℞ Stœchados, marrubii, chamædryos, hyperici, scyllæ assatæ, polii, calaminthes montanæ, cinamomi, spicæ nardi, epithymi, polypodii quercini aridi, quatuor seminum frigidorum majorum mundatorum ana drach. jſ. pulpæ colocynthidis, scammonii, ellebori nigri præparatorum ana drach. ij. euphorbii præparati, aloës, myrrhæ, ammoniaci, opopanacis, sagapeni, castorii ana drach. j. mellis cocti in succo cydoniorum & expumati ℔j. conficiantur ex arte.

Dantur ℨiij.

Colocinthis, scammonium, elleborus niger & euphorbium trita fricentur cum oleo amygdalarum dulcium, ac deinde macerentur biduum in mucilagine tragacanthæ & gummi arabici deprompta ex aqua rosarum dum mucilaginem totam ebiberint.

PLANTIUS. *Hieræ simplicis vetus compositio permansit, neque quicquam mutandum fuit, præter xylobalsamum, quod minime suppetit nobis. Compositiones multæ ex validioribus constant pharmacis, aliæ quidem ex scammonio, ut electarium è prunis, diacydonium, & electarium è succo rosarum: aliæ præterea turpethum habent, ut diaphœnicon, aliæ cum his hermodactylos, ut diacnicu & bendicta: aliæ colocynthidem, ut confectio Hamech: aliæ insuper elleborum nigrum & euphorbium, ut hiera diacolocynthidos, quæ quorundam affectuum, sed admodum raro peculiaris est. Ex quo intelligi potest, nullum simplex*

simplex medicamentum purgans in usum venire, à quo non aliqua extet compositio, ut idcirco non aliæ plures videantur expetendæ.

HYDRAGOGUM MINUS *hydropicorum aquas clementer & citra offensionem deducens pueris, senibus, imbecillis atque prægnanti tutum, sive febris ulla sit, sive nulla.*

℞ Succi rosarum pallidarum ℔ß. sacchari albi, mellis optimi ana ℥xv. coquantur dum expumaverint & crassescant, ac tum adde succi radices ebuli ℔j. prassii sicci, seminis feniculi tritorum an. ʒij. acinorum ebuli & sambuci an. ℥ij. cinamomi ʒvj. maceris, galangæ an. ℥iij. Igne lento percoquantur in mellis crassitiem.

Datur ℥ß. ex sero lactis aut ex decocto hordei, aut uvarum passarum.

Efficacius reddetur adjecta elaterii ℥ß. aut radicis cucumeris agrestis arefactæ ac tritæ ʒvj. aut succi radicis iridis nostratis lib. ß.

HYDRAGOGUM MAJUS EX LAUREOLA, *aquas potenter detrahens.*

℞ Seri lactis ℔j. sacchari albi, carnis cydoniorum ex aceto coctorum an. ʒx. mannæ calabrinæ ℥v. coquantur igne lento in mellis crassitiem: sub finem adjice foliorum laureolæ præparatorum ex aceto & oleo amygdalarum dulcium ℥ij.

Datur ℥ß.

Præparandi ratio hæc est: folior. laureolæ ℥ij macera horis xxiiij. in aceto mali punici vel portulacæ: modice coquantur, exprimantur, siccentur atque terantur. deinde affunde aquæ rosarum lib. ß. olei amygdalarum dulcium ℥jß. bulliant rursum dum absumpta sit aqua, & pulvis superstiti oleo mixtus in compositionem addendus.

PLANTIUS. *Ne quid ullo modo deesset, his postremo loco compositiones adjecit ad detrahendas hydropicorum aquas. has tametsi valentiora pharmaca præsertim scammonium & euphorbium expurgent, peculiares tamen compositiones ex his constare voluit, quibus ad aquas vis propria & familiaris est. Una mitior est, altera vehementior ex laureolæ foliis, quæ nondum in compositionem ullam relatæ fuerant. Quam apposite autem ejusmodi compositiones ad aquas detrahendas institutæ sint, quivis è simplicium permistione conjiciet.*

UNGENTUM E LATHYRIDE *alvum mollit ac subducit, & potenter hydropicorum aquas detrahens, distentum abdomen remittit. Eas autem inferne & ab alvo ducit, si umbilicus, imus venter, inguina, femoraque oblinantur, superne vero atque vomitione, si ventriculus attingatur.*

℞ Succi lathyridis ℔ß. succi esulæ ℥iiij. In quibus dissolve radicis cyclamini ℥ij. scammonii ℥ß. Granorum ricini & lathyridis expurgatorum an. ℥jß. seminum feniculi, rutæ & anethi, baccarum lauri an. ℥j. Trita omnia macerentur in succis diem unum. Postea axungiæ ℥viij. & ceræ ℥iiij. liquefiant, in hisque sensim omnia dissolvantur, & igne non acri coquantur, dum totus absumptus sit humor, & omnia in unguenti temperaturam coëant.

Si EADEM MATERIA EX OLEI ℥XV. *coquatur ad totius liquoris consumptionem, expressum oleum easdem quoque vires nanciscetur.*

Unguento præterea si vel gummi ammoniacum, vel cera concorporetur in EMPLASTRI consistentiam, aquas quoque id impositum sed ignavius promovebit.

ELECTARIUM DIASARU *omnis generis humores circum ventriculum & præcordia exuperantes vomitione ducit, non continuato, sed ex intervallis facto impetu: seni atque prægnanti tutum ac facile.*

℞ Syrupi menthæ & violarum an. ℥viij. coquantur in mellis crassitiem. Sub finem subducto igne insperge radicis peponis arefactæ, seminum raphani & urticæ maceratorum in aqua rosarum & arefactorum & tritorum an. ℥j. radicis asari contritæ & cretæ ℥ij. cinamomi, seminis feniculi an. ℥iij. confice in electarium liquidum.

Dantur ʒiij. *ex aqua hordei, vel ex mulsa, vel ex sero lactis.*

PLANTIUS. *Magnas rei medicæ suppetias tulisse author videtur his postremis compositionibus, & ea præsertim quæ ad ciendam vomitionem destinatur: quod nulla usquam extaret, qua tuto nobis liceret humores sursum purgare, cum sit tamen ea vacuatio ad multorum morborum curationem in primis necessaria.*

QUA ratione electaria, tum liquida, tum solida, eadem & nunc pilulas ad omne, tum morborum, tum causarum genus accommodemus.

PILULÆ E HIERA SIMPICI fiunt è ʒj. pulveris cum melle rosato subacti.

PILULÆ STOMACHICÆ, *quæ cibo præmissæ ventriculum expurgant, concoctionem juvant, cibum deducunt, alvumque blande exonerant.*

 ℞ Aloës

℞ Aloës ℥vj. mastiches, rosarum rubrarum an. ℥ij. cum syrupo rosato, vel absinthii, cogantur in massam.

PLANTIUS. *Pilularum stomachicarum cum sex descriptiones existant omnes hac una dempta stomacho sunt adversissimæ, nec cibo præmitti possunt, quod vel scammoniam, vel turpethum contineant, quibus corpus universum præcipueque ventriculus conturbatur.*

PILULÆ RUFFI *quæ & communes appellantur, crebro usu concoctionem juvant, nec cibum corrumpi sinunt, humores atque corpus à putredine vindicant, qua ratione adversus pestiferæ luis contagia mirifice prosunt.*

℞ Aloës optimæ ℥ij. myrrhę electæ, croci sinceri an. ℥j. excipiantur vino aromatico.

PLANTIVS. *A pilulis quæ ex sola constant aloë compositiones sensim deducens ac veluti coagmentans, alias iis deinde subjecit, quæ ex aloë & rheobarbaro, mox ex aloë & agarico componuntur: postea quæ ex agarico, aloë & rheobarbaro; ab iis alias ex aloe, & rheobarbaro, & senna: quibus demum pilulas sine quibus subjunxit, in quibus præter ea quatuor, scammonii vis atque infusio magis quam substantia continetur; ex his autem myrobalanorum portionem subtraxit, quod re vera nimium multa cum aliis etiam adstringentibus inesset.*

PILVLÆ ASSAJERET, *quod plus aloes quam hiera contineant, efficaciores quoque existunt.*

℞ Pulveris hieræ simplicis ℥j. aloës ℥ij. mastiches, myrobalanorum citrearum an. ℥ſ. cum syrupo è stœchade cogantur in massam.

PILULÆ DE EUPATORIO *bilem leniter expurgant, & jecur infarctu liberant corroborantque, præstantiores quam quæ è rheobarbaro inscribuntur.*

℞ Succi eupatorii, succi absinthii, myrobalanorum citrearum an. ʒiij. rheubarbari electi ʒiijß. mastiches ʒj. croci ʒſ. aloës ʒv. succi endiviæ quantum satis fuerit ut cogantur in massam.

PILULÆ MASTICHINÆ, *quod agaricum contineant, validius bilem crassamque pituitam expurgant, quam quæ ex sola aloë constant.*

℞ Mastiches ℥ij. aloës ℥iiij. agarici trochiscati, pulveris hieræ simplicis an ℥jſ. cum vino malvatico cogantur in massam.

PILULÆ EX TRIBVS, constant ex iisdem, addendo rheibarbari selecti ℥ij. cinamomi ℥ſ. cum syrupo è cichorio fit massa.

A PILULÆ IMPERIALES *clementer ac moderate omnes humores è visceribus expurgant, ea pariter corroborant, infarctu liberant, omniumque nutrientium partium concoctionem juvant.*

℞ Aloës optimæ ℥ij. rheibarbari electi ʒjß. agarici trochiscati, foliorum sennæ mundorum an. ℥j. cinamomi ʒiij zinziberis ʒij nucis moschatæ, caryophyllorum, spicæ nardi, mastiches an ʒj. cum syrupo violato subacta cogantur in massam.

PILULÆ SINE QUIBUS ESSE NOLO, *bilem, pituitam & melancholiam undique, sed præcipue ex capite, oculis & sensibus detrahunt, oculorum suffusiones minuunt, & visum conservant, aurium dolores tinnitumque tollunt.*

℞ Aloës optimæ ʒxiij. myrobalanorum citrinarum, cepularum & indarum, rheibarbari, mastiches, absinthii, rosarum, violarum, sennæ, agarici, cassuthæ, an. ʒj. scammonii ʒvjß. Scammonium solvatur succo feniculi quantum sufficit, trajiciaturque per pannum, eoque liquore pulveres tenuissimi excipiantur in massam. B

PILVLÆ E FVMARIA *biliosos humores, acres quoque & salsos extrahunt, cutis vitia emendant.*

℞ Mirobalanorum citrearum, cepularum & indarum an. ʒv. diadacrydii ʒv. aloës ʒvij. Trita omnia ter imbuantur succo fumariæ, terque siccari sinantur, ac demum cogantur in massam.

PILULÆ AVREÆ *iis quidem propter colocynthidem validiores, caput & sensus oculosque præsertim expurgant, hisque aciem restituunt, biliosos, pariterque pituitosos humores detrahunt.* C

℞ Aloës, diadacrydii an. drach. v. rosarum rubrarum, seminis apii an. drach. ijß. seminis anisi & feniculi, mastiches an. ʒjß. croci, pulpæ colocynthidos an. drach. j. mucilaginis gummi tragacanthæ quantum satis est. fingatur massa.

PILULÆ DE AGARICO *pituitam lentosque humores undique, præsertim vero è thorace potenter ducunt, destillationi & asthmati peculiares.*

℞ Agarici, mastiches an. drach. iij. radicis iridis, prassii an. drach. j. turpethi drach. v. pulveres hieræ picræ ℥ß. pulpæ colocynthidos, sarcocollæ an. drach. ij, myrrhæ drach. j. sapæ quantum satis est ut cogantur in massam.

PLAN-

PLANTIVS. *In pilulis exagarico congesta sunt præstantissima quæque ad crassam pituitam, tum è vicinis, tum è distantioribus partibus detrahendam. In quarum compositione nihil prorsus immutandum fuit.*

PILULÆ COCCIAE *bilem quidem, sed pituitam crassam validius undique purgant, peculiariter tamen è cerebro atque nervis, quorum præcipue morbis medentur.*

℞ Pulveris hieræ simplicis drach. x. pulpæ colocynthidis drach. iiij. & ß. diadacrydii drach. ijß. turpethi, stœchados an. drach. v. cum syrupo è stœchade massa concinnetur.

PLANTIUS. *Pilula coccia licet bilem pituitamque valde purgent, non tamen omnes pariter humores perinde, atque hæ quæ polychresta & vulgo aggregativæ majores vocantur, quarum compositio nihil à vetere distat, nisi quod pro ratione ponderum, transposita quædam sunt simplicia. Harum autem compositio multo convenientior est, quam pilularum de octo rebus & quam pilularum de quinque generibus myrobalanorum, quæ tamen eadem pharmaca comprehendunt. Harum igitur descriptiones hic jure prætermissæ videntur. Prætermissa quoque est descriptio pilularum de colocynthide. quod sub istis contineri videatur: quemadmodum & pilulæ de euphorbio, sub pilulis de hermodactylis.*

PILULAE EX HERMODACTYLIS *crassos humores simulque serosos, potenter ab extremis partibus præsertim ab articulis evellunt, cerebri, nervorum articulorumque frigidis morbis familiares.*

℞ Hermodactylorum, aloës, myrobalanorum citrinarum, turpethi, colocinthidis, bdellii mollis, sagapeni an. ʒvj. castorii, sarcocollæ, opopanacis, seminis rutæ agrestis & apii an. ʒiij. croci ʒjß. succi brassicæ quantum satis fuerit ad massam conformandam.

PLANTIUS. *Pilulæ ex hermodactylis veterem compositionem retinent, solæque satis sunt ad veteres articulorum dolores: efficaciores in id quam quæ arthriticæ vocantur, & tutiores quam quæ fœtidæ, aut de opopanace, aut de sagapeno, aut de sarcocolla, ut idcirco harum descriptione minime fuerit opus.*

PILULAE POLYCHRESTAE *ad capitis, ventriculi, hepatis, aliorumque viscerum varios & implicitos affectus: ex his enim pituitam & bilem utramque purgant.*

A ℞ Myrobalanorum citrearum, rheibarbari an. ℥ß. succi eupatorii, succi absinthii, myrobalanorum cepularum & indarum, agarici, colocynthidis, polypodii an. ʒij. diadacrydii, turpethi, aloës an. ʒvj. mastiches, rosarum rubrarum, salis gemmei, epithymi, anisi, zinziberis an. ʒj. confice cum syrupo rosarum.

Dantur à ℈ij. ad ʒj.

PILULAE E LAPIDE CYANAEO *bilem atram, crassamque pituitam eximie purgant, ad melancholiam, mœstitiam & furorem, ad cancrum & elephantiasin, ad alphos nigros, idque in primis utiles.*

℞ Lapidis cyanæi abluti ʒvj. epithymi, polypodii an. ʒviij. diadacrydii, ellebori ni-

B gri, salis indi an. ʒijß. agarici ʒviij. caryophyllorum, anisi, an. ʒiiij. pulveris hiere picræ simplicis ʒxv. cum succo intybi seu endivię massa fingatur.

PLANTIVS. *Pilulæ è lapide cyanæo propter elleborum nigrum usurpatæ usitatiores sunt, quam pilulæ indæ, quæ elleborum quoque continent. Eas idcirco descripsit aliis prætermissis, & efficaciores quoque ad melancholicos affectus quam pilulæ è lapide armeno, quas eadem ex causa prætermisit.*

PILULA E THYMELAEA *serosos humores & hydropicorum aquas strenue proliciunt.*

℞ Foliorum thymelææ aceto maceratorum & exiccatorum ʒv. myrobalanorum flavarum ℥ß. myrobalanorum cepularum ʒiij. mannæ & thamarindorum aqua intybi solutorum quantum opus est ad pilularum

C formam.

PLANTIUS. *In pilulis è thymelæa nihil immutatum est. his & aliæ accesserunt ex esula apte quidem compositæ, & quibus magna vis est ad aquas detrahendas.*

Pilulas lucis, tum majores, tum minores idcirco derelictas fuisse conjicio, quod nimium multa & parum apta simplicium miscellanea mistura confusæ sint, quodque ad oculorum affectus satis efficaces sint pilulæ sine quibus.

PILVLAE EX ESULA *hydropicorum quoque aquas ab alvo deducunt, non levi perturbatione, ut idcirco solis robustis, atque iis non febricitantibus conveniant.*

℞ Corticis radicis esulæ minoris maceratę horis xxiiij. in aceto & succo portulacę

ʒij. grana

ʒij. grana ricini expurgata torrefactaque quadraginta. myrobalanorum citrinarum ʒjß. chamædryos, chamæpityos, ſpicæ nardi, cinamomi an. ℈ij. trita omnia tenuiſſime excipiantur ℥j. tragacanthæ aqua roſarum ſolutæ. cogantur in maſſam.

Dantur ℈ij.

PILULÆ E CYNOGLOSSO *non ad purgandum quidem, ſed ad omnes deſtillationes cohibendas comparatæ, ſive in thoracem & pulmones cum tuſſi, ſive in dentes aut alio procumbant.*

♃ Myrrhæ ʒvj. thuris maſculi ʒv. opii, hyoſcyami ſeminis, radicis cynogloſſi aridæ an. ℥ß. croci, caſtorei an. ʒjſ. cum aqua roſarum ſtillaticia fiat maſſa.

Dantur à ℈j. *ad* ʒſ.

PLANTIUS. *Pilulis è cynogloſſo recte additum eſt caſtorium, ut cui cum croco præcipua vis ſit emendandi opii malignitatem, idque videbatur inconſiderate prætermiſſum.*

PILULÆ ARISTOLOCHIÆ *ſummam incidendi detergendique vim adeptæ, epilepſiæ, paralyſi, aſthmati, tuſſi veteri, jecoris renumque incipienti ſcirrho, nephritidi, ſuppreſſis menſibus, excludendo fœtui atque ſecundis utiles, hyeme humidiſque naturis convenientiores, purgato jam corpore.*

♃ Radicis ariſtolochiæ rotundæ ℥j. radicis gentianæ, myrrhæ electæ an. ʒiij. aloës, cinamomi an. ℥ſ. zinziberis ʒj. Omnia exquiſitiſſime trita excipiantur oleo amygdalarum dulcium recenti.

Datur ʒjſ. *ac protinus ſorbendum juſculum quo diluantur.*

PLANTIUS. *Pilulæ ariſtolochiæ his poſtremo utiliter adjectæ ſunt & præclare inſtitutæ, quod ſumma aperiendi vi polleant. Poterant & in potionem referri, ſed quod forent amariſſimæ, catapotiorum forma tædio minori devorantur.*

DE ANTIDOTIS.

Ac primum de SOLIDIS.

Quibus maxime principibus partibus robur additur.

DIANTHΩN *cerebrum imbecillum recreat, ejuſque deſtillationes compeſcit, melancholiam & triſtitiam quæ præter rationem fit lenit, animique defectionem tollit.*

♃ Florum roriſmarini ℥ſ. roſarum, violarum, glycyrrhizæ an. ʒiij. caryophyllorum, ſpicæ nardi, nucis moſchatæ, galangæ, cinamomi, zinziberis, maceris, ligni aloës, cardamomi, aniſi, ſeminis anethi an. ℈ij. ſacchari albi aqua ſalviæ aut betonicæ ſoluti ℔jſ. Concinnetur electarium per tabellas.

ELECTARIUM PLERES ARCHONTICON *cerebrum mire corroborat, ſenſus exacuit, abolitam memoriam reſtituit, epilepticos juvat & aſthmaticos, triſtes, melancholicos & animi deliquio preſſos recreat, diuturno morbo confectos inſtaurat.*

♃ Cinamomi, caryophyllorum, ligni aloës, galangæ, ſpicæ nardi, nucis moſchatæ, zinziberis, ſpodii ſchœnanthi, cyperi, roſarum, violarum an ʒji folii aut maceris, glycyrrhizæ, maſtiches, ſtyracis calaminthæ, ſamſuchi, balſamitæ, ocymi, cardamomi, macropiperis, myrtilorum, corticum mali citrii an. ʒſ. & g'vj. margaritarum ſplendidarum, been albi & rubri, corallii, ſerici combuſti an. g'xviij. moſchi g'vj. caphuræ g'iiij. ſacchari albi aqua meliſſæ ſoluti decuplum vel etiam duodecuplum.

PLANTIUS IN ANTIDOTA.

Quod antidoti principibus partibus corroborandis deſtinentur, recte earum compoſitiones ex partium corporis ordine hic inſtituit, ab iis exorſus quæ cerebro deinde quæ thoraci aliiſque partibus convenirent.

DIATRAGACANTHUM FRIGIDUM *omnibus pulmonis thoraciſque vitiis, peripneumoniæ, pleuritidi, tabi, tuſſi calidæ cum febre, faucium & arteriæ aſperitati convenit.*

♃ Gummi tragacanthæ albiſſimi ℥j. gum-

gummi arabici ℥v. amyli ʒij. glycyrrhizæ, seminis papaveris albi, quatuor seminum frigidorum majorum cortice liberorum an. ʒj. caphuræ g v. penidiorum ℥ijſ. sacchari albissimi aqua violarum soluti ℔j. electarium concinnetur in tesseras.

PLANTIUS. *Diatragacanthum calidis confert affectibus, viresque obtinet alterius compositionis quæ diapapaver appellatur, hacque idcirco recte prætermissa est.*

DIAIREΩS SIMPLEX *thoracis pulmonumque vitia blande attenuando expectorat, sputumque facilius reddit: calidis morbis increscentibus aut frigidis levioribus accommodatum.*

♃ Radicis iridis florentinæ ℥j. pulveris electarii diatragacanthi frigidi, sacchari candi an. ℥ſ. sacchari albiss. hyssopi aqua soluti ℥viij. fiat electarium solidum.

ELECTARIUM DIAIREΩS COMPOSITUM *benefacit calidis morbis jam inclinantibus, & frigidis inveteratis, ut tussi, asthmati, raucitati.*

♃ Radicis iridis ℥ſ pulegii, hyssopi, glycyrrhizæ an. ʒiij. tragacanthæ, amygdalarum amararum, pinearum, cinamomi, zinziberis, piperis an. ʒſ. seminis lini, altheæ & fœnigræci an. ʒij. sacchari albiss. aqua tussilaginis soluti ℔j. vel ℥xiiij.

PLANTIUS. *Electarium diaireωs compositum est hic quoque pro electario diatragacantho calido, & pro electario diapenidiωn, quæ idcirco non nisi frustra & pharmacopœorum jactura his inseri possent. hac autem compositione pro caryctis, passulis, palmulis & styrace, quæ male ad hanc compositionem apta erant, recte substituit semen lini, althææ & fœnigræci, quibus vis eximia est ad inveterata pectoris vitia.*

DIACALAMINTHES *contumacia & inveterata pectoris pulmonumque vitia, horumque crassos lentosque humores attenuat, detergit & expectorat, flatus discutit, concoctionem, alimentique distributionem adjuvat, urinas, menses, sudoresque ciet.*

♃ Calaminthes montanæ, pulegii, petroselini, seseleos, origani an. ʒij. seminis apii, cymarum thymi an. ℥ſ. libystici, piperis an. ℥j. sacchari albiss. aqua violarum aut rosarum soluti ℔ijſ. fiat electarium.

Immutationis ratio.

PLANTIUS. *In hac diacalaminthes compositiones recte adjectum videtur origanum. in cæteris Galeni compositionem author est imitatus, & simplicium pondera, præterquam in libystico & in pipere. hic enim libystici semissem duntaxat, piperis vero sextantem, quod scilicet compositio hæc quadrans solum sit totius ejus quæ à Galeno describitur lib. 4. de tuenda valetudine. Quum præterea in cæteris electariis supra descriptis, quæ mitia erant, suavi sapore, nec usu difficilia, sextuplo aut octuplo sacchara pulveres exceperit, in hac certe compositione, quæ calida multum est & usu difficilis, duodecuplum adjecit. Hæc porro diacalaminthes compositio earum vice etiam fuerit, quæ appellantur diahyssopu & diaprassiu, & quæ jure tanquam supervacuæ exolescunt, ne multitudo gravis sit.*

DIAMARGARITΩN FRIGIDUM, *febrium æstus, atque malignitatem compescit, cor munit, roborat, & à maligna contagione vindicat, animi defectione & syncope liberat, mœroremque discutit.*

♃ Quatuor seminum frigidorum majorum mundatorum, seminis portulacæ & papaveris albi, seminis endiviæ, oxalidis & citrii, trium santalorum, ligni aloës, zinziberis, rosarum rubrarum, florum nymphææ, buglossi & violarum, baccarum myrti, ossis è corde cervi, eboris, doronici romani, cinamomi an. ʒſ. corallii albi & rubri an. ʒſ. margaritarum splendidarum ʒiij. ambaris, caphuræ an. g vj. moschi g ij. sacchari albi aqua buglossi vel rosarum soluti ℔ij.

PLANTIUS. *Hoc electarium diamargaritωn, ut præstantius & efficacius existeret, supra vulgarem descriptionem, quæ incerti est autoris, recte & utiliter continet semina endiviæ, oxalidis & citrii ebur quoque, os è corde cervi, doronicum romanum, cinamomum: quæ constat omnia cardiaca esse. Nonnulli in hoc etiam electarium, gemmarum fragmenta adjecerunt, sed tamen frustra, quod omnia in electario de gemmis comprehensa sint, quod huic interdum præscribendo admisceri potest. Hoc autem calida pauca continet aromata, frigida vero plurima, ut idcirco tutus sit usus.*

ELECTARIUM DE GEMMIS *cor eximie roborat, idque in febribus à maligna & pestilenti putredine tuetur: animi defectioni, cordis palpitationi & tristitiæ spontaneæ succurrit.*

♃ Margaritarum splendidarum ʒjſ. sapphiri, hyacinthi, sardæ id est corneolæ, granatorum, smaragdi, an. ℈ij. & g v, zedoariæ, doronici, corticum citrii mali, maceris, seminis ocymi, caryophyllati an. ʒj, corallii rubri, succini, eboris an. ℈ijſ. been albi, been rubri, caryophyllorum, zinziberis, piperis longi, spicæ indicæ, folii, croci,

cardamomi majoris an. ʒſ. trochiſcorum A diarhodon, ligni aloës an. ʒijſ. cinamomi, galangæ an. ℈ij.g̃v.foliorum auri, foliorum argenti an. ℈j. ambræ ʒj. moſchi g̃xv. ſacchari albi aqua roſarum ſoluti ℥xx. quod eſt octuplum.

PLANTIUS. *Electarium è gemmis omne fere calidiorum aromatum genus complectitur neque ea jam harum fragmentis multum retunduntur. Expediret igitur portionem eorum ſubtrahere, præſertim beën album & rubrum, piper longum, cardamomum majus, & folium, quod etiam raro ſuppetit.*

ELECTARIUM DIAMBRAS *cor, cerebrum, principeſque partes corroborat & exhilarat, inſitum calorem ſenibus præſertim ac imbecillis, frigidiſque naturis ſuſcitat, non alimenti modo, ſed & frigidorum humorum concoctionem juvat: omnemque corporis ac uteri perfrigerationem diſcutit, ut idcirco ad con- B cipiendum conferat.*

♃ Cinamomi, doronici romani, caryophyllorum, maceris, nucis moſchatæ, folii, galangę an. ʒiij. ſpicę nardi, cardamomi majoris & minoris an. ʒj. zinziberis ʒjſ. ſantali citrini, ligni aloës, piperis longi an. ʒij. moſchi ʒſ. Singulæ pulveris unciæ excipiuntur ſingulis libris ſacchari aqua roſarum ſoluti.

Hujus ſimiliumque compoſitionum cenſura.

PLANTIUS. *Diambras ex omnibus quoque aromatum generibus promiſcue nulloque delectu congeſtis atque confuſis conſtitui videtur, quemadmodum & diacyminon & dianyſon & diacinamomu, diazinziber, diatrion piperewn, & diaxyloaloës, & diamargariton calidum, & diamoſchu dulce, & diamoſchu amarum: quæ omnia vehementer calida ſunt, ex calidis minime repreſſis conſtantia, ut idcirco videantur eaſdem facultates ſortiri, & eoſdem pene effectus proferre. Quocirca reliquis omnibus ſuppreſ- C ſis author hic unicam diambræ compoſitionem inſeruit, quæ vice ſit omnium, ne multitudine obruatur medicinæ ſtudioſus, & ne immodicam pharmacopœus jacturam faciat. Sed & in hac compoſitione, quæ ut cæteræ vehementer calida exiſtit, utiliſſimum putarem ſubtrahere cardamomum utrumque & piper longum, atque pro his ſubſtituere roſarum rubrarum ʒiij. vix enim aliter uti ea liceat in calidis naturis aut æſtuoſo cælo, in febribus, aliiſque morbis calidis. Sed & immodicus compoſitionum ejuſmodi calor effecit, ut & uſus quoque difficilis eſſet, & tanquam inutiles exoleſcerent: quemadmodum & diatrion piperewn Galeni & diacalaminthes. Hæc autem proſpiciens author recte juſſit pulveres duodecuplo ſacchari excipi, ita nimirum ſuavitati conſulens.*

PULVIS CARDIACUS *mirifice corroborans, & muniens, ne in peſtilenti conſtitutione contagione offendatur: in ardenti febri & æſtuoſo cœlo tutus, quod moderato ſit calore.*

♃ Radicum tormentillæ, dictamni, tunicis & ſcabioſæ, ſeminis acetoſæ, endiviæ, coriandri præparati, ſeminis citrii, rutæ & cardui benedicti an. ʒj. trium ſantalorum, been albi, been rubri, doronici romani, ligni aloës, zedoariæ, cinamomi, cardamomi, maceris, croci, roſarum rubrarum, florum bugloſſi utriuſque, florum nymphææ an. ℈ij. raſuræ eboris, ſpodii, id eſt eboris uſti, oſſis è corde cervi, coralii albi, coralii rubri, ſuccini, margaritarum ſplendidarum, ſmaragdi, hyacynthi, granati an. ℈j. ſerici crudi torrefacti, boli armenæ, terræ leminæ an. ʒß. caphuræ, moſchi, ambaris an. g̃vj. fiat pulvis & ex octuplo ſacchari albi aqua roſarum ſoluti concinnentur.

AROMATICUM ROSATUM MAJUS *moderato calore ventriculum, omniumque viſcerum concoctionem adjuvat, cruditatem emendat, humores ſupervacuos abſumit, flatus diſcutit, ex morbo convaleſcentibus aptiſſimum.*

♃ Roſarum rubrarum ʒxv. glycyrrhizæ raſę ʒvij. ligni aloës, ſantali citrini an. ʒiij. cinamomi electi ʒv. maceris, caryophyllorum an. ʒijß. gummi arabici, tragacanthę an. ʒij. ℈ij. nucis moſchatæ, cardamomi, galangę an. ʒj. ſpicę nardi, ambrę an. ℈ij. moſchi ℈j. ex octuplo ſacchari tabulæ concinnentur.

PLANTIUS. *Aromatici roſati uſitata compoſitio placuit.*

ELECTARIUM DIARRHODON ABBATIS *ventriculi & præcordiorum æſtus temperat, ac eorum nihilominus concoctioni opitulatur, flatus diſſipat, doloreſque lenit.*

♃ Roſarum rubrarum ℥jß. ſantali albi & rubri an. ʒijß. tragacanthę, gummi arabici, eboris uſti an. ℈ij. maſtiches, ſpicę nardi, cardamomi, ſucci glycyrrhizę, croci, xyloaloës, caryophyllorum, gallę moſchatę, aniſi, feniculi, ſeminis ocymi, acinorum berberis, ſeminis ſcariolę, portulacæ & papaveris albi, quatuor ſeminum frigidorum majorum, rheibarbari electi, cinamomi an. ℈j. margaritarum, oſſis è corde cervi an. ℈ß. caphuræ g̃vij. moſchi g̃iiij. ex octuplo ſacchari aqua roſarum ſoluti fingantur tabellæ.

PLAN-

PLANTIUS. *Ab electario diarrhodon, aſarum ſubtraxit, quod ventriculum ſubvertat etiam leviſſime tritum: & ſaccharum candum, quod nihil magis quam ſaccharum album conferat. electarium diagalangæ, tametſi à pleriſque ad ventriculi cruditates celebratum, propter tamen immodicum calorem exolevit, cujus etiam loco. ſi res poſtulet, ſubſtitui poterit diambras, vel calaminthes.*

ELECTARIUM DIATRIΩN SANTALIΩN *calidam jecoris intemperiem emendat. ejuſque obſtructi reliquias tollit, & icterum perſanat, viſcus ipſum & ventriculum corroborat.*

℞ Trium ſantalorum, albi, rubri & citrini, roſarum rubrarum an. ʒiij. rheubarbari electi, eboris uſti, ſucci glycyrrhizæ, ſeminis portulacæ an. ʒij. gummi arabici, tragacanthæ quatuor ſeminum frigidorum majorum mundatorum, ſeminis intubi an. ʒjß. ſacchari albi aqua roſarum ſoluti octuplum.

PLANTIUS. *Ex electario trium ſantalorum ſubtractum eſt & exemptum amylum, tanquam ſupervacuum. neque in hunc ordinem relatum eſt electarium diacubebæ, quod ad jecoris calidos affectus & obſtructiones plerique celebrant, quandoquidem non aliud complectitur, quam hoc electarium trium ſantalorum,*

DIACROCU, *quod &* DIACUCURMA *vulgo appellatur inveteratos hepatis, lieniſque affectus ſolvit, pervicaces obſtructiones, atque jam incipientem ſcirrhum evellit, hincque ortam cachexiam, & hydropis rudimenta perſanat.*

℞ Croci, aſari. petroſelini macedonici, dauci, aniſi, apii ſeminis an. ℥ß. rheibarbari, meu, ſpicę nardi an. ʒvj. coſti, myrrhæ, caſſiæ ligneæ, ſchœnanthi, carpobalſami, radicis rubiæ, ſucci abſinthii, ſucci eupatorii arefacti, olei balſami an. ʒij. calami odorati, cinamomi an. ʒjß. ſcordii, ſcolopendrii, ſucci glycyrrhizæ an. ʒijß. ſacchari albi aqua endiviæ ſoluti decuplum.

PLANTIUS. *Electarium diacrocu quædam continet admodum rara & quæ vix ſuppetunt nobis, ut caſſiam ligneam, carpobalſamum, opobalſamum: quæ ſi prætermittantur; non minus efficax medicamentum erit ad ea quæ propoſita ſunt.*

DIALACCA MAJUS *ad jecoris, lieniſque veteres obſtructiones, ad malum habitum, & incipientem hydropem efficacius quam diacrocu.*

℞ Laccę præparate, rheibarbari an. ʒiij. ſpicæ indicæ, maſtiches, ſtipitum ſchœnanthi, abſinthii romani, ſucci eupatorii Meſuæ, ſabinę, amygdalarum amararum, coſti, myrrhæ, rubiæ, ſeminis apii, ammios, feniculi & aniſi, ariſtolochiæ longæ, ariſtolochiæ rotundæ, gentianę, croci, cinamomi, hyſſopi, caſſię ligneæ, ſummitatum ſchœnanthi, bdellii an. ʒjß. piperis, zinziberis an. ʒj. ſacchari albi duodecuplum.

PLANTIUS. *Electarium dialacca majus, plires archonticon & exhilarans, veterum retinent componendi rationem, quod ſatis accommodatæ viderentur ad affectus titulo deſignatos.*

ELECTARIUM EXHILARANS *Galeno falſo adſcriptum, mœrorem & melancholiam, pravaſque cogitationes diſcutit, ſpiritus omnes ſuſcitat, concoctionem juvat, nativum calorem auget, & canitiem arcet.*

℞ Florum ocymi, caryophyllati, croci, zedoariæ, xylobalſami aut ligni aloës, caryophyllorum, corticum citrii mali, galangæ, maceris, nucis moſchatæ, ſtyracis calaminthæ an. ʒijſ. aniſi. ſcobis eboris, thymi, epithymi an. ʒj. caphuræ, moſchi, ambaris, margaritarum ſplendidarum, oſſis è corde cervi an. ʒſ. foliorum auri & argenti an. ℈ſ. ſacchari albiſſ. octuplum.

ELECTARIUM DIASPERMATΩN *renes & urinæ ſeminiſque vias refrigerans ac leniens, ab omni humoris illuvie clementer expurgat.*

℞ Quatuor ſeminum frigidorum majorum & minorum, ſeminis aſparagi, pimpinellæ, ocymi & petroſelini, granorum halicacabi an. ʒij. milii ſolis, ſucci glycyrrhizæ an. ʒiij. cinamomi, maceris an. ʒj. ſacchari albi aqua althææ ſoluti octuplum.

ELECTARIUM ΛΙ'ΘΩΝ ΘΡΥΠΤΙΚΟ'Ν *lumborum dolores compeſcit, renum ac veſicæ arenulas exturbat, nephritico dolori & dyſuriæ ſuccurrit, calculum ſenſim comminuit ac proterit.*

℞ Spicæ nardi, zinziberis, cinamomi, melanopiperis, cardamomi, caryophyllorum, maceris an. ʒß. coſti glycyrrhizæ, cyperis, tragacanthæ, chamædryos, an. ℈ij. ſeminis apii, ammios, aſparagi, ocymi. urticæ, citrii mali, ſaxifragi, pimpinellæ, carui, dauci, feniculi, ruſci, petroſelini macedonici, bardanæ & ſeſeleos, aſari an. ʒj. lapidis ſpongiæ, lapidis lyncis, lapidis cancri & lapidis judaici an. ʒjß. ſanguinis hircini pręparati ℥jß. fiat pulvis. ſacchari albiſſ. aqua betonicę ſoluti decuplum.

Vrgente autem doloris necessitate, aut urinæ sup-pressæ pulvis purus datur ex passo cretico à ℈ij. ad ʒj.

Ratio immutationis.

PLANTIUS *Electarium diaspermatων varie & ad pleroſque affectus descriptum legimus, hoc tamen sub eodem nomine aptissime compositum videtur ad renum æstus, urinæ ardores & cæteros affectus qui titulo designantur. Ab electario quod lithontribon appellant, detracta sunt ea inprimis quæ vix usquam syncera inveniri queunt, & aliæ quædam adstringentia, quæ ob sunt confringendo calculo & exturbandis arenulis. Adjecta vero sunt pleraque seminæ & lapides nonnulli, & sanguis hircinus præparatus, quibus certe omnibus eximia vis & facultas ad calculos & ad symptomata omnia eorum vitio genita. Si quæ ex causa immoderatus hujus calor metuitur, alterius electarii diaspermatων temperatione leniri poterit.*

ELECTARIUM DIACALAMINTHES COMPOSITUM *potenter menstrua, omnesque uteri purgationes ciet.*

℞ Pulveris electarii diacalaminthes simplicis ℥ß foliorum prassii, sampsuchi, melissophylli, artemisiæ, sabinæ aridorum an. ʒj. cyperi, seminis rutæ & rubiæ, maceris, cinamomi an. ℈ij. facchari albi aqua parthenii soluti duodecuplum.

PLANTIUS. *Electarium diacalaminthes compositum recte his postremo loco adjectum videtur, quod nullum extaret ad uteri illuviem expurgandum aptum.*

DE ANTIDOTIS HUMIDIS.

ANTIDOTUS ANALEPTICA *vires omnes exolutas instaurat, cardialgiam, animi defectionem & syncopen tollit, corpus sanguinis profusione, aut quavis immodica vacuatione extenuatum resarcit, tabidis & consumptis succurrit: humectans nimirum, nutriens & corroborans.*

℞ Rosarum rubrarum, glycyrrhizæ an. ʒij. g v. gummi arabici & tragacanthę an. ʒij. santali albi & rubri an. ʒj. ℈j. succi glycyrrhizę, amyli, seminum papaveris albi, portulacæ, lactucę & seriolæ an ʒiij. quatuor seminum frigidorum maiorum, seminis cydoniorum, seminis malvæ, seminis bombacis, seminis violarum, strobilorum, pistaciorum recentium, amygdalarum dulcium, pulpę sebesten an. ʒij. caryophyllorum, spodii. cinamomi an ʒj. croci g v. penidiorum ℥ß. trita omnia excipiantur triplo syrupi violati.

PLANTIUS. *In antidoto analeptica quam resumptivam appellant nihil prorsus immutandum visum est, præter simplicium ordinem, quodque pro granis berberis adjecta sint pistacia.*

ANTIDOTUS DIASATYRIΩN *semen genitale auget, venerem excitat, eamque ignaviorem & velut sopitam erigit, renum & spermaticorum vasorum imbecillitati auxilio est, & ad liberorum procreationem confert.*

℞ Radicis satyrii recentis ac solidæ, radicis pastinacæ sativæ, radicis eryngii, nucis indicæ, strobilorum, pistaciorum an. ℥jß caryophillorum, zinziberis, anisi, seminis anisi, seminis erucæ, linguæ avis quæ semen est fraxini an ʒv. cinamomi, caudarum scincorum, seminis bulbi an. ʒijß. moschi g v. mellis optimi expumati ℔iij. Radices tunsæ coquuntur ex melle ac subiguntur: his deinde nux indica, strobili & pistacia tusa similiter adjiciuntur: reliqua postremo exquisite trita.

PLANTIUS. *Diasatyriων tres quidem compositiones traduntur, sed quarum hæc una efficacissima vice sit omnium.*

ANTIDOTUS E COCCO BAPHICO *seu grano infectorio, quod kermes est Arabibus, cor exhilarat, mœrorem sine occasione discutit, melancholiam domat & mem..niam, spiritus viresque exolutas resarcit.*

℞ Succi malorum fragrantium, aquæ rosarum an. ℔ij. In quibus macera horis xxiiij. serici staminis crudi ℔j. modice bulliat & exprimatur. in liquore coquantur granorum infectoriorum ℥ij decoctum jam rubens coletur. in quo dissolve facchari albi ℔jſ Rursum coquantur ad mellis consistentiam, sub finem ambrę crudę contusæ ℥ſ. cumque liquefacta fuerit insperge hos pulveres. ligni aloës crudi, cinamomi an ʒvj. lapidis cyanei loti & præparati ℥jſ. margaritarum non perforatarum ʒij. foliorum auri purissimi ʒj. moschi ℈j.

PLANTIUS. *Antidotus è cocco baphico, confectio Alkermes appellata, vix tuto potest ex serico jam tincto & (ut appellant) kermesino comparari, quod id non sine galla, alumine & arrhenico, quod prorsus venenatum est, infici soleat. Multo igitur tutior atque præstantior est hæc componendi ratio.*

ANTIDOTUS E BACCIS LAURI *calore ac tenuitate*

nuit ute flatus potenter discutit, colico, atque etiam iliaco dolori familiaris.

℞ Foliorum rutæ ℥x. ammios, cumini, nigellæ, libystici feminis, origani, carui, amygdalarum amararum, piperis longi, mentastri, dauci, acori, baccarum lauri, castorii an. ℨij. sagapeni ℨß. opopanacis ℨiij. mellis optimi expumati ℔jß.

PHILONIUM *post sex menses datum, ex opio vehementes & acerbos dolores consopit, colicos, nephriticos, atque pleuriticos: somnum accersit, destillationem sistit, tussimque lenit, sanguinis excreationem cohibet.*

℞ Croci ℨv. pyrethri, euphorbii, spicæ nardi, myrrhę, castorii an. ℨj. piperis albi, hyoscyami an. ℨxx. opii ℨx. mellis optimi expumati ℔ij.

Hujus dosis est à ℈j. *ad* ℨß.

PLANTIUS. *Philonii hanc descriptionem Galeni autoritate & usu comprobatam cæteris author prætulit, quod una satis sit ad vehementes cruciatus consopiendos. Et tamen, Mesuem secutus, myrrham & castorium addidit, quæ neque Galenus improbat, ut tutior sit permistio, quandoquidem his peculiaris vis inest corrigendi opii. Si compositionis modus spectetur, hic opii pondus ei fere duplum est quod in Philonio romano. Philonium majus quod romanum appellant, quoniam non nisi circiter dimidium habet opii, dupla dosi dari potest à* ℈ij. *ad* ℨj.

ANTIDOTUS REQUIES *appellata sine opio, summum febrium ardentium æstum restinguit, sitim lenit, deliria reprimit, somnum accersit, & requiem præstat.*

℞ Rosarum, violarum, an. ℨiij. corticum radicis mandragoræ, feminis hyoscyami albi & papaveris albi, feminis feriolæ, lactucæ, portulacæ & psyllii, nucis moschatæ, cinamomi electi an. ℨjß. trium santalorum, spodii, tragacanthæ an ℈ij. mellis optimi expumati triplum.

Ejus usus. PLANTIUS. *Antidotus requies appellata minus habet opii, quam omne philonii & opiatigenus, valide tamen refrigerat ex aliorum simplicium permistione, quia omnia fere frigida sunt. Ejus tamen usus vix tutus esse possit, propterea quod opium non satis emendatur calidorum mistione. At vero si ea compositio sine opio comparetur, non parum certè conferet ad leniendos ardentium febrium æstus & deliria, & sitim, & quæcunque symptomata ex febris fervore prodeunt.*

Cur similes compositiones omissæ. *Cæteræ philonii compositiones exterminandæ sunt, ut minimum necessaria, quemadmodum & antidotus dialibanu, & athanasia, & musa ænea, & requies cum opio, & tryphera magna, & Esdra magna, à quovis authore sit, & aurea alexandrina. Ejusmodi enim compositiones quæ opium habent, si ad dolores sunt compescendos, pro his satis fuerit descriptum philonium: sin vero desiderantur, vel ad principes partes corroborandas, vel ad arcendam veneni cujusvis malignitatem & alios plerosque affectus, ut tryphera magna, Esdra magna, & aurea alexandrina, & athanasia, satis pro his fuerint theriace & mithridatium. Prætermittitur quoque confectio anacardina, his quas dixi plane contraria. Nam tametsi ad multos celebretur affectus, calore tamen, quo summo exuperat, parum tuta est, quod spiritus & humores prompte inflammet, & febrem prompte accersat.*

THERIACE DISTESSARΩN *ad epilepsiam, convulsionem, paralysin, ventriculi cruditatem, cachexiam & hydropem, aliosque frigidos affectus, præterea adversus haustum venenum, & virulentarum bestiarum morsum, & pestilentem constitutionem apprime utilis.*

℞ Radicis gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ rotundæ an. ℥ij. laboriose trita omnia excipiantur ℔ij. mellis optimi expumati.

THERIACE ANDROMACHI SENIORIS, *virulentarum bestiarum ictibus & exitialibus venenis adversatur, comitiales, attonitos, resolutos, cephalalgicos, asthmaticos, hæmaptoicos, stomachicos, ictericos, hydropicos, nephriticos, colicos, arthriticos, melancholicos, lymphaticos, atque etiam elephanticos juvat: menstrua & mortuum fœtum excludit, cor, cerebrum, hepar, stomachum & corpus universum mire corroborat, idque à pestilenti contagione tuetur.*

℞ Trochiscorum scylliticorum ℥vj. trochiscorum theriacorum, magmatis hedychroi, piperis longi, opii an. ℥iij. rosarum rubrarum, iridis illyricæ aut florentinæ, glycyrrhizæ, feminis napi silvestris, scordii, opobalsami, cinamomi, agarici an. ℥jß. myrrhæ, costi, croci, cassiæ ligneæ, nardi indicæ, schœnanthi, thuris masculi, piperis albi & nigri, dictamni, marrubii, rheibarbari, stœchadis, feminis petroselini macedonici, calaminthes, terebinthinæ, zinziberis, radicis pentaphylli an. ℨvj. polii montani, chamæpityos, styracis calamithæ, mei, amomi, nardi celticæ, sigilli lemnii, phu pontici, chamædryos, foliorum malabathri aut macis, chalcitidis tostæ (quæ

(quæ utiliter prætermitti poteſt) radicis gentianæ, aniſi, ſucci hypociſtidis, carpobalſami, gummi arabici ſplendidi, ſeminis feniculi, cardamomi minoris, ſeſeleos, acaciæ, thlaſpios, ſeminis hyperici, ammios an. ℥ſ. caſtorii, ariſtolochiæ longæ ſeu tenuis, ſeminis dauci, bituminis judaici, opopanacis, centaurii minoris, galbani an. ℥ij. mellis optimi expumati triplum, id eſt, ℔xiiij. ℥iij. vini optimi odorati quantum ſatis fuerit diſſolvendis liquoribus & ſuccis.

Summa doſis eſt ℈iiij. *aut ſeſquidrachmæ. Nam* ℈j. *pulveris,* ℈iiij. *compoſitionis, continent opii granum unum.*

B PLANTIUS. *Theriaces compoſitionem ab Andromacho ſeniore elegiaco carmine traditam ſequutus idcirco eſt, quod neque ſimplicium numerus, neque pondus carmine facile mutari poſſit. Hanc nonnulli poſtea alio & fortaſſe convenientiore ſimplicium ordine digeſſerunt, quibus etiam abrotonum & acorum adjecerunt, mutatis quoque quorundam ſimplicium ponderibus, ut idcirco minus certa haberi debeat, ſitque huic uni inſcriptioni citra controverſiam inſiſtendum.*

Vitriolum cur omitti poſſit?

Quod de chalcitide, id eſt, vitriolo uſto huic compoſitioni non admiſcendo *Valerii Cordi imitatione monet, id quidem in primis conſentaneum videtur. Cum enim medicamentum id præſertim uſtum ſumme cauſticum ſit, eſcharoticum & internis viſceribus infenſiſſimum, nihilque ad ullum interiorem affectum conferre proditum ſit, non eſt cur tanto incommodo & ſaporis inſuavitate in hanc compoſitionem admitti debeat. Si ut quibuſdam videtur compoſitionem totam nigriorem reddit, non debet in unam coloris gratiam ſapore & viribus tantopere corpori incommodare. Eo ſubtracto compoſitio tota utilior, minus acris & calida, & ſuavior evadet.*

MITHRIDATIUM *theriacæ vires proxime æmulatur, & ad eoſdem uſurpatur affectus, uſu quidem faciliore & minore acrimonia caloris. Ex Andromachi deſcriptione quæ Galeno aliiſque vetuſtioribus medicis probatur.*

℞ Myrrhæ, nardi indicæ an. ℥j. ℈ſ. croci, cinamomi, ſcordii, zinziberis an. ʒvijſ. opii ʒiiij. g̃xxv. ſtyracis, ſeſeleos, abrotoni, libanotidis, an. ʒv. caſtorii ʒvj. ℈ſ. polii, coſti, piperis longi, ſeminis dauci, ſchœnanthi, galbani, terebinthinæ an. ʒvjſ. piperis albi ʒv. ℈j. petroſelini ſeminis, nardi celticæ, ſeminis feniculi, folii indi aut maceris, gentianæ, roſarum ſiccarum, mei athamantici an. ʒiiij. caſſiæ ligneæ ʒvſ. thuris ʒvſ. ℈j. ſucci hypociſtidis ʒvj. g̃xv. acori aut calami aromatici, phu pontici, ſagapeni, fructus balſami, hyperici, iridis, acaciæ, gummi, cardamomi, pelicini, id eſt, nigellæ an. ʒij. terræ lemniæ, lumborum ſcinci, cypheos, opopanacis an. ʒvj. thlaſpios ʒvj. ℈ij. aniſi, hyſſopi, chamæpityos an. ʒiij. opobalſami, ariſtolochiæ rotundæ, marrubii an. ʒj. mellis optimi expumati ℔vijſ.

Quatu[or] extant [Mi]thrida[tii] compo[ſitio]nes.

PLANTIUS. *Mithridatii antidoti compoſitiones quatuor extant variæ quidem & admodum diſſimiles.* Una *omniumque maxima Nicolai eſt Myrepſi, à Nicolao Præpoſito deſcripta, & ab omnibus ubique pharmacopœis uſurpata, quam omnes quotidie experiuntur magna vi pollere adverſus febres malignas & peſtilentes, venenum, vomitiones, cruditates, lienterias, alioſque plurimos affectus. Ea quemcunque primum authorem aut inventorem habuerit, longe lateque invulgata tandem eſt.* Altera *eſt Democratis vetuſti Græci authoris ab Avicenna quoque uſurpata & in Nicolai Præpoſiti medicamentarium librum relata: quæ ut compoſitione, ita & uſu ſuperiore facilior, nec viribus inferior eſt deprehenſa, ſed ſane ad malignos & contagioſos affectus multo præſtantior.* Tertia *ab Andromacho deſcripta,* C *deinde &* quarta, *quam Galenus, Aëtius, aliique Græci, ex Antipatro & Cleophanto vetuſtioribus medicis deprompſerunt.*

Quarum duæ poſteriores optimæ.

Poſteriores hæ duæ non admodum diſſimiles videntur: nam ex iiſdem fere ſimplicibus ordine licet tranſpoſitis hæ conſtant, quorum pondera paucis quibuſdam obolis evariant: ut idcirco hæ videantur in eoſdem uſus coaptandæ. At nihilominus quoniam poſtrema hæc paulo locupletior eſt, ex duobus & quinquaginta ſimplicibus compoſita, & Galeni diligentia judicioque reformata, atque comprobata; tanquam omnium præſtantiſſima, & ad eos qui dicti ſunt affectus efficaciſſima cenſeri debet. Hanc igitur unam à medicis omnibus uſurpandam Author in antidotos retulit, tranſpoſito tamen ſimplicium ordine, & omnibus quorum idem pondus erat in eandem claſſem reductis, ut hinc minor eſſet pharmacopœo componendi atque conficiendi labor.

DE TROCHISCIS SEU PASTILLIS.

TROCHISCI E VIPERA. *quorum usus est ad magnæ theriaces compositionem.*

Viperarum electarum atque præparatarum caro, ex aqua pura cum anetho viridi & sale coquitur dum ossa deserat: exempta teritur pila marmorea, sensimque aspergitur pari pondere medullæ panis triticei arefacti, affuso interim proprio viperarum jusculo si opus sit, & opobalsami, vel succedanei momento. trochisci concinnantur drachmæ pondere, diligenterque siccantur in umbra.

TROCHISCI SCYLLITICI *in eandem theriaces compositionem referendi.*

℞ Medullæ scyllæ assatæ ℔j. farinæ ervi ℥viij. simul exquisite tunsa digeruntur in trochiscos, & in umbra exiccantur.

TROCHISCI HEDYCHROI. *quorum idem quoque est usus ad theriaces compositionem.*

A ℞ Mari aut balsamitæ, amaraci, asari, aspalathi aut ejus succedanei an. ʒij. schœnanthi, calami odorati aut galangæ, phu pontici, xylobalsami, opobalsami aut succedaneorum, cinamomi, costi an. ʒiij. myrrhæ, folii, nardi indicæ, croci, cassiæ an. ʒvj. amomi ʒxij. mastiches ʒj. vini optimi quantum satis est ad trochiscos fingendos.

TROCHISCI CYPHEOS *ad mithridatii compositionem expetiti.*

℞ Pulpæ uvarum passarum, terebinthinæ coctæ an. ℥iij. myrrhæ, schœnanthi an. ℥jß. calami aromatici ʒix. cinamomi ℥ß. bdellii, onychis, id est, blattæ byzantiæ, spicæ nardi, cassiæ ligneæ, cyperi, arceuthidum, id est, baccarum juniperi an. ʒiij. aspalathi ʒijß. croci ʒj. mellis expumati, vini optimi an. quantum satis fuerit ad trohiscosconcinnandos.

PLANTIUS IN TROCHISCOS.

Trochiscorum qui ad magnas compositiones veterum omnium sententia celebrati sunt, nulla facta est mutatio, ne quid etiam in majoribus compositionibus usu confirmatis immutaretur

TROCHISCI E CAPPARIBUS *lenis duritiem, terrenam melancholiam, flatusque discutiunt.*

℞ Corticum radicum capparis, seminis agni an. ʒvj. ammoniaci ℥ß. seminis nigellæ, calaminthæ, succi eupatorii, amygdalarum amararum, foliorum rutæ, aristolochiæ rotundæ, seminis nasturtii an. ʒij. cyperi, scolopendrii, id est, ceterachi an. ʒj. Pulveres excipiantur ammoniaco in aceto B dissoluto, finganturque pastilli.

PLANTIUS. *Trochisci è capparibus optime etiam descripti sunt, quibus si præterea addere placet gummi laccæ seu cancami, & rubia tinctorum an. ʒj. efficaciores reddentur: nec alii trochisci de lacca in hunc usum admittendi erunt, quod hi è capparibus satis sint ad lienis obstructiones & veteres affectus.*

TROCHISCI DE EUPATORIO *jecoris præsertim obstructiones, tumoremque solvunt, diuturnas hinc natas febres, icterum & incipientem hydropem sanant.*

℞ Mannæ electæ succi eupatorii an. ℥ſ. rosarum ℥ſ. spodii ʒiijſ. spicæ nardi indicæ A ʒiij. rheibarbarbari, asari, anisi an. ʒijſ. Excepta omnia succo enpatorii & manna redigantur in trochiscos.

PLANTIUS. *Trochisci ex eupatorio substituuntur quoque pro trochiscis ex rheobarbaro & pro trochiscis ex absinthio, quod eorum magna sit affinitas, idemque usus.*

TROCHISCI ALKEKENGI, *seu halicacabi, renum ac vesicæ exulcerationes, hincque natam urinæ difficultatem, & sanguinis emictionem compescunt*

℞ Baccarum halicacabi ʒiij. seminum citrulli, melonum & cucurbitæ mundatorum an. ʒiijß. boli armenæ, gummi arabici, thuris, sanguinis draconis, papaveris albi, amygdalarum amararum, succi glycyrrhizæ, tragacanthæ, amyli, strobilorum an. ʒvj. seminis apii, succini, terræ lemniæ, seminis hyoscyami, opii an. ʒij. ex succo halicacabi trochisci fiant. Alii quoque his persimiles sine opio componuntur.

TROCHISCI E MYRRHA *menses valide cient, morbisque ex eorum suppressione medentur, secundas, fœtumque mortuum excludunt.*

℞ Myrrhæ ʒiij. lupinorum ʒv. foliorum rutæ, mentastri, pulegii, cumini, rubiæ, assæ fœtidæ, sagapeni, opopanacis an.

an. ʒij. ex ſucco artemiſiæ paſtilli formantur.

TROCHISCI E TERRA LEMNIA *incitatos & ferocientes humores præſertimque tenues compeſcunt, immodicum alvi fluorem ſumpti ſedant, ſanguinis ſputum, vomitionem, atque mictionem ſumpti quoque compeſcunt, & aliam, ſive è naribus, ſive ex utero, ſive ex hæmorrhoide, & undevis factam ſanguinis profuſionem, admoti ſupprimunt.*

℞ Sanguinis draconis, gummi arabici aſſati, roſarum rubrarum, ſeminis roſarum, amyli aſſati, ſpodii, acatiſſi, hypociſtidos, lapidis hæmatitæ, balauſtiorum, boli armenæ, terræ lemniæ, corallii, ſuccini an. ℥ij. margaritarum, tragacanthæ, papaveris nigri an. ʒjß. ſeminis portulacæ toſti, cornu cervi uſti, thuris, nucum cupreſſi, croci an. ʒij. cum ſucco aut ſtillaticio liquore plantaginis; fingantur trochiſci.

PLANTIUS. *A trochiſcis è terra lemnia ſubtracti ſunt trochiſci ramich, quod bonam iſtorum partem contineant. Hi autem plurimam adſtringentium, pariterque refrigerantium medicamentorum materiam complexi videntur, ut idcirco non aliis ſit opus adſtringentibus compoſitionibus: cumque hæc omnium ſit validiſſima atque tutiſſima, aliæ omnes ſupprimantur, ut trociſci ramich, trochiſci diarrhodon, trochiſci oxyacanthæ, trochiſci è ſuccino ſeu carabe, & trochiſci è ſpodio, quorum omnium minus eſt apta compoſitio. Trochiſci diarrhodon, qui ex roſis, ſpodio, ſantalo rubro & albo, ex croco & caphura conſtant, in iſtorum locum ſufficì quoque poterunt, ſi ſapore nimium horrendi videbuntur.*

THROCHISCI E CAPHURA *febrium ardentium æſtus, ſanguinis, biliſque fervorem, viſcerum inflammationem, calidioremque intemperiem, ex hiſque ortam ſitim compeſcunt.*

℞ Roſarum rubrarum ℥ß. ſpodii, glycyrrhizæ an. ʒij. quatuor ſeminum frigidorum majorum, tragacanthæ, gummi arabici, croci, ſpicæ nardi indicæ an. ʒj ſantali citrini ʒijß. ligni aloës, cardamomi, amyli, caphuræ an. ℈ij. ſacchari albiſſ. mannæ electæ an. ʒiij. mucilaginis pſyllii ex aqua roſarum depromptæ quantum ſatis eſt ad concinnandos trochiſcos.

TROCHISCI GALLÆ MOSCHATÆ *ſumpti, cor, cerebrum, reliquaque viſcera mire corroborant, os corpuſque totum odoris ſuavitate perfundunt.*

℞ Ligni aloës crudi ʒv. ambræ ʒiij. moſchi ʒj. mucilaginis tragacanthæ ex aqua roſarum factæ quantum ſatis eſt ad trochiſcos.

TROCHISCI ALIPTÆ MOSCHATÆ, *idem quoque, tum ſumpti, tum ſuffitu excepti præſtant, difficilique reſpiratione liberant.*

℞ Ladani puriſſ. ℥iij. ſtyracis calamitæ ℥jß. ſtyracis rubiæ ℥j. ligni aloës ʒij. ambræ ʒj. caphuræ ʒß. moſchi ℈ß. aquæ roſarum ſtillaticiæ quantum exigitur.

TROCHISCI BECHICI ALBI, *qui & pilulæ albæ nuncupantur, acrem deſtillationem leniunt, raucitatem & aſſiduam tuſſim compeſcunt,*

℞ Sacchari albiſſimi ℔j. ſacchari candi, penidiorum an. ℥iiij. radicis iridis florentinæ ℥ij. amyli ℥jß. mucilaginis tragacanthæ ex aqua roſarum factæ quantum ſatis fuerit ad trochiſcorum conformationem.

TROCHISCI NARCOTICI *tuto admoti capitis dentiumque dolorem conſopiunt, in febrium ardoribus ſomnum accerſunt, eryſipelata, inflammationes extinguunt, partium omnium externarum dolores aliis medicamentis ſoluti, compeſcunt.*

℞ Gummi arabici & tragacanthæ, amyli an. ℥ß. ceruſæ lotæ aqua roſarum ʒvj. ſtyracis calamitæ, myrrhæ, caſtorii, opii ſapa ſoluti an. ℈iiii. croci ʒß. Trita omnia excipiantur mucilagine pſyllii ex aqua roſarum deprompta, finganturque trochiſci.

PLANTIUS. *In trochiſcorum ordinem ad urgentes cruciatus recte hoc loco poſtremo trochiſcos adjecit narcoticos, quorum in primis apta eſt compoſitio, & uſus perneceſſarius: nec ulli extabant in eos affectus accommodandi.*

DE ECLEGMATIS ET CONDITIS.

ECLEGMA E PINEIS NUCLEIS *craſſos thoracis pulmonumque humores extenuat atque detergit, aſthmati, ſpirandi difficultati, tuſſique veteri idoneum.*

℞ Nucleorum pineorum recentium ʒxxx. pulpæ palmularum ʒxxxv. amygdalarum dulcium, amygdalarum amararum, avellanarum aſſatarum, tragacanthæ gummi

m' arabici, glycyrrhizæ, amyli, capilli veneris, iridis florentinæ ana ℥iiij. pulpæ passularum, butyri recentis, sacchari albiss. an. ℥iiij. mellis albi expumati ℔iiij. fiat eclegma.

ECLEGMA SANUM ET EXPERTUM, *ad ea quæ proposita sunt, superiore validius.*

℞ Cinamomi, hyssopi, glycyrrhizæ, an. ℥ß. zyzypha, myxaria, an. xxx. num. uvarum passarum, purgatarum, ficuum aridarum, palmularum pinguium ana ℥ij. fœnigræci ℥v. capilli veneris m. j. seminis anisi, feniculi & lini, radicis iridis, foliorum calaminthæ an. ℥ß. coquantur omnia in aquę ℔iiij. dum libræ duæ supersint: expressum jus coquatur cum penidiorum ℔ij. ad mellis crassitudinem: ac tum adjice pinearum purgatarum ℥v. amygdalarum dulcium mundatarum, glycyrrhizæ, tragacanthæ, gummi arabici, amyli an ℥iij. iridis ℥ij.

ECLEGMA E SCYLLA *ad eadem vitia accommodatum.*

℞ Succi seu mucoris scyllæ & mellis optimi expumati an. ℔j. coquantur in eclegmatis consistentiam.

ECLEGMA AD ASTHMA *omnium quæ proposita sunt efficacissimum.*

℞ Scyllæ assatę ℥ſ. radicis iridis, hyssopi, prassii, marrubii, an. ℥j. myrrhę, croci an. ℥ſ. ex melle sufficienti fiat eclegma; quod etiam EX SCYLLA compositum appellant.

SIMPLICIA *multa sacchara condiuntur, ut diutius integris viribus persistant: alia quidem integra, alia contusa. Integra quidem triplo sacchara coquuntur, dum omni absumpto humore syrupi perfecti consistentia supersit: ut*

ACORUS CONDITUS, *ad frigidos cerebri nervorum affectus, & eorum robur accersendum.*

ZINZIBER CONDITUM *ad ventriculi cruditates & lentam pulmonum pituitam.*

BUGLOSSI RADIX CONDITA *ad cordis palpitationem & animi defectionem.*

PERSICA CONDITA, MALA ODORATA CONDITA, CORTEX CITRII CONDITUS, *ad cardialgiam & melancholiam.*

CYDONIA CONDITA ET DIACYDONIΩN, PIRA CONDITA, *ad ventriculum firmandum, atque corroborandum.*

NUCES JUGLANDES CONDITÆ, MYROBALANI EMBLICÆ ATQUE CEPULÆ A CONDITÆ, NUX MOSCHATA CONDITA, *ventriculi concoctionem juvant, appetentiam invitant, roburque augent.*

CERASIA CONDITA, SURCULI LACTUCÆ, ENDIVIÆ ET PORTULACÆ CONDITI, *refrigerant, sitim leniunt, appetentiam excitant.*

OXYACANTHA CONDITA, RIBES CONDITUM *sitim & bilis ardorem extinguunt, reprimuntque alvi profluvia.*

SATYRIUM CONDITUM, ERYNGIUM CONDITUM, *seminis proventum faciunt, & libidinem excitant, conceptionemque juvant.*

At vero quæ coctionem vix sustinent, contrita duploque sacchara permista insolantur conservanturque, & nomen retiB nent sacchari compositi, ut josacchar, rhodosacchar. Hæc autem præcipue extare debent.

SACCHARUM RORISMARINI, SACCHARUM FLORUM SALVIÆ, FLORUM BETONICÆ, FLORUM PÆONIÆ ET STOECHADOS, *ad cerebri nervorumque frigidos affectus, & eorum robur continendum, ad epilepsiam & apoplexiam.*

SACCHARUM E FLORIBUS IRIDIS ET E CAPILLIS VENERIS, ET E RADICE ENULÆ, *pectus blande expurgat, pulmonesque juvat.*

SACCHARUM SYMPHYTI *cruentam excreationem sedat.*

SACCHARUM VIOLARUM ET FLORUM C BUGLOSSI, *cor refrigerat & exhilarat.*

SACCHARUM ROSATUM, *ventriculum firmat, arcetque destillationes, & sanguinis eruptiones compescit.*

SACCHARUM E FLORIBUS CICHORII *jecur refrigerat. ejusque obstructiones expedit.*

SUCCI præterea MEDICATI non pauci in usus asservantur, alii simplices ac sacchara permisti, qui quod coquendo in sapæ consistentiam crassescant, Arabibus propterea robub, id est, sapales appellantur. Expressi subsidere permittuntur dum inclarescant: purior portio percoquitur in mellis crassitudinem, deinde insolatur & reconditur. Si saccharum permiscendum est, debet id pari dimidium modo esse.

Succus E RIBES *asservatur ad sitim, ad biliosas vomitiones, aut alvi excretiones.*

SUCCUS E NUCIBUS *diacáryon dictus, ad acres destillationes, & anginas.*

Habet succi nucum juglandium recentium ℔iiij. mellis optimi ℔ij. coquuntur ad mellis consistentiam.

SUCCUS E MORIS *diamoron dictus, ad depascentia oris & gingivarum ulcera, & ad destillationes acres.*

♃ Succi mororum domesticorum ℔ß. succi mororum rubi, mellis optimi expumati an. ℔j. sæpe ℥iij. coquantur in mellis consistentiam.

SUCCUS PRUNORUM SYLVESTRIUM *coquitur dum prorsus crassescat, & pro acatiâ usurpatur.*

DE EXTERNIS MEDICAMENTIS.

Ac primum DE OLEIS.

OLEUM ROSARUM *inflammationes & stomachi ardores extinguit, roborat, densat, fluxionesque sistit.*

A ♃ Gemmarum rosarum rubrarum recentium, unguibus expurgatarum atque tritarum, succi rosarum an ℔j. macerentur in olei omphacini salis expertis ℔v. in vitreo vase obturato, diebus septem insolentur, coquantur tribus horis in vase duplici: expressis adjectisquè foliis, nova immittantur, permutenturque secundo ac tertio. Postremo expressis abjectisque foliis insolentur & coquantur vase duplici, dum succus absumptus sit. Si oleum deest omphacinum salis expers, vulgare identidem agitandum lavandumque succo uvæ acerbæ.

OLEUM VIOLARUM *ardores extinguit, remittitque phlegmonas, pleuriticos juvat, pulmonis thoracisque vitia lenit.*

Fit ex vulgari oleo maturo, vel amygdalino recenti & insulso, aut quod saltem aqua frigida elotum sit. In id igitur recentes violæ purpureæ conjiciuntur operculato vase, insolanturque dies solum x. tertio quoque violis mutatis, additisque postremo succis.

OLEUM NYMPHÆÆ *magis refrigerat, ardoresque præcipue renum, vesicæ & capitis, ac etiam delirium compescit, accersitque somnum.*

Fit ut violaceum ex floribus nymphçæ albis, oleo loto maceratis, at insolatur dies xx. floribus ter interea mutatis.

OLEUM PAPAVERIS *omnia efficacius, quam nymphææ præstat, & proprie capitis dolores, atque deliria sedat, somnumque conciliat.*

Papaveris albi flores, folia, atque capita contusa macerantur oleo loto, perficiturque ut nymphæę. Coqui etiam potest leniter vase duplici. Sunt qui è papaveris albi semine perinde atque ex amygdalis oleum hoc exprimunt.

OLEUM HYOSCYAMI ALBI eadem ratione comparatur atque papaverinum, tum macerando, tum exprimendo.

Non minus ad omnia efficax quam papaverinum.

OLEUM MANDRAGORÆ SIMPLEX *multo evidentius refrigerat, dolores ex inflammatione compescit & somnum accersit.*

Fit autem è pomis mandragoræ tusis & oleo maceratis, leniterque coctis, ut nymphçæ oleum.

OLEUM MANDRAGORÆ COMPOSITUM *omnium summe refrigerat, & dolores omnes ex inflammatione, atque etiam alios consopit, capitis dolores, phrenitides compescit, illitum & naribus objectum, prompteque somnum conciliat.*

B ♃ Olei ℔iiß. succi pomorum mandragoræ ℥iiij. succi hyoscyami albi ℥ij. succi capitis papaveris albi ℥iij. succi violarum, succi cicutæ tenerrimæ an. ℥j. opii, styracis calamitæ an ℥ß. permista omnia diebus x. insolentur, deinde coquantur vase duplici dum succi absumpti sint, oleum tandem coletur, atque recondatur.

OLEUM MELINUM, *quod & cydoniorum, refrigerat & adstringit, ventriculo, jecori, intestinisque imbecillis accommodatum: hinc vomituum, alvi profluvium, sudoremque illitu sistit.*

♃ Cydoniorum cum cortice & semine tusorum, succi cydoniorum an. ℔ß misce in vase vitreo: & affunde olei omphacini ℔jß. Insola diebus xv. deinde bulliant horis quatuor in vase duplici. Expressis cydoniis alia dein-

deinde similiter secundo incoquantur, atque etiam tertio, dum nihil reliquum sit humoris. Expressum tandem oleum recondatur.

OLEUM MYRTINUM *refrigerat, adstringit, & roborat, proprie vero cor, ventriculum, cerebrum atque nervos.*

Fit ut melinum, ex myrti baccis & foliis, addito etiam succo cum haberi potest.

OLEUM MASTICUM *cerebrum, nervos, ventriculum, heparque adstrictione corroborat, lienteriæ, vomitioni & cruditati accommodatum.*

℞ Mastiches ℥iij. aquæ rosarum ℥iiij. olei omphacini vel rosacei ℔j coquantur in vase duplici ad aquæ consumptionem. Vinum vice aquæ rosarum imponitur, quum nervorum lassitudo lenienda est.

OLEUM MENTHÆ *ventriculum aliasque partes illitu corroborans, concoctionem juvans, moderato calore.*

Menthę sativę tunsa folia cum succo macerantur in oleo omphacino, insolantur, coquuntur, sæpiusque mutantur, ut in rosaceo præceptum est.

OLEUM ABSINTHII *modice calefacit & corroborat, concoctionem juvat, appetentiam excitat, obstructa solvit, lumbricos enecat.*

Absinthii comæ tunsæ in oleo quoque omphacino macerantur, hocque ut menthæ oleum perficitur.

OLEUM CHAMEMÆLINUM *nervos atque membranas moderata adstrictione corroborat, modice resolvit, dolores apprime sedat.*

℞ Florum chamemæli recentium & tusorum ℔j. mergantur & macerentur in oleo dulci maturo, & insolentur diebus canicularibus xx. Expressis rejectisque foliis oleum recondatur.

OLEUM LILIORUM *thoracis, ventriculi, uteri, renum, vesicæ atque nervorum dolores sedat: lenit atque coquit.*

℞ Florum liliorum alborum integrorum, abjectis duntaxat filamentis croceis ℔j. macera in oleo dulci & maturo, & insola diebus xx.

Fit & aliud quod COMPOSITUM *appellant, ad omnia quæ dixi efficacius.*

Quod recipit, mastiches, calami aromatici, costi, pyrethri, carpobalsami an. ℥j. caryophyllorum, cinamomi an. ℥ß. croci ʒiij. Tunsa omnia aqua macerentur horis xxiiij. bulliant modice, subtractis igne affunde olei dulcis ℔ij. Foliorum lilii ℥viij Insolentur dies xl. expressumq; oleum reponatur.

OLEUM LEUCOII LUTEI *thoracis, renum, vesicæ, nervorum articulorumque dolores compescit.*

℞ Florum leucoii ℔j. macera in ℔jß. olei dulcis. Insola dies x. ter mutatis floribus: expressum reponitur, adjectis si placet florum siccorum ℥iij.

OLEUM JASMINUM *eadem quæ leucoii oleum multoque validius confert, summe præterea molliens ac leniens.*

Similiter è jasmini floribus comparatur, atque liliorum.

OLEUM ANETHINUM *modice calefacit & digerit, cephalalgiam nervorumque dolores lenit, & somnum conciliat.*

Fit ex comis anethi viridibus, quæ in sufficienti olei dulci macerantur, insolanturque die uno: aut coquuntur in vase duplici, expressisque comis colatum oleum reconditur.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM *dolores demulcet, partes exasperatas, præcipue vero pulmones renesque lenit, sicca & dura emollit: hecticis & tabidis familiare.*

Fit autem sic: Amygdalæ dulces diligenter expurgatæ plurimum teruntur, affuso aquę rosaceæ momento, deinde vase exceptæ, circiter horas quinque in aqua calida contineantur foveanturque, ut aliquantum incalescant. Postea sacculo conclusæ torculari premantur dum oleum emanet.

OLEUM LUMBRICORUM *moderato calore emollit lenitque dolorem, contusis & arthriticis in primis aptum.*

℞ Lumbricorum terrestrium lotorum & præparatorum ℔ß. vini albi ℥ij. olei dulcis ℔ij. bulliant dum vinum consumptum sit, & lumbrici contabuerint, percoletur oleum, & servetur.

OLEUM IRINUM *coquit, extenuat, resolvit; hepatis, splenis uteri & articulorum dolores sedat, thoracis pulmonumque materiam coquit.*

℞ Radicum iridis tunsarum ℔ß. florum integrorum ℔j. decocti, vel, si potentius optatur, succi alterius radicis iridis ℔j. olei dulcis ℔ijß. coquantur in vase duplici dum liquor evaporaverit: expressis deinde radicibus & foliis recondatur oleum

OLEUM RUTACEUM *calefacit, crassos humores attenuat, discutitque flatus, quam anethinum valentius,*

lentius, confert dolori colico, paralysi, spasmo, uteri ac vesicæ perfrigerationi.

℞ Foliorum rutæ modice siccorum, succi e usdem an. ℔ß. Macera triduum in olei dulcis ℔iiij. bulliant in vase duplici dum succus sit absumptus: expressa deinde ruta ter quaterve mutetur, postremo expressum oleum servetur.

OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM *valide attenuat atque incidit, flatus omnes præsertim aurium tinnitus dissipat, obstructiones jecoris aliorumque viscerum tenuando tergendoque expedit, duritias præsertimque nervorum mollit.*

Fit ex amygdalis amaris siccis & expurgatis, tunsis, aqua fervente calefactis, pressisque torculari dum oleum emanet.

OLEUM E CAPPARIBUS *extenuando detergendoque duritiem omnem, proprieque lienis, & obstructionem solvit; ejusque dolorem omnemque affectum lenit.*

℞ Corticis radicum capparis ℥j. corticum tamarisci, foliorum tamarisci, seminis agni, scolopendrii seu asplenii, cyperi an. ʒij. rutæ ʒj. aceti, vini optimi an. ℥ij. olei maturi ℔. coquantur in vase duplici ad consumptionem vini & aceti. percolatum oleum recondatur.

OLEUM NARDINUM *calefacit, tenuat, digerit ac roborat: cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, renum, vesicæ ac uteri frigidis & flatulentis affectibus mire succurrit, tum simplex, tum compositum.*

℞ Spicæ nardi ℥iij. vini optimi, aquæ rosaceæ an. ℥jß. olei dulcis ℔jß. coquantur horis circiter quatuor vase duplici, prunis non acribus, dum vinum & aqua evaporent.

OLEUM NARDINUM COMPOSITUM.

℞ Spicæ nardi ℥iij. sampsuchi ℥ij. xylaloës, enulæ, folii aut maceris, calami aromatici aut galangæ: foliorum lauri, cyperi, schœnanthi, cardamomi an. ℥jß. cōtusis affunde, vini, aquæ rosaceæ an. ℔j. olei dulcis ℔v. macerentur horis xxiiij. deinde coquantur in diplomate horis sex, subinde movendo, dum vinum & aqua absumatur.

OLEUM LAURINUM *calidum & extenuans, ventriculi flatus colicosque dolores, capitis viscerum, uteri, renum nervorumque frigidos morbos discutit.*

Lauri baccæ maturæ tundantur, diuque ex aqua coquantur, colato juri atque refrigerato pinguedo innatans colligatur, & pro oleo recondatur.

OLEUM VULPINUM *attenuat, & aliquantum* A *digerit, podagræ omnique arthritidi leniendæ, omni morbi tempore utile.*

Vulpem pelle nudam & exenteratam, minutim concisam, coque in aquæ fontanæ & marinæ seu salsæ paribus portionibus: ex dimidio coctæ adde salis ℥iij. olei veteris puri ℔iiij. thymi, anethi, origani an. ℔ß. coquantur ad artuum dissolutionem, & aquæ consumptionem, exprimaturque oleum.

OLEUM E SCORPIONIBUS *extenuat adeo ut illitum lumbis renum calculum, pubi vero aut perinæo illitum, aut in vesicam injectum, vesicæ calculum terere & exturbare credatur.*

℞ Radicis aristolochiæ rotundæ, gentianæ, cyperi, corticum radicis capparis an. ʒj. contusa omnia macerentur in ℔jß. olei amygdalarum amararum, & insolentur B dies xx. deinde modice coquantur in vase duplici, injectis sub finem scorpionibus quindecim. Iterum insolentur dies xxx. ac tum excolatum oleum recondatur.

OLEM TEREBINTHINÆ *calidum est ac tenue, alteque penetrans magis quam terebinthina, præduros tumores mollit & extenuat, frigidos nervorum & articulorum morbos tollit, addito robore.*

℞ Terebinthinæ lucidæ ℔iiij. repone in cucurbitam vitream, quam in arenas immerge, igne subdito arte alchymistica aquam primum, deinde lucidissimum elicies oleum ac postremo flavum.

OLEUM RICININUM *quod de kerva appellant, summe tenuans ac digerens, aurium dolores tinnitusque dissipat, manantia capitis ulcera, psoras, lepras fœdasque cicatrices extergit, clystere aquas & lumbri-* C *cos elicit.*

Ricini grana expurgata tunduntur, ex hisque perinde atque ex amygdalis oleum prolicitur.

OLEUM BALANINUM *aurium quoque dolores & strepitus solvit, varos, lentigines, maculas, cicatrices que nigras delet, & alvum subducit, vomitumq; ciet.*

Fit ex balano myrepsica, quod granum ben Arabes appellant, teritur, calefit, oleumque exprimitur, non aliter quam ab amygdalis.

OLEUM E CASTORIO *frigidis confert cerebri & nervorū affectibus, surditati, aurium tinnitui, paralysi, tremori, spasmo & febriū rigori inuncta dorsi spina*

℞ Castorii aqua vitę soluti ℥j. olei ℔. bulliant in vase duplici dum tertia pars absumpta sit.

OLEUM

OLEUM EUPHORBII *simplex eadem, sed efficacius multo, praestat, ac praeterea naribus immissum pituitam elicit.*

♃ Euphorbii ℥ß. olei leucoii lutei, vini odoriferi an. ℥v. coquantur ad vini consumptionem.

OLEUM E LATERIBUS *quod & philosophorum appellant, calefacit, penetrat, mollit dura, resolvit ac discutit tumores frigidos: opitulatur spasmo, epilepsiae, paralysi, podagrae & omnibus juncturarum & nervorum frigidis affectibus.*

Laterem ruffum ac inveteratum in frustula confringe, haec urito in prunis donec A tota excanduerint: deinde exempta restinguito in oleo claro veteri, & dimittito quousque se oleo impleverint. Postea oleo exempta in tenuissimum pulverem contundito, atque in cucurbitam vitream indito & arte oleum elicito & reponito.

PETROLEUM *summe calidum, attenuans, penetrans, siccans ac digerens: materiam omnem frigidam è quavis corporis sede absumit, epilepsiam, paralysin, spasmum, nervorum articulorumque dolores, lienis, renum, vesicae, uteri frigidiores affectus solvit.*

Hoc non arte sed natura provenit, ac plerisque locis ex petris & rupibus emanat.

PLANTIUS IN OLEA.

Oleorum compositiones veteribus usurpatas secutus author, nihil in iis immutandum putavit, nec (quod extrinsecus solum inducantur) tanta fuit in laborantium gratiam mutandi necessitas. Ad omnium causarum affectuumque genera, praestantissima quaeque olea selegit ac protulit, caeteris praetermissis, quae aut parum efficacia, aut supervacua videbantur. Nec enim necessarium videbatur oleum nym- A *phaea citrina, quod sub altero comprehendatur: nec oleum populeum, quod efficacius eo sit unguentum populeum: nec oleum alterum mandragorae, nec oleum costinum, nec oleum de piperibus, nec oleum majoranae, nec irinum compositum, sambucinum, nec moschelinum, quod alia satis multa existant quibus, usu faciliore, major sit calefaciendi, attenuandi digerendique facultas.*

DE UNGUENTIS.

UNGUENTUM GALENI REFRIGERANS, *ad phlegmonas, erysipelata, herpetas, omnemque calidiorem intemperiem efficax.*

♃ Cerae albae ℥iiij. olei rosati ℔j. liquata vase duplici in vas aliud transfundantur, sensimque affusa aqua frigidissima ac sub- A inde mutata diu subigantur. Postremo autem sempervivi aut solani defecatus succus subigendo infunditur, si praesertim ad affectus non exulceratos exposcitur, aut acetum, si integra necdum exasperata est cuticula.

PLANTIUS IN UNGUENTA.

Unguentum Galeni refrigerans tametsi descriptione vulgari nec solani, nec sempervivi succum habeat, his tamen adjectis efficacissimum redditur ad ad omnes affectus qui refrigerari postulant.

UNGUENTUM ROSATUM *ad eosdem quoque affectus adhibetur, at certe inefficacius.*

Adeps suillus, membranis expurgatis, novies lavetur aqua calida, ac deinde toties aqua frigida: postea rosarum rubrarum recentium contusarum par pondus ei permisceatur, sinaturque marcescere diebns septem. Fusus adeps igne lento percoletur, rursumque in eo rosarum tusarum tantundem maceretur diebus septem, affuso pariter succi rosarum dimidio & olei amygdalini partibus sex: rursum sensim coquantur dum succus totus absorptus fuerit.

UNGUENTUM POPULEUM *phlegmonas,* A *febrium aestus, renum capitisque ardores compescit, somnum temporibus illitum conciliat.*

Gemmarum populi recentium ℔j. macerentur in axungiae suillae insulsae praeparatae ℔iij. dum quae sequuntur omnia aestate comparari possint. ♃ Foliorum papaveris rubri, foliorum mandragorae, foliorum hyoscyami, cymarum rubi tenerrimarum, solani, lactucae, sempervivi majoris & minoris, bardanae, violae, umbilici veneris an. ℥iij. contusa omnia permisceantur axungiae, & oculis populi. exactis diebus x. affunde aquae rosarum ℔j. coquantur igne lento dum aqua omnisq; liquor sit absumptus: coletur exprimaturque, ac, si opus sit, recoquantur dum unguenti temperaturam acceperit.

UNGUENTUM ALBUM REFRIGERANS *ac leviter adstringens, inflammationes, exustionesq; compescit,*

cit, scabiei & pruritus ardorem omnesque biliosas eruptiones restinguit.

℞ Cerusæ ℥iiij. lithargyri ℥ij. laventur diu in aqua rosarum, qua ejecta mortario excipiantur, sensimque oleum affundatur rosaceum quantum combibere possint, continenter agitando atque subigendo dum bona sit unguenti consistentia: addatur sub finem aceti albi pauxillum & caphuræ ʒjß.

PLANTIUS. *Vnguentum album quale hic descriptum est, unum erit vice eorum quæ inscribuntur, unguentum de lithargyro, unguentum nutritum, unguentum de cerusa crudum, & unguentum de cerusa coctum, quod & emplastrum de cerusa appellatur: eorum enim vires hoc unum complectitur.*

UNGUENTUM ADSTRINGENS *laxiores partes contrahit, ductus viasque coarctat, fluxiones intercipit atque repellit, vulvæ, uteri, sedis, intestinique prolapsum cohibet, & profluentem sanguinem admotum sistit.*

B

℞ Gallæ immaturæ, nucum cupressi, baccarum myrti, balaustiorum, malicorii, corticum glandium, acatiæ, rhois, mastiches an. ℥j. omnia exquisitissime trita macerentur dies circiter quatuor, in succis mespilorum & sorborum immaturorum. deinde siccentur igni non acri: & cum olei rosati sæpius in aqua aluminosa lori ℔jß. & ceræ albæ ℥iiij. fiat unguentum.

PLANTIUS. *Vnguentum hoc adstringens, quod validissimum sit ac paratu facile, usurpandum erit, pro unguento comitissæ & alio quovis adstringente.*

UNGUENTUM DIACHALCITEOS, *quod & palmæum appellant, omnes recentes fluxiones sistit, veteresque resolvit, ulcera maligna & dysepulotica glutinat.*

C

℞ Adipis suilli recentis sine sale & fibris ℔ij. olei veteris, lithargyri triti & creti an. ℔iij. chalcitidos lævigatæ ℥iiij. Adeps & oleum liquantur prunis non acribus, iisque insperguntur lithargyros & chalcitis, moventur continenter tribus palmæ aut saltem myrti, sorbi, mespilive ramis recentibus. ubi cerati crassities erit, Inter coquendum ramus tenellus minutim concisus injicietur: rursumque coquetur donec digitos non inquinet, veramque emplastri temperaturam sit assecutum.

PLANTIUS *Vnguentum diachalciteos ex hac Galeni descriptione usurpandum est, vice eorum quatuor quæ à Mesue traduntur, duo sub descriptione*

A

unguenti diaphœnicon, aliaque duo sub descriptione unguenti palmai.

UNGUENTUM DIAPOMPHOLYGOS *refrigerat, adstringit, fluxiones inhibet, & ulcera cava implet, maligna ad cicatricem perducit.*

℞ Olei rosacei ℥x. succi solatri ℥iiij. bulliant ad succi consumptionem: adde ceræ albæ ℥v. cerusæ lotæ ℥ij. plumbi usti & loti, pompholygis, thuris an. unciam: coquantur in unguenti formam.

UNGUENTUM RUBRUM EXICCANS *ejusdem facultatis.*

℞ Olei rosarum ℔j. ceræ albæ ℥v. liquatis insperge, lapidis calamineris, terræ lemniæ exquisite tritorum an. ℥iiij. lithargyri, cerusæ an. ℥iij. caphuræ ʒj. coquantur in unguentum.

UNGUENTUM DIALTHÆAS *modice calefacit, emollit, humectat atque lenit.*

℞ Althææ radicum recentium & contusarum ℔ij. seminis lini & fœnigræci contusorum an. ℔j. macerentur in aquę ℔viij. dein leniter coquantur, exprimaturque mucilago. de hac ℔ij. & olei ℔iij. pariter bulliant dum mucilago sit absumpta. ac tum adde ceræ ℔j. resinæ ℔ß. terebinthinę ℥ij. percoquantur in unguenti crassitiem.

PLANTIUS. *Vnguentum dialthæas simplex descriptum est, quod compositum, propter colophonium & galbanum, & gummi hederæ, sordidum nimis esset, aliaque extarent ad digerendum efficaciora.*

UNGUENTUM RESUMTIVUM *dictum, cui etiam summa vis inest emolliendi blande & sine manifesto calore, asthmaticis, hecticis, tabidis, pleuriticis atque febricitantibus tuto adhiberi potest.*

℞ Seminis lini, althææ & fœnigræci, gummi arabici, tragacanthæ an. ʒij. macerentur & bulliant in ℔ß. aquæ rosarum, eliciatur mucilago, in qua dissolve adipis suilli, gallinæ, anseris & anatis an. ℥ij. œsypi ℥ß. olei violarum, chamæmeli & amygdalarum dulcium an. ℥ij. medullæ vituli, butyri recentis, ceræ albæ an. ℔ß. coquantur in unguentum.

PLANTIUS. *Vnguentum hoc, quod resumptivum inscribitur, ea est compositione, ut cæteris, quæ ad emolliendum, leniendum aut relaxandum composita sunt, jure præferendum sit. Nam neque unguentum diadipibus, neque unguentum pectorale geminum, neque unguentum philagrii, neque ullum usquam, ad emolliendum, & ad eos quos dixi effectus præstantius.*

UN-

UNGUENTUM AGRIPPÆ *non modo emollit, sed & valide attenuat & incidit, corporisque œdemata discutit, & vetera nervorum vitia sanat, renum dolori succurrit, ventrem illitu subducit, & hydropicos juvat.*

♃ Radicis bryoniæ ℔ij. radicum cucumeris agrestis ℔j. scyllæ ℔ß. radicis ireos recentis ℥iij. radicum filicis & ebuli, tribuli marini an. ℥ij. Tunsa omnia recentia macerentur diebus sex vel octo in olei veteris non rancidi ℔iiij. parum deinde ferveſiant, & in expresso oleo ceræ citrinæ ℥xv. liquefiant in unguenti consistentiam.

PLANTIUS. *In unguento Agrippa recte monet simplicia omnia recentia sumenda esse, nec admodum esse coquenda: his enim crudis tametsi vis inest molliendi & attenuandi validissima, coctione tamen perit atque disperditur. Vnde alio loco recte præcepit author, ad scirrhos emolliendos ex hisce radicibus contusis atque crudis addita axungia & cera cataplasma confici in primis efficax.*

UNGUENTUM APHTON, *id est, auxiliare, calefacit, valide extenuat atque digerit, corporis præsertimque nervorum frigidis affectibus, convulsioni, resolutioni, lumborum, articulorum, colicoque dolori aptum.*

♃ Rorismarini, majoranæ, radicis iari, serpilli, rutæ, radicis cucumeris agrestis an. ℥iiijß. foliorum lauri, salviæ, sabinæ, pulicariæ majoris & minoris, radicum bryoniæ an. ℥iij. laureolæ ℥ix. foliorum cucumeris agrestis & nepitæ an. ℔ß. Omnia Maio mense collecta & expurgata tunduntur recentia, & macerantur diebus septem in olei optimi ℔vj. affusa aqua vitæ ad ℔j. deinde coquuntur dum contabescant & absumpta sit aqua. oleum percolatur. in quo ceræ ℥xvj. liquantur, & adipis ursini, olei laurini an. ℥iij. olei moschelini ℥ß. petrolei ℥j. butyri ℥iiij. agitando hi pulveres insperguntur, mastiches, olibani an. ʒvij. pyrethri, euphorbii, zinziberis, piperis an. ℥j. Omnia in unguenti formam coëant.

UNGUENTUM MARDIATUM MAGNUM *cerebri, nervorum, articulorumque frigidis affectibus, tremori, convulsioni, paralysi, arthritidi in primis utile: præduris tumoribus lienis præsertim emolliendis efficax.*

♃ Ceræ albæ ℔j. olei ℔iiij. rorismarini, foliorum lauri an. ℥iiij. tamarisci ℥iij. rutæ ℥iijß. ebuli, sabinæ, balsamitæ, id est, menthæ aquaticæ, ocimi, salviæ, polii, calaminthes, artemisiæ, helenii, betonicæ, acanthi quæ est branca ursina, aspergulæ, quæ est aparine, anemones, quæ herba venti dicitur, pimpinellæ, agrimonii, absinthii, phlomi minoris, qui & herba paralysis, costi herbæ hortensis, quæ herba dicitur sanctæ Mariæ, cymarum sambuci, sempervivi minoris, quod crassula appellatur, millefolii, sempervivi majoris, chamædryos, plantaginis, seu quinquenerviæ, centaurii minoris, fragrariæ, quinquefolii, tetrahit, id est herbæ judaicæ, an. ℥ij. ʒij. radicis althææ, cumini, myrrhæ an. ℥jß. fœnigræci ℥vj. butyri ʒv. seminis urticæ, violarum & papaveris rubri, mentastri seu menthæ agrestis, menthæ sativæ, oxylapathi, polytrichi, cardiobatani, id est cardui benedicti, periclymeni, id est caprifolii seu matris silvæ, marathri, herbæ moschatæ, quæ est prima geranii species, trifolii acetosi, quod alleluja dicitur, scolopendrii, quod est ceterach, crispulæ, id est buphthalmi, caphuratæ herbæ, id est abrotoni, styracis, medullæ cervinæ an. ʒij. adipis ursini, adipis gallinacei, mastiches an. ℥ß. thuris ʒij. olei nardidini ℥j. Herbæ ad finem Maji mensis collectæ recentes terantur macerenturque diebus septem in vino optimo odorato: octavo die coquentur simul dum vinum ex dimidio absumptum sit, ac tum oleum affunditur. Rursumque coquuntur dum herbæ contabescant & vinum prorsus sit absumptum. deinde colatur & exprimitur oleum, in quo rursus concalefacto, styrax, butyrum, adipes, mastiche, thus, oleum nardinum & cera quo dixi ordine adjiciuntur: cumq; dissoluta fuerint agitatione continenti, subtrahantur igni, & concretum unguentum recondatur.

PLANTIUS. *Vnguenti martiati tres apud quosdam traduntur descriptiones non admodum quidem necessariæ ad frigidos nervorum aliarumque partium affectus, cum ad hos abunde faciat unguentum aregum nunc descriptum. At vero qui martiatum hoc habere velit. descriptionem hanc sequatur ex Nicolao Myrepso depromptam atque reformatam.*

UNGUENTUM BASILICUM MINUS *quod & tetrapharmacum veteres appellarunt, calefacit, humectat, dolorem mitigat, ac pus movet, phlegmonis increscentibus utile.*

♃ Resinæ, picis, ceræ an. ℔ß. olei quod satis est.

BASI-

BASILICUM MAGNUM *eadem præstat, & detergendis quoque & implendis ulceribus idoneum.*

℞ Ceræ albæ, resinæ, sevi vaccini, picis, terebinthinæ, olibani, myrrhæ an. ℥j. olei quod satis est.

PLANTIUS. *In unguento basilico, aureo, apostolorum, ægyptiaco & enulato nihil immutandum putavit: in unguento citrino simplicium doses admodum incertas atque depravatas reformavit, atque plus messe voluit radicis dracuntii (cujus ad propositos cutis affectus summa vis est) quam cerusæ aut alterius cujusvis simplicis. In componendi quoque ratione certum modum expressit adjiciendorum citriorum malorum, quorùm pulpa atque succus ad ea cutis vitia, non minus utilis, imo etiam utilior, quam cortex habetur.*

UNGUENTUM AUREUM *vulnera leviter detergit, glutinat ac tuto curat.*

℞ Ceræ citrinę ℔ſ. olei non rancidi ℔ijſ. terebinthinæ ℥ij. resinæ, colophoniæ an. ℥jſ. thuris, masticheS an. ℥j. Croc ʒj. Cera ex oleo liquatur, adjiciunturque reliqua exquisite trita.

UNGUENTUM APOSTOLORUM *vulnera & ulcera contumacia itemque fistulas detergendo expurgat, fungosam aut mortuam carnem absumit, & novam restituit.*

℞ Terebinthinæ, ceræ albæ, ammoniaci an. ʒxiiij. opopanacis, floris æris an. ʒij. aristolochiæ rotundæ, thuris masculi, bdellii an. ʒvj. myrrhæ, galbani an. ʒiiij. lithargyri ʒix. olei si æstas fuerit ℔ij. si hyems, ℔iij. Bdellium, ammoniacum, opopanax & galbanum aceto macerata atque soluta cum cæteris tritis, in oleum & ceram liquefacta conjiciuntur, coquunturque agitando in unguenti formam.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM *multo validius, quam apostolorum ulcera vetera atque fistu-* A *losa oxtergit, excrescentem aut emortuum carnem vehementer exiccat, & exedit non sine sensu doloris:*

℞ Æruginis ʒv. mellis optimi ℥xiiij. aceti fortis ʒvij. coquuntur simul omnia dum unguento sua crassities & purpureus dolor accedat.

UNGUENTUM EX ENULA, *quod enulatum appellant, ad pruritum, ad scabiem tum siccam tum humidam, & ad alias cujus fœditates mire efficax.*

℞ Radicis enulæ ex aceto coctę, tusę & cretę, ℔j. axungię porci, olei, an. ℥iij. cerę novę ℥j. argenti vivi exstincti, terebinthinę lotę, an. ℥ij. salis vulgaris bene triti ℥ß.

B Cera & axungia ex oleo liquantur, his additur enula, deinde argentum vivum & sal, postremo terebinthina. Tutior ejus fuerit usus, si vice argenti vivi imponantur succi fumarię & limonum an. ℥j. Utrunque igitur seorsim habendum est.

UNGUENTUM CITRINUM, *aut rectius citreum, papulas ex bile aut salsa pituita in cute, præsertimque faciei, erumpentes reprimit, lentigines, impetigines, livores, fœdas cicatrices & oculorum rubores extergit.*

℞ Boracis ℥ij. caphuræ ʒi. coralli albi ℥ſ. amianti, id est, aluminis plumosi, umbilici C marini, seu bellirici, tragacanthę, amyli, crystalli, enthali, dentali, thuris albi, nitri, an, ʒij. cerusę ex radice dracuntii factę ℥j. cerusę vulgaris ʒvj. adipis suilli recentis salis expertis & puri ℔jſ. sevi caprini ℥jſ. adipis gallinacei ℥j. Adipes in duplici vase liquefiant, in iis macerentur & leniter coquantur citrea mala duo minutim concisa. Adipes colentur, in hisque trita omnia laboriose injiciantur, & rudicula subigantur: novissime borax & caphura tenuissime tritę inspergantur. Coctum unguentum, ac deinde concretum recondatur.

DE EMPLASTRIS.

EMPLASTRUM DIACHYLΩN SIMPLEX, *jecorris, lienis, externarumque partium prædurοs tumores, incipientesque scirrhos emollit, sensimque dissipat.*

℞ Mucilaginum seminis fœnigræci, seminis lini & radicum althææ, an. ℔j. olei veteris duri ℔iij. lithargyri purgati atque triti ℔jſ. lithargyrum in mortario sensim oleo diluatur, dum exquisita fit permistio: igni dein lento coquantur spatha assiduo subigendo dum crassescant: ac tum his A paulatim infundantur depromptæ mucilagines, percoquanturque in emplastri substantiam. Si valentius desideratur, in singulas libras singulæ unciæ radicis tritæ inspergentur.

EMPLASTRUM DIACHYLΩN MAGNUM, *cui vis ad omnia quæ dixi, quam simplici, præstantior est, propterea quod ex pluribus, tum mollientibus, tum digerentibus constet.*

℞ Lithargyri puri, triti & creti, ℔j. olei irini, chamæmeli, lini, anethini, an. ℥viij. mu-

mucilaginum seminis lini, fœnigræci, ficuum pinguium, & uvarum passarum, succi iridis & scyllæ, œsypi, ichtyocollæ, an. ℥j.ʒv. terebinthinæ ℥iij. resinæ pini, ceræ citrinæ an. ℥ij. Omnia in emplastrum redigantur eadem arte qua in simplici diximus.

EMPLASTRUM E MUCILAGINIBUS *praeduros quoque tumores valide mollit ac digerit, abscessus quoque maturat, eorumque ruptorum saniem ac pus abstergit.*

℞ Mucilaginum seminis lini, althææ, fœnigræci, & mediani corticis ulmi, an. ℥iiijß. oleorum chamæmeli, liliorum & anethi an. ℥j. ammoniaci, galbani, opoponacis, sagapeni an. ℥ß. croci ʒij. terebinthinæ ℥ij. ceræ novæ ʒxx. fiat emplastrum arte jam præscripta.

PLANTIUS. *Multa quidem ad emolliendum emplastra veteres descripserunt, & ex his quatuor sub nomine diachylon, quorum duo hac tamen præstantissima sunt. Sed & hoc emplastrum è mucilaginibus multo ad omnia potentius existit, quam quod Zachariæ filio adscribitur, quod proinde minime describendum fuit.*

EMPLASTRUM E MELILOTO *strenue quoque emollit, ac digerit, doloresque lenit, accommodatum ventriculi, jecoris atque lienis præduris tumoribus, tensisque hypochondriis.*

℞ Meliloti ℥vj. florum chamæmeli, seminis fœnigræci, radicis althææ, baccarum lauri, absinthii, samsuchi, an. ʒiij. cardamomi, cyperi, ireos, spicæ nardi, ammios, cassiæ ligneæ, seminis apii, anisi, an. ʒijß. ammoniaci ʒx. styracis, bdellii, an. ʒv. terebinthinæ ℥jß. ficus pingues xij. sevi hircini, resinæ, an. ℥ijß. ceræ ℥vj olei majoranæ & nardini an. quantum sufficit. fiat emplastrum. Sevum hircinum, resina & cera in oleis liquentur, his ficus pingues tritæ & cretæ addantur, deinde ammoniacum & bdellium aceto soluta, postea terebinthina, postremo reliquorum pulveres creti.

PLANTIUS. *Emplastrum è meliloto, è baccis lauri, ceroneum & oxycroceum satis quidem esse videbuntur ad omnes affectus & dolores qui digeri resolvique postulant, ut idcirco non aliis opus fuerit, neque emplastro è sinapi, neque emplastris variis è fermento, neque emplastro de aliis, neque emplastro relato ad Aristarchum.*

EMPLASTRUM E BACCIS LAURI, *ventriculi, præcordiorum, intestinorum, uteri ac vesicæ, aliarumque partium, dolores à flatibus aut à frigida quavis causa subortos mire demulcet.*

℞ Thuris, mastiches, myrrhæ, an. ʒj. baccarum lauri ℥ij. cyperi, costi, an. ℥ß. mellis colati quantum ad omnia cogenda satis est.

Id putant AD HYDROPEM MIRABILE reddi, si pondus cyperi sit ℥ijß. & caprinum stercus arefactum addatur pondere ℔ß.

EMPLASTRUM CERONEUM *lienis duritiem mollit, hydropi & frigidis uteri affectibus, thoracis scapularumque doloribus à frigore ortis succurrit.*

℞ Picis navalis colatæ, ceræ, an. ℥ij. & ʒiij. sagapeni ℥ij. ammoniaci, terebinthinę, colophoniæ, croci, an. ℥ß & ʒiij. aloës, thuris, myrrhæ, an. ℥j. opopanacis, styracis, galbani, mastiches, aluminis, fœnigræci, styracis rubri, bdellii, an. ʒiij. lithargyri ʒjß. Emplastrum hac forma concinnetur: sagapenum, galbanum, opopanax, ammoniacum & pix vino liquentur & colentur: his colophoniam colatam, deinde styracem, mastichen, thus, myrrham, bdellium trita cretaque, paulo post injice terebinthinam, alumen, lithargyrum & fœnumgræcum. Coctum ex his emplastrum in aquam mergitur frigidam, & subigitur manibus, addito pulvere aloës & croci, manibus semper, unctis oleo laurino, concinnantur magdaleæ.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM *omnem quoque duritiem mollit, atque discutit, articulorum dolores, & eos qui circum membranas sunt ossium, evocat, atque disperdit.*

℞ Ceræ, picis navalis, croci, colophoniæ, an. ℥iiij. terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, thuris, mastiches, an. ℥j. & ʒiij. Galbanum & ammoniacum aceto liquentur atque colantur: pix dein colata additur: ab hac cera, mox colophonia & terebinthina, non multo post thus, mastiche & myrrha. Coctum emplastrum in frigidam mergitur, expressumque subigitur cũ pulvere croci, manibus oleo perunctis.

EMPLASTRUM DE JANUA, *ad vulnera & recentia ulcera mire efficax, inflammationem sedat, detergit, agglutinat & carne implet, & ad cicatricem perducit.*

℞ Succorum apii, plantaginis & betonicæ an. ℔ß. In succis reliqua tria sensim agitando coquantur ad succorum consumtionem, ac tum igni sublatis addatur terebinthina.

EMPLASTRUM GRATIA DEI *ex eadem fere materia, & ad eosdem usus.*

℞ Terebinthinæ ℔ſ. resinæ ℔j. ceræ albæ ℥iiij. mastiches ℥j. betonicæ, verbenæ, pimpinellæ recentium an. m. j. tunsæ herbæ ex vino albo coquantur dum tabescant, liquor exprimatur: in quo cera, resina & mastiche coquantur in idoneam emplastri consistentiam: igni sublatis terebinthina permisceatur.

EMPLASTRUM DIVINUM *ad maligna ulcera multo præstantius: eorum enim saniem ac putredinem detergit, & absumit, novam carnem profert, & ad cicatricem perducit.*

℞ Galbani, myrrhæ, an. ℥ij. & ʒij. ammoniaci ℥iij. & ʒiij. opopanacis, mastiches, aristolochiæ longæ, æruginis, an. ℥j. lithargyri, olei communis, an. ℔jß. ceræ novæ A ℥viij. thuris ℥j. & ʒj. bdellii ℥ij. magnetis ℥iij. Lithargyrum cum oleo agitando permiscetur, postea coquitur dum crassescat, tum cera additur minutim concisa, ea liquata igni aufertur, adduntur que galbanum, ammoniacum, opopanax & bdellium ex aceto vel vino dissoluta, cocta & colata: deinde pulvis inspergitur myrrhæ, mastichis, thuris, aristolochiæ & magnetis: postremo æruginis, ne hac diutius cocta emplastrum rubrum evadat.

PLANTIUS. *Emplastra quæ ad vulnera & ulcera describuntur, de janua, gratia Dei, & divinum, ea quoque satis sunt: nec plura huc adferenda fuerant. Nam emplastrum Oribasii duplex & emplastrum apostolorum comprehenduntur sub hoc divino, quod in eosdem sint usus, minus tamen efficacia.*

EMPLASTRUM AD HERNIAM.

℞ Gallarum, nucum cupressi, psidiæ, balaustiorum, acatiæ, seminis plantaginis, B seminis psylli, seminis nasturtii, cupularum glandium, fabarum torrefactarum, aristolochiæ longæ & rotundæ, myrtillorum, an. ℥ß. hæc omnia pulverisentur, & in aceto rosato macerentur per quatuor dies, deinde torrefiant & exsiccentur.

Tum ℞. consolidæ majoris & minoris, caudæ equinæ, glasti, scolopendrii, radicis osmundæ regalis & filicis, an. ℥j. thuris, myrrhæ, aloës, mastiches, mummiæ, an. ʒij. boli armenæ lotæ in aceto, lapidis calaminaris præparati, lithargyri auri, sanguinis draconis, an. ℥iij. picis navalis ℔ij terebinthinæ ℥vj. vel quantum satis sit ad emplastrum fingendum.

PLANTIUS. *Prætermissa hic quoque sunt alia emplastra adstringentia & corroborantia ventriculum, renes & uterum, quæ non usurpantur, & pro quibus alia quædam in rem præsentem præstitui solent: ut idcirco videatur hic emplastrorum & aliarum compositionum numerus satis esse ad pharmacopœiam & ad curanda summa morborum, causarum & symptomatum genera: neque opus fuit medicamentarium hunc librum otiosis & supervacuis compositionibus implere, quæ non nisi frustra & ad confusam multitudinem augendam recenseri possunt. Quæ autem compositiones ad peculiares quosdam & singulares affectus curandos utiles existant, quia rarius contingunt, in propria singulorum curatione tanquam illis peculiares & accommodata traduntur.*

Methodi Medendi libri septimi finis.



JOAN-

JOHAN. FERNELII AMBIANI, DE MORBIS UNIVERSALIBUS ET PARTICULARIBUS

Libri quatuor posteriores

PATHOLOGIÆ.

Adjecta est singulis morbis

PRÆDICENDI, CURANDIQUE RATIO.

Huic autem editioni quantum accesserit, ex

JOHANNIS & OTHONIS HEURNII,

Aliorumque Præstantissimorum medicorum scriptis,

ex Typographorum ad Lectorum præfatione videre est.



TRAIECTI *ad* RHENVM,

Typis *Gisberti à Zijll*, & *Theodori ab Ackersdijck*,

ANNO cIↄ Iↄ c LVI.

LIBER QUARTUS, PATHOLOGIÆ DE FEBRIBUS.

PRÆFATIO.

SVmma morborum symptomatumque genera & eorum causas atque signa exposui, & & qua ratione uniuscujusque (etiamsi inauditus, aut ex multis varie implicitus esset) essentia causaque percipi possit ut jam nihil eorum, quæ sunt ad generalem medendi rationem præmittenda, deesse videatur. At vero quoniam universalium perceptione nemo quicquam magna laude dignum consequi potest sine usu & exercitatione, quæ in singulis versatur: morborum qui in humanum corpus invadunt differentias omnes speciesque nunc sigillatim persequar, veterum instituto & ordine quo ad licet observato. De febribus itaque primum scribam, deque morbis qui totius sunt corporis: hinc ad eos dein pergam qui uniuscujusque partis proprii sunt. Non pauca interim legenti occurrent à majoribus aut prætermissa, aut non satis explicata, aut ab illis interdum dissentanea; sed quæ tamen ut ratione stabilita; ita & longo sint medendi usu comprobata. Sic enim decet investigatorem veri non solum quæ legerit, sed & quæ secum ipse meditando considerat & contemplatur, usuque tenet cognitione dignissima, in communem fructum proferre.

CAPUT I.

Quid febris, quæ illius essentia, quæ signa.

Gal. 1. de diff. febr. cap. 1, 3. *Febris est calor.*

FEbris *est calor præter naturam è corde in omne corpus effusus.* Rigor horrorve intermittentium febrium, tametsi accessionis est initium, febris tamen haud quaquam censeri potest quod nondum sit calor incensus. Neque per febrem exitialem partium extremarum frigus è febris est essentia neque ulla recte potest frigida febris appellari, sed omnis in caloris genere subsistit.

Non naturalis.

Calor *præter naturam adversatur naturali.* Est autem naturalis duplex. Unus insitus, in solidarum partium humido primigenio inhærescens, cujus est origo cœlestis. Alter elementarius, moderatus & ex omnium elementorum permistione temperatus. Ille omnium functionum primarius est opifex hic vero adjuvans, quod elementorum A temperies insitum illum calorem foveat excitetque. Insitum olim demonstravimus exuperare non posse, nec illius copiam & ubertatem vitio unquam dari, sed quo fuerit uberior (ut infantium ætate) eo naturales vitæ functiones reddi feliciores.

Sed præter naturam.

In eo igitur consistere febris nulla potest: sed *febris essentia* calor est præter naturam, qui quum adest, tanquam hostis B infensus insiti illus substantiam semper oppugnat, labefactat, omnesque functiones interpellat.

Hic vel intensus est,

Triplex autem *constitui debet. Vnus* admodum simplex, qui solius est *caloris exuperantia*, hinc genitus quod calor elementarius assiduo incremento de temperie & mediocritate decedens, plus nimio exuperat, & qui naturalis fuerat, sensim non naturalis evasit, vitiosus proinde & naturæ jam infensus.

Vel putridus. *Alter* eſt calor ex *putreſcente* materia prognatus, qui etiam ſi non admodum ſit ardens, quoniam tamen ejus de qua prodiit materiæ conditionem redolet, præter naturam eſt & inſito calori gravis.

Vel malignus. *Tertius* eſt *malignus* & pernicioſus, quem peſtilens venenataque materia fundit, non qualitatis exuperantia, non putredine, ſed totius ſubſtantiæ diſſidio vitali inſitoque calori adverſus.

Et ut febrim conſtituat debet eſſe conſtans, Solus igitur qui præter naturam eſt, calor, febris exiſtit; ſi modo jam accenſus *conſtanſque* permanet. Etenim ſi vel æſtu, vel balneis, vel excitatione corpus incaleſcit, & mox agitatione ſedata deferveſcit, calorem hunc nemo febrem, ut neque morbum appellet.

Univerſalis. Neque porro calorem præter naturam, qui vel caput, vel brachium, vel crus ſolum occupat, quia non *in omne corpus* evadit.

Neque ſi ex parte quapiam late dimanet, ſed neque ſi e calidiore jecore pariter cum ſanguine & halitu prodiens, palmas atque plantas quaſi exurat, aut etiam quoquoverſum effuſus omne corpus prehendere videatur: non enim è corde prodiit.

E corde provenire. Unus calor præter naturam, qui *è corde* per arterias una cum ſpiritu profluit, univerſalis eſſe poteſt, unuſque prompte ac celeriter in corpus omne diſtribuitur. Solus igitur debet febris appellatione contineri. Adde, jecore duntaxat affecto, non pulſum, ſed naturales ſolum functiones immutari: affecto vero corde vitæ principio, ipſi mox omnia conſentire, omneſque peræque partes ne munus expleant impediri. Itaque quum febris maxime univerſalis morbus omnes ubique functiones offendat, debet ejus partis affectio cenſeri, quæ eſt ad omnium conſervationem uſumque neceſſaria: ſoluſque calor præter naturam è corde in omne corpus effuſus, vera febris haberi.

Non tamen ſemper in eo accenditur. Lib. 4. fen. 1. tr. 1. cap. 1. Non eſt id perpetuum (quod definit *Avicennas*) omnis febris *calorem in corde accendi*. Tametſi de continuis & primariis id verum fatemur, intermittentium tamen & ſymptomaticarum calor non in corde primum accenditur, ſed aliunde ſublatus cor ferit, è quo æſtuans cum ſpiritu mox per arterias in corpus omne refunditur.

Febrium ſigna communia. Omnium porro *febrium communes notæ* ſunt, pulſus celer ac frequens, interdum etiam inæqualis, qui ſolius calidioris cordis eſt proprius. Virium langnor & imbecillitas cum ſpontanea corporis gravitate aut diſſolutione. corpus quippe univerſum conſentit laboranti cordi. Calor aut foris acer ac pungens, aut intus certe moleſtus, qui & nonnunquam fervido halitu prorumpit è naribus.

CAPUT II.

Febrium differentiæ.

Ut calor ita & febris triplex: VT tota febris eſſentia calor eſt præter naturam, ita illius propria ſummaque genera ex caloris differentiis ſtatuenda ſunt. *Tria* igitur *febris, ut caloris* præter naturam prima ſummaque *genera* exiſtunt, *ſimplex, putrida,* & *peſtilens*. *Simplex febris* eſt cujus calor elementarius ſolo incremento, naturæ ac temperiei limites exceſſit: poteſt & eadem dici naturalis calor in igneum converſus. *Putrida* cujus calor ex illuvie putrida emerſit. *Peſtilens*, quam venenata pernicioſaque exſpiratio intulit. *Gal. 1. de dif. feb. cap. 1.*

Simplex porro febris *triplex* eſt, *ephemera, ſynochus* & *hectica*: quę ſolo caloris ſubjecto diſtant, quod aut corporis ſubſtantia eſt, aut humor, aut ſpiritus: nec enim plura in corpore ſubſiſtunt.

Quæ ephemera. *Ephemera* in ſolo ſpiritu vago primum conſiſtit, iſque vere inflammatus eſt, cujus tamen calor toti etiam corpori impertitur. Hæc quia in tenui & diſſipabili eſt ſubjecto, uno fere die ſolvitur, unde ephemera id eſt diaria, nuncupata eſt: raro longius excurrit. *Synochus,* *Synochus,* id eſt continens, ſimplex eſt ſanguinis efferveſcentia, qua nimirum citra putredinem aliamve labem is incaluit, cujus contagione cor ipſum parteſque omnes incaleſcunt. *Hectica,* *Hectica* una omnium in partium ſolidarum ſubſtantia primum ac per ſe conſiſtit ac hæret. Conſiſtunt igitur

omnes in corde, at ratione dissimili. In ephemera cordis spiritus jam incaluit, humores vero atque substantia duntaxat calent. In synocho humor incaluit, substantia vero calet. In hectica cordis substantia prorsus jam incaluit, & permanentem fixumque obtinet calorem.

Cordis, Est autem *hectica duplex.* Una quidem universalis & primaria, quæ *cordis* primum, deinde reliquarum partium substantiam æquabiliter invasit. *Altera partis* est hectica, *Alterius partis.* quę cujuspiam partis substantiam primum ac per se obsidet, è qua tamen tum cordi, tum partibus singulis impertitur. Hujus genera complura: nam & ventriculi & jecoris & lienis, & pulmonum hectica deprehenditur. *Gal. 2. de diff. feb. cap. 2.*

2. Putrida. Jam vero *putridæ febris*, ex putrescentis humoris specie atque ex situ, *duo* prima constituuntur *genera*, *continua* & *intermittens.* Quum tanta in venis arteriisque majoribus inest putredo, quæ vel se ipsa, vel suo vapore cor continenter attingat & labefactet, *continua* fit febris. Quum vero aut levior est, aut longius à corde dissita, ut non assiduo id afficere queat, febris est *intermittens.*

Quæ continua. *Continua* febris *duplex.* Una vera & primaria, quam accendit putrescens humor in vasis majoribus quæ inter alas & inguina excurrunt. Altera *symptomatica* est, quæ visceris cujuspiam partisve putredinem quasi comes insequitur. Et quæ ex jecoris, lienis, renis, aut cujusvis partis erysipelata fit, typhodes appellatur: quæ ex earum aut insigniorum partium phlegmone, ut ex peripneumonia, pleuritide aut phrenitide, phlegmonodes. utraque autem symptomatica est continua. Fit & nonunquam symptomatica, dum in hisce visceribus citra eorum inflammationem coërcitus humor putrescit: idque si affatim universimque fit, acuta febris existit: sin vero sensim ac lente, continua, lenta, quæ diuturna esse consuevit. Putrida febris continua, *Symptomaticæ.*

A quam *primariam* nuncupavi, species sortitur ex vincentis humoris natura. Etenim venarum arteriarumque sanguis, si quum putredine incendioque prehenditur, bene temperatus est, & ex quatuor humorum æquabili permistione constitutus, febrem accendit synochum putridam, cujus mox species explicabimus. Si calidior is est, plusque bilis quam cæterorum humorum continet, absolute continuam facit tertianam. Cujus si magnum est incendium in cor & præcordia devergens eaque obsidens, verus causus. id est febris * ardens existit. At vero si pituitosus est sanguis, incensus is ac putrescens febrem profert continuam quotidianam: si melancholicus, quartanam continuam. *Aut primaria.* B *Gal. ibid. cap. 8.*

Putrida febris intermittens, alia *simplex*, alia *composita*, alia *confusa.* *Vel intermittens,*

Simplicis tres differentiæ, tertiana ex bile flava extra venas majores putrescente, quotidiana ex pituita putri, quartana ex atra bile pura ac seorsum putrescente. *Confusa* febris non ex humore syncero, verum ex multis una extra majores venas loco confusis, pariterque putrescentibus emergit: hujusmodi est tertiana notha, ex bile atque pituita pariter corruptis. *Composita* febris ex mistis implicitisque fit intermittentibus, ut tertiana duplex, quartana triplex, & hemitritæos, quæ ex quotidiana continua & tertiana intermittente constat. Hic ut multæ sunt febres, ita & humores multi separatim putrescunt, non loco uno eodemque confusi. *Simplex,* *Confusa,* *Composita,* C

Hac quasi figura putridę febris differentiæ ex humoris specie ac situ depromptæ sunt.

Pestilens porro *febris* non uno calore, sed pestilenti malignaque pernicie alias spiritus, alias humores, alias partium substantiam contaminat, hincque differentiæ surgunt, quas postea exequemur. *3. Pestilens.*

Rursum autem his singulis expressius & quantum exposcit medendi ratio tradendum.

De Ardente.

	S. A.		S. A.
* *Fit æstate.*	3. 21.	*solvitur rigore.*	4. 58.
quando sitim non inferat?	3. 54.	*delirio.*	6. 26.

CAPUT III.

De Ephemera Febre.

Gal. 1. de diff feb. c. 5. 2. de Crif. ult.
Ephemera.

FEbris ephemera *est calor præter naturam in spiritu primum considens.*

Est autem hic spiritus non insitus, quem in Physiologia diximus solida parte contineri, ejusque præcipuam substantiam complere : sed arteriarum communis, è corde in omne corpus influens & illapsus. *Oritur à calore spirituum.* Hic *ephemeræ* materia est, *continensque causa*, ut in quo tanquam basi consistens, in reliquum dein corpus invadit, ejusque functiones interpellat. Atque, ut spiritus admodum tenuis est, ita & quæ in eo consistit febris omnium est levissima & facile dissipabilis : non constans, sed veluti transiens ac præterfluens.

Excitato à causis evidentibus. Huic fere *origo* est *causis evidentibus*, quarum vi & impulsu tenuis, calidus fervidusque spiritus, omnium quæ in corpore sunt promptissime incenditur. *Galen. 1. diff. feb. cap. 7.* Quum igitur ab his non prius humores, quam spiritus inflammari possint, necesse est febrem omnem putridam ab his genitam quædam antecedat ephemera.

Ejus signa. Hujus *notæ sunt*, quod non sensim præcedente cibi fastidio aut spontanea corporis lassitudine, aut graviore somno, & frequenti oscitatione, sed tota repente prehendit, solaque evidentium causarum vi infertur. At nullus aut admodum levis horror initio fatigat, idque duntaxat quum cacochymum corpus expirationem multam eamque calidam & acrem diffundit, quæ ob cutem à frigore densatam, aut ob exilium meatuum constipationem suppressa, ferit partes nervosas. Nulla comitantur sæva symptomatta, nec vehemens dolor, nec magna corporis jactatio. *Pulsus* quidem celer & frequens, sed tamen æqualis & ordinatus, magnus ac validus, nisi vel ex mœrore, vel ex inedia, vel cruditateo, vel frigore orta sit & est in pulsu diastole major atq; velocior quam systole: inspiratio quoq; expiratione & major & celerior. *Calor* tactu A mitis, suavis atq; halitu plenus, qui fere eo ipso die aut totus occulte exspiratur, aut madore sudoreve naturali eoq; miti necgravelête discutitur. *Vrina* substantia, colore, sedimêto, aut nihil aut minimû à naturali distâs.

Diariæ febris prægressæ *evidentesque causæ sunt*, quæcunque calidiorem intemperiem inferunt : solis æstus, omnisque ambientis fervor : lassitudo laborque vehemens: vigiliæ, inediæ, intenta animi contentio ex ira, curis, tristitia vel timore. *Causæ procatarcticæ.* Omnium autem gravissimæ sunt, cruditas, sive ex nimia cibi copia & helluatione, sive ex vino meraciore, sive ex fructuum corruptorumque B ciborum esu contracta : Naturalium vacuationum, ut alvi, ut urinæ quavis ex causa retentio, ut sudoris halitusve suppressio ob cutis densitatem & constipationem, vel ex frigore, vel ex adstringente balneo : Adenum maximeque inguinum ex labore tumores atque bubones, & atroces cruciatus, qui corpus inflammant humoresque exagitant. Tres hæc causæ non solum qualitatem, sed & vitiosam materiam vel in corpore retinent, vel aliunde suggerunt, ac proinde febrem sæpius accersunt ab horrore, & in periculum adducunt putridæ febris, cæteræ vero solam qualitatem intemperiemque conferunt. *Gal. ibid. cap. 11.*

C Quæ *causa* diariam excitaverit, ex antecendentium investigatione disci potest, neque in re tam levi, necessaria videtur amplior *signorum* discussio. *Causarum signa* *Avicenna loco cit. c. 27.*

Has in febres maxime *propensi sunt*, qui calido siccoque sunt corpore, & qui halitu acri plurimo conferti sunt, & quibus sudor, urina aut egestio supra modum graveolet. *Qui in hanc proclives?*

Quum diaria nulla inclinatione, nullo sudore, aut etiam finito sudore, statu pari diem unum excesserit, metuenda *permutatio* vel in synochum, vel in putridam, quod ex signis suspectæ imminentisque febris internoscitur. *Qualis ejus mutatio?*

Caput IV.

De Synocho Febre.

Aëtius lib. 5. c. 70. Synochus qua? Febrium quæ in humoris vitio positæ sunt, omnium prima est *synochus*, nobis continens appellata. *Ea assiduo fatigat, nulla excandescentia, nullaque intermissione, dum integre soluta sit.*

Ejus differentia. Est autem *duplex*, una *sine putredine*, altera *putrida*.

Causa proxima. *Utriusque materia, continensque causa* in vasis est majoribus, inter alas & inguina sitis, atque ea est utrique sedes. Materia autem sanguis est, non ille quidem simplex, sed qui ex quatuor humorum æquabili permistione constat.

Qui ad eam dispositi? In *eos* proinde duntaxat synochus *invadit*, qui temperati aut aliquanto humidiores calidioresque sunt ætate media, habitu carnoso ac vere quadrato, & quos plethora, id est sanguinis exuperantia & æquabilis succorum redundantia premit: cæteras naturas constitutionesve non attingit. Eaque causa est cur admodum raro synochus reperiatur simplex.

Quomodo generetur sine putredine? Itaque sanguinis quædam velut *effervescentia* & simplex inflammatio, quæ phlogosis appellatur, synochus est sine putredine. Ut autem sanguinis ea materia sui ubique similis est, ita & illius inflammatio tota unius est modi, & ab initio in finem una qua si accessio.

Id quidem trifariam fieri contingit: alias enim calor par suique similis toto febris decursu manet, quantumque recens inflammatur, tantumdem protinus dissipatur: ea est synochos *homotonos*: alias recens inflammatio quam dissipatio major est, tumque calor continuo incremento invalescit, & synochos fit *epacmastica*, id est increscens: alias plus dissipatur quam recens inflammetur, ac tum calor statim à summo vigore incipiens, sensim minuitur, dum desinat, & synochos fit *paracmastica*.

Homotonos. Epacmastica. Paracmastica.

Ejus causæ progressæ. Synochus omnis sine putredine easdem atque diaria febris *causas habet:* quę leviores quum fuerunt, diariam, quum vehementiores, synochum proferunt. In causarum censu admodum efficaces sunt, magna adstrictio constipatiove cutis, & sanguinis redundantia, sive ex suppressa consueta vacuatione hæmorrhoidum, mensium aut narium, sive ex immoderato usu ciborum euchymorum & calidorum ea succrevit.

Qui ad eam dispositi? Quam obrem *huic* fere *obnoxius* est temperatus intemperanter vivens, qui quum bene habito sit corpore, multo se tamen vino multaque carne implet: huic enim sanguis multus atque calidus inest, qui non facile corrumpitur.

Ejus generatio. Ab his igitur causis primum *inflammatur* spiritus, ac tum sanguis sensim incalescit. Hujus etenim tenues acresque vapores, ac ipsum calorem præter naturam cutis densitas aut adstrictio cohibet, nec prodire sinit, qui geminatus, sanguinem inflammat, simplicemque synochum facit.

Signa. Hujus *notæ sunt* quæ & ephemeræ, verum aliquantum manifestiores. Proprie tamen corpus omne maximeque facies inflammatione ruboreque suffunditur: distendens lassitudo artus omnes occupat: magna jactatio fatigat: venæ copia distentæ multum turgent: tempora vehementer pulsant: caput dolet vel ingravescit: somnus sæpe profundus ac veternosus premit: respiratio difficilis: *pulsus* magnus, plenus, frequens, ac velox: *cutis* non squalida sed mollis, non acri sed blando calore madoreque perfusa. Ex Nicol. Florent.

Nota synochos ex bilis concitatione frequens. Huic generi & *alterum finitimum* sæpe fieri animadvertimus ex *bilis* calidorumque humorum *agitatione* nimia. Causæ siquidem evidentes quum vehementiores in biliosum corpus alioqui sanum irruerint, non modo spiritus concalefaciunt, sed & acres humores exagitant, quorum æstu febris accenditur sine putredine. Hæc ephemeræ limites egreditur, nec tamen synochos est nunc exposita: illa quippe sanguinis effervescentia est, hæc bilis concitatio sine putredine: illa in corpus incidit temperatum beneque habitum, hæc vero in calidum siccumque ac plane biliosum.

Ejus causæ progressæ. Hujus *causæ evidentes* non aliæ sunt, quam quæ ephemeram movent: maxime vero cruciatus summus, qualis nephritici aut

aut parturientis est: exercitatio laborque immodicus, æstus, balneum, animi excandescentia, & quæ his pares sunt viribus.

Signa. In hac nullæ putredinis *notæ* in pulsu aut in urinis cernuntur, veruntamen os amarescit, dejicitur appetentia, sitis excruciat, capitis dolor ac vigiliæ urgent, in cute arida calor acer ferit.

Mutatio. Sublata evidente causa, *paucis post diebus* febris, ejusque symptomata, quiete sola, nullo artis subsidio sedantur ac sponte desinunt. Quum febris diaria citra putredinis notas diem unum alterunve excesserit, harum alterutra suspecta esse debet.

CAPUT V.

De synocho putrida.

Gal. 2. de diff febr. cap. 9. *Synochus putrida quæ?* PUtrida synochos *febris est continua ex putrescente sanguine prognata.*

De hujus exortu summa quidem dissensione *certant artis proceres*, possitne sanguis putrescere: & quæ hinc prodit, synochosne sit, an biliosa febris.

Cæterum *potest* eorum *controversia* hac observatione *dirimi*. Sanguis bifariam putrescit, uno generali modo, quum vi caloris præter naturam segregantur quæ in eo sunt substantiæ dissimiles, & bilis flava ac tenuis ab atra quæ crassa terrenaque est secernitur. *Ejus causa.* Hæc autem degeneratio verius corruptio quam putredo censetur, ut alio loco dilucidius explicatum est à nobis. Atque si sanguis hac ratione putrescat, accendaturque febris, ea non synochos, sed vel biliosa, vel melancholica evadet. Alio modo vere sanguis putrescit, quum citra substantiarum diremptum aut secretionem totus corrumpitur magno fœtore aut graveolentia. Ut enim è venis in pectus, in ventriculum, in intestina, aut in aliam capacitatem sanguis præter naturam effusus vitiatur & quasi in venenatam substantiam putrescit: & in musculos irrumpens tumorem præter naturam phlegmonemque parit, atque putrescit primum, deinde suppurat: ita dubitari non debet eum validis ex causis, ut in putrida atque pestilenti cœli constitutione, in venis majoribus putrescere. Quinetiam quum phlegmonæ tentator jecoris substantia, sanguis totus non modo putridus, verumetiam nonnunquam purulentus existit. Sed & omnes fatentur, sanguinem tam magna interdum mutatione depravari, ut non amplius ad habitum redeat naturalem, nec possit iterum per naturæ concoctionem ad primam humoris bonitatem redire. Denique per febres qui detrahitur, sæpe animadvertitur non solum fœtidus & graveolens, sed & putridus adeo, ut nec sibi cohærere nec concrescere queat, omnibus scilicet ejus fibris putredine consumptis. Hoc igitur modo cum sanguis corrumpetur, synochos accendetur putrida. *Aëtius l. 5. c. 75.*

Synochos putris triplex. Hæc, quemadmodum & altera simplex, una quasi accessio est, nec ante aut mitescit aut intermittit quam integre desinat.

Homotonos, Epacmastica, Paracmastica. Est & ea *triplex*: quum enim toto decursu par est modus putredinis, *homotonos* existit: quum plus putrescit quam dissipatur, *epacmastica*: *paracmastica*, quum minus putrescit quam dissipatur.

In hanc proclives. Hæc etiam non nisi in temperato beneque habito *fit* corpore, cujus sanguis copiosus & laudabilis est.

Ejus causa progressa. Cęterum *causas habet* quam simplex valídiores, quę non modo inflammationem, verumetiam putredinem accersunt. Omnium autem efficacissima est cutis non simplex constipatio, sed ab impactis multis crassis viscosisque humoribus vera obstructio, quę non cutem solam, sed & tenues jecoris habitusque corporis venas inferciat. Tametsi igitur integre sanum corpus fuerit, omneque humores secundum naturam, ac synceri, quia tamen valida obstructio perspirationem prohibet, neque vis refrigerans foris intro subit, neque tenuia, acria & fuliginosa excrementa intus foras erumpunt, hinc & nativum calorem strangulari, & quæcunque illic calida humidaque sunt putrescere, necesse est. Nonnunquam vero & similium putridorum occursu febris hæc accenditur.

Signa. *Notæ* similes atque in synocho simplici, sed insigniores ac magis conspicuæ. Præterea vero *calor* in hac acrius contactum ferit:

rit: *pulsus* non modo magnus, vehemens, celer & frequens, verumetiam inæqualis & inordinatus: *urina* crassa, rubra, turbida, sedimentoque nullo.

CAPUT VI.

Qua ratione in venis majoribus putrescant humores, ex quibus febris accenditur continua.

Ex Gal. 1. diff. feb. c. 5. lib. 2. cap. ult. Avicenna cit. loc. c. 1. tract. 2. *Humores ad putredinem apti sunt.*

PRompte putrescunt calida humidaque corpora, idque fere quum insitus eorum calor quavis ex causa imminuitur: humor quippe tum vincens & effrenatus, nec caloris vi coërcitus, è permistione terrenæ substantiæ secedit graveolentia ac fœtore comitatus. Sic & *corporis humores facile putrescunt*, & ex propria in alienam substantiam concedunt.

Alias quidem *in venis* aut omnibus, aut certe *majoribus*, alias *in una quapiam particula*.

Idque interdum *cum phlegmone*, interdum *citra phlegmonem*.

Putrescunt autem ii in venis majoribus,

In venis arteriisque majoribus febris accenditur continua, eo usque perseverans dum humores qui hanc gignunt, vel incendio consumpti dissipative sint, vel quovis modo edomiti. Etenim venarum putredo non facile restinguitur, quod coarctata non libere perfletur ob loci densitatem, quodque adhæsu apparatos humores inquinet, & continuatione in propinquas, ex hisque in alias venas prorepat transferaturve, nec ante desinat quam quicquid in venis vitiosum est, depopulata sit.

Duplex autem est *putredinis ratio*: alia in omnes aut saltē *in maximas venas æquabiliter* invadit: alia *ex una* quapiam initium ducens *in cæteras* sensim continuatione perreptat.

Et vel in pluribus simul.

Quæ *in venas omnes pariter invadit*, alia *ex una* quapiam initium ducens *in cæteras* sensim continuatione perreptat.

Quæ *in venas omnes pariter invadit*, licet earum sanguinem, non tamen ejus omnes æque partes occupat. Qnum enim non omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permistione compositus & sero multo perfusus, primum quidem illius *portionem putredini magis obnoxiam* prehendit, ab hac deinde aliam ipsi permistam atque confusam, quæ minus quam illa sit vitiosa: hocque modo sensim obrepens simul cum calore præter naturam augetur & invalescit, nec ante desinit quam partes omnes sanguinis putredini obnoxias absumpserit.

Disposita sanguineæ massæ portio,

Hoc perinde accidit, atque in ingenti phlegmone, in qua collectus sanguis non statim universus, sed ejus pars alia citius, alia tardius & putrescit, & suppurat: sic sensim augescens putredo in summum vigorem fertur: quemadmodum & dum ignem accendimus, aridiores primum stipulæ, deinde virgulta, postremo ligni materia, suo quæque concremantur ordine.

Omnibus quæ putrescere apta fuerant absumptis, putredo colorque febrilis cessat, *manet* tamen *pars sanguinis melior*, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, huic inviolata resistit, eaque licet putridæ permisceatur, illius tamen contagione minime computruit, sed duntaxat incaluit: restincta proinde sedataque putredine in pristinam illa puritatem redit. Atque tum urinæ puræ ac prorsus laudabiles apparent, quæ crassæ, turbidæ ac sine sedimento fuerant. Itaque ea putredine (nisi forte extremo exitio fuerit) neque sanguis universus, neque totus labefactatur. Nam soluta febre, non omnino exhaustæ venæ manent, sed aliquid in his etiamnum inesse deprehenditur, idque utile & alendo corpori idoneum, quod tamen olim miscebatur putredini. Id ipsum continget etiamsi nihil sanguinis recens genitum, nihilque cibi toto morbo sumptum fuerit, quod in extreme acuto fieri jubet *Hippocrates*.

Integra puriori.

1. Aph.

Hac propemodum ratione putret sanguis in synocho putrida: nec multo secus in causo, in continua tertiana, in aliisve *continuis*. In his quippe non universus corrumpitur, nec omnes pariter humores, ex quibus constituitur: (ita enim permiscerentur omnia continuarum febrium genera) sed is duntaxat qui maxime omnium vitiosus est. Atque ut hujus est natura, ita & consentaneum febris continuę genus accendit: tertianam quidem continuam, si bilis flava, quæ in sanguine est: quotidianam continuam, si pituita: & quartanam continuam, si melancholia putrescat.

In quibus febribus?

Alte-

Vel ex una vena putredo proserpit in aliam.

Altera putredinis est *ratio*, quæ non in omnes pariter venas, sed *ab una quapiam* (à qua forte initium sumpserit) continuatione *in cæteras* in earumque sanguinem & in humores irrumpit. Obtingit hæc quam putrefaciens causa uni fit quam alteri venæ propinquior, aut quum sanguis non in omnibus æque venis sui similis habetur. Nam in qua magis ad putredinis conditionem accedit, in ea primum labe tentatur, dein vero (ni periculo prohibeantur) in iis quæ ordine succedunt: nec ante serpere ea putredo febrisque desinet, quam omnes venas sensim pervagata quicquid in his putrere aptum erat absorbuerit.

Quod probatur.

Varietas atque mutatio vena secta *sæpe animadvertitur*: nam interdum primus sanguis emanat syncerus, mox dein corruptus: nonnunquam contra: & interdum è naribus purissimus, è secta cubiti vena vitiosos. quod & *Hippocratis* authoritate celebratum est. Hinc dissimilium symptomatum origo: aliis per febres lumbi maxime ingravescunt aut ardent: aliis præcordia siti æstuque flagrant: aliis vel animi defectio vel summa spirandi difficultas molesta: aliis capitis dolor, vigiliæ, aut deliria, ut partis natura fuerit quam putredo obsidet. Hinc & inordinatæ febres, quum priore relicto humore, corruptela alterum adoritur. Hinc febrium implexus, quum humores obsidentur varii. Hinc & prædictiones fallaces, quum priore humore jam fere edomito victoque, alius aliove loco putrescere incipit, qui post concoctas urinas crudiores alias de se profert.

Ex Gal. 1. de diff. febr. cap. 3

Efficiens putredinis causa.

Putredinis efficiens causa duplex, una propria & *intima*, altera *externa*.

Putrescunt corporis humores propria *intimaque causa*, dum in se vitium obtinent, quod nullo naturę beneficio emendari potest. Ita quidem sensim ac tempore corrumpuntur, idque sponte sua, nullo extrinsecus suscitante.

Vel interna & pravum alimentum,

Id vitii genus fere ab *alimentis corruptis*, & quorum vitiosa est substantia, contrahi solet: cujusmodi sunt frumenta, legumina, ova, pisces, carnes, & quæcunque aut vetustate aut negligentia, corruptione quadam labefactantur.

Corruptu facile,

Contrahitur & à cibis quidem probis, sed A qui *facile corrumpantur* aut putrescant: quales sunt lac, horarii fructus, & quicunque alieni vitiosique sunt succi: ex his quippe genitus sanguis tametsi concoctione crebram mutatione subiit, pristinæ tamen conditionis & ejus à quo nascitur, nonnihil etiamnum ubique retinet.

Intempestive ingestum,

A cibis *intempestive* aut ordine præpostero *sumptis*, ut quum priore nondum confecto alter ingeritur: aut quum duri concoctuque difficiles levioribus præmittuntur, quorum infirma est substantia.

Viscerum affectio mala.

Corrumpuntur postremo ac putrescunt humores, interiorum partium, ut ventriculi, jecoris, omniumque *viscerum affectione* mala. Hæc enim in alimenta concoctione imprimitur, quæ etiamsi purissima sunt, tamen contracta labe inquinantur.

B

Vel externa est obstructio,

Externa porro *causa* putredinis duplex, *obstructio* & *putridorum occursus*.

Obstructio à crassis viscosisque humoribus tanta, ut perspirationem impediat: tum enim quia nec perflantur, nec refrigerantur humores, etiamsi probi sint, putrescunt. Eandem vim obtinet & obstructio quæ à vasorum fit plenitudine. At quæ supra vires est plenitudo, idcirco putrescit, quod neque concoqui, neque regi ab imbecillis viribus possit.

Putridorum occursus.

Putridorum occursus, spiritus primum, deinde humores ipsos corrumpit, ut aëris, halitus, vaporisque putridi inspiratio, & vel scabie, vel putrida febre, vel lue venerea inquinato accubare.

C

Perspiratio prohibita unica non est putredinis causa.

Non pauci contendunt, unam obstructionem quæ *perspirationem prohibeat, omnis putredinis causam* esse, nihilque in nobis citra hanc corrumpi posse. Neque eum humorem, ex quo calor præter naturam vaporque teter facile totus exit, quique libere perflatur, unquam putredine tentari.

At contra, evidens perspicuumq; est, vitiosos cibos sępe in ventriculo aliisve partibus computrere, & in pestilenti constitutione tū inspiratu, tū perspiratu humores corrumpi, licet corpus omnino patens laxumque sit, & omnia spiracula dehiscant, aëreque frigido perflētur. Multis quippe aliis ex causis potest citra obstructionē innati humidi calorisq; substantia minui, alienusq; calor introduci, qui efficiens est putredinis causa.

CAP

CAPUT VII.

De febre continua quæ conclusa nuncupatur, deque ejus differentiis.

Ex Gal. 2. de diff. feb. cap. 2. Avicenna loc. cit.
Febris continua est.

CONTINUA *febris* subjecta materiam in vasis est majoribus, quæ illic putrescens aut ipsam de se putredinem, aut putrem vaporem in cor assiduo continenterque fundit, è quo assidua fit putrida febris, quæ *conclusa* nuncupatur.

Vel primaria,

At quum vel in inguine, vel in semotiore loco coarctata hæret, tum nec putredinem, nec ejus halitum, sed unum calorem partium continuatione in cor infert, è quo solum vel diaria febris fit, vel *symptomatica.*

Vel symptomatica.

Ea autem venarum materia sanguis est: in quo (siquidem ex æquabili humorum permistione constet) *synochus* consistit.

Illa synochus est,

Si vero ab illius mediocritate deficiens, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus appelletur, in eo *putrida* febris excitatur *continua.*

Vel putrida.
Quinam ad has procliues?

Ut igitur synochus non nisi in temperata natura, quæ multo sanguine eoque mediocri abundat, & quæ carnoso est habitu, gigni solet: ita & putrida continua *iis* duntaxat *obtingit*, qui ab hac mediocritate recedunt, biliosis, pituitosis aut melancholicis.

Causa earum sanguis.

Hic autem eorum meminisse velim quę in Physiologia fusius demonstravimus, in venis nihil præter *sanguinem* cum sero contineri, & quicquid foras effusum concrescere potest, sanguinis nomine comprehendit: nullos illic secundum naturam humores esse synceros, & supervacaneos, sed eos quatuor, ex quibus sanguis constat, vere succos esse quibus alimur, neque aliud illic bilem esse quam totius sanguinis partem tenuem atque calidam, quam etiam biliosum sanguinem appellamus: neque aliud pituitam quam sanguinis partem crudiorem: neque aliud melancholiam quam terrenam portionem & melancholicum sanguinem.

Et pro ejus diversitate, vel tertiana vel quotidiana, vel quartana.

In quibus igitur non æquabilis inest succorum permistio, ex putrescente æquabiliter sanguine febris accenditur continua: & quibus sanguis multum biliosus est, *tertiana* fit continua: quibus is pituitæ quam cæterorum humorum magis particeps fuerit, A continua fiet *quotidiana:* & quum nimiopere in melancholiam deverget, continua *quartana.*

Est autem *continuarum* omnium *genus duplex. Unum* earum quæ ab initio in finem perseverant nullo stato excandescentiæ ordine. Hujusmodi sunt synochos putrida, & quæ causus appellatur. *Alterum* earum quæ nunquam intermittunt, remittunt vero & excandescunt? aliæ quotidie, ut quotidianæ continuæ; aliæ alternis diebus, ut tertianæ continuæ; aliæ quarto die, ut quartanæ continuæ.

Ubi synocha causa hæreat?

Quæ ordine nullo *excandescunt*, earum materia id venis est cordi proximis, ac proinde putredo cor assiduo, pari vehementia B exercet.

Ubi putrida?

Cæteræ vero causam in venis habent aliquantum disjunctis, è quibus putredo in cor pari impetu assiduo ferri nequit. Harum autem excandescentia, non ut intermittentium, vel à rigore, vel ab horrore, vel à frigore initium habet, nec sudore solvitur, nec in apyrexiam desinit. Talis est omnium earum continuarum ratio quas conclusas appellavi. Earum quippe materia in venis coërcita ac putrescens, tametsi quadam ex parte per cutis spiracula sine sensu dissolvitur, non tamen potest ante perfectam solutionem tota depelli.

Quænam harum sit frequentior?

Continuarum *frequentissima* est tertiana, rara quotidiana, rarior quartana continua: C utraque crebrior est continua inordinata. Sanguis enim quisquis admodum pituitosis vel melancholicus est, quia frigidus, ægre admodum putrescit, neque hinc vehemens febris, sed duntaxat lena aut languida excitari solet, quæ fere inordinata evadit.

Aëtius l. 5. c. 77. Avicenna loc. cit. c. 1. 2 3.

Qui dignoscatur putrida ab ephemera?

Putrida febris ab ephemera his notis statim initio *discernitur.* Prægreditur inæqualitas quędam & neutra corporis constitutio, ex ea certe plethoro vel cacochymia, quæ sensim cumulatur ceu futura febris materia: hinc spontanea corporis lassitudo, motus gravis atque piger, somnus turbulentus, immoderatæ vigiliæ, hypochondriorem distentio, respiratio difficilis, venarum repletio, capitis

tis temporumque dolor gravis, ac interdum pulsans. Ex iis demum excrementa succrescunt præter naturæ consuetudinisque modum: ut sudor insolens, sputum mucusve exuperans, nausea aut vomitus, alvi dejectio, aut urina copiosior & fœtidior. Talia fere existunt in neutra corporis constitutione, quæ putridam febrem antevertit.

Diagnostica signa putridæ febris. Quum vero jam febris prehendit, *putridam hanc esse testatur*, quod ex *neutra* corporis *constitutione* non ex sola evidente causa processit: vel enim sponte ex corporis præparatione fit, vel à causis evidentibus quæ præparatum corpus excitant ac movent. *Calor* in ea non mitis ac blandus, sed acer, mordax, & qui tangentis sensum acriter feriat, non ipso invasionis initio, sed vel in augmento, vel in statu, idque maxime si diutius corpori manus insideat. *Pulsus* atque respirationis inæqualitas: velox enim est systole, diastole vero tardior, idque præsertim augescente calore: quum enim ex incensa putredine multa torrida & fuliginosa excrementa spiritus humoresque premant, natura systole festinat depressa arteria illa excludere: neque tanta necessitate nititur per diastolen refrigerium allicere. Est & plurium pulsationum inæqualitas: modo tardus est pulsus, idque ex inæqualitate vario que motu putredinis: & rursum modo fortis, modo languidus, alias quidem oppressa, alias levata natura. Est & pulsus velox, simulque parvus initio, in vigore tamen velox atque magnus, ita quidem urgente refrigerii necessitate. *Vrina* penitus cruda vel obscure concocta, idque maxime initio: crassa enim rubra ac turdida existit, in qua nihil secernitur: interdum etiam ex vehementi obstructione tenuis quidem, sed rubra & turbida: sæpe acris & mordax, sæpe gravem fœtidumque halitum efflat. Exspiratio aut sudor præter consuetudinem graveolens. Si exactis horis vigintiquatuor febris ex toto non *desinat*, nisi hecticæ suspicio sit, (quod est certe rarissimum) affirmari certo potest hanc ex humorum putredine accendi.

Continua signa diagnostica. *Continuam* porro *ab intermittente his notis discernes*. Nullo *rigore* aut frigore prægresso repente calor hominem adoritur: aut siquando rigor, horror frigusve (ut sæpe fit) animadvertitur, noxii humoris non parum circum præcordia inhærescit, qui horrore concutit cum totus calore fit incensus. *Pulsus* inæqualitas major, quam pro caloris vehementia: ultra horas vigintiquatuor exporrigitur, neque ut intermittens, vel manifesto sudore, vel sensim hoc tempore *definit*, sed perseverans eousque durat dum prorsus conquiescat.

Ardentis signa demonstratiua. In ea autem continua quæ *causus* appel-† latur, in primis conspicuæ sunt communes putredinis *notæ*: perpetuus & constans est ardor, isque fere æquabilis nec manifeste tertiano moto excandescens: vehemens est præcordiorum æstus: spiratio difficilis ac pene suffocans: jactatio inquietudoque indefessa: vigilia deliriumque frequens: sitis inexhausta: lingua nigricans, sicca, scabra, fereque amara.

Lipyria. Quod si tanta accedat malignitas ac pernicies, ut interiores partes ipsaque viscera uri videantur, simulq; extrema frigeant, peculiari ea jam nomine *lipyrias febris* appellatur. Ardentium quidem deterrima, in qua interioris ardoris vehementia, instar cucurbitulę, colorem ad se ex toto corpore revocat

Tertiana. *Tertianæ* vero *continuæ* manifestior est remissio manifestior & exacerbationis motus, nullo frigore aut rigore prehendens, nulloq; insequente sudore mitescens: cæterę, quę in causo, notæ, at leviores apparent.

Quotidiana & quartana. *Continua quotidiana* aut *quartana* si quando inciderit, excandescentię ordine circuitu; internoscetur. Utraq; sine frigore aut horrore exacuitur, mitescitque nullo sudore, prior quidem quotidie, posterior quarto quoq; die. Putredinis quidem notæ adsunt, sed admodum obscurę, neq; pulsus ea celeritate, frequentia aut inæqualitate fertur atque in cæteris. Neq; urina peræq; flammea aut rubra est, etiamsi forte crassior sit, neque tanta premit symptomatum sævitia. Adhęc laborantis natura & habitus & victus antecedens, qualis habeatur venarum sanguis ostendunt, & qualis hinc nata sit febris.

Fere

Ad Febres ardentes & Phrenitidem.

† OTTO HEURN.] *Valde laudat aquam spermatis ranarum potui mistam; post remedia universalia, & pro uno die non transcendendo ℥iiij.*

Inordinata. Fere autem continua quæ tertiana non est *inordinata* deprehenditur, bis terve uno die, altero aut semel, aut minime excandescens. Raro quippe obtingit, ut unicus in sanguine solitarius humor putrescat. Quocirca putridarum febrium admodum varia signa & symptomata se proferunt. Cæterum cujus generis inordinata febris magis particeps sit, ex iis signis quæ unicuique propria sunt colligi potest.

*Atque hæc * de continuis febribus primariis sint conclusa.*

De Continuis.

	S. A.		S. A.
* *Fiunt æstate.*	3. 21.	*item.*	7. 72.
sunt periculosæ.	4. 43.	*distortione oculi, nasi &c. lethal.*	4. 49.
item.	7. 61.	*item.*	7. 73.
cum rigore in debili, lethales	4. 46.	*Difficultate spirandi, & delirio, leth.*	4. 50.
cruentis & fœtidis sputis, lethales.	4. 47.	*si sudore superveniente non solvuntur, fiunt longæ & malæ.*	4. 56.
frigore extremorum, & ardore interno lethales.	4. 48.		

CAPUT. VIII.

De febre symptomatica.

Galenus 2. de Crisibus cap. 7. 10. Avicenn. l. 4. fen. 1. t. 14.

Symptomatica febris omnis in continuarum est genere, neque ulla unquam visa est intermittens.

Symptomatica febris Causa hæret 1. Vel in parte inflammata.

Hujus proxima materia *continensque causa* non in venis est majoribus, sed in parte aliquapiam, è qua aut putredinis quiddam aut teter putridusque vapor in cor obrepit.

Ejus quidem *genera multa*. Unum *inflammationes sequitur*, quod & ipsum est multiplex. Quum enim aut *externa*, aut distans est inflammatio, non nisi ephemera febris accenditur, quod solus calor partium continuatione in cor evadat. At si *partium interiorum* maximeque principum & cordi vicinarum, vel phlegmone, vel erysipelas est, sanguis bilisve putrescens aut illinc in cor subit, aut tetrum putremque de se vaporem in ipsum emittit, è quo per arterias fuso putrida fit febris. Sic à phrenitide, ab angina, peripneumonia, phtisi, pleuritide, hepatitide, splenitide, & à nephritide febris fit phlegmonodes: ab erysipelate typhodes, eo quæque gravior, quo pars affecta nobilior cordique vicinior fuerit.

Et quomodo ea à primaria dignoscatur?

Nonnunquam inflammatio quæ febris hujus est origo, per initia quasi involuta latet, at febris ejus symptomatica admodum conspicua est: quæ hoc modo *à continua primaria discernitur*. Utraque acuta est & putredinis notas exhibet, sed symptomatica nullis statis periodis exacuitur, *urinæ* nullum putredinis indicium habent, nisi ex affecta sede putredo forsan obrepat in venas: si non statim initio, mox tamen inflammatæ sedis indicia se proferent. Raro vel septimo, vel quartodecimo die aliisve decretoriis judicio *solvitur*. In primaria febre continua hisce contraria apparent omnia.

2. Vel in parte obstructa, quæ lenta simplex est.

Alterum febris symptomaticæ genus multo obscurius est, eam febrem continens quam *lentam* appellavi. Oritur non è visceris partisve cujusquam inflammatione, sed è *latente obstructione* & putredine, quæ visceri contumaciter adhærescit impactaque est, adeo ut & ipsa visceris substantia plerumque labefactetur. Putredinis portio nonnunquam in venas effusa sanguini permiscetur.

Hujus febris signa.

Hæc *notas* per se fert symptomaticæ ejus quę aut phlegmonodes aut typhodes appellatur. Distinguitur autem, quod omnium est putridarum mitissima: æger nullo gravi symptomate premitur: sæpe nec se ægrotare putat. Putredinis tamen notæ interdum elucent in *urinis: pulsus* frequens, celer & inæqualis, non tamen magnus aut vehemens: vires imbecillę & languidę collabũtur: ut ne progredi quidem æger possit. Corporis moles, etiamsi alimentũ sumitur, sensim liquescit. Diuturna etiam hæc febris est quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur.

ditur, nec vigesimo, nec interdum quadragesimo *soluta*.

Loci affecti. Hujus quum suspicio est, *fomes quærendus*, omnesque corporis partes animo sensuque lustrandæ sunt, dum signis conspicuum fit, in qua is parte consistat. Sępe in ventriculo aut in jecore, interdum in liene aut mesenterio, nonnunquam in pulmonibus cujusvis humoris semimala putredo cumulata hanc excitat. Sedulo igitur observanda sunt hypochondria & hypogastrium, num in his tumoris cujusdam sensus insit. Sæpe etiam vel in cachexia, vel in fœdis virginum coloribus, serosæ pituitæ in corpus effusæ levis putredo illam protulit.

Et hæc quidem lenta simplex appelletur.

3. Vel in parte corrupta, quæ lenta periculosa est. Altera est *lenta periculosior*, quæ non solum ex impacti humoris, verumetiam ex *visceris* cui insidet *corruptione* putredineque emergit. Jecoris, pulmonis, cerebri ac lienis, interdum etiam renis distantiorumque partium corruptela, simplexque putredo, tametsi nullo putri humore comitatur, quoniam tamen expiratione gravi cor assiduo A lacessit, continuam febrem non aliter quam putridus humor suscitat: eamque symptomaticam ac omnino lentam: hanc plerique, rerum affinitate ducti, hecticam dixerunt.

Iisdem *notis se prodit* atque nunc exposita. *Hujus signa.* Internoscitur autem, quod sensim editur, multoque tempore procedit: aliis fere morbis succedit: nihil vel minimum vacuatione mitescit, nullis cedit remediis, sed iis sępe exasperatur: vires plurimum offendit ac debilitat: levique occasione syncopen accersit: sensim ac plerumque sine B sensu hominem extenuat & marcore conficit.

Hoc genus est febris quæ phtisin comitatur: hectica quippe non est, sed putrida ex putrescente pulmonum substantia: nec enim necesse est putridam omnem in humore constitui.

Hic omnis mihi concludenda videtur continuarum febrium tractatio.

De intermittentibus deinceps tradendum.

Caput. IX.

Intermittentium febrium continentem proximamque causam non esse in habitu corporis.

Non ut voluit. Galen. 2. diff. feb. cap. 1. Intermittentium materia in habitu corporis hæret. Vetus jam *opinio increbuit*, humorem qui continens & proxima est intermittentis febris materia, *in sole corporis habitu* & extra venas computrescere: hunc accessionis initio è venis majoribus, in quibus conditus erat sanguini permistus, in minores, ex hisque in corporis habitum propelli. Hoc impetu summas corporis partes quarum exquisitior est sensus, ferientis humoris occursu vel inhorrescere vel rigere. Eum mox sensim illic incalescere, inflammari ac putrescere: tum demum extenuatum caloris vi universum dissipari in sudores: sic accessionem finiri, dum nova similiter recurrat.

Hæc opinio dum quadam verisimilitudine frigoris rigorisque causam reddere contendit, *veram* intermittentis *febris originem* obscurat.

1. Ratio. Hoc in primis absurdum illa statuere videtur, omnes fera *humores* qui morborum causæ fiunt *in venis contineri*, illic primam o- A mnium esse originem, quasi neque in visceribus, neque in mesenterio, neque in eo quod pancreas appellamus, eorum quicquam congeri possit aut computrescere.

Quod deinde illa existimat, primo accessionis insultu *noxiam materiam* prorsus è venis *in corporis habitum* depelli, acerbum quidem auditu est. *2. Ratio.* Quo pacto enim tam repente possit noxius humor sanguini permistus, præsertim vero crassa lentaque pituita, aut bilis atra, è puriore sanguine prorsus secerni, & quasi momento in extimas corporis partes, in manum pedumque digitos, & in nasum (quæ fere prima frigescunt) protinus extrudi? Admirabilis sane nec usquam comperta tam expedita permistarum rerum secretio atque depulsio.

Adhæc quum *in continuis* febribus peccans materia in vasis majoribus tota consistat, cur non ejus quoque portio *in corporis molem* effunditur, quæ sæpe rigorem efficiat? *3. Ratio.*

Quoniam (inquient) *exilium venarum obstructio* *Instantia.*

structio in his quam intermittentibus major est, atque tanta ut omnem humorem intus cohibeat.

Solutio. Sed hoc *diverticulum* est. Nam plurimæ continuæ, aut ab horrore, aut à rigore primum invadunt: quod ipso statim earum initio bilis in corporis summa effundebatur, cur non deinceps quoties inardescit, aut motu novo excandescit, eodem similiter insilit? Licet igitur rigor causo superveniens eumque solvens excitetur à bile è venis in corporis molem effusa, non sic tamen qui vel continuæ vel intermittentis initio fatigat.

4. Ratio. Hoc autem rerũ eventus luculenter commonstrat. In horre atque in rigore febrium intermittentium *urina meiuntur alba*, tenues & crudæ. Quod aperto indicio est, bilem tum flavam, tum atram intro potius quam foras compelli. Tum temporis molesta etiam est suffocatio, tussis plerumque sicca, oscitatio, anxietas, præcordiorum distentio, ac sæpe dolor vehemens: ab his nausea, & sub rigoris finem biliosa vomitio. Accessionis vero progressu multoque magis declinatione omnia mitescunt, & urinæ evadunt crassæ, citrinæ aut rubræ: quæ argumento sunt, tum temporis bilem, ut in urinas, ita & in corporis summa contendere. Hisce vero contraria omnia obtingerent, si accessionis initio bilis in summa corporis irrueret.

5. Ratio. Sed & quod interdum toto febris intermittentis decursu *urinam* substantia, colore hypostasique *laudabilem* animadvertimus, nonne planum facit eiusce febris nullam putredinem in venis haberi?

6. Ratio. Jam vero in febrium differentias descendamus. Quum *levior* est exquisita *tertiana*, in qua non rigor, sed extremarum partium *frigus* (ut plerumque fit) solum percipitur, quomodo bilis flava in corporis molem effusa frigoris causa ponetur? Nunquid calida acrisque ea quum fit, corporis habitum refrigeret? Aut quum pars corporis, quæ vel natura, vel morbo imbecilla est, omnium prima ac sola invadente febre inhorrescit, tumne ea sola bilis acrimonia tentatur?

7. Ratio. Sed & in aliis quid etiam contingat æstimandum. Quartana continua omnium est febrium rarissima, quandoquidem (ut etiam *Avicennas* animadvertit) *melancholia* admodum *raro* peccet in vasis majoribus, rariusque multo putrescat: *quartana* autem intermittens admodum *frequens*, ac sæpe popularis. Jam si admodum raro melancholia vitiosa est in venis, quomodo ex his potest tam copiosa suffici, aut tam crebro in corporis habitum pelli, quæ tot gignendis intermittentibus quartanis sit satis. *loc. cit. cap. 62.*

8. Ratio. At nunc obsecro opinio hæc rationem reddat *compositarum febrium*: & cur in tertiana duplici, bilis (quæ ejus una ipsis censetur antecedens materia in venis majoribus) portio quædam quotidiæ in omnem corporis habitum propellitur? Si copia id efficit, tertiana omnis vehemens, ut quæ ab exuperante bile fit, in tertianam duplicem, omnisque quartana ferocior in duplicem triplicemve quartanam facesset. His quasi laqueis ita sese irretiunt opinionis hujus interpretes, ut se nunquam extricare possint.

9. Ratio. Ad extremum curandi lex & ratio spectetur. Si antecedens febris intermittentis materia tota in venis est majoribus, una *venæ sectio* quæ hanc prompte demit, illius *curatio* sit. Atqui neque hæc febrem tollit, neque qui in solos venarum humores mentem cogitationemque refert, illius unquam curationem rectam consequetur. Ea quidem causæ ignoratio ita veritatem quasi tenebris offudit, ut nondum sit ullius intermittentis febris vera curatio percepta, solutioque sponte sępius quam arte succedat.

Hæc quidem pauca (nam alia commentabuntur alii) non potui non in eam opinionem contorquere, quæ tam fraudulenta perniciosaque fuit humanæ saluti. Piget sane, atque etiam pudet, de *sententia tot annorum* authorumque numero & vetustate confirmata decedere.

Neque assectarum ejus multitudo turbare nos debet. Sed quid eorum multitudo terrere debet, qui *spreta investigatione veri*, unius imitatione eadem omnes via in salebras inciderunt? Levibus in rebus falsis interdum assentiri aut connivere nihil fraudi est; at vero in seriis & gravibus quę tanti sunt ad hominum salutẽ momenti, in primis dolosum. omninoq; veritas in lucem fidenter proferenda.

Quod expono, & ratione, & quotidiano rerum usu veritati consentaneum deprehendetur.

De In-

CAPUT X.

Quæ sit intermittentium febrium materia, & quæ illis sedes in corpore.

Sed hæret in præcordiis.

QUæ protuli, ut intermittentis febris materiam non è venis in corporis habitum propelli, ita & hanc penitus immergi, & *circum præcordia adhærescere* demonstrant: eamque non esse venarum succum alendo corpori destinatum, sed *humorem supervacaneum*, qui è jecoris sanguine prolectus in propria conditur receptacula, antequam is jecur transcendat.

Estque humor excrementitius.

Itaque intermittens, tum materia situ ac loco, à continua secernitur. Tertianæ materia bilis est flava, affinis ei quæ *in fellis cysti* conditur. Quartanæ bilis atra in lienem refusa. Quotidianæ (si qua vera est) pituita mucosa & supervacanea, quæ in ventriculo intestinisque plurima colligitur. Omnium propria sedes & origo in prima est corporis regione circum præcordia, circum ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, omentum aut mesenterium. Hæ siquidem partes sunt quasi publica corporis sentina, in quam omnis confluit cumulaturque humorum colluvies.

Ejus sedem probant rigores,

Ex hisce autem *sedibus* febrium horrores *rigoresque suscitari*, primum quidem docendum. Frigus, horror atque rigor intentione & remissione distant. Frigore summa corporis inalgescunt: horrore id universum leviter concutitur; etenim hic ceu diminutus rigor est: rigore usque eo contremiscit concutiturque, vix ut cohiberi possit. Omnium eadem similisque causa, caloris nempe, frigoris, rei pungentis, aut quovis pacto molestæ vehemens incursio in corporis sentientes partes confertim facta. Distantque solum inter se aut ubertate causæ, aut vehementia seu acrimonia, aut motionis impetu. Ut enim aëris aut aquæ frigidioris occursu corpus frigescit, ita & interdum horret, atque etiam riget.

Qui ex his locis suscitantur.

Præcordia autem, & partes omnes quæ circum hæc sunt, quia membranis sepiuntur, nervosque sentientes suscipiunt è sexta cerebri conjugatione, eximio *tangendi sensu sunt prædita.* Magna etiam societate tum principibus, tum externis corporis partibus connexę sunt, iisque adeo consentiunt, ut affectæ mox principes partes universumque corpus in consensum trahant. Sic enim vinum meracius liberaliusque sumptum, tametsi è ventriculo nondum elapsum est, mox tamen exulceratæ vesicæ, aut vulnerati cruris, aut arthritidis dolorem exasperat. Sic & frigidæ potus liberalior corpus universum frigore horroreve concutit. Bilem vomiturus rigescit, multoque magis qui alienum vitiosumque cibum, velut fungos, sumpsit. Rigescit & cui calidum mordaxque medicamentum ventriculum præcordiaque ferit, non minus quam si nudam cutem, aut ulcus acrius compungat. Horrescit demum & cui pus interiore abscessu collectum irrumpit in membranas.

Excrementitium humorem esse causam,

Ac certe *bilis putrescens* in febre acrem malignamque qualitatem adipiscitur: eaque accessionis initio quasi turgens impetu fertur, affatimque irruit in præcordiorum membranas, iis sane *argumentis*, quæ de tussi sicca, de oscitatione, de suffocatione, de anxietate, de præcordiorum distentione ac dolore, de nausea, de vomitu, & de albis tenuibusque urinis protuli. Quanto magis igitur quam superiores causæ ea tum potest horrorem rigoremve concitare.

Probant vomitus,

Citrina porro illa & prassina cæruleave bilis, quæ sincera sæpe *vomitione* prorumpit, propria intermittentis febris materia hinc esse dignoscitur, quod dum tota liberaliter redditur, febrem omnem penitus extirpat atque *solvit.* Ea sane nunquam

quam tam sincera possit è venis amandari citra exitium, sed duntaxat è præcordiis, quæ illius sedes sunt.

Potus.

Hoc quoque vel inde constat, quod, si accessionis initio humidi *fotus* apte calentes præcordiis imponantur, maxime vero lieni in quartana, jecori in tertiana, aut alii, cuicunque sedi fomes inesse deprehendetur, horrorem *rigoremve leniant*, quia nimirum ipsum mali fontem demulceant.

Sudores è præcordiis orti.

Jam vero *sudores* * non è solo corporis habitu, sed & interdum *è præcordiis moveri*, hinc sciri potest, quod qui vel exercitatione, vel Solis ardore exæstuat, si frigidam liberalius bibat, mox totus sudore diffluit, non mehercule aqua in corpus disjecta atque fusa, (diu enim postea sentitur huc & illuc fluctuare in ventre (sed ejus halitu ab æstuantibus præcordiis in omne corpus effuso. qui demum in sudorem concrescit.

Sed & illud præterea observari velim, cui jecur aut lien ætate morbove inaruit, vel magna obstructione vel scirrho obduruit, ut in hydrope, in ictero aut in cachexia, nulla vi eum posse ne per febres quidem in sudores induci, etiamsi reliquum corpus humore multo perfundatur: eum vero cui jecur atque lien calore humoreque naturali abundent, quavis ex causa sudore diffluere. Hinc igitur conspicuum esse potest, primam sudorum scaturiginem è præcordiis esse.

Discussa igitur illa velut caligine, ut veritas clarius aliquanto dilucescat, *rem hanc omnem sic in summam concludemus.*

Probat totius febris paroxysmus: cujus ratio melius hinc reddi potest.

Calidus ac putris humor extra venas quavis in sede conditus, quamdiu conquiescit, corpus raro exagitat: at vero dum quasi efferatus illinc præter naturam impetu dimovetur, id varie concutit affligitque. Si paucus est, ut in levioribus tertianis, aut ejus parva acrimonia, ut pituitæ putrescentis, motusve lentus ac languidus; solum *frigus* invehit, calore quidem ac spiritu ab externis partibus intro quasi in opem & subsidium advocatis. Sin copiosior est aut acrior, aut ejus motus impulsusque concitatior, *horror* invadit. Quum vero plurimus, isque vehementer acer ac mordax, magno impetu in præcordia excussus, *rigor* verus inducitur. Hæc præterea rigoris febrisque materia circum præcordia hærens, ex se tanquam è fomite tetrum malumque vaporem in omne corpus effundit, qui & altera frigoris, horroris rigorisve causa esse potest. Hinc febris intermittentis accessio, ea fere ratione prehendit, qua censuit Hippocrates ex inguinis abscessu putridam febrem accendi, si non solum calor, sed & fumus vaporque putridus minime coërcitus partium continuatione ad cor pervenerit. Itaque concitato & quasi turgente putrido humore, ab ejus emissa portione ac vapore membranæ feriuntur, horrorque vel rigor invadit.

Tum etiam vapor teter ex eo fomite excitatus, in cor primum per cæcos ductus effertur, atque illinc quoquoversum per arterias effusus, omne corpus implet. Atque hic initio cor effundens *pulsum contrahit* & obscurat, cerebrumque implens degravat consopitque, omnes denique *artus* velut *obtundit*. Postea vero in corpus quasi aura quædam disjectus, sensim incalescit & inflammatur, ac tum febris *ardorem* ejusque symptomata movet. Tandem supra modum extenuatus, tum impetu proprio tum impellente natura dissolvitur, interdum manifeste in *sudores*, interdum obscure sensimque per cutem.

Atque hæc quidem pura simplexque intermittentis species existit: in qua *urinæ* plerumque, toto morbi decursu, colore, substantia sedimentoque *laudabiles* apparent, quia nimirum nihil bilis peccantis è præcordiis irrumpit in venas: plerumque

vero tales cernuntur primis acceſſionibus intermittentium. Nonnunquam vero invaſionis impetu, humoris vehementius impulſi una portio inſilit in ventriculum, quæ bilioſam *vomitionem* movet, eamque fere ſub rigoris horroriſue finem: altera portio tenuior eo ipſo impetu ex eodem foco per jecur venaſque majores in omne corpus irrumpit: tumque *gravior* eſt *acceſſio*, ſub cujus finem *urinæ craſſæ* redduntur atque flavæ, iis longe diſſimiles quæ paulo ante acceſſionem fuerant. Atque multo quidem gravior evadit acceſſio, quum ex eo ipſo foco portio major penetrat in venas, ſed & nonnunquam *acceſſione ſoluta* febrilis quædam manet inæqualitas, nec pura ſequitur intermiſſio: quod in primis conſpicuum eſt in hæmitritæo, de qua mox dicam.

Probant exempla.

Intermittentium porro febrium focum atque fomitem, de quo diſputo, præter rationes quas ante protuli, velim & *exemplo confirmare*. Vir quidam ingenuus, ætate florente epulans liberaliter, quotidianæ vomitioni bilioſæ jamdudum fuerat obnoxius. Hac repente ſuppreſſa, ventriculi vehemens dolor prehendit, cum nauſea & tuſſi inani. Hinc mox cœpit corpus citra febrem ullam vehementi rigore, tanquam invadente exquiſita tertiana, ex intervallis quotidie ſupra vicies concuti. Exactis diebus circiter quindecim, putreſcente jam bile, tertiana febre corripitur: qua multis poſt diebus ſoluta, reſolutio inſequitur omnium partium quæ ſunt ſub capite, nec multo poſt interitus. Corpore diſſecto, tam multorum affectuum cauſam deprehendimus, bilem ſynceram eamque praſſinam circum jecoris cava libræ pondo membranis coercitam, & cujus jam portio in ſpinæ nervos obrepſerat. Non paucos dein non admodum diſſimiliter affici notavimus: quorum exemplo intelligi poteſt, rigorem modo ſine febre, modo cum febre interdum ex præcordiis ſuſcitari: intermittentis quoque febris fomitem in iiſdem locis contineri.

Probat dolor colicus qui febres conſequitur.

Id ex his quoque conficitur, quæ ſæpe fieri obſervamus tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem *cruciatum colico immaniorem* deſinere, qui nonnunquam & in artuum dolores & in paralyſin faceſſit. Hic dolor ſine febre eſt, fere tamen conſueto acceſſionis tempore exacuitur & excandeſcit, priſtinumque circuitum retinet. Vix, niſi bilis vacuatione, miteſcit, quam conſtat, ut doloris ita & febris, cauſam fuiſſe: depellitur enim è præcordiis & viſceribus in peritonæi inteſtinorumve membranas, eo argumento quod & febris & ſitis & inappetentia miteſcunt ſuborto dolore. Itaque ut doloris circa peritoneum & inteſtina, ita & intermittentis febris ſedes eſt circa viſcera & præcordia.

CAPUT XI.

Quæ circuituum cauſa ſit, & quid eorum ordinem formamque mutet.

Gal. 2. de diff. febr. cap. 11. 2. de Criſibus c. 5.

Circuituum certorum cauſam. Quidam volunt collectionem excrementorum eſſe.

QVid *humorum motus efficiat*, & cur putreſcens pituita quotidie, bilis tertio melancholia quarto quoque impetum faciat, diſputatio eſt plena diſſenſionis & omnino controverſa.

Multi quidem demonſtratione confecerunt, morbos omnes qui ex defluxione fiunt, intermiſſionem habere, ac dein recurrere *quoties* adeo aucta & *collecta* ſunt *excrementa ut* partẽ *ad excretionem ſtimulent*: tum ſiquidem validior in imbecillam ea quaſi onus excutiens deponit. Hinc quidam interpretantur, pituitæ ſatis quotidie, bilis flavæ non niſi tertio, & melancholiæ non niſi quarto die ſatis cumulari poſſe, ut naturam proritet circuitumque moveat.

Quod refutatur.

Cæterum hi *nuſquam periodi cauſam attigerunt*, nec cur pituita, etiamſi pauca putreſcat, quotidie tamen movetur impetumque habet, nec cur bilis flava uno loco ſi copioſior ſit, non frequentius quam tertio die, nec melancholia frequentius quam quarto efferatur. Quid quæſo vetat, concurrentibus cauſis omnibus illis efficientibus, tam multam flavam bilem atramve quotidie cumulari, ut naturam quotidie ſtimulet circuitumque moveat.

Non igitur ſola excrementi copia, ſed alia quædam vis major neceſſario unumquemque humorem ordine certaque regula

Sed est qualitas peculiaris humoris.

gula ciet ac impellit. Hæc autem propria est *contractæ putredinis qualitatisve natura* atque conditio, quæ omnem corporis statum naturalem immutat. Ut epilepsiæ insultus aut hydrophobiæ impetus, non humoris genus, sed qualitatis natura in humore sita excitat: & menstruam mulierum purgationem statis periodis movet non sanguinis exuperantia (nam sive paucus sive multus est in muliere, mensibus tamen singulis, nisi quid naturæ ordinem interpellet, erumpit) sed vis ortæ qualitatis: ita & vis quædam seu qualitas in humore genita efficit, ut putrescens pituita quotidie, bilis flava tertio, atra quarto die impetum faciat.

Humor autem supervacaneus plenior cumulatus, quia vix naturæ beneficio & calore regi potest, corrumpitur & quodam modo *putrescit*: ac tum qualitatem eam adipiscitur, quæ hunc illumve motum impetumque habet. Atque ut sua est cujusque humoris species, ita & sua cujusque putredo vel qualitas, suus cujusque motus. Aliam igitur qualitatem aliumque motum pituita, alium bilis flava, alium melancholia putredine contrahit.

Putredine contracta

Quomodo ea status circuitus facia?

Hac autem ratione accessio ordine recurrit. Qum febris invasura est, humor in suo quasi foco coërcitus concitatur, & quasi turgescens excandescit, ipsoque impetu & multum de se tetrum vaporem quoquoversum in corpus omne diffundit, & interdum exiguam sui portionem eructat excutitque in præcordia, in ventriculum, nonnunquam & per jecur in majores venas: eaque manet accessio, dum sedetur impetus, & dum quicquid è foco excussum est, calore crematum dissipetur, aut in sudores abeat. Hinc succedit intermissio eousque cessans, dum alio humoris motu & novo quasi furore alia recurrat accessio.

Recurret autem statis ut dixi periodis, nisi quiddam ordinem interpellet. Multa febres ordinem tenere prohibent efficiuntque ut *paroxysmi*, vel *anticipent*, vel *cunctentur*. *Unde paroxysmi.*

Anticipant præter consuetudinem, vel quum subjecta illorum materia augescit, ut ex impuro vitiosoque cibo & excrementorum suppressione: vel quum nimiopere extenuatur, ut sinapis & aromatum aliorumve calidorum tenuantiumque usu: vel quum motu exagitatur, ut exercitatione, balneis, æstu, animi excandescentia. *Anticipent.*

Cunctantur vero, dum contrariis ex causis materia vel minuitur, vel crassescit, vel pigrior ignaviorque redditur *Cunctentur,*

Quoties vero tanta circuituum mutatio apparebit, ut *nullo ordine procedant*, humor aut in alterius naturam commigrat, aut alterius generis permistione confunditur. *Errent,*

Accessiones porro *longæ* evadunt, quum humor effusus ejusque vapor multus, crassus & viscosus est: hic enim non nisi multo tempore inflammari absumive potest: & quum meatuum est adstrictio, aut virium imbecillitas: hæ siquidem dissolutionem prohibent. *Longi,*

Brevitatis vero *causæ* sunt, humor paucus ac tenuis, viarum amplitudo, virium robur. *Aut breves fint.*

CAPUT XII.

De quotidiana Febre.

Gal. 2. de d. ff. feb. cap. 1. 4. ad Glauconem c. 7.

Quotidiana quæ?

Febris unaquæque intermittens à circuitus motusque ordine nomen habet. Hinc QUOTIDIANA, *quod quotidie typo simili redeat*, amphemerina dicitur. Omnium quidem febrium rarissima, & quæ vix ex sexcentis una obtingit: sed quum laborans quotidie febre conflictatur, id fere à duplici tertiana fit.

Ut autem paria statuerentur febrium atque humorum genera, hanc in *pituita* collocarunt: quæ tamen rarissime putrescit, vixque eam putredine qualitatem consequitur, quæ febris essentiam compleat.

Qum autem supervacua pituita (cujuscunque ea generis sit) vel in intestinis vel in mesenterio, vel circum ventriculum viscerumque cava coërcita putrescit, febrilemque qualitatem nanciscitur, quotidie mota conditionis suæ vaporem effundit, continentem accessionis causam. *Ejus causa.*

Accidit hæc, *quibus* pituitæ copia inest, natura vel ætate humidis, obesis, mulieribus *Qui quotidianæ opportuni.*

bus, eunuchis, senibus, & iis qui vel otio, vel somno longiore, vel crebris balneis, vel frigidioribus humidioribusve cibis, vel assidua crapula, vel edacitate ut pueri, vel ebrietate, cruditatis ac pituitæ copiam congesserunt: maxime vero hyeme, frigidis regionibus, & pluvioso cœlo.

Signa.

His fere facies sublivida & subtumida est, os ventriculi imbecillum, dejecta appetentia, acidusque ructus frequens. Accessio autem non repente, sed sensim invadit, corporis extrema duntaxat refrigerans, raro admodum rigore concutiens: corporis adest gravitas, & inexpugnabilis dormiendi necessitas: plerumque & hoc initio animus vel defectione, vel syncope languescit. *Calor* dein pedetentim & ægre augescit, magna certe inæqualitate, qua modo calor, modo frigus percipitur. Accensus dein calor, non acer, sed hebes & halituosus tangenti primum occurrit, quasi ex succensis viridibus lignis vapor sublatus, postea vero aliquantum mordax & acer. Quum in omne corpus jam effusus est, nullum vehemens incendium corpus nudare cogit, nec ardoris compunctio id varie jactare, nec spirandi difficultas multum frigidumque aërem ducere, nec sitis vehemens aquam frigidam exposcere. Inclinans accessio primis diebus nullum, postea vero paucum *sudorem* effundit, qui pro vaporis specie pinguis viscosusque est. Tota *accessio* horarum est octodecim, intermissio sex, quæ raro integra puraque existit. *Pulsus* parvus, languidus, summissus ac rarus, præsertim accessionis initio & incremento, quod nativus calor, frigidi, crassi viscosique humoris agitatione vehementer prematur: postea vero creber evadit, sed minus quam in tertiana atque quartana, æque tamen velox atque in quartana: hujus inæqualitas omni accessionis tempore quam in cæteris intermittentibus major. *Urina* primis diebus tenuis & alba cernitur ex crudæ materiæ copia, quæ & vehementer obstruit & nativum calorem obterit: postea vero quum materia coquitur, ejusque nonnihil cum urina præterfluit, rubra, crassa, turbidaque redditur. Alvi dejectio liquida, cruda, pituitosa. His igitur prima sæpe accessione quotidiana febris dignoscitur, quum præsertim quotidianæ peculiariter vigent.

Gal. 2. de diff. febr. c. 6. 9. 10.

In hoc pituitosarum febrium genus referri solet EPIALA FEBRIS: *per hanc quavis corporis particula eodem tempore calor frigusque percipitur*, & unaquæque corporis pars rigore febreque jactatur.

Epiala febris quæ?

Hujus causa putatur acida vitreaque pituita leviter putrescens, & cujus portio incensa jam est, altera vero necdum putredinem experitur.

Ejus causa.

Eos autem qui in *dignotionem febrium* diligentius incumbunt, hoc in primis loco moneri velim, & continuas (quæ biduum triduumve quandoque occupant) & intermittentes omnis generis varie admodum invadere. Sæpe quidem in horrore atque rigore tum interiora, tum externa summe frigent. At nonnunquam interiora frigore perhorrescunt aut rigent, quum tamen partibus externis non frigus, sed calor unus æquabilisque deprehenditur. Nonnunquam partes summæ externæ frigent, interiores vero uruntur ac sitiunt, potumque in horrore continenter expostulant. Tantum autem varietatis causa non ad vitream acidamve pituitam revocanda est: sed eo sane, quod impulsa febris materia, dum præcordia feriens horrorem parit, partium externarum calorem alias revocat intro, alias non revocat: alias quoque horroris materia acris salsave non parvā sitim infert.

Hæc febris diligenter à rigore aliarum febrium distinguenda.

CAPUT XIII.

Tertianæ Febris causæ, signa.

Gal. 2. de diff. febr. cap. 13. 2. de Cris. c. 3. 1. ad Glauc. 5.

Exquisita tertiana causa.

TERTIANA FEBRIS EXQUISITA ex putrescente flava bile supervacanea incenditur, idque vel in propria cysti, vel circum præcordia cavaque viscerum: e quibus tamen & ejus nonnihil interdum in venas erumpens, sanguini permiscetur.

Hoc autem loco quiddam admonuisse lectorem juvabit permagni ad artem totam momenti. Bilis supervacanea sive è proprio folliculo sive è jecore redundans, quum impetu facto irrumpit in venas, ut in ictero, in tertiana febre, nonnunquam & in continua & aliis plerisque morbis, non sanguini, sed sero vere permiscetur,

nec

nec sanguis portio quædam fit, quemadmodum neque serum. Cujus rei hoc tibi argumentum esto, quod in iis affectibus si vena secetur, sanguis ille ex quatuor humorum permistione constans, purus atque syncerus (nisi aliunde vitium contraxerit) apparet, nec citrino bilis colore infectus. Sicque bilis ea supervacua nusquam videtur cum sanguine concrescere: tota quippe transfertur in serum, eique tanquam vehiculo insidet, nisi forte minimum ejus in spumam versum per summa sanguinis innatet: ac proinde ejus permistione in his febribus urinæ visuntur supra modum crassæ atque citrinæ.

Ad tertianam qui procliviores? Eos *maxime prehendit*, qui natura calidi siccique sunt, habitu gracili, ætate florida, qui laboribus, vigiliis, mœroribus, curis, ardoribus, victui parco, calido siccoque assueti sunt, qui jecur impense calidum obtinent. Hi quippe bilis flavæ proventum faciunt, maxime quidem æstate, calidis, siccisque regionibus, & æstuoso cœlo. Si quid istorum deest, exquisita tertiana esse non potest.

Ejus signa. Repente quidem hæc prehendit ingsini *rigore*, quo plerumque corpus omne concutitur, sub cujus finem excussa bilis sæpe vomitione redditur. Hinc *calor* brevi accenditur, & in omne corpus effunditur, mox ad vigorem festinans, acer, pungens, & injectam manum acriter feriens, sed statim mitescens. Laborans ita exuritur, ut & corpus nudet & varie jactet, & spirandi difficultate ooppressus magnum multumque spiritum ducat, sitique enectus frigidam expetat, vigiliis, capitis dolore, & ira furoreque percitus. Longissima *accessio* horarum est duodecim, interdum septem vel quatuor, multo quidem *sudore* eoque calido & vaporoso inclinans, quam pura sequitur intermissio. *Pulsus* accessionis initio contractus, parvus, postea vero quam in cæteris celerior atque crebrior, quod refrigerii major insit necessitas: vehemens & validus, sed aliquantum durus ob arteriæ siccitatem, minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ cujus est facilis inflammatio, ob id etiam, quod non minor sit refrigerii ex diastole, quam expellendorum putridorum ex systole, necesitas. *Vrina* flava aut flammea, substantiæ mediocris & odore gravis. Atque hæc pura quidem & exquisita tertiana est, quam censuit *Hippocrates* septem circuitibus, quod longissimum est, judicari. *4. Aph. 59.*

TERTIANA NOTHA alias ex vitellina *bile in ventriculo* putrescente ac inhærente firmius, alias ex *permistione bilis* atque *pituitæ* gigni solet. Atque hæc non omnes bilis sed quasdam etiam pituitæ causas habet evidentes. *† Tertiana Notha causa.*

Signa. *Accessiones* nullo anticipationis cunctationisve certo ordine recurrunt, neque si statæ sunt, exquisita propterea debet illa censeri: non enim ex circuitu solo febris essentia spectatur: *rigor* minus quidem vehemens, sed diuturnior, *calor* minus pungens minusque vehemens, qui non æquabilis in omne corpus invadit, non absimilis igni ex mistis virentibus siccisque lignis succenso. Ardoris symptomata omnia mitiora, quod bilis furorem pituita restinguat: hinc etiam pauco nec admodum calido *sudore* inclinat. *Accessio* ultra horas duodecim multum exporrigitur, quantoque longior fuerit, tanto impurior: nunquam septem, raro quatuordecim circuitibus judicatur: sæpe vero longius excurrit. *

De Tertianâ.

	S. A.		S. A.
* *Fit æstate.*	3. 21.	*quæ periculosa.*	4. 43.
vacat periculo.	4. 43.	*quando terminatur?*	4. 59.

Tertiana Notha.

† OTTHO HEURNIUS.] *Magnæ efficaciæ hic fuisse sæpe deprehensum est hoc vomitorium.* ℞. *Salis vitrioli* ʒß. *Croci metallorum, Gittajemou an. gr. iiij. oxymellitis* ℥j. *vini rhenani* ℥ijß. *f. vomitorium.*

CAPUT XIV.

Quartanæ intermittentis causæ, signa.

Gal. 2. de de diff. feb. cap. 1. 5. 2 de Crif. cap. 4. 2. ad Glaucum Aph. 6. *Quartanæ causa.*

QUARTANÆ FEBRIS continens causa censetur melancholia putris. Hæc enim quum propriis ex causis multa cumulatur, nec caloris nativi beneficio regi potest, quasi destituta putrescens hanc febrem accendit. Est autem melancholia duplex, una naturalis, quæ sanguinis quasi fex & limus est: altera adusta, quæ uniuscujusque humoris torrefacti velut cinis est: hæcque alias ex bile flava, alias ex melancholia exusta fit: interdum, sed rarius, ex pituita aut sanguine perusto. Hinc quartanarum alia ex se ipsa, non ex alia præcedente febre originem habet, eaque fere succedit lienis tumori, quem naturalis melancholiæ exuperantia peperit. Alia aliarum febrium vel continuarum, vel intermittentium erraticarum soboles est, de qua dixit *Hippocrates. Interpolata febris eademque errabunda in quartanam mutabitur, præcipue si autumnus proximus est.* Humor enim quicunque priorem febrem genuit, nisi integre vacuetur, exustus crassiorque factus melancholiæ naturam subit, putrescensque subjecta fit quartanæ materia.

Prognost. lib. 3.

In quartanam qui propensi.

Itaque *eos invadit* qui melancholicum humorem congesserunt; cujusmodi sunt lienosi, & qui vel adurentes vel erraticas febres passi sunt non integre solutas. Neque tamen in liene solo, sed & in mensenterio & circum hypochondria exuperans melancholia coacervari solet. Huic gignendæ apti sunt frigidi ac sicci, qui gracili & glabro sunt corpore, ætate constante, vel jam inclinante: qui curis & mœroribus confecti sunt, cibis diu addicti crassis, terrenis ac omnino feculentis. His melancholiæ copia succrescit, autumno præsertim, & regione cœlique statu inæquali. Quumque putredinis causæ aderunt, febris exquisita quartana accendetur.

Ejus signa.

Accessionis initium *à frigore* est validum, quod eousque sensim invalescit dum vehementem rigorem invehat, non eum quidem, ut in tertiana, pungentem ferientemque, sed vere contundentem, quo corpus universum tremore concutitur, dentes strident, articuli vero ac ossa quasi pondere obteruntur: hoc abeunte vomitio erumpit amara, quum præsertim viæ patent in ventriculum. *Calor* accenditur non ut tertianæ vehemens, sed quam quotidianæ ardentior; neque is toto corpore æquabilis est, sed cum quadam frigoris permistione, & permanente quodam artuum & ossium dolore. Sitis, vigiliæ, capitis dolor, reliquaque symptomata sæviora quidem quam in quotidiana, mitiora quam in tertiana. *Accessio* quam in cæteris intermittentibus longior: hancque *sudor* finit, quam in quotidiana uberior. *Pulsus* accessionis initio multo quam naturalis languidior, minor, tardior ac rarior: postea vero validus, magnus, frequens ac celer, & quam in cæteris febribus inæqualior. *Vrina* primis fere diebus tenuis, alba, aquosaque, postea vero & substantia & colore, & contentis sæpe mutabilis: quod ejus materia plerunque varia fit, ejusque modo minimum, modo plurimum penetret in venas. Vix tota febris, nisi ex errore, ultra annum prorogatur: *solvitur* sæpe mensibus sex, interdum tribus.

Quartana notha quæ?

Quæcumque ab hujus conditione supra infrave multum recessit, *exquisita quartana non est*, sed aliorum humorum particeps. Neque exquisita censeri debet, quæ in annos duos excurrit, nec quam vidi in annos novem produci, nec quam infantes ac pueri citra ullum vitæ errorem ipso ortu à matre contraxerunt.

Avicenna loco cit. c. cap. 68. *Quintana & sextana causa.*

In hoc genus plerique referendas putant febres longioris intercapedinis & intermissionis, quales sunt *quintana, sextana*, aut si quæ rariores periodos habent. Harum quipe materiam statuunt melancholiam admodum crassam atque terrenam, qualis ab exusta pituita gignitur. Atque eam quidem paucam in parte quadam distantiore jamdiu coarctatam, ut idcirco tardius moveatur, accessionemque faciat. Has *Hippocratis* authoritate confirmatas *Galenus* non recipit, ne vel supra quatuor humores alium statuere, vel aliam illis sedem quam in venis designare cogatur.

Has Hippocrates agnovit, Galenus repudiavit.

Sim-

Simplicium febrium formæ tales fere existunt: at certe nonnunquam variant. Nam quartana interdum à blando frigore exorta, miti dein calore in quatuor sexve duntaxat horas excurrit. Tertiana A vero hac plerumque tum horrore, tum æstu atrocior atque prolixior. Quam quidem aggressione prima difficile ex typo, facile postea fit ex circuitus ordine dignoscere. *

De Quartanâ.

	S. A.		S. A.
* *Fit æstate.*	3. 21.	*estque longa.*	2. 25.
æstiva brevis.	2. 25.	*liberat à convulsione.*	5. 70.
fit autumno.	3. 22.	*mala cum hæmorrhagiâ narium.*	8. 3.

CAPUT XV.

De Compositis Febribus.

Gal. 2. de diff. febr. cap. 2. 7. 8. 2. de Cris. cap. 7.

Febres compositæ, vel

SImplex & exquisita febris ex unius simplicisque humoris corruptione proficiscitur, & ejus omnes causæ omniaque signa, nempe natura, ætas, victus ratio, regio, anni tempus & status cœli, omnia denique symptomata in unius ejusdemque humoris dominium conspirant.

Composita autem febris *bifariam dicitur*, vel quod *ex multis confusis*, vel quod *ex implicitis* constet.

Confusæ sunt,

Confusæ sunt quæ ita permiscentur, ut simul incipiant, simulque desinant. Fiunt autem ex diversis humoribus eodem loco permistis atque confusis, pariterque putrescentibus. Nulla seorsum internosci potest, B neque ulla simplex ac pura elucet, sed sunt earum signa confusa. Hæ sunt quas supra febres nothas appellavimus.

Et quæ?

Quum par est confusarum modus, vix ullum potest definitum genus signari: quum vero impar, confusa febris ejus quæ plus pollet potiorque est genus nomenque sortitur. Quæ plus bilis putrescentis quam cæterorum humorum nacta fuerit, *tertiana* appellabitur, sed *notha* ac illegitima: & *quotidiana notha* in qua non syncera pituita, sed alterius quippiam humoris una putrescet: *quartana notha* in qua melancholia aliis etiam humoribus perfundetur. C

Vel implicitæ.

Implicitæ febres sunt, quæ diversis horis incipiunt diversisque desinunt. Harum unaquæque seorsum consistit, propriamque essentiam habet, tametsi accessionum partes quædam in tempus idem concurrunt. Fiunt hæ ex diversis humoribus non eodem loco positis, sed quorum sua sit cujusque sedes, sua essentia, suusque motus. Harum unamquamque tanquam seorsum atque solitaria consisteret, minime arduum fuerit propriis signis internoscere.

Continua non implicatur continuæ:

Continua cum continua duntaxat confunditur, *non* autem *implicatur*: & absurdum est quod scribit *Avicennas*, unius continuæ putredinem ex uno loco, alterius ex altero effundi. Nam revera in utraque humores in venis putrescunt majoribus, in hisque agitati permiscentur.

Sed intermittens

At *intermittens* tum *cum* altera *intermittente*, tum *cum continua* implicari solet. Quum itaque tres sint omnes simplices intermittentium differentiæ, quotidiana, tertiana, & quartana, harum unaquæque cum altera, vel ejusdem, vel diversi generis implicari potest.

Intermittenti simili.

Ex similium generum implexu hæ fiunt. Duplex quotidiana, quum in dies accessiones duæ typis definitæ contingunt, quod admodum insolens est. Duplex tertiana frequens obtingit, cujus accessiones quotidie fiunt, sed nec pares nec iisdem horis: fere enim quæ diebus imparibus fiunt accessiones, similes inter se sunt, atque iis dissimiles, quæ in dies pares incidunt. Duplex tertiana à simplici fere initium habet, cui dein accedit & altera: & implicitarum una prior terminari solet, altera manente. Non minus freqnens est duplex, atque etiam triplex quartana: illa duobus diebus exercet, uno intermittit: hæc quotidie accessiones habet, easque raro impares. Utraque solet è simplici nasci, cui dein altera, postea vero & tertia ad illas se applicat. Has omnes

omnes à quotidiana typis diſtinguit, quod fint quotidianæ ſimiles inter ſe acceſſiones, harum vero diſſimiles. Et licet ſimiles forte contingant, ex movendi tamen impetu & ex commemoratis ſignis internoſci poſſunt. Neque enim duplex tertiana ſimiles atque quotidiana acceſſiones efficit, nec triplex quartana ſimiles atque tertiana duplex, quotidianave: nec ſimiles evidentes cauſæ ſunt, quæ melancholiæ atque bilis, aut pituitæ dominium proferant.

Diſſimili, Jam vero *intermittentes diverſorum generum* perquam raro implicantur, ut quotidiana & tertiana, tertiana & quartana, idque ſiquando inciderit, primis vix diebus animadverti poteſt.

Et continua. Cæterum *intermittens*, ut tertiana, interdum *continua* jungitur: atque hæc à tertiana continua diſtat, quod hujus exacerbationes ſine horrore rigoreve prehendant, nulloque ſudore inclinent: in illa vero contra à rigore incipiunt inclinantque cum ſudore: nec tamen ut in intermittente ſudorem ſequitur integritas, ſed alterius continuatio.

Hujus generis eſt quæ SEMITERTIANA dicitur: continua quidem ac minime intermittens, uno die cum horrore invadens, hincque grauius increſcens affligenſque, altero autem levius. *E quarum genere eſt ſemitertiana,*

Conſtat enim ex *tertiana intermittente* & ex *quotidiana continua*: unoque die acceſſiones duas habet, altero unicam. Si pares ambo ſunt humores, exquiſita fit ſemitertiana: ſi vero bilis exuperat, ardentior fit, & tertianæ magis affinis: ſi pituita, mitior, magiſque quotidianæ particeps. *Prima,*

Quotidiana intermittens ſi quando *tertiana continua* jungatur atque implicetur, ſemitertianam quoque efficiet, eamque exquiſitam, & nunc dictæ perſimilem, ſi humores ipſi æquales concurrant: non exquiſitam vero, exuperante eorum alterutro. *Secunda que.*

His ad unguem comprehenſa mihi videtur omnis putridarum febrium tractatio.

Caput XVI.

Hecticæ febris gradus, cauſæ, ſigna.

Gal. 1. de diff. feb. c. 8. 9. 10. *Hectica quæ?* FEBRIS HECTICA eſt *calor præter naturam in cordis ſubſtantia primum ac per ſe hærens & infixus.*

Ejus pars affecta. Hic autem *cordis* vitaliſque principii, mox etiam *reliquarum partium* ſimilarium ſubſtantiam *obſidet*, quod omnis cordis intemperies mox corpori reliquo facile impertiatur. Conſiſtit in cordis partiſve ſimilaris ſubſtantia, non quidem leviter, ut ephemeræ aut putridæ febris calor, qui ex accenſo ſpiritu vel humore in partium ſimilarium ſubſtantiam quadamtenus effunditur; ſed penitus quaſi immerſus primum ac per ſe in propriam partis ſimilaris ſubſtantiam infigitur. Quumque partis ſimilaris duplex ſit calor, alter divinus, non hic quidem, ſed unus elementaris ſupra modum auctus, hecticæ febris eſt eſſentia: cujus tamen vi tum divinus ille calor, tum quicquid in ſimilari parte conſiſtit, tandem exhauritur.

Etenim partis ſimilaris triplex eſt ſubſtantia, ſolida, humida, & ſpirituoſa. Humida rurſum triplex, carnoſa, quæ nil quam concretus eſt humor alimentarius: primigenia, quæ propria eſt innati calidi ſubſtantia, in qua & ſpiritus, & calor innatus primum conſiſtit: aqua ſeu elementaris, qua tanquam glutino ſolida ſubſtantia cohæret ac perſiſtit.

Quum itaque febrilis ille calor cor & unamquamque partem ſimilarem invadit, primum quidem carnoſa quoque illius ſubſtantia incenditur & effervescit: ac quamdiu nihil ejus aut exiguum diſſipatum eſt, *primus* eſt febris *hecticæ gradus.* *Hecticæ gradus primus,*

Secundus quum amplius procedente calore, aut plurima, aut tota carnoſa hæc ſubſtantia abſumpta eſt: nam & hujus multi exiſtunt ordines. *Secundus,*

Tertius hecticæ gradus eſt, quum abſumpta carnoſa ſubſtantia, calor ille febrilis & immanis primigenium humidum manifeſte depopulatur: hic verus eſt marcor, & febris hectica cum marcore, quam Græci μαρασμώδη πυρετόν appellant. *Tertius.*

Per hanc quidem inſitus ſpiritus, atque calor qui in eo humido innititur, omniſque hinc prodiens facultas magnam facit virium jacturam: hinc & corporis vires omnes *Hic curari nequit.*

omnes marcescunt & languent, omnesque functiones intercidunt. Hæc si manifesta jam est *penitus immedicabilis* existit. Quum enim nobis insitum sit & ex semine contractum humidum id primigenium, quicquid illius absumptum fuerit, resarciri nunquam potest, & hominem necesse est multo ante tempore interire, qnam major illius portio disperdatur.

Sed curari potest secundus. Carnosa vero substantia quia instaurari potest, *secundus* hecticæ *gradus curationem admittit*, nisi jam forte marcori sit proximus.

Ut autem febris calore, ita etiam ætatis decursu sine febre, sine dolore, solo interdum senio naturalique siccitate carnosum id humidum absumitur, deinde & primigenium, fitque simplex ex senio marcor: quemadmodum & dum arbores vetustate senioque marcescere comperimus.

Hectica causa. Hectica porro febris quæ vera simplexque existit, aut statim ab initio prehendit, aut ephemeræ succedit. Hæc in eum duntaxat incidit, qui natura calidior sicciorque fuerit. *Fit* autem *à vehementibus causis evidentibus*, ut ab iracundia, à mœrore, labore, æstu, siti, inedia. Hæ siquidem causæ quum leviores sunt, ephemeram, quum vehementissimæ, hecticam movent: statim nimirum inflammatis solidis partibus.

Signa primi gradus. Incipientis hecticæ febris *primique gradus signa* sunt, quum vehementes causę evidentes antecesserunt. Exacto triduo aut quatriduo quum ephemera amplius dici nequeat, si febris perseverat æqualis citra insignem vel additionem, vel minutionem: quę quia ęqualis existit, sine ullo dolore est, vixque laborans febricitare se putat. Magna virium imbecillitas est, cum quodam languore. Tangenti *calor* mitis primum apparet, sed mox acer ac mordax. *Pulsus* debilis, parvus ac frequens: & arteriæ quam circumpositæ partes calidiores sentiuntur, maximeque in distole. Hora una duabusve ab ingesto cibo calor exacuitur, pulsusque crebrior atque celerior evadit: cibo autem confecto febris in pristinam æqualitatem redit. Ut enim si calcem humore conspergis, vapor multus acriorque calor suscitatur, ita & corporis solidæ partes hectico calore obsessæ, ampliorem calorem effundunt dum cibi madore proluuntur.

Secundi gradus. Quum *secundus gradus* est *hectica*, pręter superiora invalescente cordis siccitate, corpus jam manifeste liquescit & absumitur. *Vrina* pinguedo telis araneorũ similis innatat: cutis nõ rugosa & mollis, ut iis qui aliis de causis extenuantur, sed ut cæterę solidę partes arida squalidaque existit. *Pulsus* durus tensusque est, multoque debilior ac minor.

Tertii gradus. Febris marasmodes verusque marcor & *tertius hecticæ gradus*, est quum præ siccitate consumptioneq; corporis, oculi supra modum cavi sunt, & prominent quæ circiter sunt ossa, aridę palpebræ vix attolli possunt, atque ut dormienti connivent. neq; tamen is status somnus est, sed dormiendi impotentia. Collapsa tempora ac summe cava, quod eorum caro absumpta sit: frons dura, intenta & arida: facies squalida & plumbea, cujus & vividus color periit. Venter quasi inanis, depressus atque contractus, reliquumque corpus omne ita aridum, ut nihil preter ossa membranis & cute obducta, & quasi sceleton esse videatur: ipsaque cutis apprehensa, ut corium aridissima apparet. Pulsus omnium maxime durus, parvus, debilis, ac frequens.

Atque hæc quidem hectica febris omnino simplex est, alteri nulli permista, quæ proculdubio rarissima usu obtingere animadvertitur.

Praterea alia hectica est ex febri ardente. Est & *alia febris hectica* aliquanto frequentior, quæ acutam *ardentemque febrem excipit.* Quum enim admodum vehemens est febris incendium, & laborans natura calidus siccusque diutius inediam aut sitim tolerat, nullaque ope incendio succurritur, colliquescit carnosa similarium partium substantia, & febris in partes solidas invadit, easque populatur. Hæc proprie ardens & colliquans est febris, id brevi efficiens quod simplex hectica sensim multoque tempore.

Et parte putrescente. Traditur & *tertia hecticæ differentia ex partis cujuspiam affectione*, præsertim ex jecoris, lienis, ventriculi, pulmonum, thoracis, renum vel intestinorum inflammatione haud recte curata, maxime vero si purulenta evadat. Quum enim febrilis calor diutius in his persistat corque obsideat, solutu certe quidem difficilis evadit, ac tum cordi, tum cæteris partibus summã siccitatem ingenerat.

Sed ea spuria sunt. Cæterum hæc *proprie hectica censeri non potest*, sed symptomatica febris, eaque plerunque lenta, de qua ante jam dixi. Qui etiam

neque hoc genus, neque alterum præcedens in hecticæ simplicis genere contineri potest: utrumque enim ex putredine natum est, quam etiamnum diu redolet: ejus quippe indicia in pulsu, in urinis, in siti, in aliisque symptomatis permanent. Quin & A crebræ in his excandescentiæ etiam sine cibo fiunt, & inæqualitates,& cerebri horrores, quum præsertim purulenta est collectio. Itaque omnis quæ hectica appellatur ex putrida febre profecta, putredinis etiamnum particeps est.

CAPUT XVII.

De maligna pestilenteque febre, quæ totius substantiæ morbus est.

Ex Gal. de diff febr. cap. 4. Aëtio l. 5. c. 94. 95. Avicenna loco cit. tract. 4.

Febris maligna, Alia pestilens, alia simpliciter maligna. Causa hujus.

MALIGNA FEBRIS est *quæ non modo calore, sed & qualitate venenata cor fatigat.* Qua enim febris est, calore; qua maligna, pernicie molesta est.

Venenata qualitas appellatur, cujus vis & pernicies supra vulgaris putredinis conditionem est. Ea autem vel *intus sponte gignitur* in nobis, vel *extrinsecus inducitur*, idque alias *è sublimi*, alias aliis *ex causis*.

E sublimi venenata febris quæ fit, *pestilens* est, *aliis ex causis* simpliciter *maligna*.

Hæc itaque fit, quum in nobis humores, præter simplicem putredinem, alienam quoque perniciem *his ex causis* contrahunt. B Hi enim vel sponte sua eo interdum sensim vetustate degenerant, ut prassina, cærulea, atrave bilis putrescens, vel vitiosi cibi atque potus, quia sint cujusdam veneni participes, naturæ suæ humores febresque proferunt. Aëris quoque inquinamenta, quæ ex infectis plaudibus, lacubus, antris, specubus, hominum animantiumque cadaveribus aut excrementis, aut ex aliis gravioribus expirationibus sunt contracta: & quæ ex temporum tempestatumque inordinatis exuperantiis procedunt. Quæcunque his ex causis genita sit pernicies, ea vel cum aëre, vel cum cibis, vel quovis modo aliter in nos penetrat, atque si suscipiendæ febri præparatum corpus est, maligne corruptis humoribus febrem infert simpliciter malignam.

Causa pestilentis.

Pestilentis autem *febris causa* est pernicies, venenataque qualitas è sublimi cœlitusque in aërem demissa, quæ quasi furibunda passim involat in vulgus. Quia enim pestilentiæ semina aëri inspersa inspiratione perspirationeque intro subeunt, si cor affectioni præparatum est, id continuo, inde vero A arteriarum spiritus, postremo humores corpusque universum labefactant.

Sed & cognitu difficillimum, quid corpus unumquodque pestilentiæ obnoxium reddat.

Signa utriusque simplicis.

Quum maligna pestilensve febris simplex est & solitaria citra putridam, *pulsus* languidus, parvus, frequens, celer, omninoque inæqualis existit: vires omnes præsertimque vitales concidunt: frequens animi defectio ac interdum syncope: assidua vomitio, per quam ne cibus quidem optimus cor recreat: vigiliæ molestæ frequens corporis jactatio, *urinæ* nec crudæ, nec turbidæ: nec sitis vehemens, nec appetentia dejecta, nec magnum incendium, nec febris admodum ardens, ut idcirco interdum ægri nec se febricitare putent, & sine sensu doloris viribus extinctis inopinato decedant. Hæ igitur notæ sunt malignæ, pestilentisque febris.

Cum putrida conjuncta.

Quum autem solitaria non est, sed *putridæ permista*, commemoratis signis accedunt capitis dolor & gravitas, & in somnum propensio, deinde delirium, spiratio difficilis & graveolens, sitis inexhausta, dejecta appetentia, biliosa vomitio, interiorum æstus vehemens, & extremorum frigus, ut idcirco febris foris mitis sit, intus conturbans: *urina* cruda, turbida ac fœtida: fœda & graveolens alvi proluvies, aliaque plurima, quæ pro varia corporis humorumque constitutione alia alios exercent. Hæc enim constitutionis varietas causa est, cur vix duos usquam videas eadem contagione inquinatos similibus premi symptomatis.

Prognostica quibus præsentitur gravis annus futurus.

Futurorum porro *gravium malignorumque morborum præsagia* quædam sunt. Ver pluvio-

Sudoriferum in Febre maligna.

† Ex Secretis remediis O. HEURNII.] ℞. *Theriac.* ij. *vel* ʒß. *boli Armenæ gr. viij. cum decocto scordei & scabiosæ & paucis guttis olei sulphuris vel vitrioli & syrupo de acredine citri f. haustus.*

viosum & australe, æstasque fervida: nam putredo corporibus accersitur. Auster sine pluviis diu perseverans: omnia quippe corrumpit, quia natura calidus humidusque est: pluviosus vero calorem æstumque temperat. Aër turbidus, caliginosus, æstuosus quodam caumate, sine ventis aut levi austro. Nam flatu quovis & tempestate valida aër expurgatur, neque putredinem ingenerari sinit. Cometæ, stellæ cadentes, hiatus, ardores & alia in æthere nocte conspicua. Hæc, enim singula si diu persistant, putredinis tum causæ, tum signa perhibentur.

Isque jam imminere: Ejus vero genitæ, aut proxime *impendentis signa* sunt, insectorum & ex putredine A genitorum animalium exuperantia, cujusmodi sunt pulices, cimices, muscarum varia genera, locustæ, ranæ ac mures. Sæpe quæ in terræ visceribus degunt animalia, errabunda prosiliunt: aviculæ corruptione percepta nidos deserunt, cœlumque mutant: nonnumquam minutiorum animalium quæ proniore sunt capite, ut ovium, magna clades antecedit. Ex his igitur præsagiri potest annum gravem calamitosumque fore, in quo putridi malignique morbi grassentur.

At vere *pestilentem annum fore*, non hinc prævidere licet, sed ex sola syderum commistione, quæ illius est procreatrix. *Non pestilens.*

CAPUT XVIII.

De Carbunculo buboneque pestilenti.

Gal. Aëtius, Avic. locis cit. Pestilentem febrim comitatur. PEstilentium febrium aliæ *incomitatæ* sunt, aliæ malignitatis suæ atque veneni *characterem quendam exhibent.* Hic autem vel *carbunculus* est, vel *bubo*, vel *exanthemata purpurea*. Hæc quidem in mitioribus sub morbi statum erumpunt toto corpore conspersa, interdum cærulea vel nigra, nullo tumore extuberantia.

Carbunculus. *Carbunculus* perniciem adfert majorem, non è certa sede, sed indiscriminatim modo ex hac modo ex illa prosiliens. Fere autem oritur à pustula exili milii seminis magnitudine: interdum vero & multæ prosiliunt, primum quidem pruritu, deinde rubore, ardore doloreque vehementi Hoc vero sensim increscente pars uritur, crustosumque ulcus quasi candente ferro inducitur, idque vel nigrum vel cinereum. Nonnumquam & à crustoso ulcere sive pustula initium sumit. Caro quæ circum ulcus est summe inflammatur, nigrescente colore doloreque implacabili, quæ demum corrupta excidit. *Ejus signa.*

Causa; Proximam continentemque hujus causam statuunt, crassum retorridumque sanguinem, longe ab eo diversum qui phlegmonem parit. Cæterum quod pestilens sit, populariterque grassetur, causa est non modo putrida sed & venenata aëris constitutio, qua dum præparatum corpus attingitur, contractæ cladis hunc quasi A characterem exhibet.

Quæsitum autem perdiu, *febrisne ex carbunculo, an ex febre carbunculus* procedat. Quoniam interdum carbunculi initium multo ante tempore conspicuum quam febris est, tametsi *Galenus* ex carbunculo febrem necessario deducit. *Ut & febris carbunculo juncta.*

At certe una venenata pernicies utriusq; causa est, nec tota in carbunculo, nec in febre tota inhærescens. Quamdiu enim carbunculus sine febre est quis omne virus in affecta sede collocet? Licet affecta pars B extirpetur, aut circumscriptione facta virus intro subire inhibeatur, non idcirco reliquum corpus in tuto fuerit. Non enim quemadmodum virulentarum bestiarum demorsu, ex ea parte pernicies inducitur, sed inquinati aëris inspiratione. Quum itaqu hujus veneno cor lacessitur, si robustæ sunt vires, veneni quiddam statim in aliquam corporis summam partem disjicitur, illicque sensim incrementum sumit, partemque contaminat: altera veneni portio intus hærens, quum sensim invaluerit, febrem infert pestilentem. Sin vero imbecillæ vires erunt, incensum intus venenum febrem parit, cujus impetu veneni quiddam foras exiliens, postea carbunculum promit.

Similis est & de PESTILENTI BUBONE disputatio. Hic autem similem atque carbun- *Bubo.*

Ejus causa. bunculus *ortus sui* perniciem obtinet: materiam vero minus fervidam ac vero phlegmonodem, ut quæ sanatione suppurat. Insidet vero solis adenibus, nempe vel tonsillis, vel alis, vel inguinibus. De hoc nihil veterum literis proditum est, sive quod tum rarus admodum & insolens esset, sive quod in regionibus fervidis nusquam grassetur. Nunc autem, aquiloniis præsertim regionibus, in pestilentia frequens, alias cum carbunculo, alias solitarius, alias ante, alias post febrem ortum habens.

Signa. Si carbunculi comes est, illi fere assidet, proximasque glandulas occupat: ut si in capite vel in aliqua vicina parte consedit, eas quæ in collo & secus aures sunt glandulas invadit: si in brachiis, alas: si in cruribus, inguina. Nec tamen bubo carbunculi quasi comes est individuus, sed uterque etiam seorsum deprehenditur.

Variolæ, morbilli. † Finitima his sunt EXANTHEMATA & ECTHYMATA. Hæc pustularum specie in summa cute extuberant, alba quidem, sed in ambitu rubra. Exanthemata vero maculæ sunt exiles vel rubræ, vel purpureæ, vel nigræ. Ut autem corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cætetasque partes solidas obsident, ex hisque primam ducunt originem.

Eorum causa. Utriusque sua propriaque *causa* in aëre: qualitas quippe maligna diversi mitiorisque generis, quam quæ carbunculum bubonemque pestilentem ingenerat: proinde in infantes ac pueros, non autem in seniores, nisi ferocior immaniorque fit, invadit. Neque austrina, neque pluviosa constitutio, neque æstus, sed cęca pernicies hyeme pariter ac ęstate annis quibusdam irrumpens, horum est effectrix: cum hac enim inquinamenta illa incipiunt, pariterque desinunt.

Signa. *Initium habent* à febre quæ synochi speciem habet; cujus *pulsus* frequens, celer ac vehemens est. Membra omnia ingravescunt, somnus obrepit, caput dolet, nares stillant, oculi tument & illachrymantur, facies quasi inflammata rubescit, vox raucescit, difficilis crebraque fit respiratio. Die tertio, quarto, aut interdum quinto exanthemata ecthymatave morbi vi impulsa prorumpunt nulla crisi, nulla febris solutione. Hæc persistit dum cita alvo fœda proluvies exeat, aut dum absumatur tempore.

Morbi reliqui maligni cum febre huc referendi. *Morbi* complures *alii* sunt *pestilentes*, aut consuetorum, aut insolentium numero, quorum est sua cujusque causa evidens propriaque malignitas in aëre cœlitus demissa, cujus essentia haud secus, quam ex eventu dignosci comprehendique potest. At nihilominus quoniam uniuscujusque *comes* est maligna perniciosaque *febris* ex ea contagione profecta, quæ inspiratu cor viscus omnium nobilissimum primum attingit, jure debent omnes hoc genere pestilentis febris recenseri.

Ad morbos particulares qui sine febre. Quicunque vero aut epidemii, aut contagiosi, aut venenati morbi *null: comite febre* nos obsident, licet occultæ cujusdam & cæcæ malignitatis sint participes, non huc tamen, sed in *particularium morborum genera* referri debent, in quorum deinceps tractatione versamur.

CAPUT XIX.

De febrium symptomatis.

Ex Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. Aëtio cap. 56. & seq. FEbris nulla incomitata progreditur, sed tum symptomatis, tum aliis plerunque morbis stipata.

Symptomata febris levia signa sunt. *Symptomata* quæcunque levia sunt ac mitia, in signis dumtaxat connumerari solent: quæ vero sæva ac sæpe laborantem non minus quam febris exercent, viresque nimiopere aut fatigant, aut dissolvunt, animadversione & tractatione digna sunt.

Unde fiant graviora? Si quid igitur præter febrem ægrotum immanius torquebit, videndum & accurate discernendum, idne ex febre ut proprium

Variolæ.

† O. HEURNIO.] *usitatum erat hoc apozema:* ℞. *Tamarind.* ℥j. *rad. gram. rad. cichor. an.* ʒiij. *bulliant in aqua hordei* ℔jß. *colatura adde syrupi de acredine citri* ℥ij. *olei sulph. gutt. vj.*

prium ejus symptoma emergat, an ex alio morbo, qui febri sit implicitus, & cujus propria sit seorsum causa.

Gavius autem *symptoma reddit*, aut *humoris situs*, aut *partis imbecillitas*.

Quum enim febris materia non in omne corpus est æquabiliter effusa, sed in aliquam partem præcipue impegit, pro illius conditione symptomata exurgunt.

Quum etiam ante febrem pars quædam corporis, vel natura, vel humoris cujusdam veterisve mali vitio imbecilla erat, tametsi æquabilis sit corporis affectio, pars tamen jamdiu offensa, prima omnium jacturam & incommoda persentit: & si quod in ulla corporis parte vitium olim delituit, id protinus excitatur cum febre.

Ea sunt. Febrium vero symptomata, quæ fere solent gravissime torquere, hæc sunt: *sitis, linguæ ariditas & scabrities, deglutiendi difficultas, gustus depravatus, cibi fastidium, nausea, vomitio, alvi profluvium, singultus, syncope, animi defectio, oppressio, æstus immodicus, corporis jactatio & ejus velut contusio, lumborum gravitas, capitis dolor, vigiliæ, delirium.* In intermittente vero febre *rigor vehemens, sudor exuperans.*

Sitis. *Sitis* quidem fit interiore ventriculi tunica vel ardore inarefacta, vel imbuta nitroso & acri calidoque humore. Illa tamen potu extinguitur, hæc vero minime, etiamsi totus venter humore perfundatur ac turgeat: sæpe enim vel ore madido gravis existit. Sola corporis æstuatio, nisi hæc interveniant, raro siti excruciat. Nam interdum corpus febri exardescit sine siti, non quod (ut vulgo creditur) frigida destillatio ventriculum proluat, sed quod ardoris causa longius absit à ventriculo.

Lingua ariditas, *Lingua* nonunquam sine siti *arescit* in febre perinde atque in iis qui per sanitatem hiante ore obdormiunt: arescit & ab immodico æstu, & à calido acrique vapore in fauces, in os & in palatum sublato.

Scabrities. Hujus plerumque tanta vis est, ut linguam *scabritie* exasperet, nonnunquam & hanc dffindat.

Lentor. Si crassiusculus vapor est, aut pituita è ventriculo in os redundat, aut è cerebro procumbit, crassescens ea vi caloris & obdurescens, linguam ac dentes plerumque & gulam totam *lentore* obducit.

Deglutiendi difficultas. Hæ ipsæ causæ quum fauces œsophagique introitum obsident, & viam cibi vel siccitate vel lentore coangustant, *deglutiendi difficultatem* invehunt. Nunquam tamen deprehensum est his solum ex causis (quod tamen plurimi metuunt) omnino fauces præcludi.

Gustus depravatio. *Gustus depravatur* quum lingua aut os vel bilis perfusione amarescit, vel corrupti humoris substantia aut vapore inquinatur.

Cibi fastidium. Sub hoc autem vitio integra nonnunquam est appetentia. *Cibi* vero *fastidium* aut febrem antecedit, aut primum ejus symptoma existit. Hujus enim causa multiplex. Nam & sola corporis perturbatio & omnis ventriculi perfusio à quovis humore, qui aut ipsum quasi saturat, aut aliena qualitate appetendi vim illius consopit & obruit: nec non corruptus vapor in os ventriculi undelibet efflatus, aut sola infensa qualitas eo se inferens, appetentiam evertit.

Nausea & vomitio. *Nausea* atque *vomitio* causas habet, aut humorem, aut vaporem, aut qualitatem, quæ modo nimiopere relaxat & emollit, ut pituita dulcis, modo expultricem facultatem, vel copia, vel acrimonia extimulat, ut bilis genus omne, modo pernicie facultatis ipsius robur aut infestat, aut dissolvit, ut maligna atque pestilens febris qualitas. Quum igitur causarum aliqua vel in ore ventriculi, vel circum tunicas ejus, tam vehementer impingitur ac hæret, ut excuti ipsa minime possit, si exinanitus est ventriculus, nauseam solum: sin vero potu cibove confertus est, cibi vomitionem movet. Quum autem causa ipsa nusquam obhæret, sed aut in ventriculo fluctuat, aut in eum aliunde confluit, humoris, alias biliosi, alias pituitosi, vomitionem ciet.

Alvi profluvium, *Alvi profluvium*, quod lienteria dicitur, nonnunquam perinde atque vomitio febri succedit, quum ventriculus vel copia, vel malignitate humorum vaporumve eousque proritatur, ut minime cibum vel amplectatur, vel conficiat. Sed & id nonnunquam præstat immoderatus ac intempestivus frigidæ potus, præsertim ventriculo purgatione lacessito datus.

Singultus, *Singultum* vel ab inanitione, vel à repletione fieri author est *Hippocrates*: at qui per febres acutas easque malignas incidit, quum fere perniciosus sit, aliam causam *6 Aph. 39.*

 habet,

habet, aut corrupti humoris acrimoniam, aut malignitatem ac perniciem, qualem pestilens febris exhibet. Hæc quippe ut vomitionem ac plerumque animi exolutionem, ita & dum in ventriculi tunicas altius inseritur, singultum ciet.

Animi defectus & syncope. *Animus* in febre *deficit* & *exolvitur* modo ab ejus humoris pernicie qui venenatam febrem inflixit, modo ab æruginosa, aut prassina, aut atra bile, quæ ventriculi os præcordiorumve membranas acriter ferit ac vellicat. Quum autem turgens hæc materia è venis in cordis arcem vel subit, vel impellitur, multo gravior obtingit exolutio, necnon syncope in primis periculosa, quum ea repente & affatim irruperit. Exolutionem etiam plerumque infert symptomatum quæ febribus assistunt sævitia, ut vigiliæ, dolor, timor, immodica & repente facta quævis vacuatio, itemque victus tenuis atque parcus. Quæ hactenus protuli, fere quidem ventriculi aut præcordiorum offensione emergunt, quum vel bilis acerrima, vel alius quivis putrescens aut venenatus humor in eas sedes vehementius irruit, aut eo de se tetrum vaporem effundit. Quæ autem non ex his causis profecta sunt, ex alio quodam peculiari morbo ducunt originem.

Oppressio. *Oppressio* quæ pene suffocat, laborantemque huc illuc agitat & impellit, fit interdum ab ardore bilis prassinæ vel æruginosæ, quę circum cor, ut in causo, exæstuat; interdum ab ejus humoris copia qui in præcordiis aut in visceribus firmatus ac per febrem impulsus ventriculum atque diaphragma premit. Posterior hæc non minus in intermittente febre quam in continua frequens, cui fere comes est præcordiorum distentio, atque in contactu pressuque dolor. Est porro gravissima oppressio, quum vel jecur, vel lienem phlegmone exercet.

Spirandi difficultas. Huic affinis est *spirandi difficultas*, non parvi in morbis acutis momenti. Ea præcordiorum oppressionem sæpe consequitur, nonnunquam corpus & pulmonum ęstum, quum ut in causo bilis atque putredo circum eas sedes incenditur, aut quum turgens in venis materia impetu prosiliens eo procumbit. Delirantibus quorum sensus alio distrahitur, rara & alta: iis vero qui jam morti proximi sunt, alta, crebra difficilisque fit respiratio, sed non tam vehementia æstus quam insiti caloris penuria & virium languore. Quæ vero vel à destillatione vel ab alia quavis causa processit, minime debet in febrium symptomatis recenseri.

Lumborum dolor. *Lumborum dolor* atque *gravitas* tum maxime fit, quum peccantis materiæ pondus in venam cavam, aut in majorem lumborum arteriam plurimum illabitur.

Ardor. Ea si pariter vehementius incenditur, renum lumborumque suscitat *ardores*.

Lassitudo & artuum dolor. At vero quum ejus portio in tenues venas quæ per summa sunt corporis, atque etiam in musculos excurrit, *lassitudines*, membrorum gravitates, *artuumque dolores* excruciant, quos imperitum vulgus catarrho refert acceptos.

Corporis jactatio. His ex causis, maxime vero ex oppressione, ex lumborum artuumque dolore, atque ex æstu, magna incidit *corporis jactatio*, qua id subinde modo in alterutrum latus, modo in pedes inquietum devolvitur. Quum vero neque à dolore, neque ab his causis impellentibus corpus perturbatione jactatur, vel morbi materiam in venis turgere, & huc illucque ferri, vel cęca malignitate cor, ut in pestilente febre, obsideri putandum.

Capitis dolor anterior. *Capitis dolor* in febre subjectarum partium maximeque præcordiorum consensu fit, in quibus exæstuans humor multum de se vaporem in caput per medias quasque regiones (est enim corpus omnino perspirabile) emittit. Hic vero meninges & pericranium vel calore & acrimonia feriens, vel copia distrahens, dolorem parit. Nonnunquam & è venis arteriisque majoribus sursum impulsus tenuior sanguis temporum pulsantem facit dolorem. Omnis autem ex febre genitus capitis dolor, aut tempora, aut frontem, aut omnino *priorem capitis regionem* adoritur.

Posterior. Qui vero aut *in occipitio*, aut in vertice, aut circum aures figitur, etiamsi cum febre excandescat, peculiarem causam habet in capite, neque symptoma est febris. Sæpe enim hisce locis vetus dolor quasi sopitus atque conquiescens, humore irritato exasperatur cum febre, quemadmodum & humor omnis circum membranas & articulos præter naturam obhærens, si tacitus erat, vini meracioris liberaliore potu suscitur, doloremque ciet.

Vigiliæ,

Vigilias inferunt, causæ omnes quæ somnum & quietem interpellant: dolor, æstus, oppressio, sitis, & quæcunque nimium infestæ sunt & laboranti graves. Plerunque etiamsi ne istæ quidem molestæ sint, somnus tamen nullus obrepere potest. id fere obtingit quum calidus acerque vapor cerebri substantiam magis quam meninges ferit, eamque exiccat & calefacit, spiritusque supra modum attenuat & varie dispergit. Idipsum quoque citra magnum ardorem evenire compertum est, quoties perniciosa qualitate cor obteritur. Somni modus diligenter observandus. Nam in acutis morbis consopiti laborantes quum expergiscuntur, plerunque nec meminerunt, nec se dormivisse putant.

Deliria.

Posteriores hæ causæ si vehementiores occurrunt, aut si fervida bilis in cerebrum obrepit, idque urinis factis interdum purioribus, mens conturbatur, & portentosa rerum simulachra sensibus & menti sese objectant, quibus continuo succedit *delirium*, ipsaque mentis alienatio, cujus varias posthac species exponemus. Majoris autem terroris quam periculi est delirium, quod sæpe nullo vitæ discrimine hominem abducat ab usu rationis.

Quum jam perseverante delirio cerebrum gravius offenditur, nervorum accedit subsultus, quo non nervi modo sed & artus ipsi præsertim manus ac brachia saltu quodam à tremore diverso invitis jactantur: is quidem perniciem fere portendit.

Præsentitur autem impendens dilirium, aut importuna loquacitate, aut immoderatiore gestu, aut quavis effrenata laborantis impudentia.

Sopor.

Fere autem quum is humor deferbuerit, represso delirio gravis profundusque *sopor* obrepit.

Rigor horrorve.

* *Rigor horrorve* quanquam intermittentium febrium est proprius, nonnunquam tamen modum excedit. Ex his autem causis prodit quas superiori oratione sumus complexi. Qui in continua febre interdum apparet, aut commutationis aut solutionis est index.

Sudor.

* * *Sudor* non modo febrium intermittentium, sed & continuarum & aliorum quorundam morborum est communis. Hujus materia est humor vel copia vel qualitate gravis, per cutis spiracula manifeste affatimque prosiliens. Hinc vero, quod calidus sit aut frigidus, mitis aut acer, tenuis aut crassus atque viscosus, fœtidus aut suavis, humoris qui hunc protulit genus exprimitur. Erumpit sudor aut naturæ vi, quiddam supervacaneum robore expellentis, aut sponte proprioque impetu. Illum naturalem, hunc symptomaticum appellant. Qui decedente febris intermittentis accessione profluit uberius, & qui in continuarum febrium crisi emanat, naturalis est: præter naturam vero & symptomaticus, qui quovis modo aliter morbi tempore prosilit. Hic fere primum incipit à capite, ac deinde è reliquis etiam partibus sensim emanat. Solum enim utilis & secundum naturam is habendus est, qui expurgatæ alvo succedit, quique jam vacuata crassiore morbi materia, reliquam tenuem per corporis summa dissipat. Qui vero vel morbi initio, vel quovis alio tempore, vel ante concoctionem, vel ante crisim exierit, irritus est atque symptomaticus, & cui nulla morbi fida solutio committi potest. Qui in syncope & in virium exolutione sive calidus sive frigidus emergit, non sudor sed proprie mador appellatur.

Hæc præcipua sunt febrium * * * *symptomata. Ex quorum specie atque sævitia intelligi potest, in quam præsertim partem continens febris materia incumbat, aut quæ pars corporis vel imbecilla, vel humoris vitio gravata ante febrem fuerit.*

Sic omnis comprehensa sit tractatio noscendarum febrium. A qua in eam me confero quę de morbis est partium singularum.

Libri quarti Pathologiæ de Febribus, earumque symptomatis, Finis.

De Rigoribus.

	S. A.		S. A.
* *à frigido.*	5. 17.	*Critici.*	4. 58.
item.	5. 20.	*lethales.*	4. 46.
à quâ parte incipiant?	6. 69.	*quotidiana.*	4. 63.
si fiunt sexto die.	4. 29.		

De Sudo-

De Sudoribus Febrium.

De Symptomatibus Febrium.



JOAN-

JOANNIS FERNELII AMBIANI,

FEBRIUM CURANDARUM METHODUS GENERALIS.

PRÆFATIO.

Tanta olim Empiricæ sectæ vis fuisse videtur & celebritas; ut apud eos, qui sese Rationales profitentur, non parum etiamnum pristinæ retineat authoritatis. Perpauci enim morborum causas, aut continentes, aut antecendentes, aut etiam concomitantes accurate satis scrutantur, sed morbi cujusque audito nomine, seu quod febris continua tertianave sit, seu pleuritis, seu nephritis, aut arthritis, protinus ad peculiares traditas sibi medendi præceptiones concurrunt, quas mirifice, sed nullo aut certe minimo judicio amplexantur & excolunt, umbras potius & nomina, quam morbos ipsos secuti. Si qui forte ex his continentes causas attingunt, antecedentes tamen aut concomitantes (universam dico corporis, principumque partium, & humorum, qui in his peccant, constitutionem) prætermittunt. Generalem igitur medendi rationem ac methodum, & summa, quæ hactenus protuli, remediorum genera statuens ad singulorum deinceps morborum peculiarem curationem accommodare, insuper & propria cujusque remedia producere, hoc quasi initio præceptiones tradam, quibus, qui medicinam facturus est, curandi judicium dirigat atque confirmet: tum ne quid inconsiderate gerat, tum etiam ne in singulorum tractatione brevitatis studiosi cogamur hæc subinde inculcare, quæ multorum sunt communia.

CAPUT I.

Ante morbi cujusque curationem, omnium, tum humorum, tum partium corporis, vitia pervestiganda esse.

Ingressus ad ægrum Medicus,



Omnium id jure primum videtur, ut *ad ægrum veniens* ex symptomatum quæ plurimum fatigant recensione, & affectam primario sedem, & affectum qui in ea consistit & ejus continentem causam intelligas, ut quorum gratia sis maxime accersitus. Deinde vero reliqui quoque corporis (ut secundo pathologiæ docui) constitutionem discas, sine qua nihil tuto aggredi possis.

Debet indagare constitutionem corporis,

Inter sermonem tacite observes, *quo habitu*, gracili, an obeso, & quo fere temperamento decumbens sit: deinde scisciteris, quæ vivendi consuetudo olim familiaris, A quæ ante morbum integra valetudine esset corporis constitutio, quis habitus, mediocris an plethoricus, qui non nisi purorum est & bene valentium. Si deterior corporis constitutio suspecta fuerit, quærendum, quibus olim gravioribus morbis conflictatus sit, & perfectene sublati sint: in hos enim facilis est relapsus.

Ad hæc quoque propriis notis de corpore sciendum, purumne id sit, an impurum: si impurum, quæ corporis regio obsideatur vitioso humore, primane, an secunda, aut tertia: is vero humor *alteratus* solumne sit, ut crudus aut leviter corruptus, (qui citra vacuationem seu naturę, seu artis *Humoris, alteratusne an corruptus sit?*

E bene-

beneficio possit in pristinam bonitatem redire) anne sic *vitiatus*, ut naturæ limites prætergressus, & omnino præter naturam prorsus extirpari vacuarique debeat.

Diffluensne an adhærens? Tertio, *vagusque ac diffluens* sit: an contra, venarum, aut viscerum, aliarumve partium substantiæ impactus & adhærens. Ille enim breviorem morbum facit, prompteque medicamento cedit; hic vero difficile, & morbum pervicaciorem reddit. Si adhærens, an cum obstructione simplici, aut etiam cum tumore, qui in aliquo viscere aut alia parte contactu mollis aut purus, renitens aut laxus percipitur. Tumor enim, præsertim durus atque diuturnus, non nisi præparatione adhibita, multo tempore eximitur.

An pars simul vitiata? *Quarto*, sit vitiosus humor, anne *corruptus*: hic enim accelerandam curationem cautione majore indicat. præsertim si febris adest: & hæc corruptio atque putredo simplexne sit & solitaria: an præterea *partis* cui adhærescit, *substantia* labefactata sit. Hæc rursum labes sitne ex diutina humoris corrupti contagione & adhæsu, an ab ipso ortu & à prima origine quasi hæreditario jure contracta.

Levius an gravius? *Postremo*, *levisne ea sit* ac recens, *an consummata* adeo, ut non amplius in naturalem atque bonum statum pars revocari possit. Gravissimum sane vitium est labes aut corruptio substantiæ visceris, quod etiamsi omnem noxium humorem expurgaveris, persistit in viscere, & vix aut ullo modo arte corrigi potest, præsertim si hæreditarium est, vel grave atque consummatum existit.

Quanti hoc sit momenti Hæc præcipua interiorum est causarum observatio, tum *ad prædicendum*, tum *ad curandum* inprimis necessaria. Nam sive interior præter naturam causa morbum protulit, eique conjuncta est atque continens, sive illi duntaxat implicita sit, propterea tamen quod vel eum ipsum fovet, vel ejus symptomata asperiora reddit, prætermitti non debet, quandoquidem sine ejus animadversione neque prædictio neque curatio iniri recte potest. Magni igitur interest, morbus hoc illove modo affectum corpus invadat. Qui in purum & bene constitutum corpus inciderit, certos atque legitimos, qui in vitiosum atque impurum, distortos atq; inopinatos progressus habebit.

A

Si quem euchymo & puro corpore, partibusque principibus bene constitutis, evidentium causarum vi, ex subita post exercitationem validam refrigeratione, *pleuritis* adoriatur: ea utique pura & exquisita existet, quam protinus secta vena quam plurimum leniet, aliaque adhibita remedia luculenter juvabunt: hujus quoque concoctio statis fiet periodis, nec alia quam pleuritidis symptomata ægrum affligent. *Ostenditur in corpore puro, exemplo pleuritidis,*

Alium item bene constitutum, pluvioso cœlo simulque æstuoso iter facientem, si constipata cute obsideat *continua febris*, eaque conclusa ex putrefactis humoribus qui in majoribus sunt vasis: ea omnino simplex quum sit, propriis duntaxat stipabitur symptomatis: constantes ac perturbatos, sed decretoriis diebus definitos motus habebit, legitimaque judicia. In hoc statim initio nulla purgatione præmissa, venæ sectio quæ multitudinem conclusæque putredinis magnam portionem subtrahat, plurimum ad curationem conducet: deinde detergentia medicamenta & attenuantia, quæ corpus reliquamque putredinem præparent, ut insiti, caloris beneficio cocta secretave, tum arte, tum naturæ beneficio atque impetu deducatur in salutem. *Febris continua,*

B

Ad eundem quoque modum *pestilens febris*, quæ ex inquinati aëris contagione maligna purum corpus invaserit, sui duntaxat generis symptomata promet, & antidotis maxime cardiacis, & iis quæ malignitatem frenant, abigetur, nulla vacuationis necessitate. *Pestilentis,*

C

At si contra statuamus, iisdem ex causis alios, quibus ante morbum vel *impurum corpus* esset, vel male constituta viscera morbis similibus exerceri, horum neque certa lex, neque certum fuerit judicium: sed omnia perturbata, confusa, & plerumque inopinata ingruent, ac velut tumultuosissime adorientur; ut subinde remedia mutanda atque permiscenda sint. *In corpore impuro,*

Pleuritis enim si obtigerit, neque exquisita, neque legitima existet, sed vel è destillatione frigida, vel è corporis frigido pituitosoque habitu crudior evadet, concoctuque difficilior, è qua vix quicquam tussi educetur, neque hanc vena secta conspicue minuet: sed & extraordinaria ac illegiti- *Exemplo pleuritidis*

gitima symptomata, ut suffocationis metus, progressus ordinem pervertent; præsertim si olim asthmati opportunus fuit æger.

Continua & pestilentis febris.

Si vero *continua* aut etiam *pestilens febris* id ipsum occupaverit corpus impuritatis symptomata, ut cordis dolor, animi defectio, nausea, frequens vomitio, oppressio, hisque similia, propriam febris conditionem mutabunt, ut ejus incertum futurum sit judicium. Eadem quoque impuritas viscera primasque venas inferciens, obsistet ne statim initio propria febri remedia accommodari possint. Ea enim antequam venæ sectio adhibeatur, expurgari postulat, non parvo temporis viriumque dispendio. Febris etiam longior, & tum judicatu, tum curatu difficilior atque periculosior evadit: multo autem magis, si quod viscus ante morbum male jam affectum erat.

Hæc igitur sunt ante cujusque morbi curationem animadversione digna: quibus prætermissis, nihil certo potest de morbi cujusque judicio, aut curatione statui.

CAPUT II.

Quænam plethoræ, quæ cacochymiæ præcipua sit sedes, & quæ utriusque sint causæ.

Plethora haret in vasis majoribus, & habitu corporis:

PLethora, quæ probi ac utilis sanguinis seu succorum omnium est redundantia, maxime ac præcipue è *venis oritur majoribus*, è quibus anastomosi tenue nonnihil, quemadmodum è pleniore sinistro cordis sinu crassiusculum aliquid, una cum vitali spiritu in *majores effunditur arterias*: quæ non minus quam venæ, copia turgentes atque distentæ validum tum pulsum edunt. E majoribus tum venis, tum arteriis copia turgentibus in minores, ex hisque in carnis molem *habitumque corporis* effusio fit, atque plethora summas corporis partes ac musculos implens & distendens: addito robore, caloreque vivido.

Non in prima regione, in qua tamen humorum potest esse multitudo,

Porro autem *in prima corporis regione*, quæ ante portas est jecoris, nulla proprie plethora succrescit: neque quum ventriculus, & partes sub adomine, cibi vel optimi copia quasi saginatæ distenduntur, plethora est: sed solum *multitudo*, quæ in vasis majoribus & in habitu corporis sani ac bene constituti cumulatur, ex opportune dati cibi potusque ubertate & affluentia. Quæcunque aliis ex causis redundantia in vasis congeritur, multa potius est cacochymia.

Cacochymia oritur

Omnis autem *cacohymia* & humorum impuritas aut *ex vitiosa viscerum affectione*, aut *ex improba vivendi ratione*, non aliis ex causis, proficiscitur.

A visceribus,

Iecur, *lien*, *ventriculus*, assidentesque partes, seu intemperie, seu substantiæ labe inquinentur, humores succosque vel ex temperato & puro alimento proferent sui similes & labefactatos.

A cibo.

Intemperatus quoque *cibus*, aut crassus, aut tenax, aut corruptus, non sic exquisite poterit concoctione mutari, quin vel in sanguinem, vel in alium humorem facessens pristinę conditionis & naturæ nonnihil retineat atque redoleat, aut vitium aliud contrahat, si immodicus sit & à nostro calore minime vincatur.

Haret præcipue in prima regione.

Præcipua vero *cacochymiæ sedes est prima corporis regio*, ventriculo, liene, jecoris cavo, circumpositisque partibus circumscripta. Hęc enim, ut cibi promptuarium est, in quod omnia demittuntur, ita & corporis totius velut sentina quædam est, in quam illorum supervacua amandantur, sive sanum, sive ægrum corpus sit, sive purum, sive impurum alimentum. Non solum enim cibi reliquiæ & fæces, verumetiam humores supervacui è jecoris concoctione & ex succis in venas delatis secreti, illic subsistunt.

Pituitosa, in ventriculo & intestinis.

In ventriculo, & intestinis, membranosis quidem ac frigidis, cruda ac supervacanea cumulatur *pituita*, quę eorum proprium excrementum est, primum quidem aquea, deinde calore crassescens & mucosa evadens: ab hac vitrea, postremo gypsea omnium crassissima, & intestinis tenacins adhærescens.

Biliosa in cavis jecoris.

In folliculo fellis & secundum jecoris cava, *flava bilis* abundat, quæ fervore in vitellinam, deinde in poraceam, in æruginosam, in cœruleam, & in atram omnium acerrimam atque perniciosissimam facessit.

In liene Melancholicus atque terrenus humor col-

Melancholica in liene. colligitur, qui ustione in atram eam bilem, quæ mitior appellatur, degenerat.

Sic, igitur in regione prima coërcentur humores supervacui, iique interdum cum putredine, interdum citra putredinem.

E quibus regurgitat in loca vicina. Illic vero interdum usque adeo *exuperant*, ut è propriis conceptaculis *in alienas sedes redundent*, & præ copia irruant in mesenterium, in pancreas, & in intestina: in quibus etiam diuturnitate in præduros plerumque concrescunt tumores.

In secundam & tertiam regionem. Ab his interdum per jecur *in secundam* quoque *corporis regionem*, quæ majorum est venarum, hincque tandem *in corporis habitum* incurrunt, ut in regio morbo, in arquato nigro, in leucophlegmatia.

In quibus tamen aliquando generatur. *Interdum*, at rarius, *venarum succi corrumpuntur* labemque contrahunt, etiamsi nulla sit viscerum impuritas: nam æstu, exercitatione, vel ira incalescunt, inspiratione gravi & putrida corrumpuntur, pestilente cœlo labefactantur. hinc autem magna curandi varietas (ut mox dicam) depromitur.

Hæc vero externarum causarum vis sine præparatione corporis levis. Quocirca temere ac fortuito omnia dirigit, qui neglecto viscerum statu morbi cujusquam curationem suscipit.

CAPUT III.

Summa ratio eximendæ plethoræ, unius ex communibus morborum causis.

Demenda plethora citra morbũ, inedia. P*Lethora* quæ jam gravis *citra morbi ullius metum* esse cœpit, tenui cibo potuque, aut etiam *inedia* lente, sensim, ac tuto eximitur.

Imminente morbo venæ sectione. Quæ vero *instans morbi periculum* minatur, repente venæ sectione solvenda, ut periculo subtrahat, tutumque corpus reddat.

Vt & præsente morbo. *Quæ jam morbum protulit*, ut continuam febrem, interiorem phlegmonem, suffocationem, hæmorrhagiam ex rupta, aperta, aut exesa vena, protinus quoque sectione venæ minuenda, ut morbi cursum intercipiat, &, quidquid ejus factum jam est, brevius efficiat.

Etiam alieno. Plethora quæ *alieno morbo* duntaxat comes assistit, neque efficiens ejus est causa, ut quæ febrem comitatur intermittentem, aperta etiam vena utiliter eximitur: tametsi enim propriam morbi causam non tollit, multa tamen ejus symptomata lenit, & cetera deinceps remedia tutiora expeditioraque facit.

Viribus integris. Quocunque igitur modo venæ multo fervidoque sanguine turgebunt, si modo carnosum ac bene habitum corpus est, & *vires*, ut fere fit, constant; quæ superat & copia sui gravis est materia, nullo incommodo detrahi potest, etiamsi secta vena nihil ad primariam morbi curationem conferre videatur. Ea tamen, si lentus morbus minime urget, sub victu tenui spacio eximi tuto potest.

Secanda & vena in plethora cacochymica. *Plethoram impuram*, quæ multa est cacochymia, iisdem casibus repentinis, & simili rerum necessitate, tuto venæ sectione subtrahes: præcordiis tamen, si huic initium dederint, prius expurgatis. Nam quavis materia turgentes distentæque venæ repentinis casibus depleri tuto possunt, ut ea vacuatione levetur æger, & multitudinis pericula declinet.

Et ad revulsionem. Citra plethoram vero, etiamsi non superet, sed vel integra, vel deficiens sit venarum materia, interdum tamen *revulsionis gratia* emittitur, ut alio dato itinere, eoque contrario, ejus cursus avertatur. Id autem commodissimum est, quum sanguis præter naturam è venis prorumpens, immodice è naribus, ex utero, hæmorrhoidibus, aut vomitione, screatuve profunditur, aut quum in partem quamvis irruens erysipelatis phlegmonesve collectionem minatur, sive id sponte exesis aut apertis venis contingat, sive ex aliquo subito casu, ut labore, vociferatione, ictu, contusione disruptæ sint venæ.

Hæc igitur affectuum & vitiorum genera sunt, quibus aut utiliter, aut necessario, secta vena succurritur.

CAPUT IV.

Summa ratio eximendæ cacochymiæ, alterius è communibus morborum causis.

Cacochymia recens inedia tollenda.

DE *cacochymia autem*, cui peculiaris est purgatio, *ita statuendum.*

In prima corporis regione, si *recens* adhuc est *impuritas*, nec morbum ullum progenuit quoniam fere cruditatis soboles est, paciore victu aut *inedia* emendari potest.

Quomodo gravior ex intestinis?

Vetustiorem, quam nec victus tenuis, ac siccans, nec inedia sustulit; aut vomitione, aut dejectione, aut utraque subtrahes: ut quum in omnes primæ regionis partes æquabiliter effusa est, tum enim alvus molli clystere primum ducenda: deinde, si crassioris pituitæ atque glutinosæ proventus *intestina* (ut plerumque fit) inferciat, ea detergente clystere eluenda, subinde repetito, dum (si cætera sinunt) nihil grave, tensum, durumve reliquum sit in imo ventre, & viæ omnes in alvum directæ, liberæ sint & expeditæ.

Ventriculo?

Expurgatis intestinis si *ventriculus* impuritate gravatur, eaque vel cordis dolore vel frequenti nausea sursum obrepere contendat, vomitione ducenda, levi primum, deinde si opus sit validiore. Sin vero citra nauseam gravis est, & ventriculi distentione, dolore, ructu, rugitu, cibi fastidio, aut oris amarore affligit: potione ex hiera detergenda dejiciendaque est, idque sæpius ex intervallis, dum quæ dixi mala omnia, aut certe plurima defierint.

Quomodo præparanda medicamentis?

In intervallis autem subsistens materia apparetur attenuante atque detergente *apozemate*, foris quoque illitu, atque etiam si rei gravitas exposcit, fomento, cui similis insit facultas.

Victu?

* *Victus* tenuis sit atque boni succi, qui exigua materia vires aut pares, aut paulo infirmiores conservet, ut natura concoctione cibi minimum impedita, eos qui lædunt humores mitificet atque domet. Si victus pariter siccans sit & attenuans, medicamentorum vis major existet, nulla aliena permistione retusa. Expurgatus ventriculus propriis demum corroboretur subsidiis.

Quomodo educenda è præcordiis, sine tumore?

Præcordia vero, si tum etiamnum impura maneant, idque *nullo tumore* conspicuo, sed obstructione sola, quam sitis, vel oris amaror indicet (ut in simplici duplicive tertiana) vel virium imbecillitas, vel fœdus faciei color (ut in ictero,) vel mala corporis enutritio, (ut in leucophlegmatia & atrophia) purganda aliquando validius erunt ac sæpius, sed nulla tamen scammonii, vel colocynthidis, vel turpethi facultate, quod è distantioribus ea sedibus tenues proliciant humores, iis plerumque prætermissis crassiusculis qui præcordiorum obstructiones parere solent.

Cum tumore?

At vero si quis in jecore, aut in liene, aut in pancreate, aut in alia quavis mesenterii sede *tumor obduruisse* deprehendetur, idque vel situ doloris, vel ingravescente pondere, vel decubitu difficili, vel contactu atque renixu, diutius continuandæ purgationes erunt, eæque blandæ ex senna agarico, atque interdum rheobarbaro, ita quidem detergentibus aperientibusque medicamentis dilutæ, ut crassum & tenacem humorem eumque in progressu syncerum detrahant: atque, si virium status patitur, subinde repetendæ erunt, dum pedetentim tumor omnis sublatus apparet, laboransque nihil amplius de se queratur. Hæc medendi ratio, citra virium offensionem, inveterata & obdurata vitia sensim demolitur, quæ vehementiora pharmaca summa vi summaque virium perturbatione, non excutiunt, & quæ antiqui, ut immedicabilia reliquerunt.

Quomodo præparanda?

His autem purgationibus *interferenda erunt quæ concretum humorem incidant & detergeant*, ut validiora apozemata, fotus molliens, colliquans, & incidens, illitusque similis, cui inducetur, lana succida, vel similis facultatis emplastrum, ut omnium ope humor fluxilior evadat, & ad purgationem sequacior.

Quamdiu in his continuandum sit?

Si pars quæ intumuerat, jam convenienter expurgata, propriæ substantiæ labem contraxisse tandem noscatur iis notis quas in pathologia recensui: aut si languidiores vires curationis longitudine labascunt, & ægre possunt curationis longitudinem per-

perferre: *medio* etiam *cursu subsiste*, ne in vitæ discrimen adducas eum, cui maxime opitulari consilium est. Sedata enim medicamentorum perturbatione, cum corpus in tranquillum jam se receperit, non parva adhibitæ curationis emolumenta commodaque percipiet. Si tum non parum ipse sibi adjutus æger levatusque videatur, spes est reliquam posse curationem aliquando compleri. Sin vero eadem quæ ante symptomata, aut non multo mitiora persistunt, non levis suspicio fit labefactatæ substantię partis, quæ vix unquam pristinam & integram constitutionem sit receptura: tum blandiri, & quod mali reliquum est suaviter lenire satius est, quam ope irrita ægrum præcipitare.

In lento,

Hæc summa expurgandæ cacochymiæ ratio exquisite & ad unguem, si *lentus* nec admodum præceps est morbus, observari potest, sive cum diuturna febre, sive sine febre sit. At vero in *acuto* & præcipiti morbo, ut in continua febre, aut pleuritidê, cujus præsertim ea impuritas causa non fuerit, vix ante tota demi potest, quam brevi acutus morbus finitus fuerit.

Aut acuto.

Ante cacochymiam secunda regionis demenda prima.

Nunc de *cacochymia, quæ in vasis* & *in habitu* est corporis vacuanda, dicendum. Hanc vix tuto aggredi possis, antequam sit *primæ regioni prospectum*: quæ quasi sentina est & prima origo omnis impuritatis. Ea neglecta quisquis morbi ullius curationem suscipit, tanquam cæcus omnia fortunæ temeritate dirigit. Unde veteres mirari subit, qui hac prętermissa de sola vasorum & habitus corporis impuritate verba fecerint.

Quomodo plethorica?

Vasorum impuritas, si immodica fuerit, venasque distendat, venæ sectione tuto (ut dixi) minuitur.

Citra plethoram.

Quæ vero *citra plenitudinem* est, si ab evidentibus causis, quæ sanguinem succosque corruperint, profecta est, tum venæ sectione, tum purgatione peræque subtrahi potest. Corrupto enim sanguine detracto, purior è sanis visceribus euchymisque cibis succedet.

Sin vero primæ regionis impuritas, aut mala viscerum affectio (ut fere fit) huic initium dedit, nihil potest venæ sectio conferre, quod impuro sanguini mox impurior succedat, neque possit impuritatis eum fontem secta vena exhaurire. Purgatio sola eam eximet impuritatem, quæ primum regionem infimam, deinde majores venas, postremo corporis habitum illuuie liberat; non semel quidem & universe, sed pedetentim ac sensim, auctis (ut ante dixi) remediorum viribus: idque dum puriores urinæ existant, & color corporis vividior, cæteraque symptomata mitiora.

Quomodo præparanda?

Ad eos humores qui in vasis peccant, *præparatio* quoque *necessaria* validis apozematis, quæ vias in alvum directas referent, visceraque expediant, humores crassos attenuent, lentosque detergant. Quorum omnium administratio non citra dierum, in quibus major est tranquillitas, & in quibus concoctionis notæ se produnt, observationem tute fieri potest.

Cacochymia tertiæ regionis quomodo demenda.

Humorum vitia, quæ *in habitum summamque corporis* è subjectis regionibus emerserunt, alia purgatio, alia venæ sectio vacuat. phlegmonas enim, carbunculos, furunculos, erysipelata, scabiem sordidam, tensivam lassitudinem, & alia quæcunque *cum inflammatione* mala ingruunt, venæ sectio tollit: expurgatis tamen ante visceribus, primisve sedibus, si sordidæ fuerint.

Plethorica,

Secta vera impuritatis reliquiæ medicamento ducendæ, cujus vis non ad venas modo majores, sed ad corporis quoque partes summas attingat. Si quid præterea in corporis summo reliquum subsistat, iis dissipatur, quæ halitu digerunt, sudoresve cient. Sin vero collectum in tumorem id ipsum est, ut in phlegmone, in carbunculo atque furunculo, peculiaribus remediis curandum.

Sine plethora,

At vero herpetas, impetigines, icterum, leucophlegmatiam, cachexiam, ejusque generis affectus, quos non inflammatio, sed *una humoris vitiositas* protulit, valida purgatio revocat & exigit per alvum. Expurgato corpore, sudores aut halitus quod reliquum est eripiunt. Id tamen si extremis partibus, ut articulis, capiti, alis, inguinibusve aut artubus impactum, ac velut concretum adhæresceret, sive scirrhi, sivæ œdematis, sive laxioris tumoris specie, non nisi topicis remediis mollientibus, incidentibus, aperientibus, digerentibusue tolli posset.

Hæc in singulorum morborum, qui vacuationem ullam exigunt, curationes præfari decuit. Medendi

præce-

praceptiones simplicium quidem morborum hæ sunt, quum solitarii, non aliis implicantur affectibus: quandoquidem non omnes implicatos persequi licet. Si tamen aliquando simplices illi varie concurrant, hac una præfatione sua cuique curatio poterit accommodari.

In simplicibus eum, quem in pathologia institui, sequar ordinem.

Primumque febrium curationem tradam.

Deinde morborum qui partes supra diaphragma obsident.

A *Tertio* eorum qui sub diaphragmate sunt.

Postremo cæterorum quos in chirurgiam referunt.

Neque, ut plerique omnes, in solam remediorum enumerationem, empiricorum more, incumbam: sed qua etiam ratione, quo morbi tempore, quibus naturis ea conveniant, quamdiu singulis utendum, & quando ad alia transeundum, indicabo: ut remediorum inventioni methodus quoque & utendi ratio conjuncta sit propriis confirmata signis.

De victu febricantium.

	S.	A.		S.	A.
Humidus convenit,	1.	16.	*inedia cum fastidio, malum.*	6.	3.
cibus morbus est.	7.	65.	*lac, malum.*	5.	64.
in paroxysmis non cibandum.	1.	11.	*ex bonis cibis non firmari malum.*	2.	31.
item.	1.	29.	*idq; in principio morbi quid?*	2.	32.

CAPUT V.

Quæ ad methodicam febrium curationem observanda.

Gal. lib. 2. de Crisibus cap. 3. 6. 9.

QVas olim febrium differentias atque causas tractavi, eas nunc ad medendi rationem accommodare præstat.

Febres quomodo invadant? Febres aliæ *repente* hominem *adoriuntur* & invadunt, certumque habent sui ortus initium: aliæ vero *clam* & *sensim*, quarum adeo obscura sunt initia, vix ut laborans febricitare se putet, nec nisi quum vehementius increverint agnosci possint.

Illarum rursus aliæ ab horrore aut rigore, aliæ sine his, aut à manifesto calore, aut à capitis dolore, à siti, ab aliove pathemate initium habent.

Earum etiam *quæ sensim* invadunt, aliæ lentæ ac pigræ persistunt, aliæ paulo post B incrementum sumunt, dum in summo sint vigore, omnes autem ejusmodi differentiæ non in intermittentibus modo, verum & in continuis notantur. Nam sæpe continuas videre licet biduum, atque etiam triduum, quadam inæqualitate modo caloris, modo frigoris affligere.

Quid in prima invasione faciendum? Quocirca ex invadendi modo vix potest certo febris genus ullum dignosci.

At nihilominus quum jam illa vel frigore, vel calore, vel symptomatis molesta esse cœperit, lenioribus quidem subsidiis quoad licet *leniri debet*, ac deinde deposito ac remisso primi impetus fervore, antequam A propriam curationem aggrediare, febris species atque magnitudo exploranda.

Raro quidem contingit, ut citra ullam remissionem vel assiduo increscat, vel biduum eadem magnitudine persistat: quod tamen si obtigerit, *synochi* species quædam putanda. Ubi igitur febris vel eodem, vel postero die, sese resimisit, videndum qua id sit ratione factum. *Quomodo febris species agnoscenda? Synochi?*

Si impetus, qui ab horrore, aut rigore invaserat copioso universoque sudore sit remissus, eoque deterso febris prorsum desinat, pura & simplex est *intermittens*, cujus speciem postero die cognosces Sin vero febris à sudore perseverat, implexus est continuæ intermittentis; præsertim si hæc diu permaneat illius conditio. Fere tamen longiore progressu ea vel in simplicem intermittentem, vel in continuam degenerat. Ita quidem plerumque febres per initia ambigunt, & ancipitis naturæ quum sint, in alterutrum postea genus divertunt. *Intermittentis?*

Si sudor nullus emanavit, simplex est *continua*, licet ab horrore quodam initium fecerit: ea autem *caususne* sit an continua *conclusa*, ex impetus vehementia, atque etiam ex propriis signis internoscendum. An vero continua *tertiana*, tertius id postea dies certo patefaciet. *Continua?*

Si tum

Pestilentis? Si tum cœli status pestilens infestat, suspicio sit, ne continua hæc vulgaris *malignitatis sit* particeps. Atque tum in propria illius signa sedulo intendendum, quod omnibus morbis prope illa insidietur.

Lenta? *Lenta* porro febris obscura admodum initio, nec nisi dierum progressu nosci potest, ac tum laborans sibi vires imminui sine febre putat. De hac etiam observandum ex viscerum constitutione, nunquid tandem hecticæ quandam speciem minetur.

Symptomatica? *Symptomatica*, quoniam aliorum affectuum, ut pleuritidis, peripneumoniæ, hepatitidis, & similium comes est, ex eorum signis deprehenditur. Quanquam primarii illi affectus, quemadmodum vomica pulmonum, & hepatitis, diu plerumque latent incomperti. Symptomaticæ febri primaria nonnunquam permiscetur, quum ante partis affectum laborans se febricitasse sensit.

Ex iis igitur atque ex propriis signis cujusque febris species die saltem secundo dignoscenda ac tum quoque ejus, quacunque specie fuerit, *magnitudo* spectanda. *Quomodo magnitudo febris?* Intelligitur autem febris magnitudo ex impetus vehementia, quemadmodum & mos ejus ex malignitate. Nam in unoquoque continuarum genere interdum mitis, interdum vehemens febris existit.

Causa? Causæ præterea ejus magnitudinis ex iis quæ antecesserunt, investiganda. Si febris nulla evidente causa, sed sponte prehendit, & antequam hominem adoriretur, corporis gravitas, lassitudo, vigilia, inappetentia, nausea afflixit: si impuram & improbam vivendi rationem diu laborans exercuit; si consueta quædam & utilis evacuatio jamdiu suppressa est: interior ea humoris causa, quæ febrem fovet, multa, copiosaque est: pauca vero, si contraria præcesserint.

Quomodo febris causa? *Quisnam* autem is *humor* sit, simplexne an mistus, ex iis quæ de proprii humoris dominio olim prodita sunt, percipi debet.

Ejus sedes. *In quam autem* maxime *corporis partem* humor febris causa (is vero fere coërcetur in venis majoribus) incumbet & impetum faciet: symptomatum species ostendet.

Præcordia, Quum enim aut nausea, aut vomitio, aut ventriculi atque præcordiorum dolor, aut tensio atque gravitas, aut inappetentia, aut oris amaror vehementer, laborantem fatigat, morbus præcipue in jecur atque *præcordia* impetum facit.

Quum lumborum gravitas, aut renum dolor vel ardor, in *venam majorem* quæ lumbis incubat. *Vena majores,*

Quum vehemens cordis æstus & spirandi difficultas cum pectoris laterumve gravitate, in cor & *venam cavam* quæ illi assistit. *Vena cava,*

Quum vehemens capitis dolor, aut temporum pulsatio, aut vigiliæ, aut gravitas, aut cataphora, *in caput* & cerebrum. *Caput,*

Quum denique artuum gravitas, aut lassitudo, aut summarum & externarum partium dolor, in *corporis ambitum*. Hæc vero non initio solum, sed & toto morbi decursu accuratius observanda. *Corporis ambitus.* Gal. 1. ad Glauc. 1.

B Tertio autem, quum jam febris species atque magnitudo innotuerit, *laborantis constitutio* exquisite tenenda: & quibus is præcipue morbis olim fuerit opportunus. num quod vitium aut in jecore, aut in liene, aut in ventriculo contactu aliisve signis percipiatur, numve mala quædam affectio aut renes, aut pulmones, aut caput obsideat. Ac tum quoque de his quę dixi symptomatis perpendendnm, an ex propria febris & causæ ejus essentia, anne ex veteri quadam vitiosa constitutione procedant; his quippe neglectis curatio nulla recte instituitur. *Quomodo corporis constitutio?*

Jam vero iis ad unguem exploratis *curatio* quędam ineunda. Si parum vehemens acutave febris conjicitur, dies secundus non sine vacuatione prętereat: sępe enim ab exordiis levioribus incrementa magna morbi capessunt. Non solum igitur in valde acutis C morbis quorum materia turget, *Hippocratis* more, (cui vehementiora duntaxat medicamenta innotuerant) verumetiam in quovis modo acutis, utiliter statim initio vacuandum. Secundus dies, quod fere tranquillior sit, vacuationi accommodus: cui tamen præparatio sub primi finem syrupis aut clystere sit præmissa. In morbis autem lentis ac levibus, non æque festinanda vacuatio: sed cunctari ac supersedere licet, dum certius constet de morbi genere; præsertim si vel ægroti conditio, vel ætas, vel cœli constitutio non facile vacuationi consẽtit. Si primis diebus quavis occasione prætermissa sit evacuatio, quoquo primum tẽpore sis accersitus, quasi incipienti morbo remedia decernes, omnibus quidem qui- *Quæ cura initio debeatur.* 1 Aph. 24.

exploratis quę initio investiganda esse dixi. A quæ medicamenta, quæ denique curatio, atque vivendi ratio, unicuique tum incipienti, tum procedenti morbo aptius conveniat, particulatim tradendum.

Hæc igitur in universum de quavis incipiente febre præfari visum est.

Nunc autem quod vacuationis genus,

CAPUT VI.

Ephemerarum febrium causæ, indicia, & curationes.

Galen. 8. Math. c. 1. Et 2. de cris. c. ult. 1. ad Glauc. c. 2. 3.

FEbris, quæ evidentium causarum vi derepente purum beneque habitum corpus, etiam ab horrore, invaserit, *ephemera putetur*. Non enim evidentes illæ & progressæ causæ putridam repente ingenerant, nisi quum vitiosa subest corporis præparatio. Licet autem per ephemeram spiritus soli incendantur, humoresque puri ac boni duntaxat incalescant, agitati tamen horrores acrimonia sua sæpe excitant, febremque sudore solvunt. Itaque si calor halituosus, & citra acrimoniam vehementius increvit, corporisque exolutio quædam existit, pulsus celerior, frequentior, ac vehementior citra inæqualitatem, (quæ putredinis index esse solet;) si urina nec colore, nec substantia, nec contentis à naturali differt, & evidentium causarum insueta vis præcessit, nec ante ulla erat functionum querimonia: quę ita repente orta fuerit febris, ephemera conjicienda est.

Ephemera quomodo cognoscatur.

Quodnam de eo habendum judicium.

Ea autem cognitu difficilis, sed curatu perfacilis, ac nisi in pestilentium sit numero, toto genere salutaris est, ac fere solet die naturali finiri, sensimque mitescente calore decedere, interdum manifesto sudore, interdum perspiratione sola: quanquam dum vehementior fuit occasio, in secundum tertiumve diem nonnunquam exporrigitur.

Quomodo curetur quiete,

Una quidem *curandæ* omnis *ephemeræ communis ratio* est. Etenim spiritus & humores perciti atque concitati, tum animi tranquillitate, tum *quiete* corporis atque somno compescendi sunt: in idque tumultus omnis & motus, nimiusque luminis splendor arcendus est: ac nisi necessitas (ut quum ab inedia aut inanitione fit) postulet, sine cibo continendus æger est, dum sese calor remittat.

Cibo,

Cibus autem tum conveniens erit hordei cremor, aut jusculum è gallinaceis, aut ex vitulina hœdinave carne, in quo lactuca, oxalis, buglossum & portulaca incoxerint: A panis quoque ex eo jusculo coctus, & ipsarum carnium nonnihil oxalidis vel citrii mali succo vel omphacio intinctum: ova insuper sorbilia, eorumque præsertim vitelli: fructus etiam passi, aut dulces, aut aciduli.

Potu?

Potus vero vel aqua simplex, eaque frigida, si nulla suspecta est viscerum imbecillitas, aut certe jam prius fervefacta; vel ea in qua hordeum incoxerit, vel glycyrrhiza macerata, aut solutum saccharum sit, vel vinum album tenue & oligophorum aqua multa dilutum.

Quomodo occurratur siti?

Sitis vero, quæ per febrls æstum vehementius excruciat, lenienda est syrupo violato aut jujubino, aut adiantino, aut julepo B rosato; aut (quia dulces molesti sunt) succus limonum, aut punicorum his affundetur; propinabunturque ex aquę quadruplo aut sextuplo.

Quid in declinatione faciendum?

Inclinante jam ea dulcis aquæ balneum confert, nisi aut putredinis, aut destillationis fluxionisque suspicio sit. Quinetiam si compactior alvus negocium facessit, hanc opportune molli clystere ducere nihil noceat. Plenior autem vacuatio raro arte tentanda est, quod integra sponte sanatio succedat.

Hæc igitur habenda est omnium ephemerarum communis curatio.

Quid præterea faciendum in ephemera.

C Cęterum, ut earum varię ex evidentium causarum numero statuuntur species, quæ & diversa symptomata proferunt, ita & his leniendis peculiaria quædam aptantur remedia.

Ab æstu

Ephemera, quæ ab *æstuoso* aëre, aut à solis ardore, aut à balneis, aut ab æstuario inducta sit, raro sine capitis est dolore. hunc vero lenire oportet oxyrrhodino simplici, vel eo cui olei nympheæ vel papaveris, vel unguenti populei quiddam sit admistum, aut etiam oxycrato simplici, vel eo quod ex aquis stillaticiis rosarum, plantaginis, solani, atque betonicæ & aceti sextan-

te comparatum sit. His non modo frontem & tempora, sed & sinciput quoque irrigare liceat, modo tepidis, modo frigidis.

Contrariis ex causis ephemera quoque interdum succenditur, ut quum æstuans concalfactumque corpus derepente in frigidiorem aërem se confert, qui *cutem denset* atq; constipet, nec concalefactos humores expirare sinat: aut quum in balneum frigidum aut aluminosum descendit: quod minime contingeret, si pariter interiora, ut per brumam iter facientibus, frigerent. Per hanc igitur frictione molli, aut unctione laxanda cutis est, vel sudoris promotione, vel balneo calido: quod si horror in balneo percipiatur, confestim egrediendum; conceptam enim jam esse putredinem testatur, alioqui si diutius cutis constipetur, metuenda putrida erit.

Constrictione cutis,

Motu,

Ephemera, *ex motu*, ex peregrinatione, aut labore immodico generata, lassitudinem artuum musculorumque dolores exhibet: quos vel leni ac molli frictione, vel unctione ex oleo dulci ac tenui, ut violato, aut chamæmelino, aut liliaceo, demulcere juvat, quumque jam febris inclinare cœperit, sudor fomentis blande provocetur, aut etiam dulci balneo: cui peculiare id ac proprium est ejusmodi lassitudinis dolores finire.

Dolore,

Eadem fere sit ratio, si ephemeram vehemens dentium cruciatus, aut colicus nephriticusve *dolor* excitarit.

Animi affectibus,

Neque admodum dissimilis est ratio si eam vehementiores *animi perturbationes*, ut ira, excandescentia, protulerunt: summa quippe animi tranquillitas & hilaritas imperanda, bilisque fervor frenandus est victu protuque refrigerante, & vini abstinentia.

Curis,

Quæ ex vigiliis, ex literarum studio, ex multa meditatione, ex *curis*, ex mœrore, aut ex tristitia processerit, ignavior quidem existit ac minus fervida, pulsuque languidiore & contractiore. Atque ut ex iis causis rarior est ephemera, ita quæ fortasse inciderit, proprios fere limites excedit, & causis perseverantibus in diuturnam lentam plerumque abit, quæ marcorem accersit. Per hanc omni studio exhilarandus est animus, spiritus excitandi, cardiacis cor fovendum, atque muniendum ephitemate odorato: somno farciendus est spiritus dissi-A patus, & cibi bonitate odorato tenuique vino moderate reparandus humor benignus, qui exhaustus fuerat, & corpus balneo sine sudore humectandum.

Inanitione.

Simili prope ratione curari ea postulat, quam forte *inanitio* immoderata induxit, sive ex inedia aut siti intolerabili, sive ex vacuatione spontanea, aut medicamenti vi facta. Raro tamen aut exinanitio, aut inedia febrem infert: hæc enim præcipue humores compescit atque spiritus, non autem excitat aut impellit, corpusque sæpius refrigerat. Si enim bilem ab hac accendi contingat, putrida quam ephemera potius metuenda: quæ ne succedat, refrigerans humectansque cibus, etiam invadente ea, multoque magis inclinata, conceditur.

Repletione,

B At vero *repletio* immodica, tum quæ ex cohibitis naturæ excrementis, tum quæ ex pleniore aut calidiore alimento proficiscitur, frequens est febris gignendæ causa, principio quidem ephemeræ, deinde etiam putridæ, si quidem invalescat aut diutius ea persistat. Primum enim suppressorum excrementorum vapore spiritus humoresque inquinantur & incalescunt: caput dolore tentatur, & eorum mole oppressum corpus ingravescit, quæ peculiaria huic febri symptomata sunt. Præter cætera igitur confestim naturalis consuetaque omnis vacuatio est moliendas: adstrictior alvus clystere solicitanda: urina parcior diureticis movenda: sudores præter naturam cohibiti ciendi sunt diaphoreticis: hæmorrhoides, aut menses, qui præter consuetudi-C nem subsistunt, proritandi sunt: quemadmodum & vetus fistulosumque ulcus, è quo consueta sanies jamdiu non emanarit. Hujus quidem ephemeræ facilis est in putridam transitus. Itaque si causis perseverantibus ea longius excurrat, & ex impuritate impendeat suspectave sit putredo, purgatione quidem aut accommodata venæ sectione arceri poterit, si plethora jam gravis evaserit.

Fluxu humoris.

Ea enim ephemera, quæ ex subita frigidiusculi *humoris fluxione* in inguina, aut in alas, aut in aliam corporis sedem obtigerit, purgationem postulat: quemadmodum & venæ sectionem quæ ex tenui fervidique sanguinis irruptione in crura, in aliasve sedes, erysipelatis specie cum horrore invaserit:

ferit: & quæ ex pruritu, ex furunculis, aut A ex abſceſſu externo. Nam interior omnis putridam parit.

Nimio cibo, Jam vero immodica *alimenti* ejuſque optimi repletio, quod ægre dometur atque coquatur, cruditatemque pariat, diariæ plerumque fit occaſio: multo autem magis, ſi ex acriori calidioreque alimento fuerit, ut ex immodico generoſi vini potu, ex ſinapis, naſturtii, ceparum, alliorum, & aromatum eſu. Sub hac ventriculus diſtenditur, ac plerumque dolet, caput vapore impletur, tempora pulſant, corpus ignavum, grave, & inquietum exiſtit. Quocirca præter quietem & refrigerationem, quæ omnium communis eſt, inedia atque cibi parcitas apprime eſt utilis. Potus tamen, ſi implacabilis ſitis eſt, permittendus. Vomitio, aut etiam alvi ſubductio accommoda, ſi malum crudelius increvit. Imo etiam ſi cruditas nondum evicta calore, putredinis nidorem quendam induxiſſe videatur, purgatio accedat ex pulvere hieræ, aut rheobarbaro, aut ex ſenna, aut ex catholico, eaque ſic apte comparata, ut ventriculum primaſque ſedes exquiſite purget.

Præſertim horariis. Multo autem magis hæc neceſſaria fuerit, ſi ex immodico & intempeſtivo *fugacium fructuum*, ut perſicorum, malorum, chryſomelorum, fragorum, mororum, peponum, melonum, cucumerum, uvarum, lactis & omnium quæ prompte corrumpuntur, eſu oborta ſit. Etenim corruptio, C ſi diutius in ventriculo primiſve ſedibus reſedit, aut ſi hinc in jecur venaſque majores penetret, cum ſpiritu humores ſanguinemque contaminans, putridam febrem accendet. Quocirca, expurganda eſt protinus: etiamſi portio ejus vomitione, aut alvi dejectione ſponte proruperit: quandoquidem ſolus corruptionis nidor derelictus, putridæ febris initium plerumque fuit. Ab his deinde concoctio juvanda electario diarrhodon, vel aromatico roſato, vel cortice citri condito, vel myrobalano, vel nuce moſchata condita, vel condito ex his concinnato. Firmandus quoque ventriculus oleo maſtichino, nardino, menthæ, vel abſynthii, idque dum concoctionis bonitas exiſtat.

Poſteriora hæc ephemeræ genera, ſi vel cauſarum magnitudine invaleſcant, vel negligentius curentur, quod aliqua intus materia foveantur, *in putridarum ſpecies deſciſcunt.* Id autem certo & circumſpectius ex inclinatione prævidendum. Si longa atque difficilis eſt diariæ inclinatio, quam neque ſudor neque mador excipiat, aut ſi à ſudore frequens adhuc pulſus inæqualitatem nanciſcitur, aut capitis dolor, aut ſitis, aut inappetentia, aut aliud ſymptoma perſiſtit, neque biduo triduove pura ſequitur integritas, metuenda certe in putridam permutatio. *Quomodo prævidendus tranſitus in putridam?*

Hoc tandem loco minime prætereundum duxi, febres quaſdam tum aſſiduas, B tum intermittentes, artis uſu notari quodammodo *ancipitis*, & quas *neque in ephemeras, neque* in ullum *putridarum genus* certo referre poſſis. Quædam enim ultra diem tertium excurrunt, ac eodem interdum die ſæpius exaſperantur, idque aut dum cibus conficitur, aut ſub veſperam, nullam intermiſſionem puram ſortitę: blandę quidem, & quibus laborans vix ſe teneri putet: pulſus tamen celeritate ac frequentia, laſſitudine, corporis gravitate, aut exolutione, interdum etiam gravioribus ſymptomatis conſpicuæ. Quædam vero ad puram intermiſſionem deductæ ſine horroris ſenſu, leviter, ut dixi, aut dum concoctio fit, aut ſub veſperam, aut quavis occaſione recrudeſcunt. *Febres inter Ephemeram putridamque ancipites.*

Ejus generis nonnullæ *à vehementiore pruritu*, à ſcabie, à furunculis, ab externis abſceſſibus, & ab acri deſtillatione fiunt. Nonnullæ etiam à cruditate indomita, vel à bile citra putredinem efferveſcente, vel à ſemimala humorum qualitate, quæ aut primam, aut alias corporis regiones obſideat: hæc enim vitioſa illorum qualitas media quædam via eſt ad putredinem, in qua plerunque affectio ſubſiſtit. *A quibus cauſis orian.*

Quocirca ejus generis febres omnes, aut tenui refrigeranteqûe victu *ſuſtuli*, ſub quo natura qualitatis vitium ſola emendaret: ſi victus parum profuit, huic inſuper aut venæ ſectionem, aut purgationem accommodavi, quibus brevi eſt ſolutio ſecuta. *Quomodo curentur?*

CAPUT VII.

Febrium intermittentium causæ & indicia.

Gal. 2. de diff. feb. cap. 3. Aëtius lib. 6. c. 20. & seq Avicenna lib. 8. f. 2. t. 1.

Cura intermittentium noua incunda est.

PUtridarum *febrium curationem* non apud *veteres* modo sed & apud *juniores* plerosque *ancipitem* parumque tutam efficit causarum affectarumque partium ignoratio. Neque enim humorum qui peccant recta est habita internotio, neque locorum in quibus illi computrescunt. Etenim bilem, verbi gratia, unam eademque male statuunt tertianæ intermittentis, & continuæ, atque etiam causi materiam, illique sedem perperam designant. Quocirca, posthabitis eorum sententiis, traditas olim per demonstrationem hac de re hypotheses secuti, earum curationem trademus, non contemplatione solum, verumetiam usu longo & observatione comprobatam, idque veritate magis, quam aliorum testimonio & authoritate.

Quomodo ea deprehendantur?

Si quem *horror aut rigor adoritur*, qui ab extremarum partium refrigeratione sensim auctus corpus vehementer concutiat: hinc deinde calor acer atque siccus cum pulsu celeri, crebro, & inæquali excipiat, qui summo accessionis vigore in sitim inexhaustam, capitisque dolorem pungentem, & æstuantem cordis dolorem, atque irrequietam corporis totius jactationem deducat, nec supra horas duodecim productus, copioso eoque calido & acri sudore solutus integre solvatur ac desinat, ut in intermissione nihil quicquam symptomatum supersit, exquisita tertiana expectari potest: si præsertim laborantis natura & ætas, anni C tempus cœlique status in id conspirent. Hanc vero proximus circuitus, sive status sit, sive anticipet, sive cunctetur, confirmabit.

Quam causam,

Proxima continensque ejus causa bilis est supervacua, citrina quidem, aut etiam prasina, eaque syncerior, nec frigido humore permista, non exuperans modo vel nimium exæstuans, verumetiam putrescens, idque aut in propria cysti, aut circum cava jecoris, aut in pancreate, aut in vicinis sedibus. In iis quidem ea neque concrevit, A neque obduruit, neque impacta ulli parti tenacius adhærescit, ut tumorem ullum pariat in visceribus, sed tenuis libere diffluit. Quocirca nisi obstructione coercita fuerit, accessionis impetu excuti solet, aut prorumpere vomitione, dejectione, mictione, & sudore.

Gal. 2. de Cris. c. 3.

Quem motum habeant,

Hinc tertiana exquisita *brevis* existit, nec ultra septimum circuitum producitur. Tanto autem brevior est, quo aut parcior materia subest, aut expeditior ejus eruptio: quibus vero non ita sensim per circuitus ea prorumpit, plenior sub finem, & in ipsa totius declinatione quasi decretoria vacuatio expectanda est, quæ omnino tutam illius solutionem facit. Accessiones ab ortu in- B valescunt ad quartam, quæ tum longitudine, tum magnitudine & acrimonia omnium esse solet vehementissima: quæ deinceps sunt, inclinant ad septimam. Si qua citius mitescit, ante septimam solvitur: si tardius, longius excurrit. Itaque accessione quarta status est & summus morbi vigor, reliquo deinceps tempore declinatio.

Quam solutionem.

Hæc raro repentina *crisi* ut continua sæpius lente solvitur.

Vrina quæ concoctionis exhibeat indicia.

Vrina interdum toto progressu pura, & cum sedimento deprehenditur, quum scilicet bilis non admodum prosilit in venas: quum autem eo fertur, summe turbida est, accessione quarta, exinde vero inclarescit, sedimentumque deponit: tum enim minus bile perfunditur, minusque sunt impeditæ functiones nativi caloris. Itaque *concoctionis indicia* non in incremento, aut in statu intermittentium febrium, quemadmodum continuarum, sed fere in declinatione visuntur, cum peccantis materia pars magna jam est exhausta. Neque tamen ea noxiæ materiæ, sed cibi cocti indicia sunt: neque præterea bilis supervacua, quæ putrescens intermittentium est materia, concoctionem similiter admittit atque putredo, quæ in majoribus conclusa venis continuam febrem profert.

Caput VIII.

Continuarum febrium judicium, quæ terminantur Criſi.

Gal. 2. de Criſibus cap. 9. 11. Et Aëtius Avicenna cit. loc.

Continuæ febres tertia hebdomada criſi judicantur.

Continuam febrem ſecunda, aut (quod tardiſſimum eſt) *tertia hebdomada decretorie ſolvit*. Sive enim ſynochus ea ſit, ſive continua concluſa, ſi primaria eſt, putredinis materiam habet in venis coërcitam majoribus, quæ inter alas & inguina excurrunt: quumque nulli viſceri, nulli parti affixa ea ſit, ſed in venarum capacitate cum ſanguine ejuſque ſero fluctuet, ſatis hoc temporis curriculo ſolet à natura domari atque concoqui, & nuſquam hærens excludi foraſque depelli: id autem decretoria eſt ſolutio illius.

Aut in alium morbum commutantur.

Quæ etiam febris *commutatione ſolvitur*, quoniam hæc imperfecta quædam criſis eſt, qua non omnino natura poteſt materiam excludere, ſed ſubſiſtit ea aut in aliquo viſcere, aut in adenibus, aut in alia parte corporis, in qua morbum novum progignit: ea inquam commutatio, quia criſis quędam eſt, tertia ſaltem hebdomada fit.

Aut vehementiam remittunt & ſenſim ſolvuntur,

Quæ vero non repente criſi, nec excretione, nec commutatione, velut abſceſſu, ſolvitur, ea tamen vel decimo quarto die, vel vigeſimo ſummum fervorem *ſummamque ſymptomatum ſævitiam deponit*, idque nulla, vel imperfecta excretione, ac deinde quaſi ſpeciem genuſque mutet, lento progreſſu & dierum numero *ſenſim paulatimque deſinit*. Longa hujus eſt inclinatio, diciturque concoctione paulatim ſolvi. Etenim vitioſus humor, qui ſanguini permiſcetur in venis, ac etiam ſanguis totus venarum ſi vitioſus fuerit, diebus viginti aut triginta totus abſumi ſolet, ac fere totus renovari, ſi modo purius ſufficitur alimentum, nec jecoris viſcerumque impuritas, aut vitioſa quædam eam conſtitutio obſiſtit.

Quod niſi fiat, ſymptomatica ſunt.

Gal. 3. de Criſ. c. 3.

Si quam igitur febre & contingat ſupra diem vigeſimum pari, aut etiam majore acrimonia & magnitudine exporrigi, hanc tu *ſymptomaticam cenſeto*: atque eam vel interiore phlegmone & abſceſſu, vel ex putredine viſceri alicui impacta profectam.

Optimum autem judicium criſi eſt.

Solutio autem, quæ perfecta fit *criſi*, *inprimis optanda*, ut quæ depulſa morbi materia omni, nihilque reliquum faciens, ſummam quietem & integram valetudinem reſtituat. Quæ vero ſenſim ac paulatim fit, ut maxime faſtidioſa eſt prolixitate, ita & minime tuta, & ſæpe cum metu recidivæ. Atque ſi quidem ipſa declinatione (quia adhuc impurum eſt corpus) æger quicquam committat, facile relabitur.

Non ſudore,

Putridæ porro febris continuæ criſis nulla fit perfecta *ſudore*: quanquam enim ſudor decretorio die (ex Hippocrates ſententia) confert, atque, diſſipata tenui quadam humoris portione, febris fervorem lenit, & impetum ſedat, non tamen poteſt craſſiorem eam putreſcentem materiam educere, quæ febris eſt fomes.

Non hæmorrhagia.

Sanguis quoque ſeu ex naribus, ſeu ex hæmorrhoidibus, ſeu ex utero profluens die critico, licet ſynochum ſolvat, neque tamen cauſum, neque continuam terminare poteſt: neque harum perfectam, atque tutam criſim feciſſe deprehenditur, quod exiguam duntaxat impuritatis portionem cum majore portione utilioris ſanguinis magna virium jactura educat.

Non abſceſſu,

Abſceſſus unus, ut parotis aut bubo, nequit univerſam febrem excutere. At ſi vel plures ſparſim erumpant, vel undique in articulos artuſve confluentes tumores excitent, febrem quidem ſoluere poſſunt; at certe difficultate non modica quod exorti dolores non parum excrucient, eoſque fere lenta quædam febris comitatur, ac tum febris non critice, nec ſolutione, ſed commutatione potius terminatur.

Sed alvi excretione.

Una igitur *alvi ſpontanea ſolutio* atque perturbatio continuam febrem tuto ac perfecte judicat. Ea quippe ſola poteſt putridam febris materiam perfecta jam concoctione apparatam prorſus excludere, atque viſcera & majores venas, ſordida illuvie obſeſſas, citra virium & naturæ jacturam & offenſionem expedire.

Aut vomitione in intermittentibus, non continuis.

Vomitio intermittentes febres plerumque judicat, continuas vero non item. Licet enim vetriculus & circumpoſita, vomitione ſeſe

sese facile exonerent; majores tamen venæ dejectione potius per eas venas quæ è jecore in intestina contendunt expurgantur.

Perspecta igitur febris specie cognitum hinc esse potest, qua ratione ea, si salutaris sit, secundum naturam facile, utiliter, perfecte, ac tuto judicari & decretorie solvi debeat.

Nunc autem exponendum, quo pacto ea toto morbi progressu debeat à natura dirigi, ut ad hanc convenientem & perfectam crisim perveniat. Primum autem in exquisitis typis exercitari unumquenque velim.

Gal. ibid. cap. 4

Continua quæ 14. die judicetur.

Continua febris quæ ex sua magnitudine, impetu, & more, primis diebus cognoscetur, *judicanda decimoquarto die*, si exquisitam motus & progressionis formam servat. Primum quidem repente invadit, & certam atque manifestam habet invasionis horam. Quæ enim repente invaserit, repente quoque (nisi aliunde quippiam obstet) solvetur: quæ vero clam, obscure, & longa præcedente lassitudine vel inæqualitate invadens nullum manifestum ortus sui initium habuerit, nec repente nec crisi ulla solvi potest: par enim exitus atque ortus est ratio. Rursum quæ nullius evidentis causæ vi, sed in corporis animique quiete summa, ut sub noctis & somni finem suscitatur, gravior ac multo periculosior est, quam quæ prægressæ causæ impulsu, & post diei æstum atque laborem obtingit: omnem enim ortus sui causam intus habet in corpore.

Quem inter ea motum habeat.

Febris igitur cujus formam & *progressum explico*, sive ab aliqua, sive à nulla evidente causa processit, repente prehendit, certumque habet ortus sui initium: hocque modo blandum est ac mite, modo acre ac vehemens. Sensim hæc increscit ad diem septimum, licet non pari semper impetu laborantem exerceat. Urinas exhibet interdum biduo (quum nondum putredo invaluit) sanis non admodum dissimiles, sed quæ postea, augescente putredine, crassescunt, rubent atque confusæ sunt. Interdum etiam statim initio crassæ, rubicundæ & confusæ, mox dein obscuræ coctæ existunt, talesque fere in diem septimum permanent.

Usque ad diem septimum.

Undecimum

Septimo die gravior quędam fit morbi per- A turbatio, quam vel sudor, vel spontanea alvi biliosa dejectio excipit: quemadmodum salutaris est, & pollicetur perfectam crisim posthac futuram. Sedata diei septimi perturbatione urinæ manifestam coctionem exhibent: estque tum vere morbi incrementum, licet ab ea perturbatione sæpe tanquam ex imperfecta crisi symptomata mitescunt: æger enim plurimum levatur, atque interdum sine febre existit. *At iis, quæ ex ratione non levant, confidendum non est*, inquit *Hippocrates*. Urinarum concoctio nonnunquam persistit, nonnunquam intermittit: ac deinde redit atque relucet.

2 Aph. 52.

Undecimo autem *die* febris aut redit, aut invalescit: isque summus est morbi vigor, B qui fere permanet in diem quartum decimum. Hoc die, atque interdum decimotertio, febris vehementius excandescit cum signis perfectæ concoctionis, nempe cum hypostasi alba, levi, & æquali: quumque ea excandescentia & exacerbatio inclinat, febris repente solvitur ac definit, idque suborta dejectione biliosa & copiosa, quæ in diem unum aut etiam in alterum perseverat.

Decimum quartum.

Ab hac igitur *perturbatione* & copiosa alvi dejectione æger necessario imbecillior evadit: at nihilominus si perfecta crisis ea fuit, febris nulla prorsus manet, nullus capitis dolor, nullum denique febris symptoma. sed summa inest corporis tranquillitas: plerisq; tamen sudor præsertim dormientibus emanat, quæ omnium est evacuatio- C num postrema. Hæc quidem perfecta est & repentina morbi sanatio, cujus brevis est admodum declinatio, tum solum durans, quum alvus solutior noxiam materiam excludit.

Et inde si perfecta crisis.

Si *non* omnino *perfecta crisis fuit*, cohibita aut subsistente alvi dejectione, febris etiamnum aliquanta manet, quam & symptomata levia comitantur: sed non multo post omnia definunt, ac tum morbi inclinatio prolixior est atque manifestior, in qua & plures sudores erumpunt.

Si non perfecta.

Si (quod rarius est) acutior *febris septimo die solvenda* est decretorie, ea primo statim die hominem vehementius adoritur, urinasque rubras, crassas, atque confusas promit: quarto vero die concoctionem quandam sed quiete manifestiorem exhibet; nulla-

Quem motum habeat die septimo solvenda.

nullaque aut certe leviſſima atque minima remiſſione in diem ſeptimum perſeverans, tum magna admodum perturbatione concutiens, repentina quoque alvi dejectione criſim habet, eamque modo perfectam, modo imperfectam.

Vndecimo, Quæ *undecimo die ſolvitur*, omnia quadam mediocritate habet, & rarior eſt ea ſolutio.

Vigeſimo. Quæ vero *vigeſimo die*, aut vigeſimo primo criſim eſt acceptura, fere languidior initio exiſtit, dieque ſeptimo ſummam cruditatem habet, quæ in undecimum ac ſæpe in decimum quartum perſeverat, ac tum fere primum apparente concoctione miteſcit, idque interdum vacuatione quadam imperfecta, interdum etiam nulla. Raro enim fit ut in diem viceſimum ſumma illius ſævitia perduret: quumque ſeſe illa remiſerit, vigeſimo tamen appetente, excandeſcit, & perturbatione ſuborta, alvi tandem eruptione biliosa ſolvitur, quæ in plures ſæpe dies continuat.

Hoc morbi decurſu concoctionis judicia & vehementia ſymptomatum non coincidunt, 2 Aph. 30. Hic autem obiter animadvertendum, febris atque ſymptomatum ſævitiam, quum primum ſigna concoctionis apparent, ſæpius miteſcere: neque uſu obſervavimus, in ipſo ſtatu concoctionis omnia eſſe graviſſima, *neque* (quod dixit *Hippocrates*) *omnia cum incipiunt & finiunt leviora eſſe, cum conſiſtunt, graviora*. Raro enim fit, ut tempora concoctionis prorſus reſpondeant & conſentiant ſymptomatum temporibus. Id autem idcirco contingit, quod non parum materiæ morbi vacuatione ſubtraximus ante concoctionem, qua ſubtracta tum febris, tum ſymptomata ejus miteſcunt. Fortaſſe autem Hippocrates omnia cenſuit in ſtatu fieri graviſſima, quum curatio tota naturæ committitur, univerſaque morbi materia conſervatur in extremam criſim. Tum quippe ratione optima & criſis ipſa vehementi perturbatione fit, & ſtatus quoque criſim præcedens vehemens exiſtit.

Quoniam autem vehementi huic perturbationi & criſi periculum non deeſt, præſtat certe, multo ante tempore nonnihil materiæ morbi demere, ut omnia deinceps tranquilliora & tutiora ſuccedant. Atque licet & venæ ſectione & medicamentis purgantibus multum ſit illius materiæ ante judicationem detractum, natura nihilominus motus ſuos ſtatis temporibus obſervans, concoctionem ac tandem decretorio die criſim molitur ac perficit, ſed tamen perturbatione minore. Id igitur in morbis ſalutaribus efficit artis curatio, ut & breviores illi evadant, & ſecuriore tranquillitate ſolvantur. Nonnunquam etiam leviter exitiales ſalutares reddit. *Nec id optari debet.*

Hæ formulæ ſunt continuarum febrium, quæ perfecta criſi terminantur ad ſalutem.

CAPUT IX.

Febrium continuarum judicium, quæ terminantur ſolutione aut commutatione.

Aëtius & Avicenna cit. loco. *Quæ febris criſi non terminetur,* Continua vero febris, *ſi criſim habitura non eſt*, vix initio poteſt internoſci; at in progreſſu, præſertim quum jam concoctionis ſigna apparebunt. hinc autem dignoſcitur, quod neque vomitio, neque alvi dejectio biliosa ulla ſponte fit, nec facile ſudore corpus diffluit, nec facilis eſt aut libera ſatis medicamentorum purgatio: ſed quaſi præcluſis omnibus vacuandi viis, aut humore contumaciore exiſtente, nullam natura vacuationem ſponte molitur. Raro quippe perfectam criſim natura efficit, quam non ante ſpontanea quadam vacuatione præmonſtraverit. Contra, quum viis omnibus expeditis ac liberis humores purganti medicamento facile obtemperant, & nonunquam, præſertim diebus judicibus aut decretoriis, aut vomitiones, aut dejectiones bilioſæ ſponte prodeunt, facile laborantis tolerantia futura criſis ſperari poteſt.

Sed ſolutione? Continua igitur febris, quæ jam apparente concoctione ſalutaris ſperatur, ſi nulla vacuatione ſpontanea impetum fecerit, ſenſim atque paulatim *concoctione atque digeſtione ſolvetur*.

Quo motu? Licet autem nullas ſponte vacuationes exhibeat, ſingulis tamen *criticis diebus* exacerbationem impetus habet, quibus victricis naturæ molitionem oſtendis: quumque vel

vel septimo, vel quarto decimo, vel vigesimo die, perfectæ concoctionis signis apqarenribus, summum vigoris impetum fecerit, reliquo deinceps tempore sese remittit, ac perseverante concoctione sensim decedit, dum prorsus desinat, nulla vacuatione suborta Hoc autem tempus totius est morbi declinatio, quæ longa plane, ac interdum toto morbo diuturnior, obtingit.

Eam facile recidivam admittere. Quæ nulla vacuatione, sed sensim concoctione solvitur, facile *minimoque errore redit*. Ab hac enim corpus non æque purum, atque à perfecta crisi manet: quumque pristinæ qualitatis nonnihil etiamnum retineat, si quid vel alimentorum copia & qualitate, vel labore, vel vigiliis peccatur, ex veteri fermento nova putredo excitatur, facilisque in pristinum morbum relapsus. Corpore vero per crisim exquisite purgato, nihil efficere potest externarum evidentiumque causarum injuria.

Quæ febris commutatione terminetur? Est porro tertia febrium solutio, quæ *commutatione fit* Nonnunquam enim continua in tertianam, nonnunquam (idque sæpius autumno) in quartanam degenerat. Id autem accidit, quum crassior est venarum materia, quam ut in alvum prorsus extirpari possit: aut quum magna viscerum obstructio ac densitas obsistit, ne morbi materia devolvatur in alvum. Ab his quippe causis peccans febris materia, vincentis naturæ robore à venis excussa, nec excidere potens in alvum, hæret ac subsistit in mediis visceribus, illicque fixa & obhærens, servansque putredinem ex loci, id est, præcordiorum natura atque conditione, *intermittentem facit*, quæ præsertim materiæ situ à continua differt.

In intermittentem. In abscessum. Sic propemodum nonnunquam natura, materiam noxiam è venis in summum corpus expellens, dolores articularios infert pro solutione, quam crisi tentat & molitur, nec tamen perficere potest. Sic & *abscessus* & bubones interdum sub febris finem erumpere videmus.

Quarum febrium materia turgeat? De iis porro febribus, quarum *materia turgere* dicitur, quos impetus faciant, æstimandum, ut intelligatur quis earum tandem sit exitus futurus. Causa quę hunc illarum impetum facit, non simplex est putredo, sed peculiaris quædam humoris mali-A gnitas, aut ex acrimonia vehementiore, aut ex venenata qualitate profecta, ob quam ita impulsus humor nullo potest loco subsistere, sed in venis majoribus licet conclusus, huc tamen illucque, quasi æstuans ut mare, effertur, ac plerumque è venis in nobilem aliquam partem erumpit.

Quomodo ea cognoscantur? *Noscitur* autem *materia turgere*, quod in ea febre, licet nec dolor ullus, nec calor atrocius urgeat, magna tamen percipitur corporis perturbatio, magnaque inquietudo atque jactatio. Dolores quibusdam modo in hanc, modo in illam partem insiliunt: quumque materia sese aliquo infixit, sæviora symptomata emergunt. Itaque alios summa spirandi difficultas obsessis pulmonibus premit, cum suffocandi periculo: alios syncope repentina, aut periculosa aniB mi defectio: quam interdum vidi supra horas 24 sine ullo pulsu perseverare citra exitium: alios cruenta expuitio, apertis magna vi qulmonum venis: alios delirium quum cerebri arcem humor invasit: ac deinde ejus impetu & ardore sedato cataphora: nonnunquam in externas quoque partes prosilit summo dolore, tanquam sit abscessus futurus, & erupturus modo in alas & inguina, modo in latus, idque cum tussi, cum spiritu difficili, & cum expuitione cruenta, quasi vera pleuritis esset.

Quam incertum sit de iis judicium. 2 Aph. 19. Hinc igitur fit, ut *acutorum morborum*, quorum præsertim materia turget, *prorsus* (ut inquit *Hippocaates*) *incerta sit prædictio*. Ancipites enim ii fere sunt, & inopinata quoque eorum symptomata, idque ob turgenC tis materiæ impetum: neque si jam concoctio appareat, certa salus esse debet. Quæ per has febres ex humoris impetu emergunt, ut laterum dolores, sanguinis vomitiones & expuitiones, exanthemata purpurea, bubones, parotides, animi defectiones, aut syncope, pro crisi perfecta censeri minime debent: licet enim ipsum humoris furorem atq; malignitatem interdum finiant, reliquam tamen putredinem, quæ præcipua est febris causa, non eximunt; sed huic necessaria eo alia major, eaque universalis, vacuatio, quæ totius febris judicatio fit: parotidas igitur, vel delirium, vel cataphoram, at nõ ipsam febrem universum solvit.

Hactenus omnem rationem atque formam expressi, qua continuæ febres salutares progrediuntur, & qua

qua etiam aut repente crisi, aut sensim concoctione A *solvantur, sive earum materia turgeat, sive non turgeat.*

Nunc de exitialibus dicendum, quis earum progressus, & quis exitus sit: idem quoque de pestilentibus.

Caput X.

Iudicium febrium continuarum exitialium & pestilentium.

Gal. 3. de Cris. c. 50. Aëtius & Avicenna cit. loc.

Initio febrium, earum exitus ambiguus est,

Exitialis eadem plerumque ac salutaris A febris exordia sunt, nec sævitiæ ejus, nec symptomatum vis aut ratio diversa: at progressu uniuscujusque genus dignoscitur. Alias enim statim ea dum incipit vehementer conturbat, talisque persistit: alias à levioribus orta initiis sensim invalescit, dum summam vehementiam, aut malignitatem nacta prorsus jugulet. Atque alterutrum etiam incipiente salutari febre deprehenditur, raroque primis diebus exitialia signa existunt. Quocirca *initio nihil de morbi exitu cito pronunciandum*, sed omnia adhuc in ancipiti versari.

Crudis adhuc urinis:

Atque licet nonnulla symptomata mitescant, ut hinc aliquid melius sperari possit, quamdiu tamen confusæ, aut *crudæ* apparent *urinæ*, spes semper dubia est & incerta, atque inter spem metumque versatur æger, præsertim si acuta febris & anceps est. Nonnunquam enim in levioribus cum cruditate (quemadmodum in quibusdam tertianis) certa est salus.

Sed concocta urina, spes elucet salutis,

Si deinde quarto, septimo, aliove decretorio die aut circiter manifesta *elucet concoctio*, spes quoque elucet, si modo ea permaneat. Interrupta autem concoctio infida est. Perseverans vero atque in dies melior succedens concoctio, certæ salutis est nuncia: modo nec pestilens febris sit, nec malignitatis occultæ particeps.

Nisi in pestilentibus,

In pestilente simplici, urina nonnunquam in toto decursu concocta existit. In pestilente, quæ est conjuncta putridæ, licet quæ confusa & cruda fuerat urina, superata deinde putredine, coctionis notas exhibeat, permanens tamen cæca ejus malignitas plerumque hominem de medio tollit.

Et quandoque in putrida.

Nonnunquam etiam (licet admodum raro) *in putrida simplici*, quæ nullius erat malignitatis pestilentis particeps, notavi post urinas diu concoctas interitum nullo errore consequi. Urinis igitur non semper fidendum, nisi & undique meliora signa compareant, præsertim ex pulsu & virium robore.

Spes quoque solutionis, etiamsi diu crudæ maneant, & postea coquantur:

In acuta febre putrida, cui nulla malignitas comes sit, si *crudæ urinæ*, aut etiam obscure seu ex dimidio coctæ diutius perseverent, diemque decimumquartum excedant, si natura nullam procedente morbo utilem vacuationem per os, per alvum, aut sudores molitur, qua levari æger videatur, tota morbi materia intus ad undecimum vel decimumquartum diem, aut si vehementior febris est, ad septimum subsistente, tum quidem anceps adhuc morbus est: ac tum sive symptomata ingravescant, sive mitescant, *si concoctionis indicia* apparebunt, B salus quidem sperari potest, non crisi, sed lenta paulatinaque concoctione, cui sane diuturnitas comes est.

Contra, si nulla concoctio appareat.

Sin vero omni suppressa vacuatione naturali, *cruditas aut* etiam obscura concoctio *diutius perseveret* in urinis, *nec manifesta concoctio* in valde acuto septimo die, nec in mitiore decimoquarto appareat, formidabilis est: ac deinde sive symptomata ingravescant, sive mitescant, si perseverante cruditate, pulsus languidior, vox respiratioque difficilior evadit, & laboranti robur viresque concidunt, res ad exitium vergit: natura quippe morbi magnitudini succumbit. Quanto postea deteriora hæc omnia C fient, tanto propinquior exitus erit: ad hæcque attentus si diligenter æstimes quantum vires declinent, aut quantum sustinere morbum queant, æstimare quoque possis quando moriturus sit æger.

Ab initio tamen quoque exitiales cognoscuntur acuta,

Exitialis morbus interdum ipso statim *initio dignosci potest*, quum *summo* quodam *furore* incipiens vel corrupti humoris copia, vel malignitate, vires nativumque calorem premit ac fere obruit spiritu difficili, cum vomitione vel nausea, cum pulsu parvo ac celeri, cum magna corporis dissolutione, & cum urinis confusis. Quia ita statim dum incipit, tam sæva, & tam exitialia signa exhi-

exhibet, vix arte poteſt evinci. Licet enim vacuationes idoneæ tempeſtive decernantur, aut etiam ſponte contingant utiles, quibus noxii humoris portio quædam detrahatur, omnia tamen quæ dixi exitialia ſigna permanent, aut etiam deteriora fiunt, aut nova emergunt. Quum igitur procedente morbo ſic omnia progredi videbuntur, deplorata ſit omnino ſalus.

Lenta.

Exitialis alius eſt initio qui *lentius invadit* atque progreditur, nec multum diſtat ab eo qui ſimpliciter crudus eſt, atque is ſane anceps eſt; quia licet quædam præ ſe ferat lethalia ſigna, ea tamen emendari poſſunt: & qui ſic leviter exitialis eſt, arte poteſt ſalutaris reddi. Crudus morbus urinas habet, qualis fere exitialis: at lethalia ſigna non adſunt: hicque quamdiu crudus eſt, facile poteſt vel errore, vel negligentia in exitialem tranſire. Quorſum autem fiat mutatio procedente morbo, ex his quæ nunc dixi deprehendi poteſt.

Salutares.

Salutaris ſimpliciter *morbus* nec magnæ cruditatis, nec mortis notas habet: atque licet nulla artis ſubſidia opitulentur, aut levis quidam vivendi aut medendi error comittatur, ſponte ſua ſolvitur ad ſalutem.

CAPUT XI.

Curatio Febrium.

Gal. 1. ad Glauc. 9. Et 11. Method. c. 8. Aëtius loc. cit. c. 76.

Febris purgationem expoſtulat quam niſi natura, ars moliatur,

QUum per acceſſiones multæ bilis ſpontanea vacuatio contingit, febris ſine medicamento integre ſolvi poteſt. At quum ea aut nulla, aut parcior exiſtit, *medicatio adhibenda*, ne neglecta febris ſpeciem mutet, & deterior vel prolixior evadat.

Secundo morbi die.

Itaque ſtatim *die ſecunda*, cum jam acceſſione ſoluta, deterſoque ſudore laborans cibum ſumpſerit, & horæ circiter octo quietis intervenerint, medicamentum dato. Interdum etiam ſerius, ſi longa ſperatur intermiſſio futura, in qua ante proximam invaſionem totus compleri poteſt purgationis effectus. Quum enim præcipue impura ſit prima corporis regio, in qua & humor noxius fluctuat, neque (ut dixi) coarctatus ſit is, ſtatim initio ejus nonnihil tempeſtive expurgandum eſt, præſertim ſi vel oris amaror, vel cordis dolor, vel nauſea, vel inappetentia, vel ſtomachi præcordiorumque dolor, vel ſuffocatio acrius urget.

Niſi levis ſit, tum

Si vero hæc deſint, *nihilque ſollicitet* poſt circuitum ſecundum, differri medicamentum poteſt. At interim tamen *præparatio* quædam *adhibenda* in intermiſſione *clyſtere* molliente atque detergente, & *apozemate* quod leniter obſtructiones expediat, è radicibus cichorii, oxalidis, graminis, ex endivia, eupatorio, & adiantino, aut ex ſyrupo adiantino, vel è cichorio ſimplici: in acceſſionibus quoque ſyrupo acetoſo, vel è limonibus, vel oxyſaccharo.

præparandum corpus.

Qui dies ſi tranſierit, proxima occaſione.

Si tempeſtive purgandi occaſio quavis ex cauſa periit, *primo quoque tempore* accerſitus hanc decernito.

His medicamentis.

Conveniens autem ea *fuerit* ex manna, ex medulla caſſiæ, ex leniente electario, ex catholico: aut ſi quæ dixi ventriculi tædia deterſionem majorem poſtulent, ex diluto rheibarbari, vel ex ſennæ decocto jure, vel ex his apte permiſtis, ac tum laborantis naturæ & ætati, tum regioni & cœli conditioni, ea arte quam alio loco tradidi, accommodatis.

Non his.

† Hieram quidem etiam ſimplicem, quod humores maximeque bilem acrius incendat, febremque bilioſis non elota aloë ſuſcitet, *non admiſerim*: nec myrobalanos, quod

† MONTANUS.] *In conſiliis de febribus dicit ſe ſemper curaſſe omnem febrem, ab obſtructione, diuturno uſu rhei macerati in aq. Endivæ; ut;* ♃ *rhei electi* ʒij, *pro pueris* ʒj. *in Tabelas conſciſſ. Fiat puppa ex linteo raro quæ infundatur aquæ Endiviæ* ℔j. *doſis* ℥iiij. *quotidie mane puppa prius bene expreſſa.*

J. HEURNIUS. Pro Secreto remedio. In Febri Quotidiana.] ♃ *cineris cortic. ovorum propinatur cum aceto quod.*

LANSBERGIUS.] *Dicit ſibi compertiſſimum.*

PAWIUS.] *Dicit quendam ſulphur vitello ovi remixtum dediſſe in omni febre.*

quod tandem adſtrictione humores viaſque coarctent: qua ex cauſa rheumbarbarum ſine aperientibus & lenientibus pleriſque incommodum: nec præterea acriorum medicamentorum, quæ vel ſcammonio vel turpetho conſtant, lenibus iſtis quidquam permiſtum; niſi forte robuſtis qui ægre purgantur, aut hyeme rigidioreque cœlo.

Nec neceſſario prægreſſa præparatio,

Ad hanc quidem purgationem licet *præparatio* quædam (ut dixi) conducat, *minime* tamen eſt *neceſſaria*, ut neque concoctio ex urinis, quod è primis his ſedibus humor aut ſponte prorumpat, aut facile trahatur.†

Venæſectio exquiſitæ tertianæ incommoda,

Vena ſectio exquiſitæ tertianæ eſt *incommoda*, ut quæ utilem ac neceſſarium humorem detrahit relicto impuro ac noxio. Sub hac enim febre attenuatum corpus eſſe ſolet, paucique ſanguinis: bilis vero acrior ipſa febris materia ſub cavo jecoris exuperare & æſtuare, quam venæ ſectio minime eximit, nec proinde morbi ſubſtantiam minuit. Imo vero, ſi vel ſponte, vel arte nimium profuſus ſanguis ſit, plerumque deprehendes bilem acrius ferocire, febremque invaleſcere. Peccant igitur, qui ex urina craſſa atque citrina ſtatim mittendum ſanguinem pronunciant. Ea enim non ſanguinis exuperantiam, non ejus incendium, quemadmodum quæ ardens eſt, & flammea, ac vere rubra, ſed bilis è jecore effuſionem portendit, quæ in tertiana, perinde ac in ictero, & in hydrope, non ſubſtantiæ ſanguinis, ſed uni ſero permiſcetur, præſertim acceſſionis vigore. Ita enim ſecta fortaſſe tum vena videas illam ſanguini minime permiſceri, nec cum ſanguine concreſcete, neque ſanguinem, ſed ſerum ipſum bile inquinari; quod poſtea in intermiſſione emictum purius apparet.

Niſi adſit plethora.

At nihilominus, ſi quando febris ea in corpus inciderit bene carnoſum, bonique habitus, cui amplæ venæ copia diſtentæ ſint, & *plethoræ ſpeciem exhibeant*, ob quam febris ſymptomata graviora exiſtant, ut capitis dolor, temporum pulſatio, ſpiritus difficilis, corporis gravitas, phlegmonoſa laſſitudo, ſummaque jactatio, ſanguis utique ob plethoram venæ ſectione minuendus eſt, perinde atque ſi tertianę febri pleuritis ſuperveniret: quod certe non febris, ſed eorum, quæ aliunde committantur, ſymptomatum gratia, conceditur. In plethora, ſi non juvet, non tamen læſura eſt venæ ſectio. Ita igitur de ſanguinis emiſſione in tertiana febre ſtatuendum.

Si à purgatione levior ſia febris, præparationi inſiſtendum.

Si purgatione impuritas, aut etiam noxiæ bilis portio jam multa detracta ex purioribus urinis percipitur, & *æger levatus quodammodo eſt*, ſequenſque acceſſio tum brevior, tum mitior, & ejus ſymptomata faciliora exiſtunt, totius morbi brevitas ſperanda eſt. Reliquo igitur ejus tempore ac progreſſu apozematis, aut ſyrupis leniter refrigerantibus & aperientibus obſtructiones blande ſolventur, & naturæ opus dirigetur ne quid ſubſiſtat, ut apozemate è cichorio, endivia, oxalide, gramine, agrimonia, lichene, & ex ſeminibus frigidis tum majoribus, tum minoribus, ſyrupo quoque adiantino & è cichorio ſimplici; quibus & interdum acetoſi ſimplicis portio adjecta ſit Sæpe enim tertiana mitior, cujus pauca eſt materia putris, una leni purgatione tollitur, ſæpe etiam fervidioribus papulis circum labra nareſque obortis ſponte ſolvitur: quanquam & hæ interdum ſolius fervoris ſint indices, & cum his febris perſiſtat.

Sin minus; iteranda purgatio.

Jam vero ſi tā acris eſt febris, tantaq; noxiæ materiæ vis, ut data purgatio non quod ſperabatur contulerit, *nec* brevior *mitiorve* ſequens fuerit *acceſſio*, quod defuit, indito clyſtere ſupplendum: & eo alvus quoties pigrior fuerit ſollicitanda, ut natura ad eam aliquando futuram alvi excretionem proritetur: hac enim via libera & expedita tutior fuerit morbi exitus.

Præparandum corpus.

Ac tum temporis in ipſa febris intermiſſione apozemata & ſyrupi offerendi ſunt, quibus tū *incidendi* tū detergendi major vis inſit, cujuſmodi ſunt, quæ, præter commemorata, apii quoque, & petroſelini, & fenieuli, radicem in aceto macera-

† J. HEURNIUS. Hoc Pręcellens remediumin omni morbo ubi æger nauſeat ad cuncta Remedia ut in Febribus & ubi alvus eſt durior, in ſecretis ſemper habuit.] ℞ *Corſſ. recent. extracta. Elect. lenitiri recent. an. ℥j. Syr. reſert. laxat. ℥iiſ. Syr. abſynth. ℥ſ. miſce ſumat quotidie cochlerarium ſemihora ante prandium ſi ſit hydropi fere obnoxius miſce ʒj. Specier. diacarthami ſi bilioſus miſce manna ℥j.*

tam & hyssopi nonnihil continent: syrupus etiam byzantinus, & endiviæ, & nonnihil acetosi compositi. His igitur recludendæ sunt viæ, attenuandique humores etiam biliosi, quum non facilis eorum est, aut in ventriculum, aut in alvum, excursio.

Iterum procuranda evacuatio. Si bilis vel sponte, vel istorum ope concitata jam frequentius aut vomitione, aut dejectione prorumpat, tutus ac brevis morbi exitius erit. At si ejus duntaxat quædam veluti stimulatio appareat, *vomitio* quidem præcipue accessionis initio vel hydreleo, vel oxymelite, alvi autem dejectio acriori clystere in intermissione procurabitur. Eadem quoque opera tum urinæ, tum sudores libere & copiose cientur: tametsi ad bilis evacuationem minus conveniant, atque utiles sint.

Si post 4. paroxysmum remittat febris, præparatio ni naturæque totum negotium committendum: Hæc in vehementi & exquisita tertiana ad quartam fere accessionem molienda sunt. Ab hac vero si (ut plerumque fit) urinæ minus crassæ & citrinæ, perioresque jam evadent, & hypostaseos quoddam signum apparebit, expurgati magna ex parte fomitis indicium est. Quod si præterea sequens *circuitus* brevior atque *tranquillior* inclinatis totius morbi initium portendat, quod reliquum est morbi, jam dominanti naturæ committi potest, ptæsertim si reliquam vacuationem æger aversatur ac metuit, multo autem magis si quæ spontaneæ vacuationes satis procedunt, & nihil supra exquisitæ tertianæ conditionem obtigit: tametsi & iis moderata quoque purgatio conducat, morbumque tuto solvat. In iis saltem tum temporis natura ad spontaneam curationem apozematis atque syrupis, ut dixi, dirigenda.

Sin minus, denuo purgandum corpus. At vero si quinta *accessio* sextave *vehementior* sit, aur symproma quoddam acrius invalescat, aut urinæ nondum satis puræ existant, metusque sit ne proprios limites febris transcendat, non utilis modo, sed & necessaria ante accessionem septimam purgatio ex rheobarbaro macerato, vel ex rheo & ex senna, vel catholico, cujus beneficio præparati humoris pars maxima evellatur, naturaque accessione proxima ad perfectam judicationem incitetur, & nihil aut minimum morbi reliquum fiat.

Ut & in declinatione, si symptomata persistunt. Quinetiam si febre soluta *symptomata* quædam *diutius persistant*, ut cibi fastidium, sitis, capitis dolor, & cætera: nec facile æger convalescat à morbo, ne quod ex morbo derelictum est, recidivam faciat, purgatio quoque necessaria: sic enim tutior ac firmior sanitas existet.

Toto autem morbi decursu refrigerandum est. Ea igitur medendi ratione tertianæ exquisitæ ardor pariter cum causa tollitur. Si qua tamen per curationem *peculiari refrigeratione* febris ardor indigeat, salubriter per ea fiet quæ refrigerando pariter attenuant, nec putridum humorem impingunt, nec difflari prohibent, nec vasorum meatus coarctant: dum etiam febrem restinguunt, ejus pariter causam dissipant, quod in putrida febre vehementer optandum: imo etiam si ardentior febris æstus vires nimium posternit, & ægre tolerari potest, causæ observatione aliquantum prætermissa refrigeratione multa (etiam quæ putredinis dissolutionem cohibeat) utitor, viresque idoneo cibo ne concidant foveto, ne in tortoris calumniam incurras: deinde remisso fervore ad causam reversus noxium humorem exime, ac cibum in reliquam curationem subtrahe. Non pauci juvenes atque robusti in tertianæ simplicis & exquisitæ accessione, trium horarum spatio, ab iis qui causam solam intuerentur, vestibus multis extincti: & siti sudoribusque exhausti fuere. †

Summa refrigerandi nutriendique ratio in febribus.

Galen. 10. Meth. c. 5. Aëtius loc. cit. cap. 76. Amplo & quam maximo conclavi cubare debet, qui acuta febre jactatur, quo multum purumque *aërem* ducere possit, eumque *refrigeratum*, abacta omni turba & hominum frequentia, sparsa quoquoversum aqua gelida & aceto, stratis herbis frigidis, ut salicis foliis, vitis, lactucæ, nymphææ, rosarum & violarum: odoribus quoque & rosis, violis, nymphæa, & santalis, aqua rosarum stillatitia, & aceto & cam- *Et Avic. loc. cit. c. 6. 9. 10.* *Quomodo aër fiat frigidus?*

† J. HEURNIUS. in Tertiana intermittente maxime cum successu hoc semper usus est.]. ℞ *nucem moschat. ustam, adde tantum nucleor. pers. & amygdal. amarar. f. pulvis cujus* ʒj. *sumatur cum vino ante febrem.*

camphorę momento conspersis. Tum temporis non multis, sed admodum levibus vestibus tegendum corpus est, ne universe refrigescat.

Quomodo corpus externo refrigeretur? At si nihilominus ardore nimio id torretur, in ipso vigore *aestuantes partes* hydrelaeo *perfundentur*, cujus oleum & aqua manu permisceantur donec albescant: huic & aceti sextans interdum adjici potest, & vice simplicis olei rosatum, uiolatum, nymphatum, aut papaverinum substitui. Id autem jocinori, renibus, aestuantique capiti induci potest; idque tuto, si modo nulla tussis, nulla capitis gravitas, nullaque destillatio molesta sit, nec cataphora profundiorve somnus obrepat. Epithema iisdem quoque partibus atque cordi utiliter accommodatur, ex liquore stillatitio rosarum, violarum, plantaginis, solani, nymphaeae, & aceti sextante, in quibus santali & camphora, aut pastilli albi Rasis soluti sint. Ex iisdem quoque tracta psyllii vel cydoniorum muccago eximie opitulatur. Observandum autem, ne haec instante sudore corpori insideant, illiusque eruptionem cohibeant, brevemque morbum producant: quanquam longitudo interdum optabilior est acrimonia.

Quomodo interne? *Interiora* vero *corporis* si aestu atque siti uruntur, lenienda sunt succo vel aqua cucurbitae, aut melonum, aut cucumeris, aut esu oxalidis, portulacae, lactucae, ex aceto, quae aut crudae sint, aut aqua fervente contabuerint: aut si forte corroboratio quaedam adstrictione petitur, succo mali punici acidi, aut limonis, aut citrii, aut cerasii, aut oxyacanthae, aut oxalidis, aut uvae acerbae, eoque vel puro, vel aqua diluto: horum enim quam syruporum major refrigeratio.

Cibus qualis esse debeat febricitantium? Haec ipsa *alimenta* quoque sunt, in quorum moderato usu olim ueteres tenuissimum victum collocaverunt, quemadmodum & longe tenuissimum in cibi potusq; abstinentia: ab hoc sensim ad tenuem, & ad plenum, qui sanorum & integre valentium est, pervenerunt. Omnis autem febricitantium victus humidus, frigidusque habendus est, ex materia levi.

Quis sit tenuis? * *Primus* autem *cibus* est aqua hordei simplex, quae refrigerando, humectandoque, leniter abstergit: deinde aqua mulsa, quae melle temperata minus refrigerat, sed magis abstergit & aperit: vel aqua saccharo condita, quae minus quam mulsa viscera calefacit, sed minus quoque abstergit. Ab his hordei cremor refrigerans & humectans, abstergens, leniens, sitim compescens, nusquam ductuum viis adhaerescens. Haec sequitur sorbitio è pulli gallinacei vel columbini jusculo, in quo frigidiora olera, lactuca, oxalis, portulaca, buglossum, & uva acerba incocta sint.

Medius? *Mediae* vero *materiae* sunt ea ipsa olera, dein de hordeum integrum saccharo conspersum: ab his panis medulla elota, & ex aqua cocta: sequitur quae ex pullorum jusculo coquitur: hinc pisces saxatiles, deinde ova tremula sine testa in ferventem aquam conjecta: carnis deinde aqua liquidior vaporario elicita, modo simplex, modo rosarum, buglossi, aut violarum saccharo temperata.

Valens? *Valentioris* jam quodammodo, sed nondum plenae materiae sunt pulli gallinacei & columbini, & gallinarum caponumque extrema, deinde jus eorum fervore consumptum, & quod jam quasi in gelu concrevit: ipsa quoque eorum caro, & hoedina, & vitulina, ea quidem elixa, & dum editur succo quodam refrigerante intincta, ut carnis saporem quodammodo sopiat: quod & amygdalae tunsae jusculis quoque praestant,

Plenus? Quaecunque jam *crassiuscula* sunt *materiae* ut ea ipsa assa, & perdices, auiculae montanae, lepusculi assi, & assorum quorumvis expressus succus, aut qui elicitur è carne in diplomate sine aqua elixa, quod nimium alant, aegre coquantur, aestumque in praecordiis excitent, non in acriter febricitantium, sed in sanorum cibis numerantur. Si quid tamen horum vehementer expetitur, id ex succo, aut condimento refrigerante in laborantis gratiam concedi potest.

Qualis esse debeat potus? *Potus esto* vel aqua fervefacta & refrigerata, vel aqua hordei simplex, vel aqua cum sacchari sextante fervefacta, vel quivis potus ex his quos connumeravi refrigerantibus, & aqua quoque frigida vini albi tenuis sextante conspersa: sic enim magis refrigerata & citra viscerum offensionem, quoquoversum expeditius digeri, distribuique putatur. Frigida vero quae pura sit ac simplex, minime cibis permiscenda.

Aqua? At vero quum summus ardor ingensque sitis summam quoque refrigerationem postulant,

ſtulant, ſine qua metuitur ne nimium vexatus æger exareſcat, marceſcat, aut forte exhauſto ſpiritu brevi exolvatur, præſtanda quidem *frigida*, qua nihil ad infringendum calorem valentius. Sed & ipſa quoq; ſynochi, cauſi, aliarumque continuarum ardentium peculiare remedium eſt, quũ illas vel extinguere, vel infringere, vel in aliud temperatum genus commutare conſilium eſt.

Quibus cautelis adhibenda?

Id tamen non niſi *eorum* quæ ſequuntur *obſervatione* tentandum. Noxia morbi materia ex urinis jam concocta appareat, quod non ante diem morbi quartum contingere ſolet. Laborans bono ſit habitu, carnoſoque corpore, integris viribus, inſito calore exuberans, potui frigidæ dum bene valeret, citra læſionem ullam, aſſuetus: ei quoque pectus & viſcera firma ſint & valida, ſine dolore, ſine obſtructione magna, ſine tumore, ſine abſceſſu: nec alvi dejectio nimia, nec cruditas ulla fatiget. Hæc igitur cum adſunt, magna ſiti antecedente, frigida aqua copioſe, ad duas circiter heminas, & ultra ſatietatem epota, dum venter præcordiaque diſtendantur, ſatiſque refrigerata ſint, & horrore quaſi inalgeſcant, ſummum febris ardorem tuto extinguit.

Quid ab ejus hauſtu faciendum?

Protinus autem multis ſtragulis *operiendus eſt qui bibit*, moxque cogendus, ut vomat, aut alvum copioſe dejiciat, aut ingentem ſudorem effundat. Cohibita enim aut ſubſiſtens tanta frigidæ moles, ſummo vitæ diſcrimine, nativum calorem cum febrili pariter extinguit, aut ſaltem partium nutrientium functionem tollit, ſpirandi difficultatem, tremorem atque convulſionem, deglutiendi mejendique difficultatem infert; ipſas inſuper ductuum vias coarctans, morbique materiam compingens, morbum multo diuturniorem facit.

Quæ noxa ſequantur ab intempeſtiva ejus exhibitione.

In eadem atque etiam *in graviora incommoda* eos *præcipitat*, qui contra affecti fuerint, extenuati, exangues, imbecilli, pauci caloris, non aſſueti ejus potui, viſceribus dolentibus, tumentibus, obſtructis, aut ulceratis, maxime autem ſi adhuc crudus eſt morbus: unde conſtat, febribus intermittentibus, quarum ſcilicet peccans materia in primis eſt viſceribus, liberaliorem frigidæ potionem adverſiſſimam eſſe: neq; ſemper continuam etiam, quę ardens fuerit, tuto extinguere: & ſub tanta refrigeratione omnino ancipitem eſſe febris curationem.

Galen. 14. Meth. c. 3. ad Glaucon. 8.

Talis igitur per febres eſto cibi potuſque qualitas.

Abſtinentia triduana veterum

Quantitas vero *utendique ratio* non parum difficilis: ſumma quippe controverſia certatur, quantum & quando cibus in acutis morbis offerendus. *Antiqui*, præſertimque Aſclepiades, primis totius morbi diebus non modo à cibo, verumetiam à potu abſtinendum, putabant, ut ne os quidem elui ſinerent: ita quidem ſuperantem materiam minui digerique rati, ſi nulla nova accederet. Eam Hippocratis ſententiam eſſe cenſuerunt: quia, inquit, *ubi morbus peracutus eſt, ſtatim & labores ſummi fatigant, & tenuiſſimo victu* (quæ pura eſt abſtinentia) *uti neceſſe eſt.* Quum vero ægrum triduo per omnia fatigaſſent, quarto die cibo deſtinabant, interdum etiam quinto aut ſexto, ſed quartus in pleriſque ad initium cibi aptiſſimus habebatur. Dein vero altero quoque die alebant, ac ulterioribus diebus ſummo vigore, contra Hippocratis doctrinam, uberius, dum prorſus decederet. Poſtea vero eorum æmuli cum ægris mitius agere cœperunt, pauloque maturius alere.

1 Aph. 7.

Repudiatur.

Sed *hæc fuit eorum* olim *doctrina*, qui purgantia aliaque medicamenta ex arte ſuſtulerunt, omnem prorſus curationem uno victu moliti. Quoniam vero qui prorſus computruit humor inedia abſumi non poteſt, ſed quod totus præter naturam ſit, medicamento exigendus eſt, neceſſario quidem non ex victu tantum opportuno, ſed ex medicamentis quoque inſtituenda eſt morborum putridorum curatio: & ejus materiæ quæ ledit, pars crudior concoctione per inediam victumque tenuem, pars corruptior purgatione extenuanda. Itaque quum ex interiorum cauſarum obſervatione nunc tutior quam olim, expeditiorque morborum curatio ex medicamentis conſtituta ſtabilitaque ſit, non tam exquiſite tenuis victus imperandus, neque omnino vires abſtinentia infringendæ ſunt, ſed tenui cibo ſuſtinendæ, ut facile neceſſariam medicationem ferant.

Quomodo primo die cibandus æger?

Vix ullo die æger abſtinere recte poteſt. *Per initia* ventriculi præcordiorumque dolor: aut tenſio, aut nauſea, aut cibi faſtidium, aut vomitio nimium affligit, tum medicamento, tum parciore victu demenda eſt materia, præſertim ſi anteactis die-

diebus laborans gulæ liberalius indulſit.

Quomodo ſequentibus? Deinde vero ea imminuta quum jam puriora erunt præcordia, ex morbi magnitudine, acrimonia, & motu, æſtimandum, quouſque producendus is ſit, aut quando ſummum vigorem habiturus. Si peracutus exiſtit, & ex eorum numero qui ſtatim dum incipiunt floreſcunt ac vigent, ſtatim quoque tenuiſſimo victu utendum. Si paulo mitior atque etiam diuturnior in diem ſeptimum excurrat, ſimpliciter tenui: ſin vero in decimum quartum diem producendus videatur, paulo pleniore.

Perpetuo autem cibus initio plenior ſit, ſenſimque minuatur, dum *ad ſummum vigorem morbus pertingat, in quo dari tenuiſſimum,* 1 Aph. 8. præcipit Hippocrates. Sic igitur temperandus eſt, ut in ſummo vigore ſumme quoque tenuis ſit, incremento tenuis, initio aliquantum plenior, quo tamen corpus vires non acquirat, ſed duntaxat paulo infirmiores confirmet, ut adventuri mali ſpatium ſuſtinere, & in eo morbi concoctionem moliri, & eas quæ tum arte, tum ſponte fient vacuationes, tolerare poſſit, & ne ante ſummum vigorem deficiat atque hebeteſcat, & tum temporis nutrire & naturam ad cibi concoctionem revocare cogamur, cum maxime in morbi concoctionem pugnamque incumbit. Hæc ut declines incommoda, in paulo pleniorem potius quam in tenuiorem victum deverges: quandoquidem (ut eſt apud Hippocratem) 1 Aph. 5. *victus nimis tenuis & exquiſitus paulo pleniore periculoſior*, & error ex tenui quam ex pleno gravior, quem & ægroti difficilius ferunt.

Et hæc quidem acutis omnibus communia ſunt.

Qua hora in iis qui longum intervallum habent? *Quibus* autem *horis*, & quoties conveniat, videndum. In morbis, qui *ex intervallis* exaſperantur atque fatigant, obſervanda hæc tempora ſunt: inſtans acceſſio, initium, incrementum, ſtatus ſeu vigor, deceſſio, remiſſio, aut etiam intermiſſio, ſi perfecta integritas eſt inſecuta. Integerrimo corpori cibus eſt offerendus: minus enim corrumpitur qui in vas ſyncerum demittitur. Itaq; ſi tempus intermiſſionis in intermittente, aut etiam remiſſionis in continua febre, *longius* eſt, ejus initio quum jam maxime omnia tranquilla ſunt, & arteriæ conquieverunt, dare cibum expedit; rurſumque ſecundo, ſi longum eſt intervallum.

At quum *quietis breve tempus* erit, & mature altera timetur acceſſio, inhærente adhuc febre, & ejus reliquiis manentibus, cibus etiā tuto dari poteſt: præſtat enim decedente febre quam inſtante ægrum cibo deſtinari. *Qui brevet*

Eadem ratione *ſi vaga febris* eſt, & incertum ejus recurſuræ tempus, ne inopinato eum excipiat, quandocunq; quis ex acceſſione levatus apparebit, etiam ſi nōdum ex toto integer ſit, cibum aſſumat; & cibus ſemper ab acceſſione proxima quā maxime reducatur. *In vagis?*

Atque etiam, ſi bis eodem die acceſſiones complures hominem adoriantur, poſt graviorem præcipue alendum.

Cæterum *in acceſſione* jubet Hippocrates *prorſus abſtinere*, & totius ejus tempus ſine cibo præterire. At nihilominus ſi quis propter virium imbecillitatem deficit, nullo acceſſionis tempore nō eſt ſuſtinendus, idq; aut prunis ceraſiiſq; coctis, aut conditis ſaccharo, aut hordei cremore, aut etiam pauco concreto carnium jure, quæ refrigerata ſitim pariter extinguunt. Hæc tamen minore periculo dabuntur inſtante, quā incipiente febre, & increſcente quam ſumme vigente. 1 Aph 11. *In compoſitis? In paroxyſmo?*

In ea porro febre, quæ continua eſt & remiſſionem nullam habet, neque lenior unquam fit, ante lucanis horis, quibus omnes fere in ſomnum propenſi ſunt, aut matutino tempore, quod natura ſua leniſſimum eſt, plenior dandus eſt cibus, quam meridiano aut veſpertino, quo fere aſperior morbus eſt. Verumtamen in homotono febre aptæ ſunt cibo horæ, quibus & integra valetudine quis ali conſuevit. *In continentibus?*

In quacunq; nihilominus febre continua vis corpori deeſſe videtur & arteriæ præ exilitate concidunt, & laborans exolvi ſe metuit, eum cibo fovere, vireſq; recreare licet. *In defectu virium.*

De victu febricitantium.

	S. A.		S. A.
* *Humidus convenit.*	1. 16.	*inedia cum faſtidio, malum.*	9. 3.
cibus morbus eſt.	7. 65.	*lac, malum.*	5. 64.
in paroxyſmis non cibandum.	1. 11.	*ex bonis cibis non firmari, malum.*	2. 31.
item.	1. 19.	*idq; in principio morbi quid?*	2. 32.

Cap.

CAPUT XII.

Symptomatum quæ per febres affligunt remedia.

Gal. 1. ad Glaucon. cap. 14. 1 2 Method. c. 2 &c.

Rigor quomodo mitigandus?

RIgor continuæ febri superveniens, quod eam plerunque solvat, in malis non est, nec ulla ratione cohibendus, si eum præsertim sudor excipiat. *Frigus* autem, *horror*, aut *rigor* intermittentium invasionibus si vehementius fatiget corpusve concutiat, leniri tuto potest. Primum autem sub expectatione accessionis mature vestibus multis operiendus est æger, & omni potione prohibendus: summis partibus, & iis quæ plurimum inalgescunt, adhibenda fomenta calida atque sicca, ut lapides candentes, aut titiones extincti: simul quoque obvolutus laborans spiritum diu continere debet.

Si nihilominus horror rigorve prorumpat inter vestimenta, extremæ partes perfricandæ sunt oleo chamæmelino calefacto, vel liliaceo, vel anethino, vel rutaceo, vel unguento quod ex his & ex piperis, cardamomi, pyrethrive conficitur. Si unctionum gravis est usus, ea ipsa, in aqua vitæ maceranda sunt, qua dein expressa rigentes partes perfundentur.

Nequaquam balneo.

Nonnulli vehementius rigoris initio eum qui conflictatur, in *balneum* deducunt, in quo etiam calidiores herbæ incoctæ fuerint. At certe ne quid in eo peccetur, neve calor acrius invalescat, commodissimum fit ventriculum atque præcordia fovere, fervefacto jure calidarum stirpium, ut menthæ, absinthii, rutæ, origani, chamæmeli, & anethi, cum anisi & feniculi semine, cui etiam vini albi paulum sit adjectum: concalefacta enim febris origine, horror sæpe discutitur, simulque melior fit præcordiorum status.

Quomodo vomitione?

Quum quis ex horrore jam incalescere cœpit, si (ut forte fit) *nauseabundus* est, data aqua tepida, interdum subsalsa, vomere cogendus est, vel mulsa data vel hydrelæo, vel si tenacior humor est, syrupo acetoso, aut oximelite tum simplici, tum stillaticio, aqua hordei tepida diluto. Quinetiam qui sponte evomuit, horum ope iterum vomere cogendus est, ut proritans intus materia radicitus extirpetur: quę si multa tenacior-que existit, vehementiora etiam suo loco tradenda postulat. Nam ut circumspecte Celsus ante nos animadvertit, fere talis horror ab his oritur, quæ biliosa in stomacho resederunt.

Quomodo horror inhibendus?

Si per hæc vomitio proritari nequit, piper tritum drachmæ unius pondo, ex aqua calida, ante accessionem potum *horrorem inhibebit*: sed efficacius pilulæ, quæ habent rad. aristolochiæ rotundæ ℈ij. myrrhæ selectæ, piperis an. ℈ſ., ex absinthii, vel menthæ syrupo concinnatæ. Sæpe etiam, per quartanam maxime, omnia tum externa, tum interiora corporis, usque adeo perfrigerata sunt, ut in ipso horrore aut vinum generosum, meracum, & calefactum, aut aromatites, aut aquam vitæ, aut calidiora quædam offerre cogamur.

Quomodo corrigenda sitis?

Sitis, quam solius linguæ & faucium ariditas parit, oris collutione ex aqua hordei tepida, vel ex aqua stillaticia plantaginis, compescitur, vel ex ea, in qua cocta sint pruna dulcia, zizypha, myxa, aut cydoniorum, cucurbitæ, vel lactucæ semen, aut glycyrrhiza, aut quæcunque citra adstrictionem & calorem blande leniunt atque humectant. Ea ipsa ore diutius etiam contenta lentore suo linguam, os, & fauces siccescere non sinunt. Si dulcia non arrident, fallenda sitis est acinis mali punici, vel citrii aurantiive, laminis, aqua rosata & saccharo maceratis, vel oxalide mansa.

Linguæ ariditas?

Scabrities vero, atque etiam *linguæ orisve lentor* detergendus primum est penicillo ex melle rosato: quod si non satis respondeat, penicillus aqua rosata intingendus est, in cujus uncia aluminis drachma una & sacchari candi semuncia sit soluta.

Sitis intensissima?

At si ex arefacto aut æstuante ventriculo, & præcordiis, *sitis vehementer excruciat*, neque his, quæ nunc dixi, falli potest, potus permittendus est, sed quam tardissime, ut hunc sudor promptus excipiat. Maturior accessionem producit, sitimque novam mox exasperat. Conveniet autem potus ex diluto jure lactucæ, portulacæ, plantaginis, & eorum lenientium quæ dixi, ex syrupo vio-

violato, zizyphorum aut nymphææ, & aqua sextupla: aut si putrescens stomachi humor sitis occasio fuerit, è succo oxalidis, uvæ acerbæ, cerasiorum, mali punici vel citrii, aut è syrupis, qui ab his comparari solent, pari aquæ modo dilutis.

Imminente sudore? ‡ Alias legitur, alarum mador.

Quum cervicis, ‡ aliarumve partium mador sudorem instare pollicetur, vinum album tenue, quadrupla aut sextupla aqua dilutum, hunc liberalius ciet. Potus autem omnis moderatus esto, ne præcordia divellat, & frigidiusculus, ne crudiorem alvum liquidioremque reddat.

Capitis dolor?

Capitis ex febre *dolorem* sedat rosa, viola, nymphæa, lactuca, plantago, sempervivum, & alia quælibet herba ex refrigerantibus tunsa, & aceto fronti temporibusque inducta: & quæ ab his extant tum olea, B tum unguenta, cujusmodi est quod populeum appellant.

Vigiliæ & delirium?

Si *vigiliæ* aut *delirium* moleste exercet, his adjici poterunt hyoscyami, papaveris, & mandragoræ folia, vel semen, quæ & ipsa odoratu quoque non parum juvant. Ex his lotiones, unctiones, cataplasmata, non fronti modo & temporibus, sed syncipiti quoque tuto admoventur: si neque capitis gravitas, neque destillatio, neque tussis dehortatur. Si nimia metuitur refrigeratio, permisceantur his serpillum, anethum, & ruta, quibus etiam ad vigilias & deliria non parva vis est.

Extrema.

Si *extremum malum est*, in quovis oleo solvi C potest opium, ut in singulis unciis hujus bini sint scrupuli, eoque frons, tempora, & ipsæ nares oblinantur. Sed & interdum drachmam unam philonii Romani, aut scrupulos duos pilularum è cynoglosso vorare extrema necessitas expostulat.

Jactatio?

His etiam præsidiis succurritur, cum febricitans, aut quovis acuto morbo decumbens, citra manifestam occasionem, huc illuc immodica *jactatione* sese devolvit. At si forte jactationis causa fuerit capitis, præcordiorum, aut lumborum æstus, his refrigerantibus, quæ supra retuli, demulcendus erit.

Spirandi difficultas?

Spirandi difficultas, quæ fere ob febris æstum vehementer premit ac pene suffocat, iisdem quoque tollitur remediis, & cordis epithemate, quod inter refrigerantia retuli, & potu frigido, quo minime prohiben- A dus est æger, si tum maxime exigit.

Animi defectio?

Animi defectio, aut etiam syncope, quum per febres ardentes ex bile in os ventris effusa proficisci soleant, non melius arceri abigive potest, quam succo mali punici, aut citrii, aut uvæ acerbæ sumpto, aut pane vorato iisdem intincto. Spongia quoque mistis inter se aqua rosacea & aceto imbuta, quæ ventriculi ore tepida imponetur, ad id non parum conducit.

Sudor nimius ut cohibendus?

Sudor optimus, tenuis, tepidus, calidusve, minime fœtidus, facile ac citra laborem universum è toto corpore dimanans; qui sitim ardoremque compescit, & intermittentis febris accessionem integre finit, aut continuæ acrimoniam remittit: qualis fere est qui decretorio die supervenerit. Is vero quoad vires permittunt tolerandus est, atque etiam, si parcius erumpit, proliciendus. Si vero immoderatione corpus jam diffluit & exolvitur, coerceri debet tum aëris, tum corporis refrigeratione: interdum profusione ex oxycrato aut omphacio, aut ex aqua in qua incoctæ sint rosæ, cytini, balaustia, malicorium, myrti, salicisque folia, gallæ, & cupressi glandes: interdum unctione ex oleo rosato, myrtino, mastichino, aut melino, in quibus (si necessitas postulat) succinum tritum, aut gummi, aut ceræ exiguum solutum sit, ut emplastica vi cutis spiracula tenacius infarciat.

Ut regendus crassus?

At vero *sudor crassus*, glutinosus, frigidus, ac fœtidus, ægre, nec è corpore toto prorumpens, initio quidem non omnino malus: sæpe enim qui ejusmodi primus vel è capite, vel ex alia parte manat, postea melior ex universo corpore evadit. Talis autem diu ac multum perseverans, omnino malus: nam cum virium robore, impuritatem summam & morbi longitudinem: cum imbecillitate, extinctionem fore denunciat. Sudorem malum nunquam provoces, sæpe cohibeas, ac tum præcipue purgando corpori sustinendisque viribus operam navato.

Aliaque symptomata?

Si qua *alia symptomata* præter febris conditionem obrepunt, ut lienteria ex frigidiore & immodico potu, ut tussis ex refrigerato pectore, ut ex nudato capite destillatio, propriis ea tollantur remediis, sed quæ tamen aut nihil aut minimum curandæ febri obsint, & hanc, quoad fieri potest, leniant.

Methodi Curandarum Febrium, Finis.

LIBER QUINTUS,
DE
PARTIUM MORBIS
ET
SYMPTOMATIS.
PATHOLOGIÆ
PRÆFATIO.

Non propriè, sed fortuito morbis olim esse imposita nomina:

QVi primi omnium medicinæ initia & quasi fundamenta jecerunt, jure quidem ac merito id sibi laudi & gloriæ tribuere, ut à se inventis & modo deprehensis inusitatisque affectibus, inaudita quoque nomina arbitratu suo imponerent. Sed quum ipsi rudem adhuc & incultam rerum cognitionem haberent, nomina morbis confinxerunt, *non ex rei essentia cui primum & maxime medemur, sed ex eo quod* forte *primum occurreret: quemadmodum & lui venereæ hæc ætas maxime varia aptavit nomina. Itaque morbi alii à parte cui insident nuncupati sunt, ut pleuritis, nephritis, peripneumonia: alii ab efficiente materia, ut melancholia, cholera, calculus: alii ab ingenti quodam symptomate, ut epilepsia, apoplexia, paralysis, tremor: alii ab externarum rerum similitudine, ut elephas, cancer, polypus, satyriasis.*

Ea retinenda.

Veteres igitur illi & primi medici quum unam empiricam colerent, dogmatici dein notandis rebus artem fecerunt, longasque observationes ad artem & ad præcepta revocarunt: quam ne obscurarent & offunderent novitate verborum, longo jam usu trita morborum nomina retinuerunt, *aliique deinceps eadem usurparunt.*

Quo ordine & qui morbi tractandi?

Nobis quoque eorum usus tenendus: corporisque partes *secutis, morbi omnes eorumque causæ & origines scrutandæ, non opinabiles tantum quas plerique meditando fingunt & comminiscuntur, sed* curationi in primis consentaneæ, *& ex quibus medendi ratio depromatur.*

Quid de singulis tradendū?

Equidem nunquam ullum plane cognitum penitusque perspectum morbum esse putaverim, nisi compertum habeatur & quasi oculis cernatur, qua in humano corpore sedes *primario laboret, quis in ea sit* affectus *præter naturam,* unde is processit, *utrum ea sede genitus* κατὰ πρωτοπάθειαν, *an aliunde profectus* κατὰ συμπάθειαν, *an denique* causa aliqua interior illum foveat. *Hæc enim singula certis signis scrutari & internoscere oportet eum qui recte velit morbis mederi.*

In hanc morborum causarumque doctrinam nunc totus incumbo, cui necdum curationem *subjiciam, ne in turbulenta singularum confusione occuper, quorum non est disciplina. Alia noscendorum, alia curandorum morborum methodus, nec singulis omnia convenienter aptari possunt.*

Et de internis primum.

Interiores *autem corporis* morbos primum *oratione persequar, deinde externos qui sensibus objecti fere chirurgiam postulant.*

Quæ prævia ad eos requiratur cognitio.


Id initio sanciens, ne quis nisi gnarus anatomes *ac peritissimus accedat: & quæcunque quis vel leget vel audiet (sit autem audiendo quam legendo mens in rem ipsam* attentior*) fixa meditatione ea contempletur in humano corpore: ut summam rerum cognitionem firma memoria stabiliat.*

CAP.

CAPUT I.

De capitis dolore, ejusque causis.

Affectus capitis sunt,



Apitis affectus quoscunque usus olim notavit, symptomata certe sunt, non morbi. Hęc *in tres ordines* ex affecta sede *partimur*: alia *capitis membranas*, alia *cerebri substantiam*, alia *meatus atque ductus* obsident.

Vel membranarum, *Membranas* appello meninges & pericranium, in quibus solis ut exquisite sentientibus dolores fiunt, cephalalgia, cephalæa & hemicrania.

Vel cerebri substantiæ. *In cerebri substantia*, quæ omnis principis facultatis, nempe mentis, imaginationis & memoriæ sedes est atque instrumentum, depravatæ functionis symptomata sunt phrenitis, delirium, melancholia, lycanthropia, mania: abolitæ vero functiones sunt, stultitia, amentia, extincta memoria, sopor, veternus, catoche, lethargus.

Vel ventriculorum & meatuum. Ex Gal. 2. de Med. sec. lo. c. 1. 1. de sym pt. caus. cap. 6. In cerebri *ventriculis* atque in iis *ductibus* per quos animalis spiritus, in sensuum motuumque organa distribuitur, sensus motusque symptomata fiunt, vertigo, epilepsia, incubus, apoplexia, paralysis, convulsio, tremor, catarrhus.

De singulis rursum plenius dicendum.

Membranarum est dolor capitis † Ejus causa. DOLOR omnis CAPITIS * in membranis existit, quæ si neque ab æstu, neque à frigore, neque ab ictu, neque ab odore gravi offenduntur, *causam* interiorem habent doloris, quæ aut illas intemperie afficit, aut ferit, aut divellit, aut distendit.

Signa. Quæ autem *signa* doloris speciem, eadem efficientes causas ostendunt. Dolor acer, erodens, ac perforans, ab humore fit aut vapore bilioso & acri feriente membranas: gravans à frigidorum pituitosorumque copia: distendens à flatuum aut humorum mitiorum exuperantia, qui inter calvam & pericranium vel inter calvam crassamque meningem se insinuant, easque membranas diducunt ab osse: dolor pulsans à tenui biliosoque sanguine, vel à spiritu redundante, quo turgentes ac distentæ arteriæ vehementius pulsant membranasque concutiunt. Ejus fere generis est dolor omnis qui statis horis quotidie sive cum febre, sive citra hanc recurrit. Sed enim horum dolorum causæ ex iis signis certius discerni possunt, quæ demonstrant quis humor in capite exuperet.

A

Differentia doloris externi, interni, *Dolor* omnis aut *externus* est aut *interior*. *Externus* quoniam pericranio incumbit, capillorum radices inverti non sinit, & capitis pressu exacuitur: *interior* vero mitescit. Falsum est & à veritate prorsus alienum, interiores solos dolores ad oculorum usque radices pertinere: nam & externi eodem sæpe pertingunt, quod & pericranium cui insident, oculorum cavum succingat.

B

Inveterati. *Dolor capitis consuetus* & multos jam annos hominem frequenter levi occasione exercens, aut *cephalæa* aut *hemicrania* est: alia caput totum aut partem ejus maximam, hæc alteram duntaxat occupat, à temporumque pulsatione initium fere sumit. Quinetiam cephalæa semper proprio & primario fit capitis affectu, hemicrania vero præcordiorum subditarumq; partium sympathia.

Recentis. *Cephalalgia* genus utrumque comprehendit: ac præterea quemvis dolorem sive ex febris, sive ex solis ardore, sive ex ebrietate, sive ex alia quavis evidente causa excitata est.

Ita igitur doloris species ejusque causa internoscitur.

C

2. Coacar. 6. Aphorism. Prognostica recentis. EX HIPPOCRATE. *Dolores capitis* recenter oborti *non admodum metuendi sunt: nisi illis sine febre accedat tenebricosa vertigo, tarditas vocis, manuum stupor: & tum vel Apoplexiam, vel Epilepsiam, vel lethargum oportet expectare.*

Inveterati. Inveterati *quoq; capitis dolores minus periculosi, quam aliarum partium sunt: si tamen pluribus annis non semper eodem loco fixi perdurent, cæcitatem minātur. Quibus vero vel pus vel aqua, vel sanguis per nares, os aut aures effluit, iis morbus non raro solvitur.*

Cura doloris à sanguine. SYLVIUS. CEPHALALGIA SANGUINEA curatur sex mediorum generibus.

Diæta, 1. Victus ratione *refrigerante & siccante*.

 Ut

† O. HEURNIUS.] *Notat hemicraniam fere esse periodicam, ideoque exacerbationem ejus, (quæ de morbis periodicis est regula generalis) medicamentis esse præveniendam.*

Ut aëre *cubiculi aquilonem spectantis, non solem, & per euripos immisso, & refrigerato: floribus, & foliis salicum, vitium, juncorum, arundinum per aream sparsis, ut docet Galenus lib. 9. & 10. Methodi: turba hominum etiam ingredi prohibita, quæ halitu & transpiratu aërem calefacit, non solum inficit.*

Ut cibo, *pane loto, hordeaceo, miliaceo; piscibus carne friabili præditis; fructibus austeris: oleribus intybi, & cichorii, & lapathi generibus, portulaca, cucumere: Condimento ex omphacio, aceto, succo aranciorum, aut limonum, aut citreorum aut oxalidis.*

Potu *aquæ pluviæ, aut cum hordeo coctæ: vel si vino est omnino propter consuetudinem, virium imbecillitatem, & morbi pravitatem, utendum, sit oligophorum, & imbecillum, aquosumque, ac etiam aqua multa dilutum: & his omnibue actu frigidis; &, si opus, calefactis, deinde refrigeratis, ut libr. 7. Met. Galenus, nisi ventriculi intemperies frigida obsistat.*

Ut quiete corporis & animi, *aut saltem motibus utriusque remissis, & paucis: somno item parciore; venere autem nulla, nec ira, furore.*

2. Venæ sectione.

2. Sectione venæ *primum interna seu basilica, aut communis, si plenitudo est: deinde cephalicæ lateris dolentis; aut, si totum caput æque dolet, dextri: qua sanguis causa doloris revellatur deorsum, & foras vacuetur, ad duo, tria quatuor vascula, trium ℥. capacia: proscopis à Galeno scriptis libr. 2. ratio victus acutorum, libr. 9. meth. & alibi passim.*

3. Repellentibus.

3. *Affluentem in caput sanguinem* repellentibus *admotis, non frigidis tantum actu & potestate, sed etiam astringentibus; ut valentius materiam in vicinas partes regerant, & simul caput roborent, ne tam prompte novam fluxionem admittat, sed in partes imbecillas magis remittat. Qualia sunt aqua, & hac valentior, sed crassior, succus rosarum, intyborum, lapathorum, plantaginis, portulacæ, sempervivi, lactucæ, solani, singula per se, vel mista secum, aut cum aceto: ut altius in caput descendant. Quam in rem juvat multum ex alto hac torrentis in modum illidere sincipiti, nempe rariori, raso, & lanea, aut pannea corona cincto, ne humor hic prompte diffluat, & corpori reliquo sit molestus. Addi potest prædictis oleum rosatum; ut ejus uncia una, aceti albi unciæ duæ, misceantur aquæ, aut succi rosarum, vel aliorum, unciis quatuor. Possunt & panni, humoribus his actu maxime frigentibus imbuti, raso syncipiti tandiu admoveri, donec incalescant: quando novi horum loco sunt substituendi.*

Lib. 8. method in diaria ab æstu. Lib. cap. ph. p.

Quando repellentia in capite vitanda?

Repellentibus autem his abstine in febribus, quia febrilem vaporem transpirare vetant, & ob id febres augent. abstine item, si tota in caput fluxit materia; quam repellentia valentius impingent: ac denique, si cephalalgia cum catarrho est calido, quem compressa materia augerent astringentia.

4. Purgatione.

4. Purgante, *bilem flavam turgentem, aut turgenti proximam, medicamento cholagogo, uti mox audies. nam quæ in sanguine erat naturalis, inflammata est: adde quod sanguinis, ita ob transpirationem ipsius prohibitam calefacti, portio tenuior in bilem flavam prompte transiit, ut crassior multo post in melancholiã.*

Lib. 2. feb. cap. 12 & lib. 9. & 11. meth.

Præmissa præparatione.

Sed quo postea parcior gignatur ex sanguine vel alimentis quotidianis dulcibus bilis flava, caliditas ejus & acrimonia; & ne tam prompte in caput repat levitas & tenuitas, refrigerantibus edomanda *nonnihil est: qualia sunt, syrupus violatus, rosatus, intybi, oxalidis, omphacii, acetatus simplex, aut (si magna ejus est caliditas) syrupus granatorum, aut limonum, aut ex succo citri acido, omnium in id validissimus, cum duplo aquarum intybi, lactucæ, cichorii, plantaginis, portulacæ, lupuli; (quæ miscella julepus vulgo medicorum dicitur.) Buglossi quoque aqua, licet temperata sit, quia tamen roborat cor, his est idonea.*

*Sed in principio, fluente adhuc materia, etiam a*stringentes *syrupos & aquas dare præstat, ut acetatum, rosatum, granatum, ex succo oxalidis; quod sanguinem crassant, ad fluendumque ineptiorem reddunt, & meatus per quos fluit, astringunt. Dantur autem hujusmodi julepi ab unciis tribus ad uncias sex, septem, octo: horis duabus ante cibum, vel etiam alios pastus: quandiu videbitur in sanguine ac bile flava alteranda: in pituita vero apparanda, pluribus consequenter diebus: in melancholia pluribus.*

Purgabitur *autem prunorum & tamarindorum an. unc. una, in aquæ unciis tribus, quatuor cocta: cui adde expressum ʒ. duarum, vel ℥. semiss. myrobalanorum citrearum in aqua intybi infusarum. Valentiora sunt, sed potestate calida, ob id parum tuta, in hoc affectu calido, scammoniata hæc, electarium de psyllio, & rosatum Mesuæ, E. de succo rosarum Nicolai, Diapruni solutivi utriusque, à drachmis tribus ad drachmas quatuor, quinque, sex in robustis & duris corporibus, qualia rusticorum, nautarum. His æquipollent pilulæ aureæ Nicolai, & aggregativæ à Mesuæ inventæ: datæ à drachma una, seu scriptulis duobus, ad scriptula quatuor.*

Hippocr. de nat. humana, & libr. meth. 14.

5. Digerentibus.

5. *Materiam biliosam & sanguineam, in capite reliquam, clementer* digerentibus; *quale fuerit fotus capitis ex seminibus althææ, lini, fœnigræci, floribus chamæmeli, meliloti in aqua sufficienti coctis: vel ex olei chamæmeli, vel gallo, columbo, hepate, pulmone magni animalis, natura præcalido adhuc, admoto.*

6 Intemperiem emendantibus.

6. Intemperiem *calidam, in capite ab his humoribus calidis relictam,* sanantibus *frigidis: qualia sunt dicta repulsoria remedia: ut, oxyrrhodinum ex*

olei

olei rosati ℥ una, & aceti ℥. semiss. & aquæ rosarum, A *plantaginis, oxalidis, solani: vel harum ac similium succi ℥. quatuor, quæ ex panno capiti, ut frigent, admovenda sunt. Oleum rosarum inunctum vel per se, vel cum muccagine seminis psyllii, idem præstat.*

Doloris à bile.

CEPHALALGIA BILIOSA curatur sex iisdem præsidiorum generibus.

1. Diæta.

1. Victus ratione *refrigerante & humectante, ob id gigni prohibente, aut genitam temperante bilem flavam, omnium quæ in corpore sunt calidissimam & siccam: qualis victus ratio febricitantibus omnibus est salubris, indicatione à febri sumpta.*

Vt aëre *frigido, humido, qualem arte & industria machinari docet Galenus lib. method. 9. & 10. calidis omnibus prohibitis, & in cubiculum illatis refrigerantibus & humectantibus plantis, & liquoribus* B *paulo ante recitatis.*

Vt potu *aquæ, aut vini aquosi, & aqua multa diluti, aut pomatii, piratii, imbecillis.*

Fructibus *etiam crudis, pomis, piris acidis, lactuca, portulaca, intybis, oxalide, spinachia, lacte, caseo recenti, melca, aphrogalacte; pane loto, vel hordeaceo tenero: piscibus: aut partibus animalium nervosis.*

Vt quiete: *somno etiam longiore: animi tranquillitate, aut hilaritate: fuga iræ, curarum, mœroris, studiorum, amorum.*

2. Præparatione.

2. Bilis *flavæ* impetum *furoresque* obtundentibus *frigidis remediis sumptis & admotis.*

3. Purgatione.

3. Bilem *ipsam turgentem & velut furiosam* purgante *medicamento, ut myrobalanorum citrearum uncia dimidia infusa unciis tribus aquæ, cui tamarindorum & prunorum an. unc. una fuerit incocta, addita ad saporis gratiam sacchari vel (si febris adest) syrupi violati uncia, vel dimidia, vel etiam integra. Vt rhabarbaro tenuiter pulverato à drachma dimidia ad drachmam unam & dimidiam, aquæ intybi* C *unciis tribus dissoluto, addita syrupi violati uncia una: vel taleatim secto à drachma una ad drachmas tres, & horis decem aut circiter infuso aquæ intybi unciis tribus, deinde valenter expresso: cui miscere potes diaprunum simplex, vel solutivum, vel electarium aliud cholagogum prius dictum, sed minuto tunc rhabarbaro. Vt catapotiis aureis Nicolai, vel aggregativis à Mesue inventis, pituitam quoque purgantibus.*

4. Revulsione.

4. *Quæ omnia vacuando etiam* revellent *deorsum materiam in caput ruentem: & præter hæc secta lateris ejusdem vena pauci sanguinis vacuatio: cucurbitulæ item omoplatarum intervalla affixæ, primum leves, deinde cum scarificatu: per quas si rursus vacuare libet, oleum etiam cum sale scarificatis partibus, ne glutinentur, illinendum.*

5. Repulsione.

5. Repellentibus *à capite fluentem in id materiam, ut oxyrrhodino, & cæteris prius dictis; nisi febris adest, aut tota bilis jam fluxit, aut cephalalgia est cum catarrho calido, ut prædiximus.*

6. Alteratione.

6. Intemperiem *calidam in capite relictam* alterantibus *frigidis ex alto inflictis sincipiti, aut etiam capiti reliquo admotis, aut potius per nares attractis, tum prædictis, tum odoramentis frigidis, ut aqua rosata, oxycrato: Nam quæ foris capiti occursant frigida, ipsum densant, ob idque calidum vaporem transpirare prohibent. Materia autem biliosa, quia ob levitatem, raritatem, tenuitatem facile exhalat, hujus reliquias digerentibus vix unquam opus fuerit.*

In affectibus calidis tutiora narcotica, Gal. tamen formidata semper, ut aph. 13. l. 6. & l. meth. 12.

Quod si remediis istis cephalalgia biliosa vehementia non vincatur, ad narcotica, id est, stupefacientia sensuum tactus, & ob id modo quodam dolorem sedantia, veniendum erit: sed caute applicanda sunt, nec ita valentia, nec diu hærere permittenda sunt, præsertim capiti parti principi, & natura frigidæ: quia multos ita sopiverunt, etiam partibus aliis indita, ut postea nunquam sint expergefacti.

Doloris à pituita.

CEPHALALGIA PITUITOSA iisdem causarum salubrium generibus curatur.

1. Diæta.

1. Victus ratione *calefaciente & siccante.*

Vt aëre æstivo: &, si est hyems, calefacto, & siccato per ignem luculentum, ac suffitus aromatum, ut cinamomi, caryophyllorum, & aliorum similiter calidorum siccorum.

Vt pane *fermentato & salso, anisato, vel melanthiato, vel aromatato, vel sacchzrato, vel biscocto: Carnibus musculosis animalium & natura non excrementosorum, & præterea probe exercitorum; assis & sumptis cum sinapio, vel simili viribus condimento: Oleribus, apio, salvia, hyssopo, satureia, thymo, majorana, aromatum catalogo.*

Vino *generoso calentibus herbis aromatibus medicato; sed parco, præsertim purgato jam corpore.*

Omnia autem hæc alimenta sint pauca & rara, quum inedia etiam huic causæ sit salubris, non solum victus iste tenuis & tenuans.

Lib. 2. Sanit. tuend.

Vt motu *celeri, robusto, vehementi, totius corporis jejuni, præsertim aëre calido sicco.*

Vt vigiliis, *ira, curis, mœrore, & similibus animi affectibus, corpus omnino siccantibus & sæpe calefacientibus; si non per se, per aliud tamen.*

2. præparatione.

2. Pituitam *fere crassam & lentam expulsioni* adparantibus, *incidentibus, tenuantibus, tergentibus: Primum clementioribus, qualia mel rosatum,*

rosatum, oxymeli Galeni & simplex, syrupus acetatus simplex: deinde valentioribus: ut, oxymelite composito, oxymelite scyllitico, syrupo ex duabus aut quinque radicibus, aut ex stœchade, cum duplo aquarum capiti familiarium, majoranæ, sabinæ, betonicæ, salviæ, melissophylli: quæ diebus quatuor, quinque, sex, continenter ubi sumpta, (nam pituita ægre apparatur) ad clementer vacuantia transeundum. deinde post illorum usum in dies aliquot iterum purgandum: ligni guajaci decoctum cum floribus cardui benedicti, in id est efficacissimum.

3. Purgatione per pilulas, 3. Purgantibus *cœptam apparari per blandiora* pituitam: *primum etiam clementioribus; ut* pilulis *ex hiera Galeni, assajeret Avicennæ, Alephanginis Mesuæ, mastichinis Conciliatoris, sumptis hora somni: à drachma dimidia ad scriptula duo per se, vel ad scriptulum unum cum agarici trochiscati scriptulo uno, per quarum usum postridie ad munia* B *consueta ire licet.* Gal.lib.c.ph *Apparata deinde exactius pituita per valentius coquentia, tota si fieri potest evellenda & vacuanda medicamentis etiam valentioribus, ut pilulis ex agarico, fœtidis, cochiis, Rasis, à drachma una ad drachmam unam & dimidiam: non cum Rasi ad drachmas duas & dimidiam; quod regionum frigidarum corpora, quam calidarum minus sint densa, dura, robusta, medicamentis resistentia.*

Per electuaria. *Pilulis his æquipollent* electarium *Indum & diaphœnicum etiam cholagogum, ad unciam dimidiam, vel etiam in robustissimis integram; cum decocto herbarum capitalium majoranæ, betonicæ, lauri, &c. Sunt qui pilularum cochiarum verbi gratia, drachmæ semissem, & ℈. Indi drachmas duas, eodem decocto dissolvunt & propinant.*

Sed pilulæ longa in ventriculo mora diutius & à remotioribus attrahunt, quam potiones: quippe quæ ventriculo prompte elabantur.

4 Derivatione & errhinis, *Vacuata sic, etiam aliquoties, à capite pituita, reliquum tamen aliquid omnino post purgationes istas manet, vacuandum* sternutatoriis & errhinis: *primum blandioribus, ut aqua vel succo majoranæ, betæ foliorum aut radicum: deinde valentioribus, si opus est, ut pulvere piperis, struthii, ellebori albi cum succo betonicæ, melissophylli, rutæ, radicis cyclamini.* Apophlegmatismis. Apophlegmatismis *etiam ex mansu mastiches, uvarum nostratum clibano siccatarum, baccarum oxyacanthes, pyrethri, staphidos agriæ.* Gargarismis. Avic. Gargarismatis *denique ex purgante aliquo prius dicto in aqua quapiam capitali soluto: præterquam quod apophlegmatismata & gargarismata sunt noxia propensis ad catarrhos & affectus alios pulmonis & thoracis, ob id in his vitanda.*

5. Aversione. 4. Avertentibus *deorsum*, pituitæ *sursum* A *ruentis* impetum. *In quibus præter dicta nunc purgantia, sunt etiam acres balani, & clysteres, partium extremarum vincula dolorifica, frictiones validæ & diuturnæ, jam inde ab omoplatis inferna versus. Fotus earundem partium ex decocto, plantarum capitalium, ex cujus unciis decem, vel etiam libra una, & hieræ picræ Galeni uncia dimidia, vel etiam integra, sacchari rub. unc. duabus, olei chamæmeli unciis tribus, salis communis drachmis duabus, clyster modice acer fieri poterit: acriores autem post dicentur in apoplexia, epilepsia, caro. Balani autem acres ex melle & sale, acriores mistis purgantibus prædictis fient.*

Cucurbitulæ etiam interscapulio & cervicibus affixæ, in id salutares sunt: nec inutilia sunt repellentia, ut lib. 13. Meth. in lethargo:

Pituitam *à capite reliquam* dissipantibus, 6. Dissipatione. B *vel sumptis, (ut diamoschi dulcis, vel amari Mesuæ, vel pliris archontici Nicolai drachmis duabus, vel theriaces, aut mithridatii veteris drachma una, semel in hebdomade sumpta mane, horis septem ante cibum: vel acoro condito, vel confectione ex acoro tota sua substantia in id efficaci, horis duabus ante cibum* Avicenn. Coëciliator *per se, aut cum aqua majoranæ, betonicæ, salviæ, vel alterius capitalis facultate similis,) vel admotis, unctionibus, irrigationibus, fotibus, cataplasmatis, emplastris, sacculis, odoramentis, ac reliquis topicis remediis, ex oleo anethino, chamæmeli, liliorum, costino, balanino, ex decocto capitalium prædictorum in lixivio, euphorbio, castoreo; quæ etiam in aurem tuto à Galeno immittuntur, nec capiti cum aliis applicare formides: odorifero pomo ex majorana, stœchade, caryophillis, cinnamomo, &c. cum cera constante. Quæ omnia capiti admovenda sunt ventriculo vacuo: nam à pleno vim magnam vaporum calore suo* C *in caput traherent. Hæc autem cum caput pituita non modo purgent, sed etiam intemperiem ejus frigidam humidam (à qua actionum imbecillitas pendet) emendent: etiam capitis partes roborant, temperaturæ scilicet pristinæ ipsas restituendo & ratione eadem in aliis affectibus; quos materia aliqua intemperata creat.*

CEPHALALGIA EX CAPITIS CONSENSU CUM TOTO CORPORE *in febribus, cum sit harum symptoma, his persanatis cessat, nec remedia postulat, nisi ob vehementiam frontalia ex oxyrrhodino, populeo unguento, albuminibus, applicare cogamur, & frigida quædam ore continere: non autem sincipiti repellentia applicamus: ut ante in cautionibus repellentium in cephalalgia sanguinea diximus.* Doloris ex consensu totius corporis.

Si autem CRITICA *sit* CEPHALALGIA, *præsertim crisi per vomitum, aut hæmorrhagiam im-* Doloris critici.

pen-

Lib. 3. prognost. & crisium.

pendente, remediis non eget; nisi forte his quæ vomitum, aut sanguinis fluorem è naribus celerent, & promoveant: de quibus postea.

Doloris ex consensu ventriculi, &c.

CEPHALALGIA ex capitis sympathia & CONSENSU CUM PARTIBUS SUBIECTIS, ut ventriculo, curatur prospiciendo ante omnia parti primario affectæ, & quæ caput consensu tandem afficit: deinde ipsi capiti.

Vt si in ventriculum effusa bilis flava vaporibus in caput sublatis cephalalgiam faciat, dandus est cibus frigidus astringens, ut panis ex uino granatorum vel ex omphacio: & ita in aliarum partium affectibus postea dicendis, caput consentiens lædentibus.

Capiti autem succurritur primum per astringentia ipsum roborantia, ne talem doloris causam recipiat: deinde per ea quæ jam receptam in ipsum dispositionem abigant: ut, refrigerantia, si calidam intemperiem conceperit: caput calefacientia, si frigidam; uti prius à nobis est dictum.

Doloris ab æstu.

CEPHALGIA EX MORA SUB SOLE immodica curatur, ægrum à solis radio defendentibus, si adhuc sub sole est: victu item refrigerante & admotis capiti frigidis prius dictis, quæ receptam in ipsum dispositionem calidam profligent. Quia tamen capitis calor cucurbitulæ modo trahit, quod tractum jam est, partim dictis refrigerantibus & astringentibus repellendum partim frictionibus, ligaturis & aliis revellendum, partim si quid materiæ post hæc supersit digerendum, remediis ante dictis, præcipue in cephalalgia pituitosa. Si vero corpus impurum sit, aut plethoricum, vacuandum; ne huic cephalalgiæ succedat diaria, aut synochus non putris, aut putris, aut synechés, aut aliqua ex intermittentibus: id quod vere ipso in adolescentibus maxime quotannis observamus.

Aëtius in diaria ab æstu.

Doloris à frigore. Gal lib. 2. c. ph. p.

CEPHALALGIA A FRIGORE EXTERNO calidis capiti admotis & sumptis curatur, qualia multa diximus in cephalalgia pituitosa. Curatur item mora sub sole donec dolor desinat; si homo nec plethoricus est, nec cruditate laborat, nec humorem pravum in ventriculo, præsertim in ipsius cavitate, habeat.

Doloris ab ebrietate.

CEPHALGIA A VINI GENEROSI etiam largius poti vaporibus calidis multis, ut per ebrietatem, curatur, prohibito vaporum ascensu in caput, & vacuatis his qui jam sunt in caput recepti, restitutaque pristina capitis temperie.

Prohibemus vaporum ascensum, naribus inspirantes, & exspirantes ore aperto, aqua, cydoniis, fructibus etiam crudis, vel, si cocti sunt, refrigeratis: & omnibus his vel devoratis, vel ore retentis.

Vacuato item vino vomitu, aut potius (quia vomitus replet cerebrum his quæ vomuntur, & sanguine vasis thoracis immodice compressis, à ventriculo sursum ad os suum faciente impetum) dejectione per balanos, injectiones etiam acres, aut per admota umbilico purgantia: sumptis etiam catapotiis aliquot Rufi, vel ex hiera, vel similibus, motu corporis recti clementi adjuvante.

Quod autem in caput jam repsit, quum sit vaporosum, facile resolvetur dictis prius remediis in digerendis cephalagiæ pituitosæ reliquiis, & frictionibus artuum, ligaturisque, ambulatione, & reliqua partium infernarum & brachiorum exercitatione. Vitatis simul his quæ novo vapore caput replere & inde dolorem ciere possunt, qualia sunt mentha, crocus, multis etiam moscus, & odores cæteri vehementes, & vapore multo & calido replentes instrumenta olfactus, atque adeo continuos ipsis ventres cerebri omnes, & cerebrum ipsum.

De dolore Capitis.

	S.	A.		S.	A.
* ab austrinâ constitutione.	3.	17.	scitur ex urinis.	4.	70.
hyeme quando?	5.	13.	lac nocet.	5.	64.
item.	3.	23.	juvatur sectâ frontis venâ.	5.	68.
ab aromatibus.	5.	28.	sedatur pu e confecto.	5.	22.
quando lethalis?	6.	51.	pure, aquâ, vel sanguine effluente	6.	10.

CAPUT XIII.

Principis facultatis symptomata.

Galen. 2. sympt. caus. c. 7. 3. loc. aff. c. 5. 7.

Substantia cerebri est desipientia.

PRincipis facultatis animæ quæ in cerebri substantia tanquam in proprio domicilio residet, depravata functio est DESIPIENTIA, παραφροσύνη Græcis & παράνοια dicta, quæ mentis est alienatio. Hæc qui conflictantur, præpostere ratiocinantur, aut aliena cogitant, qualia aut nusquam, aut aliter multo subsistunt. Quibus ita mens ægrotat, ii dolorem, inquit Hippocrates, fere non sentiunt. Desipientium tres sunt ordines, alii cogitatione sola delirant, qui-

2 Aph 6.

Ejus ordines.

quibus etiam vigilantibus mens visis quibusdam mendacibus jactatur: alii verbo, qui vel impudentius & effrenatius vel nullo ordine nulloque judicio multa obloquuntur: alii opere, qui suas etiam cogitationes factis explent.

Causa. Omnium *causa* est humor aut vapor ferventissimus, in cerebri substantiam, in ejusque ventriculos effusus, cujus impulsu & agitatione mens in falsa quædam fictitiaque traducitur.

Desipientia alia *cũ febre*, alia *sine febre* consistit.

Ea est vel cum febre delirium & phrenitis. Quæ *cum febre*, aut PHRENITIS * est aut DELIRIUM. Distant autem, quod simplex delirium fiat ex bile, aut ex tenui sanguine per cerebrum effuso, aut ex ventriculi, præcordiorum, totiusque corporis calida expiratione, qualis in ardentissimarum febrium vigore suscitatur. Phrenitis semper ex proprio atque primario cerebri affectu, ut ex inflammatione, ex erysipelate. *Earum causa.* Distant etiam quod delirium plerumque febris aut morbi gravioris symptoma sit: phrenitis vero non symptoma, sed causa sit febris. Adhæc frequens admodum est delirium, phrenitis vero rarissima. Horum autem causa sanguisne sit an bilis flava, ex delirationis specie perspicue noscitur. 6 Aph. 53. Nam *deliria*, inquit Hippocrates, *quæ cum risu accidunt, tutiora sunt quam quæ serio*: quod illa à sanguinis exuperantia, hæc, quia ferocia, à bilis sint acrimonia.

Signa. Discernuntur porro ex iis *signis*, quæ quis humor exuperet demonstrant.

Prognostica. PLATERUS. *Calida intemperies cerebri, si delirium causet, & sit Phrenitis vera, quæ ab inflammatione cerebri & meningum oritur, & mox cum febre invadit, morbus est periculosissimus & acutissimus, qui tertio die quandoque terminatur. Si vero minus ferociant, & cum risu delirent, spem majorem convalescentiæ hæc nobis adferunt. Quod si vero Paraphrenitis sit, cerebrumque nondum inflammetur, sed tantum ab humore vel vapore, uti frequentius fit, accendatur, morbumque calidum, febrem potissimum, sequatur; ex morbi conditione prædicendum erit. Non si in paroxysmis febrium intermittentium, sive in principio aut statu, hoc fiat sicuti pueris hoc frequens esse solet, una cum paroxysmo febris rursum remittit. Si vero in continuis hoc accidat circa statum, periculo carere minime potest: cerebro tunc cordi laboranti consentiente: ubi tamen si natura morbum vincat, febre declinante delirium quoque cessat. In pestilentialibus febribus etiam pro ratione morbi qui sanatur vel interficit, delirium lethale vel minime tale existit: nihil tamen boni, si superveniat, denotat: & si una simul pulsus remittat, maculæque erumpant, mors vicina est. In vermibus infantium etiam pro ratione febris judicatur: & sæpe convulsiones superventuras prædicit: alias sine noxa cum febre tollitur.*

SYLVIUS. *Phrenitis, cum morbus omnino acutissimus symptomataque sævissima invehat, ob id statim ipso principio curandus, ut Hipp. imperat. Aph. 10. lib.* 4. Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est. *Et remediis etiam valentissimis, quod idem jussit Aph 6. lib.* 1. Extremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt. Cura phrenitidis.

Si igitur morbo ineunte *vocaris, cũm ejus pars jam sit genita, pars gignenda: genitam curabis, materiam quæ fluxit per resolventia & alia vacuando: gignendam autem sublata ejus causa prohibebis, ne absolutum fiat erysipelas. Id quod si jam est, dubia est salus, frustraque à medicis fere auxilium expectatur. Augeri autem & procedere affectum prohibebis auxiliorum quinque generibus.* Fientis.

1. Victus ratione *tenui & refrigerante, & astringente: ut* aqua hordei, *seu potione ptissanæ, ptissana colata, & non colata seu tota, ut jubet Hippocr. lib de rat. victus in morbis acutis: vel potius: paulo pleniore, (præsertim hac in regione cibo largiori assueta) ne ægrum inedia enecuisse accuseris: ut, cremore alicæ, vel hordei farina cum aqua cocto addito granatorum, limonum, aranciorum, citreorum, cydoniorum succo aut omphacio, aut simili, quibus humores densati & coacti in caput ægrius confluant.* Aër *si frigidus natura non est, industria (ut ante docui) refrigeretur & humectetur aqua rosarum, aceto & similibus per aream sparsis.* Quiescat, *ac in cæteris faciendis, uti & sumendis, admovendis, quæ refrigerant, deligantur; hacque potissimum primis quatuor diebus.* 1. Diæta.

2. Avertentibus. *ut* secta vena *cephalica; aut si magna est plenitudo, vena cubiti interna priore, post hanc cephalica. Quod auxilium omni phrenitidi etiam veræ & ex syncera bile, non soli phlegmonodei* 2. Aversione, venæ sectione.

De Phrenitide.

	S. A.		S. A.
* *Viris familiaris.*	3. 30.	*à peripneumonia, mala.*	7. 12.
ultra 40. annos.	8. 1.	*cum urinis albis & perspicuis, mala.*	4. 72.

Phlebotomiam negat Gentilis: ne bilis furiat, impetrat Matth. Gradus, advertendi non vacuandi gratia.

nodes est salubre; ut ipsi etiam cranii fractura: quatenus sanguinem cum aliis humoribus à meningibus in utroque affectu, ob sensum tactus exactum valde dolentibus, attractum, & phlegmonas minantem, revellit; non quatenus vacuat, nisi phrenitis sit phlegmonodes, id est, à sanguine cum bile misto. In affectibus enim solum biliosis vacuatio sanguinis bilem cohibentis, & contemperantis, ipsam bilem furere & fervere permittit, si multus scilicet vacuetur, ut quantus in sanguineis affectibus: non autem si paucus, ut dum aversionis solius causa & transpirationis sanguinem paucum vacuamus. Cui etiam si bilis fervor aliquis superveniat, majus tamen, ex erysipelatis generatione per aversionem illam prohibita, illam prohibita, emolumentum consequimur, quam sit incommodum bilis inflammationi exiguæ succedens. Quid quod Avicennas etiam largum sanguinem mittendum imperat, nisi cautio quædam maxima prohibeat? quibus verbis omnino missum vult, nisi magna aliqua occasione prohibemur. Vena igitur secta revellemus quamprimum, etiam ventriculo pleno: nam in talibus tardare malum est, periculumque est ne erysipelas absolvatur interea dum cibus in ventriculo percoqui & descendere debet. Quam ventris inferioris vacuationem omnino expectamus, aut tardantem maturamus in morbis mitioribus, antequam venam secemus, vacuationis, aut revulsionis, aut alterius alicujus causa. Sanguinem namque interdum mittimus alias ob causas, ut ad præcautionem: quod lib. de morborum curatione per phlebotomen docet Gal. & ad cognoscendam sanguinis naturam, ut in febre quartana & aliis affectibus melancholicis Galen. lib. 1. ad Glauconem, & in elephantiasi, ut pernoscamus, an usus in illis, in hac corruptus sit sanguis.

Cucurbitulis, ligaturis, purgatione.

Avertunt etiam cucurbitulæ, *cervicibus & omoplatis affixæ: artuum item frictiones, ac* ligaturæ *ad articulos dolorificæ: medicamenta denique* cholagoga *vel clementia, vel, si corpus robustum est, valentia: ut Elect. rosatum, Elect. de succo rosarum, diaprunum scammoniatum à drachmis tribus ad drach. quatuor: pilulæ item aureæ, vel aggregativæ à drach. una ad scrupt. quatuor, non apparata prius materia, quæ turget, aut vacuari suapte natura est habilis maxime, nec morbus dat inducias. Avertunt &* enemata *etiam clementia ex unciis decem vel libra una decocti malvæ, violæ nigræ, hordei ana ad Ma. unum, adjectis decocto huic cassiæ fistulæ sescuncia, sacchari rub. unc. una, olei viol. unciis tribus, salis communis drachmis duabus. Sed potentius acria, ex prædicto decocto accipiente pro cassia diapruni scamoniati vel alterius E. prædicti drach. sex vel unc. unam.*

3. Repellentibus *à supernis partibus materiam fluentem: qualia frigida astringentia; ut oxyrrhodinum ex aceti parte una, olei rosati duabus, aquæ rosatæ quatuor: vel aliud ex prædictis in cephalalgia: vel sincipiti inflicta, vel capiti admota, vel collo ex panno aliquo circumposita, ut vias contrahant per quas materia ascendunt, & materias ipsas cogant, crassent, & ad motum ineptas reddant. Sed omnia hæc ante mutanda quam incaluerint.* — *3. Repulsione.*

Eodem pertinent caphura acetum, aqua rosarum, odorata & naribus imposita, vel etiam auribus, vel horum loco aqua, aut succus plantaginis, solani, sempervivi, oleum rosatum.

4. Intemperiem *capitis calidam à bilis contactu relictam, & viarum per quas ascendit laxitatem* corrigentibus, *frigidis & astringentibus: ut, syrupo rosato & granatorum, cum duplo aquæ rosarũ, solani, plantaginis, buglossi sumpto mane, & post cœnã, ut cum vaporibus à cibo claris cerebrum petant. Admotis quoque aliis prius dictis in cephalalgia calida.* — *4. Correctione intemperiei.*

5. Digerentibus materiam *si qua adhuc in meningibus superest crassior aut impactior, & quæ prædictis remediis non est vacuata: qualia sunt prius dicta in cephalalgia sanguinea, biliosa, & pituitosa: sed ex his moderatiora primum applicanda sunt; quæ si non sufficiant, ad valentiora transibitur, de quibus etiam nunc agemus.* — *5. Digestione materiæ.*

† *Si enim* phrenitis jam facta *est, ac absolutum erysipelas, nec amplius in generatione est, materiam in tumore coactam vacuare oportet, ut in tumoribus cæteris: symptomata etiam castigare. Porro vacuabitur partim sumptis myrobalanis, rhabarbaro, pilulis, & aliis in cephalalgia sanguinea & biliosa dictis: partim admotis capiti temperate calidis: ut, columbo, capo, aluro, catulo vel simili animalculo vivo per spinam secto, & exenterato, ut à vita calet: vel arietis pulmone aut hepate, similiter ab animali calente; & aliis in melancholia dicendis.* — *Cura phrenitidis factæ.*

Symptomata autem phrenitidis maxima sunt, insomnia, & ischuria. — *Mitigatio symptomatum.*

Somnum *igitur conciliabis somniferis omnibus, etiam opiatis: ut, Philonis, antidoto, vel opio ipso sumpto aut admoto, sed pauco, & mistis calentibus obtuso: modo vires valeant, nec æger sit senex: in his enim opiata exiguas caloris nativi reliquias extinguere periclitantur. Ob id etiam dysenterico & aliter laboranti, si virtus est imbecilla, opii usum recte Avic. formidavit. Satis igitur sit, syrupum papaveris, aut violatũ, cum aqua lactucæ sumere, unguentum autem populeum admovere, quæ omnia etiam delirium sedant.* — *Somniferis.* *Mesicap de violis.*

Urinã *vero suppressã promovebis ureticis remediis ut, oleo scorpionũ pubi illito è regione vesicæ, sua proprie-* — *Diureticis.*

† J. HEURNIO.] *Arietes pulmone recens ex animali extracto, capiti imposito desperatum ab aliis phreniticum, quem ante vi aperto ore bibere fecerat, curavit Medicus Hispanus teste in obs. m. s.*

tate his affectibus idoneo: item titillata digitis virga & perinæo ipso ad sedem usque: admota etiam dictis partibus cocta parietaria, & fotu harum partium facto ex ipsius decocto.

Vel delirium est sine febre.

Atque hæc quidem desipientiæ in febre sunt. *Desipientia* porro *sine febre* alia *simplex* est, alia *melancholica*.

Delirium simplex. 7. Aph. 9. 14 17.

SIMPLEX illa & levis interdum fit ex cerebri inanitione atque ex imbecillitate principis facultatis, qualem dixit *Hippocrates* ab immoderato sanguinis effluvio, atque etiam ex vigiliis accidere. Fit & interdum vehementius perculso & impulso cerebro, unde & animalis spiritus & mens perturbatur atque confunditur, ut quæ apud *Hippocratem* ex capitis ictu fit desipientia. Quinetiam ex multa vini potatione nasci traditur, idque plerunque sine febre, capite nimirum sanguinis vaporisque fervidioris copia incalescente & celerius impulso.

Galen. 2. sympt. caus. c 7. 3. loc. aff. 7.

Melancholicum, quod triplex.

Melancholica desipientia triplex, *melancholia*, *lycanthropia*, & *mania*.

Μελαγχολία. 6. Aph. 23. *Ejus signa.*

* MELANCHOLIA *mentis est alienatio, qua laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel efficiunt absurda longeque à ratione & consilio abhorrentia, eaque omnia cum metu & mœstitia*, quæ duo Hippocrates indubitata melancholiæ *signa* constituit.

Incipientes quidem melancholici abjecto, demisso, & hebetiore sunt animo, se suaque negligunt, vitam sibi acerbam putant & amarissimam, etiamsi ex ea migrare pertimescant. Quum jam malum invaluit, multa animo & cogitatione fingunt & obloquuntur aliena, perturbate atque confuse, eaque fere tristia: alii ne loquendum quidem sibi esse putant, sed omnem vitam in taciturnitate transigendam. Dein hominum consuetudinem conspectumque magnopere fugiunt, multi solitudines quærunt, & interdum mortuorum sepulchra aut horridas speluncas errantes sectantur, eoque se recondunt, ac sæpe luporum ritu ululant, quorum proprie vitium *lycanthropia* nuncupatur. Infinitæ horum species: qualis nimirum maxime olim fuerit cujusque intenta cogitatio, aut qualis vitæ conditio, talis sese repræsentat melancholica deliratio. Nam (quod Aristoteles literis prodidit) ut vinum potantium naturæ & moribus, ita sane melancholia laborantium constitutioni sese accommodat. Eorum plurimi qui sine febre desipiunt, melancholici putantur, maxime si meticulosi sint & tristes, qui facile continentur, nec violenter quicquam faciunt: sola quippe melancholica desipientia à frigidiore succo contrahitur, reliquæ omnes à calido.

Aëtius l. 2. serm. 2. cap. 11. Λυκανθρωπία. *Ejus signa.*

Μανία.

Melancholiæ succedit MANIA, ** nobis furor vel insania dicta, quæ cogitatione, verbo aut opere melancholicorum quidem deliramenta imitatur, sed iracundia, jurgiis, clamoribus, horrendo aspectu, multo denique majore corporis impetu & mentis perturbatione laborantes exercet ac impellit, ut quasi feræ & immanes beluæ in obvios dentibus, unguibus & pugnis inusitata rabie petulanter invadant.

Ejus sign.

Horum jam causas expediam. †

Causæ melancholiæ.

Melancholiam *efficit* ater ac feculentus humor

De Melancholiâ.

	S.	A.		S.	A.
* *Fit vere.*	3.	20.	*sanantur à varicibus.*	6.	21.
autumno.	3.	22.	*hæmorrhoid.*	6.	11.
ejus signa, timor & mœror.	6.	23.	*item.*	6.	21.
item.	7.	40.	*humorum decubitus, vere & autumno, suspecti.*	6.	56.
atra bilis redundantis signa.	7.	68.	*quid nunciet?*	6.	56.
Melancholici plenius per inferiora purgantur.	4	9.			

De Maniâ & Amentiâ.

	S.	A.		S.	A.
** *Fit autumno.*	3.	22.	*hydrope.*	7.	5.
vere.	3.	20.	*varicibus.*	6.	21.
solvitur ecstasi.	7.	5.	*hæmorrhoia.*	6.	21.
dysenteriâ.	5.	7.			

† SCINKELII Secretum & J. HEURNIUS in secretis remediis.] *Essentiam Margaritarum qua præbetur pondere ℈j. in magnis febribus & in Phrenitide ex cerevisia sacchärat. cochlear. tribus vel quatuor, promisi me nullos præter filios Medicos docturum.*

humor aut vapor in mentis sedem irrepens. Humor autem modo in liene vicinisque partibus, modo in capite solo consistit, modo in venas universumque corpus effunditur. Hinc melancholia triplex: hypochondriaca, primaria, & quæ totius corporis vitio fit.

Ejus signa. Hujus generis *signa* conspicua sunt subter præcordia, in quibus arteriæ vehementer & moleste pulsant, sicut & Hippocrates notavit, *Præcordiorum venæ si pulsant, aut turbationem aut delirium portendunt.* Ex humoris ardore æstus præcordiis inest, sed sine siti: nam læsa ventriculi concoctione sputum humidum copiosumque rejicitur. Hinc etiam ructus, flatus, rugitus & fluctuatio: sæpe dolor & cordis palpitatio, interdum etiam suffocatio. Sumpto cibo calidiore & coctu difficili calidus vapor sursum expiratur, è quo tum hæc, tum omnia melancholica deliramenta invalescunt, mitescunt vero refrigerante cibo, alvi dejectione, vomitione & ructibus. In plerisque etiam lienis aut mesenterii renitens dolensque tumor aliæque horum affectuum notæ insunt: in aliis quum præsertim ab exusta bile flava tales evaserunt, nec sola fex melancholica, sed atra bilis molesta est, non manifesta humorum congestio depreheditur.

Primaria. Melancholia *primaria*, in qua cerebrum primario afficitur, sive peculiari, sive totius corporis vitio.

Ejus signa. Hinc *intelligitur*, quod sine præcordiorum affectione fatiget, quodque signa adsint quæ melancholicum humorem vel in capite, vel in toto corpore dominari & exuperare demonstrant.

Causa maniæ. Jam vero quum atra bilis vel melancholiæ, vel sanguinis, vel flavæ bilis exustione genita est, *mania insilit* & adoritur, quæ proinde sæpe succedit incalescenti melancholiæ. Ater hic humor similiter atque melancholia, alias in præcordiis, alias in toto corpore, alias in capite solo congeritur.

Ejus signa. Calidus vero quum sit, immania horrendaque deliramenta concitat: quod si putrescat, febrem accersit: sin duntaxat vehementius incalescat, sine febre maniam solitariam.

Et hæ quidem depravatæ aut perturbatæ mentis functiones existunt, quibus fere comites sunt vigiliæ, eæque interdum pertinaces adeo ac diuturnæ, ut mente captus quidam menses quatuordecim insomnes duxerit.

Nunc de contrariis symptomatis.

Prognostica Hypochondriacæ melancholiæ. PLATERUS. *Melancholia Hypochondriaca etsi illa mitior, quia nonnunquam mitigatur vel cessat, quam vera esse videatur, gravis tamen quoque existit. Tum quod non tantum mentem perturbat, sed & tam multos alios affectus, circa partes naturales præsertim, uti expositum fuit, sese offerentes, inducat. Et quod adeo pertinax & diuturnum, curationemque tam difficulter admittens sit malum: sicuti & febris quartanæ diuturnitatis causam, hujus loci & similis fere materiei occasione accidere, in febribus demonstratum est. In quam & sæpe, si putredo sanguinem illum invadat, hic affectus commutatur: vel alioquin viscerum vicinorum, lienis, hepatis, & venarum illarum obstructiones & tumores parit. Nonnunquam & vapore suo massam sanguinis in reliquo corpore inficiens, in veram & perseverantem melancholiam convertitur.*

Quæ in cura melancholiæ observanda. SYLVIUS. *Antequam ad melancholiæ morbi curationem accingamur, pauca quædam* monendus *est lector: primum ne solus ad melancholicos adeat, nec ad hos propius accedat: & ipsorum manus, pedes, os observet: nam horum multi mente constare initio videntur, sed mox depravata ratione medicos & alios violant. Secundo loco observandæ sunt melancholici phantasiæ: quarum quibusdam ad curationem serviendum est, ut si quis ranas se in ventre multas habere imaginetur, concedendum est: promittasque ranas illas te expulsurum facile, modo is tecum consenserit: cumque hominem purgaris dejectionibus, jube ab assidentibus ranas vivas clam immitti, ostendas mox ægro. Sic enim falsa apprehensione deposita facilius curabitur. Adde quod quibusdam est blandiendum, alii jurgandi, & verberandi, & ligandi, ne sibi aut aliis manus violentas inferant: omnisque ferri præcipitiique potestas auferenda, custodibusque robustis nunquam destituantur.*

Quomodo ea curanda. *Porro melancholia*, generibus remediorum quinque *sanatur initio. nam confirmata ægre admodum sanatur Avicennæ.*

1. Diæta. 1. Victus ratione *humectante, & temperata, potius quam calida. ut aëre per vaporem decocti malvæ, althææ, violæ: per* odores *gratos, sed blandos. ut* cibis *humectantibus, capis, gallinis, phasianis, hœdis, vervecibus elixis, non assis nec frixis: adjecta portulaca, lactuca & similibus. ut* somno *conciliando frictionibus, fotu partium extremarum diuturno, & capitis modico, ex decocto lactucæ, foliorum salicis, sem. papaveris albi, sem. lactucæ, syr. papaveris post cœnam dato; fronte & temporibus unctis*

unctis oleo violato, & nymphææ, ung. populeo, clysteribus *ex simili materia. Per quæ si somnus non conciliatur, ad opiata transi clementia, præsertim viribus imbecillis.*

2. Præparatione. 2. Melancholiam apparantibus. *syrup. de pomis simp. & compo. de fumaria, de thymo, de epithymo, cum duplo aquarum buglossi, utriusque intybi, scolopendriæ fumariæ, lupuli.*

3. Evacuatione. 3. Vacuantibus *melancholiam primum lenibus: ut, epithymo per se ad drachm. duas, vel infuso ad unc. dimidiam in sero lactis, præsertim caprini: myrobalanorum similiter sumptis. Deinde valentioribus: ut, folliculis sennæ, lapide armeno, lapide cyaneo correctis, ut in compositionibus docetur: confectione Hamech, pilulis indis, pilulis de lapide cyaneo ad scriptula quatuor, cum syrupo violato vel alio humectante.*

Correctio apud Mesuem in simpli & apud Trallianum

Secta basilica *sinistra sanguis si niger apparet, mittatur quantum videbitur: si tenuis & clarus, mox sistatur.*

4. Aversione. 4. Avertentibus *à cerebro & corde ad partes ignobiles: ut partium externarum fotu ex aqua calida frictionibus, ligaturis, cucurbitulis sine scarificatu, balanis, clysteribus: aut, ex lib. una decocti thymi, epithymi, fumariæ, lupuli, polypodii, sennæ, cum cassia, sacch. rubri an. unc. 1. olei violati unc. 1. & dimidia, salis communis drach. 2.*

5. Reliquiarum dissipatione. 5. Reliquis resolventibus *sumptis: ut, diabuglossato, diaborraginato, & valentioribus, diamoscho dulci & amaro, Elect. de gemmis Mesuæ, Electario latificante Rasis, Elect. Conciliatoris: addito his Jaccharo violato: & admotis, ut epithemate cordiali ex florum borraginis & buglossi ana Ma. uno, been albi & rubri, ana drach. duabus, caryophyll. drach. una. simul mistis: & balneo totius & capitis ex malva, althæa, viola, capitibus & intestinis vervecum non tamen diuturno, ne vires dejiciat.*

Gal. 2. de sympt. caus. c. 7. & 1 cap. 1.

Stultitia, Amentia amissa memoria.

STULTITIA seu fatuitas, quæ græcis est μώρωσις, mentis est imminuta & infirmata functio, ceu quædam ignavia. AMENTIA, * quę ἄνοια, est vel imaginationis vel mentis occasus atque privatio, qua jam ab ipso ortu perculsi affectique vix mentis inopia loqui discunt. Hujus classis est FLUXA & amissa MEMORIA, quæ & oblivio.

Earum causa. Omnium autem *causa* frigida est cerebri intemperies, quæ functiones omnes torpidas segnesque reddit: nonnunquam cerebri aut temporum ex ictu aut ex vulnere vehemens concussio, quæ id imbecillius fecerit. At qui ab ipso jam ortu & naturæ primordiis vitium contraxerunt, iis inconcinna cerebri figura malaque inest conformatio, aut certe pauca cerebri substantia, ut quibus caput pusillum existit. Verum enimvero frigida cerebri intemperies quæ non simplex est, sed ex humoris frigidi pituitosique copia, iis quæ jam diximus soporosos etiam affectus adjungit, somnum, soporem, cataphoram, lethargum.

Causa somni naturalis. SOMNUS quidem naturalis, cerebri & animalis facultatis quies est, spiritus ac vires instaurans, quæ vigiliis & exercitatione per sensuum motuumque organa dissipatæ sunt. Quocirca inanitio & defatigatio somni quietisque causa quædam est: ac proinde à vigiliis à multaque exercitatione somnus arctior & placidior obrepit.

Præter naturam. Lib. de somno. At vero somnus NON NATURALIS (ut *Aristoteli* placet) oppleto fit cerebro, idque vel halituoso quodam vapore, ut à balneis, à cibi vinique copia, ab alvo suppressa: vel humore copioso qui nec caloris nec frigoris modum vehementer excedat.

Kataphora. Is enim si pariter frigidus vereque pituitosus sit, & magna copia in cerebri substantiam & in ventriculos (quo proprium cerebri excrementum cumulari recondique solet) effundatur, non somnum, sed *altum soporem* qui Græcis κάταφορα βαθεῖα dicitur, inferet: aut etiam veternum sopore graviorem, si illius copia admodum gravis extiterit.

Lethargi. Adhæc si forte humorem eum pituitosum putredo invadens febrem accersat, *lethargus* ** excitabitur; à sopore unius febris eiusque pituitosæ interventu distinctus. Ab

De Maniâ & Amentiâ.

	S. A.		S. A.
* *Fit autumno.*	3. 22.	*hydrope.*	7. 5.
vere.	3. 20.	*varicibus.*	6. 21.
solvitur ecstasi.	7. 5.	*hæmorrhoia.*	6. 21.
dysenteriâ.	7. 5.		

De Lethargo.

	S. A.		S. A.
** *Viris familiaris.*	3. 30.	*somnus laborem faciens, malum.*	2. 1.
in eo tremor, malum.	7. 21.		

Quomodo hi ab Apoplexia distinguantur. Ab apoplexia vero sopor, qui gravis sit, *internosci* vix potest: hoc tamen discriminis intercedit, quod sopor facilem liberamque respirationem sine stertore conservet, quæ tamen in apoplexia sensim ingravescit, accersitque stertorem. Reliquæ omnes motus & sensus & mentis functiones, in sopore perinde atque in apoplexia, vel etiam gravius interceptæ concidunt; quanquam in quodam deprehendi unam constitisse memoriam. Is quum per accessionem ita sopiretur, ut nec pilorum evulsionem, nec punctionem sentiret, excitatus tandem omnia furore quodam memoravit, quibus acerbe excruciatus fuerat in sopore.

Reliquæ somni præternaturalis causæ. *Fiunt præterea* & soporosi affectus cerebro ictu vel casu vehementius concusso. Agitatis quippe & commotis spiritibus, nulla recte actio edi potest, tumque subsistit homo quasi attonitus, ut qui aut timore aut verecundia obstupuit. At si concussionis vi & impetu fracta ac depressa calva meninges cerebrumque premit, sensus atque sermonis expers obstupescit æger. At certe quum effractum cerebrum est, atque ejus aut nervorum inde prodeuntium divulsio quædam obtigit, omnibus quidem fractis ac debilitatis deterrimus oritur sopor, exiguam nobis salutis spem relinquens. De hoc inquit Hippocrates, *A capitis ictu stupor malum.* Et rursum, *Quorum cerebrum concussum aliqua ex causa est, eos repente obmutescere necesse est.* Quendam vidi ictu adeo vehementi ac valido concidisse, ut sanguis ex oculis, auribus, naribus & ex ore manaret: hinc tantus mentis sensuumque stupor invasit, ut calva pertusa ac deinde obducta fuerit, omneque remedii genus sine sensu inductum, sitque is tertio mense restitutus, immemor omnium quæ obtigerant.

A quibus ἡ ἔκπληξις. 7 Aph. 14. 7 Aph. 58.

Quomodo illæ causæ internoscantur. An autem ex contusione, an ex humorum frigidorum copia ortus sit affectus soporosus, facile tum propria signa explicabunt tum quæ morbum antecesserunt.

Prognostica soporis. PLATERUS. *Si à pituita vel affluxu humoris frigidi aut cerebri excrementis sopor gravis fiat, et si vulgus de illis, quos non sopore oppressos, sed apoplexia tactos judicat, desperet, & revera periculo non vacent, non tamen spes sanationis abjicienda: cum multi ex illis, nisi gravius aliquod accidens superveniat, ut convulsio humore putrescente, & febris, ut dictum, acuta comes sit, uti in lethargo, qui in senibus lethalis est, sanentur: licet & viderim post aliquot convulsionum paroxysmos, à caro nihilominus convaluisse, relicta tamen in visione & memoria hallucinatione quadam, quæ postea ob senium emendari minime potuit.*

Cura soporis primarii à pituita. SYLVIUS. *Si proprius est cerebri affectus & primarius, curatur ut apoplexia: & ut cephalalgia pituitosa, si pituita est; (id quod fere est:) aut ut sanguinea, si à larga in capite sanguinis copia.*

Curatur autem illa *solis calefacientibus: tam sumptis, ut diamoscho dulci & amaro, acoro vero condito, confectione veri acori, & anacardina: quam admotis, ut olei spica, costino & cæteris prædictis: si à sola intemperie frigida, vel etiam humida sine materia fiat.*

Per consensum. *Si* per consensum *cum parte aliqua, ut ventriculo, ob materiam aliquam, aut multitudine vires opprimentem, aut frigiditate humida stupefacientem fit caros: parti materiam transmittenti prius est prospiciendum, vacuatione illius materiæ, & providentia, ne similem vel in se gignat, vel aliunde recipiat, in cerebrumque transmittat. Deinde cerebro recipienti prospicimus vacuando quod jam recepit, & roborando, modisq; omnibus providendo ne talem deinceps materiam recipiat. Quæ quibus remediis perfici possint, prius abunde in cephalalgia diximus.*

A narcoticis. *Si autem materia sit deleteria, ut narcotica in ventriculo, non solum calidis est oppugnanda, sed suis alexipharmacis tota substantia contrariis & in illa expellentia agentibus, quæ horum singulis propria à Dioscoride & aliis describuntur.*

Avertentibus etiam utendum est, ac materiam attolli astrictione sua prohibentibus, sed calidis actu & potestate: ut, hiera ex aloë, rhabarbaro, myrobalanis.

Excitandus *postremo* æger *est valentibus tum revulsionibus per purgantia, ut balanos, clysteres, in apoplexia dicta: per frictiones quoque & ligaturas dolorificas, & cucurbitulas: tum vulsis naribus, auribus, barba, capillis, sternutamentis, odore aceti acrimonia mordentis, & materiæ aliquid siccantis.*

Ex Galen. loc. cit. Et 2. Pror. 59. *Catalepsis ejusque causa.* Est & aliud symptoma ex contrariarum causarum permistione nascens, quum pituita bilisque flava permistæ in cerebro simul immoderatius exuperant. Id catoche seu CATALEPSIS, id est, prehensio aut stupor vigilans vocitatur, quod licet mens sensusque omnes subito correpti vigilantis

gilantis formam figuramque retineant, nihilominus tamen omnis eorum functio consopita sit.

Signa. Quocunque statu prehensus sit æger, eodem permanet. Rarum certe hoc malum, & cujus admiratione spectatores obstupescunt. Laborantes duos referam, quorum animadversio in cæterorum *cognitionem* adducat. Unus dum literis & chartis sedulo invigilaret, repente hoc vitio perculsus, ita quidem obriguit, ut sedes calamumpue digitis premens oculis in libros defixis putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus ac impulsus deprehensus est omni sensu motuque carere. Alterum mortui ritu jacentem invisi, qui neque cernebat, neque audiebat, neque compunctus sentiebat quicquam: facilis tamen inerat spiratio, & quicquid in os inserebatur, prompte vorabat. E lectulo sublatus solus consistebat, impulsusque incedebat, & quocunque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum & stabile permanebat. Expressam quandam dixisses larvam aut arte progredientem statuam.

Hinc igitur constet quæ cerebri symptomata simplicem intemperiem, & quæ humorum vitium sequantur.

Nunc de ventriculorum ductuumque affectibus.

Aph. 3. 2. Causa alia & verior. SYLVIUS. *Catalepsis Galeno ab intemperie cerebri frigida sicca fit, dicta vulgo medicorum congelatio, à catoche seu sopore vigilante diversa affectio: quod catalepsis spiritus animales à frigido sicco velut concretos, & ad actiones suas ineptos habet sine materia: catoche autem seu sopor vigilans gignitur à bile flava largiore, cum pituita etiam largiore, in cerebro permistis: quarum illa calida sicca vigilias, hæc frigida humida somnum inducit; magis & minus pro vincentis materiæ quantitate & qualitate.*

Quanquam vero hæc cum apoplexia communem habet sensus & motus privationem, tamen in apoplexia spiritus sunt integri: per obstructionem vero ventriculorum cerebri, in partes nervosas sentiendi & movendi facultatem convehere prohibentur: quo fit, ut partes laxæ & resolutæ maneant, & corpus situm, ac partium figuram priorem commutet: in catalepsi autem spiritus ipsi sunt affecti, & velut concreti, ob intemperiem ipsorum frigidam siccam: ob id vim sentiendi & vomendi in partes nervosas transvehendum inepti: sed quibus locis sunt intercepti, manent quieti, & hæ partes rigidæ fiunt. Catalepseos & apoplexiæ differentia.

PLATERUS. *Catalepsis pertinax admodum est malum, idque præsertim si à melancholia hic affectus originem traxerit: sic enim affecti difficulter curantur, & licet eo liberentur, stupidi tamen & melancholici manent.*

SYLVIUS. Catalepsis curatur *calidis moderate & humectantibus sumptis & admotis. ut fotibus ex oleo sesamino, jasmino, chamæmeli, addita etiam in singulas horum libras euphorbii unc. una: ex oleo etiam liliorum calorem nativum proprietate sua vivificante, vim alexiteriam contra hoc malum sortito: ex decocto item chamæmeli, meliloti, salviæ, majoranæ, &c. capitalium, in vino.* Cura catalepseos.

Hæc post aversionem materiam solvunt: sed vide ne acuto aut similiter siccante remedio, vitales spiritus paucos in corde relictos absumas, & extinguas. A mitioribus ergo incipienda fusio: ad valentiora paulatim, si est opus, deinde transeundum: qualia fuerint oleum quod dixi, euphorbiatum, rutaceum, ex spica, costinum, laurinum: & vini optimi & aromatici potus, quale est malvaticum, & quod κιῤῥὸν, id est, igneum seu fulvum, quo catalepsim sanasse se dicit Galenus lib. 3. Simplicium. Vinum namque hujusmodi virtutem quandam vivificandi obtinet. Avic. cap. de deleteriis frigidis. Catalepseos autem *curatio plenius ex melancholiæ curatione intelligitur.*

CAPUT III.

Motus sensusque symptomata.

Gal. 3. loc. aff. cap. 8. *Vertigo quæ* VERTIGO * *est qua omnia circumagi videntur*, ita quidem cerebrum sensusque exagitans ut sæpe laborans corruat, nisi propinquis nitatur adminiculis. Hæc levius symptoma est suffusio, qua solum fumi, nubes, muscæ, hisque similia volitare ob oculos putantur.

Hujus *causa proxima* est tenuis calidusque vapor

De vertigine.

	S.	A.		S.	A.
* *quale signum?*	4.	17.	*fit hyeme.*	3.	23.
item.	8.	15.	*in senibus.*	3.	31.

Ejus causa proxima. vapor per arterias in cerebri ventriculos irrepens, qui in plexu choroide spiritus & humores exagitans & varie impellens, turbulentos sensus motusque reddit. Hic porro vapor ex humore quodam vitioso, non continenter & assiduo, sed circuitibus & quoties evidentium causarum vi cietur efflari consuevit.

Differentia. Hic autem humor interdum in cerebro, sæpius in ventriculo & præcordiis aliisve partibus subsidet. Hinc vertigo alia primario *cerebri affectu*, alia ventriculi aliarumque partium *consortio* fit.

Signa differentiarum. Illam *demonstrant* capitis dolor aut gravitas, aurium tinnitus, olfactus vel auditus oblæsus: hanc vero nausea, inappetentia, oris amaror, & cordis erosio cardiogmos appellata. Aut si qua pars alia huic malo dedit originem, ejus affectæ indicia elucebunt. Ut in quodam cui ab occipito vertigo exoriebatur, pars in eo minima dolebat, quę si vel blandissime attingeretur, concitatus humor vaporem in sensus omnes expirabat, quo protinus offusi tenebantur.

Causæ evidentes. His qui vertigini aut suffusioni obnoxii sunt, accessionem cient *evidentes* hæ *causæ*, Solis æstus, exercitatio immodica, & quæcunque humores calefaciunt aut exagitant, aut cerebrum concutiunt. Deinde rotarum circumactus & aquarum vortices.

Prognostica. PLATERUS. *Si vertigo fiat ob motum corporis, aut animi saltem, nulla intrinsecus alia causa concurrente, illa etiam, cessante causa, sponte cessat. Si vero spirituum hæc agitatio & perturbatio à vaporibus sursum delatis oriatur, prout partes inferiores ad gignendam vaporum materiam magis aut minus dispositæ sunt, ita major aut minor est metus recidivæ. Periculosa autem est vertigo à magna capitis repletione orta: qualem sæpius invenimus, quæ cum auferri possit, in Carum & Apoplexiam quarum prænuntia est, interdum desinit.*

Præcautio vertiginis. SYLVIUS. *Scotoma & vertigo vel corpori neutra impendent, tuncque illis prophylactica artis pars, id est* præcautrix, *providet, augeri causam prohibendo.*

Cura in paroxysmo. *Vel jam jam hominem conflictant; tunc artis par*A*te* curatrice *est opus: quæ præsentem causam, morbumque abigat genitum. Causa enim effectrix morborum, prima est cum perseverat auferenda, ut recte Galeno visum est.*

A causa externa. *Quæ si* externa *est, ut corporis in gyrum circumactio, æger quiescit. Si corporis ita circumacti, vel rotarum aspectus; intueri hæc desinas. Si ebrietas, clystere potius quam vomitu ventriculus vacuetur, extrema fricentur & ligentur, aliisque auxiliis à capite vapor avertatur.*

Interna. *Si vero* interna *est, ut motus spirituum immodicus & inordinatus, quiescat in aëre obscuro, nam lux ipsos spiritus exagitat: sumantur frigida, ut sacchari rosati, syrupi rosati, ribes, granatorum, cydoniorum uncia una, cum aqua rosarum, lactucæ,* B *plantaginis, unc. duabus; quæ spirituum motus turbulentos sedent ac sistant. Foris etiam applicentur quæ fluentem in caput materiam repellant, qualia prius dicta sunt; caput quoque roboretur, & quæ ex intemperie relicta in eo est imbecillitas, castigetur remediis ante descriptis.*

Si vero causa ejus, vel præsentis, vel impendentis, sit sanguis, secta, ut in cephalalgia sanguinea dictum est, vena vacuetur. Si pituita aut humor alius, prædictis etiam auxiliis purgetur. *

Gal. loc. cit. cap. 7. Epilepsia quæ? EPILEPSIA *totius corporis distentio crebra est* seu convulsio non perpetua, qua homo subito concidit, sensuum omnium atque mentis functionibus interceptis, ut nec audiat, nec videat, nec expeditus præteritorum meminerit. Concussione ex ore spu-

Ejus signa. C mę moventur, & solutis musculis interdum vel urina, vel stercus, vel genitura præter voluntatem exit, & obscura vox eliditur. Atque hæ quidem absolutæ epilepsiæ *notæ* sunt: plerumque levior existit, cujus non tam expressa sunt symptomata: nam vertigini finitima hæc est, aut quasi medio ordine inter vertiginem & epilepsiam. Proinde non pauci vertiginem dixerunt diminutam epilepsiam, prodiderunt que, ingravescentem illam in hanc facessere.

Quam causam assignarint veteres. *Causa interior traditur* humoris pituitosi aut melancholici ingens copia: quæ repente cerebri ventriculos meatusque infercien s, efficit ut æger cohibito animali spiritu

De Epilepsia.

	S.	A.		S.	A.
* *fit vere.*	3.	20.	*quomodo in Iuvenibus sanetur.*	2.	45.
autumno.	3.	22.	*quâ ætate sanabilis.*	5.	7.
per pluviosam constitutionem.	3.	16.	*insanabilis.*	5.	7.
est familiaris adolescentibus.	3.	29.			

ritu corruat. Hæc tamen non affatim ac penitus ſpirituum ductus obturat, ſed ejus non nihil etiam præterfluit. quo cerebrum concuſſione adnititur quicquid noxium eſt excutere.

Galen. 5. Aph 1. Quæ refutatur.

Cæterum non ſola noxii humoris copia epilepſiam infligit, quod in ſopore ejus copia inſit citra convulſionem: quod etiam quum ſubito deſinit epilepſia, ei ſane quemadmodum & apoplexiæ, excuſſo in nervos humore, neceſſario ſuccederet paralyſis, id vero nuſquam obſervatum eſt.

Vera epilepſiæ cauſa continens.

Quocirca ut alio opere plenius demonſtravimus, præter humoris copiam venenata & cerebri ſubſtantiæ graviter infenſa atque inimica qualitas, *epilepſiæ cauſa ſtatuenda* eſt, quæ quoties exagitatur ac prorepit in cerebrum, ea quidem feriente, cerebro autem contrapugnante, quaſi colluctatione quadam & dimicatione fit epilepſia. Hujus autem fomes modo in cerebro modo in ore ventriculi, nonnunquam & in aliis diſtantioribus ſedibus deliteſcit, è quibus furtim per cæcos ductus in cerebrum ſerpit & progreditur.

Triplex epilepſia pro parte unde ſuſcitatur:

Hinc epilepſiæ *tres differentiæ* conſurgunt. una *cerebro* aſſignatur, altera eſt quæ *ventriculi*, tertia quæ *alterius* cujuſvis *partis* conſenſu fit.

E cerebro,

Quæ *in cerebro* fit epilepſia, aperto eorum qui è vivis deceſſerunt capite, animadverſa eſt ſæpius aliunde ſuſcitari quam ex ventriculorum infarctu. Cauſam interdum deprehendi cerebri abſceſſum eſſe, interdum corruptam meningis portionem calvæ adhærentem, ſummo dolore: quibus è locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat.

Hanc ſpeciem *oſtendunt*, capitis gravitas aut etiam dolor atrox, ſenſuum mentiſque ſtupor aut tarditas, faciei pallor, turbulenta inſomnia, & quod acceſſio repente hominem adoritur nulla ſymptomatum præſenſione.

E ventriculo,

Alteram quæ *ab ore ventriculi* haud ſecus atque oculorum ſuffuſio originem ſumit, præcedunt ventriculi dolor, diſtentio, compunctio, & difficilis inediæ tolerantia: quumque acceſſio proxima eſt, nauſea, cordis dolor, aut animi defectio: quum vero ea deſierit, vomitio alias pituitoſa, alias bilioſa.

Ex alia parte.

Tertia ſpecies ſæpe à manuum pedumve A digitis, vel à crure, interdum ab utero ſuſpiratur, præſertim quum fœtus geſtatur, cum quo & putria multa coërceri ſolent. Non paucas novi mulieres, quæ quoties uterum geſtant, crebro epilepſia corruunt, expeditæ vero nunquam. Hæc etiam poteſt ab alia quavis parte proficiſci: nam viſa eſt quæ à ſummo vertice capitis originem haberet: è quo vapor quoquoverſum excurrens, ſi per externas partes ſolum vagabatur, vertiginem; ſin intro penetrabat in cerebrum, epilepſiam ciebat.

Omnium manifeſtiſſime hæc ſpecies *deprehenditur*. Ex ea quippe ſede in qua mali fomes deliteſcit, prehendente acceſſione, velut aura quædam frigidior per continuatas partes in cerebrum efferri percipitur: cujus etiam impetus incipiens injecto arB ctiore vinculo (ſi pars id commode ferat) intercludi cohiberique poteſt.

Prognoſticum.

PLATERUS. *In omnibus Epilepſiæ ſpeciebus, cum omnes arduæ ſint, nihil boni temere, etſi cura idonea, vel naturæ beneficium, prognoſticum nonnunquam attingat, erit prædicendum: Nimirum diuturnam dictam, epilepſiam, ſi ante pubertatis tempus incipiat, & non eo adventante, tunc nimirum cum maſculi ſemen emittere poſſunt, vel fœminis menſes erumpunt, ceſſet, uti & eam quæ poſt pubertatem primum incipit, incurabilem & deſperatam, ad extremum uſque vitæ tempus, longo tempore, niſi ſævitia ſymptomatum mortem acceleret, homines affecturam.*

Cura Epilepſiæ extra paroxyſmum in infante

SYLVIUS. Epilepſia vel imminet, *ut fere pueris ad eam opportuniſſimis; tunc parte artis præcautrice opus eſt, ut in acceſſionis intermiſſione:* Vel C jam prehendit *& nunc hominem fatigat; tunc curatione proprie dicta indiget.*

Paulus infanti nato ante lac, mel exhibet. lib 1.

Si recens natus eſt infans *convulſus, ubi experrectus &* acceſſione ſolutus *erit,* capiat *in dies, antequam lac ſugat, ſaccharum album, cum oleo ſeſamino, vel amygdalarum dulcium, vel butyro, miſtum in electarii mollis formam, ad purgandos humores pravos, ex ventriculo, & inteſtinis, à quibus elati vapores pravi, epilepſiam his afferunt.*

Internis.

Deinde ſumat in dies cochlearium unum ſyrup de cichorio ſine aqua. Vel mannæ, vel albi tartari pulvis, vel nitri, ſi ejus eſt poteſtas, vel lapidis Iudaici, lacti cocto miſceatur: ubi autem ambulare cœperint, cum ſuo lotio: ſic medicus quidam filios principis cujuſdam à morte vindicavit, quæ priores ejus liberos epilepſia ſuſtulerat.

Externis,

Pæoniæ, maris præſertim, radix tranſverſim ſecta, corc-

Gal. lib. 6. simpl. *corona modo consuta, collo* appensa, *vel quovis modo alio gestata, in odoretur tamen, proprietate sua epilepsiam præsentem sanat, vel impendentem prohibet. Smaragdus quoque, & corallium collo appensum, ut hodie fit à multis, præsidium est optimum. Iaspidem viridem appensum sic, ut stomachi regionem tangat, stomachum roborare scribit Galenus.*

Libro 6. simpli. *Ab infantibus etiam prohibebis omne objectum sensus insigne & subitum: ut sonitus vehementes, strepitus, terrores: cum Matthæi Gradi filius infans, repentino tubarum clangore epilepticus evaserit, & alii non pauci à causis similibus, quidam à lapsu scalarum. Nutrix quoque infantis à venere lac ipsum corrumpente abstineat, & crapula, & cibis malis cæterisque pravum lac gignentibus.* Remotione causarum.

In adultis à pituita. In ipsa *igitur* intermissione *causa epilepsiam genitura, quæ fere est pituita,* abigetur quinque auxiliorum generibus.

1. Diæta. 1. Victus ratione *calefaciente & siccante.*

Vt aëre *cubiculi aut lecti alterato per ignem luculentum, & suffitus cum caryphyllis, cortice citri, roremarino, majorana, salvia, stœchade & similibus. Cave tamen ne copia vaporum, aut caput repleat, aut materiam exagitet.*

Cibus *& potus sit paucus, nec vaporosus, præsertim cœna: nam ex alimento multo vapor multus tollitur, qui accessionem epilepticam & alia capitis vitia accersit. Vitet opium vulgi, & caprarum grandium carnes, quia utrunque proprietatem habet excitandi & detegendi epilepsiam, uti ador bituminis, jecur caprinum & hircinum assum, & sumptum, Galen. 11. simpli. licet capreoli, quia facile coquuntur, sumi possint. Vitentur herbæ frigidæ humidæ, lactuca, protulaca & similes: sumantur autem calidæ, salvia, majorana, & præter cæteras hyssopus, quæ sola decoctis & cibis largiter mista testatur Serapio se multos curasse.*

Vinum *quoque quia epilepsiam facit, vitetur, præsertim multum: paucum autem & aromatites aut aliter calidum permittitur, præsertim assuetis eo citra capitis aut ventriculi noxam uti, nisi corporis aut aëris intemperies calida prohibet.*

2. Materiæ concoctione. 2. Materiam, *scilicet pituitam,* coquentibus: *ut melle rosato, oxymelite simplici, composito, scyllino, syru. stœchad., cum aquis capitalibus, præcipue hyssopi. & his per dies 6. 8. 10. continuos apparanda est materia.*

3. Phlegmagogis, *ut hiera picra simplicis mellitæ drach. sex agarici recenter trochiscati drachma una, cum aqua hyssopi: ut pilulis alephanginis, mastichinis, & in robusto hiera diacolocynthidos, fœtidis, cochiis, cum agarico pituitam à capite potenter vacuante. In accessione autem si nimis est molesta, aut diuturna, pilularum fœtidarum & cochiarum ana scriptuli duo vel ana drach. dimidia, ex aqua hyssopi soluta dari possint, si majus nihil intercedat: vel diaphœnici, aut E. indi uncia dimidia, aquis capitalibus soluta. Melius autem est, extra accessionem, parata, ut dixi prius, materia, medicamentis purgantibus uti.* † 3. Purgatione.

4. Avertentibus *materiam deorsum, balanis, clysteribus, frictionibus, ligaturis, apophlegmatismis, errhinis, dicendis in paralysi & apoplexia.* 4. Aversione.

5. *Reliquam cerebro materiam* resolventibus, *& cerebrum frigidum humidum calefaciendo: & siccando roborantibus, ne similem materiam postea generet: iisque vel sumptis, vel admotis: sumptis quidem acoro vero condito, diacoro, diamoscho dulci & amaro, pliris archontico Nicolai, medicamento ex scilla, quod ad præcavendam epilepsiam præstantissimum est. Scilla autem æstiva purgata, incisa, cum melle in vase vitro obstructo insoletur dies 40. horis singulis vertendo, ut omnia sol tangat: post dies hos liquor vi solis solutus ad electuarium id componendum est capiendus, quod Rasis describit libro primo continentis, & Avicenna in curatione epilepsiæ. Electuarium quoque à Rasi in epilepsia hac curanda descriptum, multos ab epilepsia curasse plerique medici testantur. Nicolaus quoque Florentinus quendam quadragenarium ab infantia ad hanc usque ætatem epilepticum sanasse affirmat hoc electario. quod recipit herbæ paralysis (quæ costus, piperella, herba sancti Petri, vel Pauli quoque vulgo dicitur) quantitatem idoneam minutim concisam, & caryophyll. pæoniæ, pyrethri, ana portione) æquales. cum melle sufficienti fac electarium, sumendum in dies ad cochlearium unum. Vel theriaca, aut mithridatium semel in septimana sumantur.* 5. Resolutione.

Sunt & quæ epilepsiæ tota sua substantia *repugnant, ruta, pæonia, præsertim mas, sæpe sumpta, & modis omnibus admota, & odorata. Vesica quoque apri urina plena, & cum hac clibano siccata, pulverata cochleario uno quotidie sumpta. Est efficax multum & cornu cervi, & smaragdus collo appensus: corium à fronte asini, castorium; laseris Parthici succus, seu assa fœtida* 6. Specifica actione.

† O. HEURN.] *Si humor est separatus à massa sanguinea, cerebrumque pituitâ permaduit, phlebotomia necat, subducto spirituum robore, ideoque in senib, forti potius clystere, quam phlebotomiâ utendum.*

sumpta, & suffita, etiam accessionem finiunt. Lapis quoq; præsertim versicolor in ventriculo pullorum hirundinis inventus, corio vituli tectus & in argenteo vasculo appensus collo, maxime quosdam adjuvit. Cranium quoque maris in mare, fœmina in fœmina, ustum, donec sit albissimum, & pulveratum, potu quotidiano epilepsiam sanare, testis est Gerardus à Salo, & Galenus lib. 11. simpli. de ossibus.

Reliqua cura si est à sanguine, *Si* à sanguinis copia *est, seca venam cephalicam: postremo si opus erit, venam frontis.*

A melancholia, *Si* à melancholia *est, cura ut phlegmaticam, sed remediis in melancholia dictis.*

Si per consensum. *Si* per consensum *cum parte aliqua subjecta, elato ad cerebrum ex ea vapore pravo & venenoso accessionem committente, stricta fiat deligatura, si in* **Artuum.** artubus *est, quæ viam vapori præcludat: post accessionem vero, ex parte ipsa luem ipsam vacua, etiam, si opus est, partem ipsam ulcerando, ut Gattinaria quendam epilepticum sanavit aperto per cauterium tumore in coxa, & osse quod simul computruerat ablato, & parte illa putri sanie diligenter purgata.*

Ventriculi cura in paroxysmo. *Si per* consensum cum stomacho, *curatur ut epilepsia phlegmatica.*

In ipsa autem accessione materiam à cerebro averte, sive propria sit, sive per consensum, clysteribus balanis, frictionibus, ligaturis cucurbitulis apophlegmatismis, errhinis suffitu etiam castorii, assæ fœtidæ pæoniæ radicis & seminis. Item ruta trita, & succus ejus in nares turunda immissus per se, vel cum castorio, pæonia assa, & similibus, est præstantissima ad finiendam accessionem.

Aëtius l. 2. serm. 2. Ægineta lib 3. c. 15. *Incubus* † INCUBUS. *est gravis corporis oppresio & nocturna suffocatio respirationem offendens vocemque intercipiens.* Sensus quidem non adimuntur, sed tamen stupefiunt, hebetanturque, *Ejus signa,* quemadmodum & mens & imaginatio. Etenim laborans vel ab hoste se invadi vel ab aliquo venerem exigente tanquam ab incubante mole premi, qui manu attactus mox effugiat, vel absurdiora quædam spectra imaginatur ac fingit.

Causa est crassior pituita aut melancholia, *Causa.* non in cerebro sed circum præcordia inhærescens, qua per crapulam & cruditatem turgescente, diaphragma pulmonesque premuntur: crasso autem vapore illinc in fauces & cerebrum expirato vox supprimitur, sensus atque mens obturbatur, visisque tristibus offunditur.

Incubus epilepsiæ & apoplexiæ affinis est, in quas, si diutius persistit, sæpe degenerat.

PLATERUS. *Incubus perniciosus interdum affectus est, cum obesos & pueros nonnunquam suffocet: alias vero, si perseveret, ad cerebrum vapores ejusmodi tandem transmittendo, graviora accidentia, melancholiam hypochondriacam, vel veram maniam, vel epilepsiam, cum eadem illorum quæ & Incubi sit causa, sede quam afficit tantum differentium, inducat; atque in apoplexiam, si gravius inde cerebrum lædatur, terminari possit.* Prognosticum.

SYLVIUS. *Curatur purgatione ventriculi per hieram picram, & victu tenui ac tenuante.* Cura.

* APOPLEXIA *est repentina motus & sensus, omnisque animalis functionis privatio.* Gal. 3. de loc aff. 10. *Apoplexia.* Hac quippe perculsus, nullis fere mali indiciis præcurrentibus, totus repente quasi attonitus *Ejus signa.* concidit: atque si acerbum malum est, jacet fixis oculis sine sensu, sine motu, sine mente, sola respiratione à mortuo dissidens, quæ & admodum difficilis mox evadit & cum stertore gravissimo. Hoc uno *Distinctio à sopore,* maxime *à sopore* & ab uteri strangulatu distat, quod in his fere respiratio facilis & libera servetur. Licet enim in caro in omnique gravi sopore priores cerebri partes opprimantur, ab hisque prodeuntes sensus torpescant, partes tamen posteriores illæsæ, satis spiritus in movendi nervos effundunt, quo motus conservetur, maximeque respirationis, ad vitæ conservationem in primis necessariæ. At apoplexia omnia oc-

Venenis & Epilepsiæ.

† PLINIUS.] *dicit Ciconiarum stomachum omnibus Venenis resistere. vulgò creditur earum fimum ex aqua Epilepticos juvare.*

De Apoplexiâ.

	S.	A.		S.	A.
* *Fit hyeme.*	3.	23.	*ab anno* 40. *ad* 60.	6.	57.
à pluviosâ constitutione.	3.	16.	*est morbus senum.*	3.	31.
à concussione.	7.	58.	*fortis incurabilis.*	1.	42.
melancholico humore.	6.	56.	*debilis difficilis solutu.*	2.	42.

occupans & offendens, motum omnem respirationemque tollit, eaque maxime causa hominem jugulat. Ad hæc solutum carum fere excipit bona valetudo: apoplexiam paralysis. *Vteri* vero *strangulatus* quum solo vapore cerebrum feriat, multo minus respirationem impedit, nisi fauces præcludat. *A syncope* vero dissidet apoplexia, quod nullus aut in primis obscurus ac languidus in illa arteriarum pulsus existat, in apoplexia vero plenus ac validus, nisi quum jam in propinquo mors est. Si mitior apoplexia fuerit, sensus quidem aut motus inest, sed admodum stupidus & incertus, ac tum fere pars altera corporis resoluta ingravescit.

Vteri stran gulatu, *Syncope.*

Causa. Hujus *causa in* cerebro consistit, omnis motus atque sensus communi principio. Ea autem est crassior frigidiorque pituita: neque enim à sanguine, neque à melancholia hanc gigni verisimile est, etiamsi toto corpore exuperent. Atq; frigidior ea pituita, licet proprium cerebri excrementum sit, dum tamen affatim & universe omnes ejus ventriculos implet, aut dum minimum quiddam retis admirabilis arterias, per quas spiritus ex corde in cerebri sinus influit, repente obstruit aut coarctat, apoplexiam infert. Tum quippe sinus influente spiritu destituti, nihil deinceps suppeditare possunt sensuum motuumque nervis, moxque necesse est animal collabatur, ac si ejus carotides arteriæ interciperentur vinculo.

Qui propensi in apoplexiam. Quibus caput grave frequenti sopore tentatur, & corpus omne pigrescit inertiusque evadit, & oculi tenebris offunduntur, hi *apoplexiæ opportuni* sunt; maxime vero senes pituitosi & crapulæ addicti, qui brevi angustaque sunt cervice.

Apoplexiæ prognostica. *Aph. 42. lib. 2.* SYLVIUS. *Apolexia omnis præsertim fortis, ex magna refrigerationis noxa se prodentis, curatio admodum quam difficilis est, quod affectus sit gravissimus, & à qua ægri perquam pauci liberantur: id quod parentibus prædicendum tibi est, si quem tractandum suscipias remediis, quæ juvare possint.*

PLATERUS. *A sanguine fluxili si apoplexia fiat, quia tunc sanguis conjunctus sanguini in vasis adhuc remanet, facile curatur, nisi gravior aliquis morbus subsit. Quod si vero rupta vena, in cerebrum sanguis effusus, apoplexiam pariat, sive hoc à plethora vel causa violenta accidat, nisi è calvaria subito per nares, aures, uti sæpe fit, erumpat, statim in grumum conversus, mortem adfert: eoque citius, si cerebri substantia simul læsa sit: præcedente tunc convulsione, si sanguis prius putrescat, antequam æger extinguitur.*

Quod si vero læsa cerebri substantia, Apoplexiam causet, cum sit lethalis, tum quia partis principis soluta est continuitas, tum quia ab extrinsecus illata injuria, meningum sinus simul lædi necesse est, unde maxima sequitur hæmorrhagia, prognosticis sunt relinquendi.

SYLVIUS. *Ante omnia cum apoplecticus mortuo sit persimilis:* an adhuc vivat *his aliquot signis à respiratione sumptis cognosces.* Signa vitæ in Apoplexia.

1. *Lana carpta, aut gossipium similiter carptum, vel accensa candela, hujus ori & naribus admota vel cyathus aqua plenus pectori, si movetur, respirationis, & per hanc vitæ certissimum sit indicium: quod respiratio à vita, & vita à respiratione separari non potest. Respirationem quoque & vitam testatur speculum tersissimum, ori & naribus admotum, si maculatur & velut caligine obducitur.* *Gal. cap. 5. lib. 6 loc. affect.*

Quanquam vero nullum in apoplecticis vitæ indicium appareat, ante tamen tres exactos dies non sepeliatur: quod horum plurimi, præsertim mulieres, & qui corde sunt minus calido, revixisse sunt visi, quorum exempla tibi passim suppetunt.

APOPLEXIAM *autem experientia demonstrat sanguineam esse, quidquid dicatur, aut phlegmaticam.* SANGUINEA *vero tribus remediorum generibus* CURATUR. Cura Apoplexiæ à sanguine.

1. Avertentibus, *ut secta vena primum basilica, præsertim si magna est plenitudo, deinde cephalica, & corporis totius frictionibus, ligaturis artuum dolorificis; lotionibus calidis: cucurbitulis primum levibus, deinde cum scarificatu affixis collo in plenitudine mediocri, in majore partibus infernis.* 1. Aversione.

2. Vacuantibus *materiam, quæ jam fluxit in cerebrum, & ipsius ventres corpusque obstruit: ut secta vena cephalica vel frontis, quam affectus capitis omnes à sanguine persanare affirmat Avicenna in capite de cephalalgia. Secat etiam in apoplexia Rosi venas jugulares. non imitandus, quod periculo hæc non vacet phlebotomia: nam collum ante sectionem fricare & ligare expedit, ut jugulares tumore & tensione se prodant: quæ res cerebrum magis replet, affectumque auget: nisi emolumentum majus ex vacuatione hac, quam incommodum ex ligatura causeris: præsertim cum etiam in vena frontis* 2. Evacuatione. *Lib 4. loc. affect. c. 2.*

secanda collum sit stringendum, sed tunc minor superest copia. Sectis item his jugularibus venis à medico vel casu, hæmorrhagia fit multa, & quæ ægerrime cohibetur, vixque ulcus glutinatur: quod vinculo idoneo astringi pars hæc non ferat sine suffocationis & apoplexiæ augendæ periculo: soloque digito sectioni horas multas adpresso sangui sistitur, & sectio glutinatur, pice & emplasticis aliis ægre adhærentibus citra deligaturam.

3. Intemperiei correctione. 3. Intemperiem *à sanguinis calidi copia partam* alterantibus, *sumptis, & sub finem curationis admotis: ut, aceto, & oleo rosato. Quæ quamvis etiam initio ad rebellendum conducerent, tuta tamen non sunt, præsertim his qui ad obstructiones sunt propensi utpote quas hæc remedia, viis à se contractis & materia nonnihil crassata, prompte vel excitant, vel jam factas geminant.*

Cura Apoplexiæ à pituita. APOPLEXIA *autem* PITUITOSA CURATUR *quatuor auxiliorum generibus.*

1. Aversione. Per clysterem. 1. Avertentibus, *ut acribus & caput & pituitam respicientibus* enematis; *quale quod hieram picram, aut hæc multo valentiorem hieram Logadii & cætera pituitam vacuantia recipit. Vt; accipias salviæ, rorismarini, majoranæ, foliorum lauri, origani, calaminthes, stœchados ana Ma. unum: coque in aqua sufficienti. Decocti hujus libræ uni adde hieræ picræ unc. unam, aut hieræ Logadii unc. dimidiam, sacchari rub., cassiæ fistulæ ana unc unam, olei chamæmeli, vel laurini, vel rutæ unc. tres; salis gemmæ drach. dimidiam. injice clystere: id enim validum satis & capiti familiare.*

Suppositorium. *Idem præstant, sed infirmius*, balani *digitos sex longæ, ex melle & prædictis hieris valentibus, ac etiam colocynthide compositæ. Vt, ex pulveris hieræ picræ drach. sex vel hieræ Logadii drach. tribus, salis gemmæ drach. una, ellebori albi, agarici ana scriptulo uno, colocynthidos script. dimidio, fiant balani, filo, antequam indantur, ligandæ, ut cum opus erit, retrahi possint.*

Cucurbitulas &c. *Iuvant quoque* cucurbitulæ *natibus, lumbis, & omoplatis affixæ, & præter has totius corporis frixiones & ligaturæ artuum dolorificæ, ac etiam testium, ut horum dolore maximo expergificata facultas obstruentem materiam expellat. Quæ omnia sæpe sunt repetenda, si prius nondum contulerint.*

2. Evacuantibus. 2. *Pituitam non apparatam (qua morbus hic acutissimus inducias apparandi non permittit)* Vacuantibus *etiam valentibus, ob id quod virtus expultrix multum est sopita, meatus angustiores redditi, partibus scilicet eorum refrigeratis in seque concidentibus, cum nec amplius per ipsos sanguis cum calore & spiritu permeet. Talia fuerint pilulæ cochiæ, ex euphorbio, fœtidæ, à scriptulis quatuor ad sesquidrach. syrupo stœchados & aqua salviæ dissolutæ, ut devorari possint; cum apoplecticus omnes motus naturales & animales (ut idem de vitalibus intelligas dictum) habeat prostratos. Vacuabis ex capite ipso dictis prius in cephalalgia pituitosa sternutamentis & errhinis: atque ubi ad se paululum redierit, gargarismatibus, & apophlegmatismis, quæ motu voluntario egent ut in usum veniant: quamvis dentes, gingivas, linguam, palatum, ore à nobis aperto, iisdem fricare liceat.*

3. Materiæ digestione. 3. Materiæ *reliquias* digerentibus *& simul caput roborantibus. partem sumptis: ut confectionis anacardinæ scriptulo (quæ calore vehementi etiam febrem excitat;) ut acoro vero condito, confectione ex acoro vero per se, in ore retentus, vel etiam devoratis cum aquis capitalibus: partim admotis capiti raso oleis, liliorum, ex spica, ex euphorbio, ex costo (quod capiti etiam familiare est;) emplastro Mesuæ ex sinapi, phœnigmo, & vesicas excitante, & valenter ad cutim trahente; suffitu quoque castorii & odoramentorum similiter valentium: cataplasmatis, fotibus ex valenter calidis, siccis capitalibus: post vacuatum diligenter, ut prædixi, corpus totum atque adeo caput ipsum.*

4. *Si solvatur apoplexia, ei solet succedere paralysis.* †

Lib. 4. loc. affect. c. 2. Gal. 3. loc. aff. 10. Παράλυσις perfecta. PARALYSIS quæ consumata fit, *unius cujuspiam partis non totius corporis motum & sensum perimit.* At imperfecta interdum sensum perimit constante motu, interdum motum

† O. HEURNIUS.] D. SCREVELIUS. *anno 1639. in Iulio commemoravit mihi quod Hagæ Comitis tractasset Apoplecticum Mr. Gangolf chirurgum, qui statim ac corripiebatur morbo clamabat* Pellis Humana; *Screvelius quærebat quid ea vellet? collo appensam dicebat, eo modo enim ante tempus aliquod Apoplecticum germanum sanatum vidisse, qui subinde cutem humanam expetebat: quam cum ipse à Petro Pauvv Anatomiæ Professor. Leydens. petiisset, illico collo appendebat & Apoplexia plane liberabatur.*

motum incolumi sensu: utrunque enim al A tero manente interdum perire posse in Physiologia demonstravimus. Est & quum imperfecta paralysi sensus motusve torpet & hebescit. hic proprie STUPOR appellatur, quo aliquando vidi universam corporis cutem ex crapula & vinolentia affici illæso motu. Fit autem paralysis alias ex debili apoplexia, ac tum proprie *paraplegia* dicitur, alias ex stupore sensim aucto, qui paralysis est nuncius. Illa quidem gravior & periculosior est, ac sæpe in apoplexiam recurrit: hæc vero mitior, aut nihilominus pertinax. Illa fere aut partes omnes quæ sub capite sunt, aut alterum saltem corporis latus occupat, estque proprie *hemiplegia*: hæc interdum illas, interdum unam quampiam partem obsidet, ut linguam, oculum, maxillam, labrum, brachium, manum, crus, B pedem, aut quicquid sub diaphragmate constituitur.

Imperfecta stupor.

Illa vel Παραπληγία,

Vel ἡμιπληγία.

Harum signa.

Pars resoluta celeriter frigore obriget: ea quoque gravis est, & si attollitur, mox sua mole recidit relabiturque, laxa, mollis, tum motus, tum sensus expers. Quumque jam diu malum protractum est, ea contabescit atrophia. Faciei quæcunque pars resoluta fuerit, in adversam partem sanam contorquetur.

Pars affecta,

Investiganda porro diligenter mali prima *sedes*. Si partis cujuspiam in facie extinctus est sensus, affectio in iis est nervis qui à tertia cerebri conjugatione prodeunt: at perempto motu, in primis spinæ vertebris causa subsistit. Si partes omnes quæ sub facie sunt resolvuntur, affectio totius spinæ obsidet initium. Hemiplegiæ causa non in C tota spina, sed in illius altera duntaxat parte inhærescit. Altero crure aut utroque resoluto causa non supra lumbos quærenda est. Si tota spinæ medulla in transversum afficitur, resolutio subditas partes omnes, tum dextras, tum sinistras occupat: sin altera medullæ pars afficitur, eas duntaxat quæ è nocumenti regione sunt. Quacunque igitur parte resoluta, accurate discendum, in eane sola affectus consistat, an in illius nervo. Sed & quæri debet, in totone processu nervi, an in ejus parte aliqua, & an in origine solum, an in ipsa cerebri aut spinæ medulla. Ad quam quidem rem exquisite tenenda est ex anatome omnis nervorum distributio.

Ea porro *causa* spiritus influxum & distributionem interpellans, crassa fere est pituita nervo tenaciter impacta, huncque obstruens & impediens quominus spiritus animalis in eam distribuatur partem, in quam nervus propagatur. Quinetiam alius quivis humor in spinæ medulla infixus paralysim committere potest: ac sæpe flava bilis hanc infligit, quum sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi ac in nervorum origines effunditur. Eam præterea inducit nervi callus, & tuberculum & tumor omnis præter naturam nervum aut medullam constringens, multoque magis injectum vinculum, & contusio ex casu vel ictu, & vertebrarum luxatio, quæ aut in dextrum fit aut in sinistrum.

Causæ

Quæ autem harum causarum paralysin intulerit, quivis facile propriis ex signis internoscet.

Ejus signa

PLATERUS. *In paralysi pituitosa, sive generali utriusque, sive vel unius lateris, sive hæc post apoplexiam, aut per se incipiat, cum morbus sit chronicus, atque ægri tam diu in usu medicamentorum, & decenti regimine, vix persistant, difficulter admodum curatio procedit: præsertim si senibus aut alioquin viribus exhaustis accidat. Aut si in quibusdam locis cesset, vitium interdum perenne, in loquela vel manibus, aut alibi, relinquit. Nec minus particularis resolutio longam curam requirit, qua & in generalem, cujus prænuntia sæpe est, interdum desinit. Periculosa quoque nonnunquam paralysis est, quia apoplexiam minatur, in quam, nisi sanetur, sæpe finiri & ægrum jugulare solet. Interim tamen, si in cura paralyseos recte procedamus, nec in morbo diuturno desistamus, ægrique obtemperent, nec aliud gravius obstet, ea feliciter nonnunquam succedit: vel ex generaliori humore non citra originem subsistente, sed præcedente, in particularem commutatur.*

Paralyseos prognostica.

A vulnere, dissecto tendine aut nervo, vel ligamento, si resolutio fiat, incurabilis est.

CURATIONEM *ita instituemus, ut ratione causæ, humorem nervos occupantem, ab illis alio revellamus, derivemus, vel è corpore expurgemus: aut alioquin in parte discutiamus, vel absumamus; &, ne nova excrementa generentur, à quibus humores hi vel augentur, vel foventur, caveamus. Morbi vero*

Cura Paralyseos.

causa, ut intemperiem frigidam & humidam in A *nervoso genere corrigamus. Symptomatum tandem occasione, ut partes imbecillas roboremus: & ad musculos vim & spiritus rursum alliciamus: viribusque totius corporis prospiciamus.*

SLYVIUS. *Cura hac fit quinque remediorum generibus.*

1. Diæta. 1. Victus ratione *calefaciente & siccante, & ob hoc pituitæ generationem prohibente; ut* aëre *calido sicco per ignem luculentum, suffitum ex caryophyllis, & aliis similibus. Cave tamen ne initio, fluente scilicet materia, multum calefacientibus materiam colliques, & fusam calore per vias à calore eodem latiores redditas ad fluendum magis provoces. Vt* cibis *calidis siccis natura & arte, ut perdicibus, aviculis, assis vel frixis, pane biscocto, & si vis anisato, melanthiato, saccharato. Vt* cæteris *denique sumendis, admovendis, educendis, faciendis, facultatem quandam naturalem calefa-* B *ciendi & siccandi sortitis.*

2. Pituitæ coctione. 2. *Pituitam coquentibus, & ad expulsionem incidendo, tenuando, tergendo parantibus: Primo quidem triduo, aut quatriduo, clementioribus, ut mellis rosati colati sescuntia, cum duplo aquarum salviæ & betonicæ: deinde (purgato blandius corpore melli rosato, aut oxymeliti simplici, aut syrupo acetato simplici, par pondus syrup. stœchados cum aquis prædictis aut similibus miscebitur, pauloque valentius purgabitur: postremo syrupo stœchados solo cum dictis aquis utendum: deinde valentius multo vacuandum. In his tamen, ut purgantibus, & victus ratione, & (ut summatim dicam) cæteris affectuum mitiorum remediis, ad dies quatuor primos, mitioribus auxiliis utendum, paulatim ad valentiora deinde transeundum, ut etiam paulo ante dixi. Quamvis autem acetum & acetata omnia ad* C *pituitam crassam tenuandam & lentam incidendum sit efficax, quia tamen nervis (quorum affectus paralysis est) nocet, ut frigida & mordacia cætera: ob id eo rarius & parcius utendum, præsertim solo: additum enim mel rosatum noxam ab eo prohibet.*

3. Evacuatione. 3. Vacuantibus *paratam per dictos syrupos pituitam, primum, ut dixi, clementioribus, uti pilulis de hiera, agarico, aleph anginis, assijeret, mastiche: quæ etiam partes roborant. Agaricum item trochiscatum per se quidem ad scriptula quatuor dabis: cum drachma autem dimidia aliquarum ex dictis pilulis, ad scriptula duo, ut in cephalalgia pituitosa prædictum est. His postea pilulæ valentiores usurpandæ sunt, ut fœtida Mesuæ, & cochiæ Rasis, aut de sagapeno, de opopanace: de euphorbio omnium valentissimæ raro admodum utendæ: pilulæ tamen sua in ventriculo mora longiore diutius à remotis partibus trahunt, ob id optatiores sunt alia quavis medicamentorum forma in affectibus partium remotarum.*

4. Avertentibus *in contrariam materiam, quæ ad spinalem medullam defluit; ut præter dicta nunc purgantia, clysteribus, sternutatoriis, errhinis, apophlegmatismis, gargarismatis ante dictis: utendum autem his quatuor, post multas corporis vacuationes.* 4. Aversione.

5. *Reliquam* materiam digerentibus, *& simul crebrum, & partes alias ab hac materia læsas roborantibus,* applicandis *parti primario affectæ, non his quæ animali facultate ad sensum & motum necessaria privantur, ob superiorum partium affectum: ut Galenus quendam ex casu à curru digitos habentem resolutos, sanavit emplastro spinali medullæ admoto: qua parte offensa, nervus qui ad illos digitos ferebatur, ex dolore phlegmonem, & ab ea obstructionem, quæ spiritum ad digitos ferri prohiberet, contraxerat.* 5. Digestione externis.

† *Adde quod mitia digerentia, ut sæpe jam diximus, primo sunt exploranda: ut oleum chamameli, oleum vulpinum Mesuæ ad nervorum affectus efficax, postea valentiora, ut oleum de spica, costinum, de terebinthina Mesuæ, philosophorum ejusdem, aqua vitæ, & unguentum ex pulvere lumbricorum terræ, olla in clibano siccatorum, ex galange, piperes ana unc. tribus, cum libris tribus mellis despumati: id in affectibus nervorum digerendis mire efficax expertus est Gattinaria: & succum ireos, castoreum, emplastrum Mesuæ ex sinapi: sed hæc valentia parti diutius non adhæreant, ne urant, aut phlegmonem accersant. Explorabis igitur sæpe illorum effectum, ut intelligas quando illis abstinendum sit.*

Balnea quoque aquarum medicamentosarum, præsertim sulfurearum, & nitrosarum, & horum lutum parti primario affectæ admotum, sunt in hunc affectum efficacissima.

Sumatur *autem semel in hebdomada drach. una theriaces veteris, aut mithridatii, diamoschi dulcis, aut amari, aut acori veri conditi, aut confectionis de acoro, aut drach. duæ olei ex acoro in dies sumptæ: stœchas quoque saluberrima in id est, quia cerebrum valde calefacit, & siccat: pulveris etiam hieræ aureus unus, piperis aurei duo, calefaciunt, siccant, digerunt. Postremo chamæpitis in paralysim & ischiadem, quo voles modo sumpta & admota, est efficacissima, multorum experientia.* Internis.

CONVULSIO est *nervorum musculorumque suam*

† J. HEURN. *Oleum salviæ ad linimentum commendat.*

Gal. 3. loc. aff. cap. 6. *suam originem versus præter voluntatem perpetua contractio.* *

Convulsio quid. Ejus signa. Hac membrum in quod musculi tendo inferitur simul adduci necesse est & contrahi, & à naturali figura desciscere & vehementissimo torqueri dolore, qui modo levius modo atrocius insultet, viresque prosternat. Rarum quidem & insolens, sed tamen acutum malum est convulsio, & quod brevi interimit.

Differentiæ. Hæc interdum totum corpus, interdum partes infestat. Quæ totius est corporis, id adeo arcte occupat, ut flecti haud possit: quumque corpus in priora curvatur, *emprosthotonos* est: quum in posteriora, *opisthotonos*: quum æquali robore in utranque partem intenditur, *tetanos*, * * id est, distentio, quę nomina solent etiam solius ceruicis convulsionibus accommodari. Hujus causam & vitium in spinæ initio contineri extra controversiam est. Jam vero partis convulsio interdum in oculo, in frontis cute, in linguæ radice, in maxilla, in labris, unde risus fit sardonius: interdum in brachio, in manu, in crure animadvertitur: eo scilicet nervo aut musculo affecto qui partis motioni destinatus est. Pars autem nervi primario affecta ea ratione designabitur, quæ in paralysi exposita jam est.

Causa, nervorum inanitio. 6. Aph 39. *Convulsionis causæ* multæ sunt, quas omnes Hippocrates in duas contulit, *inanitionem & repletionem.*

Quæcunque enim vel ab ardente febre, vel ab ellebori alteriusve medicamenti potione, vel ab immoderata sanguinis profusione, vel ab immodicis vigiliis, vel ab inediis, vel à labore immodico fieri traditur, ab *inanitione* est; quemadmodum & quæ ex vulnere aut ex nervi compunctione concitatur. Hanc sequitur inflammatio simplex, & ardor nervosas partes cerebrumque feriens. His igitur ex causis propria substantia dissipata, nervi & membranæ siccescunt ac in sese contrahuntur.

Quæcunque vero convulsio vel ex phlegmone, vel ex ebrietate, & crapula, vel ex suppressa quadam vacuatione consueta, vel ex intermissa exercitatione proficiscitur, ad *repletionem* referenda est. *Repletio.*

Ex his igitur quæ antecesserunt, convulsionis species atque causa discernetur, tum etiam quod ex repletione repente gigni soleat, ex inanitione vero sensim multoque tempore. *Earumque signa.*

Præter illas alia quoque *convulsionis* est species, quam recte *flatulentam* quis appellet. Ea sæpe manuum pedumque digiti, nonnunquam & crura vel extenduntur vel in sese contrahuntur summo dolore, sed eo brevi & qui frictione sola mitescat. Avicenna lib. 3. fen. 2. cap. 5. *Convulsio flatulenta.*

Causa est crassus lentusque vapor in nervorum propagines insiliens, qui illas haud secus

De Convulsione.

	S. A.		S. A.
* *infantium affectus.*	3. 25.	*vigiliâ malum.*	7. 18.
fit in melancholicis.	6. 56.	*æstu vehementi, malum.*	7. 13.
è frigore.	5. 17.	*ex somnis per febres, malum.*	4. 67.
item.	5. 20.	*in acutis febribus, mala.*	4. 66.
ex repletione, inanitione.	6. 39.	*Ebriis apoplecticis. lethal.*	5. 5.
ab hæmorrhagiâ, malum.	7. 9.	*ejus signum in febribus.*	4. 68.
item.	5. 3.	*mitigatur calido.*	5. 22.
ileo, malum.	7. 10.	*frigida perfusione.*	5. 25.
helleboro.	4. 16.	*tollitur superveniente febri.*	4. 57.
item, lethal.	5. 1.	*quartanâ.*	5. 70.
è vulnere. lethal.	5. 2.	*in fluxu muliebri, mala.*	5. 56.
superfluâ purgatione, malum.	5. 4.	*superveniens febri, malum.*	2. 26.
à purgante lethal.	7. 25.	*fit, tumoribus in ulcere evanescentibus.*	5. 65.

De Tetano.

	S. A.		S. A.
* * *fit à frigore.*	5. 17.	*intra quartum diem, lethal.*	5. 6.
item.	5. 20.	*ab æstu vehementi, malum.*	7. 13.
à tumoribus ulceris evanescentibus.	5. 64.	*mitigatur frigida perfusione.*	5. 21.

Gallice, goutte crampe, quid. Ejus causa. secus atque citharæ chordas implet atque convellit: proinde iis qui vino & crapulæ aut socordiæ ac desidiæ se dediderunt, frequens esse consuevit.

Alia species. *Hujus* etiam *generis* quædam non ita pridem mihi occurrit, non extremas solum, verum alias quoque partes impetens. Ea quotannis hyeme duntaxat, sed bis terve quotidie affligebat. Caput primum in accessione vibratione quadam ex intervallis contorquebatur, hinc sensim malum per cervicem frigoris sensu devolvebatur: quumque inter scapulas irruebat, illæsa mente, integrisque sensibus opisthotono corpus rigebat: quum vero in alterutrum latus, aut in brachium, aut in crus excutiebatur, ita arcte id protinus contrahebatur, ut nulla astantium vi exporrigi posset, dum prorsus conquiesceret accessio. Ex quibus intelligi potest, continentem proximamque illius causam non humorem, sed frigidum, crassum, lentumque vaporem fuisse, qui inclinante accessione totus dissiparetur, cujus tamen fomes esset in capite.

Convulsionis prognostica. PLATERUS. *Convulsio periculosus omnino affectus est: à quo multi pereunt: spasmus flatulentus si rarius accidat, nihil mali significare potest, cum à causa manifesta, motu nimio vel refrigeratione procedat: proin & negligitur. Si vero sæpe repetat, quia gravem parit molestiam, & membra debilitat, cum causam internam comitem habeat flatuum copiam, atque musculorum minus decentem connexum, uti dictum est, non erit negligendus, cum interdum ægre penitus avelli queat.*

Quod si non tantum in pedibus & artubus, sed & alibi, ut in dorso, vel maxillæ inferiore, aut ore, molestat, periculo non caret propensionis ad epilepsiam, proin &, ut illic dictum, mature prospiciendum erit.

Cura convulsionis à repletione pituitæ. SYLVIUS. Convulsio, *præsertim* ex repletione, *& maxime pituitosa, aliis frequentior*, curatur sex auxiliorum generibus.

1. Diæta. 1. Victus ratione *calida sicca prius dicta, in cephalalgia pituitosa, & apoplexia & paralysi.*

2. Præparatione pituitæ. 2. Coquentibus pituitam, *& expulsioni apparantibus. Primum clementibus ad die quatuor, quinque, deinde clementes vacuantibus: post valentius apparantibus & vacuantibus, ut locis prædictis est abunde demonstratum. Quod præceptum est intelligendum, ubi morbus est moderatior, nec symptomata invehit multum formidanda. Si enim est vehementior, ac dolorem affert magnum qui vires prosternat, citra coctionem vacuandum est, etiam* A *potentibus remediis ne si coquamus, interea vires deficiant & æger moriatur. Quæ vero blande & potenter coquant & vacuent, ibidem scripsimus.*

3. Purgatione. 3. Purgantibus *paratam, ut dixi materiam, si morbus dat inducias, vel non apparatam, si acutissimus est. Talia fuerint pilulæ fœtidæ & cochiæ, valentes multum: valentiores autem pilulæ de sagapeno & opopanace: quæ tamen viribus, ob magna symptomata, vel aliam occasionem, imbecillis non sunt devorandæ. Vel si potionem æger mavult, da infusum agarici, aut agaricum trochiscatum, diaphœnicon, ℈. Indum, & similia: dissolve decocto capitali ex abrotono, radice acori, salviâ, &c. quæ vim medicamenti ad caput & nervos deducunt.*

4. Aversione. 4. Avertentibus *materiam ad inferna, ut clysteribus ex prædicto decocto, frictionibus, errhinis,* B *sternutatoriis, gargarismatibus, apophlegmatismis, post legitimam totius vacuationem.*

5. Digestione per topica. 5. Reliquias *materiæ nervis affixæ (quæ spasmi causa est continens)* digerentibus, *ut* unctionibus *cum oleo liliorum, & (nisi febris adest) vulpino, costino, actu calidiore: aut potius in his oleis, vel decocto catuli ex oleo, vel vino, vel aqua salviæ, partium convulsarum balneo. Vnguentum quoque de bdellio in spasmo efficacissimum. Et pelles luporum vulpium, melidum, (taxones vocant) felium, vervecum & similium animalium. Ac hepata, pulmones, à vivis animalibus, ut vita calent, convulsæ, parti admota quamdiu calebunt, & catuli vivi & in dorso secti circumpositi. Confert etiam, partem in bovem, aut vervecem, aut aliud majus animal recens cæsum immissam continere quamdiu animal calebit. Præstantissimum quoque est, convulsas partes oblinere adipe anseris pinguis exenterati, & cato minutim* C *conciso, ac lardo veteri, myrrha, thymo & reliquis capitalibus, & calentibus medicamentis, farti & consuti, & tosti: non eo qui primus defluet, sed qui secundus: excipiatur autem cadula aceto albo si vis destillato semiplena, & eodem aceto anser percoquatur, adepsque aceto supernatans collectus, priori addatur.*

Cucurbitulas. Cucurbitulas *item parti convulsæ applicare salubre est, leves quidem, si parvus est spasmus; cum scarificatione vero, si magnus: alioqui largiore materia in partem multum convulsam attracta, nec vacuata plenitudine, convulsionis causa geminatur, & convulsio fit lethalis.* *Avicen.*

Adhæc pars convulsa si ulcus abest, ætate media, juvene bene carnoso, frigida aqua *perfusa, caloris intro à frigore compulsi revocatione sanatur.* Aquam. *Aphor. 21 lib. 2.*

Febres. Febrem *quoque ephemeram excitasse seculo Hippocratis & Avicennæ, ob victus parsimoniam & corporum puritatē, fuit salubre, nunc suspectum est remedium,*

Aphor. 26. lib. 2. dium, ob id non tentandum: quia hujus ætatis corpora pleniore victu multum excrementosa sunt reddita, ob id ad febres putridas opportuniora, in quas diaria in talibus prompte degenerant, quæ homines sæpe interimunt. Ne igitur febre à te excitata hominem periisse calumnientur propinqui potius quam spasmo, à febri excitanda abstine. (Aphor. 57. lib 4. & 70. lib. 5.)

Balnea, Balnea quoque purgato rite toto corpore, præsertim naturalia, ut sulfurea, salsa, aluminosa, laudantur multum: & quæ à nobis ex sulfure, sale, alumine in aqua coctis fiunt; ac etiam ex decocto herbarum cerebralium, majorana, salviæ, betonicæ, chamameli, rorismarini, aut ex sanguine bubulo ab animali calente: dum enim à singulis partibus materiæ reliquias resolvent, nullum erit periculum, ne fusa à balneo in partem distentam confluat.

Suffitum. Suffitum quoque, & vaporem prædicti decocti, per lapides ignitos præcipue pyrites, aut lateres coctiles, in cacabum injectos, excepisse toto corpore sub papilione, ne vapor expiret, confert.

Interna, Sumenda vero quæ etiam resolvant, & roborent: ut acorus verus conditus, diacorum, diamoschum dulce & amarum, quotidie ad drach. duas: theriace vero & mithridatium, fortiora, tantum semel in hebdomade, una drachma sumantur: aut si quotidie, parciora: ut scriptulo uno, semidrachma. Confectio quoque anacardina si febrem vis excitare, ut dixi, periculosa est. Opopanacem quoque & castoreum dat Avicenn. post cibum, ut ab eo vis ipsorum obtundatur: non autem ante, ne cito ad hepar permeantia ipsum lædant; quamvis & sumptum & admotum castoreum neminem unquam læserit Galeno, etiam si odore deteterium appareat.

6. Correctione symptomatum. 6. Symptomata corrigentibus, præcipue dolorem sæpe tam intolerabilem, ut clamantes audire ac sese modis miseris intorquentes ac jactantes spectare sit luctuosum. Identidem igitur balneo tradantur ex oleo communi temperate calido, tum per se, tum ei incoquendo semen lini, fœnigræci, folia malvæ, violæ, vel lumbricos: & hos jam coctos, probe tritos, parti imponere cataplasmatis modo prodest. Si vero divites sint, balneum ex oleo vulpino, cui vetusto vulpes aliquot ætate florentes vivæ sint incoctæ. In his autem balneis mora longior vires resolvit. Mox igitur dolore sedato in lecto reclinandi: & cum repetet, balneo reddendi. Anodynum quoque decoctum capitis lavati & intestinorum vervecis & omasorum aliorum.

Reliqua cura convulsionis à sanguine. Si autem convulsio A SANGUINE EST, vena secta vacuetur sanguis, sed parcior quam ipsa copia exigat, ne vires symptomati occursuræ dejiciantur: satius enim est hic, ut albi passim, vacuationem partiri, quam semel quantum necesse est, vacuare.

A bile. Si A BILE est FLAVA, vacuetur mox cholagogis prius dictis. Si ab atra, apparetur, ut dictum est, ac vacuetur.

A flatibus Si A FLATIBUS, (quæ cito & fit & desinit) his resolutis, præsertim frictione cum pannis calentibus, aut unctione aliqua digerente adhibita, cessat; nisi etiam pituita flatuum mater sit vacuanda.

Ab inanitione. Si convulsio AB INANITIONE ac siccitate est, curatur humectantibus omnibus causis salubribus, ut tum medicamentis, tum alimentis, ut jusculis carnium succulentis, optimis carnibus contusis, tandem vino dilutiore. initio enim materias in nervos penetrare facit. Balneum item ex capitibus & intestinis vervecum & oleis clementibus: à balneo autem convulsam partem illinit, & astringit, & roborat. Avic. oleo rosato, aut cucurbitino, ne humiditas balneo quæsita exhalet.

Ab ictu animalium. Si convulsio est AB ICTU ANIMALIUM venenosorum, id venenum extrahe, parti punctæ admoto ano galli aut gallinæ deplumato: suctu enim ani, venenum extrahet. Sunt qui rostrum ejus tunc comprimant, ut ano etiam respiret. Scabiosa quoque cum vitelo ovi in cataplasmatis speciem pertrita, & admota, venenum secreto quodam opere extrahit, ob id etiam bubonibus pestiferis efficaciter imponitur. Cæpa item cruda vel cocta, & cæpæ succus punctæ parti admotus venenum extrahit. Idem præstat cucurbitula cum scarificatu parti punctæ affixa, & theriaca apposita: quamvis ex quo venenum pellit, intra corpus protrusura videtur: non foras attractura. (Galen. in commoditatibus theriaces. Gentilis s. Canone hunc nodum dissolvit.)

Nervo puncto. Si convulsio fit NERVO PUNCTO à ferro acuto, punctura sit aperta, ut sanies expiret: si angustior sit, ferro aperiatur, ne sanies retenta ibi putrescat: unguentum multum siccans & digerens tenuium partium imponitur, apostolorum dictum, & hoc fortius unguentum basilicon.

Quia vero punctis nervis dolor interdum adest vehementissimus, sedatur terebinthina oleo rosato mista, quæ cæterarum partium nervosarum dolorem à casu, vel causa alia, mire compescit: vel fotu partis ex oleo cui terræ lumbrici fuerint incocti, ac ex iisdem tritis cataplasma est efficacissimum. Panis quoque calidus, calido lacte infusus, & cataplasmatis modo impositus valde anodynus est. Quod si nullis remediis vincatur dolor, stupefacientibus tactum utendum est: ut pane cum decocto papaveris albi, & si opus est, cum opio ipso.

Gal. lib. 3. meth. Quod si nullis remediis convulsionem hanc potes compescere, nervum transversum secare præstiterit, quam

quam hominem certæ morti occumbere : sed periculum mortis ex nervo puncto, vix unquam superveniet, si statim ab initio Gal. præcepta sequaris.

Gal.lib 3. comp. ph. 8. Gal. 2. de sympt. caus. c. 2. de Tremore c 3 5 *Tremor quid Ejus causa Nervorum imbecillitas.*

TREMOR, * *motus est depravatus membrum præter voluntatem concutiens.*

Oritur quum insita gravitate membrum delabitur, facultas vero imbecillior id nequit erigere, nec robuste exporrigere: tum enim pugna quadam gravitati resistit facultas, ac tantum in sublime membrum attollit, quantum in suo pondere deorsum fertur. Præcipua igitur causa est facultatis atque *nervorum imbecillitas* : quæ contrahitur interdum ex ætate, ut quum jam gravis est senectus : interdum ex causa vires resolvente, cujusmodi est diuturnus, gravisque morbus, immoderata intempestivaque venus, & timor aliudve animi pathema : interdum ex iis quæ tota substantia nervis sunt infensa, ut hydrargyri vapor immodicus : interdum ex iis quæ nervos acrius feriunt ac implent, ut vinolentia vinique meracioris liberalior usus : hac nulla crebrior tremoris causa existit.

Quinetiam præter nervorum imbecillitatem alia quoque causa statuatur, nervorum *obstructio* à lentis crassisque humoribus, quæ fit tamen levior quam in stupore aut in paralysi : communes quippe horum causas esse volunt & ordine solo distingui, ut quanto intervallo à paralysi stupor, tanto à stupore tremor recedat. Atque ut pituita sic & bilis flava in nervos insiliens horum fit symptomatum causa, ea fere ratione qua & de paralysi traditum est. Etenim non raro sub acutorum morborum finem tremor enasci deprehensus est. *Obstructio.*

His jam omnia tum principis tum sentientis moventisque facultatis symptomata videor persecutus.

Nunc quæ ab excrementis prodeunt, expediam.

De Nervorum affectibus.

	S.	A.		S.	A.
* *calidum utile.*	8.	18.	*discissi nec augentur, nec coalescunt.*	6.	19.
frigidum, inimicum.	5.	18.	*in febribus nec augentur, nec coalescunt.*	6.	19.

CAPUT IV.

Excrementorum cerebri Symptomata.

Gal. 3. de cau. sympt. cap. 4 sen. 5. Avic. li. 3. tract. 1. cap. 1. *Catarrhus quid. Ejus materia.*

DESTILLATIO, Græcis κατάῤῥους, * *est supervacanei humoris è capite in subjectas sedes prolapsio.* Hoc nomen late patet junioribus, quo tamen veteres eam solum designarunt quæ in fauces irruit.

Ergo destillationis *causa* atque *materia*, capitis est excrementum. Cerebri ampla copiosaque medulla multo eget alimento, è quo necesse est multum quoque excrementum gigni : maxime vero si impense frigidum humidumque, aut alia id ratione imbecillum fit, illique vel copiosius vel non satis congruens alimentum suppeditatur. His enim ex causis ubique magnus fit excrementorum proventus.

Sedes interior.

Quum moderatum excrementum est, id omne in priores *cerebri sinus* reconditur, qui in id quodammodo destinati sunt : quum vero immoderatius exuperat, extrinsecus etiam circum cerebrum circumque meninges dispergitur & fluctuat, quo per interiorum ora venarum effusus est. Cerebri sinus seu ventriculi facile per palatum expurgantur, reliqua vero capacitas tum per nares, tum per aures & oculos. Itaque si cerebro humido siccæ sunt nares, destillationes capitisque morbi ingruunt, quique foris splendent intus sæpe sordent.

Excrementum porro id *cerebri naturam imitatur*, quumque pituitosum sit, tenue tamen, aquosum atque dulce existit : sed in cerebri ventriculis diutius obhærens plerunque vel salsam, vel acrem qualitatem tempore conquirit. *Qualitas.*

Aliud

De Catarrho.

	S.	A.		S.	A.
* *destillationes senibus familiares.*	3.	31.	*in ventrem superiorem suppurantur intra 20. dies:*	7.	38.
aliquando lethales.	3.	12.			
à frigore.	5.	24.			

Sedes exterior. Aliud præterea *in externis partibus capitis* excrementum colligitur, maximeque sub cute verticis, quo venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema desinunt. Quoties enim hæ vel sero, vel humore multo turgent, alimenti reliquias & supervacua sub cutem effundunt, quæ præ cutis crassitie atque densitate vaporare vix queunt. Horum coagmentatione assidua tantus interdum cumulus fit, ut tumor ceræ instar mollis promineat, cutem condensans, eamque à calva plurimum disjungens. Hic certe fons, hic fomes est omnis externæ destillationis, quem miror neminem omnium veterum animadvertisse.

Qui ex hac sede morbi. Hinc in externas corporis partes *fertur destillatio* in oculos, in maxillas, in dentes, in cervicem, in scapulas, in brachia, in latera, in dorsum & lumbos, in coxendicem, in crura, in omnes denique articulos: eaque tum omis arthritidis, tum omnis fere externi doloris causa esse deprehenditur.

Qui ex sede interiori. Quæ autem è cerebri ventriculis, aut ex locis quæ sub calva sunt *fertur destillatio* ea in interiores corporis sedes prolabitur, in hisque varios morbos excitat: in nervorum origines irruens, apoplexiam, paralysim, stuporem, tremorem: in sensuum organa, cæcitatem, surditatem. tinnitum, odoratus privationem: in nares, gravedinem: in fauces & in asperam arteriam, raucitatem: in pulmones, tussim, asthma, phthisim: in ventriculum, cruditatem: in intestina, alvi profluvium: hincque si in jecoris venas se insinuet, crassescens, tum eas, tum viscera infercit, obstructionesque parit. Sic destillatio quam plurimorum est morborum procreatrix.

Quis decursus, quæ mutatio sit catarrhi. Unus autem *homo* præ cæteris animantibus his malis idcirco obnoxius est, quod amplo sit cerebro eoque sublimi, è quo excrementum in omne fere corpus facile delabi potest, idque perfundere & quasi irrigare. Id autem excrementum quamdiu in cerebro consistit, fere aquosum est & sero persimile, quod tamen cum ea tenuitate ex cerebri substantia lentorem adipiscitur: quo sæpe cernuntur per frigora nares stillare. Talis igitur initio vel in pulmones, vel in alias interiores sedes illabitur: talisque ab summo capitis vertice in extimas corporis partes atque in pedum articulos profluit. At vero excrementum hoc partium in quas procubuit calore sensim crassescit, portione ejus tenui dissipata. Sic enim ex tenui & aquosa pituita supervacanea mucosam, ex hacque albugineam, deinde vitream & gypseam caloris vi procreari, in Physiologia demonstravimus.

Quomodo exterior ab interiori dignoscatur. Quum autem frigida destillatio in partem quampiam incidit, ab externisne an ab interioribus capitis sedibus ea profluxerit, *internoscendum* quidem (nam medendi ratio diversa est) tum iis signis quæ nunc posita sunt, tum iis quæ externum capitis dolorem ab interiore sejungunt.

Causæ quæ generant materiam Catarrhi. Destillationis porro *materiam gignunt* ac augent intemperans humidiorque victus, & capitis imbecillitas intemperiesque frigidior. His ex causis cumulatum excrementum si diutius subsistit ac hæret, tum morbos, tum quæ retuli profert symptomata.

Causæ quæ movent. Id vero *depellit* & è capite exturbat, quicquid suo id loco dimovet, ut copia gravans, frigus exprimens, æstus colliquefaciens, balneum laxans, & perturbans exercitatio vel animi pathema. Hæ igitur quoniam efficiunt ut pondere suo excrementum in subjectas sedes profluat, destillationis causæ statuendæ sunt.

Non omnem Catarrhum à calido jecore provenire, contra Avicēnam lib. 3. fen. 5. tract. 1. cap. 11. Recentiorum medicorum turba non satis probabili Avicennæ dogmate, omnem destillationis materiam statuit è jecore calidiore suscitari: multos inde vapores in caput efferri, qui deinde cerebri frigore in aquam versi protinus relabantur, perinde atque terrarum expirationes qua nubes concrescentes mox dissolvuntur in imbrem, aut sicut vaporarii halitus in sublime elatus densatur in aquam. At vero excrementi minimum hac ratione congeri potest. Sed & iis qui vel temperato vel frigidiore sunt jecore destillationes plerunque fiunt: & hæ quidem, quemadmodum & reliquæ fere omnes, à capitis imbecillitate & frigida intemperie, quæ omnium sunt causarum creberrimæ ac validissimæ.

Capitis symptomata omnia persequutus videor, quorum interiores fere causæ sunt intemperies simplex, & vitium humoris, qui vel extra vel intra calvam consistit. Hic vero vel in meningibus, vel in cerebri substantia, vel in ejus ductibus obhæret, vel

vel illinc in subjectas partes illabitur. Atque hi præcipui sunt scopi, ex quibus tota medendi ratio peti constituique debet.

Cura catarrhi. SYLVIUS. Catarrhus *recte* curabitur, *si ante spectes, an causa & catarrhi materia eadem remedia indicent ac requirant: ut si ambo sint, vel calida, vel frigida; vel si amborum indicationes pugnant, & ob id remedia postulant contraria; ut si catarrhi materia est calida, frigore comprimente destillans, aut frigida, à calore liquante. In hoc enim complexu pugnantium indicationum, urgentioris major est habenda ratio, altero tamen non neglecto.*

Catarrhus autem curatur sex remediorum generibus. †

1. Diæta. 1. Victus ratione *in calida materia refrigerante: in frigida, calefaciente. Vitenturque in illa auster, affectus animi inflammantes cibi calidi, odores vegeti. In hac septentrio, somnus longior, & supino corpore. Dormiat autem in ventrem magis, ut catarrhus in in nares fluat: commune utique ex apta corporis figura remedium.*

2. Præparatione materiæ. 2. Materiam apparantibus, *id est, tenuantibus crassam. Initio mitioribus, qualia sunt mel rosatum, syrup. glycyrrhizæ, cum duplo aquæ salviæ, hyssopi, vel decocti pectoralis ex glycyrrhiza, uvis passis, myxis, ziziphis, & similibus compositis. Sed procedente affectu valentius incidentia & tenuantia utenda: & primo mitiora: ut syrup. de duabus radicibus: post efficaciora, ut syrup. de hyssopo, de prassio: tandem syrup. de stœchade, cum aqua salviæ, hyssopi, betonicæ, vel potius decocto pectorali cum ficis passis, glycyrrhiza, adianto, præsertim si sputum promovere libet. Si autem materia est lenta, & glutinosa, oxymeli simplex & compositum. Nam bilis flavæ vacuatio est facilis: pituitæ vero, præsertim crassæ & lentæ etiam à ventriculo, difficilis, sine incisione, & detersione: atra bilis difficilior.* (Gal. lib. 7. & 11 Method.)

3. purgatione calidi humoris. 3. Purgantibus materiam.

Calidam *quidem: ut Pilulis aureis, aggregativis, à drach. una ad scriptula quatuor; Electario ex succo rosarum, rosato, diapruno scammoniato, à drachmis tribus ad drach. quatuor.*

Frigidi. Frigidam *vero: ut pilulis cochiis, & de agarico; quæ etiam crassam materiem à pulmonibus vacuant: Electario autem indo & diaphœnico ad unciam dimidiam: quæ etiam calidam materiam vacuant.*

Uti & phlebotomia, si corpus est robustum, præcalidum, sanguine abundans: aut si cynanche aut pleuritis à tali catarrho impendet, nisi materia revellatur per venæ sectionem: aut si febris catarrho adest, quæ humores immodice calefaciat: alias non facienda in catarrho sanguinis vacuatio, quia cerebrum, partem exanguem & frigidam, frigidorem reddit. (Mesues in cap. de catarrho.)

4. Aversione calidi humoris. 4. Avertentibus: *ut frictionibus, ligaturis extremorum, cucurbitulis in natibus, & spathulis: errhinis ex aqua violarum, vel hordei, in* calida materia, *quæ nares dilatent, ut viam dent liberam materiæ per has effluxuræ.*

Frigidi. *In* frigida *autem errhinis ex aqua majoranæ, succo foliorum & radicum betæ, decocto melanthii, & his fortiore succo ireos, & cyclamini: sternutamentis etiam ad nares trahentibus: sed amborum usus non est tutus ante coctam per quietem & medicamenta materiam, & factas totius vacuationes; quod ambo catarrhi materiam exagitant, & motu ipso coqui prohibent. Arculanus quoque cauterio in commissura coronali imposito materiam largam per ulcus semper apertum salubriter vacuat: Alii apertionem post aurem faciunt.*

5. Sistendo catarrhum. 5. Catarrhum sistentibus *& incrassantibus, quando scilicet ab eo largiore, suffocationis periculum impendet, aut ab eo acriore & tenuiore excoriatio: aut ab utroque tussis aspera & insomnia: alioqui sistendus non est, nec materia in cerebrum partem principem regerenda.* ††

Sistunt *autem astrictione sua bolus Armena, spica, thus, gummi juniperi, mastiche, nec pectori nocent, præcipue spica: adhæc materiam crassant & præter hæc etiam succus glycyrrhizæ, syrup. ejusdem & violarum, julep. violatus, saccharum violatum, penidia, diatragacanthum, syrup. papaveris,*

† O. HEURNIUS.] *Nil magis est noxium catarrho obnoxiis quam serò è lecto surgere, & ad prandium accedere nocturno catarrho adhuc fluente. Talib. quoque inter prandium & cœnam nihil assumendum, parcè quoque cœnandum nec statim à cœna cubitum eundum.*

J. HEURNIUS.] *Quendam mirabili catarrho laborantem, adeo ut totum corpus illi per nasum purgaretur, etiam pillulæ purgatrices, si quas sumpserat, illac ejicerentur, medicus quidam calidis curare diu frustra conatus erat, quem postea frigidis cichoraceis restituit.*

†† O. HEURNIUS.] *Catarrhum ferinum in principe Mauritio Nassavio anno 1611. compescuerunt Medici conservâ rosarum antiquâ cum florib. sulphuris, & syrupo papav. rhead. tum pillulis de styrace.*

paveris, eclegma ejusdem, diacodium, trochisci bechici in ore retenti; cum aliorum quædam devorentur & suffiantur: ut thus, gummi juniperi, mastiche: quædam gargarizentur: ut syrupi cum aqua rosarum, oxalidis. cætera ex Mesue repete. Si autem tussis aspera cum insomnia prædictis non vincitur, pilulæ de cynoglossa Mesuæ sunt dandæ, quæ ad omnes morbos catarrho succedentes valere ei dicuntur, quia opiatæ sunt; sed his non utendum, nisi affectus curatione deplorata.

6. Curatione affectuum succedentium. 6. *Affectus catarrho succedentes sanantibus, ut obstructionem ossium ethmoidum, quam decoctum lentium juvat, & synanchen etiam impendentem* A *gigni impedit. Ut phlebotome, fluentem materiam avertens.*

Intemperiem capitis frigidâ. *Si autem catarrhi* materia *est* frigida, *intemperies cerebri frigida est corrigenda, sicque roborandum cerebrum, sacculis ex salvia, majorana, milio, thure, sale: & lotione capitis ex vino aromatico, vel malvatico, addendis etiam caryophyllis, pipere, zingibere: lotione item ex lixivio, cui plantæ capitales incoctæ fuerint: sumptis quoque Elect. diamoscho dulci & amaro, plires archontico, theriaca.* †

Calidam. *Si autem* materia *est* calida, *frigidis utendum syrupis, conservis, & admotis oleis, & unguentis frigidis.*

CAPUT V.

Oculorum morbi, symptomata, horumque causæ.

Oculorum affectus sunt vel interiores. SImili ratione & oculorum interiores affectus * ab externis summa cura sejungendi sunt, quod in his curatio & remediis & utendi ratione variet.

Interiores dico qui intra corneam membranam conditi sunt, & quorum origo ab intimis cerebri sedibus ducitur.

Vel exteriores. *Externos* vero qui vel in cornea vel extra hanc existunt.

Hi autem affectus aut oculi *visionem* aut *motum* pervertunt, idque modo *cum dolore*, modo *citra dolorem* ullum.

Gal. 4. de loc. affect. cap. 2. *Motus impedimento* sunt *strabismus* atque *paralysis*.

Hi strabismus & STRABISMUS *oculi convulsio est, qua is in obliquum ita contorquetur, ut nequeat amborum* B *unus affectus esse.* *Paralysis Quid ii.* PARALYSIS *motus est abolitio.*

Eorum causæ. Horum causæ supra commemoratæ vel in oculorum musculos incidunt, vel in nervos ex secunda conjugatione eo directos, vel in eam cerebri partem unde illi emergunt. Atque hi primum & per se motnm impediunt.

Gal. 1. de sympt caus. cap. 2 Affectuum porro interiorum qui *visioni obsunt*, alii *in cernendi spiritu*, alii *in cerebro*, alii *in optico nervo*, alii *in humore crystalloide* consistunt.

Οἱ μύωπες καὶ νυκτάλωπες, οἱ ἀμβλυώποι. SPIRITUS UT ACUTE & distincte cernat, debet multus esse & æthereus. Nam multus si crassus quoque sit, & longinqua & vicina quidem videt, vix tamen discernit.

† J. HEURNIUS. pro Catharrho Frigido pro singulari usus fuit.] ℞. *A totius præcautione* ℞. *herbas cephalicas calidas natura include sacculo quem ebulle in lixivio cinerum & calide per semihoram admove eum sacculum fronti ac suturæ coronali & temporibus.*

J. HEURNIUS. pro Astriate & Catharrho Frigido.] ℞. *Ligni guajaci* ℥j ſ. *rad. chinæ* ℥ſ. *Sassaphras, salsæ parillæ an.* ℥ij. *coque in cerevisia tenui (cui assuevit) stopo adde passular.* ℥ij *liquiritiæ* ℥j. *coquantur ad tertiæ partis consumptionem pro potu.*

De Oculorum Affectibus.

	S. A.		S. A.
* *Oculi ægrorum diligenter considerandi*	6. 52.	*per siccitates.*	3. 16.
humiditas in senibus.	3. 31.	*lippitudini alvi fluxus, bonus.*	6. 17.
mordicatio ab Aquilone.	3. 17.	*convulsio in febrib. intermitt. lethal.*	4. 49.
rubor à vomitu malum,	7. 3.	*doloris curatio.*	6. 31.
lipitudo quâ tempestate?	3. 12.	*item.*	7. 46.
item.	3. 14.	*motus gravis ab Austro.*	3. 17.
fit æstate.	3. 11.	*visus obtusus in senibus*	3. 31.
item.	3. 21.		

nit. Paucus vero licet æthereus sit, luſcioſos tamen facit, qui propinqua plane diſcernunt, diſtantia haudquaquam vident. Paucus & craſſus hebetes, qui neque diſtantia vident, neque propinqua diſcernunt: ſenum hoc fere vitium eſt.

Cæcitatis & viſus imbecillitatis cauſa.

CÆCITAS, obſcuritas, omniſque VISUS IMBECILLITAS, cujus cauſa in oculo conſpicua non eſt, vel cerebri, vel optici nervi, vel humoris cryſtalloidis vitio exoritur. Cerebri autem vitium intemperies eſt aut ſimplex aut ex humore. Optici nervi vitium obſtructio ex humoris craſſioris influxu: aut anguſtia ex tabe vel ex tumore præter naturam: aut illius diſruptio ab externis cauſis. Cryſtalloidis peculiare vitium eſt, è propria ſede dimotio aut ex caſu aut ex ictu, quibus vehementer oculus ipſe concuſſus eſt.

Signa diagnoſtica.

Jam vero hæc *notis diſcernenda* ſunt. Vitium & offenſæ viſionis cauſam in cerebro ſcies, ſi non ad oculum modo, verumetiam ad alios ſenſus imbecillitas pertinet. An vero ex ſimplici intemperie, an ex humore vitium ſit inductum, ea luculenter declarant quæ de affecti cerebri ſignis prodita ſunt. Quum cauſa in cerebro non reperitur, in nervis opticis etiam infra hos quærenda eſt: atque ſi cæcitas repente aut brevi tempore invaſerit, obſtructio certe eſt ex humoris influxu: ſin vero petedentim multoque tempore; aut intemperies, aut adſtrictio vitio detur. Quanta autem ſit optici nervi obſtructio vel adſtrictio, ita quidem conjectura intelligere eſt. Si laborans oculum ſanum claudens altero videre contendat, ac tum pupilla dilatetur, ſpiritus nonnihil etiamnum influit per nervum: ſin vero eadem pupillæ figura eademque amplitudo permanet, nihil omnino ſpiritus illabitur, prorſuſque illi interclufa eſt via. Ruptus autem opticus nervus, aut humor cryſtalloides è propria ſede dimotus, intelligitur ex ictu vel caſu, vel ex alia quavis manifeſta cauſa quæ vim intulerit: quanquam interdum vidi, nullius externæ cauſæ vi, ſolius accerrimi humoris influxu, repente & cryſtalloidem è propria ſede dimoveri & pupillam dilatari; ſed tum comitabitur dolor immanis & implacabilis. Quinetiam quum cryſtalloidis dimotio ſurſum deorſum fit, laboranti quæcunque

A cernuntur gemina apparent, non autem quum in alterutrum angulum fit.

Prognoſtica.

PLATERUS. *Quibus viſio imminuitur, & præſertim, ſi deficiat proprio vitio cryſtallini humoris, aut nervi optici; exigua ſpes ſanationis ſupereſt.*

Cura viſionis imbecillæ.

SYLVIUS. *Viſionis imbecillæ cauſa, vel ex oculo eſt propria, in ipſoque exiſtit, vel à partibus ſubjectis communicatur.*

Per conſenſum.

In hac *curanda ſcopi ſunt duo ſervandi. Prior eſt; partis vel totius affectus, imbecillam viſionem faciens, ſanandus. Vt ſi ventriculus conſenſu laboret, eſt illi ante proſpiciendum: dejectoriis potius quam vomitoriis, ſi purgatione opus eſt. Si corpus atrophia defectum imbecillam viſionem facit, ut in hecticis, nutritione inſtaurandum: ut ex ſanguine bono auctiore, largior fiat ſpiritus animalis & viſorius.*

B *Alter ſcopus eſt oculi curatio per contraria cauſa, ut ſi eſt ſiccior, is cum capite humectetur lacte, lacte ebutyrato, decocto malvæ, althææ, vel capitis, pedum, inteſtinorum vervecis, idque longo tempore: quia intemperies ſicca vix etiam diuturnis auxiliis emendatur. Si ab alio oculi partium vitio eſt viſio imbecilla, id ſanandum eſt.*

Libro 7. method. Propriæ.

Si vitium eſt oculo proprium, *& ab humore largiore, quinque remediorum generibus curatur.*

1. Diæta.

1. Victus ratione *tenui & ſiccante: ut* aere *natura partis anni & ventorum ſicco, aut induſtria per ignem luculentum, per ſuffitus aromatum, ut caryophyllorum, foliorum ſiccorum roriſmarini, majoranæ, lauri.*

Vt proba cibi *&* potus *parci coctione in ventriculo: quæ fiet, ſi donec cibus prior percoctus deſcenderit, novus non injiciatur. Deſcendiſſe conjicies ex coctricis robore & alimento pauco, tenero, grato conciſo, contuſo, præmanſo, coctu facili: non deſcendiſſe,* C *ex contrariis: adhæc ructibus, gravitate ventriculi, aut morſu, aut tumore. Ex crudo enim alimento vapor crudus in caput elatus oculo nocet; multo magis ex cruditate nidorulenta acer vapor.*

Hujus nota lib. 1. alimentorum.

Si ciborum natura variorum uſum paſtu eodem vitabis, niſi coctu faciles primos, difficiliores ſecundo ſumas, ut illi ſimul atque cocti erunt viam aliis parent, jam coqui in ſuperiore ventriculo cœptis, in fundo percoquendis: qui ſi priores ſumantur cum tempus longum ad coctionem ſui poſtulent, exitu per pylorum prohibent alios coctu faciles, in ſuperiore ventriculo jam diu percoctos & putreſcentes: ex hiſq; vapor multus, & natura varius, in caput effertur.

Si ante expletam famem, cibo & potu abſtineas, quia victus tenuis, ut inedia, per accidens vacuat & ſiccat.

Si

Si post pastus, ea sumas quæ vapores in caput efferri prohibent: ut panem tostum, coriandrum tostum, vel conditum. cydoniatum. trypheram ob myrobalanos: vel quæ oculum roborant, ut fœniculum; id quod serpentum & bufonum nos exemplum docuit. Oculorum enim aciem ex mora hyberna in cavernis imbecillam affrictu fœniculi recreant. Rapa etiam tota substantia visionem iuvare creduntur: & viperarum, ut opus est, paratarum caro, sed aqua cui incoquuntur, sæpe abjecta, si edatur: quomodo elephanticis curandis est edenda: quanquam in his aqua non sit mutanda; & possint gallinæ, his carnibus prius nutritæ donec deplumentur, edi ab elephanticis: ut post Matthæum Gradi fecisse se Gattinaria confirmat.

Vide pastillorum theriacorum parationem in theriacæ compositione. lib. 2. ad Glauc. & lib. 11. simpl.

Si denique somnus *nec sit diurnus, nec diuturnus si quoque* alvus *quotidie per se, aut à medico adjuta descendat, ne teter vapore stercore in cerebrum elatus, animalem spiritum vitiet. Omitto quæ sumpta aut admota coctionem juvant, ut grana piperis, mastiches, juniperi integra aliquot inter epulas aut post eas sumpta, catellus, aut venter puelli non facile sudantis foris applicatus, aut palma manus, aut simile aliquid.*

Si labor *etiam* corporis, *aut* animi *nullus accedat, sed tantum mollis quædam deambulatio, qua cibus in fundum ventriculi tantum descendat: potus etiam largior, quia fluctuationem facit, concoctionem impedit.*

Libro 5. simpl capit. 5.

Esu multo lentis, visionem ab humiditate larga imbecillam iuvari scribit, Gal lib 1. aliment.

3. Preparatione materiæ. 2. Materiam apparantibus: *melle rosato initio, oxymelite simplici; deinde syrup. stœchados cum aqua hyssopi, salvia & similibus ante jam sæpe repetitis.*

3. Evacuatione. 3. Materiam *eandem* vacuantibus, *primum pilulis alephunginis cum agarico trochiscato: vel mastichinis cum eodem, vel de hiera simplici aut composita, vel pilulis lucis Mesuæ: vel pilulis sine quibus etiam si calida sit materia: postremo cum materia radicitus est vacuanda, cochiis, vel fœtidis, à drachm. una ad scriptula quatuor.*

4. Aversione. 4. Avertentibus *ad partes infernas, aut posticas, ut capitis reverso pexu multo occipitium versus: ut clysteribus, balanis, ligaturis, frictionibus, fomento extremorum ex decocto capitali, apophlegmatismis, errhinis, cauterio post aures, vel in commissura coronali, cujus ulcus apertum diu tenendum est: vel in collo setone (quem vocant) infixo. Cutem autem colli* A *forcipe apprehendimus donec sensus tactus abeat: postea acu filum aliquod crassum habente perforamus, ut in vulnere ablata acu filum maneat; quod ulcus diu apertum servet, ac per id materia multa vacuationem moliatur. Divitibus autem quidem fili loco ablata acu anulum aureum æqualem apertum immittunt postea ne excidat, ejus extrema adducunt, & identidem quotidie dimovet, ut dolore & attritu materiam trahat & vacuet multam mane & vespere quotidie tergendo*

5. Roboratione per interna. 5. Roborantibus *partem, reliquias materiæ tergentibus & resolventibus sumptis quidem, ut nuce moschata, (quæ una in dies mane sumpta, visionem recuperat Mesues) myrobalanis cepulis condatis duabus bis aut ter in hebdomada sumptis ad roborin-* B *dum, pliris archontico, acoro vero condito, diacoro ad cochlear unum, seu drachmas duas, mane & vespere hora somni, mithridatio, diamoscho dulci & amaro.*

Externa. † Admotis *autem oculo. Vt emplastro Mesuæ, succo & aqua fœniculi in vase æneo per per residentiam purgato, qui cum sacchаro & melle & foliis auri æstate insoletur, sæpe & leniter transvasando; excrementosum subsidens abjiciatur. Vti aqua Arculani destillata capitello, ex fœniculo verbena, rosis, chelidonio, ruta. Vt collyrio Gentilis in consiliis, ex pompholyge vero & stibio lotis: quod cum aqua fœniculi mire siccat oculo immissum. Vt Gerardi de Solo pulvere ex pica usta, cum aqua fœniculi. Vt Serapionis liquore torrendo cadente ex hepate ursi prius in frusta dissecto. & interposito inter hæc pipere longo. Vt felle* C *gallinæ, perdicis, piscium plurimorum. Animalium autem rapacium, & aliorum natura calidorum, ut leonis, canis, fel acrius: suis autem, vervecis, agni, clementius: piscium fel, est clementissimum: reptilium vero & aliorum venenosorum felle nemo unquam tuto utatur. Felle autem quovis in oculum instillato adsit medicus: ut si rodendo dolet, obtundat aqua rosarum affusa oculo: vel ovi albo, vel lacte: aut pannum lineum horum aliquo mersum applicet. Vsus autem emplastrorum in oculo parum tutus est, nisi sint moderata, & frequenter eximendo, ipsum opus exploret.*

Vide Theb.am.

Gal. 1. de sympt. caus. 2. 4. de loc. aff. 2.

GLAUCOMA *est crystalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuscum colorem mutatio.* Hoc vitio impediti aut per fœtum, aut per nebulam se videre arbitrantur. Idem impedimentum accidit quum utriusvis humoris substantia nimiopere crassescit. Si quem forte alium colo-

† J. HEURN.] *Hepar mustelæ piscis recenter exemptum, & vino ablutum suspendatur in vitro, ut nec fundum, nec latera attingat, solisque radios, vase clauso resolvatur. hoc tantum foris inungi debent palpebræ & cilia, & miraculose visum tenebricosum restituet.*

Γλαύκωμα & ἀμαύρωσις. colorem contraxerit, is etiam in objectis rebus elucebit. Hoc quidem vitium rarum, at certe immedicabile, quod humorum substantiam immutet.

Suffusio. SUFFUSIO *est humoris prater naturam vel in pupilla, vel inter rhagoidem tunicam & crystallinum humorem concretio.*

Ejus causa, Is autem è cerebro per opticum nervum prolabitur, idque sensim, ut idcirco vix possit initio conspici: quanquam interdum vidi omnino crassam atque consummatam suffusionem uno die congeri. Etenim si crassus humor in opticum nervum repente incidens subito obcæcat, cur non etiam is longius ob pupillam prolapsus repentinam suffusionem eamque perfectam inducet? Omnis autem suffusio ob pupillam consistens, impedit ne crystalloides primum videndi organum, externarum rerum species atque simulachra excipiat, neve illa libere cernat.

Signa. Principio quum tenuis adeo est humor, ut minime deprehendi possit, fumi duntaxat & vapores, deinde etiam muscæ ante oculos obversari putantur. Tempore eousque crassescit dum omnino visionem præpediat, idque si pupillam omnem obtegit, aut si ejus partem duntaxat, objectarum quoque rerum partem quampiam obscurat. Atque ut est suffusionis figura, ita & varia sunt rerum simulachra. In his omnibus jam manifeste crassus, concretus, albusque humor animadvertitur.

Incipiente igitur hac suffusione eadem fere visa atque in ea quæ affecto ventriculi ore fit sese repræsentant: quæ hac tamen ratione *discernuntur*. Suffusio propria alterum duntaxat oculum falsis rerum simulachris illudit, aut si ambos, non simul tamen neque similiter. Suffusio per consensum & ambos & simul & æqualiter visis offendit. In illa visorum occursatio assidua est, ne diem quidem sed ne horam intermittens. In hac vero & remittit & intermittit, si parciore & facili dato cibo ventriculus bene concoquat, aut is expurgetur medicamento dialoës: invalescit, si cruditas est, aut os ventriculi dolitat, aut nausea fatigat. *Suffusio primaria, & quæ per consensum fit, qui discernantur,*

A PLATERUS. *Suffusio pertinax est affectus. Quæ confirmata & indurata cum est, excæcat, nullisque remediis amplius, nisi acu auferri potest; quod tamen cum fit, etiam non in omnibus, sed certis duntaxat suffusionibus, ut mox dicetur, succedit, aut juvare potest, & sæpius malo cum successu tentatur. Incipiens, quæ nubeculas tantum visioni offundit, vix dum, ne cum tempore augeatur, præcaveri potest.* **Suffusionis prognostica.**

Nihilominus tamen in hisce casibus remedia *non sunt negligenda, & in cicatrice, albugine & suffusione, curatio hac ratione instituenda. Vt nimirum generatim corpus ad curationem meliorem faciendam recte disponamus: & topica oculo applicemus, quæ suffusionem discutiendo absumere queant.* **Cura.**

SYLVIUS. *Hypochyma, id est, suffusio, & affectus in quo visa suffusorum visis similia apparent, re-*B*mediis egent similibus genere, sed illud valentioribus.*

Vterque hic affectus proprio oculi vitio *contingit, aut* per consensum *ejus cum cerebro, aut ventriculo, aut parte alia.* **Cataractæ per consensum**

Tunc parti primariæ affectæ prospiciendum, & pituita ex ventriculo apparata est purganda, si ea vapore suo visioni officit. Si bilis in ventriculo visa vapore excitat, ea mox vomatur, si æstas est, ac æger facile vomit, nec pulmonicus est: alioqui dejicienda potius est cholagogis: deinde oculo prospiciendum quibus dicemus remediis. †

Si autem suffusio *jam adest, eaque* jam absoluta: *acus puncta ad angulum parvum oculo deturbetur, modo nec liquidior sit, nec tenacius oculi tunicis adhæreat, sed medeocri sit consistentia, quam oculo aliquandiu compresso, facile observabis.* **Iam factæ,**

C *Si vero* nondum absoluta *sit, quinque his remediorum generibus curatur.* **Fientis**

1. Victus ratione *calida sicca, (quia materia ejus est vaporosa vel aquosa.) Vt* aëre *æstivo, qualem arte & igni, & suffitibus moliri oportet si desit. Vt* victu *tenui & tenuante; quum & jejunium atque abstinentia plurimum est huic chronico affectui salubris, vel Avicennæ testimonio: quod si die semel comedisse his non sufficit, saltem levius cœnent. Vino & jusculis abstineant. In aliis quoque sumendis, admovendis, faciendis, educendis, calida sicca sunt deligenda.* **1. Diæta.**

2. Aquosam materiam coquentibus, *ut melle rosato: & si lentor aliquis adest, oxymelite simplici, syrup. stœchados, cum duplo aquarum fœniculi, majoranæ, ad dies novem, aut circiter. Quin & sac-* **2. Coctione materiæ.**

† (Nota) *Tunicam corneam integi tenui quâdam membranâ, quæ in rugas adigi debeat, antequam cornea pertundatur (incipiendo in angulo externo) cum humor, qui in aqueo humore concrevit, est deprimendus, idque ne aqueus humor post acus eductionem effluat: Id Leydæ observaverat* Magister Valenteyn *opthalmicus in arte sua felicissimus an.* 1582.

& sacculus lineus pulvere majoranæ plenus, & oculo & naribus admotus multum juvat hunc affectum, Avicenna, & practicis aliis.

3 Evacuatione. 3. *Aquosam hanc* materiam vacuantibus, *pilulis lucis utrisque in id efficacibus, & cochiis, à drachma una ad scriptula quatuor, agarico trochiscato, pilulis de agarico. Pilulæ etiam tres masstichinæ, vel alephanginæ, vel de hiera, vel assajeret, dormitum ituris sumendæ, sunt salubres: neque munia consueta postridie impedient, ut prædicta. Toties autem vacuanda est materia hæc, donec in totum curatus sit affectus, non solum semel, bis, ter, quater.*

Avic. *Phlebotome autem raro facienda, ne per hanc cerebrum refrigeratum, aquas largius cumulet, ac in oculum transfundat.*

Avic. Gentilis.

4 Aversione. 4. Avertentibus *præter dictas vacuationes: acribus clysteribus & balanis, frictionibus, & fotibus per aquam calentem partium extremarum, & harum ligaturis dolorificis: phœnigmo quoque & cauterio in coronali, aut prope aures, aut setone, quem vocant, cervicibus affixo è regione oculi affecti, & cucurbitulis, primum levibus, deinde cum scarificatu. Manus sæpe & diu clausas si tenebis in lecto, vel alibi, ut largius sudent, & sudorē crebro terseris, omnia capitis & thoracis vitia materialia multum juvat.*

5. Dissipatione per interna. 5. *Materiæ* reliquias dissolventibus, & *dissipantibus, partim* sumptis *hora somni, ut cum cibi vapore vis eorum in cerebrum & oculos rapiatur: ut drachmis duabus confectionis humain, laudatæ à Mesue capite de visus imbecillitate.*

Externa. † *Partim* admotis: *corpore tamen toto atque adeo capite ipso exquisite vacuato: nam hæc in oculum vapores novos, & aquas largiores, quæ vi digerunt, etiam traherent. Admoventur autem primo* clementiora, (*quo ipse oculus sensu tactus exacto præditus, paulatim etiam valentioribus remediis assuescat.*) *ut fœniculi, rutæ aqua, vel succus per resi-*

Fortiora,

dentiam purgatus: aqua ex melle destillata. Hæc enim mire terget albuginem ac maculas oculi, & faciei. Idem præstat pulvis saccbari candi à multis probatus. Sagapenum quoque ad hypochyses resolvendas admotum, efficacissimum docet Avic. cap. de sagapeno: quod verum probabis ipsum dissolvens vino granatorum, vel aqua rosarum, fœniculi, mellis destillati, & lacte, & albo ovi cum saccharo cando, ut oculus soli paulatim assuescat. Idem præstat Avicennæ pulvis capitum hirundinum. Eadem siccat urina pueri nondum polluti cum pauco fœniculo destillata, ut servari diutius incorrupta possit, nec oleat graviter. Balsamum quoque, ob ejus penuriam usu rarum, eas etiam siccat, & oculum sanitati pristinæ restituit. Ossis sepiæ pulvis oculo immissus, aquas illas terget. ††

Quibus si non cedit malum, valentiora *sunt tentanda: ut fella primum mitiora, qualia piscium, suum, agnorum, gallinarum perdicis: deinde etiam acriora, ut avium prædacearum, accipitris, aquilæ, falconis, & item viperæ, & aliorum reptiliū sed hæc venenosa cū sint, suspecta mihi omnino sunt, nec utenda censeo: etiam si tunc aquam sæpe mutatam, & cum theriaca vel alio alexipharmaco, ore tontineas, ne in ventriculum, aut pulmones, id venenū per magni canthi & palati foramen penitret: præsertim cum valentia satis fel tauri, fel bovis, fel apri, nobis ad manum sint.* ††† Vehementiora.

PUPILLÆ VITIA manifeste sensibus patet: ea sunt *dilatatio, imminutio, divulsio* & *ruptio.* Galen. 1. sympt. caus. 2.

Dilitatio sive jam ab ortu, sive postea ex morbo nata sit, visioni obest, ut quæ videndi spiritum universe diffundi atque dissipari sinit. *Pupillæ Dilatatio.*

Imminutio nativa quoniam spiritum cogit atque densat, acutissimam visionem reddit: at morbosa quoniam causam præternaturam habet, deteriorem facit. Divul- *Imminutio.*

† *Aquam panis ad oculorum suffusionem præstantem vide in mercurial. consilio* 87.

†† *Ad suffusiones & maculas Tunicæ adnatæ & corneæ insidentes Ab* O. Heurnio *usu compertum est remedium ex axungia coturnicis cum succo ex rad quinque folii flore albo, simul enim phlegmonem corrigit, cum autem oculo indis desuper applica stuppam aqua. rosar. & ovi albumine madentem cum bolo.*

††† J. HEURNIUS Guttam Serenam oculor. hoc modo curatam à se annotavit inter secretiora remedia.] ℞. *Diacarthami* ℥ij. *dentur ex jusculo pulli in quo coxerunt* ℥ij. *semi fæniculi. Dein interdum sumat ex his pillulis tres, per 4. horas à cæna.*

℞. *agar. recent. troschisc.* ℥ij. *aloës* ʒß. *cubebar. macis, caryphyll. an.* ℈ß. *nutriantur in succo fæniculi cum melle anthosato* F. massa: Fiat *setaceum in collo per longitudinem trium digitorum, tertio die removeatur, vel ejus loco.* ℞. *Vesicatorium in occipite raso capillo.* ℞. *Emplastr. basilici* ʒß. *cantharidum* ʒj. *F. Emplast: & pertusæ vesicæ tegantur folio brassicæ retorrindæ cum butyro insulso. Fiat fotus oculorum hoc modo.* ℞. *Tutiæ pp.* ʒß. *Sem. fæniculi* ʒij. *contunde & fiant sacculi 4. macerentur ex vino albo & aqua fæniculi F. Fotus.* D. Forestus *laudat pinguedinem* van Aelpuyt. *lib.* 11. *observ.* 55.

Divulsio. sio & ruptio nec occæcant, nec magnopere visioni officiunt.

Causa dilatationis. *Dilatationem* porro *efficit* humor in uvea tunica conclusus ac redundans, qui illam distendens, illius quoque foramen quod pupilla est amplificat. Quocirca oculi prominentiam atque etiam scirrhum, phlegmonem & abscessum comitatur pupillæ dilatatio.

Imminutionis. At vero *imminuitur* pupilla angustiorque fit in oculi phthisi & atrophia, & quoties vitreus humor quavis de causa absumitur: tum quippe contracta ruptaque uvea & in sese quasi concidens foramen coarctat.

Divulsionis. Eisdem causis atque etiam externarum vi & injuria, fiunt pupillæ *divulsio* atque ruptio.

Hi sunt omnes interiores oculorum affectus.

Externos qui corneę & adhęrenti membranæ insident persequamur

Τὰ ἐπισκοτοῦντα τοῖς ὄψεσι. CALIGO est tenebrosa visio ex crassiore densioreque facta tunica cornea. Rarum hoc vitium ex morbo, ex senectute frequens: qua certe membranæ quemadmodum & ungues crassescunt.

Ὀμίχλη. NUBECULA vero tenuis est humor corneæ inhærescens, cujus adhæsu putat laborans se per nebulam, per vaporem, aut fumum res omnes intueri. Hic vero humor sensim crassescēs tandem albuginem parit.

Λεύκωμα. Est enim ALBUGO, crassus & albus humor in cornea aut etiam supra hanc ita concretus atque densatus, ut omnem plerunque videndi aciem perstringat. Sensim quidem hæc duo vitia succrescunt, ac sæpe ex opthalmia & epiphora. *Ejus causa.* Interdum & ex proprio fiunt humore lento, qui ob pupillam effunditur ex iis spatiis quæ sunt inter membranam adhærentem & corneam. †

Hallucinatio. HALLUCINATIO quæ Græcis est *παρόρασις*, fit cornea tunica alieno colore infecta, quo etiam foris omnia tincta cernuntur: A ut in ictero citrina, in sugillatione & inflammatione rubra.

RHEXIS est ejusdem corneæ ruptura, vel *ῥῆξις.* sectio, vel exesio, è qua primum albugineus humor emanat, oculumque multo minorem relinquit. Deinde rhagoides tunica procidit, ac tum oculi est *procidentia*, quæ Græcis est proptosis. *Πρόπτωσις ὀφθαλμοῦ.* Ab hac diversa est *oculi confusio*, in qua ex ictu humores permisti confusique sunt; citra eruptionem ullam.

Pustula. Exuberant (sed rarius) in hac tunica PUSTULÆ quales exanthematum, phlyctænæ B dictæ. His ruptis *ulcuscula* manant varia, quorum sordidissimum epicauma dixerunt. Hæc tandem *pus* excipit. Quinetiam huic tunicæ & *carbunculi & carcinomata* insident, rarissima quidem, sed omnium ulcerum deterrima.

Nunc adhærentis membranæ affectus percurramus.

Πτερύγιον. *Causa.* UNGUIS nervosa, dura & albicans membranula est ex angulo sese obtendens & plerunque pupillam contegens. Oritur ex adhærente membrana sensim multoque tempore (si permittitur) increscente & ob- C durescente.

Omnium autem frequentissime oculos infestant epiphora & opthalmia, ex quibus & dolores sane quam acerbi & alii plerique morbi expullulant. *Gal. 4. de medicam. sec. loc. cap. 2.*

EPIPHORA *est tenuis humoris impetus, lachrymarum specie in oculos factus.*

Epiphoræ Signa. Is autem humor alias frigidus ac plane aquosus sine dolore, sine ardore, aut rubore: alias acer est aut salsus, qui & dolore, & acrimonia, & rubore molestus est, unde & palpebrarum sequitur exulceratio.

Causæ. Fluxionis hujus origo fere è sincipite, & è summo vertice ducitur, in quo humor extra calvam & subter cutem congeri solet, qui per pericranium in adhærentem mem-

† O. HEURN. Unguentum ad oculorum albuginem, Unguem & pustulas multa experientia comprobatum.] ♃ *Lapid. calaminar. bis usti, & Vino gallico albo aut in aceto Vini bis extincti & tertio rursum usti sed non extincti ℈j. myrrhæ, plumbi usti loti exacte an ℈ß. croci orient. gr. v. si majorem vim absterſoriam requiris adde æris usti ℈iiij. & si dolor adsit junge opii Thebaic. gr. ij. Terantur omnia cum decocto fœni græci super lapidem pictorum & tandem admisceatur axungia porcina recentis non salita & bene lota ℥ß. vel ejus loco Vnguenti rosati ℥ß.*

Fiat Collirium.

Quæ (postquam spongia imbuta decocto Fœnigræci & sem. lini oculi fuerunt extersi) penicillo oculi quinquies vel sexies de die illinantur. Alii solum lapidem calaminarem Tritum miscent cum medulla ossis bubuli, & pruritum excitant in flexura cubiti per lixivium acre. Vide Cratonem lib. 3. p. 399.

membranam destillat, ac demum foras per oculos excidit : quemadmodum & ex ea sede destillationes alias in dentes, alias in maxillas procumbere proditum jam est. Quocirca hujus eædem atque destillatiouis causæ statuendæ sunt.

Opthalmia. OPTHALMIA *est oculi phlegmone ex oculorum angulis in totam adhærentem membranam effusa.*

Signa. In hac tenues oculorum venæ turgent, & quæ in oculorum albo obscuræ fuerant, *conspicuæ* fiunt: plerunque quicquid album fuerat, rubescit. Summus ardor atque dolor affligit, qui acrium sæpe lachrymarum fluxionem accersit. Tum sane magna huic similitudo est cum epiphora. Sed inter se distant, quod in opthalmia oculi album, in epiphora solum palpebræ cilium rubescat. Distant præterea & materia & origine. Quum ingravescente opthalmia album oculi rubescens, usque adeo tumet & increscit, ut nigro sublimius evadat, ipsumque fere contegat, chymosis appellatur.

Causa. Inflammationis *causa* est tenuis biliosique sanguinis in oculos fluxio, è temporum angulorumque venis in obscuras & latentes oculorum venas irruens. Quibus fluxione frequenti venæ patefactæ sunt, hi quavis ex causa inflammatione rursum tentantur, & à plethora, & è solis æstu, & ab exercitatione, & ab aliis externis causis, quas diximus fluxionem irritare.

Prognosticum. PLATERUS. *Ex sanguinis affluxu, si opthalmia nondum vera nascatur (nisi hæc in veram transeat) minus est periculi. Si vero oculi sequatur inflammatio, periculosior est vera hæc opthalmia: eoque deterior, si tumor magnus, nigrum oculi obducens, adsit: pessima autem ea est, quæ suppurata in abscessum convertitur, qui in ulcus abit: quod si profundum sit, in periculum de oculi amissione inducet. Sed & non suppurata opthalmia, tam vera quam non vera, diuturna tamen, pupillam tandem obscurans, aut maculam in ea relinquens, visus obscuritatem vel cæcitatem potest efficere.*

Cura ophthalmiæ nothæ. SYLVIUS. Opthalmia non vera, *est intemperies oculi calida, cum rubore exiguo sine tumore, à causa externa excitari solita: ut fumo, sole, humorum ex corporis motu agitatione. qua causa ablata, si corpus est purum, quiescere solet. Iuvatur autem multum aëre frigido, lacte mulieris puerum lactantis cum albo ovi & aqua rosarum agitato. Hæc enim humores ab oculis repellunt, & horum motum sistunt.*

A *Si à casu aut percussione initium est fluxionis, eadem adhibe: si incrementum, rosarum & seminis fœnigræci decoctum; ut rosis repellas fluentem materiam, & fixam resolvas fœnograeco: si vigor est, fœnumgræcum solum: si rubor parvus superest, ovum ad duritiem coctum, & calens admotum, reliquias potenter digerit, remedium etiam vulgo probatissimum: uti & pomum putre, vel coctum, & calens admotum, modo non sit adstringens.*

Opthalmia vera, *est phlegmone oculi tunicæ coherentis, à sanguine aut bile flava proveniens. Curatur autem sex* remediorum generibus. *Veræ*

1. Victus ratione *refrigerante. Vt* aëre *frigido natura, vel industria nostra, sparsis per aream aquis, & partibus plantarum refrigerantibus: & obscuro, quia lumen humores commovet, spiritusque resolvit.* *1. Diæta.*

B *Vt* victu *tenui, quo partes inanitæ avidius quod habent humorum, retineant, ne ad oculum confluant. Vinum interdicitur ad usque declinationem. tunc permittitur cum Hippocr, & Gal. lib. 6. Aphor. 31. quando venæ oculi sanguine crasso sunt plenæ, sine totius plenitudine. & ova, carnes, reliqua sanguinem augentia.*

Vt somno *per quem oculus quiescit à motu & dolore, quibus fluxio trahitur: per somnum quoque magis quieti sunt humores.*

Vt fuga animi affectuum, *qui humoribus inflammandis conducunt. Vt cæteris, refrigerando prohibentibus phlegmonem gigni, vel si cœpta est, augeri.*

2. *Fluentem sanguinem* avertentibus. *Vt sectione venæ cephalicæ lateris ejusdem, nisi magna plenitudo prius venam cubiti, internam aut communem, secari suadeat, horis octo aut circiter interpositis: extrahatur autem in juvene carnoso, sanguineo, robusto, vere, largior. Vt medicamento purgante, clysteribus. partium extremarum frictionibus, fotu ex aqua calida, ligaturis dolorificis, cucurbitulis, sine vel potius cum scarificatione, in spathulis & brachiis summis.* 3. Aversione.

3. Repellentibus *fluentem materiam, admotis* fronti, *si fluxio fit per venas & arterias extra cranium, ut fere fit, cum tunica hæc à pericranio producatur: qualia sunt aqua rosarum, plantaginis, solani, albumen ovi, oleum rosatum, acetum, cortices granatorum, balaustia & similia, cataplasmatis modo admota, ut vias contrahant per quas fluit materia. Si autem per venas & arterias intra cranium materia fluat, nocent hæc repellentia, cum materiam versus nervos opticos impingant: repellimus autem* 3. Repulsione in fronte.

goſſypio, aqua lactucæ, aut potius roſata imbuto, oculis ſuperpoſito; ligatura deinde laxa & comprimentis media adhibita.

Oculo. Oculo *autem ipſi immittimus aquam roſarum albo ovi permiſtam: vel lac ex mamma emulgemus; collyria quoque, vel ſicca, vel liquida, in cote medica ex aqua roſarum vel ſimili pertrita, ex corallio rubro, gummi arabico, tragacantho, pompholyge, ceruſſa, lotis; ne oculum morſu ſuo lædant.* †

Quæ & ſimul dolorem ſedet. *Quibus ſi* dolor *non vincitur, etiam opii vel opiati aliquid ad ſenſum tactus oculi ſtupefaciendum additur: aut quod repellendi ſimul & ſtupefaciendi facultate pollet: ut aqua roſarum cui incoctum ſit ſemen papaveris albi, etiam addito ovi albo: immiſſa oculo per ſe, vel ex mica panis eo decocto imbuta. Quæ ſi dolorem non leniant, trochiſcis albis Raſis ex aqua roſarum ſolutis utendum, ſi dolor eſt vehementiſſimus nullis cedens remediis, alias ne utaris, quia cum valenter ſtupefaciant, ſpiritus craſſos reddunt, & facultatem viſoriam infirmant. Ob id narcoticorum uſus ſemper Galeno fuit ſuſpectus, aph. 31. lib. 6. & alibi paſſim: præcipue in oculo & partibus capiti vicinis, frigidis natura & etiam morbo.*

4. Præparatione. 4. *Materiam craſſam* apparantibus *in cacochymia, ſyrupis granatorum, oxalidis, aceto ſimplici, roſato, de ribes, cum aqua roſarum, oxalidis, plantaginis.*

5. Evacuatione. 5. Evacuantibus *materiam, ut myrobalanis citreis, pilulis aureis, aggregativis, & electario roſato de ſucco roſarum. Secta etiam vena cephalica lateris dolentis ad partem cubiti externam; non autem ſecto cum quibuſdam ramo venæ communis inter indicem & pollicem, niſi longius vis avertere.*

6. Diſſipatione. 6. Reliquias *materiæ ex oculo* vacuantibus: *ut decocto ſeminis fœnigræci, vel meliloti, ex ſpongia, vel linteo molli oculis admoto. Balneum quoque in declinatione ſalubre, cum humores ſunt acres, authore Galeno: In principio autem noxium, quia materiam liquat, & meatus dilatat, fluxionemque hac ratione geminat. Vinum quale, & quantum,* A *& quando, & qua opthalmiæ differentia ſit ſalubre, ut balneum, fomentum, venæ ſectio, purgatio, pulchre Gal. diſtinguit Aph 31. libro 6. & alibi paſſim. Aloës drach. una, aquæ fœniculi uncia una ſi ſolvatur, & oculo applicetur, ipſum roborat, reliquias ſiccat & abſumit: ſarcocolla quoque aqua roſarum, vel potius lacte muliebri ſoluta, & oculo immiſſa, coquit materias, & digerit: ovum quoque coquendo duratum, ut calet, oculo impoſitum: trochiſcus etiam ſeu pulvis citrinus.* ††

Ἡ πελωδυνία. OCULORUM DOLORES quoniam in primis graves eſſe ſolent, ſeorſum quoque æſtimandi. Moventur autem ab humorum acrimonia in acri epiphora, ab ardore in opthalmia, à flatuum vel humorum influentium copia, quæ illorum tunicas diſtendit, à carbunculo & carcinomate: ſed à puſtulis & ulcuſculis quæ in corneam incidunt aut nullus aut admodum levis oritur dolor. ††† *Ejus cauſa.* B

Aëtius lib. 7. *Quos hactenus numeravi affectus, omnes oculi globum obſident.*

Nunc qui ambitum invadant, palpebras dico & angulos, tradendum.

Ægineta l. 3. c. 22. Maximus quidem & creberrimus eſt ÆGILOPS, *phlegmone parva inter majorem angulum & naſi radicem.*

Pars ipſa quaſi furunculo tumet, ambitus rubore perfunditur, dolor ſummus urget, iſque lancinans. C

Ὁ αἰγίλωψ. *Cauſa* eſt tenuis bilioſuſque ſanguis, per temporum, frontis facieique venas eo inſiliens, ſicque venam illic conſpicuam exedens aut corrumpens, ut ſanguis in id ſpatium ſub cutem effuſus phlegmonem pariat: qua rupta, exulcerataque cute abſceſſus apparebit, è quo pus vel ulcuſculum manat. *Signa. Cauſa.*

Κόλπος ϗ σύριγξ. Ex his parum bene curatis affectibus, SINUS conſequitur aut OCULI FISTULA. Etenim quum ægilops non mature aperitur, aut quum cute adhuc integra pus non libere effluens diutius coërcetur, cuniculos agit, *Cauſa ſigni.*

† J. HEURNIUS Defendens oculos, & in mitio variolarum probatum Heurnio.] ℞. *Aq. plantag. roſar. euphraſ. an ℥ß croci orientalis gr. v. Thutiæ præparatæ ʒß. ſacchari candi albi, albuminis ovi gallinæ in aqua abluti an. parum; miſce f. collyrium.*

†† J. HEURNIUS hoc oculi Collyrium in ſecretis repoſuit. *Oculi ſi valde rubent ℞ micam panis albi macera ſ. q. aq. fontan.*

Pro Cataplaſmate.

††† J. HEURNIUS. Oculorum rubedinem dolorificam miraculi inſtar hoc ſecreto remedio curavit.] *℞ Phlegma aluminis applica. Extillatur in Balneo.*

agit, ac demum vicinis partibus exesis sinum parat, in quo copiosius colligitur: hinc ad os subjectum penetrat, & viam aperit in narem proximam, è qua graveolens excidit.

Causa fistulæ. Quod si pus viam sibi muniat in angulum oculi majorem, *fistulam excavat*, qua sinus expurgatur. Solet quippe in sinu illuvies assiduo congeri, quæ presso angulo per illius fistulam emanat: tumque tumor subsidet, dum nova illuvie denuo repleatur, quod plerisque singulis horis obtingit.

Ῥυάς. His malis RHYAS succedit, quæ est carunculæ anguli majoris absumptio vel imminutio, à qua & angulus latior evadit. Fit tamen & aliis ex causis, velut ab humoribus & medicamentis exedentibus. Rhyadi opponitur ENCANTHIS, quæ ipsius est carunculæ immodica eminentia. Ἐγκανθίς.

Τὰ ψωρὰ ἄνθη καὶ... PALPEBRARUM VITIA sunt *scabies* quæ psoropthalmia, & *pruritus* qui xerophthalmia nuncupatur: illa scabies est ex humore calido & acri, cilia potissimum occupans: hæc pruritus est ex humore salso atque nitroso, soletque nostris sicca lippitudo nuncupari. ψωρώδη βλέφαρα.

ECTROPION palpebræ est inversio, qua pars ejus interior rubra prominet. Oritur autem vel ob cicatricem, vel ob subditæ carnis exuperantiam, qualis sæpe ex chymosi reliquitur. Ξηροφθαλμία.

GRANDO tuberculum est durum palpebræ fere superiori innascens.

HORDEOLUM tuberculum calidum in abscessum fere desinens, quod è palpebræ margine atque è cilio prorumpit. Κριθή.

Quinetiam ciliis atque superciliis PILORUM DEFLUVIUM contingit, quod madarosis appellatur: & pilorum inversio & pediculorum proventus: omnia certe ex iis causis genita quæ & finitimos capillorum affectus edunt. † Μαδάρωσις. Φθειρίασις.

CAPUT VI.

Aurium morbi & symptomata, horumque causæ & signa. *

Gal. 1. de medic. sec. loc. cap. 1. Avicenna lib. 3. fen. 4 t. 1. c. 4. AURIS PHLEGMONE plerunque tentatur. Hæc parte intima inter crassiorem meningem & membranam quæ audiendi meatui prætenditur colligi solet.

Inflammationis: *Gignitur* ex acri tenuissimoque sanguine, qui ab interioribus meningum venis eo irruens, tandem putrescit.

Signa. Causa. Calore se *prodit*, & dolore gravissimo: membranas quippe humoris acrimonia pungit & copia distendit atque divellit. Hinc pulsans & vehementer lancinans dolor excruciat qualis & per phlegmonas omnes quæ circum arterias & membranas accenduntur. Febricula oboritur suis comitata symptomatis. Nullus tumor nullusque rubor foris conspicitur, nisi forte geminato malo externa in consensum trahantur.

Auris purulenta causa. Putris materia in PUS sensim concoctione mutata abscessum invehit, è quo rupto, vel exesa vel rarefacta audiendi membrana, pus foras per auris anfractum manat, magna doloris lenitione atq; gravitatis levatione. Quibus imbecillum est cerebrum & excrementis abundans, iis diu auris diffluit, manetque interdum suppuratio admodum diuturna, qua vel pus album, vel liquidior sanies excurrit. Fit tamen & interdum suppurationis aut sordidum genus aliud citra inflãmationẽ ex magna cerebri impuritate, ex multaque colluvie eo sibi viam & exitum moliente. *Auris ulcus.*

† *Archigenes antiquus, & gravissimus medicus dixit in omnibus oculorum affectionib. cibi potusque paucitatem, & ante omnia Veneris abstinentiam magnam præstare utilitatem, cui adstipulatur Gal. l. 3. meth. c. 22.*

De Aurium affectibus.

	S. A.		S. A.
humiditas infantium propria.	3. 24.	*tollitur hæmorrhagiâ, & alvi fluxu.*	4. 63.
gravis auditus senum.	3. 31.	*biliosis dejectionibus.*	4. 28.
dolor fit æstate.	3. 21.	*sedat biliosas dejectiones.*	4. 18.
hebetat Auster.	3. 5.	*prognostica.*	8. 14.
exacuit Aquilo.	3. 17.		
surditas in febri continuâ, lethal.	4. 49.		

Obturatio. ULCUS AURIS sordidum ex his sæpe causis excitatur, quoties vel pus, vel humor influens summa pollet acrimonia.

In ulcere vero humido nec tempestive resiccato caro excrescit, quæ auris ductum OBTURAT & auditum pervertit. Obturant præterea tum sordes copiosæ, si vel *Vermes.* concrescant, vel obdurescant, tum calculi tum alia quæcunque imprudentibus in aurem incidunt.

Diuturna autem sordis ac saniei suppressio, ac etiam impurum sordidumque ulcus *Dolor.* VERMES progignit.

Jam vero *dolor, tinnitus, auditusque gravis,* & omnia audiendi symptomata, ex iisdem sæpe causis procedunt.

DOLOR enim acerbissimus in phlegmone est, nec minus acerbus fit ex flatulento spiritu circum membranas coërcito: exitum quippe non reperiens, vehementer illas distendit, divellitque ab osse. Discernitur autem, quod neque in hoc ardor neque gravitas, sed sola inest distentio cum tinnitu aut strepitu valido. At multo levior dolor *Τεισμὸς, βομβὸς, ψόφος, ἦχος.* existit, quem frigidus crassusque humor intimæ auri impactus ciet. Hic etiam citra ardorem, citra gravitatem atque distentionem alte fixus est, causasque manifestas habet redundantis pituitæ supervacuæ.

Earum causa. At certe SIBILUS, TINNITUS, SONITUS, STREPITUS, omnisque depravata audito, ex motu & agitatione eorum nascitur quæ intimam aurem occupant. Hæc ut varia sunt & varie impelluntur, ita & varios sonitus edunt.

Sibilus ex flatu tenui exiliter elabente: *tinnitus* ex illius cursu interrupto: *sonitus* ex crassiore plenius erumpente: *strepitus* ex impulsu valido: *fluctuatio* ex humoris jactatione. Horum vero nihil obauditur, si causa interior, quæcunque ea sit, conquiescat. Quum ulcus ab inflammatione vel abscessu, multo pure manavit, nisi id probe coa-*Obauditio. Ejus causa.* lescat, perpetuum sonitum aut strepitum relinquit. Nam licet flatus nullus præter naturam subsit, spiritus tamen per arterias impulsus impetu læsum auditum offendit.

Quinetiam citra ullam auris offensionem OBAUDITIO, id est depravata auditio, interdum capitis consensu accidit. Quæ hujus est A generis, non ut superior in solam aurem impingit, sed per omnes capitis arterias effundi percipitur. Talis fere existit per summum febrium ardorem, nec non sine febre quum è subditis visceribus calida copiosaque expiratio in caput effertur. Etenim tum hac tum flatuoso spiritu distentæ arteriæ vehementius pulsant, multumque calidi spiritus in cerebrum & aures effundunt: ab his vero audiendi sensus alioqui sanus, perturbata atque confusa obaudit: quemadmodum & oculis aliena multa cernit in ea suffusione quæ ventriculi consortio fit. Hac multos novi graviter torqueri, *Gal. 2. de caus. sympt. c. 3.* atque tum maxime quum impuris essent B visceribus.

Gravis auditio, surditas. GRAVIS porro AUDITIO atque SURDITAS sola magnitudine distant.

Causa. *Fiunt* autem vel cerebro vel primo audiendi organo vel auris anfractu aut læso, aut impedito. Causa quæ cerebrum aut primum audiendi organum occupat, vel *2. Aph 38.* intemperies est simplex, vel humoris vitium. Ex bile surditatem inferri prodidit Hippocrates. *Quibus*, inquit, *dejectiones biliosæ exeunt, ex surditate superveniente sistuntur: & quibus surditas adest, biliosorum dejectione finitur.* A phlegmone præterea, ab abscessu & ab ulcere illam infligi, superiora demonstrant. Ab humore quoque frigido, crasso & pituitoso, penitus impacto & conquiescente, C crebrior eidem origo est. Hic enim omnium maxime, sensus omnes eorumque *Signa.* functiones consopire solet. Has vero non aliter quam doloris causas, nec aliis oportet *signis* distinguere. Impedimenta auris appellantur quæcunque illius anfractum obstruunt, pus, concretæ sordes, tuberculum carnosum, callus, scirrhus, & quæcunque incidentia tenacius inhærescunt. Gravis auditio atque surditas, quæ jam ab ipso ortu & à prima natali die contracta fit, ab his minime causis, sed à conformationis vitio proficiscitur, quo vel audiendi instrumentum deest, vel certe figuram vitiosam obtinet. Sic quidam senator ex conjunge sana liberos omnes suscepit surdos atque mutos. Cujus rei causa in primis cæca & obscura censetur.

PLATERUS. *Ab humore vel flatu, vel etiam vapore, in auditus camera contentis, si auditus lædatur: tunc si materia tenuis admodum* *Prognosticum.*

fit

sit & vaporosa, sponte tandem dissipatur: vel SI CRASSIOR, *hareatque, diuturnum sæpe malum producit.*

Cura. *In quo* sanando, *sive surditas, aut gravis auditio, aut obauditio inde facta sit, præcipue evacuantia eodem modo, ut in vertigine & visus imbecillitate, ab aqueis, serosis & pituitosis humoribus facta, descripta sunt, usurpantur. Atque alterutra quæ in oxydrociceis descripta, illis quoque competent. Topicaque remedia, & ad intra aures, quæ materiam illic contentam absumere, dissipare, & discutere possunt, & proprietate auditum restituunt, adhibebuntur.*

Diæta. HEURNIUS. *Vita calidos incursus Aquilonis & Austri: frigus enim nervis bellum indixit. Si iter tunc agendum, indat auri gossypium cui inclusa sint mosci aut castorei grana duo. Caveat ne aqua ex pluvia aurem ingrediatur. Sæpe eluat aures aceto & melle. Si caput lavandum, obstruat aures. & fiat lixivium quod accipiat vim foliorum lauri, rutæ, absinthii, & chamameli. Nec ilico à lotione bibat, nec comedat. Caveant à leguminibus & à caseo.*

Præparatio, & purgatio otius. *Fiant potus ex hyssopo, origano, & syrupo acetoso simplici, syrupo de succo endiviæ, melle rosato. Purgetur pilulis de hiera, cochiis, aggregativis. Deinde utatur oxymelite simplici, & syrupo de stœchade; cum decocto betonicæ, & rutæ. Postea accipiat unum pilularum fœtidarum scriptulum, cum cochiis, vel pilulis de hiera, aut aggregativis.*

Capitis. *Fiant etiam errhina; insuffletur naribus pulvis castorei, piperis albi, sinapi, nucis moscatæ. Si velis liquidum, sorbeat succum betæ, cyclamini, brassicæ, cum decocto majoranæ: adde piperis albi scriptulum. Fiant etiam pastilli mansiles. Accipe pyrethri, mastiches, piperis albi, cujusque drachmam: uvarum passarum semunciam: tere: & misce succum betæ: fiant trochisci.*

Castoreum cum oleo anethi auribus indatur. Oleum amygdalinum amarum, cum melle, & succo hyssopi. Sed post duas vel tres horas inclina aurem, ut humor is exeat, ne corrumpatur: & aurem sicca lana momento. Et tandem fiat suffitus ex vino & aceto, quibus incoxere folia lauri, rutæ, absinthii, satureiæ, cortices radicum raphani: arundine auribus hauriatur vapor, alterum arundinis caput inseratur auri, alterum foramini ollæ. Aurium.

Si hac non juvant, fiat fonticulus post aurem læsam: aut forata media auris, funiculoque trajecto, diu ita servetur.

At vero PAROTIS inflammatio est in iisce potissimum glandibus erumpens, quæ pone aures & ad earum radices consistunt. Gal. 3. de medic. sec. loc. cap. 2. Παρωτίς

Hæc *notas* omnes phlegmones habet, tumorem, ruborem, calorem, pulsantemque dolorem, nisi (ut interdum fit) œdematis sit particeps. *Ejus signa.*

Oritur fere à capite, humoribus calidis eo confluentibus: alias sine febre, alias in acuta febre, in qua præsertim caput vel delirio, vel dolore, vel gravitate torquebitur. *Causa.*

CAPUT VII.

Narium morbi symptomata, causæ & signa.

Gal. 3. de Med. sec. loc. cap. 3. Aëtius. lib. 6. cap. 90. NAres expurgando cerebro destinatæ, eorum quæ præterlabuntur acrimonia sæpe EXULCERANTUR: deinde etiam ab ictu, à vulnere, ab aliisque causis evidentibus.

Vlcus ejusque causa. Signa. Narium ulcus neque dolore neque acrimonia *conspicuum*, ac proinde diu sæpe latet incomprehensum, dum plane sordescat exedatque ossa tenella. At vero quum recens est, hinc noscitur, quod sanguinis nonnihil frequenter eructet, maxime quum attingitur aut irritatur: quodque nares hoc sæpe madeant: atque si sinitur, crustula sicca eaque nigra obducitur, quæ emunctionis impetu nonunquam procidit. Vetustius ac jam putridum ulcus OZÆNA appellatur, Ἡ ὄζαινα. è quo crustula sordidior atq; etiam gravelens mucus excidit. Laborans ipse tum sibi graveo-

De Narium Affectibus.

	S. A.		S. A.
humiditas senum propria.	3.31.	*Gravedo ab autumno pluvioso.*	3.13.
infirmam sanitatem arguit.	6. 2.	*aquilonio.*	3.14.
perversio in continuâ febri lethalis.	4.49.	*à vere.*	3.20.
suffitus per muliebria ad nares pertingens, fœcunditatem arguit.	5.59.	*in senibus non coquitur.*	2.40.

graveolet; tum vicinis tetri spiritus contagione molestus est. Sæpe illic ulcera diuturna serpunt, quæ vel narium alias, vel earum interstitium, vel alia ejus loci tenella ossa exedunt, atque putrefaciunt magna deformitate, exesumque palatum sæpe perforant: idque maxime si vel carcinomatis speciem habent, vel è fœda lue venerea, quod creberrimum est, contracta.

Τὸ ὑπερσάρκωμα. Ὁ πολύπους.

Recentibus ulceribus neglectis caro plerunque excrescit, quæ sarcoma nuncupatur. Ea quum longitudine ita excreverit, ut jam è nare foras propendeat, aut in fauces relabatur, POLYPUS est.

Signa.

Utrunque vitium narem obstruit, & spiritui viam intercludit, dum præsertim in latus affectum decumbitur: loquelam offendit & obscurat. Atque hæc symptomata gravedini quodammodo similia, quod admodum diu permanent, nec errhinis tolluntur, quodque ulceris signa jamdiu antecesserunt.

Avic. fen. 5. lib. 3. tract. 2. cap. 1

Jam vero *odoratus symptomata* sunt, *fœtor assiduus, odorandi imminutio vel abolitio.*

Narium fœtor Ejus signa.

FŒTOR ex his duntaxat partibus eructatur, quæ circa nares & os ethmoides sunt: nam quæ in ipso olfaciendi sensu, vel prope hunc intra meningas putrescunt, sensum ipsum haudquaquam feriunt, nec ea laborans, sed quivis assidens, deprehendit. Ut enim quippiam odoratum feriat, necesse est ex eo vaporum quodam intervallo in eum sensum & in priores cerebri ventriculos efferri.

Gal. 1. de sympt. caus. 3. *Odoratus imminutio Ejus causa.*

ODORATUS quoque PERIT AUT IMMINUITUR impedito narium ethmoidisque ossis meatu, quo spiritus ac odor duci solet. Idque vel sarcomate, vel polypo, & phlegmone, vel gravedine. At si horum nulla signa comparent, offensionis causa, vel ad priores cerebri ventriculos, vel ad eas propagines in quibus est odorandi sensus, referri debet: in his vel intemperies, vel humorum copia, vel corruptela, sensum ejusve spiritus contaminat. Circum eas sedes abscessus interdum fiunt, nulla febre, minimo dolore, è quibus ruptis animadverti pus syncerum per nares affatim profluere, perinde atque è purulentis auribus, idque nullo incommodo valetudinis. Sed & in quodam milite qui resimis erat naribus ex fœdiore quadam eluvie diutius cohibita, vermes duo villosi, instar digiti, illic geniti inventique sunt, qui tandem in furorem illum adegerunt, febreque, non admodum manifesta, de medio sustulerunt die circiter vigesimo.

Galen. 3. de sympt. caus. 4 *Ἡ κόρυζα.*

GRAVEDO autem, frigida pituitosaque est destillatio, in os ethmoides ejusque membranas incidens, è partibus quæ circum cerebrum aut è ventriculis ejus effusa.

Ejus signa.

Ea caput ingravescit, respiratio difficilior evadit, nec nisi hiante ore anima duci potest: vox non ut ante sonora: nonnihil liquoris profluit è nare, principio tenuis, deinde crassiusculi.

Causa.

Fit interdum etiam gravedo superiore multo gravior à pituita, quæ vel salsugine vel aliorum humorum permistione calida & acris evaserit: ea nares non solum tumefacit, sed etiam ardore summo exulcerat.

*Gal. ibid. cap 2. & 5. meth. 2. *Αἱμοῤῥαγία.* *Causa.*

ENARIBUS porro SANGUIS ERUMPIT, aperta, rupta vel exesa vena eo definente. Eam quidem aperit sanguinis tenuitas vel exuperantia: rumpit vulnus, contusio ex ictu aut ex violenta quavis evidente causa: exedit sanguinis vel cujusvis humoris acrimonia. Venæ in nares, non ex intimis cerebri, sed ex oris palatique sedibus excurrunt, satis quidem detectæ ac patulæ, ut quasi emissarium sint supervacui sanguinis expellendi: quemadmodum & hæmorrhoides, & quæ in uteri cervicem pertinet. Ex his siquidem omnibus, alias naturæ beneficio, alias præter naturam sanguis emanat.

Prognostica.

PLATERUS. *Narium hæmorrhagia, si commodum adferat, veluti illa quæ plethoram minuit aut tollit, ni sanguinis redundantia vel ipsius, impuritatem aufert, morbumque sistit in crisi-*

De Hæmorrhagiâ narium.

	A. S.		A. S.
propria puberum.	3. 27.	*suppressis monstruis, bona.*	5. 53.
per febrem alvum humectat.	4. 27.	*solvit cephalalgiam.*	6. 10.
surditatem adimit.	4. 60.	*in quartanâ, mala.*	8. 3.
liberat ab abscessibus.	4. 74.		

crisibus, sisti aut impediri minime debet, nisi toties repetat, aut tamdiu persistat, ut vires inde labantur. Non necessaria nec utilis, aliis de causis eveniens, ob sanguinis fervorem, tenuitatem, fluxionem aut vim læsionemque inductam, si immoderata sit, eo citius compesci debet: si moderata aut pauca extiterit, vel saltem obiter muco permistus prodeat sanguis, negligitur, & si ab ulcere alioque morbo proveniat, hisce potius cura adhibenda.

Cura.

SYLVIUS. *Sanguinis per nares profluvium non criticum sistitur quatuor remediorum generibus.*

1. Diæta.

1. Victus ratione *refrigerante, & astringente vias per quas fertur sanguis. Vt* aëre *in id parato per acetum & aquam rosarum, folia vitis, rubi, salicis, nymphææ, violarum. Vt* cibis *ex omphacio, vino granatorum, arantiorum, limonum paratis & sumptis: & his glutinosis, quales sunt, pedes & capita vituli, vervecis, & aliorum animalium: caseus recens, pinguis, opus pistorium, præsertim ubi sanguis est biliosus, & tenuis. Ova item præsertim dura, quia sanguinem paucum & crassum gignunt, præsertim parte alba: sorbilia autem & tremula largiorem & liquidiorem, præcipue vitellis: ob hæc illis, ut carnibus, hac præsente causa abstine.* Aqua *item chalybeata sanguinem astringit mista potui, & coctis in hac obsoniis. Vt denique ipsa corporis & animi* quiete, *quod utriusque motus humores exagitat, ad fluendumque concitat.*

2. Avertione.

2. Avertentibus. *in quibus spes curationis præcipua versatur. Vt brachiorum & crurum ligaturis dolorificis, frictionibus, fotibus ex aqua calente, cucurbitulis hypochondrio è regione naris sanguine fluentis appositis, & interscapulio in scarificatione: vel, si opus est, cum ipsa. Vt phlebotome in id efficacissima ad fluoris impetum in contraria revocandum: secetur autem vena basilica, aut cephalica, aut communis lateris ejusdem. Timorem quoque incussisse confert, cyathis aquæ frigidæ duobus, tribus, intervallo injectis in faciem ægri incogitantis, vel alia ratione. per eum enim calor cum sanguine & spiritus ad cor revocatur. sed vide ne sit epilepsiæ obnoxius, vel viribus omnibus prostratis.*

3. Sanguinem si-

3. Sanguinem sistentibus & *cohibentibus sumptis vel admotis, nunc frigidis tantum, sanA guinem velut glaciantibus, & ob id ad fluendum ineptiorem reddentibus, viasque densantibus, & contrahentibus, per quas sanguis fluit: ut, lactuca, portulaca, & alimentis aliis refrigerantibus: adhæc mannæ uncia una, vel sescuncia, syrupi rosati, oxalidis, cydoniorum, granatorum, præsertim ubi tenuior sanguis, vel si is etiam inflammatus est, syrupi omphacii, limonum, acidæ partis citri; cum duplo aquarum plantaginis, rosarum, oxalidis, solani, & cum scriptulis duobus aut drachma una trochiscorum terræ lemniæ sigillatæ, vel trochiscorum electri: quæ etiam in nares immitti possunt tusa, & fronti applicari: & præter hæc, si necessitas urget, hyoscyamo, opio, & opiatis recentibus: sed à mitioribus incipienB dum: & impense frigida capitis frigidæ parti, sed principi ne adhibe, quia sanguinem & spiritum animalem glaciant ac extinguunt.* †

stendo refrigerantibus.

Nunc etiam astringentibus: *ut lanugine salicis, & vasa, sive oribus hiantia, sive tunicis rariora, sive rupta, vel incisa, vel erosa, unientibus, & contrahentibus: ut rosis, balaustiis, gallis, malicoro, rhu: nunc emplasticis & meatus obstruentibus: ut farina moletrinarum tenuissima, aloë, ovi albo, caseo, gypso, muccaginibus. Nunc escharoticis, quæ urendo escharam gignunt, quæ crusta hiatui vasorum est operculi vice: ut calce viva, fæce vini usta, sed potius chalciti & chalcantho, & similiter astringentibus, simul & urentibus, ut ab his eschara valentius hæreat, quæ ab aliis effecta prompte cadit, & aucto hiatu hæmorrhagiam majorem & periculosiorem revocat. Gal. libro 5. meth.*

Occludentibus.

C *Nunc his quæ sanguinem sistunt* tota sua substantia, *seu proprietate occulta, & nobis ignota ante experientiam: ut succo basilici, porri, urticæ, vel tritis ipsorum foliis in nares immissis (misto tamen his impense calidis refrigerante aliquo, ut caphura:) stercore asini recente in nares cum bombace immisso, vel ipsius siccati pulvere in nares per calamum efflato: pulvere item sanguinis columbæ, vel limacum simul cum testa assatorum, similiter efflato, aut cum ovi albo subacto: cerebellis gallinarum, jastide.*

Tota substantia agentibus.

Nunc stupefacientibus *(ubi scilicet facultate prædictorum omnium victa salus deplorata est) quæ sanguinem glaciant, ut athanasia recente, Philonis antidoto à drachma dimidia ad drachmam unam.*

Stupefacientibus.

† O. HEURNIUS Stuppam sequenti aquâ madefactam naribus inditam potenter hæmorrhagiam compescere tradit.] ℞. *Aceti fortissimi* ℥j. *Croci martis* ℥j. *Colcotharis* ℥ß. *misce.*

Hæc quoque somnum conciliant, & hoc etiam modo fluorem sedant.

Refrigerantia autem & astringentia non solum sumenda, aut naribus sanguine fluentibus immittenda: sed fronti quoque & vertici capitis, & collo, & interscapulio, & lumbis, & testibus, & hypochondrio narem fluentem respicienti, applicanda, ex bombace aut linamentis in hæc mersis, & modice expressis. Adhæc vertici ex alto torrentis modo hæc illidi, vel incidere est multo efficacius, uti & aquam è stillicidio in verticem illabi. Galenus autem ad hæmorrhagiam etiam arteriæ, aloën, & thus cum ovi albo subigit, & pilis leporum mollissimis excipit. Sunt qui per bolum armenam, & sanguinem draconis, & ovi albumina, idem præstant: nec vereare aloën: foris A *enim admota glutinat, licet sumpta venarum ora aperiat Mesuæ: cum nihil sumptum & foris admotum vires habeat easdem, ut in Mesue probavi.*

Qua autem vi sanguinem sistat papyrus gestata, cui ex sanguine ipso fluente inscriptum sit, consummatum est, Theologis relinquo: & item bursa pastoris collo appensa, sed quæ genibus flexis ante sit collecta, cum oratione dominica, & salutatione angelica ter dicta, & oratione adjecta, Concede Deus cum tuo pretioso sanguine, &c. apud Nicolaum Florentitinum. Gal lib 3. tempre.

4. Causam hæmorrhagiæ auferentibus: ut medicamentis cholagogis, si biliosus & acer & mordax is fuerit: vel glutinantibus remediis, si vas apertum est: & cæteris, quæ abundo docet Gal. lib. 5. Meth. meb. †

CAPUT VIII.

Faciei orisque vitia, & horum causæ. *

Ægineta. l. 3. c. 25. Aëtius. lib 8. initio.

CUtis quæ faciei obtenditur, quoniam subjectæ carnis portio quædam est A siccior, vitia contrahit cæteris partibus insueta.

Faciei. Ejusmodi in primis sunt ARDENTES PUSTULÆ, quæ tum in reliqua facie magna fœditate extuberant.

Earum Causa. *Causa* est tenuis biliosusque sanguis immodice auctus, aut consueta ejus vacuatio suppressa: tum quippe in eas sedes irrumpit, impetumque facit. Accedit etiam cutis rara atque tenella, quæ eo humore sub epidermide coërcito prompte imbuitur.

Fœdus color. Hujus quoque ordinis est RUBOR FACIEI universus præter modum sine pustulis efflorescens: qui si perpetuus est atque constans, fervidiore sanguine cutis imbuta est: sin ex intervallis recurrit, solus vapor eo sublatus in causa est, aut tenuis humor nondum impactus. Huc etiam pertinent citrinus, lividus, albicans aut aliter fœdatus color, & cutis scabrities: quales icterus, leucophlegmatias, omneque cachexiæ genus proferre solet: omnes quippe ex humorum vitio, de corporis ac viscerum impuritate ducunt originem, ut posthac plenius differetur. *Causa.*

At VARUS, tumor est durus & exiguus ex frigido crassoque humore quasi in cal- B lum concretus. LENTIGO subnigra aut vere fulva faciei macula est, lentem magnitudine, coloreque referens. SUGGILLATA, nigritiæ quædam sunt ex contusione ictuque vehementi derelictæ, quemadmodum & vibices. Ejusmodi deformitatum ingens est numerus, quæ quoniam corporis functionibus haudquaquam obsunt, non inter morbos, sed quod omnino præter naturam sint ὄϊονθοι. φακός. Τὰ ὑπώπια. Galen. loc. aff. cap 9. Avic. l. 3. fen. 2.

† O. HEURNIUS. Ad omnem Hæmorrhagiam tam narium quam Vulnerum pro sesecreto habuit.

℞ *Camphoræ ℥ij.*
rad. termentill.
bol. armeniæ ver. an. ℥ß.

Misce pro pulvere subtili applicetur radici Narium stuppa madefacta aceto hoc pulvere imbuta. de etiam J. Heurnius *Aph. 3. s. 5. Imo experientia* Joh. Frederici Ducis Saxoniæ. *Bufonem magnum veru ligneo transfixum & in Vmbra siccortum in junio & Hepatis regioni applicatum in desperata narium Hæmorrhag. Vel utero inesus Hæmorrhag.*

De oris affectibus.

	A.	S.		A.	S.
* *Vlcera, æstate.*	7.	21.	*amaritudo, vomitorium arguit.*	4.	17.
infantibus propria.	3.	24.			

sint, inter symptomata recenseri debent.

tract. 5. cap. 5. Κυνικὸς σπασμός, Signa.

CYNICUS SPASMUS oris est distentio seu convulsio, qua id omnino pervertitur. Conspicuum quidem malum si grave est, atque consummatum, leve autem non nisi quum loquendum ridendumve est, detegitur: tum siquidem oris labra nolenti contorquentur. Similem deformitatem inurit labrorum paralysis, hoc tamen discrimine, quod si paralysis est, labrum in sanam partem contorquetur, si spasmus, in affectam.

Causa.

Quæ horum efficientes sint *causæ* ex iis quæ supra de paralysi atque convulsione prodita sunt intelligitur.

Labra fissa.

Huc pertinent & LABRORNM FISSURÆ, quæ ventriculi viscerumque constitutioni pravæ succedunt. *

Gal. 5. sec. loc. cap. 8. Aëtius l. 8. cap 27. Αἱμωδιῶσι. μελαίνονται καὶ πελιδνοῦνται, Σείονται.

DENTES varie affici solent: modo enim aut *exerti* aut longiores prominent: modo, *atteruntur* aut mandendo aut externarum causarum vi. *Stupescunt* frigidioris humoris influxu, & acerborum crudorumque fructuum esu. *Nigrescunt*, & fœdo lentore obducuntur detergendi incuria, dulcium & calidorum usu, exspiratione cruditatis & crapulæ, humorum vitio, propter viscerum maximeque lienis impuritatem à quartana relictam, atque hydrargyri illitu. *Vacillant* mobilesque fiunt externa vi concussi, & quum eorum radix multo humore madet laxiorque fit alveolus.

Ὀδυνῶνται.

DOLORE CONFLICTANTUR gravissimo, idque fere ob destillationem alias tenuem alias frigidam, quæ vel in maxillæ membranam, vel in dentium nervum, vel etiam in corpus decumbit. Ruit autem destillatio è capitis vertice per tempora in maxillam aut superiorem, aut inferiorem: & si quis dens exesus est, in quem jam via pateat, in eum maxime fluxio insilit.

Causa.

Signa.

Tenuis porro an frigida destillatio sit, ex supra commemoratis signis internoscendum: & quod frigidæ malarum tumor sæpe comes est, tenuis raro: hujusque dolor acerbior, illius vero mitior. Crebra sæpeque recurrens destillatio dentes excavat, exedit, putrefacitque, ac nonnunquam ab alveolis exturbat.

JOEL. Curatio *pro causarum internarum differentia varianda est. Si itaque in dolore dentium adsit* plethora, *id est, sanguinis redundantia, quod ex rubedine faciei dignoscitur, curatio à vena cephalica circa pollicem manus lateris dolentis sectione instituenda est. In calidorum vero tenuium acriumque humorum defluxione ad dentes, aversionis humorum acrium gratia, prodest cervici cucurbitulas cum scarificatione adfigere: aut acres tenuesque humores per vesicatorium aliquod remedium à dentibus avertere, elicere & evacuare id quod commode fieri potest sequenti placentula. ℞. Chantaridum pulveratarum ʒß. fermenti acris ℥ß. aceti acerrimi parum. Commisceantur, fiat massula vel placentula, compleatur, & pone aures adligetur per pauculas horas, donec vesica excitetur, qua pertusa effluet tenuis & acris humor, causa mali: Deinde ruptam vesiculam, quo citius curetur, & dolor mitigetur, oleo rosaceo inungere præstat, Illi ipsi acres calidi & tenues humores ex capite ad dentes fluentes, commode evacuari possunt sequentibus pilulis. ℞. Mas. pil. aurearum, cochiarum, hieræ simpl. an. ℈j. Diagridii gr. v. Ex quibus formentur pilulæ n. 27. & 6. horis ante prandium deglutiantur.*

Curatio totius corporis à causa calida.

Dentium dolores ex calida intemperie *humoribusque ortos sequentibus remediis mitigare & sistere poteris. ℞. Sem. portulacæ, plantaginis an. ʒij, Herb. sempervivi minoris, parietariæ an. M. j. Glycirrhyzæ ʒjß. contusa decoquantur in aceto q. s. colentur & tepidus liquor in ore diutiuscule contineatur. Aut ℞. Sem. lactucæ, papaveris nigri, hyoscyami an. ʒij. contusa coquantur in aceto, colentur, & liquor calidus in ore contineatur. Remedia narcotica vel stupefacientia dentium dolores, ex calida intemperie, aut ferventioribus humoribus ortos, statim sedant dentibus inserta. Sed cavendum est ne temere eis utamur, nisi summa urgeat necessitas. Non enim carent noxa. Inter ea autem præstantiora hæc sunt. ℞ Opii thebaici ʒß. theriacæ Andromachi ℈j. commisceantur, formenturque globuli,*

Dentium.

N 2 *caver-*

De Dentium Affectibus.

cavernisque dentium imponantur. Aut repleatur cavitas dentium Philonio Romano. Aut ♃ Suc. ſempervivi Huyſloock, Hyoſcyami, ſolatri an. ℥ij. Aceti roſacei ℥j. Commiſceantur, ac tepida in ore contineantur. Sedat quoque dolores dentium ex calida defluxione genitos galla in partes ſciſſa & dentibus impoſita, mordicuſque inter dentes retenta. Genas foris inungere unguento populino aut oleo roſaceo, mitigat dolores dentium. †

Ex frigida.

Porro in doloribus dentium ex frigida defluxione aut intemperie oris utiliſſime ſequentibus remediis utimur. Primum frigidi humores ſubtrahantur ex capite ſequentibus pilulis. ♃. Maſ. pil. de agarico, hieræ ſimpl. ℈ß. trochiſcorum alhandali gr. iiij. cum aqua betonicæ formentur pilulæ num. 27. & deglutiantur à cœna tribus horis. Deinde in ore tepida retineatur ſequens dentium collutio. ♃ Flor. ſalviæ, Roriſmarini, Betonicæ, Majoranæ an, M. ſ. Nigellæ, ſem. carui an. ʒij. rad. pyrethri ʒiij. Conciſa & contuſa coquantur in vini ℔j. ad medias, colentur, & liquore fiat collutio. Herbæ vero concoctæ inſtar cataplaſmatis maxillis foris imponantur tepidæ. Aut. ♃ Origani, calamenthi, hyſſopi, verbenæ, cum radicibus an. M. ſ. Pyrethri ʒiij. Contuſa & conciſa coquantur in ℔.j. vini ad medias. Fiat collutio dentium. Radix pyrethri conciſa & dentibus impoſita mordicuſque in ore retenta, frigidos humores extenuat, elicit, & dolores dentium ſedat. Idem præſtat & radix Tithymali, Wolfs-melck, in aceto macerata, & dentibus impoſita. Cavernis dentium in frigida defluxione globulum ex ſequentibus rebus confectum imponere utiliſſime poſſumus. ♃ Theriacæ Andromachi ℈j. Euphorbii ℈ß, Commiſceantur cum pauxillo vini aduſti, Brandewijn. Aut. ♃. Hieræ picræ Galen. ʒj. commiſce cum vino ardenti, & dentibus illinito. Vnum ex ſequentibus oleis ſtillatitiis dentibus illitum, aut lana xylina exceptum, dentibuſque inſertum, ſtatim tollit dolores dentium ex frigida cauſa. Petroleum, è caryophyllis, oleum ſpicæ, oleum terpentinæ, ex granis juniperi. Foris commode inungi poſſunt genæ oleo anethino aut rutaceo. Vbi autem genæ intumuerunt & nondum ceſſarunt dolores, ſequentes herbæ in ſacculo conſuantur, & in æquali portione aceti & aquæ ebulliant, & expreſſus ſacculus calidusque genis applicetur. ♃ Malvæ, meliloti, anethi an. M. j. roſarum rubearum M. ſ. ſpicæ celticæ, roriſmarini an. P. j. Sem. fœnigræci, lini an. ℥ij. conciſa & contuſa inſuantur ſacculo.

Dentium dolor ex gingivis, ut curandus?

Si dentes per conſenſum ex gingivarum affectione condoleant, ſequenti collutione uti poſſumus. ♃ Gallarum, corticum granatorum, ſem. plantaginis an. ʒij. Rad. verbenæ ʒß. ſandaracæ ʒj contuſa coquantur in aceto vini, colentur, & eo liquore colluantur dentes.

Et quacunque ex cauſa oboriatur dentium dolor, omnium præſentiſſimum adfert auxilium oleum vitrioli dentibus illitum, aut lana xylina exceptum, cavernisque dentium impoſitum. Præſtat autem, & vires ſuas citius exſerit, ſi prius cavernulæ dentium ſcalpello, aut acuta penna à ſordibus emundentur, & eo uſque radices dentium ſodicentur, aut gingivæ, donec ſanguis erumpat, ſi ita oleum vitrioli imponatur. Quin & ſpecifica proprietate dolores dentium ſedat ſenecta ſerpentis in vino aut aceto cocta & ore retenta. Aut gummi hederæ eroſis dentibus inſertum.

Quomodo dentes abſque dolore eximendi?

Quicunque excavatos dolenteſque dentes digitis eximere ſine omni cruciatu ac moleſtia cupit, is diſſolvat ʒij. gummi ammoniaci aut galbani, cum ſufficienti lacte eſulæ aut hyoſcyami, & coquat lento igne donec lac abſumatur. Ex his gummatibus conformet globulos, & eroſis foraminibus dentium imponat per noctem, & ſic ſine dolore eximere dentes poterit. ††

Aëtius l. 8. c. 20.

Οὖλα ὑπεραυξάνοντα (?)

GINGIVÆ interdum præter modum luxuriant & excreſcunt, adeo ut dentes prope integant, iis potiſſimum quibus molles & ſpongioſæ ſunt, & qui locis aquoſis humidioribuſque, ut nautæ, degunt. Flacceſcunt & exeduntur humoris acrioris & ſalſi adhæſu, & ulcuſculis dentium radices detegentibus.

Φλεγμονή.

Eædem phlegmone manifeſta tentantur PARULIDE appellata, ad dentium radicem intro foraſve adeo prominente, ut etiam vicinæ partes diſtendantur, rubeant, caleant ac dolitent.

Cauſa.

In ſuperiorem maxillam ea procumbere ſolet

† J. HEURNIUS.] Mulierem quandam pipere aquatico denti dolenti indito protinus dolorem ſedaſſe teſtatur.

Laudat idem ſandaracham albam (gummi juniperi) in aceto coctam.

†† J. HEURNIUS. Dentium dolori ut Secretum remedium adhibuit. ♃. Roriſmarini, Hederæ arboreſcent an. mj. coq. ex poſca tepide ore retineatur.

solet ex oculorum cantho majore: in inferiorem vero per tempora è venis eo desinentibus. Abscessus hinc sequitur, cujus pus non ad faciei cutem; sed ad dentium radices exili velamento tectas erumpit.

Ἡ ἐπουλίς. Ulcus si male curatum est, caruncula extat & prominet EPULIS nuncupata.

MAXILLA autem inferior & convulsione & paralysi interdum tenetur, crebrius vero destillatione, quæ in ejus articulum ad auriculæ radicem influens, immobilem eam plerunque reddit, loci quidem dolore & tumore duro atque conspicuo. Ea fere externarum more derivatur è vertice capitis.

Aëtius l. 8. c. 30.

Αἱ ἄφθαι. APHTHÆ porrò ulcera sunt non admodum cava, in quamvis partem oris serpentia, in palatum, in gingivas, in linguæ latera, in ejusque radicem.

Causa. Hæ infantibus familiares, sed adultis quoque illas efficit halitus calidior è jecore & ex bilis fervore per œsophagum, aut etiam per cæca spiracula exurgens: illas etiam interdum gignit pituita salsa profluens è capite. In febribus quidem hæ frequentes, nonnunquam & sine febre graves, quales sæpe mensibus suppressis observantur. Eas autem hic prætermitto, quas venerea lues, & hydrargyri perunctio solet excitare.

Prognosticum. HEURNIUS. *Aphthæ melancholicæ, pravæ sunt: albæ, mites.*

A Infantibus *facile curantur. Nutrix purgetur, & utatur lactuca, prunis, pomis coctis, hordeo, saccharo rosato, portulaca. Si subflavæ sint aphthæ, pueri os rigetur syrupo violato cum diamoro, vel syrupo de rosis siccis, succo granatorum. interdum adde quid succi lactucæ, aut solatri, plantaginis, acetosæ, vel diluti balaustiorum, aut rhois obsoniorum. Si albescant, melli rosarum adde quid mastichis, vel myrrhæ Si nigrescant, adde farinam fœnigræci, cum decocto meliloti, & anethi.* Curatio in pueris.

Si ad florem ætatis *devenerint, varia remedia* In adultis.
B *locum habent: nos unum prodimus, quod mihi est instar omnium: hoc enim ilico aphthas abigit. Accipio nuces virides semimaturas, cum cortice, crasso modo frangatur, & aspergantur optimo aceto: distillentur in balneo. Accipies parum hujus aquæ, cui immerges tenuem particulam spongiæ specillo alligatam: hac leniter absterge aphthas: & ablue spongiam aqua puteali: mox repete bis vel ter. Dein abluat os aqua frigida cum quarta parte vini albi. Corticibus his ac nucibus addi poterit interdum quid alu-* C *minis, ligustri folia, & olivæ, sumachium, myrti folia.*

Si exulceratæ partes in putredinem *abeant; Accipies gallas, easque contusas coque ex aqua: colaturam iterum coque cum melle, ad melleam ideam: adde cornu cervinum ustum. Vel coque succum ligustri cum melle: vel nicotianæ & pimpinellæ succum cum saccharo aut melle. Cardui benedicti succus etiam insignis est, mixtus cum ejusdem syrupo.* Putrescentium aphtharum.

CAPUT IX.

* *Linguæ fauciumque morbi, symptomata & causæ.*

Avicenna lib. 3. f. 6. cap. 3 &c. Ὁ βάτραχος.

IN ea oris parte molli & laxa quæ sub lingua est, & cui ea incubat, atque quasi vinculo alligatur, tumor colligitur BATRACHUS appellatus, qui interdum phlegmones, sæpius œdematis mollis & laxi, speciem exhibet, è quo aperto mucus prosilit ovi candido persimilis.

Lingua stupor & paralysis. LINGUA vero tota interdum STUPORE vel PARALYSI tenetur, iis nervis prorsus impeditis qui à septima cerebri conjugatione prope spinalis medullæ initium derivantur. Interdum altera duntaxat ejus pars dimidia, dextra sinistrave resolvitur citra A ullam gustus offensionem. Quum tota prehenditur, gravis apoplexiæ metus impendet: quanquam non raro animadverti diuturnam linguæ paralysim, nulla consequuta apoplexia. Ex consumata paralysi omnes obtumescunt: ab ortu quoque nonnulli muti permanent, idque naturæ conformantis vitio. Visus est etiam cui leviore ex causa biduum triduumve loquela adimeretur, moxque repente & inopinato redderetur, & qui sæpius ex intervallis & circuitibus modo loqueretur, modo mutesceret integre sano corpore.

Linguæ.

	S. A.		S. A.
* *incontinens, signum melancholicum,*	7, 40.	*signum morbi minoris.*	8. 9.
balbuties alvi fluxu tollitur,	6. 41.		

Οἱ τραυλοὶ, ψελλοὶ καὶ ἰσχνόφωνοι. BLÆSI atque BALBI sermonem non articulate explicant aut linguæ brevitate, aut A crassitie nimia, aut alio naturali vitio conformationis: nonnunquam & affluentis humoris copia, modo ex humidiore cerebro, modo ex ebrietate, nonnunquam immodica siccitate.

Gustus imminutio. GUSTUS autem PERIT aut IMMINUITUR nervis mollioribus, qui è tertia cerebri conjugatione exeunt, perfrigeratis, aut quadamtenus obstructis, aut certe ea cerebri parte affecta unde illi originem habent.

Gal. 4 de loc. aff. cap. 2. *Depravatio.* DEPRAVATUS vero GUSTUS qui absurdi alienique saporis perceptio est, accidit B quum vel linguæ corpus, vel quæ ipsum vestit membrana vitioso atque tetro humore imbuitur, qui vel solus, vel liquore eorum quæ bibuntur ednnturve dilutus, in linguæ corpus mollesque nervos penetrat, suisque vitiis eos perfundit: tumque vel salsus, vel amarus, vel acidus, vel aliter absurdus sapor gustu percipitur, tanquam à cibo potuve esset inductus. Is autem humor atque vapor sæpe ex inferis sedibus elatus, Aëtius. lib. 8. cap. 40. œsophagum linguamque protulit, nonnunquam & è cerebro defluit.

Τὰ παρίσθμια. TONSILLÆ * sæpe TUMENT imbutæ destillatione frigida: ac tum quidem sub maxilla tumor tactu visuque intus animadvertitur, hicque ceu frustulum quoddam C faucibus inhærescens mole sua premit, obstatque ne cibus, potus, & saliva facile vorentur, idque sine siti, sine ardore. Sed & interdum inflammatio tonsillas exercet, quę partis nomen etiam sortitur. Hæc tumoris notas præ se fert, præterea vero dolorem, ruborem, ardorem atque sitim. Concocta materia interior cuticula facile disrumpitur, abscessuque facto pus in os & in fauces emanat. Hinc ULCUS sequitur sordidum & quo graveolens fit expiratio. *Tonsillarum ulcus.* Oritur ejusmodi ulcus frequenter citra phlegmonem ex humore salso, vel acri, qui molles, humidas, calidasque tonsillas prorsus exedit: nonnunquam & ex contagionis labe incipienti lui venereæ familiare est. †

Ἡ κιονὶς κεχαλασμένη. Sed & COLUMELLA è pallati extremo PROPENDENS plerumque molesta est. Laxior enim longiorque evadens, in fauces & œsophagi caput illabitur, titillatione molesta, qua qui afficitur, hanc perpetuo vorare frustra contendit, metuitque ne ejus impetu strangulетur.

Causa. Hoc vitii *nascitur* quum ea humore multo superne defluente madet atque perfunditur. Γαργαρεὼν ἢ κιονὶς φλεγμαίνουσα.

Quinetiam COLUMELLA seu gurgulio interdum (at certe raro) INFLAMMATUR tumetque cum robore & ardore. At tum in fauces illapsus majore tædio quam relaxatus suffocationis metum concitat. Hippocr. Acut. 3. Gal. 4. loc. aff. c. Quum per inflammationem illius pars ima crassa, summa vero tenuis & nigricans apparet, σταφυλὴ, inquit Hippocrates, id est, uva, nominari solet. Siquidem figura, colore atque magnitudine est uvæ acino persimilis.

Ἡ κυνάγχη. At vero ANGINA ** *affectus est, fauces, id est, summas gulæ gutturisque partes, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, præcludens.*

Ejus signa. In hac spiratio fit difficilis, deglutire vix licet, ac proinde potus resilit in nares, dolor acerbus fauces occupat. Atque hæc quidem omnis anginæ communia sunt signa. Singulis autem ejus differentiis alia peculiaria existunt.

Differentiæ. Etenim *angina* alia *vera*, alia *notha* est. *Vera*

De Tonsillarum & gutturis affectibus.

	S. A.		S. A.
* *tumor in pueris.*	3. 26.	*absque faucium tumore, lethalis.*	4. 34.
faucibus ægrotantibus, consideranda dejectiones.	2. 15.	*deglutitio impedita, lethalis aliquando,*	4. 35.
strangulatio cum spuma, lethalis.	2. 43.	*colli perversio in febribus, lethal.*	4. 35.

† J. HEURNIUS hoc in secretis habuit à Duce Arschotensi ad faucium glandulus tumentes.] ℞. *argentinam coq. ex cerevisia & fiat Gargarismus.*

De Angina.

	S. A.		S. A.
** *fit vere.*	3. 20.	*ut lethalis, ut curabilis.*	5. 10.
autumno.	3. 32.	*cum tumore, bonum.*	6. 37.
per pluviosam constitutionem.	3. 16.	*item.*	7. 49.

Veræ & legitimæ *quatuor sunt differentiæ.*

In Progn. com. 3. t. 16. *Una* quam omnium periculosissimam censuit *Hippocrates* ubi neque in faucibus, neque in cervice quicquam apparet. Hujus quippe inflammatio penitus abstrusa, graviora infligit symptomata, non sine metu præsentis strangulatus. Hac sæpe vidimus sublatum ægrorum horis octodecim, constante mente, integrisque sensibus.

Altera est quum interiores laryngis fauciumque musculi manifesta phlegmone tentantur. Hæc æque ac superior symptomatis sæva est, sed minore tamen fit periculo, quod manifesto se proferat tumore, qui & remedia prompte admittit, & in os expurgari potest.

Tertia fauces interiores una cum cervice occupat, in qua foris tumor atque rubor est conspicuus cum calore & dolore. Symptomata huic nihilo sunt quam cæteris leviora, sed tamen spes salutis melior, quod inflammatio foras prosiliens evocari digerique possit. De hac scripsit *Hippocrates.* 3. Aph 37. *Ab angina habito tumor fiat in collo, bonum: foras enim morbus profertur.*

Quarta omnium levissima atque tutissima censetur, quæ non interiores fauces sed solam cervicem ejusque musculos prehendit, quorum tamen tumore interiores etiam laryngis musculi comprimuntur, introitusque omnis coarctatur.

Causæ & signa veræ. Omnium *causa* est fluxio biliosa aut sanguinea, quæ è venarum jugularium ramis eo pertinentibus in has sedes influens vel erysipelas vel phlegmonem parit. Evidentes vero causæ variæ, frigus potius quam æstus, ictus, ossa piscium imprudenter vorata, per media paristmia trajecta, frigidæ potus, temulentia atque quævis repletio nimia. Præter communia anginarum *signa* memorata, adsunt præterea in his tumor, rubor, calor atque febris, quæ omnis veræ anginæ comes est assidua. Hippoc. 2. Epid. sect. 2.

Notha. *Angina* vero quæ *notha* nuncupatur, febris est expers. Hæc autem fit quum pituitosa destilatio in fauces cervicisque musculos decumbit: ac tum fortasse tumor inest, sed sine rubore, ardore & febre: quocirca inter acutos morbos habenda non est.

Huic finitima est ea anginæ species, quæ nullo quidem fit proprio faucium affectu, sed quum cervicis vertebræ intro luxatæ, fauces ac gulæ gutturisque introitus premunt & arctius coangustant. Noscitur hinc quod signorum, quæ in aliis prodita sunt, nullum apparet, quodque cervix pone excavatur, ægreque & cum dolore inflectitur: casus quoque aut ictus antecessit: vel humor præter naturam vertebrarum vincula laxavit, vel eas sua copia de propria sese disjecit.

Prognosticum. PLATERUS. *Angina vera primæ speciei, acutissima est, decem & octo horarum spacio hominem sæpe strangulans. Altera acuta quoque, ut quæ secundo, tertio, vel ad summum die quarto judicetur: in cujus curatione tamen spes major existit, cum tumor se in illa proferens remedia melius quam in prima, cum tunc in profundo lateat, admittat, suppuratusque rectius expurgari queat, tertia vero minus periculosa, cum tumor ad exteriora se dispergat, existit, curaturque ob id facilior. Quæ glandulas occupat humiliores, prout anginæ speciem aliquam comitem habet, uti fere fit, plus minusve dubia est. Hisce omnibus tutior est inflammatio tonsillarum & gargareonis, cum melius adhuc promineat, tractarique possit. Vel etiam gulæ seu œsophagi; & per deglutitionem remedia pervenire possunt: nisi hæ inflammationes in vicinas sedes expansæ, majus inducant periculum. Si vero defluxio alterius excrementitii humoris anginam notham procreet, nec hæc periculi vacat, si interiora obstruat: tutior quoque quæ ad exteriora tendens, tumorem in colli lateribus fere apparentem parit.*

Cura. SYLVIUS. *Cynanche nondum absoluta, si resolvenda est,* sex remediorum generibus curatur, *hisque statim initio potentissimis: quia morbus acutiss. ut aph. 4. & 24. lib. 1. & Aph. 10. lib. 4.*

1. *Diæta.* 1. Victus ratione *phlegmonem augeri prohibente: hoc est, tenui & refrigerante: ut aëre frigido: ut unius diei vel bidui incedia, si vires ferre poterunt: vel saltem solo cremore ptissanæ, vel amylo aqua hordei soluto: in potu autem aqua hordei, julepo rosato, vino granatorum; vel similibus liquidis, & deglutiri facilibus. Vini autem & ovorum & carnium abstinentia, quod hæc sanguinem augent & calefaciunt, præsertim vinum & ovorum vitelli.*

2. *Aversione.* 2. Avertentibus *sanguinis ad laryngem fluentis impetum, ob id phlegmonem ipsam augeri prohibentibus: ut* phlebotome *ad leipothymiam, si vires valent, & corpus plenum est: alioqui eam partirit est satius. Secatur autem Galeno primum cephalica: deinde ubi fluxio constitit, ea quæ sub lingua est. A parabibus vero, si plenitudo magna subest, venæ malleoli prima inciditur, post hanc interna, vel communis:*

Archigenes apud Aetium facta mediocri sectione, partitam sanguinis va-

cuationem facit: damnat factam ad leipothymiam: ut per quam in hoc affectu promptius fluxio in pulmones ruat & periculũ majus minetur.

nis: deinde cephalicæ, qui ordo, ut parum efficax, sic admodum ægro molestus fuerit. Avertimus etiam purgatione, *si à sanguine synceriore non sit, sed aliis humoribus largis mixto: ut succo fructuum, cum Rasi, (valentibus enim medicamentis purgantibus humores agitare prudenter metuit Avic., præsertim principio, ne ad locum affectum largius fluant) vel prunorum, tamarindorum, ana sescuncia, coctæ in unc. octo aquæ, ad tertiæ partis consumptionem, expresso scilicet tunc adjecta mannæ bonæ sescuncia. Avertimus etiam* clysteribus, *sed ob febrim acutam clementioribus: quæ si mitior est, ut in cynanche pituitosa, & externa etiam, valentioribus. Revellunt etiam* cucurbitulæ *spathulis affixæ, & brachiis prius imis, deinde summis, si plenitudo major adest: frictiones item valenter comprimentes manuum condylos, & earundem & pedum fotus ex aqua calente.*

3. Repulsione.

3. Materiam *ad musculos laryngis, in quibus fit cynanche, fluentem* repellentibus, *& augeri cynanchen ob id prohibentibus, frigidis, & astringentibus, leviter gargarizatis, aut potius donec incaluerint, relictis ultimis faucibus, quæ partem roborent, & vias contrahant, per quas affluit materia. ut, plantaginis, solani, lactucæ, oxalidis, rosarum, nucum viridium, mororum, granatorum, succo potius quam aqua ex his destillata, vel syrup. granatorum, rosato, oxalidis, omphacii, vel omphacio ipso: diacaryo, diamoro simplici, diacodio, aceto præsertim cum aqua simplici vel rosata: & his omnibus actu frigidis. Foris autem repellentia ne adhibe, quia materiam intro ad partem inflammatam protruderent, sed post principium elementer digerentia: ut oleum chamameli, amygdal. dulcium: quando etiam gargarismatis repellentibus aliquid miscetur detergens, ut cæteris internarum partium phlegmonis: ut quæ ab his sanies tenuis resudat, tergeatur.*

Gal. lib. 6. comp. ph. p.

4. Materiæ præparatione.

4. Materiam apparantibus *frigidam, ut melle rosato, oxymelite simplici, syrup. oxalidis, cum aqua absinthii, quæ repellit, digerit, & terget sine manifesto calore: biliosam vero, ut quæ fere turget, statim vacuare licet.*

5. Evacuatione.

5. Materiam vacuantibus: *ut sectione venæ. Aprimum cephalicæ dextræ, nisi sinistra parte laryngis angina magis sæviat: deinde ubi fluxio constitit, ejus quæ sub lingua est: quam si priorem secueris, ad partem affectam tracta materia phlegmonem augebis: quamquam rustici quidam parum excrementosi, eam sæpe solam secant, sed vix unquam initio, cum tardi sint ad remediorum usum. Secanda autem omnino in angina sic vena est, etiamsi corpus atque adeo caput purum tibi videatur. Vt purgantibus materiam calidam: ut pilulis aureis, vel polychrestis, vel electario de succo rosarum, vel myrobalanis, aut ipsarum infuso: frigidam vero pilulis de agarico, & aliis prius dictis in pituitosis capitis affectibus.* †

6. Materiæ dissipatione.

6. *Materiam laryngi impactam coquentibus &* dissipantibus. *partim gargarismatis ex decocto uvarum passarum, ficuum passarum, dactylorum, chamameli, fœnigræci, croci: addito etiam melle rosato, vel diamoro composito: nam simplex principio convenit, ut lac incremento. Partim admotis: ut oleo chamameli, liliorum, amygdalarum dulcium per se, aut cum farina se. fœnigræci, lini, vel cum nido hirundinum, si vis, prius cocto ex vino albo; is enim tota substantia hunc affectum juvat: ut pulvis ipsarum hirundinum, cum Avic., paratarum, & stercus humanum, & caninum ex ossibus album: utrunque Gattinaria cum melle bono in fauces quoque efflat: & filum laneum purpura tinctum, & quo postea vipera est strangulata, collo cynanchici circundatum: filum quoque multum cum cineribus aut lixivio coctum, & collo, ut calet, circundatum. Hæc autem omnia sunt utenda, ubi fluxio constitit, in statu scilicet ipso, & præcipue in declinatione, non principio, vel incremento inflammationis.*

Gal. lib. 10. simpl.

Coctione.

Lib. de inæqual. intemp.

Si autem cynanche resolvi nequeat (quæ tamen curandi ratio est optatior) suppurantibus est coquenda: *emplastro ex farina se. lini, & fœnigræci: deinde abscessus est rumpendus, manso & deglutito duriore frusto panis, vel immisso altius digito, vel si cerni potest, scalpello: tuncque inclinato capite, ne in pulmones ruat pus, effluere permittendum est. ulcus melle rosato, & aqua hordei tergendum: postremo glutinandum bolo armena, sanguine draconis, & thure.* ††

CAPUT

Ad anginam spuriam.

† O. HEURNII, Ex secretis remediis.] ♃. *Biertjen quod vocant (quod lin teorum tinctores conficiunt ex alumine & furfure partem quartam, aut partes duas, cum aqua pluvia, & utere pro gargarismate.*

Angina spuria.

O HEURN] ♃. *Lentis palustris (ẽñ kroos/) m. iiij. coq. ex aq. pluvial. lib ij cola pro gargarismate.*

†† J. HEURNIUS, In Angina deplorata recipit inter remedia secreta.] ♃. *aq. nucum ℥ij. rosar. ℥ß. instilla & adde parum sp. Vitrioli.*

Item in Anginæ periculosæ.] ♃. *unguent Ægyptiac. cum melle rosat. & illine tumori in ore, vel inde gargarismati. Emoll. ex decocto malvæ althea, violar, liqueritiæ, ficuum pinguium, scabiosæ, morsus diaboli,*

CAPUT X.

Pulmonum morbi, symptomata, causæ & signa.

Galen. 7. sec.loc.c. 5. 4. de loc. aff. c. 7. & 8.

PUlmonum quidem appellatione omnia etiam quæ in eis sunt vasa, ipsamque asperam arteriam notamus.

Δυσκρασία. *Affectus* autem qui *eo incidunt* numeratur *intemperies simplex, obstructio, peripneumonia, vomica seu abscessus* & *tabes*. In ipsa vero *thoracis capacitate, humoris collectio, & suppuratio.*

Frigida. SIMPLEX INTEMPERIES maximeque *frigida*, deinde etiam sicca gutturis arteriam exasperans, tussim excitat siccam, qua nihil humoris expuitur, respirationem raram facit, & ad calidi aëris, potusque desiderium stimulat.

Calida, *Calidior* vero intemperies frigidum tum aërem tum potum expostulat, & respirationem crebram efficit: quæ validior fuerit intemperies, dolorem inferet.

Inæqualis, Atque hęc quidem omnia de intemperie *inæquali* audienda sunt. Nam quæ jam æqualis evasit, quum veluti ascititia quædam natura sit, nullo penitus dolore cruciat.

Flatus, FLATUS in pulmone præter naturam coarctatur quidem, sed admodum raro: tum autem ambientes partes distendit, & si agitetur, dolore afficit, ac interdum violenter erumpere deprehenditur.

Ἠ' μφραξις. OBSTRUCTIO autem frequens est magnique momenti. Ea tussim invehit, & oppressionem, & spirandi difficultatem, quæ tanto gravior est, quanto & ipsa obstructio major.

Ejus causa humor Hujus *causæ* variæ, humorum copia, lentor atque crassities, grando, lapis & crudum tuberculum, de quibus ut præcipuis affectorum pulmonum causis sigillatim tradendum.

Invehens raucedinem, Humorum copia in solam membranam guttur succingentem destillatione profluēs eamque imbuens, vocem obscurat ac *raucitatem* infert. Hanc etiam gutturis seu arteriæ asperitas nimia parit, sive à fumo, sive à clamore, sive sit à frigore contracta.

Tussim, At si destillatio in gutturis cavum ductumque incidit, *tussiculam* cum quodam irritantis acrimoniæ sensu, sin in pectus ac in pulmones, veram tussim ex imo pectore erumpentem movet. Hæc enim fit quum natura vehementi spiritus efflatione ejusque erumpentis impetu, nititur quidquid acrimonia aut obstructione molestum est excutere: quemadmodum & quum inter bibendum edendumve, quippiam in guttur illabitur. Verumenimvero quod in pulmones destillat, si admodum tenue est, tussiendo difficile rejicitur: nam occurrentis spiritus vehementia repulsum atque sublevatum, mox disrumpitur, delabiturque in pulmones. Sed multo quoque difficilius expellitur ac extruditur, quod nimis crassum lentumque est: nec enim abstergi, nec dimoveri, nec sursum efferri spiritus vi facile potest.

Ejus signa, Quum recens est atque etiamnum ruit destillatio, ejus acrimonia guttur ardet ac corraditur, frequensque tussicula fatigat, qua nihil aut tenue quiddam effertur: quum vero ea consistit hæsitque pulmonibus, rarior est tussis, quæ sine gutturis ardore crassius quiddã ex imo ducit pectore.

Dyspnœam, Quum porro pauca levisque est destillatio, levia quoque comitantur symptomata: quum vero magna gravisque impetu ruit, præfocans quædam spirandi difficultas angit: crebra, celeris & magna est respiratio, sed qua paucus aër attrahitur: sensus quidam gravitatis percipitur ad pectus & ad spinam protensæ, quo loco pulmones membranis figuntur & hærent. Calidus autem, an frigidus humor sit qui destillat, ex acrimonia, ex siti, atque ex iis perspiciendum quæ de destillationum signis tradita sunt. Porro autem humor crassus & lentus pulmonem ejusve arteriam occupans, arida tussi vehementissime exercet, qua vix quicquam extunditur: spiritum difficilem reddit: inter spirandum stertorem quendam aut sibilum elidit, quod pulmonum bronchiis pertinaciter sit impactus, & vias coarctet per quas spiritus evadit: destillationis notæ antecesserunt, vel à cerebro vel à vicinis sedibus.

Τὸ ἆσθμα, Hic humor quum non totus expuitur, reliquum bronchiis aut pulmonum cavis in quæ subiit firmius inhærescens quam ut evelli possit, tempore magis magisque crassescit atque siccescit, dum vi caloris in

vitream aut etiam in gypseam pituitam abeat. Quumque destillationibus multis circuitu redeuntibus, ex unaquaque nonnihil crassæ hujus & gypseæ pituitæ relictum fuerit, sensim magna ejus copia in pulmonum fistulis atque cavernis cumulata, verum tandem fit ASTHMA * cui opportuni esse solent, qui destillatione atque tussi frequenter tentantur, maxime vero senes, & qui angustis sunt pulmonibus.

τὴν ὀρθόπνοιαν, Ab asthmate fit ORTHOPNOEA, qua difficilius nec nisi recta cervice spiritus dicitur, qualiter & eos spirare dixi quos angina vehementer premit

Grandinem Malo ingravescente, lentus humor in GRANDINEM concrescit, atque hæc tandem in veros *calculos*, quibus interdum dissectos pulmones confertos deprehendimus, aliosque in his præduros ac solidos, alios veteris casei constantia incipientes, alios gypseæ pituitæ duritie: omnes quidem propria cysti obductos. Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui quoties exercitatione incalescit, concitata tussi calculos è pulmonibus edit præduros, eosque excreat modo hordei modo pisi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruitur, præterquam quod paulo difficilius respirat, & in medio thorace gravitatis cujusdam pondus percipit. Atque hæc quidem aliis sine dyspnœa, aliis cum suspiriosa orthopnœa obtingunt, qua qui conflictantur, vehementi angustia pressi prope suffocantur, altoque & suspirioso spiritu multum & frigidum aërem ducere contendunt, quo plurimo cor ad refrigerium indiget. Omnes ita affectos vere asthmaticos id est, anhelatores & suspiriosos appellamus, qui jejuni & in quiete & cœlo facilius spirare solent: at quoties causa & materia intus condita frigido humidove cœlo, aut etiam multa crapula humescens & quasi tumens diffunditur, nova dyspnœa quasi accessione conflictantur. Multoque magis si forte recens quædam destillatio

A in arterias veteri malo jam impeditas ingruit.

Sed & sæpe fit, ut graviore & repentino utriusque causæ impetu æger prompte juguletur, eaque destillatio ab eventu CATARRHUS-PRÆFOCANS appellatur. Galenus neque à destillatione, neque à peripneumonia, neque à pulmonum tuberculo, neque à suppuratione quenquam repente strangulari posse existimavit, sed à sola angina, in qua neque in faucibus neque in cervice quicquam apparet. At vero quibus jam diu & multum pulmones infarcti erant, ut in veteri asthmate, multam repentinamque destillationem plerosque jugulasse testamur. *Catarrhos suffocativos.*

B PLATERUS. *Obstructio in pulmonibus à crasso, lento & pituitoso excremento, si Asthma procreet, & diu perseveret, aut in senibus fiat, curari nequit: in aliis non sine labore, præsertim si nihil de materia obstruentes rejiciant, & nova sæpe accedente defluxione, malum augeatur & foveatur. Quæ si in paroxysmo, in quo jam prius in suffocationis labore existunt, superveniat multa & magna, illos nonnunquam subito suffocat. Si vero à gypseo vel tophaceo corpore asthma fiat, etsi uno tantum in loco subsistens, non adeo atque asthma à pituita plus spacii occupante, profectum suffocet, nisi accedente defluxione, conduplicata angustia id fiat; tamen nec hoc sanari facile potest, nisi longo impetu tussis propulsum, aliquando rejiciatur, sicque subito à malo inveterato liberentur.*

C Methodus curandi *in eo versatur, ut impactam illam materiam in pulmonibus si tenax sit humor, ut loco cedere possit, incidamus, abstergamus, angustiasque illas pectoris, ut liberius propelli & expui possit, dilatemus: quod in tophacea materia competit, & assumptis pectorique adhibitis, situ motuque corporis varie administrandis, perficitur. Dein, ut catarrhi nomine, si hunc morbum procrearit, vel foveat, corpus evacuemus: caput siccemus, & humorem defluentem à capite variis artibus alio revellamus. Flatuum quoque occasione, si ventriculum & intestina distendendo, angustiam augeant, eos educamus, dissipemus.*

SYLVIUS. *Asthma, id est, anhelatio, à pituita crassa*

De Anhelitu & Asthmate.

	S.	A.		S.	A.
* *fit autumno.*	3.	22.	*convulsionis signum in febrib.*	4.	68.
in pueris.	3.	26.	*in continuâ febri lethal.*	4.	50.
juvenibus.	3.	30.	*gibbum faciens, lethal.*	6.	46.
senibus.	3.	31.			

Cura Asthmatis. A pituita crassa. 1. Diæta.

crassa tracheas arterias obstruente, (Nam quæ à sanguine fit angustia, & inde spirandi difficultas, in sputo sanguinis: quæ à peripneumonia, in capite de ipsa: quæ ab ulcere pulmonis, in capite de phthisi: quæ à luxatis intro spinæ spondylis, capite de gibbositate dicetur) curatur sex remediorum generibus.

1. Victus ratione *calida sicca: ut aëre: ut cibo, carnibus scilicet tostis vel assis, non pinguibus neque nervosis: ut potu in pastu quidem parco, post pastum autem nullo, etiam si vehementer sititur ob cordis calorem, minus quam exigit refrigeratum. Potus enim tunc ventriculo distenso diaphragma premit, & respirandi auget difficultatem. Potest tamen bibere ubi cibus prior ventriculum jam egressus est. potest vero etiam prius os potu lavare, & gargarizare, & liquoris sputum promoventis aliquas arterias inspiratu trahere.*

2. Materiæ præparatione.

2. Materiam *in cerebro, pulmone, vel partibus aliis transmittentibus collectam* apparantibus, *calefacientibus, humectantibus, incidentibus, tenuantibus, tergentibus. Ne vero calidis multum initio utere, quia tenui resoluto crassum expuitioni ineptum relinquunt. ne etiam in hoc affectu chronico iisdem continenter utere: quia quibus remediis natura assuescit, ea contemnit, quod ab assuetis non fiat passio. Adhac quamvis hæc medicamenta qualitatibus manifestis conveniant: diversam tamen habent proprietatem occultam, qua hac illis corporibus, illa aliis magis conveniant & conferant. Sunt enim medicamentis cum corporibus totius substantiæ proprietates, & familiares & repugnantes, quæ sola experientia noscuntur. Conveniunt igitur syrupi glycyrrhizæ, hyssopi, prassii, & his valentiores, de duabus, & de quinque radicibus: oxymeli item simplex, compositum, & valentius scilliticum, cum duplo aquarum hyssopi, fœniculi, vel decocti radicis helenii, uvarum passarum, dactylorum, adiantorum & cæterorum thoracicorum.*

Galen. in simpl. passim.

3. Materiæ purgatione.

3. Materiam, *si multa est*, purgantibus. (*si enim tam pauca est, ut per sputa excerni possit, purgatione non opus est.*) *ut agarico trochiscato, pilulis ex agarico Mesuæ, (is enim cerebrum, thoracem, pulmones, tacito consensu mire purgat) pilulis cochiis pituitam à cerebro vacuantibus per se à drachma una ad script. quatuor, vel ipsarum, & pilularum ex agarico, aut agarici trochiscati, ana script. duobus vel ℈. indo ad semunciam, vel expresso drach. duarum agarici, cum salis gemmæ, & zingiberis, ana scriptulo uno, decem horis infusarum in aqua hyssopi & scabiosæ quantitate sufficienti, addendo ℈. indi drachmas duas, syrupi glycyrrhizæ unciam unam. Vt tamen à pulmonibus tandem attrahant purgatoria, in pilulis sunt efficaciora, ut quæ mora in ventriculo longa à remotis partibus attrahunt. Conveniunt & asthmati à catarrho pilulæ aromaticæ, de hiera simplici, vel composita, cum agarico semper, ut omnium simul dentur scriptula quatuor, quarto aut sexto quoque die, hora somni. Potest etiam elleborus & colocynthis, aut potius hiera diacolocynthidos bis tandem exhiberi, parata multum materia, ut facilius vacuetur.*

Sæpe autem repetenda purgatio est ob morbi longitudinem: modo ne purges, dum velut in pulmone fervet, & exundat sursum materia per quosdam paroxysmos, & sæpe certis periodis repetentes. Accessionis enim tempore medicamento purgante materiam non agitabis, ne largius in pulmones fluat, & suffocet, sed blande sputum tunc provocabis, aut per cucurbitulas, paulo supra renum situm affixas, & recto corpore revelles materiam ad arteriæ asperæ truncum, confestim ruentem, & suffocationis periculum afferentem.

4. Avertentibus *remediis, ut errhinis, apophlegmatismis; causticis, & ceteris ante in catarrho descriptis, & in tussi describendis.* 4. Aversione.

5. Sputa promoventibus, *hoc est, thoracem roborantibus, arterias asperas dilatantibus, & incidentibus. hisque vel simplicibus: ut glycyrrhiza, uvis passis, ficis siccis, myxis, zyzyphis, adiantis, hyssopo, scabiosa, rad. helenii, aristolochiæ rotundæ foliis & semine urticæ, & cæteris dulcibus, nitrosis, salsis, amaris, acribus. vel compositis ex his, & similibus syrupis, electariis, eclegmatis: quale ex brassica & ex pulmone vulpis factum, ab omnibus scriptoribus celebratur proprietate pulmones juvare, uti pulveris ericii sylvestris drachmæ duæ sæpe sumpta. Radix quoque ari cruda, vel potius elixa, aut sub cineribus assata, trita, & syrupis thoracicis mista sputum efficacissime promovet: si ejus, exempli gratia, semuncia cum eclegmatis de pino, & de pulmone vulpis, ana drachmis sex, cum syrupo glycyrrhizæ misceantur: cui addunt quidam uvas passas purgatas, ficus, dactylos, penidia, hyssopum, adiantum. Foris autem corpus linatur oleo amygdal. dulcium, butyro recenti, cum pauco croci: & linteis asperis molliuscule fricetur, ut per poros apertos aliquid materiæ exhalet.* 5. Promotione sputi.

6. *Siccantibus &* dissipantibus *materiæ* reliquias, *suffitu cum thure, sulphure purgato, & etiam arsenico: quod mirum in id Gentilis prædicat, etiam si sit* 6. Reliquiarum dissipatione.

si sit deleterium, & ob id vix utendum, nisi rite castigetur: sumptis etiam theriaca, mithrydatio, diamoscho dulci & amaro, pliris arcotico & similibus,

Altera obstructionis causa. *Ωμὸν φῦμα.* *Ejus signa.* CRUDUM TUBERCULUM pulmonum arteriis adnatum easque obstruens, iisdem atque asthma urget symptomatis: discernitur tamen quod pedetentim increverit nulla præcurrente destillationis nota, quodque difficilis respiratio insit citra stertorem. Omnis tamen vetus & contumax ex quacunque causa sit obstructio, inspiratione magna detegitur: per hanc enim sub pectore offendiculum percipitur, quod protinus tussim etiamsi diu sopita fuerit proritat. Si jam tuberculum aut alia quævis obstruens causa tam alte penetret, ut non asperis, sed lævibus pulmonum arteriis cordi vicinis B inhærescat, non modo difficillis respiratio, verumetiam pulsus omnino varius & inæqualis atque intermittens, vel etiam intercisus existet: ac tum cordis palpitatio & animi quædam defectio accedet, oppresso jam corde.

Tertia. *Atque hæ omnes quidem sunt obstructorum pulmonum causa.*

Hippoc. 1. de morb. Galen. 4. de loc. aff 7. 8. 2. Aph. 44. At tum hi, tum eorum arteriæ angustiores fiunt, vel à natura: ut iis qui jam ab ipsa conformatione depressum obtinent pectus, arctumque sub hoc spatium: & qui vel natura vel pleniore victu & ociosa vita obesiores evaserunt. De quibus Hippocrates, *Qui natura admodum crassi sunt, breviore vita fruuntur, quam qui graciles.* Utrisque ductus omnes corporis præangusti insunt & exi- C les, in hisque spiritus paucus levi occasione opprimitur, estque vel citra humoris influxum extinctioni maxime obnoxius.

Ἡ περιπνευμονία. Peripneumonia *pulmonum est inflammatio* * alias quidem phlegmones, alias erysipelatis specie.

Ejus causa. Magna spiritus difficultas urget, malæ præter modum quasi inflammatæ rubent, oculi intumescunt. Atque si phlegmone est, sputum, inquit Hippocrates, cruentum citatur, nisi admodum crudus sit morbus: *Cit. loc.* præcordiorum totiusque pectoris angustia premit, gravitas summa sternum dorsum- A que contrahit, sed tamen febris acuta non admodum urit. In erysipelate vero tussis, flavum sputum trahit non multo permistum cruore, pectoris angustia gravitatisque sensus minor, at febris flagrantiore incendio extorret.

Utraque autem modo per se *oritur*, modo anginæ vel pleuritidi succedit, dum è faucibus aut è latere humor repente fertur in pulmones. *Causa.* De hac scripsit Hippocrates, *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.* 7. Aph. 11. In vehementi enim pleuritide si sine causa lateris dolor solvitur, repente aut plurimum mitescit, plerumque in pulmones transitus fit; ac tum increscente tussi ortaque suffocatione major peripneumonia nascitur cum sputo etiam cruento, à qua pauci admodum liberantur. Quæ non alium morbum subsequitur: sed ex sese primam duxit originem, fit quidem ex tenui biliosoque sanguine, è dextro cordis sinu per venam arterialem in pulmones vehementius & abundantius excusso, qui non modo pulmonis venas & arterias, verum etiam totum ipsius corpus præter modum implens atque distendens, coarctatur ac putrescit, & pulmonis inflãmationem accendit, non eam quidem aliarum more collectam, sed toto viscere effusam. Rara autem admodum est vera peripneumonia. Hanc Hippocrates tradit vinolentia potissimum fieri: pisciumque, ut mugilum & anguillarum esu, qui pingue habent hominis naturæ infestissimum: atque carnis devoratione nimia, & aquæ mutatione.

Peripneumonia spuria. At vero tenuis & acris multaque destillatio è cerebro confertim in pulmones illapsa, interdum ardore præter naturam incenditur, æstum ac febrem inferens: ac plerique eam affectionem peripneumoniæ nomine designant, in qua & tussi & spirandi difficultate & lenta febre sensim conficitur æger, sine ulcere, sine expuitione cruenta. Hæc si peripneumonia dicetur, ab exquisita profecto plurimum tum causa, tum symptomatum magnitudine dissidebit.

SYLVIUS

De Peripneumonia.

	S. A.		S. A.
* *fit hyeme.*	3. 23.	*superveniens alvi fluxus, malum.*	6. 16.
est juvenum.	3. 30.	*ab ea phrenitis, malum.*	7. 12.
à pleuritide, malum.	7. 11.		

Cura peripneumoniæ. *Lib. 3. fen. 10. tracta. tu 24.* SYLVIUS. Peripneumonia, *remediis prope iisdem, quibus pleuritis,* curatur: *quæ autem utrique curanda sunt propria, abunde docet Avicenna.*

Ἀπόστημα ἐν πνεύμονι. VOMICA PULMONIS est *abscessus exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, quod membranula, propriaque cysti, arcte adeo concluditur, vix ut quicquam de se tetrum in cor expiret.*

Ejus causa, Gal. 4. de loc. aff. 8. Hæc frequens est in tabidis, sed & plerumque sine tabe fit, quum sanguis ex aperta, rupta, aut exesa vena in parvam quandam pulmonis regionem secedens, illic putrescit, sensimque mutatur in pus, ac per summa siccescens sibi cystim efformat.

Signa. Latens profecto & in primis abditum vitium, sæpe nec laboranti nec medico notum, quo laborans ipse nec consueta munia intermittit, nec se morbo teneri putat, causamque interitus sui nesciens intus gerit sub pectore. Sic affecti sublivido fere sunt faciei colore, eisque lingua lentore quodam est oppleta, maxime quum longe à cibo absunt: & corporis agitatione aut potu cibove calidiore urina facile tingitur, & pulsus citatur, citra tamen ullam spirandi difficultatem. Interdum vero post concitatiorem corporis motum pilulæ parvæ & globuli instar pisi exigui redduntur è pulmone membranula conclusi, qui contriti digitis pus reddunt fœtidissimum, quale è cavo putrique & corroso dente interdum expurgatur. Adolescens quidam à paulo vehementiore exercitatione, quum acerba tussi nullo puncto temporis intermisso torqueretur, vomicam integram columbini ovi magnitudine excreavit, in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum est: cruenta excreatio interdum biduum persistit, magna febre, magnaque corporis perturbatione. At nihilominus servatus is est atque sanitati restitutus. Non pauci inopinato è vivis horæ quadrante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit, quam repentina vomicæ disruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetraverat, ipsius vim extinguens atque obruens. Quumque ex his duo medici essent percelebres, attamen nec febre, nec inappetentia, nec alia ullo symptomate impendentem sibi diem vitæ supremum præsenserunt. Id mihi quidem persæpe ejus loci memoriam refricavit, quo inquit Hippocrates, *Quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ea propter crassitudinem vel puris, vel loci, delitescit.* Etenim haud raro efficit obvolventis membranæ densitas, ut nihil tetrum à pure in cor vitæ fontem inspiretur. Omnibus tamen sic affectis multo tempore antequam vomica rumperetur, cruenta excreatio processit è pulmonibus, eaque cum tussi: adfuitque spiritus gravis ac fætidus, corporis gravitas, pectoris levis oppressio, & spiritus difficultas, quibus tabes raro comes. Sed hæc quidem signa aliorum quoque affectuum communia sunt. *Hipp. 2. de morb. Galen. 5. Method. 8. 7. aph. 16. Avic. lib. 3. fen. 10. tr. 4. c. 18.*

Ἡ φθόη. * TABES autem *pulmonis est exulceratio, qua sensim corpus universum liquescit.*

Ejus signa Hac incipiente frequens tussis molesta est, qua cruentum aliquid sine sensu doloris extunditur: hoc interdum subsistit, tussique sordidum quiddam editur, deinde purulentum, tum febricula levis adoritur, cujus nulla fit intermissio: quæ tandem hectica facta, mox à cibo aliarum more invalescit. Ulcere magis magisque serpente pus excreatur, fitque quod dixit Hippocrates, *A sanguinis sputo, puris sputum.* Hoc quum syncerum est, aquæ injectum minime alterius ritu innatat, sed (si purum est) in imum descendit, subsidetque. At nihilominus quoties vel labore, vel tussis impetu, vel excandescentia ulcus puris lentore obductum refricatur, cruenta excreatio redit. Confirmato *7. Aph. 15.*

De tabe seu φθίσει.

	S. A.		S. A.
* *quo anno?*	5. 9.	*fluxus alvi, lethal.*	5. 14.
quâ constitutione?	3. 13.	*sputum graveolens, lethal.*	5. 11.
fit autumno.	3. 22.	*capilli defluentes, lethal.*	5. 12.
ab hæmorrhoid. suppress.	6. 12.	*suppressum sputum, lethal.*	7. 16.
in Adolescentibus.	3. 29.	*caveant vomitum.*	4. 8.
à pleuritide.	5. 15.	*in quibus ætatibus?*	8. 7.
puris sputo.	7. 16.	*prognostica.*	8. 8.
Tabidis lac bonum.	5. 64.		

mato ac jam inveteraſcente vitio putris pulmonis portio interdum exit, & ſputum carbonibus injectum aut etiam per ſe graveolet, ſæpe id etiam halitus contagione imprudentes labefactat: capilli defluunt, idque alimenti penuria: toto corpore exarefacto & invaleſcente febre ungues in manibus curvantur, malæ liveſcunt tetro vapore eo ſublato, coſtarum extrema ſiccitate ſurſum convelluntur, dum tandem corpus omne conſumptum contabeſiat, calorq; nativus exhauſto pabulo intereat. Magna inter ſcriptores controverſia eſt, poſſitne quis citra cruentam excreationem tabe reſolvi. Nonnulli poſt ſolam ſcreationē humoris liquidi & ſubflavi levi febricula correpti tabeſcere cæperunt, ac multo poſt tēpore cruoris exiguũ quiddam cũ pure rejecerunt. Sed non paucos etiam animadverti tabe ſēſim ſublatos, in quibus nihil omnino cruoris toto morbi decurſu comparuit. Atque horum quidem ratio mox proferetur.

Cauſa. Tabis *Cauſa* duplex: una quidem pulmonis vitioſa conſtitutio, altera humor exedens. Vitioſam conſtitutionem appello non intemperiem, ſed mollem, tenellam ac corruptioni paratam pulmonum ſubſtantiam, de qua alibi fuſe diſſerui. Sic plerique jam ab ipſo ortu & à parentibus latente pulmonũ vitio tenentur, quo tandem omnes contabeſcunt, etiamſi nulla aut certe minima deſtillatio è cerebro aut aliunde procũbat. Qui tabida ſtirpe ſati ſunt, quaſi hæreditario jure omnes neceſſario tabe marceſcũt: hocq; malum ſępe vidimus in omnes ejuſdē familię ordine graſſari. Et qui natura pectus anguſtum atq; depreſſum obtinent, hi ſunt in tabem procliviores, horumque natura, ut inquit Hippocrates, ad phthiſim vergit. Nō hinc certe quod pulmones anguſti ſunt, (hoc enĩ duntaxat in aſthma deduceret) ſed quod ii fere languidi adeo ſint & imbecilli ut tempore ſenſimq; flacceſcant ac ſponte corrumpantur. Ac proinde qui ab ortu vitioſos nacti ſunt pulmones, alii à cruenta ſcreatione, alii citra hanc tabidi deceſſerũt Cauſa tabis altera acris eſt & excidens è capite deſtillatio: aut humor acer è corde in pulmones ejectus, qualis maxime autumno cumulatur: aut pus in thoracis capacitate concluſum, de quo ſtatuit Hipp. *Empyos, id eſt, purulētos, qui intra dies quadraginta ſcreatu non purgantur, in tabē tranſire.* Hę igitur cauſę valentiſſimos quoſq; pulmones ſēſim & ſine ſenſu doloris exulcerãt: quibus etiã accedunt quæcunq; id cęca proprietate, ut lepus marinus, pręſtare poſſunt.

3 Epid. com. 3. t 74.

5. Aph. 16

PLATERUS. *Pulmonum continuitas ſoluta, ob ruptum vas aliquod, unde ſanguinem ſpuunt, ægre iterum coaleſcit, & proin vix dum quo minus exulceratio ſequatur, impediri poteſt. Quæ ſi jam, vel ob hanc aliamve cauſam pulmonum ſubſtantiam invaſerit, purulentaque & putrida exſcreent, longe minus, immo difficillime curatio ſuccedet. Deſperataque omnino eſt ſalus, ſi pulmones corrumpi, atque ex parte aliqua vel magna in pus converti atque putreſcere, ac empyema in pectore excitare incipiant. Quum curationis difficultatem vel impoſſibilitatem, motus continuus pulmonum ex parte parit, qui illorum continuitatem ſolutam non ſinit amplius coaleſcere, uti & tuſſis comes, à purulenta illa materia, vel accedente defluxione, indeſinenter moleſtans, pulmoneſque magis magiſque concitans. Dein & cum medicamenta ad pulmones vix minima ſui portione pervenire poſſint, illa quoque in ruptura vaſis, aut ulcere jam nato, cum parum operari queant, curam protrahunt, atque irritam ſæpe faciunt. Vti & illud, quod pulmones corrupti reparari amplius nequeant, & quod de pure pectori illapſi in empyemate, ſi accedat, parum aut nihil per exſcreationem egeri poſſit. Et licet ſectione facta è pectore educatur, tamen pulmonum remanet exulceratio, ſine qua empyema vix gigni poſſe alibi demõſtravimus. Quod &, licet nulla præcedente exulceratione pulmonum, ab abſceſſu aliquo aliove modo, uti dictum fuit, oriretur, niſi mature illi exitus ſectione patefiat, unde forte ſanari poſſet æger, ſi ita rē ſe habere cognoſceretur, vel æger apertionem concederet, retentum pulmones corrumpit, & in idem periculũ inducit.* *Prognoſtica.*

Curatio, cum nihil intentatum relinquere debeamus, ſuſcipienda, prognoſtico tamen prius, in deteriorem potius quam meliorem partem inclinante, præmiſſo. Accommodaturque hæc præcipue morbo, uelvti exulcerationi ſeu corruptioni pulmonum, & ſimul cum eo purulentæ huic excretioni cum tuſſi, quæ inde procedit, uti & puris collectioni in pectore in empyemate, ſi illi jungatur: Dein & alio morbo comiti febri hecticæ, & ſimul conſumptioni corporis, quæ ab ea potiſſimum exurgit: Poſtmodum & cauſæ, defluxioni nimirũ, ulcus vel inducenti vel foventi, tuſſimq; adaugenti. Quod aliam cauſam attinet, venæ ſcilicet rupturã, quæ per ſanguinis expuitionē cognoſcitur, quid illius cauſa faciendum, in hæmoptica paſſione fuit expoſitũ.

Exulcerationis pulmonum & corruptionis, indeque profectæ purulentæ per tuſſim excreationis & collectionis in pectore, cauſa, exhibentur quædam, quæ licet vix & minima quantitate, ad eos per aſperam arteriam

teriam penetrare queant, tamen successive usurpata, aliquid quoq; possunt efficere. Danturque, uti in aliorum ulcerum cura fieri solet, abstergentia, quæ pulmones à pure, & pectoris interiora etiam, si & illi pus à pulmonibus inhæreat, repurgent: & ad excreationem, quæ per tussim fit, promoveant. Quæ & in empyemate, si citra exulcerationem pulmonum illud fieret, uti docent, pus expectorando, similiter proderunt. Dein & consolidantia exhibentur, quæ vi exsiccante nonnihil, & emplastica, pulmonum hanc divisam substantiam, rursum quantum fieri potest, conglutinent atq; uniant.

Phthisios Cura. SYLVIUS. *Phthisis, id est, ulceris pulmonum dispositio,* curatur (*si curabilis est*) quinque remediorum generibus.

1 Diæta. 1. Victus ratione, *si febrem & emaciationem spectes, refrigerante, humectante: si ulcus causam mali, calida sicca. Sit igitur calido, frigido temperata, sed siccior, ulceris gratia, nisi indicatio à febre præpolleat, & minus siccantia exhiberi cogat: tamen à causa præsente, ulcere scilicet, sumpta indicatio magnarum est virium. ob id Galen. phthisicos mittebat Thabias, ubi* aër *erat siccior, & sanabantur.*

Lib. 5. method. 14. Cibi *autem sint coctu faciles, quod calor nativus phthisico est imbecillus: sint item boni & multi alimenti, ut corpus emaciatum instaurent: sed liquidi & tenues: at phthisicorum ob siccitatem contractas facilius subeant, & penetrent: ob febrim quoque refrigerent nonnihil, & ob ulceris saniem, detergeant, & ob solutionem continui, glutinent. Quas dotes omnes habet* lac: *facile enim coquitur, ac omnium quæ alimenti gratia sumimus, lac. butyro & caseo multum nutrit: optimum optimi est succi, sero casei & butyri liquidum est, subfrigidum est: ut cap. 20. libr. 5. simpl. terget sapore dulci butyrosa substantia, & acrimonia seri. glutinat caseo, & eodem, ac butyro est emplasticum. Lac autem asininum & caprinum frigidum magis & tergens: quia serosius. ovinum autem, & eo vaccinum plenius nutrit, & valentius glutinat, quia butyrosius & caseosius. muliebre autem ad omnia simul est præstantissimum. In singulis autem prædictis lactis differentiis, potes singulas ejus facultates augere, aut minuere idonea victus ratione ipsius animalis: ut, lactuca, portulaca, cichorio nutritum, refrigerans magis lac habet: fœniculo, hyssopo, adianto, hordeo, terget magis: rubi, lentisci, salicis, vitiũ foliis, glutinat potentius, &c. à Gal. scripea lib. 7. met. de lacte asinino, & lib. 3. alimen. & 1. sanitatis tuendæ. Sumatur autem mane jejunis, horis tribus aut quatuor ante cibum, unc. quatuor primum: quas si recte confecerit, postridie quinq. sex uncias, & sic diebus consequentibus auctum, si bene concoquat. usq; ad lib. unam. Sumat autẽ ex mamilla, aut minimũ diu extra propria conceptacula moratum (illic enim ut sanguis & semen promptissime corrumpitur (per se, ast cũ pauco melle, vel sacch. & sale, ne in ventriculo acescat: à lacte hausto, non dormiat, ne corrumpat: nec corpus exerceat motu aut frictione, ne crudũ lac in corpus trahat. Salubria etiam sunt jura multum succulenta, ex carnibus caponum, phasianorum, perdicum, cũ amygdalis, glycyrrhiza, seminibus frigidis, bolo armena, sacc. ros. Ex hisque & similibus, velut buccellæ, aut marcipanes, & similia, parva mole multum nutrientia. Cicera etiam ex jure prædicto multũ cocta sunt multi nutrimenti, & ob lentorẽ diuturni: cancri fluviatiles, limaces, testudines: & ex limacibus aqua capitello destillata.*

Lac.

Serum variis etiam substantiis constat.

Potus *sit præditus iisdem facultatibus, quibus est cibus: ut vinum album tenue, non vaporosum. quidam potu solius lactis sunt persanati, ut testatur Rasis lib. 4. continentis. quod erit præstantius, si chalybs, aut ferrum candens, in eo fuerit extinctum.*

Cætera *sumenda, admovenda, facienda, educenda, eodem spectant, quo aër, cibus, potus.*

2. Causam *phthisis* abigentibus, *quæ si est catarrhus, curetur, ut diximus: si vas ruptum curetur, ut in sputo sanguinis habes: si humor in pulmonibus erodens, apparetur & vacuetur.* 2. Causæ ablatione.

3. Ulcus *pulmonis* tergentibus *dulcibus, & amaris, ut, syrupo glycyrrhizæ, hyssopi, prassii, melle rosato cum aq. scabiosæ dupla, vel adianti, fœniculi, hyssopi, vel decocto pectorali: si vero febris urget, cum decocto violarum, glycyrrhizæ, se. frigidorum communium, myxorum: detur syrup. violatus, rosarum, mel rosatum, aqua saccharata, vel parum mellita, decoctum cicerum rubrorum: lác cum sacchara violato.* 3. Ulceris absterfione.

4. Ulcus carne implẽtibus, *& glutinãtibus, quæ duo naturæ sunt opera, si ipsius impedimenta, tergendo sordẽ, & siccando saniẽ sustuleris: maxime usu crebro sacch. ros. sed pauci: hoc enim terget sac. & ros. amara substantia; sacch. nutrit, rosis refrigerat & glutinat. Cũ igitur ad unũ omnia complectatur, quibus eget hic affectus, non abs re Rasis, & Avicẽnas, plurimos phthisicos sacch. ros. usu persanatos affirmãt: id quod si recens est, acrimoniæ particeps est eaq; potentius urget. Si vero glutinatione magis opus est, quia sputũ adhuc cruentũ est, non purulentum, vetus d.bitur, cum bolo armena, vel sanguine draconis: quorum astrictione, si materia pulmoni affigitur, sumatur syrup. glycyrrhizæ vel hyssopi cum decocto pectorali, aqua scabiosæ, & similibus.* 4. Glutinatione.

Sunt præterea quæ phthisi prosunt totius substãtiæ *proprietate: ut pulmo vulpis, & ericii siccatus & pulveratus, & ex pulmone vulpis eclegma Avic. liquidũ.* Tota substantia.

Quibusdã etiã catarrhosis animalibus & inde phthisi multum obnoxiis, herba quædam est cognita, hominibus ignorata: cujus usu ulcus in pulmone ovis glutinatum invenit Avenzoar: sunt enim, ut idem ex Conciliator

Hermete

Quibusdam Pimpinella putatur.

Hermete scribit, plantis & metallicis corporibus facultates, quas si homo cognitas haberet, ea faceret quæ magicorum putantur.

5. Correctione symptomatum. *Aph.4.l 5*

5. Symptomata corrigentibus: *ut alvi fluorem, ob coctricis & retentricis ventriculi, & aliarum partium facultatis imbecillitatem: ut pulvere à Rosi descripto, & diarrhodo Abbatis, ventriculum, hepar, & alias partes male nutritas roborante. Emaciationem vero etiam phthiseos symptoma corrigunt; aqua carnium, jura prædicta.*

Quid in insanabili.

Si vero phthisis omnino est insanabilis; *vel non tractanda, vel blande, & callus per siccantia excitandus est, quod mulieri furnariæ phthisicæ dicit accidisse Matthæus Gradi: inspirato enim sæpe furni aëre sicco, ulcus occalluit, vixitq; postea annos viginti octo.*

Gal.4. de loc. aff 5. 8. Αἱμοῤῥαγία. *Ejus causa.*

† Jam vero PULMONUM VENA, casu, labore, clamoribusve RUPTA: aut æstu, balneis, vini potu alimentisve calidis & multis, vel etiam suppressorum mensium (quod interdum fit) eo confluentium multitudine reserata, magnam sæpe sanguinis copiam excreatione profudit, quam nulla tabes est insequuta: ac ita affectos plerosque vidi diu postea vitam nullo incommodo exegisse. Non enim simplici venæ ruptione (modo reliqua pulmonis substantia integra sit) quisquam contabescat. Aut si qua illinc tabes insequitur, id sane fit quod sanguis ab ulcere in pulmonum substantiam dimanet, inflammatusque ac demum putrescens eam labefactet.

Id postremo de omni affectu internoscendum, *in utro pulmone* consistat. Si alter duntaxat obstructione vel peripneumonia, vel vomica, vel ulcere tentatur, inspiratione magna atque etiam tussi gravitas aut offendiculum est in affecto latere, è quo & nonnunquam sputum corradi ac educi percipitur. In affectum latus decumbenti spiratio difficilior, tussisque crebrior evadit: contraque accidit quam in vera pleuritide, & in jecoris aut lienis inflammatione, & in nephritide: sub his enim tolerabilior, laborante vero pulmone molestior est in latus affectum decubitus. *Indicia quis locus pulmonum affectus?*

Quum porro his morbis lateris dolor comes accedit, isque interior fixus & permanens, affectum pulmonem *membranæ* costas succingenti jam *adhærescere* suspicio est. Id autem fit interventu pituitæ aut saniei cujusdam lentæ, quæ è læso pulmone dimanans eum contagione lateri agglutinat, ac demum putrescens latus pulmonemque labefactat. *Et an simul affecta pleura?*

CAPUT XI.

Thoracis morbi & symptomata.

Hippoc. 2. de vict in acut. Gal. ibid. & 5. loc. aff 2.

PLEURITIS * *phlegmone est ejus membranæ quæ costis subtenditur.*

Latus *varii dolores* exercent, qui tum *situ* tum *materia distant.*

Situ quidem, quod alius causas habeat inter costas & membranam quæ intus illas succingit: alius in musculis mesopleuriis: alius in musculis qui extrinsecus costis incu- Ἡ πλευρῖτις. *Ejus differentia.*

† J. HEURNIUS inter secretiora remedia reservavit pro phthisi] ℞ *Decocti rad. chinæ mund.* ℥*iij. in* ℔*aq. viij. ad dimidias. cinnamomi* ℥*ß. cum ol. sulphur* ℈*j. & bibat nihil nisi cerevisiam in qua coxit rad. chinæ & quid guajaci.*

JOSEPH MICHAELI] *Vtitur oleo sulphuris ex syrupo de rosis siccis.*

Item VALCKESTEINEÆ Sorores Hagę Comitis Phtysicę recreabantur hoc:] ℞ *marrabium & pulmonariam coque in cerevisia & vini rhenani an. partes aq. bibebant mane cyathum per 7. dies tunc per 7. dies abstineban ab eo potu & semel singulis mensibus utebantur cochleare aq. ardentis & aq. rosata addebant Sem. malvæ & personatæ an. quam medio stufero poni potest miscebant ac sumebant.*

De Pleuritide.

cubant. Postremus hic dolor non utique exquisita, sed notha pleuritis est: qui vero vel in musculis mesopleuriis, vel inter hos & membranam succingentem, vel in utramque sedem incidit, ex situ vera & exquisita pleuritis est.

Materia quoque dolores hi distant, quod alius à phlegmone, alius à destillatione, alius à flatu suscitetur.

Lateris dolor à sanguine. Fit autem phlegmone raro ex crasso; sæpius ex tenui biliosoque *sanguine*. qui ex vena cava cordi assidente in eam quæ azygos nuncupatur, ac dein in tenues costarum venas impetu quodam incurrit, ex quibus apertis aut disruptis exilit, inciditque aut in musculos mesopleurios, aut inter costas & succingentem membranam, illicque collectus phlegmonem veramque pleuritin parit. Quum vero sanguis in externos thoracis musculos effusus fuerit, idque per ramum, qui à vena cava mox ut è thorace in alam emersit, delabitur, propagaturque in partes thoracis externas, ex materia quidem veram, at ex situ notham pleuritin facit. Quanquam autem hæ phlegmonæ situ distant, magna tamen societate connexæ sunt: ac sæpe interioris in externam, aut contra transitus est: quod ut in anatome docui, interiorum venarum extrema foras emergant, & externarum ora intro subeant.

Ejus causa. *Causa* porro quæ sanguinis fluxionem impetumque movet, aut illius immoderata est copia, aut tenuitas, aut effervescentia & exagitatio ab æstu, à balneis, ab exercitatione, ab excandescentia, ab ictu, à subita refrigeratione, aut à potione frigida, quæ concalefactum agitatumque sanguinem varie depellit ac disjicit. Ad has causas accedit lateris imbecillitas, qua fluxio non quidem allicitur, sed promptius excipitur. Dolor autem pleuriticus non perpetuo uniusmodi est: sed ut sanguis inciderit varius & situ & loci amplitudine, sic & dolor sæpe vehementia variat: nam à tenui biliosoque sanguine qui phlegmonem erysipelatodem gignit, atrocior, à puro aut pituitoso mitior. Ab his enim aut simplex phlegmone fit, aut quæ œdematodes nuncupatur.

A destillatione, Lateris dolor è *destillatione* contractus externas etiam partes occupat oriturque humore frigido è summo capite per cervicem in scapulas & omoplatas, tandemque in lateris externos musculos modo priores, modo posteriores illapso. Hic tametsi nequaquam pleuritis est, perseverans tamen veram interdum pleuritim, quæ etiam sputum cruentum emolitur, accersit, seu quod sensim altius penetrans tandem se in mesopleurios & succingentem membranam insinuet, seu quod illius dolor novam fluxionē eo proritet è venis.

A flatu, *A flatu* lateris dolor etiamnum fit admodum vehemens, quoties is inter membranas aut externas, aut interiores sese infert, easque distendit, divellitque à vicinarum partium adhæsu.

Viscerum pondere. Adhæc hisce membranis viscerum *pondere* & gravitate deorsum retractis sępe diu turni insunt dolores, quos ut jecoris vitio & mole fieri traditum est, ita & lienis occasione diu protrahi animadvertimus.

Ab ictu. Neque prętereundum est, *ex ictu* aut casu sæpe laterum dolores relinqui diuturnos atque contumaces, multoque magis si vel costarum luxatio, vel fractura sit insecuta.

Eorum signa, Hæc genera jam *signis discernenda* sunt. Lateris dolor quocunque pertineat spiritum intercipit, nec libere & magnum spirare sinit, quod latus atque thorax ad respirationem conferat, motuque irritetur.

A flatu, Distant tamen, quod dolor *à flatu* fere vagus est, nec diu eadem sede persistit, sed calore & fomentis mitescit atque etiam sæpius discutitur: ortus quoque est à frigore, aut ab aliis causis flatulentis: hisque evidentibus.

A destillatione. Dolor *ex destillatione* prægressam habet & manifestam causam: in cervice vel scapula primum afflixit, deinde in latus delapsus est, in quo pressu contactuque exacerbatur: fomentis non tollitur. Atque horum dolorum nulla febris comes est, nisi aliunde fortassis accersita.

Ex inflammatione Jam vero externæ atque etiam *veræ pleuritidis* hæ communes notæ sunt, febris assidua, respiratio difficilis, frequens atq; parva: dolor pungens atque distendens: tussis initio sicca quę nihil prorsus emolitur.

Musculorum, At multum inter se distant, quandoquidem *externa* dolor tactu pressuque excandescit: molestus est in latus ægrum decubitus, in sanum facilis: pulsus quidem frequens

P

quens & inæqualis, sed neque tensus, neque durus.

Pleura. *Interioris* & veræ pleuritidis febris assidua acutior est, quod affectæ sedi magna insit vicinitas cum corde: spiratio difficilior, frequentior & minor: dolor pungens atque distendens, qui, si membrana costas succingens parte superiore inflammatur, ad jugulum; sin inferiore, ad hypochondrium pertingit: neque lateris tactu neque pressu ingravescit, estque in ægrum latus decubitus quam in sanum facilior: materia siquidem inter costas & membranam succingentem collecta adverso decubitu propendens, membranam magis distendit atque divellit, unde dolor, dyspnœa, atque tussis acerbior. Pulsus frequens & inæqualis, durus est atque densus, idque magis quum membrana succingens, quam quum soli musculi mesopleurii inflammantur. Tussis interdum initio sicca, sed mox fere humida, cujus deinde sputum coloratum existit. Primum enim liquidum & album rejicitur, quum è solo pulmone pituita, nondum autem ex affecto latere quicquam excidit: deinde flavum, quum sanies quædam tenuis illabitur: postea rubrum ac vere cruentum, quum jam patentiore via sanguis purus emanat: hinc purulentum insequitur, maturata phlegmone. Hæc autem omnia ex affecto latere per succingentem membranam, vel pertusam, vel exesam, vel quovis modo rariorem factam, excidunt effunduntur que in thoracis capacitatem. Etenim dum expirando thorax deprimitur, ac multo magis dum in tussi vehementer comprimitur, humorem qui in capacitate est cogit, rejicitque in asperas pulmonum arterias: in quas facile recipitur, quod earum ora cartilaginea & semper patentia desinant in extremum pulmonis tenuissima membrana obducti. Ex his sensim in majores subeunt, dum tandem frequente tussi in eam quæ gutturis est arteriam, ac tandem foras exigantur.

Prognosticum Pleuritidis. PLATERUS. *Inflammatio tam in pleuritide, quam peripneumonia periculosa est: in peripneumonia tamen, quia cordi magis est vicina, deterior. Vtraque, alias subito die 4. vel 5. occidit: alias 7. vel 8. primum, nonnunquam ad decimum quartum vel vigesimum usque producta, tamen mortem adfert. Cum ad salutem tendit, solvitur nunc prima septimana, nunc altera, interdum tertia: cessantque primum punctiones, mox & febris, tandem & purulenta excretio: quæ si supra dictum tempus prorogetur, febrisque non cesset, sed lente fiat, in empyema vel phthisim morbum desiisse suspicio est.*

Ex sputo. *Cæterum quonam evasuri sint hi morbi, sequentia indicant. Per* tussim *si statim aliquid à pulmonibus inflammatis excreent, quod sputo permiscetur, bonum est: præsertimque si tussi non adeo valida existente facile propellatur: è contra vero malum. Hoc autem si sanies sit, vel cruor, qualia à parte inflammata, pulmonibus scilicet, prodire solent, probatur. Si vero sanguis copiosior ab initio, maximeque diebus aliquot continuis, rejiciatur, aut semel cessans rursum redeat, pulmonum graviorem læsionem portendit. Quo citius autem saniosum sputum purulentum, album coctumque evadit; & quo facilius copiosiusque tunc expuitur, eo est melius: nisi tanta copia rejiciatur, ut, sicuti aliquoties in peripneumonicis morituris accidere vidi, pelvim adimpleat, quod, inflammationem maximam fuisse, magnamque suppurationem inde subsecutam, & proin mortis imminentis signum est. Purulenta expuitio etsi subflava sit, nondum est, nisi admodum flavescat, mala: quæ virescit, deterior est; eoque magis si atra sit: quæ alba, tenax & pellucida, morbum prolongat.*

Humore. *Quæ à* sanguine *puro fit inflammatio, mitior est; quæ à bilioso vel impuro, deterior & brevior; longior vero nec ita acuta, quæ à pituitoso sanguine nascitur. Quæ alios morbos sequitur diuturnos & acutos, minus quoque curatur. Quæ senibus & debilibus accidit, peripneumonia præcipue lethalis fere existit.*

Anheli. Anhelitus *difficultas summa, magnitudinem inflammationis portendit, vel etiam puris magnam collectionem. Quo nonnunquam subito & affatim in asperæ arteriæ ramos irruente, amplius anguntur, spiritumque cum stertore ducunt, & nisi mox excreent, suffocantur.*

Extremorum frigus. Extremorum frigus, *Facies collapsa, Pulsus parvus, mortem hic, ut in aliis morbis similibus, antecedunt & prænunciant.*

Febris. Febris *si intensa fuerit, calore, siti, vigiliis, periculum auget, mitior minuit.*

Delirium. Delirium *si accedat, quod alioquin adesse hisce affectibus minime, nec ratione febris illius comitis supervenire consuevit, cum septo affecto hoc contingere soleat, mortale est signum.*

Hæmorrhagia. Hæmorrhagia *narium tum ratione febris tum revulsionis causa, in principio morbi obesse non potest:*

potest: sed circa finem plus debilitat quam juvat, immoderata præsertim.

Mictio • Mictio copiosa, *uti & sudores, febrem, si idoneo tempore superveniant, interdum solvunt: Et si purulenta sit mictio, per ea à pulmonibus materiam suppuratam expurgari quoque posse autumant, ac proin per hanc viam pleuritim & peripneumoniam solvi. Quod si fit per venam cavam, tanquam viam manifestam, pus à pulmonibus eo deferri potius, quam per alias obscuras venas, à pectore cum emulgentibus continuas, (quas tanto studio quærunt, seque invenisse gloriantur) quod & in aliis morbis talis fieri possit transitus, indicio est: hoc tamen rarum admodum est, cum etiam in extreme phthisicis & empyematicis tale quid vix deprehendatur.*

Diarrhœa. Diarrhœa *cum morituris frequenter supervenire soleat, mortem præsagit. Vix enim de morbi causa aliquid per hanc sedem, uti tamen aliqui crediderunt, expurgari potest. Ab initio si ob alias causas accidat, nec persistat, innoxia esse potest, præsertim si illuviem aliquã quæ febrim augere valeret, tollat.*

Cura Pleuritidis. *Curandi autem methodus tam in pleuritide verâ quam peripneumonia, in eo versatur, ut sanguinem fluentem ad partem hanc nobilem, variis modis alio avertamus, illudque quod influxum est, pulmonesque inflammat, sic præparemus, ut cum sputo per tussim & excreationem expui possit, cum per alias vias, & urinas vel secessum hoc educere, nisi natura sponte id faciat, consultum minime sit. Dolorem interim, qui in pleuritide adest punctorius, leniemus. Pectusque in utrisque casibus dilatabimus, Viresque conservabimus, Febris nihilominus semper habita ratione, sicuti in febribus dictum est: cujus causa à calidioribus abstinebimus, ac temperatis & ad frigiditatem aliquam inclinantibus quibusdam potius utemur.*

SYLVIUS. *Pleuritis vera & resolvi, & sputis perpurgari apta, curatur* sex remediorum generibus: *phlegmonem augeri prohibentibus, & quod ejus jam est genitum resolventibus.*

1. Diæta. 1. Victus ratione *ad quartum usque diem tenui, si vires ferre possint, ut potione ptissana, vel ptissana tota, aut colata, seu aqua hordei, & hordeato curiose cocto, ut voluit Hipp. deinde ad septimum usque pane loto, ut salis & fermenti calor tollatur, & ex aqua alia percocto, portione butyri & sacchari exigua, ad saporis gratiam addita: post diem septimum, amygdalorum panis, aut hordeum, ex jure pulli coctum.* Vini *autem loco bibat decoctum hordei, vel aquam saccharatam. Vinum autem nun*-

Lib. 1. de rat. victus acutorum,

A *quam ante declinationem: quod si vires nimis collabuntur, paulo pleniore victu utendum est: ut pullorum, vel aliarum carnium contuso, cum mica panis, vel expresso, vel consummato, quod vocant, id est, carnibus per se aut cum pauca aqua in phiala vitrea coctis in vase alio aquam ferventem habente. Vinum autem ob consuetudinem, aut virium imbecillitatem dare si cogaris, sit imbecillum, dulce, aut aqua saccharata dilutum: nisi in hepate, aut liene sit phlegmone, aut saltem obstructio, quam dulcia omnia excitant, & geminant.*

Dormiat *æger in partem affectam, ut majore ipsius calore sic quæsito, phlegmones materia largior resolvatur, & indolentior sit decubitus. Alvus sit facilis: animi affectus tollantur, & cetera phlegmo*-B *nem augere potentia.* †

2. Aversione. 2. Avertentibus *materiam incrementum phlegmones facturam: ut sectione venæ cubiti internæ lateris ejusdem: aut si non apparet, communis: sed presso tunc cephalicæ ramo, ut ex sola interna vacuetur, pro virium robore, (quas alioqui morbus acutus, sæva symptomata, victus tenuis dejiciunt) ætate, morbi magnitudine, ad coloris usque mutationem: ut l. 2. victus rat. acutorum docent Hipp. Gal.*

Avertunt etiam cucurbitulæ inguinibus affixæ, & hypochondriis: frictiones, & ligaturæ, & fotus calidi artuum, & balani, clysteres, sed clementes: quod pleuritidi fluor alvi sæpe supervenit, idemque periculosus. Aphor. 16. lib. 6.

3. Materiæ præp ratione. 3. Materiam apparantibus *crassam, (tenuis enim, biliosa præsertim, à qua pleuritis frequentius* C *fit, quia fere turget, mox est vacuanda) & thoraci familiaribus, & sputum facile reddentibus. calidam quidem ut syrup. violato, zizyphorum, cum duplo aqua hordei, vel aquæ coctæ & saccharatæ: syrupi autem acetati quanquam eadem præstant, thoraci tamen nocent: syrup. intybi, rosarum, cydoniorum, hepatici magis sunt quam thoracici. frigidam vero, dictis in tussi & asthmate. Lactuca autem & portulaca valenter refrigerando, sputum prohibent. Vteris etiam decocto violarum, zizyphorum, post tertium aut quartum diem.* Aphor. 33. lib. 6.

4. Materiæ evacuatione. 4. Materiam *parti inflammatæ affixam* vacuantibus, *ut dicta phlebotome ad coloris sãguinis mutationem: ut medicamento purgante, si materia ad ventrem repat: purgante autem non valenter, nec astringendo, sed tantum leniendo: Vitanda igitur scammoniata, licet. Gal. l. 2. rat. victus acutorũ hierã quæ colocynthidẽ recipit, propinet, & Hip. ibidẽ elle*-

† J. HEURNUS. *In magnis pleuritidis doloribus venæ sectio, etiam copiosa, formidari non debet, quam in hoc casu in viro florentis ætatis ad libras quatuor felici cum successu instituit.*

borum, & peplium, valentia medicamenta, quod illorum ætate clementia nondum erant inventa, qualia sunt cassia, ad sescunciam cum decocto thoracico sumpta. Vitandæ etiam myrobalani citreæ, licet sint cholagogæ: quia immoderatius astringunt. Eadem ratione rhabarbarum hic damnat Areul. Rhabarbari tamen drachmæ duæ vel tres cum pauca spica minutim concisa infusæ, aut potius nostro more sine spica, horis decem vel duodecim in aqua violarum, & scabiosæ, & valenter expressæ, cum cassiæ recentis drach. quinque vel sex, vel cum mannæ bonæ, unc. una, tuto potantur divitibus: vel mannæ unc. duæ vel tres dissolvantur decocto thoracico, additis quinque vel sex drach. syrup. violati & glycyrrhizæ.

5. Sputi promutione. 5. Sputum *materiæ pleuritidem committentis, & in pulmones exudantis, facile &* fluidum reddentibus *aliis atque aliis, per varia ejus phlegmones tempora: ut syrupo violato, & zizyphorum, ad quartum circiter diem: deinde syrup. violati unciæ uni misceatur semuncia syrup. glycyrrhizæ: semper eo magis augendi quo proprior est status, violato interim proportione diminuto, cum aqua saccharatæ aut decocti hordei unc. tribus. Ore etiam retenta, sputum promovent: saccharum album, saccharatum candum, & violatum, julep. violatum, pilulæ albæ hypoglottides, diatragacanthum per se aut julepo violato exceptum: diabuglossatum quoque ad cordis robur. His ad diem quartum perfectis syrup. glycyrrhizæ per se, vel eclegma de pino. Si autem febris est vehemens, minus calidis utendum est. Foris quoque ad quartum usque diem illinitur ex cera & oleo violato, & amygdalarum dulcium, postea ex amygdalino solo, vel chamæmelino.*

6. Materiæ digestione. 6. Materiam *reliquam* digerentibus: *admotis linimentis, unguentis, cataplasmatis, emplastris: fotu item per spongiam ex decocto chamameli, meliloti, furfuris: vel per vesicam eodem decocto plenam, aut frixo cum pauco vino, milio, & furfure. Qui fotus initio adhibiti, si materia est tantum flatulenta, flatibus resolutis dolorem sedant. Si autem est vera pleuritis, materia largiore tracta, eam augent: ob id initio vel non tentandus, vel minimum diu hic fotus, & primum colli, aliquanto post partis dolentis. Olea fuerint idonea, amygdal. dulcium, & chamæmelinum, & cataplasma ex farina aut muccagine, sem. lini, fœnigræci, malvæ, althææ, & radicum, floribus chamæmeli, meliloti.*

Hipp. & Gal. lib. 2. rat. victus acutorum.

Abscessus *Si autem pleuritis suppuretur, eadem olea cum butyro recenti & adipe gallinaceo* coctionem promovent. coctione. *Aphor. 20. lib. 6.*

Tussis frequens abscessum rumpet, *& vociferatio, & vomitus & sternutamentum, & vehemens corporis concussio, & tulacha herba.* Ruptione.

Aqua deinde saccharata, vel hordei decoctum, ulcus tergent. *si febris autem est remissior, etiam hydromeli, vel aqua ex melle destillata, & decoctum cicerum ruborum.* Tersione.

Ulcus *denique* glutinabunt, *bolus armena, terra lemnia, ad script. unum, & cætera in phthisi dicta.* Glutinatione.

Si autem pleuritis notha *est, cucurbitulis, & phœnigmon excitantibus, foras magis trahatur, coquatur, rumpatur, tergeatur, glutinetur.* † Cura pleuritidis nothæ.

Hæc thoracis vitia sunt, quorum hoc loco meminisse oportuit. Nam vulnera, contusiones, ulcera, abscessus, erysipelata, & quæcunque foras erumpentia, vel dolorem inferunt, vel respirationem interpellant, se ipsis conspicua sunt; & ad aliam contemplationem pertinent.

DIAPHRAGMATIS VITIA non alia symptomata infligunt, quam quæ interiora thoracis obsidere diximus, atque iisdem fere signis præterquam doloris situ se produnt. Tumores duros diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendi, qui sensim tabe laborantes consumpserunt, citra ullam delirii speciem. *Affectus Diaphragmatis.* Gal. 4. de loc. aff 8.

SUPPURATIO *est puris in thoracis capacitatem collectio*, in cujus illuvie pulmo totus mergitur. Τὸ ἐμπύημα. *Ejus causa.*

Eo autem confluxit vel ex angina, vel ex peripneumonia, vel, quod frequentius contingit, ex pleuritide. His enim tussi non bene expurgatis abscessus exoritur, è quo tandem rupto pus sæpe universum in thoracis capacitatem influit: eoque etiam diu postea è sordido ulcere stillat, dum tandem ingens ac pene suffocans copia cumuletur. Interdum ex abscessu pus sursum in os irrumpit exigiturque, ac tum suppurationis periculo liberat. Est quidem suppuratio omnis, puris tum confectio, tum collectio, quacunque parte fit corporis: at proprie ea est quæ vel thoracis, vel abdominis spacio fit. In alia vero quavis corporis parte, si

Plueritis.

† *Dux Arschotensis Æstate (dum gallinæ per gramina aluntur & pascuntur) id album quod in stercoribus earum apparebat in pulverem siccatum redigebat & dabat ℈j.*

te, si majuscula est, abscessus: sin minor, vomica nuncupatur.

Signa.

His autem *notis* suppuratio *deprehenditur.* Ex prægressa angina, aut ex peripneumonia, aut ex pleuritide vehementi nihil pene laborans expuit. Pulmonis gravitas, aut faucium, aut lateris dolor, simulque febris vehementia subito remissa est: novum gravitatis sensum in imo thoracis ad diaphragma surrectus æger percipit, decumbens vero aut in alterutrum latus se convolvens, transfluere quiddam & fluctuare: tussis valida perseverat, sed sicca & qua nihil aut minimum rejicitur: febricula perpetua, languida, inordinata ac vere hectica: perseverans enim suppuratio phthisim accersit.

Dextri an sinistri lateris?

Quoniam autem thoracis capacitas dissepto (quod mediastinum appellant) media dirimitur, neque *dextri lateris cum sinistro* ulla societas est, contingit quidem ut alias suppuratio alterutrum duntaxat latus, alias utrumque occupet, quod magna est observatione dignum. Ab angina & à peripneumonia suppuratio in utrumque fere capacitatis latus influit: à pleuritide in alterutrum duntaxat, in id quippe quod dolore vexatum est. Latus porro in quo uno suppuratio reconditur, hinc nosces, quod & gravius & calidius existit. Decumbens æger in latus sanum onus sentit pectori incumbere, quod & angustia vehementer premit & tussim exasperat. In latus ægrum decubitus hæc omnia mitigat, pure nimirum in costas recumbente.

Gal. 4. de loc. aff 8. Hydrops thoracis.

Suppurationi affine interdum malum est, in quo magna thoracis CAPACITAS SEROSO, pituitoso, eoque tenui humore scatet, qui aut è cerebro per asperam arteriam & pulmones tenuitate sua affatim irruens, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate (quod sæpe in hydropicis animadversum est) cæcis ductibus redundans eo penetravit. Tum suppurationis signa atque symptomata insunt, nisi quod neque febris affligit, neque suppurationis efficientes causę precesserunt. Ea proinde affectio, non suppuratio, sed suppurationi finitima est.

Hactenus morbos omnes attigi, qui pulmones, thoracem, omnesque respirationis partes infestare solent. Jam vero præcipua eorum symptomata persequamur.

Gal. 4. de loc. aff. 6. Thoracis symptomata.

SPIRITALIUM PARTIUM SYMPTOMATA, quibus maxime laborantes vindicari expetunt, hæc numerantur: *vocis læsio, dyspnœa, tussis* & *sputum cruentum.*

Vocis læsio.

* *Vocis* instrumenta sunt guttur, larynx, musculi & nervi eo inserti: quemadmodum loquelæ organa sunt, lingua, labra, dentes, palatum, gurgulio atque nares. Itaque affectis aut musculis qui laryngem claudunt, aperiuntve: aut nervis recurrentibus, qui è sexta sunt conjugatione: aut cerebri parte à qua hi prodeunt offensa, vel animal obtumescit, vel obscuram vocem, vel exilem edit. Raucescit vero quum gutturis succingens interior membrana humore multo, ut per graves destillationes, madescit, & quum ingenti clamore exasperatur. Vicinarum quoque partium affectiones, ut gulæ, œsophagi, cervicis & luxatæ spinæ officiunt voci. Præterea vero & quicunque affectus respirationi obsunt, quod citra respirationem vox libere elidi non possit.

Gal. 4. de loc. af 7. 8. Δύσπνοια.

DIFFICILIS SPIRATIO multiplex. *Magna,* qua plurimus spiritus trahitur, hæc ingentem calorem sine obstructione subesse denunciat, vel in corde: vel in pulmone, ut in peripneumonia, eadem simul *frequens* est, & spiritus calidus ac fervens ab ore & naribus efflatur. Magna aliter respiratio qua thorax & scapulæ plurimum attolluntur, meatuum angustiam ostendit, vel ab angina, vel à multa destillatióne pulmonis arterias opplente, vel à tuberculo duro pulmonis, vel à suppuratione. *Parva & frequens* respiratio aut imbecillitatis virium est index, aut doloris atque impedimenti, quod vel pulmonibus insidet, ut in peripneumonia; vel thoraci, ut in pleuritide; vel diaphramati, ut quum ventriculi, jecoris aut lienis mole premitur; vel musculis abdominis, qui omnes respirationi subserviunt.

De voce.

	S. A.		S. A.
* *Raucedo fit hyeme.*	3. 22.	*la.*	6. 51.
ἀφωνία Ebrii quia.	5 5.	*concussione Cerebri.*	7. 58.
cum capitis dolore & stertore, ma-			

H' ρηξ. *TUSSIS *expiratio est valida, qua quicquid spirandi instrumentis molestū est excutere natura contendit.* Instrumenta autem ea sunt, fauces, aspera arteria, pulmones, interioraque thoracis.

Causa. His interdum molesti sunt humores præter naturam illapsi, qui fere humidam tussim excitant: interdum & alui affectus, ut refrigeratio, exulceratio, tuberculum, quorum materia expelli minime potest: fitque ab his arida tussis.

Signa. Quanam autem in parte hæreat affectus, tussiendi ratio ac modus *ostendit.* E palato & è faucibus quicquid infestum est, screatu eruitur: ex arteria vero tussicula: illicque titillatio ac sæpe proritans ardor percipitur: è pulmonibus valida tussi. Quæ porro tussis quibusdam intervallis, ut bis terve anno affligit, ex irruente destillatione proficiscitur: quę vero continenter, nullaq; aut minima intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonum affectionem, aut obstructionem veterem, aut aliam stabilem intus causam habet.

prognosticum. PLATERUS. *Tussis quæ per se affligit, pro causarum diversitate, judicanda & curanda est. Si enim ab illapsis in asperam arteriam fiat, tunc nisi suffocentur, ut in dyspnœa aliquando accidisse dictum fuit, illis denuo excussis, sponte postmodum tussis remittit: vel si remanserit quadam faucium irritatio, lenientibus mox dicendis emendatur. Quod si à frigiditate sola fiat, actu, potentiaque calefacientibus, & simul lenientibus, cum exasperatæ tunc quoque sint fauces, facile iterum curatur. Si vero à defluxione fiat tenui, acri, salsa, admodam molesta est tussis quia valde irritat, atque ob tenuitatem, per aëris impulsum in tussi non propellitur, sed tantum dissiatur proin nec cessat, donec catarrhus remittat, & materia defluxa, crassa & veluti suppurata seu maturata & cocta fiat; tunc enim minore labore excutitur, sensimque tussis remittit. Quod si vero à pituita crassa, defluxa vel congesta fiat tussis, egre cessat, si ea continuo in locum excreta de novo defluat aut congeratur: facilius autem, si hæc non perseverent.*

In curatione *autem utriusque tussis, ab humoribus ejusmodi excrementitiis profectæ: tum causæ antecedentis ratione, humores ne coacerventur, prohibemus, & fluentes sistimus: conjunctæ vero in pectore latentis causæ, tussimque moventis, eam expectorare, ut vocant, studemus; eum si tenuis sit incidendo; utrunque concoquendo, & stupefacientibus sensum illius exquisitum retundere nonnihil solemus: quæ & præcipue hoc symptoma, tussim scilicet, corrigunt.* Cura tussis

SYLVIUS. *Tussis tot modis curatur, quot causas habet varias: si enim fit* ā causa externa, *ea prius ablata, dispositio partibus respiratoriis ab ea causa impressa, est abigenda.* A causa externa.

Si vero fit per consensum *partium spiritalium cum aliis primariario affectis, præsertim quæ ab illis motis moventur, ut ventriculo, hepate, liene, & si gurgulio, aut caput destillet: primum his est succurrendum: si à pleuritide est, aut peripneumonia, per harum phlegmonarum curationem, post dicendam, prospicitur: ut si à pure collecto in thorace, aut pulmone est tussis: curationem ejus in empyemate audies: si à rupta in pulmone vena, in sputo sanguinis: si à catarrho, is tibi ante est curandus, ut dixi.* per consensum. Paulus.

Si autem tussis est ob alium proprium partium spiritalium affectum, id est, intemperies calida, frigida, humida, sicca, vel sola, vel cum materia: omnis per contrarium corrigenda. Si enim frigida sola, calidis sumptis, & admotis: ut, diamoscho dulci, amaro, & aliis calidis, ovo sorbili, & vino, reliquaque victus ratione calida: quæ si imbecilla est, etiam anhelitus cohibitio sanat: pulmone, per retentam expirandam materiam fuliginosam calefacto, & spiritu cohibito in omnes arctos meatus penetrante. libro. 5. symptom. Primariæ ab intemperie.

Similiter intemperies calida frigidis, humida siccis, sicca humidis curatur.

Si autem tussis ab intemperie cum materia

De Tussi.

	S. A.		S. A.
* *Fit ab aquilonia tempestate.*	3. 5.	*à frigido.*	5. 24.
hyeme.	3. 13.	*in hydrope, malum.*	6. 35.
vere.	3. 20.	*item.*	7. 47.
in infantibus.	3. 24.	*sicca in febribus ardentibus.*	4. 54.
senibus.	3. 31.	*gibbum faciens, lethalis.*	6. 56.

Cum materia. ria calida, frigida excitatur, (id quod frequentius accidit, & ob id à Rasi tractatur) sex remediorum generibus curatur.

1. Diæta. 1. Victus ratione *calida, si materia est frigida: si calida, ut in catarrho diximus.*

2. præparatione materiæ Tenuis. 2. Materiam *fluere paratam* apparantibus, *crassam quidem tenuantibus, & lentam incidentibus, & tergentibus:* calidam vero & tenuem *frigidis, crassantibus, sed lenientibus vias, non autem materiam pulmoni affigentibus, & inculcantibus: ut syrupis pectoralibus, violato, & zyzyphorum: si tamen humor calidus acer insomnium parit, ut sæpe fit, hora somni capiat syrup. papaveris unc. unam, syrup. violati aut zizyphorum unc. dimidiam, cum duplo aquæ violarum, vel decocti hordei, vel prunorum: tamarindorum, myxorum, zizyphorum, se. fri. communium: vel bibat tunc aquæ frigidæ per se aut saccharatæ, vel decocti hordei uncias quatuor, quinque, sex: hæc enim omnia materiam calidam aut frigidam tenuem crassant.*

Crassæ. *Si vero frigida est materia &* crassa, *dabis syrup. glycyrrhizæ, mel rosatum etiam tersorium: syrupum hyssopi tersorium magis, & syrup. marrubii, maxime horum omnium tergentem, cum duplo aquarum scabiosæ, hyssopi, prassii, fœniculi, adiantorum: vel decocti horum simplicium, & glycyrrhizæ, dactylorum, quod etiam per se (dulce enim est) mane calens dari potest.*

3. purgatione. 3. Purgantibus *materiam:* calidam *quidem, cassia, manna, electario rosato Mesuæ, E. de succo rosarum, diapruno scammoniato, pilulis aureis, vel polychrestis à drachma una ad script. quatuor: sed scammoniata & similiter valentia vitabis, aëre & ægri natura calidiore.*

Frigidam *vero pilulis cochiis, de agarico: quibus sumptis nocte, domi postridie manendum est: non item si hora somni masticbinas, Alephanginas, ex agarico trochiscato, ex hiera simplici, aut composita sumpseris.*

*Cum autem ægre hæc purgatoria à pulmonibus vacuent, Avic. & Rasis in hoc affectu purgationibus abstinent, ob distantiam pulmonis & asperarum arteriarum ab intestinis & negatam viarum commu*nitatem: *purgare autem à capite fluxuram materiam commodat.*

4. Avertentibus *prædictis purgantibus, & errhinis, & cæteris ejusdem classis remediis, prius sæpe declaratis.* 4. Aversione.

5. *Materiam pulmonibus conceptam*, expui facilem reddentibus *(in quo studio curationis pars est præcipua:)* calidam *quidem & tenuem pulmonibus immersam crassantibus, ut efflatione expellatur, non autem tussim ob tenuitatem eludat, nec dissiliat: talia sunt eclegmata quædam lenta: ut de papavere, & diacodion, saccharum violatum, julep. & syrupus violatus, tragacanthum, E. diatragacanthi, decoctum hordei saccharatum: quæ cochleari sumpta in fauces paulatim deglutiuntur, ut portio ejus quædam in asperam arteriam deerret, uti nobis edentibus & bibentibus cibi & potus portio tenuior eodem transfertur: vel potius inspiratu violento in asperas arterias trahantur, & aliquanto post tussi rejiciantur: foris autem thorax oleo violato inungendus.* 5. Sputi promotione Calidi. Gal. libr. de usu partium.

Si autem frigida *est* materia, *sumat eclegma sanum & expertum, vel ex pulmone vulpis, scriptum à Mesue in curatione phthisis, mirum in pulmone roborando: syrupum glycyrrhizæ: sumat autem sæpe: ut prius cochleario per se, vel cum decocto uvarum passarum, ficuum, glycyrrhizæ, & aliorum pulmonariorum: sumat item penidia E. diairis Nicolai ad ciceris magnitudinem: Foris autem illinat oleum amygdalarum dulcium per se, aut etiam cum butyro recenti non salso, & croco pauco, vel etiam oleo, & muccagine se. lini, fœnigræci, malvæ, althææ.* Frigidi.

6. *Materiam reliquam* digerentibus *ut trochiscis, & suffitibus Rasis, à Matthæo Gradi expertis.* 6. Materiæ digestione

Succedit his malis CRUENTA EXPUITIO, * per quam è locis admodum variis sanguis exit, quos tamen peculiaribus *notis* internoscere licet. Qui enim expuitur sanguis, si è gula aut è ventriculo est, vomitione: si è gingivis, lingua & palato, expuitione simplici: si è faucibus & gurgulione, screatu: si ex gutture, tussicula: si ex pulmone & thorace, tussi rejicitur. Et qui tussi, si tenuis, floridus ac spumosus, atque sine sensu doloris effertur, ex pulmone est: sin vero crassus, grumosus ac nigricans Gal. 4. de loc. aff. cap. 5. 8. Αἱμοπτῦσις. *Ejus signa.*

De Sputo sanguinis.

	S. A.		S. A.
Spumosum à pulmone.	5. 13.	*solvit cephalalgiam.*	6. 10.
est malum.	4. 25.	*ab eo puris sputum, malum.*	7. 15.
familiare Adolescentibus.	3. 29.		

nigricans, simulque pars quædam thoracis dolitet, è thorace. Per omnes autem expuitiones cruentas etiam atque etiam animadvertendum, num sanguis nuper fluxerit è naribus: illinc siquidem sæpe in fauces relabitur, interdum in pulmones, aut in ventriculum, sed qui postea grumosus evadat atque concrescat.

Prognosticum ratione causæ, FORESTUS. *Prognostica signa secundum Galenum & alios, recte ex natura affectus distinguemus. Erosio enim gravius malum est, quoniam minus glutinationem suscepit: est enim necessarium, cavum ulcus esse ac sordidum, quod erosum est; aliqua enim tum carnosa portio, tum membranosa periit. Namque sanguinis evacuatio (Paulo teste) quæ fit exesis vasorum tunicis, numquam commode cadit, officitque valetudini, etiamsi ex pulmone non fiat: etenim gravissime nocet, ut Celsus dicebat. Simpliciter vero affectus resudationis minus est periculosus: nam astringentibus facile sistitur Galeno autore 5. method. Et huic in salubritate proximus est affectus apertionis; nam vacuato multo humore sistitur: quamvis sæpe multitudine lædere possit. & etiam quod non convenienti regione vacuatur à natura, aggregari enim & vacuari per eas partes commodum non est: tum ob tussim, quæ necessario sequitur, tum ob partem, quæ facile afficitur, si mala qualitate aliqua sanguis sit præditus. At divisio continui ex aliis causis mediam naturam obtinet: nec enim periculosa est, ut erosio: nec secura adeo, ut apertio, & exudatio.*

Morbi, *Simpliciter tamen periculosus admodum est* morbus; *quoniam, Galeno teste, non facile glutinatur vulnus in his partibus ob perpetuum motum. Quod si vulnus jam inflammationem senserit, unde & pus contraxerit, tunc multis modis periculum augetur; nam expurgari pus oportet, idque tussi: unde & continue vulnus dilaceratur motu illo violento: ideo, inquit, exigua spes salutis est. Ac in cruento vulnere spes est aliqua sanitatis.*

Partis affectæ, *Ex* sede *quoque* affecta *secundo magnitudinem periculi conjiciemus, ex pectore enim minus periculosum profluvium, ut Galenus affirmavit: primum quod venarum vulnus, quod parvæ sint, facile coalescit: neque enim impedit sanguinis copia. Quod si non sanatur primum, ut dicebat Iacchinus, sed ulcus faciat; at hoc periculum non adfert, ut ulcus pulmonis: nam & magna quoque pectoris ulcera sanantur, & restituitur caro, ut nos multis exemplis vidimus. Vlcera vero arteriæ ob siccitatem facile sanantur: plurimum enim ex erosione fiunt. At erosio sanatur, ubi putredo facile sistitur. Sistitur vero facile ubi siccum* A *prævalet: ideo 5. method. ejusmodi partis ulcera sanari ait.*

Vbi vero jam phlegmonem *contraxit vulnus, conjectura est ex tempore, primum ex quo laboravit, mox ex febre, quæ necessario ad phlegmonem sequitur, ob visceris calorem & cordis vicinitatem, præsertim si pulmo sit. Demum & quod sanguis paucus, non florens, saniebus admistus effluit, utpote qui jam putrescere incipiat. Hinc Hippocrates dicebat Aphor. 15. lib. 7. à sanguinis sputo, puris sputum malum esse: nam purulentum sputum (ut Galenus in Comment. refert) non omne sputum sanguinis sequitur, sed quod malignum existit: tale autem omnino est ex pulmone, ex quo proveniente sanguinis rejectatione, ea quæ intra tres dies non curatur, phlegmone deinde adveniente, omnino incurabilis affectio erit, potissimum si ex erosione ortum ducat, eodem Galeno teste 5. methodi.* Inflammationis. B

SYLVIUS. *Sputum sanguinis tussi rejecti, curatur quinque remediorum generibus.* Lib. 3. fen. 10. tractatu 24. Cura. 1. Victus ratione.

1. Victus ratione *refrigerante, siccante, astringente: ut* aëre, *inspersis humi herbis, aqua rosarum, aceto, rosis, santalis, caphura, iisdemque odoratis ab ægro.*

Vt cibo *tenui, potius quam multo, ad biduum aut triduum: sed præterea emplastico & glutinoso: ut cremore ptisanæ, lacte cocto cum amylo, aut farina hordei: inspersis utrique malorum punicorum granis, panibus azymis, piscibus glutinosis: ut anguilla, cyprino, tinca, extremitatibusque animalium, & partibus aliis nervosis, cartilaginosis, pinguibus, caseo recenti non salso (nam vetus calet:) quæ sanguinem crassant, & ora vasorum illitu suo obturant. Lentes quoque, lac acidum, milium pannonicum, oryza, quatenus siccant & astringunt, huic affectui sunt* C *salubria: & quæ etiam refrigerant: ut lactuca, plantago, cucurbita, portulaca, etiam trita, & ore retenta.*

Aqua *ferrata, aut chalybeata, per se, aut cum julepo rosato: aut (si vires sunt imbecillæ, & vini semper consueti cupiditas) vino austero, crasso: alioqui adstinendum vino est. Ex eadem aqua omnia ejus alimenta coquenda.*

Vt quiete *corporis, & animi, & silentio, & somno fluxus omnes cohibente.*

2. Avertentibus *sanguinem à vena aperta, vel rupta, ut secta cubiti vena interna, misso sanguine frequenter, ut tertia quaque hora, vel quoties necesse est: sed pauco, si jam multus est rejectus: si vero paucus, & æger plethoricus est, etiam paulo largiore, ex vena poplitis, aut malleoli: ut mensibus in muliere provocatis: ut cucurbitulis coxæ, natibus, & ingui-* 2. Aversione.

guinibus affixis: ut partium infernarum & manuum frictionibus, ligaturis dolorificis, fotibus ex aqua calida: nam calor & dolor attrahunt.

3. Sanguinis restitutione. 3. Sanguinem æquantibus, *& ad humorum 4. ipsum constituentium proportionem justam reducentibus. Vt victu tenuiore, & parum nutriente, si* sanguis *ipse est largior. Si* biliosus *est & acer ac mordax, syrupo utendum rosato, ex oxalidis succo, ex omphacio, ex succo granatorum, cydoniarum, myrteo, cum duplo aquarum oxalidis, plantaginis, rosarum, portulacæ, solani, quæ omnia bilis vim obtundant, & simul astringendo fluorem sanguinis cohibeant. Deinde bilis vacuanda in scammoniatis, sed astringendo cholagogis, ut myrobalanorum citrearum drachma una & dimidia, cum semuncia syrupi violati, vel rosati, vel earundem uncia dimidia, aquis prædictis infundenda, & cum cassiæ uncia una, vel semuncia, vel rhabari drachma una & dimidia, cum Mesue. Si* pituita *aquosa, mistis melle rosato & syrupo rosato cum aqua betonicæ, absinthii etiam astringente, parata vacuetur myrobalanis, cepulis, vel turbith sive zingibere: cum hoc enim pituitam crassam vacuat, sine eodem aquosam & tenuem.*

4. Glutinatione ulceris. 4. Glutinantibus ulcus, *aut oris hiatum contrahentibus, & ob id sanguinem sistentibus, statim cum ad ægrum accedis, adhibendis, ne sanguis immodice fluat: ut portulaca mansa, & ore retenta, hæmatitæ lapidis aureo uno sumpto: corallo albo usto, potius quam rubro: cornu cervi usto, à drachma una ad sesquidrach. bolo armena, terra lemnia sigillata, ad drachm. unam, hora somni: balaustiis, malicorio, seminibus myrtorum. Nam ulcus glutinant; fluxum astringunt, catarrhum tenuem crassant, & obtundunt. Tragacanthum autem, gummi arabicum, mastiche, suo lentore glutinant, & vasis hiatum oplent. Composita idem præstantia sunt, trochisci ex terra sigillata, troch. ex electro, ex spodio ad drachm. unam, cum syrup. vel aquis astringentibus.*

Rasis 4. continentis.

Antidotus Philonis, vel hac mitior athanasia Nicolai, primis quatuor diebus etiam efficaciter sumuntur contra catarrhum tenuem: & ut frigore suo partes sanguine fluentes contrahant. In idem sanguis hirci non concretus proprietate sua valet Avic. & centaurium eidem, & Conciliatori, & Dioscorid. à drach. una ad drachmas duas. Differentia 60.

Syrupi quoque, rosatus, cydoniorum, myrtinus, granatorum, ribes, per se, vel cum aquis rosarum, portulacæ, & similibus: vel etiam cum drachma una, nunc cornu cervi, nunc lapidis hæmatitæ, nunc trochiscorum prædictorum, ne uni assuescat natura. Hæc uero etiam suppresso fluxu continuanda, ne repetas: Eclegma quoque ex sacchari rosati, tragacanthi ana unc. una, boli armenæ, cornu cervi, balaustii, gummi arabici, ana drachma una, exceptis syrupo violato, glutinat. Illinatur foris thorax oleo chamæmeli, vel amygdalarum dulcium, potius quam rosato, myrtino, cum aqua scabiosæ, potius quam solani, vel portulacæ, ne hæc astringendo sanguinem intro compellant, & sputum sanguinis redintegrent.

5. Symptomata, *præcipue sanguinis in pulmone & arteriis asperis concretionem* corrigentibus: *ut oxycrato, oxymelite simplici, composito, scillitico, ad uncias duas, cum aqua oxalidis, si tussis abest: si vero adsit, aceto eam provocante abstinendum est. Theriaces quoque drachma una & dimidia, cum aqua hyssopi, & scabiosæ, vel diacurcumæ drach. duæ, vel coaguli leporis sc. unum per se, vel dr. dimidia cum aqua hyssopi & scabiosæ. Si tussis quoq; molesta adsit, curetur ut dictum in catarrho & tussi.* 5. Correctione symptomatum

CAPUT XII.

Cordis affectibus.

Hipp. 2. de vict. in acut. Gal. 5. loc. aff. 2. Avicenna lib. 3. fen. 11. cap. 2. Cordis morbi.

Cor morbi omne genus *obsidet* maxime vero simplex *intemperies, phlegmone, erysipelas*, omnisque præter naturam *tumor*, *ulcus* quoque ac *vulnus*: sed hæc sane rarius. Crebrius autem atque proprie *venenatus humor*, qui tota substantia est infensus vitali robori. *

Intemperies. INTEMPERIES omnis vires dissolvit, corpusque languidum reddit, quod sub hac vitalis calor ac spiritus laboret, cujus affectus, & offensa in omne corpus redundat. *Calidæ* intemperiei signa sunt pulsus frequens & velox, ac interdum magnus similis quoque respiratio, febris plerumque co-

De cordis affectibus.

	S. A.		S. A.
Vulnus, lethale.	6. 18.	*à tuberculi intus ruptione.*	7. 8.
Syncope fit sanis, si purgantur.	2. 36.	*in fluxu muliebri, malum.*	5. 56.
pravo cibo utentibus.	2. 36.	*frequens sine causâ manifestâ, lethal.*	2. 41.

mes, & expiratio calida. *Frigidæ* intemperiei contraria adsunt omnia. *Humidæ* pulsus plenus est, mollis & languidus. *Siccæ* exilis, tensus ac durus. Cordis autem intemperies quæ jam multum increverit, manifeste partibus quoque similaribus inuritur, quę principi consentientes supra modum incalescunt, vel inarescunt, vel frigescunt, vel multo humore madent, dum pedetentim mors obrepat.

Reliqui affectus. RELIQUOS CORDIS AFFECTUS incipientes quidem nosse difficillimum, invalescentes vero facile, qui & antequam conspicui sint, syncopas magnas frequentesque inferunt, quibus fere repentina mors comes assistit, fitque quod ab Hippocrate literis proditum est, *Qui sæpe & vehementer sine causa manifesta deficiunt, ii derepente moriuntur.* (2. Aph. 41)

Vulnera. VULNERA cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt: & in quodam qui sensim contabescens & liquescens de medio tandem sublatus est, tria ULCERA in corde reperi, non parum cava & sordida, multo ante jam tempore contracta. *Vlcera.*

Quæ hinc præcipue nascuntur *symptomata, sunt, syncope & cordis palpitatio.*

Συγκοπή. SYNCOPE *præceps est virium lapsus.*

Signa. In hac pulsus aut nullus est, aut extreme rarus & obscurus, corporis summa frigent, tempora, cervix & thorax frigido sudore madent, facies pallet, totumque corpus quasi enervatum jacet, mens, omnisque sensus deficit.

Causæ. Syncopen autem *inferunt* cordis affectus omnes, præter simplicem intemperiem, sæva animi pathemata, ut timor gravis, voluptas maxima, interdum & mœstitia fortis. Dolor atrox, labor, inedia, vacuatio immodica, & quæcunque calorem nativum spiritusque dissolvunt atque diripiunt: cujusmodi causi sunt, febres magnæ & ardentes, & malignæ quævis. Omnis vero quę in os ventriculi (quod eximii sensus est cordi vicinum in primisque consentiens) inciderit gravis offensa, in eam syncopen conjicit, quam stomachicam vocitant. Idem præstat & inflammatio, & erypelas, & à bile compunctio, & venenatus humor, sive illic inhærescit, sive in crure, vel in bubone, vel in utero, vel in intestinis, vel in quovis viscere conclusus, tetrum de se vaporem in os ipsum ventriculi, aut in cor eructat, exhalatque.

Prognosticum. PLATERUS. *Pro causæ varietate, quæ virium defectum parit, hic & agendum & prædicendum. Quæ si ob aëris penuriam, respiratione sublata, procedat, quomodo respiratio revocanda sit, in illius defectu explicatum fuit. Si ab ortu vel senii causa, quod aliis citius, aliis tardius supervenit, debiliores sint: cum neque insitas causas mutare, aut humidum radicale, ut vocant, successu ætatis amissum, reparare queamus, aut mortem avertere, frustra laboramus. Ab evacuatione nimia vires dejectæ si sint, noxa gravior erit, si à Venere aut hæmorrhagia id fiat, quam imbecillitatem hydrops fere excipit: à sudoribus si deficiant, reprimendi: uti suo loco dicetur. Si à dolore debilitentur, causa illius primum auferenda, dolorque mitigandus est: inprimisque si cardialgia syncopen aut imbecillitatem pariat, illius causa vomitum provocamus, evacuamus, ventriculumque roboramus; sicuti in cardialgia explicabitur. In animi affectibus, gaudio aliquos subito extinctos, docuimus: imbecillitas, quæ ab aliis mentis doloribus gignitur, si diutius perseverarit, & præsertim à terrore impressa maneat, ægre quoque reparatur. Si ab intemperie calida, vel frigida id fiat, contrariis emendanda. Qualitas maligna, pestilens, venenata, sæpe interficit: quorum nomine evacuationes instituimus, ipsorumque vim antidotis refringimus. Solutio continui in corde facta, lethalis est; & corruptio omnimoda viscerum aut partium, inemendabilis.*

Cura. *Hisce observatis, nihilominus, etsi desperatum sit malum, vires restaurantibus & cordialibus illas aliquamdiu adhuc, etiam in ipso mortis agone, ad extremum spiritum usque sustentare studebimus. Vel si adhuc spes aliqua, aut imbecillitas non adeo impressa sit, ut curari possit: ut si fiat ab evacuatione aut dolore, animi affectu, aut post morbum relicta sit debilitas: illis eo audacius cumque meliori spe successus utemur: & si syncopen inducant, quæ illos à paroxysmo mox liberare possunt: hocque finito, quæ ab eo præservare, exhibemus, & adhibebimus.*

In paroxysmo. SYLVIUS. Si syncope adest, *spirituum in partibus externis paucorum resolutio prohibenda est, aqua frigida, aut rosata, faciei & aliis partibus nudis inspersa: nisi syncope sit à causa frigida, vel ab alvi fluore, quam frigida materia intro comprimens augeret.*

Vbi autem syncope est ab æstu, *aut febris incendio*

dio resolutis spiritibus, saluberrimum est aqua frigida, aut rosata, per se, vel cum aceto, faciem rigare, & spiritus nutrire odoribus bonis. Nisi syncope est à præfocatione ex utero: *Tunc enim graviter olentia, sed ori stomachi grata, naribus sunt adhibenda. Spiritus autem non solis odoribus bonis, & vino aromatico instaurandi sunt: sed etiam ovis sorbilibus, carnibus bonis, & ex his aqua aut jure, intritis, contusis, concretis, analepticis.*

Æger item à syncope, hoc est, virium omnium lapsu præsente est revocandus, *& spiritus intro conculcati foras sunt evocandi, frictionibus partium extremarum, ligaturis dolorificis, vellendo nasum, auriculas, pilos: sternutatoriis, cucurbitulis in coxis, & spathulis.*

Si autem syncope est, ob magnam spirituum larga vacuatione *inanitorum penuriam, frictionibus, & dictis nunc remediis abstinendum: quietique æger permittendus, hausto vino, & odoribus admotis.*

Syncopes curationem singulis causis debitam, ex Galen. lib. I. ad Glauc. & lib. meth. 12. repete.

Hippocr. Gal. Avicenna cit. loc. Καρδίας παλμός. CORDIS PALPITATIO *immoderata est concussio vehementi diastole atque systole molesta.* Hujus tanta vis est, ut sæpe sit animadversa thoracis vicinas costas effregisse. Sæpe & eas quæ supra mammam sunt de propria sede depulisse: sæpe etiam arteriam foras dilatasse in aneurysma, contracti pugni magnitudine, in quo & tactu & visu conspicua erat pulsatio.

Signa. Ita quidem affecto corde arteriæ omnes vehementius pulsant, ac interdum dilatantur, præcipue vero quę supra jugulum sunt. Nonnunquam ac præsertim in quiete intermittit hoc symptoma, sed vehementer exasperatur immodica exercitatione, æstu, balneis, venere, crapula, meraciore vino, & excandescentia.

Causa. Hujus *causam* omnem veteres vel in sanguinis exuperantiam retulerunt, vel in humorem copiosiorem pericardio infixum. Cæterum in iis quos modo exempli gratia recensui, palpitationem peperit retorrida bilis, quæ alias sponte vacuari consueverat, in arterias effusa. Hanc in duobus qui à valida pilæ exercitatione repentina morte sublati sunt, illic deprehendimus in tophi nigri speciem concrevisse. In cæteris vero causam animadvertimus bilem esse perassatam, interdum in præcordiis, sæpius in liene congestam. Quamobrem in hoc symptoma plurimum propensi sunt qui hypochondriaca melancholia laborant, & quibus lien bilis atræ copia turgescit. In his etiam circa lienem & pancreas conspicua & molesta percipitur arteriæ palpitatio: ex eoque loco per arterias quibus multis lien perfusus est, teter, aterque vapor prompte in cor vicinum subit, cujus vi & malignitate irritatum, vehementiori pulsatione nititur quod noxium est excutere: haud secus atque cerebrum in epilepsia.

PLATERUS. *Cordis palpitatio pertinax est nonnunquam & periculosus affectus, non solum molestiam pariens continuo suo motu & pulsu, sed & spiritibus per eum vitalibus exagitatis & dissipatis, & corde quoque offenso, tandem prosternens, adeo ut hoc malo aliqui è medio tollantur, alii quam diutissime eo affligantur, plurimi tamen quoque restituantur, sublata, unde hæc affectio oriebatur, causa.* Prognosticum.

Quæ cum plerunque circa vasa mesaraica, partibus naturalibus distributa, suam habeat originem, illicque arteriis plethora & illuvies hæc inseratur, cura *eadem fere, quæ in melancholia hypochondriaca & cachexia & cacochymia adhiberi solet, quæ & hunc affectum fere comitantur, hic instituetur. Nimirum cavendo proventum nimium sanguinis, aliorumque humorum & flatuum, eaque quæ hic potissimum redundare cognoscimus, biliosos præcipue succos evacuando, ventriculum partesque naturales roborando, omnibusqui cordialia permiscendo; & ut, cum conjunctam causam quæ in arteriis & corde continetur, ægre evacuare queamus, illas tamen partes cordialibus dictis confortemus.* Cura.

SYLVIUS. Cordis palpitatio, *seu tremor* quinque præsidiorum generibus *ex Avic. & Rasi* curatur.

1. Victus ratione, *si à causa est calida, refrigerante. (ut* aëre *alterato frigidis odoribus, oxycrato, rosis, aqua rosarum, caphura: addito vino odorifero pauco, aut moscho, aut ambra, aut alio calente, ut frigida ad cor promptius penetrent.) à causa vero frigida, calefaciente: ut aëre alterato, roremarino, majorana, origano: ambra, moscho, & similiter calidis odoramentis. Aëris enim ratio præcipua est habenda, ut qui inspiratus ad cor mox penetret, citoque juvet, vel noceat.* Cibi *quoque in calida refrigerentur, oxalide, aceto, omphacio, succo arranciorum, citrorum: limonum Avicennæ laudatorum in febribus acutis. Vitetur* vinum, *præsertim generosum, & vaporosum: si imbecillo est ob consuetudinem utendum, diluatur aqua, decocto hordei, vel alio refrigerante: aut bibat decoctum coriandri præparati, cum julep. violato, aut rosato.* 1. Diæta.

Similiter cæteris sumendis, *admovendis*, *educendis, faciendis, prius sæpe dictis, contra causam pugnandum est.*

2. Materiæ præparatione.

2. Materiam apparantibus, *& tenuantibus crassam; calidam quidem frigidis, frigidam vero calidis: sed ambobus moderatis: ne cor pars princeps, & vitæ fons, ab immoderate tam calidis, quam frigidis in contrariam intemperiem præcipitetur. Sed in calida, frigidis aromata quædam calida (ut dixi) miscenda: quæ frigidorum aditum sibi densando præcludentium vim ad cor ipsum deducant: nisi magnum sit cordis incendium, ut in causo: tunc enim solis frigidis pugnandum: quales trochisci de caphura Rasis in tremore cordis: alioqui crocus & pauca quædam aromata cum Avicenna & Mesue illis sunt miscenda.*

Materiam igitur crassam, calidam, tenuando apparant: syrup. violatus, intybi, ex succo oxalidis, ribes, acetatus: & si valentius refrigerandum, syrup. maxime cardiaci, ex succo acido limonum, aut potius citrorum, cum aqua rosarum, portulacæ, lactucæ, intybi, solani, plantaginis: quibus se multos curasse affirmat Matthæus Gradi. Frigidam vero & pituitosam incidunt, tenuant, tergent, mel rosatum, oxymeli simplex, compositum, squilliticum: & si valentioribus est opus, syrup. de duabus vel quinque radicib., cum aqua betonicæ, scabiosæ, melissophylli, quæ sanguinem cordis humore melancholico expurgat. Eodem pertinent syrup. pectorales, glycyrrhizæ, hyssopi, prassii, syrupus quoque de thymo, epithymo, de pomis, à Mesue scriptus in melancholia: syrup. fumariæ, scolopendrii, quod ut prædicta efficax est ad purgandos humores melancholicos & adustos.

3. Vacuatione.

3. Vacuantibus materiam, *calidam quidem, rhabarbaro à drachma una ad sesquidrach. pulverato: infuso autem à drach. duabus ad drachmas tres, in aqua intybi: bilem quoque vacuant myrobalani citreæ: additis ubique etiam cordialibus, ne cordi noxa inferatur: ob quam scammoniata sunt vitanda. Frigidam vero materiam, præsertim pituitosam, vacuabis diaphœnico, electario Indo, myrobalanis, cepulis, agarico etiam cordiali Avic. Si autem materiam melancholicam sumus vacuaturi, confectio Hamech, Mesuæ pilulæ ex lapide cyaneo, pilulæ Indæ dentur. Vena quoque basilica secetur, dextra quidem si palpitatio à sanguine est: sinistra vero, si à vapore spirituoso largiore in ventriculo cordis sinistro: si autem palpitatio urget multum, vacuamus nondum apparatam materiam.*

Lib de viribus cordis.

Galen. & Avic.

4. Materiæ aversione.

4. Materiam *à corde ad partes ignobiles* avertentibus, *præsertim dum symptomata ipsius urgent: ut secta vena malleoli, frictionibus, & ligaturis dolorificis partium extremarum, clysteribus: cucurbitulis.*

5. Roboratione cordis.

5. Cor *ipsum* roborantibus, *& intemperiem ipsius corrigentibus, etiam per dicta omnia auxilia miscendis: calidam quidem frigidis: frigidam vero calidis, & iis vel sumptis, vel admotis.* Sumantur *vero simplicia in frigida: ut buglossus, zedoaria, doronicum, melissophyllon, citrii cortices & semen, moschus, ambra, caryophylla: Composita, diaborraginatum, E. de gemmis, diambra, diamoschon dulco & amarum Mesuæ, E. Conciliatoris, differentia* 196. *confectio de hyacintho Avic., regibus & principibus dicata.* Admoveantur *autem medio thoraci epithemata ex lib. una aquarum melissophylli, buglossi utriusque, E. rosati aromatici unc. una, cum cinnamomo, caryophyl., nuce moschata, & aliis, simul calefactis, cum panno lineo: ex iisdem pulveratis, moscho, ambra, ligno aloës, been utroque, corallo omni, fragmentis cordialibus, floribus buglossi, melissophylli, sacculi ex panno conchyliato consuti & calefacti, medio quoque thoraci applicentur. Ex iisdem pulveribus cum ladano, & cera, pomum odoretur continenter.*

Frigidi,

In calida vero causa sumantur *diarrhodon abbatis Nicolai, & commune Mesuæ, E. trium santalorum, saccharum rosatum, & violatum, trochisci caphuræ Mesuæ; aut si magna est caliditas, Rasis sine croco. Simplicia item, spodium, caphura, rosæ, violæ, acetum, corallia, santala, margaritæ, mire cardiaca omnia.* Admoveantur *autem epithemata ex prædictis, cum aquis rosarum, violarum, plantaginis, oxalidis; pomum quoque aut sacculi ex iisdem. Si autem tremulus ille motus cordis à veneno est, aut vermibus, postea tractabitur.*

Calidi,

Ne quam autem confusionis obscuritatem pariat longior ac male distincta rerum productio, partium quæ supra diaphragma sunt morbos hoc libro concludam, reliquos qui sub diaphragmate consistunt, in proximum relaturus.

De partium morbis & symptomatis, libri quinti Finis.

Liber

LIBER VI.

DE PARTIUM QUÆ SUB DIAPHRAGMATE SUNT MORBIS.

CAPUT I.

Oesophagi & oris ventriculi affectus, causæ & signa.

Gal. 5. de loc. aff. 5. Avic. lib. 3. fen. 13. t. 1. c. 2. Affectus œsophagi.

OESOPHAGUS cibi potusque via, raro morbis tentatur, quod in eo nihil quod perlabitur diutius moretur aut tardet. At interdum vel *intemperies*, vel *tumor* aliquis præter naturam obstruens, isque modo frigidus, modo inflammationis particeps, nonnunquam & *ulcus* male afficit.

His omnibus devorandi actio præpeditur, sed quodam discrimine.

Signa intemperiei;

Quum simplex est *intemperies*, esculenta potulentaque tarde delabuntur, toto œsophago æquabiliter affecto, sine ullo angustiæ, dolorisve sensu: quod iis etiam commune est qui nausea fastidioque cibi vix devorare queunt.

Scirrhi,

Verum si *scirrhus* aliusve præter naturam tumor durus ac frigidus œsophagi viam intercludat, sive is in œsophago, sive in cervice extuberet, difficilis quoque ac tardus transitus est, sed cum partis cujusdam angustia.

Phlegmones,

Quum vero *phlegmone* inhærescit, præter vorandi tarditatem, & loci angustiam, dolor quoque lancinans excruciat, cum calore, siti magna, & febre. Hinc tempore pus vel screatu vel vomitione exit.

Vlceris.

Vlcus tandem his accedit, à quo dolor in affecta parte acerbior evadit, qui mirum in modum exacuitur, si vel acre, vel salsum, vel acidum, vel acerbum quippiam voretur.

Omnis porro œsophagi dolor in dorsi spinam incumbit, in quam gula quoque reclinat & adhærescit.

Στομάχου πάθη. Eorum signa.

Similibus quoque AFFECTIBUS OS VENTRICULI tentatur, quos & iisdem licet *notis* deprehendere: præterea vero & mentis alienatione, ob eos nervos quos è sexta cerebri conjugatione suscipit. Mulierem vidi gravidam, cui tuberculo duro eoque ingenti ita os ventriculi obturabatur, ut quicquid indebatur attracto ventriculi ore mox remearet atque redderetur. Sic astantium omnium judicio nihil cibi potusve bimestri tempore vel conatu maximo ea voravit. Tandem morbo, desipientia febreque confecta, decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit.

CAPUT II.

Ventriculi morbi, causæ & signa.

Avicenn. lib. 3. fen. 13. t. 1.

IN VENTRICULI MORBIS numerantur *intemperies* tum simplex, tum quæ humoris particeps est: *inflammatio* hunc raro exercet, rarius *abscessus*, aliquando tamen *ulcus*. *cap. 16.

De ventriculi Affectibus.

	S.A.		S.A.		S.A.
* *Hyeme & vere calidissimus.*	1.15.	*sanguis effusus suppuratur.*	6.20.	*cardiogmos purgationẽ indicat.*	4.17
æstus in febribus malus.	4.65.	*dolores sublimes, leviores.*	6. 7.	*In febribus, malum.*	4:65.
à dolore diuturno, suppuratio.	7.22.	*& è contra.*	67.	*vulnera, lethalia.*	6.18.

Τῆς κοιλίας σπλάγχνου πεπληθεῖς πάθη.

Intemperies calida,

Quum INTEMPERIES CALIDIOR eſt, ſitis A eſt diuturna, quę expleri nequit: cibi potuſque frigidi appetentia, ejuſque facilis concoctio: frigidis tùm ſumptis, tum admotis ventriculus juvatur, recreaturque: meraco vino & quovis potu ciboque calido offenditur, ac plurimum exæſtuat, editque ructus nidoroſos. Quod ſi humor præterea calidus bilioſuſque redundat, his inſuper notis accedit, nauſea, oris amaror, cibi faſtidium, & roſionis cujuſdam ſenſus.

Frigida,

Frigidam ventriculi intemperiem teſtantur, ſitis nulla, cibi potuſque calidi deſiderium, tarda concoctio, frigidis tum ſumptis tum admotis offenſio, horror, perfrigeratio, & ructus acidus. Atque ſi humor craſſus frigiduſque qualis pituitoſus inhæreſcit, gravitatis cujuſdam ſenſus ventricu-B lum premit, ſine ipſius demorſu, ſine oris amarore: adhæc nauſea, languor, atque diſſolutio.

Humida.

Humidum ventriculum delectat, ac firmiorem reddit cibi ſolidioris ſiccique uſus: at immoderati potus humidioriſque cibi copia hunc ita obtundit, ut quaſi diſſolutus langueſcat: atque ſi pariter humor aquoſus multus innatat, aut ventriculi tunicis impactus eſt, ſaliva multa in os exurgit, quæ frequentem expuitionem ſine tuſſi promovet.

Πτυελισμός,

Sicca.

Ventriculi *ſiccitatem* comitatur, potus, humidioriſque cibi appetentia, uſuſque facilis ac jucundus, ſolidioris ſicciorifque cibi tædium, difficiliſque concoctio, ſed nulla gravitas, nulla denique nauſea, aut vomitio.

Inflammationis cauſa.

INFLAMMATIO autem quæ in ventriculi ſubſtantiam invadit, *originem habet* è ſanguine per venas, quibus alitur, è portis jecoris derivatas, immoderatius inter illius membranas effuſo.

Signa.

Ingens ex partium divulſione dolor excitatur, atque tumor, atque is contactu maxime, interdum & viſu conſpicuus. Hic putreſcente ſanguine vehementer lancinat, quod pars affecta eximio ſenſu prædita ſit: febris ardentiſſima, magna corporis jactatio, & inquietudo, ſitis inexpleta: aſſidua ingeſtorum aut vomitio, aut dejectio, niſi quum forte ejus oſculum, aut pylorus obſidetur, his quippe coarctatis nihil elabitur: animi frequens exolutio: vigiliæ, A & plerumque deliria.

Diſtinctio ab inflammatione muſculorū abdominis.

Huic plurimum affinis eſt inflammatio, quæ vel ſummum *jecoris lobum* quo ventriculus obtegitur, vel incumbentem illi abdominis regionem occupat. Tumor enim prominens & circumſcriptus cum dolore in ventriculi ſitu ineſt, & febris, & ſitis, & reliquarum notarum plurimæ: ut proinde vel experientiſſimos medicos interdum fallat. Diſtinguitur ſola ſympromatum vehementia, & pernicie: quandoquidem in ventriculum omnium ſæviſſima incidunt.

Abſceſſus.

ABSCESSUS ſi forte inſequitur, non foras, quemadmodum qui in abdomine eſt, ſed vel in ipſum abdominis ſpacium, vel in ventriculi cavum pus eructat, aut vomitu, aut dejectione conſpicuum.

Vlcus.

ULCUS ſive ex abſceſſu derelictum eſt, ſive ex aſſumpto cauſtico aut ſeptico medicamento, ſive ex humore qui ſimili facultate polleat eo ſe inſigente, prorſus exitiale cenſetur.

Ejus cauſa.

Quemadmodum & omnis CORRUPTIO, & labes quæ illi ex toxico aut ex venenata potione inuritur.

Signa.

Dolor quidem plerumque ſubeſt, interdum tamen & ſine dolore malum clanculum ſerpit. Alvi dejectione, aut vomitione fatigat, qnum præſertim ex aliena qualitate inducitur. Febris lenta eaque aſſidua laborantem conficit, cum pulſu crebro ac frequenti: appetentia, concoctio omniſque ventriculi functio languet, corpus male alitur, ſenſimque liqueſcit, dum tandem C inſito calore pabuloque deficiente vita privetur.

Prognoſticum.

HEURNIUS. *Videamus jam quid polliceri poſſimus in curatione. Summa ſane vi ferit corpus hic affectus, unica ſpes virium, cibus. ſed hunc non ferunt vires. Si itaque totus ventriculus occupetur phlegmone: conclamatum erit: ſi ſupremum os, periculum in procinctu erit à ſyncope: nam pulſus his languet, & extrema frigent.*

Cura phlegmones.

Lib 7 & 11. Meth. lib. de inæquali intemperie.

SYLVIUS. Phlegmone ventriculi curatur *ut phlegmone pulmonis, & phrenitis. principio ſcilicet repellentibus & avertentibus materiam: deinde additis etiam digerentibus: in ſtatu his probe ſolis. aſtringentia enim & partem roborantia reſolventibus ſemper miſcenda in ventriculo, ut in hepate, ob actionis ejus neceſſitatem. Si reſolvi non poteſt, quod tamen eſt longe optatius, coquentibus eſt ſuppuranda.*

Et

Vlceris. Et ulcus, *ubi abscessus erupit, tergendum, siccandum, carne implendum, cicatrice tegendum, remediis quæ docent Rasis, Avic. & alii.*

Atque ii ventriculi morbi sunt.

CAPUT III.

Ventriculi symptomata, horumque causæ.

Gal 5. de loc. aff. 6. 1. de sympt. caus. 7.

OS in primis ventriculi multa symptomata exercent.

Quos affectus reliquis partibus os ventriculi per consensum adferat?

Horum *alia* fiunt quatenus eximio id sensu præditum *principibus partibus* cordi ac cerebro *magna affinitate conjungitur.* Illis enim consensu quodam sua etiam vitia impartit, & variis ea modis lacessit: cor quidem animi defectione, syncope, dolore quem cardialgiam dixerunt: cerebrum sopore, veterno, catalepsi, incubo, morbo comitiali, melancholia, delirio, quorum omnium rationes atquæ causæ supra satis explicatæ sunt.

Quos ipsum patiatur.

Alia vero huic ut *appetentiæ sedi symptomata ingruunt,* qualia sunt *diminuta* atque dejecta *appetentia, bulimos, appetentia canina, pica, malacia, sitis.*

Ἀνορεξία καὶ ἀποσιτία.

IMMINUITUR aut omnino prosternitur APPETENTIA, cibique fastidium adest, quum corpus universum multo luxuriat alimento, nec hujus quicquam partes cæteræ sugunt è ventriculo. hic enim utili multo humore perfusus alium respuit. Idem quoque obtingit quum os ventriculi pingui adipe, aut per morbos hnmore lento aut aliter vitioso obtunditur. Sæpe quidem fit ut quum cibi fastidium est, gustus nihilominus (ut qui in lingua consistat) integer permaneat, & recte dijudicet.

Ejus causa,

Aëtius li. 9. c. 6. 21. Βούλιμος.

BULIMOS * autem, id est, vehemens fames, magnam consequitur inanitionem, & alimenti penuriam ex inediis: quandoquidem exhausto pabulo pars ventriculi summa exquisite sentiens efflagitat quod est sibi necessarium. Est enim fames ex penuriæ sensu orta cibi appetentia.

Κυνώδης ὄρεξις.

CANINA quoque vocata APPETENTIA modo ab eisdem fit causis, modo ab humore frigido & acido, osculo ventris impacto: qui adstrictione alimenta in ventriculi fundum compellens, famem accersit.

Cura ab inanitione

SYLVIUS. *Appetentia immoderata, vel est ab* inanitione, *qualis ex longo morbo revalescentibus fere advenit: quibus cibo pauco, & frequenti, sed coctu facili opus est nec pingui. Nam multus, quia non coquitur, corrumpitur: pinguia, ut jura, carnes, quia ventriculum laxant, nauseam potius excitant, & prosternunt appetentiam illam immoderatam.*

A debilitate,

Si à ventriculi imbecillitate, *curetur ut dicetur.*

Gal. lib. 4. de usu partium.

Si ob hepatis calorem *vehementius distribuentem: post, qua ratione curatur, dicetur.*

Hepatis calore, Humore melancholico,

Si ob humorem melancholicum *à liene ad os ventriculi largius transmissum, qui os ventriculi immodice contrahat & exugat, dicetur in affectibus lienis.*

Lumbricis,

Si à lumbricis *omnia vix dum devorata depascentibus excitetur: audies in affectu hoc intestinorum.*

Pituita acida,

Si à pituita *multa frigida,* acida, *ventriculum, ac præsertim ipsius os infestante,* curatur quinque remediorum generibus.

1. Diæta,

1. Victus ratione *calida sicca, omnibus pituitosis affectibus communi, præterquam quod acria, ut cepæ, allia, porra, sinapi, & acida, pituitæ incidendæ, tenuandæ, tergendæ prosunt: sed appetentiam excitant, ob id in hoc affectu fugienda: aliis tamen pituitosis sunt salubria.*

2. Materiæ præparat.

2. Materiam apparantibus *sæpe dictis.*

3 Expurgatione.

3. Phlegmagogis, *frequenter etiam ante scriptis.*

4. Dissipatione.

4 Materiæ reliquias resolventibus, *etiam sæpe antea descriptis: ut* famem thorexis, *id est,* meri potio solvit *Hippocrati. Vinum autem generosum post cibos pingues largius imperat Gal. ad fluctuationem & vomitum. Avicenna vero idem vinum ante cibum propinat, ut materiam coquat.*

5. Appetitus prostratione.

5. Appetitum prosternentibus, *ut ventriculi corpus laxum reddentibus. qualia sunt pinguia jura, & cibaria omnia: ut oryza cum pinguibus cocta.*

Si autem ab intemperie calida ventriculi, alimenta

De Fame.

	S. A.		S. A.
* *laborem non fert.*	2. 16.	*quibus utilis?*	7. 59.
corpora siccat.	7. 59.	*Solvitur à vino.*	2. 21.

Aphor. 21. lib 2. Gentilis sic Galeno conciliat Avic. Gal. initio alimentorũ, & lib 7. Meth Gal l. 7. Meth. Gal. lib. 4. morborum simpl

menta corrumpantur, coctu difficilia offerantur: ut castaneæ, bubula, suilla, panis silignites, cremor alicæ, & similia. Cum autem calor appetentiam prosternat, non debet hæc causa recenseri inter eas quæ appetentiam caninam excitant.

Galen. loc. cit. & 5. de loc. affect cap. 6. Κίττα καὶ μαλακία.

PICA vero & MALACIA quibus vitiosi alienique cibi, ut terra, caro cruda, carbones, fructus acidi & acerbi expetuntur, gravidas sæpe mulieres infestant, nonnunquam & viros. Tanta malaciæ vis est, ut vir quidam nobilis edendæ calcis vivæ desiderio jamdiu pressus, illam tandem pugni magnitudine voraverit, sitque omnino recreatus, nulla ventriculi, nulla viscerum offensione.

Ejus causa.

Fit autem quoties oris ventriculi tunicæ vitioso quodam humore, vel excremento oblitæ sunt, cujus longa consuetudine similia etiam vitiosa expetuntur: quanquam quum ingens & morbosum jam omnino vitium inest, contrariorum appetitus urget.

Prognosis.

HEURNIUS. *Quarto fere ab ingravidatione mense quiescit hoc symptoma: nam vomitu fere tunc ventriculus se vacuavit à pravis succis: & inedia, ob nauseam, cruditas subacta in venis: & grandior jam fœtus susque deque in se trahit succos, qui ad ventriculum refluere solebant.*

Indicationes curativæ.

Nascitur in hoc malo medendo Indicatio *amovendi pravum ex ore ventriculi succum, ac id roborandi, ne amplius admittat illum. Hic namque succi crassi, crudi, frigidi, imbibiti sunt tunicis ventriculi.*

Cibus.

Cibis *utantur coctu facilibus, & à corruptione alienis, succo granatorum, vel omphacio, & pomis aurantiis & citriis condiantur. Pedes porcini coquantur cum passulis Corinthiacis & agresta: panis ustulatus maceretur in succo granatorum & vino generoso. Pira cocta comedat. Coque passulas Corinthiacas ex vino & succo granatorum, adjecto sacchəro: infunde patinæ, adjectoque ustulato pane albo, vescatur cochleari. Potet vinum subastringens & gilvum: vel claram cerevisiam cinnamomi vi imbutam.*

Vomitoria

Si non sit gravida, sique vomit ex facili, sumat decoctum raphani cum oxymelite. Si non facile vomit, accipiat cassiam cum pulpa tamarindorum ad unciæ pondus; adde specierum hieræ picræ A *drachmam. Species hieræ cum melle rosato utiliter exhibentur in materia pituitescente. Vel* purgetur *rhabarbari drachmis duabus: cinnamomi scriptulo: tamarindorum semuncia: infunde aquæ endiviæ & vini albi, cujusque uncias duas: macera horis duodecim: dein semel ebulliant, ac fiat fortis expressio: cui adde syrupi rosati solutivi unciam. In sero lactis infundantur folia senæ, & fumariæ, cum myrobalanis: utatur quinque diebus mane cyatho.*

Pharmaca.

Dissipantia.

Deinde da succum mali punici dulcis, diacidonium. accipe seminis ammios drachmam: macis semidrachmam: gingiberis scriptulum: olei anisi semiscriptulum: sacchari in aqua cinnamomi soluti uncias quatuor: fiat confectio tabulata: sumat mane B *drachmas tres. Fiat scutum stomachicum ex emplastro de mastiche, & ex emplastro stomachali. In ventriculo frigido utile est diatrion pipereon. Syrupus ex aloë præclare ad salutem facit. Ab usu astringentium supersedebimus dum ventriculus fuerit purgatus. Si succi aliunde influunt, adstringentium usus erit necessarius quo firmato ventriculo, succus non immittatur.*

Roborantia.

Σφοδρὸν δίψος.

* SITIS demum est frigidi humidique potus appetentia. Hæc *nulla* prorsus est, quum os ventriculi humore dulci, frigido, multoque perfunditur: *immoderata* quum id ipsum quasi humore prorsus exhaustum inaruit, idque vel potus penuria, vel magna corporis dissolutione, ab æstu & balneis: aut quum illius tunicæ, vel humore salso, vel calido & acri imbutæ sunt, ut ex salsorum ciborum & condimentorum esu, ex C meracioris vini potu, maximeque per febres ardentes.

Ventriculus porro ut *cibi promptuarium* est & primæ coctionis officina, aliis rursum symptomatis premitur, quæ hæc fere sunt: *cruditas, bradypepsia, vitiata concoctio, ructus, rugitus, inflammatio, singultus, nausea, vomitio* tum simplex, tum cruenta, *cholera, dolor.*

Galen. loc. cit. 3. de symptom. caus. c. 1. Ἡ ἀπεψία. Ἡ βραδυπεψία.

CRUDITAS, coctionis est privatio. BRADYPEPSIA, tarda difficilisque concoctio.

Earum causa.

Harum *causæ* sola vi & magnitudine distant. Eæ autem sunt intemperies omnis, modo simplex, modo ex humorum vitio: tumor præter naturam, omneque morbi genus quod ventriculi concoctionem necessario pervertit. Sæpe etiam jecoris, lienis aut

De Siti.

	S. A.		S. A.
* *Exigua in febribus.*	4. 54.	*lac malum.*	5. 64.
in lypiriis.	4. 48.		

aut mesenterii vitia vel integre sani ventriculi concoctionem, sympathia quadam & affectus communicatione præpediunt. Sic hepaticis, & quibus calidum jecur multa bile scatet, ventriculus contactu imbecillior, non tamen (quod multi prædicant) continuo frigidior evadit: quod non omnis illius imbecillitas ex intemperie frigida procedat. Sic & melancholicis, & hypochondriacis, & quibuscunque venter inferior abscessu aut gravi humorum vitio laborat, ventriculus male concoquit si vitiosa illa qualitate lacessitur. Cruditatis effectrices etiam causæ sunt cibi potusque exuperantia, quam nativus calor moderari nequit. at prava illorum qualitas quæ nec superari nec mitigari potest: aut intempestivus illorum usus, quum vel potus vel cibus novus ingeritur priore nondum confecto: aut somnus brevior, aut immoderatæ vigiliæ, aut balneæ, aut exercitationes mox à cibo, hujus descensum accelerant.

Prognosticum.

HEURNIUS. *Prædictio ut recte instituatur, noscere debemus unde hæc cruditas profecta, ægrius enim curatur quæ à ventriculi fracta vi nata fuit, quam ea quæ à cibis peccantibus in qualitate, copia, utendi tempore & modo oborta fuit. Humida intemperies facilius aboletur quam sicca: & frigida securius castigatur quam calida, ob aliarum partium viciniam, de quibus metus est ne injuriam earum calidum nativum sentiat. Si fovetur ventriculi intemperies à vicinis partibus, ægrius poterit redintegari, ut à liene, qui semper incumbit ventriculo humano; vel à jecore, omento, pancreate. Si adsit materia, difficilius expugnari intemperies poterit: maxime si non conveniat illa materia cum intemperie, ut si in flagrante ab æstu ventriculo, immissa fuerit materia pituitosa, crassa, viscida, & lenta: nam hanc eximere non potes sine usu remediorum calidiorum, quæ intemperiem calidam ventriculo conceptam exasperabunt. Quare ægre tales curantur, maxime si fomitem huic materiæ suggerat caput, vel alia aliqua pars, & si restagnat alvus in his natura, nec vomat ex facili: nam cunctando putrescent tunc hi succi, unde rosio. Si in ventriculum frigida pituita labatur è capite, facile id castigatur, si mane quid acori conditi cum aqua vitæ sumpserit. Iam ad curationem venio.*

Gal. 6. de sympt causis cap. 1 in fine.

Gal. 6. de sanit. 10.

Cura imbecillitatis à tumore,

SYLVIUS. *Imbecillitas coctionis ventriculi curationem propriam non requirit, sed cessat, morbo, ejus causa, profligato. Nullum enim symptoma, quà symptoma est, aliquid indicat. Si enim ventriculus est imbecillus à* tumore *præter naturam, curato tumore, imbecillitas, tumoris symptoma, cessat: eodem modo in aliis ejus affectibus, quos dolor & imbecillitas sequuntur.*

A morbo longo.

Quæ vero imbecillitas ventriculi, à magno aut longo morbo *revalescentibus adest, ea roborantibus qualitate, tum manifesta, tum occulta, corrigenda est.*

Ab intemperie.

Si enim imbecillus est ventriculus ab intemperie calida, *per refrigerantia curatur: & contra. similiter in aliis intemperaturis, tam simplicibus quam compositis, tam solis quam cum materia, est faciendum. Non autem semper in ventriculo imbecillo utendum calidis, siccis, astringentibus: quem errorem præceptoribus suis appingit Gal. l. 7. Meth.*

Frigida humida,

Si imbecillus est ventriculus ab intemperie frigida, *humida ex cruditate, coctioni prospiciatur exercitatione, somno, taciturnitate, & silentio: & admotis calorificis siccantibus: sed in primis sumptis: alimentis quidem delicatis, coctu facilibus, parum humidis: medicamentis vero materiam apparantibus, incidendo, tenuando, tergendo: deinde vacuantibus vomitu, aut potius dejectione.*

Cum laxitate intus.

Similiter à morbo revalescentibus, ventriculus laxior, *frigidior, curatur syrup. stomachicis, quorum præstantissimi sunt, syrup. absinthii Ro. etiam hepar roborans: syrup. seu miva cydoniorum aromatica, & diacodonium Galeni in fine 6. lib. sanit. tuend. syrup. menthæ, cum dupla aqua menthæ, & absinthii præcipue, vel fœniculi, betonicæ: cum E. rosato Gabrielis: E. diaromato Mesuæ: galanga pulverata cum vino albo sumpta, vel in pilulas cum syrup. menthæ, vel simili, formata, per horam unam ante cibum: & diagalanga secreto quibusdam remedio, præsertim ad flatus ipsius resolvendos, E. ex xylaloë, zingiberis conditi radice una mane sumpta, vel theriacæ, aut mithridatii drachma una semel in septimana, granis piperis 6. 7. 8. integris (ne pulverata ad hepar rapiantur: quod fere calidum est, quibus ventriculus est frigidior) hora ante cibum dimidia devoratis. Corallium etiam probatur, præsertim cum imbecillus est ventriculus ab intemperie calida: quia ipsum est frigidum: tunicam interiorem ventriculi gallinarum, ut & ventrem mergi, & struthiocameli, damnabis cum Galeno.*

Foris.

Per admota *quoque ventriculus est firmandus, & dolor sedandus:* in frigida *quidem causa, per cali-*

calida: ut oleum de spica, mentha, absinthio, mastiche: ut unguenta vel cerata, vel emplastra ex iisdem oleis, cera & aromatibus stomachicis: ut per nucem moschatam, xylaloën, caryophylla, galangam, mastichen, mentham, absinthium: forma remediorum sæpe mutata, ne uni assuefacta natura ejus vires contemnat, ab eoque nihil patiatur. Ob id etiam foveri potest ventriculus paulo ante pastus, spongia imbuta vino aromatico, cui incocta sint menthæ, absinthii, schœnanthi ana Ma. unus, cinnamomi, ciperi, calami aromatici ana drachmæ duæ, mastiches, nucis moschatæ ana drachm. una. Post hunc vero fotum poris ab eo apertis, salubriter prædictis oleis partem illines. Bombax quoque bene carptus, eodem vino aromatico mersus & siccatus: deinde pulveribus prædictorum aromatum fartus, in epithema ventriculi, forma scuti consutum, tectum, ligatum imponatur: vel ex iisdem sacculi. Pueri quoque carnosi non facile sudantis ventri admotus, calore suo coctionem potenter adjuvat, & catulus pinguis & palma manus, si carnosa est. Decubitus *quibusdam probatur, principio in latus dextrum, ut ad fundum ventriculi carnosius, & ob id calidius, & ad coquendum valentius, alimentum descendat: deinde in sinistrum, ut hepar ventriculum amplectatur, & suo calore ipsius coctionem juvet: postremo absoluta coctione, rursus in dextrum: ut tum per pylorum fundo insertum os ventriculi infernum chylus excernatur in ecphysin, & tenuia intestina, distribuendus per venas mesaraicas in hepar. Quibus tamen hepar calidius, salubre non est primo in dextrum cubare, nec diu, nisi consueverint.*

Gal. lib. 5. Simpl. cap. 5.

Ab intemperie.

Calida Intus.

Si vero causa mali calida *est*, fumantur *frigida hæc: syrup. cydoniorum, rosatus, ex succo oxalidis, de ribes, cum duplo aquæ rosarum, plantaginis, oxalidis: diarrhodon abbatis, aut commune, E. trium santalorum, conserva rosarum, saccharum rosatum, caro cydoniorum. Sumantur autem horis tribus ante pastum: quæ omnia præter oxalidem, astringendo quoque laxam à calore partem roborant.*

A

Admovenda *autem oleum rosatum, cydoniorum, myrteum, per se, vel cum rosis, balaustiis, malicoriis, santalis, spodio, corallio: forma linimenti, vel alia. Cave autem ne ventriculum, partem natura frigidam, immodice refrigeres, & sic vim ejus coctricem prosternas. Quamvis enim ventriculi intemperies calida & frigida, æque cito curentur, utraque per sibi contraria; non tamen æque tuto: tutius enim calefacis quam refrigeras.* Foris. Gal. lib. 7. Meth.

Si imbecillus est ventriculus ab intemperie sicca, *curatur uti febris hectica humectantibus: ut lacte, balneo ex decocto malvæ, violæ, nigræ, lactuca, capitibus & intestinis vervecum, vino imbecillo, fulvo, diluto, herbis humectantibus.* Ab intemperie sicca.

B

CIBUM vero CORRUMPIT aut aliena ipsius qualitas, aut vitiosi humoris permistio, aut utendi ordo præposterus, ut quum persica mala, fraga, aliique fructus horarii, cotoneis malis, aliisque solidioribus cibis posterius eduntur. Galen. loc. cit. cap. 1. & 2. Ἡ διαφθορά.

RUCTUS * FLATUSQUE vel sursum erumpens, vel intus cum rugitu strepituve conclusus, omnis denique ventriculi flatulenta distentio, cruditatis *soboles* est, atque iisdem ex causis originem habet, maxime vero ex cibo flatulento, & ex immoderato fluctuanteque potu: præsertim quum bilis flava vel atra ventriculo substernitur, ut in hypochondriaca melancholia: tunc enim liquidi flatulentique cibi pars maxima concoctione, calorisque vi facessit in flatum. Ἡ ἐρυγὴ καὶ ἐμπνευμάτωσις. *Ejus causa.*

C

Quænam autem tum flatus, tum cruditatis causa præcipue subsit, ex iis *notis* intelligitur quæ ventriculi demonstrant affectus. *Signa.*

SINGULTUS ** *convulsivus est ventriculi motus, quo quæ in proprium corpus impacta sunt conatur excutere.* Sæpius autem ex intervallis, ut & tussis repetit, dum quod molestum est extundat. Galen. loc. cit. & Aëtius lib. 9. cap. 4.

Hunc

De Ructu.

	S. A.		S. A.
* *Acidus à Lienteria, bonus.*	6. 1.	*non notat pleuriticos.*	6. 33.

De Singultu.

	S. A.		S. A.
** *ab inanitione, vel repletione.*	6. 39.	*hypercatharsi, malus.*	5. 4.
inflammatione hepatis.	5. 58.	*item in senioribus.*	7. 41.
malus.	7. 17.	*hæmorrhagiâ, malus.*	5. 3.
à vomitu, malus.	7. 3.	*tollitur à sternutatione.*	6. 13.
ab ileo, malus.	7. 10.	*luctuosa suspiria in acutis, malum.*	6. 54.

Ὁ λυγμός. Ejus causa. 6. Aph. 59. Hunc perinde atque convulsionem vel ab inanitione vel à repletione *fieri* censuit *Hippocrates*. Ab inanitione quidem, ut ab immoderato sanguinis effluvio, & ab immodica purgatione. A repletione, ut pueris & iis qui crapulæ addicti sunt: ut etiam quum vel piper voratum est, vel bilis, vel aliud quidvis acre & mordax in tunicas ventriculi sese penitus infixit: id quippe ventriculus interdum singultu, interdum & sternutamento, quod plerunque è singultu liberat, disjicere contendit. Hæ singultus causæ tradi solent, preter quas tamen & aliæ graviores existunt. *Alia & gravior.* Etenim sæpe vapor malignus in os ventris effusus deteriorem quam quivis humor acer & mordax singultum inflixit, qualem sæpissime comperimus malignis & pestilentibus febribus, atque etiam jecoris inflammationi supervenire, & maxime quum spes in angusto posita est, & cor morbi malignitate obruitur. Sed & quæ extrinsecus os ventriculi premunt, singultum ingenerant. Quidam tres continuos menses singultu vexatus nullis consuetis remediis ante potuit expediri, quam costæ extremum, quod tum primum deprehensum est, contorqueri, altiusque in ventriculum nullo sensu doloris infigi, blande ac molliter erectum fit. Confestim namque singultus affligere desiit: qui tamen repetebat quoties costam denuo incurvescere contigisset. In aliis dein non paucis eandem sæpe singultus causam agnovi.

Prognosticum. PLATERUS. *Singultus in febribus acutis si accidat, diuque perseveret, cum septum tunc graviter afficiatur, convulsiones minatur, mortemque sæpe præsagit. Ventriculi vitio si fiat, magnaque illius sit offensa, uti ab helleboro, veneno, aut erodentibus & similibus procedens, aut morbo alioquin gravi, ut inflammatione, eadem prædicere & inferre solet. Aliis vero à causis eveniens, facile emendatur, aut sponte etiam cessat.*

Cura. SYLVIUS. Singultus curationem *recipit variam pro causa varia.*

A causa externa. *Si enim est* à causa externa, (*id quod raro accidit*) *ut aëris calidi aut frigidi occursu: hac ablata, & ægro in aërem contrarium translato, facile cessat: si vero jam dispositionem reliquit, ea contrariis quoque oppugnanda sumptis & admotis.*

A cibo crassiore. *Si vero fit* à materia in ventriculo *corrupta, aut cibo crassiore: si sursum repat, & æger facile vomat, vomitu expellatur: si ad fundum ventriculi, clysteribus lenientibus, aut etiam purgantibus medicamentis, cassia, manna, hiera mellita unc. una, diaphœnico à drach. tribus ad drach. quatuor vacuetur: deinde ventriculus roboretur, partim admotis oleis menthæ, absinthii, mastiches, & unguentis, cetis, emplastris, reliquisque dictis in ventriculi imbecillitate: partim sumptis: ut aromatico rosato, caryophyllato, zingibere condito, & aliis prius dictis.*

A re mordaci. *Si fit à sensu tactus ventriculi exquisitiore, vel* re aliqua mordaci: *ut acribus, capa, allio, porro, sinapi, pipere, zingibere: hæc vacuentur, dejectione aut vomitu ex aqua dulci, vel hordei tepida largiore quidem quam potus gratia, non tamen tam copiosa, ut mox vomitum moveat: aliquamdiu enim retenta, melius purgabit ventriculum: postea ventriculus roborandus saccharo rosato, violato, julepo rosato, violato, diarrhodo, & cæteris tam sumptis, quam admotis, in ventriculi imbecillitate descriptis.* †

Flatibus. *Si* è flatibus *est, (ut plurimum fit) decoctum menthæ & cumini, & aliorum Rasi scriptorum, ad unc. quatuor sumptum, est salubre: adhæc semen anisi, cumini, castorium, baccæ lauri, diacyminum, diagalanga, elect. de baccis lauri, cum vino bono sumpta. Cucurbitula quoque ventriculo, vel etiam umbilico admota, miraculi modo affectus flatulentos ventris inferioris derepente mitigat, aut tollit. Somno etiam longiore coquat venter materiam flatulentam: decoctum quoq; chamæmeli, meliloti, anethi, pulegii, calaminthes, origani, abrotoni, se. ameos, fœniculi, baccaru lauri, in vino albo, vel aqua & pauco vini albi odoriferi, flatus potenter dissipat, si spongia hoc imbuta decocto, aut vesica eodem semiplena ventriculo admoveatur: illitus etiam ex oleo chamæmeli, liliorum, de spica, & ex his cum aliis, unguenta, cerata, emplastra: silum quoque cum cineribus frixum, linteo involutum, utiliter admovetur: vel ipsi cineres per se frixi, in scutella ex lixivio, vel vino aromatico, vel potius aqua vitæ, super carbones, ne flammam concipiat: Balneo quoque, si vires valent, & jejuni sint, multum juvantur. Sternutatio quoque & cohibitus anhelitus, quia cor calidius efficit & vicinas partes, suppressis in ipso fumidis excrementis, coquit, aut dissipat flatus singultum excitantes: id quod etiam vulgo fieri videas.* *Lib. 14. Meth.*

Ab inflammatione hepatis. *Si ab* hepatis phlegmone *est, illa prius curanda.*

A materia in ventriculo. *Si autē singultus est* à materia in ventriculo cōtenta, *curatur* quinq; remediorū generibus.

1. Diæta. 1. Victus ratione *contraria ipsi materiæ.*

R 2 2. Ap-

† O. HEURN.] Ad singultum nullis remediis cedentem arcanum & unicum remedium habuit, olei ex semine anethi extusi guttas iiij. cum olei amygdal. dulcis ℥ß.

2. Materię præparatione.

2. Apparantibus materiam: *pituitosam melle rosato, syrup. de duabus radicibus, cum aquis supra scriptis. Melancholicam denique syrup. de pomis, thymo, epithymo, cum aqua scolopendrii, fumaria, & cæteris. Si autem bilis est, ut pituita tenuis, prompte vacuatur, nisi altius in tunicas ventriculi infarcta sint: tunc sequere Galenum.*

3. Vacuatione. Lib. 7. Method.

3. Materiam *sic paratam* vacuantibus, *sed clementibus, & quorum vis hepar non transcendat, capite de dolore scribendis.*

4. Excussione.

4. *Remediis* materiam *reliquam ventriculo tenacius affixam* excutientibus. *Vt vomitu, sternutamento Hippocrati, libro 6. Aph. 13. Clamore, saltu, equitatione in equo succussatore: aquæ etiam faciei clam & repente inflicta: quia timorem efficit, quo calor intro retractus coquit & dissipat. Parum autem probandus est potus largior aquæ frigidæ, nisi æstate media, juvene carnoso, in assueto, in causa calida: quamvis etiam, ut tetanum, sic frigidam causam dissolvere possit.*

Aphor. 21. lib. 5.

Obtusione.

Syrup. de papavere datur ad cochlaeria duo interdum deploratis ad obtundendum ventriculi sensum, vel semen papaveris albi tusum cum aqua lactucæ, vel ejus seminis; & semi, lactucæ, & sem. hyoscyami albi decoctum. Quæ levia, si non sufficiunt, philonium Romanum sumatur, quod partim frigidis simplicibus stupefacit, partim calidis resolvit.

5. Intemperiei correctione.

5. Intemperiem *ab humore relictam à calido, calidam: à frigido, frigidam* tollentibus *contrariis: si sicca est, jusculis instaurantibus, & nutriendo humectantibus: illitu quoque ventriculi & spondylorum ei propinquorum: ex oleo violato vel amygdal. dulcium.*

Galen. 3. symptom. caus. c. 2. Aëtius l. 9. c. 10. Ἡ ναυτία. Ὁ ἔμετος. *Eorum causa.*

NAUSEA *inane est vomendi desiderium*, quo nihil ejicitur: sępe tamen sponte nulloque conatu aqua pellucida profluit ab ore *. VOMITIO autem *est eorum quæ in ventriculi sunt spatio sursum facta rejectio.* Hæc enim quæ in capacitate ventriculi hærent, singultus vero quæ illius tunicis penitus insederunt expurgat.

Similis est eademque horum symptomatum *causa*, sed in nausea levior, in vomitione gravior. Ea sane est multiplex. Una, ventriculi imbecillitas, tantaque dissolutio, ut neque cibum amplexari, neque continere possit. Noscitur hæc inde, quod cibus purior nullo humore vitioso permistus redditur. Imbecillitas porro vel ab intemperie pręsertimq; humida proficiscitur, quę & dissolutionem prænuntiat: vel à lubrico, & in pingui lævore, quo omnia qualia sumpta sunt remeant: vel ab aliena qualitate, qualis præsertim est venenata ac pestilens, qua afflati fere assiduo vomunt. Altera nauseę vomitionisque causa est res quævis præter naturam, lacessens ventriculum ac irritans. Id autem efficit modo copia, ut copiosior ingestus cibus naturæ gravis, modo acrimonia, ut bilis, modo lentor, ut pituita, modo aliena & externa qualitas, ut corruptus putrescensque cibus. Hæc etiam causarum vitia nonnunquam in ventriculo gignuntur, ut quum crudior cibus permanens in pituitam facessit, aut quum exustus vertitur in bilem, aut quum in externam alienamque substantiam corrumpitur. Nonnunquam vitium ex aliis sedibus eo confluit, è jecore, liene, mesenterio, & intestinis, cerebro, & universo denique corpore, per jecoris venas.

Jam vero quis humor vomitionem proritet, etiamsi nondum is erumpat, multis tamen ex *notis* dignosci potest. Ex ructu atque ex ejus sapore, qui aut acidus, aut nidoris æmulus, aut amarus, aut acer est: dein ex doloris proprietate, qui nunc pungens, nunc gravans est, idque quodam vel caloris, vel frigoris sensu: postremo ex eorum quæ vomuntur qualitate atque substantia, maxime quidem quum noxius illis humor *Signa.*

De vomitu.

	S. A.		S. A.
* *Fit æstate.*	3. 21.	*quando necessarius.*	4. 17.
in infantibus.	3. 24.	*præmittendus cibus.*	4. 13.
navigatione.	4. 14.	*nocet carnosis.*	4. 7.
à tuberculi ruptione.	7. 8.	*tabidis.*	4. 8.
Spontaneus quando confert.	1. 2.	*melancholicis.*	4. 9.
sistit alvi fluxum.	6. 15.	*ab Ileo, malum.*	7. 10.
prodest æstate.	4. 4.	*biliosus, læso cerebro.*	6. 50.
non hyeme.	4. 6.	*atra bilis, lethalis.*	4. 22.
item.	4. 12.	*ab eo singultus, malum,*	7. 3.
præscribendus, quando alvus astricta.	7. 70.	*oculorum rubor, malum.*	7. 3.

humor permiſcetur: nam irritat is interdum ventriculum, cogitque cibos vomere, nec tamen dimovetur ipſe, ſed inconcuſſus ſubſiſtit, ac intus remanet. An autem humor vomitionis cauſa in ventriculo genitus ſit, an aliunde influxerit, diſcernitur, quod in ventriculo genitus jamdudum eum afficit atque torquet, & in victus ratione aut ordine peccatum aliquid recens eſt. Qui vero è jecore, aut è liene, aut aliunde confluxit, ſigna exhibet affectæ ejus partis, quę veluti ſeminarium & origo mali fuerit.

Avic. l. 3. fen. 13. t. 5. cap. 10. Αἱματηρὸς ἔμετος. *Ejus ſigna.* SANGUIS * quoque interdum VOMITIONE REDDITUR, ſed impetu longe diverſo, quam in tuſſi, atque ſane copia majore quanquam viſus eſt tuſſi affatim rejectus pelves implere, vena ampliore derepente rupta.

Qui vomitione redit, vel cibo, vel potui, vel pituitæ permſtus *exiſtit*, ac fere concretus in grumos; non tenuis, ac rubicundus, ſed craſſus, & jam concretione nigreſcens. Hunc etiam ſæpe comitatur dejectio nigra, dum erumpentis ipſius portio in inteſtina devolvitur, quæ longo illorum anfractu prolapſa ita nigreſcit, ut vel picem, vel caſiæ medullam repræſentet. Frequens præterea incidit animi defectio, quod extra venas coërcitus, putreſcenſque ſanguis, perniciosa & venenata qualitate cordi ſit infeſtus.

Cauſa. Quiſquis autem revomitur, è ventriculo *prodit*, in quem aut è jecore, aut è liene, aut è vicinis partibus confluxerat: idque vel aperta, vel rupta, vel exeſa vena: quod ex prægreſſarum cauſarum animadverſione diſcerni poteſt. Vomitionem cruentam nullam equidem naturalem eſſe puto, neque aut in plethora, aut menſium ſuppreſſione, naturam vacuandi hanc viam unquam moliri.

Galen. loc. cit. & Trallian. l. 6. c. 16. CHOLERA ** *eſt bilis tum ſuperne, tum inferne eruptio.*

Ea quippe vomitur pariterque dejicitur, primum liquidior, deinde craſſior atque coloratior: ut primum pallida & citrina, deinde flava, praſſina, cærulea, aut etiam nigra. Affectus hic acer, ferox & in primis acutus exiſtit, in quo ſtomachus & inteſtina mire torquentur, & flatuum copia diſtenduntur: ſitis cruciat: pulſus celer, frequens ac fere parvus: his & nonnunquam ſuccedit animi defectio. Ἡ χολέρα. *Ejus ſigna.*

Hujus itaque *cauſa* bilis eſt, quæ tempore vel in ſuo folliculo, vel in jecore, vel in liene, vel circum pancreas, vel circum inteſtina ſtomachumque cumulatur, quumque ſupra modum aucta naturæ gravis & infenſa eſſe cæperit, huc illucque impellitur ac diffluit, ut etiam ea perculſi toxicum ſeſe bibiſſe putent. *Cauſa.*

PLATERUS. *Acutiſſimus eſt cholera morbus, periculoſuſque, præſertim ſi nulla cauſa prægreſſa manifeſta, ægrum corripiat: minus autem periculi, ſi ob eſum cucumerum, melonum, aut alterius cibi in bilem converſi invadat. Mortemque minatur, ſi pulſus debilis, cordis palpitatio, animi defectio, ſingultus & convulſio accedant: quæ in propinquo eſt, ſi pulſus intermittat, urinæ lividæ fiant, atque extrema frigeſcant.* Prognoſticum.

SYLVIUS. *Cholera* curatur remediorum generibus quatuor. Cura.

1. Victus ratione *varia in affectu incipiente, & procedente, & ob ſymptomata ſuccedentia. Affectu incipiente, ſit aër calido frigido temperatus, parum luminoſus: nam lumen & calor humores exagitat, & ſpiritus reſolvit: tenebræ contra ſedant, & quietos reddunt: frigidus vero, quanquam ſpiritum reſolvi prohibet, quia tamen materias intro ad ventriculum & inteſtina ex ipſius corporis habitu protrudit, noxius eſt. Odoribus bonis ſpiritus nutriantur & inſtaurentur. Cibus detur paucus, coctu facilis, ſi virium proſtratio impendet. Si autem oppreſſio tantum & aggravatio, cibo abſtineatur.* 1. Diæta.

Ventriculus *autem ad vomendum & dejiciendum effuſus, ante cibum eſt* roborãdus, admotis, *ſi materia* frigida *& pituitoſa eſt, calidis: ut, oleo de ſpica, menthæ, abſinthii, maſtichini, nardini: vel un-* Roboratione ventriculi. Foris.

 guen-

De vomitu ſanguinis.

	S. A.		S. A.
* *Malus.*	4. 25.	*ſine febre ſalutaris.*	7. 37.
ſiſtitur erumpentibus menſtruis	5. 32.	*quibus curatur.*	7. 37.
cum febre, malus.	7. 37.		

De Cholera.

	S. A.
** *Eſt viris familiaris.*	3. 30.

guentis, ex iisdem oleis, & pulvere menthæ, abſinthii, A *maſtiches, ſpicæ nardi, caryophyllorum, cinnamomi, cardamomi, galangæ, nucis moſchatæ, xylaloës, & pauca cera: vel fotibus ex iiſdem in vino rubro auſtero incoctis. Si* calida, *frigidis: ut, oleo violato, roſato, cydoniorum, myrteo: & pulvere roſarum, violarum, ſantalorum, corallii, balauſtiorum, malicorii: factis ex his linimentis, unguentis, fotibus, pro varia ægri gratia.*

Intus. Sumptis *quoque roboratur. In* frigida *quidem calidis: ut ſyrup. de mentha, miva cydoniorum aromatica, ſyrup. cydoniorum cum aromatibus Meſuæ, ſyrup. de corticibus citri grato & cardiaco, ob id idoneo, ſi etiam adeſt ſyncope.* In calida *vero frigidis: ut ſyrup. & julepo roſato, de ribes, de granatis, de limonibus, de acida citri parte, datis à duobus aut tribus cochlearibus, ad quatuor.*

Et non multo poſt cibo coctu facili, & grato, etiam B *ſi parum affectui conveniat: ut aqua carnium perdicis, vituli, agni: quod quomodo ſit faciendum, docet Avic. Detur etiam uva penſilis ſiccata: ſi appetitur contuſum, ova ſorbilia cum ſucco limonum, arancio-rum in calida: cum cinnamomo, aut cardamomo, pauco vino puro in frigida. Odor quoque pullorum toſtorum, & aliorum ita conditorum, inſtaurat vires, ac appetentiam excitat.* Potus ſit, *in frigida, vinum generoſum, odoriferum: id enim omnium celerrime vires inſtaurat, præſertim ſi ſyncope adſit: in calida autem, vinum granatorum. Vitentur autem quæ cauſas has augere poſſunt, &* animi affectus, *qui materias intro trahunt: ut mœror, timor, cura.*

2. Materiæ è ventriculo evacuatione, Vomitu.

2. Materiam in ventrem *receptam* vacuantibus, *vomitu, aut potius dejectione, utro nara repet.*

Vomitum *igitur juvabis ſola aqua tepida: ut quæ nec materiam novam attrahat, neque repertam* C *foveat, ſed temperet, & vacuet. Remedio eſt eadem ventriculo à bile flava in ipſum ruente oppreſſo, vel roſo: in utroque autem affectu per ſe detur, non cum oleo aliquo, ut quod ventriculum & inteſtinum relaxet. Potes aquæ tepidæ miſcere ſyrupum acetoſum, ad ſaporis gratiam, non ad incidendum, aut tenuandum, quod materia in hoc affectu non ſit craſſa, lenta: aqua ſaccharata, aut decoctum hordei, aquæ loco propinari poteſt. His tamen aſtringentia non miſcenda, (niſi virium cadentium imbecillitas id ſuaderet) quia materiam ventriculo contumacius affigunt. Cum vero aqua ſit flatulenta, illi incoque, vel miſce cumini ſemunciam, vel circiter, aut nitri* ℥ij. *Ea autem ad vomitum, quam ad nutrimentum multo largior eſt bibenda, ut ea copia retentrix gravata expultricem mox ſtimulet.*

Purgatione.

Si autem materiæ ad ſedem feruntur, *eas juvamus, ſi vires valent, caſſia, vel manna, vel rhabarbaro, ſubſtantia vel decocto myrobalanorum: non autem valentiore, quod materiæ ad fluendum ſunt paratæ. Si vero vires ſint imbecillæ, ſunt firmandæ: poſt humores abundantes familiari ipſis medicamento purgandi.*

3. E toto corpore.

3. Materiam à toto corpore *in ventriculum & inteſtina ruentem* apparantibus, & vacuantibus, *ſi aquoſa aut bilioſa: ſi autem corrupta & maligna turgeat, ſine apparatu vacuantibus: ſi benigna eſt, in contrarium avertentibus, (quibus etiam utendum eſt, ubi ventrem nimium fatigat aquoſa aut bilioſa) ut balneo ad cutim trahente, ligaturis dolorificis, frictionibus. Venter etiam inferior per ſumpta & admota aſtringentia, & refrigerantia, ſi calida eſt materia, roborandus, & viæ claudendæ, ne tam prompte fluxionem recipiant: præſertim ubi pro copia ratione jam præceſſit vacuatio.*

4. Correctione ſymptomatum.

4. Symptomata *in hoc affectu ſæviſſima* corrigentibus: *ut* ſitim *aqua hordei, julepo roſato, ſucco, & ſyrupo granatorum: ut* ſpaſmum *ex inanitione, litu, vel fotu, vel balneo, ex oleo violato, ſi cauſa eſt calida: liliaceo, ſi frigida: & cæteris in ſpaſmo dictis: ut* vomitum *immoderatum ſiſtentibus, cucurbitula ad fundum ventriculi affixa, vel cataplaſmate ex pane, vino rub. aſtringente, & pulvere maſtiches, cinnamomi, abſinthii, menthæ, caryophyllorum: vel ſi cauſa eſt calida, aceto aut vino granatorum, pulvere malicorii, balauſtii, & ſimilium frigidiorum aſtringentium.*

Gal. 5. de loc. aff. c. 6.

Ἡ περιωδυνία. Ejus cauſa.

Ventriculum porro DOLOR exercet plerunque immanis. cujus cauſa aut flatus eſt in illius capacitate coarctatus, nimiopere diſtendens, haud ſecus atque in colico dolore: aut humor, cibuſve acer & mordax tunicis impactus, aut tumor præter naturam, aut ulcus. Intemperies vero ſola dolorem vix infligit. Indoleſcit & nonnunquam ventriculus incubantium viſcerum tumore, aut humorum decumbentium copia: atque hic etiam dolor contactu preſſuque exacuitur.

Signa.

Cauſæ his *notis* internoſcendæ, quas in aliis jam ſæpe recenſui.

Prognoſticum.

FORESTUS. *In hoc tormento extrema ſi frigeſiant, ut Hippocr. ſcribit, malum augurium faciunt, ſi perſeverant inſtanter: ſi vero inſuperabiles puſtulæ ortæ fuerint nigræ, ac protinus exulcerentur, lethales ſunt: lethalis eſt & gravior ſomnus: ſique præterea dexter pes veſicam extulerit, exitialis habetur: magiſque ſi æger dulcia adamaverit. Uterum geſtan-*

gestantibus peculiare malum est. Dolor quoque qui ex humore fuerit inter tunicas cohibito, ægrius curatur. Dolor stomachi à causa externa vel primitiva, minus malus; cum facile removeri possit: excepto illo qui à medicamento venenoso, aut corrodēte, vel veneno fiat, vel gladii percussione: tales difficulter tollūtur. uti etiam illi magis mali qui ex causa corporea oriuntur: minusque malus ex una causa, quam ex multis simul complicatis, etiam si ex mordicatione febris ephemera, vel alia subsequatur perdurans aut continua. At dolores stomachi ex apostemate, vel ulcere vix vel nunquam curantur, nisi nacti fuerint diligentem & expertum medicum. Omnis dolor rodens, acutus, aut diu perseverans, deducit ad syncopem, imo ad mortem, teste Galeno 5. De loc. aff. cap. 6. cum ex eo narrat subsecutum spasmum aut epilepsiam.

Cura doloris, à materia.

SYLVIUS. Dolor ventriculi magna cura, præcipuoque studio placandus, quod is actionem habet chylosin, seu alimenti in chylum mutationem toti corpori communem, seu quo chylo in sanguinem mutato partes corporis omnes nutriuntur. Si intemperies sit cum materia, curatur quinque remediorum generibus.

1. Diæta.

1. Victus ratione contraria ipsi materiæ: ut calida, aromatis, &c. in frigida, ut vino granatorum, &c. in calida: ut paulo ante fusius diximus.

2. Sedatione doloris.

2. Sedantibus dolorem statim utendis, quod ventriculus sensu est tactus exacto præditus: præsertim ore suo, qualia sunt quæ causam ipsam, hoc est, materiam dolorificam ventriculo expellunt vomitu, aut dejectione: si vero altius in ventriculi tunicas sit recepta materia, ante apparanda est, incidentibus, tenuantibus, tergentibus, quam vacuari possit: ac interea ut sedetur dolor, adhibe anodyna, quæ temperate calida sunt, & fere humida, partimque relaxant, materiæ aliquid digerunt, tensionem minuunt: ut fotus cum impleta vesica, vel cum spongia imbuta decocto chamæmeli, meliloti, sem. lini, fœniculi: vel linimentum, ex oleo lini, chamæmeli, anethi: vel unguentum, ceratum, emplastrum, simili materia constans: ut farina sem. lini, fœniculi, radice althææ. Cyathi etiam duo, aut tres, seu unciæ tres, vel quatuor & dimidia decocti chamæmeli poti mire juvant. Quæ si vincantur, & vires dolor prosternit, stupefacientibus sumptis, ut opiatis zazanea Mesuæ ad drachmas duas, vel athanasia Nicolai à drachma una ad sesquidr. vel Philonio Romano, Avic. valentissimo, à semidrach. ad drachmam unam. Illa enim somnum conciliant, per quem vires instaurantur, nec dolor sentitur. virtute autem forti adhuc

Lib 7. Method Lib. 5. simpl. c. 18.

A dentur, imbecillæ, ne dentur: quia reliquum calorem extinguerent.

3. Materiæ præparatione.

3. Materiam parantibus. Calidam quidem refrigerantibus, & si affluit in ventriculum bilis, etiam astringentibus: ut, syrup. ex succo oxalidis, acerato, rosato, granatorum, cichorii, intybi, violato; cum aquis oxalidis, rosarum, plantaginis, solani, cichorii, intybi. Frigidam vero & pituitosam (qualis plurima esse consuevit) melle rosato, oxymel. simpli. vel (si valentiore opus est) composito, & scillite cum aqua betonicæ, salviæ, majoranæ: syrup. autem & aqua absinthii pontici, pituitam affigit tenacius ventriculo: bilem vero indidem deturbat: absinthium vulgare, utrumque humorem potenter deturbat: sed malum est stomacho, quia minimum astringit, uti & seriphium. Melancholicam denique syrup. thymi, epithymi, fumariæ; cum aquis fumariæ, scolopendrii, dati ad dies octo. Si à sanguinis copia dolet ventriculus, vena basilica dextra secta sanguis mittatur, quantum indicationes suadent.

B

4. Materiæ vacuatione.

4. Materiam vacuantibus, sed clementibus: & quorum vis hepar non transcendat: ut hiera picra bilem & pituitam à ventriculo, & venis mesaraicis, ac sima hepatis, tantum purgante: non autem scammoniatis, & aliis trahentibus etiam à remotis partibus: ut turbith, agarico. Hieræ loco, præsertim ubi ventriculi intemperatura est calidior, cassia, manna, cum pauco rhabarbaro, myrobalani citreæ usurpantur. Vomitus quoque ex aqua tepida, bilem flavam sursum ad os ventriculi repentem vacuat. Quibus si malum non vincitur, etiam diaphœnico utendum, cujus vis attractrix hepar quoque non superat, licet scammonium & turbith recipiat, sed quorum vis lentore, & astrictione dactylorum, amygdalorum, penidiorum, & aliorum cohibetur. Eadem ratione tutum est diacydonium scammoniatum, in quo vis calidorum carne cydonia obtunditur. Idem præstant pilulæ ex hiera simplici & composita. Aleph angina, mastichinæ Conciliatoris.

Gal. lib. 7. Meth. & l. 10. cap ph. & l. 6 sanit.

Aphor. 4. lib. 4.

C

6. Correctione.

Intemperiem abigentibus, calidam frigidis, & contra, tam sumptis, quam admotis, sæpe jam dictis capite superiori.

Cura doloris à flatu.

Si vero ventriculus dolet à flatibus, si-qua ipsos materia fovet, apparanda & vacuanda: deinde flatus dissolvendi; primum clementioribus: ut temperate calidis, ut chamæmelo, meliloto, deinde valentioribus, ut baccis lauri, alliis, ut Galenus libro 7. & 12. Method. aniso, cumino, galanga, cum vino aromatite, aut cretico dulci, seu malvatico, vel diacumino, diagalanga, dianiso, & valentiore his confectione è baccis lauri.

CAP.

Caput IV.

Iecoris morbi, causæ & signa.

Gal. 5. de loc. aff. c. 7. Aëtius lib. 10. c. 1. &c.

Affectus jecoris.

IECUR compluribus variisque patet AFFECTIBUS. * Hi autem sunt *intemperies* tum *simplex* tum *ex humorum vitio*, *substantiæ corruptela*, *obstructio*, *scirrhus*, *inflammatio*, *abscessus*, *ulcus*.

Δυσκρασία *Calida*,

Quum simplex INTEMPERIES *calidior* quacunque ex causa contracta est, cibi, maximeque carnis fastidium inest, ac nihilominus inedia plurimum incommodat: sitis quoque vehemens: corpus universum, maximeque manuum palmę, & plantę pedum calent, atque si siccitas comes est, arescunt, madent vero si ea simul humida sit. Ex intemperie *frigida* cibi cupiditas major: sitis nulla, præsertim si ea pariter humida sit.

Κακοχυμία *Ejus causa*,

Simplex vero nulla intemperies diu sola consistere potest, quin brevi post tempore HUMORIS VITIUM accersat. Quæcunque enim vis, sive alimenti, sive aëris, sive alterius cujuslibet causæ, jecoris, eadem multo facilius humorum temperiem immutat, eosque sui similes reddit. Imo etiam si ab ortu jecur intemperatum est, quum gignendorum humorum præcipua sit officina, quacunque id constitutione fuerit, eadem quoque humores afficiet: ac impense calidum, calidos biliososque multiplicabit: frigidum vero frigidos atque pituitosos. Itaque *calidior* intemperies tum eos humores, qui per mesenterii venas feruntur, tum quos jecur in se continet & in omne corpus distribuit, extorret. *Frigidior* vero crassos, lentos, crudos, pituitososque reddit: *siccior* densos, siccos atque terrenos: *humidior* tenues, & aquosos. Sic humorum vitio & exuperantia sæpe scatet, & premitur.

Signa.

Signa vero *calidioris* humoris exuperantis sunt, bilis, aut vomitione, aut dejectione prorumpens, primum quidem tenuis ac pallida, deinde crassa vere flava, ac fœtida: A oris amaror, cibi fastidium, sitis vehemens, & plerumque febris, eaque aut intermittens tertiana, aut errabunda, aut certe lenta, qua omnino languescit corpus, paulatimque exarescit. *Frigidioris* tum jecoris, tum experantis in eo humoris signa sunt, nec frequens, nec multa, nec multum colorata, nec fœtida alvi dejectio: deinde cibi appetentia, nulla sitis, nulla denique corporis extenuatio.

Οὐσίας διαφθορά.

SUBSTANTIÆ CORRUPTELA non minus jecur, quam pulmo contaminari solet, qua laborans sensim languore contabescit.

Ejus causa

Ea *fit* ex omni humore, frequentius autem ex biliosa sanie, per jecoris substantiam B effusa, quæ sensim lenteque putrescens, ipsam pariter jecoris substantiam labefactat atque corrumpit. Ejusmodi autem ab alimentorum vitio contrahitur, quæ aut corrupta sunt, aut septica vi pollent. Vinum quoque generosum & meracius, longo ac liberaliore usu in idem vitium præcipitat, non solum quod viscus hoc calefaciat & deficcet (ita enim in scirrhum duntaxat deducit) sed quod putridum quendam lentorem, saniemque exaggeret.

Signa.

Sic affectis, quoniam malum sensim ac C pedetentim serpit, virium robur diu infractum persistit, ut etiam obire illi possint consueta munia: febris initio nulla, atque etiam procedente malo admodum lenta inest: sitis quoque non acrius urget, quod jam caloris ardor deferbuerit, & nullus fere in hypochondrio tumor subsit. Hinc tamen vitium *deprehenditur*, quod vini optimi ejusque meracioris summum inest desiderium, perinde atque iis qui pulmonum corruptela contabescunt. Sic sæpe illecebris blanditur hostis insensissimus, & sui amantissimis clam jugulum petit. Eduliorum maxi-

De Epatis affectibus.

	S.	A.		S.	A.
* *Inflammatum facit singultum.*	5.	58.	*dolor solvitur à febre.*	7.	52.
estque malum.	7.	17.	*pus quid notet?*	7.	45.
durum in ictero, malum.	6.	42.	*quando lethale?*	7.	45.
item.	4.	64.	*vulnus, lethale.*	6.	18.
suppuratum aduritur.	7.	45.	*aqua erumpens in omentum lethal.*	7.	53.

maximeque carnis ingens fastidium, ut etiam ejus calentis vapor odorque gravis fit, cieatque nauseam. Halitus ex putrida illuvie teter admodum & fœtidus expiratur, multoque magis quam in tabe frequens animi languor & defectio, principio quidem levis, deinde sudore frigido erumpente gravior & periculosior: quibus tandem crebro, violenterque pressus æger succumbit.

Gal. 5. de loc. aff. 7. Ἡπατῶν ἀτονία. Ejus causa.

Hos jecoris affectus proxime consequitur IMBECILLITAS, qua qui tenentur proprie hepatici dici solent. Ut enim uniuscujusque partis integritas & temperies tum ipsius, tum facultatis robur tuetur, ita intemperies & substantiæ corruptela ipsis invehunt imbecillitatem.

Signa.

Itaque si jecoris attrahendi facultas infirma sit, liquida defluunt ab alvo cremoris specie, etiamsi nulla ventriculi offensa nullaque mesenterii sit obstructio. Si retinendi vis languet, alvus interdum (sed admodum raro) liquida & saniosa reddit, carnis loturæ recens mactatæ similia. Sæpius etiam quum hæc imbecillitas increvit, sanguis sponte profluit è venis, idque vel per nares, vel per uterum, vel per hæmorrhoidas, vel per sputa. Sed & interdum sanguinem animadverti ab extremis venis quæ in cutem desinunt multis è locis effundi, qui nullo ardore livescebant. Si vis sanguifica imbecilla est, cruditates fiunt, quibus primum pedes, deinde & cæteræ partes intumescunt: ut iis qui à morbo gravi convalescunt, nec non hydropicis, scirrhosis, ictericis aliisque hepaticis. Etenim venæ jecori male affecto, utpote suæ origini, condolescunt & consentiunt, ut & nervi cerebro.

Cura imbecillitatis hepatis.

SYLVIUS. Hepatis, *ut aliarum partium* imbecillitas, *à quavis intemperie insigni fit, per contrariaque* corrigitur, *additis clementer aperientibus: quod fere simul adest obstructio, à congestis in eo per imbecillam sanguificationem excrementis: additis etiam modice astringẽtibus, quæ partis principis robur, præsertim à calore solutum, aut solvendum tueantur. Sint præterea tenuium partium, tergeant, leniant, ut dicta excrementa vacuent. Quas vires habent terebinthina, cinnamomum, uvæ passæ, pistacia, schœnanthũ, spica nardi, absinthium ponticum: quamvis enim caleant, sunt tamen ob id salubria, quod fere hæc imbecillitas ab intemperie frigida fit, vel primo, vel succedente calori immodico, & ob id hepatis sanguinem, & spiritum, & calorem nativum dissipant: si tamen calor adhuc subest, vitentur calida, & uvæ passæ hepati tota substantia familiares acidæ (quales nobis clibano coctæ) sumantur, loco dulcium: ut quæ etiam dysenteriam hepaticam sanent. Tam intybus quoq; & hepar lupi, quam caro limacum, hepatis intemperiei tum calidæ tum frigidæ, salubris est tota sua substantia, ablato limacum lentore multis lotionibus & frictionibus in lixivio calido, vel aqua calida, sali aut arenis mista: frigida enim durescunt. Aqua etiam ex limacibus destillata mane ad uncias sex sumpta, hepar imbecillum mire roborat, & phthisicis gracilibusque est remedio. absinthium ponticum idem promittit, ut etiam solo ipsius usu hydrops sanetur: cujus species omnes drachmis duabus diacurcumæ, mane cum liquore aliquo, ut aqua absinthii, sumptis, sanari scribit Avicen. Aqua hordei intemperiem hepatis calidam post febres biliosas relictam persanat. Dialaccæ etiam cochlear unum, hepar roborat.* Διὰ οἴνου, *Galen. libro* 8. *c. ph. p. cap.* 14. *dysenteriam hepaticam sanat, Avicennæ & aliis multis probatus pastillus. Rhabarbarum hepatis vita, & aliorum medicamentorum frænum, bis in hebdomada sumptum ad drachmam unam dysenteriam hepaticam secreto quorundam invento persanat. Idem possunt trochisci de rhabarbaro, bis quaque in hebdomada sumpti à drachma una ad drachmas duas: & trochisci de rosis, vel de eupatorio cum syrup. absinthii, eupatorii, vel aquis similibus: sæpe enim mutanda sunt medicamenta in affectu hoc longiore, ne natura parti uni assueta, ejus vires contemnat. Quod si aliquid horum sit paulo calidius, temperabis aqua cichorii, intybi, & aliarum seridis specierum: spodium quoque & diarrhodum abbatis, & commune, & E. trium santalorum Nicolai. Quod si facultas hepatis coctrix est imbecilla, salubria sunt calida humida: si retentrix, sicca. quia tamen una partis alicujus facultate naturali imbecilla, reliquæ debiles esse consueverunt, ob id medicamentum compositum omnes istas facultates naturales roboret oportet: ut electuarium trium santalorum, syrup. de eupatorio vero, vel de absinthio pontico seu Romano, adjectis simplicibus medicamentis quæ facultates quæsitas sortita sint, qualia & abunde sunt dicta, & dicentur postea.*

OBSTRUCTIO jecori admodum familiaris est, nullumque viscus hoc æque vitio tentatur, quod vena è portis per jecoris substantiam in ramos tenuissimos dissipata obliteretur: hucque alii non minus tenues è cava vena conveniant, per quos omne debet alimentum traduci & exportari. Gal. 5. de loc. aff. 7. Ἡπατῶν ἐμφράξις. Ejus causa.

Signa. Hæc apertas prę ſe fert *notas*. nam gravitas & diſtentio cum obtuſo dolore, dextro inſidet hypochondrio, tum præcipue manifeſta, quum quis mox à cibo exercitationem ſubit. Ea tamen ſine tumore, ſine febre eſt. Obſtructionis cauſæ ſunt, humor craſſus aut lentus, aut multus. Talis interdum è cerebro procumbit in ventriculum, qui deinde præterfluens, ſenſim in tenues jecoris venas cum alimento penetrat, eaſque obſtruit. Fere tamen ex alimentis craſſis, viſcoſis, multiſque fit obſtructio, quum aut balneis aut motu vehementiore mox à cibo in tenues venas, vel rapiuntur, vel impelluntur: nonnunquam & bilis flava in jecore præter naturam diutius coërcita, B nec tempeſtive expurgata mire craſſeſcit, graveſque & admodum periculoſas jecoris obſtructiones inducit, ut quæ (ceu mox oſtendemus) interdum etiam in cyſti lapideſcat.

Cura obſtructionis hepatis, à craſſa materia. SYLVIUS. Hepatis obſtructio *à materia multa, craſſa, lenta,* curatur remediorum generibus quatuor.

1. Diæta. 1. Victus ratione *tenui & tenuante, præſertim ubi multus & crudus eſt ſuccus: poſt coctionem vero vino albo tenui, capparibus, radicibus petroſelini, cichorii, apii, fœniculi. vitentur autem vina craſſa & dulcia omnia, & acerba & cruda, & cætera craſſum & lentum ſuccum gignentia: ſomnus item diurnus, præſertim mox à cibo, & diuturnus.* †

C

2. Materiæ præparatione. 2. *Poſt purgatum per craſſiam, aut hieram picram, aut pilulas Alephanginas, ventriculum;* incidentibus, *& tenuantibus, & tergentibus materiam: ut melle roſato, oxymelite, ſyrup. bizantiorum, radicum duarum aut quinque, eupatorii cum aquis fœniculi, caſſuthæ, eupatorii, aſparagi.*

3. Evacuatione. 3. Materiam *obſtruentem* vacuantibus: *ut venæ baſilicæ dextræ ſectione, omni magnæ obſtructioni hepatis, etiam initio ſtatim competenti: præcipue ſi à ſanguine eſt, aut etiam pituita cum ſanguine miſta, aut etiam ſola. Cum enim materias exagitet, locoque moveri cogat ſanguinis miſſio, obſtructioni hepatis, etiam à pituita, confert: & poſt hanc diaphœnicon, E. indum, ad drachmas quatuor, cum decocto radicum aſparagi, fœniculi, ruſci, petroſelini, apii, & ſimilium; vel agarici trochiſcati drachmæ duæ, aquis fœniculi, aſparagi, & ſimilium, cum pauco ſalis gemmæ, ut actio ejus ſit vegetior, infuſæ horis decem: vel rhabarbari drachmæ duæ aut tres, iiſdem aquis cum pauco vino albo odoro infuſa, addita, ſi opus eſt, drachma una diaphœnici, vel agarici trochiſcati: pilulæ etiam de rhabarbaro, cum pauco diarrhodo, ad calorem remittendum.*

4. Viarum apertione. 4. Vias *jam purgatas* aperientibus, *frigidis quidem, ſed tenuantibus in materia* calida, *ut bile craſſa, qualia ſunt intybus hortenſis, & agreſtis, cichorium, & omne ſeridis, ſonchi, hieracii, chondrillæ, genus: ſyrup. cichorii à Nicolao ſcriptus, cum rhabarbaro, aqua foliorum & radicum plantaginis, decoctum quinque ſeminum communium frigidorum, rhabarbarum. Si frigida autem eſt materia, calidis ſyrupis, & aquis ante dictis in ſecundo remediorum genere, aperiendum. Si* utraque miſceatur, *temperatis: ut lupo ſalictario, uvis paſſis, glycyrrhiza, adianto albo, trochiſcis roſarum, vel eupatorii: vel calidis & frigidis prædictis, certa menſura miſtis: ut dialacca, diacurcuma, praſſii decoctum, trochiſci rhabarbari, cum aqua cichorii, intybi, diarrhodon.*

Cura obſtructionis ab anguſtia vaſorum. *Si ob* vaſorum *hepatis, & in his extremis, oſculorum* anguſtiam, *obſtructio fit, hac percurata, vitentur craſſa, lenta, multa alimenta, motus, balneum, ſtudium, ſomnus mox à cibo.*

Ab hepatis imbecillitate. *Si ab* hepatis imbecillitate, *illi proſpiciatur uti ante ſcripſimus.*

SCIRRHUS tumor eſt præter naturam durus, ac renitens, doloris expers, niſi forte quum pars affecta durius premitur.

Gal. 5. de loc. aff. 7. Aëtius l. 10. cap. 3. &c. Tactus hunc *deprehendit*, præſertim, ſi gracile & adipis expers eſt abdomen: idque facilius erecto vel in dextrum latus inclinato ægro, quam decumbente ſupino, tum quippe non niſi preſſu animadverti poteſt. Hic jecoris ſitu & figura circumſcribitur: ægro præterea facilis eſt decubitus dexter, ſiniſter vero gravis, quod moles quædam velut ſuffocans in ventriculum & præcordia incumbat. σκίῤῥος.

Ejus ſigna.

Cauſa. Ex contumaci & inveterata obſtructione fere ſemper, raro vel potius nunquam ex inflammatione *originem trahit*, quod in viſcere natura calido & humido omnis inflammatio in pernicioſum abſceſſum deſinat. Humor igitur obſtructionis author; primum quidem tenues jecoris venas implet & infarcit, auctus deinde hinc etiam

in

† Ad cachomyam leniens & deobſtruens ſæpe ſumendum] ℞ *ſpec. hieræ picræ* ℥ß ℈ij. *tartari vini albi pulveriſati* ℈j. *chalybis præparati* ℈j. *Sirupi roſati laxativi* ℥iß. *ſumat ante cibum horâ una cum dimidiâ, & ſorbeatur primâ menſâ panis cum cerevisia & ſaccharo vel juſculum.*

in omnem visceris substantiam redundat, & eam perinde atque venas obstruit: quod si rursum multo plenior cumuletur; jecur in amplam molem distendit, tumque viscus turgidum ac tumens apparet. Tempore humor siccescit, & vi caloris tenui parte dissipata, reliquus totus obdurescit: cujus permistione jecoris substantia labefactatur, verusque tandem scirrhus emergit. Hic à simplici tumore distat, quod non nisi longo dierum numero, simplex vero brevi etiam procreetur.

Differentia. Ut autem peccans & efficiens humor, modo pituitosus, modo biliosus est: ita & *scirrhi* prodeunt *varii*, quos accurate discernere expedit: quandoquidem & vehementia & impendente periculo plurimum dissident. Illum causæ antecesserunt quæ crassum pituitosumque succum coacervant, hunc vero quæ biliosum: in illo dominantis pituitæ refrigeratique jecoris, in hoc bilis exuperantis concalefactique jecoris signa elucent: hic fere ictero succedit & lentam febrem comitem habet, ille nequaquam: hic unus in eum hydropem præcipitat qui ascites appellatur, ille citra ullum incommodi genus diu persistit, aut duntaxat cachexiam, leucophlegmatiamve, infert.

Ὄγκος ἥπατος ἄνευ σκίῤῥου. Magnus etiam plerunque TUMOR JECUR sine scirrho distendit;

Ejus signa. Qui iisdem se profert *notis* atque scirrhus, nisi quod minus renititur, & breviori tempore genitus est. Hic fere in jecoris ambientes membranas effunditur, hasque prorsus obsidet. Contactu observandus: etenim plerunque tantus apparet, ut universum hypochondrium repleat, neque costarum extrema percipi, neque sub hæc digiti infigi possint, neque jecoris ulla figura sit, aut circumscriptio.

Causa. *Oritur* interdum à flatu aut à tenui cruditate, quam vel immoderata frigidæ potio, vel intempestivus fructuum esus, vel crapula, satietasque nimia peperit: & hic quidem non gravitatis, sed tensionis sensum infert, & breviori tempore contrahitur. Interdum vero ab humore crasso & lento, alias pituitoso, quem validum jecur à se excutiens in proprias ambientes membranas deposuit. Hic magis renititur, & sua mole premit, atque etiam multo tempore congeritur, nec nisi multo discuti potest.

Tumor abdominis. Est præterea & IN HYPOCHONDRIO TUMOR alius, musculis abdominis insertus. Hic admodum rarus est & insolens, qui non pressu, sed leni blandoque tactu ac sæpe visu percipi debet: foras enim prominet. Figuram quoque oblongam habet, qualis est recti in abdomine musculi.

Ἡπατῖτις. HEPATITIS, *est jecoris inflammatio, qua sanguis illius parte quadam præter naturam collectus incenditur.*

Ejus causa. *Fit* autem, dum sanguis ipse, vel exuperantia vel tenuitate, vel fervore & acrimonia, vel externarum causarum impulsu è venis immoderatius prorumpens, in visceris corpus copiosior succedit. Tum extra propria vasa putrescit, & inflammatur, simulque imbutam carnosam partis substantiam labefactat atque corrumpit: hinc plerunque sinus excavatur. Primum igitur sanguis vertitur in putridam saniem, ac tum inflammatio est: sanies deinde caloris nativi beneficio in pus abit; ea ipsa puris collectio abscessus dicitur. Erumpente demum pure, ulcus manet cavum ac sordidum. Hac mutationis serie multa vitia ex uno eodemque fonte dimanant, quæ ut variis sunt nominibus insignita, ita & varias curandi leges habent. Singula vero propriis signis ita indicantur. *Ἥπατος ἀπόστημα.*

Inflammati jecoris signa. *Inflammationis notæ* sunt gravitas, dextra præcordiorum parte, dolor (quum maxime ea sedes attingitur) à jugulo ad costas nothas protensus, ob conclusam materiæ congeriem quæ succingentem thoracis membranam convellit. Hac ratione & spiritus difficultas, & tussis exigua eaque sicca inest, qua nihil excreatur. His igitur notis atque doloris situ distat à pleuritide. Febris ex inflammatione fit ardens & acuta, sitis inexhausta, linguæ scabrities & huic lentor inhærescens, primum quidem flavus, deinde nigricans: nausea & cibi fastidium: interdum singultus prope strangulans: sæpe corporis color ictero fœdatus: urinæ crassæ, rubicundæ ac turbidæ. Syncere bilis modo vitellinæ, modo æruginosæ vomitio & plerunq; per alvum dejectio, quæ interdum vel diarhœam vel dysenteriã infligit. Si inflammatio erysipelatodes fuerit, febris, ardor, vomitio, reliquaq; signa graviora evadent, ac tandem in marcorem deducent.

Partis cava.

Hæ quidem omnis inflammarionis communes notæ ſunt: particulatim vero, ſi inflammatio *in cava jecoris* magis devergat, cibi faſtidium, nauſea, ſitis, bilioſa vomitio, aut dejectio acrius urgent, & præterea gravis & admodum laborioſus eſt decubitus ſiniſter, nec prompte inflammati jecoris tumor contactui obvius eſt.

Gibba.

Si vero inflammatio *gibbam* magis regionem obſideat, ſpirandi difficultas, tuſſis, & gravis dolor jugulum retrahens magis infeſtant, & præterea difficilior eſt decubitus dexter, ut quo pars affecta premitur: contractu preſſuque dolor exacuitur, promteque tumor percipitur, qui & interdum prominens eſt & oculis conſpicuus.

Galen. 7. aph. 55. *Levis inflammationis.*

Omnes hæ quidem manifeſtæ & vehementes notæ apparent, quum ingens eſt inflammatio. Quum vero *exigua*, obſcurę & exiles: ſępe enim jecur animadvertimus tuberculis & abſceſſibus inſtar furunculorum obſideri, nullo hypochondrii dolore, nullo tumore, nullo decubitu difficili: febris ſolum inerat non admodum ardens, cum ſiti, cum cibi faſtidio, cumque alvi bilioſo profluvio in mẽſes interdum multos perſeverante: ut idcirco difficile id mali quẽadmodum & ſubãſtiæ corruptela ab intemperie calida aut ab obſtructione internoſceretur.

Inflammationis abdominis.

Quum autem *muſculus abdominis* rectus jecori prætenſus ſolus inflammatur, ſuperiorum notarum nulla quidem (niſi forte febris) adeſt, lancinans dolor magis affligit, tumor oblongus foras prominet, viſu tactuque conſpicuus: cutis enim circumtenſa rubeſcit atque calet.

Ingentis, abſceſſus. 2. Aph. 47.

Abſceſſus quum jam fit & putrida ſanies in pus convertitur, dolores & febres, inquit *Hippocrates*, & cætera ſymptomata invaleſcunt: rigores ſæpe nullo ordine nullaque ratione invadunt, quos ſequitur caloris exacerbatio. Confecto jam pure omnia quidem remittuntur, ipſeque ardor deferveſcit, vires tamen relinquuntur multo imbecilliores, pulſuſque frequens, parvus ac languidus, crebraque animi defectio. Quum rupto abſceſſu puris illuvies prorumpit, ejus tetro vapore cor obruitur, qui ſæpe gravi orta animi defectione ægrum de medio tollit: ex hoc enim vix quiſquam ſervari poteſt.

Exigui.

At quum *exiguus eſt abſceſſus*, ſi vires ſatis conſtent, pus nonnunquam vomitione prorumpit, aut per alvum aut per urinas profunditur. Sed & interdum fiſſa vel exeſa jecoris ſubſtantia, id excidit in abdominis capacitatem, quo & hydropicorum aqua confluit.

Vlceris.

Vlcus ex abſceſſu contractum, quoniam alimento continenter alluitur, perpetuo colluvie multa ſordeſcit, neque unquam poteſt ſaneſcere. Iecoris enim ſolida ſubſtantia ſpermatica quum ſit, non magis quam pulmonis reparari poteſt. Tum igitur vitioſa eſt ſanguinis confectio, corpus non alitur, ſed vere tabeſcit: putrida, ſanioſa, & interdum cruenta eſt alvi dejectio, ac ſæpe quaſi ex cadavere facta colliquatio. Urina quoque ſanie perfuſa, aut ſi ea in abdominis ſpatium penetret, hydrops omnium graviſſimus exoritur, qui & inguinum pubiſque gravitate, & manifeſto tumore ſe prodit, ſiquidem vires tamdiu perſiſtant, quod certe vix unquam ulla obſervatio notavit.

Prognoſticum.

PLATERUS. *Inflammationes & eryſipelates hepatis periculoſa ſunt, ſæpeque lethalia, & ſi in abſceſſum deſinant, ulcuſque poſt ſe relinquant, vel ſi male curentur, & durities ſcirrhuſque ſequantur, hydropem inducentia, incurabiles poſt ſe relinquunt affectus.*

Cura.

In curatione *tamen harum omnium inflammationum, methodus eadem quæ in aliis ſervatur: ut nimirum dum fiunt, ſanguinem ad locum fluentem avertamus, à parte repellamus, derivemus, ardorem caloremque reſtinguamus, quod reſiduum, diſcutiamus, aut ſi fieri nequit, maturemus.*

SYLVIUS. *Cavendumque ne intempeſtive & immodice refrigerando, aut reſolvendo, aut copia humorũ largiore, in ſcirrhum abeat hæc phlegmone: id quod* ſeptem auxiliorum generibus *providerimus.*

1. Victus ratione *tenui & refrigerante, & ita ſanguinem ad fluendum ineptiorem reddente: ut aëre frigido, natura, vel noſtra induſtria, cremore hordei, vel juſculis cum pane loto: fuga vini, carnium, ovorum, & cæterorum ſanguinem augentium, & calefacientium.* — 1. Diæta.

2. Materiam *ad hepar fluere paratam, & malum aucturam* revellentibus, *ut ſecta interna vel communi vena dextra, miſſo ſanguine quantum vires fere poſſunt, ac morbi cauſa & magnitudo poſtulat: ut ligaturis, frictionibus, cucurbitulis in artus ipſos impactis.* — 2. Revulſione.

3. *Frigidis ſtypticis* repellentibus *materiam ad hepar fluentem, & fluxuram prohibentibus aſtrictis* — 3. Repulſione.

hepa-

hepatis poris, & meatibus angustis: sed mitioribus utendum, ne viis hepatis contractis obstructionem in eo excites, & ne immoderatius refrigerando ex phlegmone scirrhum efficias, morbum, aut insanabilem, aut sanatu difficilem: ne item saniem ex phlegmone hepatis, ut pleuræ & aliarum partium internarum, resudantem vacuari probibeas, & in hepar regeras: sed modice tergeas: ne denique bilem flavam ita compingas, & folliculi fellis stomachorum orificia sic contrahas, ut bilis in folliculum recipi nequeat. Sint igitur clementer frigida & styptica: hisque misceantur quæ modice aperiunt & tergent: sive sumantur, ut syrup. rosatus ex hepatica, ex eupatorio vero, ex succo oxalidis, cydoniorum, cum solani, intybi, oxalidis, foliorum & radicum plantaginis, quæ refrigerat, siccat, astringit sanguinis profluvia, & si quid aduratur, refrigerat, addita aqua cichorii, adianti albi, quæ etiam aperit & terget: sive admoveantur: ut litus, ex oleo rosato, & cydoniorum: ut fotus ex aqua rosarum, plantaginis, solani cum linteo: ut sacculi ex tribus santalis, malicorio, balaustiis, rosis, additis caphuræ granis quatuor, aut sex, si valentiori remedio est opus. (Gal. lib. 6. simpl.)

Si autem sanguis *est* pituitosus, *sumendum est mel rosatum, cum syrup rosato & aqua absinthii: admovendaque cum dictis frigidis calida: ut absinthium, schœnanthum, mastiche: sive fotus est faciendus, his coctis aut destillatis: sive sacculi ex his parum tritis, sive litus ex oleo absinthii, mastichino.*

4. Coctione. 4. Materiam coquentibus *mistam, additis tamen semper astringentibus ad partis principis robur servandum: ut syrup. rosato, ex succo oxalidis, de ribes. Si* pituita *adest, mel detur rosatum, oxymeli simplex, syrup. de duab. & quinque radicibus: præsertim si phlegmone erit in gibba hepatis, & cocta jam sit, & corpus reliquum purum: si* melancholia, *syrup. fumariæ, & de pomis simplex.*

5. Evacuatione. 5. Materiam *illam* vacuantibus *clementer: per dejectionem, si phlegmone simam hepatis partem obsidet, vel si gibbam, moventibus urinam, si pauca est utrobique materia: si enim multa, etiam per intestina est suspecta purgatio Galeno. Cassia igitur, manna, & rhabarbari infusum, bilem (si abundat) vacuando sunt salubria, quia non trahunt à longinquo. nec materias exagitando ad fluendum incitant.* (Lib. 5. meth.)

6. Reliquiarum dissipatione. 6. Reliquias materiæ digerentibus, *mistis tamen stypticis: ut absinthio pontico, rosis, mastiche, schœnantho, spica nardi, (Pars enim hac opus habet toti corpori commune, & ad vitam necessarium) cum chamæmelo, meliloto, anetho, althæa. sive decoctum ad fovendum hypochondrium dextrum facere libet, sive ex his tritis sacculum, sive linimentum, vel unguentum ex oleo lini, chamæmeli, anethini, absinthii.*

7. Correctione intemperiei. 7. Intemperiem *à materia relictam fere calidam à sanguine & bile* corrigentibus *frigidis: ubi scilicet phlegmone resolventibus est persanata.*

Suppuratione. *Si enim* suppuratio, *(quod dolores & febres tunc intensiores declarant) coctio hæc nobis juvanda cataplasmate, ex decocto ficuum siccarum, uvarum passarum, althea, malva, se. lini & fœnigræci, cum butyro, oleo amygdal. dulcium, adipe gallinæ, anseris.* (Aph 47. 2.)

Ruptione abscessus. Abscessum *deinde* rumpes *motu violento, qualis in saltu, vomitu, tussi, sternutamento fit: postea tergebis per uretica, ut decoctum cicerum rubrorum, vel hordei cum mulsa, vel aqua saccharata, si ulcus est in gibba: per cassiam vero, mannam, serum lactis caprini & alia alvi dejicientia, si est in sima.*

Ulceris glutinatione. *Postremo* ulcus *est* glutinandum *cum bolo armena, sigillo lemnio.*

Schirri correctione. *Si autem* hepar obduruit, *molliatur emplastro meliloti Mesuæ, vel malva, althæa, farina lini fœnigræci, butyro, cerato œsypato Philagri apud Mesuem: adhæc œsypus ipse cum oleo amygdalarum dulcium, vel butyro, mire scirrhos emollit: qui si sint exquisiti, & absoluti, sunt insanabiles in hepate, & cæteris partibus.* (Gal. lib. 2. Art. cur. ad Glauconem.)

CAPUT V.

Qui morbi in cysti fellis.

Χολοδόχου κύστεως παθῶν. Obstructio. CYstim fellis occupant *obstructio, calculus, repletio & inanitio.*

OBSTRUCTIO aut ejus est ductus quo bilis è jecore prolicitur, aut ejus quo è cysti in intestina eructatur. In utraque alvus durior pigriorque est, feces albicant, urinæ flavæ crassæque adeo sunt, ut sæpe nigrescant, bilis cum sanguine in summum corpus effussa ictero cutem deturpat. In priore tamen cystis prorsus exhausta est: in posteriore illa bilis copia distenditur, variisque exuperantiæ symptomatis premitur.

Calculus. CALCULUS in cysti fellis plerumque concrescit, niger, sed tamen levis & qui aquæ immersus innatat, neque ut qui è renibus aut vesica vellitur subsidet in imo.

Ejus causa. *Origo* illi est è flava bile, quæ proprio conceptaculo diutius coërcita, nec tempestive vacuata, nec novæ influxu renovata, mirum in modum obdurescit. Id autem in primis accidit quum uterque cystis ductus obstruitur.

Signa. Hujus quidem neque manifestæ sunt *notæ* neque gravia symptomata quibus certo facile detegi possit. At suspectus iis esse debet, quibus gravis & diuturnus fuit ictérus. Decrepitus quidam senex in iram mire propensus post decessum sine felle ac sine cysti inventus est, in cujus sede calculus ingens concreverat. Quinetiam post diuturnum icterum oborto alvi profluvio, hujus naturæ innumeros calculos instar pisi aut hordei in plerisque exturbari deprehendimus.

Repletio. BILIS porro propria cysti nonnunquam tantopere EXUPERAT, ut hanc in ingentem distendat magnitudinem.

Ejus signa. Ac tum sane infesta est gravitatis pondere, pressu, dolore, ac suffocatione, A ructu, ardore, siti, iracundia, & siquando forte computrescat, febribus intermittentibus. Hinc igitur gravissima mala prodeunt, nec certe leviora quum affatim ea prorumpit.

Inanitis. Ejus signa. Cystis enim quum prorsus EXINANITUR, omnemque bilem suam foras eructat, aut biliosas vomitiones, aut choleram morbum, aut diarrhœam, aut dysenteriam; aut toto corpore auriginem subitam, aut urinarum vim, primum tenuium, dein crassarum, & saturato croci colore, aut alia his finitima symptomata concitat. Non pauci è vivis erepti sunt, in quibus non alia interitus causa comparuit, quam quod folliculus bile omnino esset exhaustus.

CAPUT VI.

Lienis morbi, causæ & signa.

Gal. 6 de loc aff. 1. 9 med. sec. loc. Aëtius 10. lib c. 7. Lienis affectus. Tumor. Lienis graviores morbi sunt, * *tumor distendens, obstructio, scirrhus & inflammatio.* Lien substantia rarus atque laxus, occasione levi *distendi* potest: quumque sanguinis excipiendæ fæci destinatus sit, hanc omnemque impuritatem facile admittit: hac imbutus tumet multo quidem quam jecur frequentius, ac plerumque sine scirrho.

Ejus signa. Tumor tum sinistro hypochondrio *animadvertitur* laxus nec admodum renitens, qui interdum lienis situm figuramque retinet, interdum universum hypochondrium implet: sed & is interdum subter umbilicum prolabitur, noxia quidem materia è viscere in omentum quoquoversum effusa.

A materia fluxili. Hæc autem varia diversaque est. Crudus *aquosus* ac pituitosus *humor* eo nonnunquam confluit, iis potissimum qui in locis palustribus humidisque degunt, & qui frigidæ potu largiore humidisque vescuntur oleribus: iis etiam qui è frigidis, humidis, diuturnisque morbis emerserunt. Sæpe tamen melancholicus ac terrenus humor, qui sanguinis fæx est & limus, in lienem rapitur. Illic abundantior cumulatur, vel quia multus erat in sanguine, vel quia ejus naturalis vacuatio quæ è liene in ventriculum aut in alvum fieri solet, suppressa est. Cumulatus autem principio laxum tumorem ingenerat.

Ejus signa. Hujus *signa* sunt respiratio crebrior & difficilior, præsertim in cursu ac labore, aut etiam quum in dextrum latus decumbitur: amplificatio quippe visceris maxime quum ventriculus cibis turget, diaphragma premit. Appetentia fere persistit, sed ventriculi offenditur concoctio: ex qua crudus aquosusque chylus plerisque fluctuat, quo sæpe os madet, expuitioque B multa fertur. Flatus plurimum sursum deorsumque erumpit, aut hypochondrio sinistro, rugitu quodam & murmure obaudito, totus fere, aut in ventriculo, aut in ea coli intestini parte quæ visceri assidet, collectus: non enim audiendi sunt qui hunc in liene concludi temere profitentur. Humoris vapore cor lacessitur, corpusque universum ignavum & iners quasi dissolutum languet: & nonnunquam leviusculæ animi defectiones obrepunt. Adhæc capitis gravitas & inconsueta somnolentia eaque turbulenta

De Lienis affectibus.

	S. A.		S. A.
* *Fiunt autumno.*	3. 22.	*superveniens dysenteria, bonum.*	6. 48.
facti hydropici moriuntur.	6. 43.		

bulenta ac molesta. Desidia, timiditas, ne-A gligentia contemptusque rerum. Pallidus, sublividus aut omnino fœdus corporis, maximeque faciei color. Atque hæc quidem efficit, quum in liene copiosior fuerit simplex illa naturalisque melancholia: quæ tametsi sanguinis fæx est, fluxa tamen & liquida etiamnum manet, alioqui per tenues venas eo minime laberetur.

Prognosticum. DODONÆUS. *Diuturna est affectio, & morbus, qui multa curatione eget, qui nisi pharmacorum usu & bona victus ratione emendetur, lethalis evadet. Quibusdam vero & in Hydropem transit, maxime post sanguinis vomitiones.*

Cura à materia calida. SYLVIUS. *Tumor si est à materia calida, quidem, ut melancholia,* tribus remediorum generibus curatur.

1. Præparatione. 1. Materiam apparantibus, *syrup. fumariæ, epithymi, acetato, intybi, cum aqua intybi, oxalidis, fumariæ.*

2. Evacuatione. 2. Eandem vacuantibus, *ut pilulis aureis, aggregativis. folliculis sennæ, E. hamech.*

3. Resolutione. 3. Reliquias resolventibus, *& partem roborantibus, sumptis quidem: ut diarrhodo abb., E. trium santalorum, sacchar o rosato, & prædictis syrupis, & aquis. admotis vero oleo rosato, violato, vel aqua plantaginis, rosarum, violarum, cum ipsarum pulvere.*

Cura à materia frigida. 1. Præparatione. *Si autem* materia est pituitosa, *aut succus melancholicus*, apparanda *est sæpe dictis prius auxiliis, sed valentioribus, quam si in hepate esset similis affectus, quod lien à ventriculo per venas mesaraicas longius abest; ob id ipsius remediis acetum est miscendum: aut si causa est calida, syrup. acetatus: si frigida, oxymeli simplex, compositum, scilliticum, syrup. de radicibus duabus, quinque.*

2. Evacuatione. *Post* evacuanda *agarico, hiera picra Galeni, diaphœnico.*

3. Correctione intemperiei. Lib. Meth. 11. Intemperiem *vero splenis frigidam* tollent, *sumpta quidem theriaca, diamoschum dulce & amarum, E. aromaticum rosatum, E. ex baccis lauri: admota vero decoctum rutæ, anethi, pulegii, calaminthes, chamameli, fœ. anisi, cumini, ex spongia, aut vesicæ impositum: post id, oleum capparum, rutæ, anethi.*

Galen. & Aëtius loc. cit. Ἐμφραξις. Cum vero copiosior ea melancholia liquida tempestive expurgata minime fuerit B crassescet: ac tum OBSTRUCTIONEM venarum arteriarumque gignet.

Ejus signa. Sub hac hypochondrii sola gravitas aut interdum lienis dolor exercet. At quum multa non venas modo, sed & lienem universum implet atque distendit, dissipataque tenui illius portione crassior subsidat, lien totus obstruitur. †

Σκίρρος. Hic caloris vi ea materia magis magisque crassescit, sensimque in SCIRRHUM lien obdurescit. Id autem accidere solet, quoties tumori aut nulla, aut etiam vitiosa adhibetur curatio, per ea quæ ipso protinus initio vehementer digerunt ac dissipant.

Ejus signa. C Hic lienis scirrhus alias solam illius substantiam occupat, isque & situ visceris & figura circumscribitur: alias vero in partes quoque vicinas diffunditur, ut omnem plerumque ventris sinistram regionem impleat. Hic longiori tempore quam simplex laxusque tumor genitus est, prementi magis renititur, omniaque simplicis tumoris *symptomata* graviora & manifestiora exhibet. Purior quippe melancholicus est humor, è quo quicquid inerat tenue ac benignum tempore dissipatum est.

SYLVIUS. *Splenis* tumor durus, curatur tribus remediorum generibus.

1. *Post*

† J. HEURNIUS in Lienis obstructione pro secreto habet.] ℞. *Vinum ex succo Chalybis sumat mane ℥j. cum aq. tamarisci. ℥ijß.*

J. HEURNIUS.] ℞. *Syr. de ligno sassaphras meo modo compositi, si menses suppress. fuerint adde calaminthæ, pulgii, arthemisiæ.*

O. HEURNIUS certæ efficaciæ hoc deprehendit in Lienis obstructione & tumore multosque Spleneticos eo curavit.

℞. *Rad. asparagi sylv.*
althææ an. ℥ij.

Decoque in aceto Vini, colaturæ q. s. infunde limaturæ chalybis pp. ℔ß. Fiat *maceratio in calidis cineribus per biduum, dein fiat exiccatio & pulverisatio Chalybis subtilissima cui affunde vini albi Tenuiss. ℔iiij. aq. meliss. ℔ij. Sal. Theriacul. ʒß. cort. rad. cappar. Tamarisci, pulveris ceterach, serpill. an. ʒij. croci ℈j.* Fiat *singulis diebus frequens & valida conquassatio, & insolatio per aliquot dies in phiala vitrea. Dosis ʒij. vel ʒiij. bis de die exhibita alternis diebus conveniente purgatione*

1. Præparatione. † 1. *Post victus rationem, ex curatione melancholicis morbi repetitam: his quæ materiam melancholicam expelli apparant: ut syrup. thymi. epithymi, fumariæ, de pomis, & simul acetatis, syrup. acetato simplice, oxymelite aliquo, (nam in liene & carnosis partibus scirrho affectis, tutus est aceti usus Galen.) cum duplo aquarum scolopendrii, asplenii, fumariæ, tamarisci: quæ omnia tota substantia lienem juvare probata sunt. Ob id vinum iisdem aquis diluunt, vel vase ex tamarisco continent antequam bibant, vel vino macerant folia aut cortices, præsertim radicum tamarisci. hæcque multos dies sumenda: quia humor hic apparatu & purgatu difficilis.*

Gal. lib. 4. Method.

Hippoc. natura humana.

2. Vacuatione. 2. Vacuantibus *melancholicum succum: ut confectione hamech: pilulis fumariæ, indis, lapidis armeni, vel cyanei, à drach. una ad script. quatuor, myrobalanis indis, cum epithymi drach. 2. & oxymelite. frequenter autem materia hæc tum apparanda, tum vacuanda est: propter dictam prius causam.*

3. Tumoris emollitione. 3. Tumorem durum mollientibus, & digerentibus. *Vt unguento ex medulla cruris cervi, aut vituli, adipe anseris, gallinæ, oleo amygdal. dulcium: ut emplastro de meliloto, ut ceratis Mesuæ œsypatis: ut ammoniaco in aceto communi, vel scillitico soluto, addito oleo amygdal. dulcium, vel capparum: quod remedium est efficacissimum: ut unguento ex succo, vel substantia tota radicis bryoniæ, aut cyclamini, cum oleis prædictis, & cera pauca facto: quod efficacissimum post dicta alia est, ac certissimum. Vt fotu ex decocto florum genistæ, radicum capparis: foliorum tamarisci, scolopendrii, asplenii, ex spongia vel vesica imposito: ut butyro liquato, & subacto diu, cum hoc decocto: & deinde spleni illito.*

Gal. lib. 14. Method.

Galen. & Aëtius loc. cit. & Ægineta lib. 3. c. 49. Φλεγμονή. Ejus signa.

Jam vero INFLAMMATIO non sæpe in lienem incidit, quod purus sanguis phlegmones author in id viscus raro penetret. Si quando tamen ea obtigerit, similiter & eisdem ex causis atque in jecore progignitur.

Febris inest assidua & ardens, lentor linguæ nigricans, sitis implacabilis, cibi fastidium, sinistri hypochondrii distentio, atque tumor: dolor pulsans: molestus dexter decubitus, & interdum sinister, aliaque symptomata in sinistrum latus perinde atque inflammato jecore in dextrum incidunt. Ea etiam si pura sit inflammatio, nonnihil tamen ex loci natura recipit melancholicorum symptomatum.

Si vel ABSCESSUS vel ULCUS sequitur, non ex aliis fit causis, neque aliis notis ostenditur quam in jecore comprehensum est. Abscessus. Vlcus.

SYLVIUS. *In phlegmone,* avertenda *est fluxio, secta basilica sinistra: nisi mensium suppressio, aut hæmorrhoidum eam phlegmonem excitarit, tunc enim secanda vena malleoli, aut poplitis.* 1. Aversione.

Repellendumque *foris admotis frigidis: ut oleo rosato, violato, aqua ipsarum, & plantaginis idque in principio fluxionis.* 2. Repulsione.

In augmento autem repellentibus frigidis, & parum astringentibus, misce pauca quædam leviter digerentia, *ut oleum chamameli, amygdal. dulcium.* 2. Digestione.

In statu digerentibus magis agendum: ut decocto chamameli, meliloti, althææ, se. lini, fœnigræci, oleo amygdal. dulcium, capparis, in varias medicamenti formas compositis: sed cave ne durescere paratum lienem obdures: ac ex ipsius phlegmone scirrhum excites, valentius & intempestivius, vel refrigerando, vel digerendo.

Postremo vacuata omni materia pars roboranda *oleo mastichino, & rosato.* 4 Roboratione.

ATRA BILIS gravissimorum symptomatum effectrix, in liene proprio etiam receptaculo in vicinisque locis congeri solet. Gal. 3. de loc. aff. 7. Μελαίνη χολή.

Fit autem alias ex bile flava, quæ exusta malignamque naturam subiens, jam aut à liene prolicitur, aut jecoris vi in lienem ipsum atque interdum in pancreas ac mesenterium protruditur. Alias quoque ex naturali fit melancholia, quæ in liene jam diu inhærescens, victu calidiore, æstu, exercitatione, aut etiam vetustate supra modum incalescens ustaque, malignam bilis atræ naturam adipiscitur, qualem sæpe ex lienis tumore fieri notamus, quoties is immanius efferatur. *Ejus causa.*

Bilis

† O. HEURNIUS Quod sequitur, in multis certæ efficaciæ expertus est.] ℞. *Rad. asparagi sylvestris, rad. altheæ an. ℥ij. decoquantur in aceto vini, colaturæ affunde limaturæ chalybis ℔ß. per plures dies insoletur, aut in calidis cinerib. maceretur, dein ex siccetur, & pulverisetur chalybs subtilissime cui affundantur vini albi tenuis ℔iiij. Aquæ melissæ ℔ij. salis theriacalis ℥ß. cortic. rad. capparum, tamarisci pulverisatorum, ceterach, serpilli an. ℥ij. Croci ℈j. fiat singulis diebus frequens, fortisque conquassatio, & insolatio in phialâ vitrea, & postea reponatur ad usum, inde sumantur bis in die ℥iij. vel ℥iiij. & alternis adhibeatur conveniens purgatio.*

Signa. Bilis hæc atra sæpius sine tumore, raro cum tumore exuperat: vix enim tantam illius copiam natura ferat. Nullus igitur sinistri hypochondrii tumor, nullus, aut obscurus dolor, nulla distentio aut oppressio. Cæterum æstus in præcordiis magnus, præsertim quum aut vinum, aut calidior cibus assumitur. Hujus confectio molesta, ructus flatusque plurimus suscitatur, quasi ex lebetis aqua subdito igne: nec enim pituita, nec alius quisquam humor æque flatus ex cibo profert. Arteriæ in præcordiis & supra umbilicum dilatantur, ac vehementer pulsant: cordis magna & frequens est palpitatio, si quid præsertim vel corpus vel animus exagitatur; animi defectio nõnunquam incidit pulsum immutans. Quum autem, ut sæpe fit, vapor in caput irrepsit, facies quasi inflammata rubore perfunditur, mens pervertitur & alienatur, terrore, metu & mœstitia cõcutitur, quasi mors immineat, nihilq; reliquum sit spei. Furori omnia finitima in quem æger sæpe metuit raptum se iri. His reliqua hypochondriacæ melancholiæ quæ supra commemoravi signa plerumq; accedunt, interdũ etiã absunt.

CAPUT VII.

Mesenterii & ejus quod pancreas appellatur morbi, causæ & signa.

Gal. 5. de loc. aff. 7. Avic. l. 3 fen. 14. tract. 3. cap. 11. *Mesenterii tumor & scirrhus.* TAnta plerunque supervacuorum est humorum colluvies, ut destinatis à natura receptaculis tota excipi haud possit. Ac tum non parva superfluentis portio in vicinas quoque sedes illabitur, maxime quidem in pancreas & in mesenterium, quæ totius corporis veluti sentina sunt. Quibus ergo assidua ingluvie magnus fit utriusque bilis & pituitæ proventus, eas tempestive non expurgatas natura valens ac robusta plerumque in pancreas & in mesenterium ignobiles sedes deponit: *Hippoc. l. de glandulis nitestinorum.* idque fere è jecore & è liene per eos venæ portæ ramos qui non in intestina, sed in ipsum mesenterium & pancreas desinunt, & obliterantur. His locis & glandulis tempore exaggerantur varii humores, qui primum laxum *mollemque tumorem*, deinde siccescentes renitentem durum ac vere *scirrhosum* ingenerant. Durus usque adeo interdum deprehensus est, ut penitioribus sub umbilico partibus vel os, vel calculus concrevisse putaretur.

Ejus signa, Itaque si ampla & vasta mole venter totus præter naturam prominet, idque citra fluctuationem, citra alvi suppressionem diutinam, citra hydropis suspicionem, unde & qua id ex causa obtigerit, tactu ita quidem *discernendum*. Quum adipis copia venter prominet, quoniam cuti summæ is inhærescit, manu totus comprehendi secernique potest à musculis abdominis: ac præterea reliquus corporis habitus obesior existit. Quum tumor insertus est musculis abdominis, primo is contactui occurrit, & quum premitur, plerumque etiam citra pressum dolore afficit, quod pars ea sensu prædita sit: intestina non coarctat, neque alvi dejectionem remoratur. Mesenterii vero tumor quoniam alte sepultus est, non nisi pressu animadvertitur: nullo dolore affligit, quod pars ipsa doloris sit expers. Quinetiam sua is mole intestina premens atque coarctans sæpe efficit, ut alvus pigrior sit, tardiusque fæces descendant. Utrum præterea tumor universum mesenterium an partem duntaxat & quamnam occupet, mollisne sit an durus, tactu etiam internoscendum. Cæterum quisnam in mesenterio humor exuperet, jam non tactu sed iis ipsis notis, quibus in jecore aut in liene proditum est, cognoscitur; sed quæ tamen tum obscuriores, tum leviores existunt.

Hæc autem obscuritas multis causa fuit ignorantiæ, cur harum partium affectus præter missi fuerint, nec veterum scriptis celebrati. Ego tamen hoc affirmo & profiteor, choleræ, melancholiæ, diarrhœæ, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum causas, me in his plerumque sedibus animadvertisse, quorum depulsione deploratis salus reddetur. *Hi per sæpe focus & seminarium gravium & diuturnorum morborum.*

Vera quoque INFLAMMATIO in mesenterium incidit, quum ab exesis aut ruptis illius venis sanguis excidit, & in aliqua sede præter naturam collectus putrescit, tandem- *Mesenterii inflammatio.*

demque suppurans abscessum facit.

Ejus signa. Ea inflammatio sine manifesto dolore est, solumque gravitatis sensum habet, nisi forte vehementius prematur. Febris admodum levis & lenta, sine siti, sine gravibus symptomatis, nec omnino ægrum prosternens, nec quotidianas functiones interpellans. Principio sanies quædam rubra, facto deinde abscessu pus album defluit ab alvo, & utrumque modo permistum alvi fæcibus, modo seorsum & syncerum, ut quum inflammatio in postrema intestina divergit. Tum quippe pus per venam proximam in recti aut coli intestini capacitatem influit, syncerumque magna interdum copia redditur, nullo sensu doloris: quod aliquando celebres medicos magnos admiratione & controversia torsit. Sed non aliunde id quam ab affecto mesenterio dimanare facile nosci poterat. Neq; enim ab inflammatis intestinis, neq; à ventriculo potest sine vehementi dolore prodire. Ex jecoris vero, aut ex lienis inflammatione, febris vehementior affligit, omniaque symptomata fiunt gravissima: neque tam syncera sanies seorsum ob longiorem viæ tractum exit. Renes etiam affecti non illac, sed per urinas repurgantur. Itaq; unum mesenterium reliquum est in abdominis capacitate, quod sub illis notis inflammatione tentetur.

Pus ex alvo syncerum si reddatur, ex mesenterio derivari.

CAPUT VIII.

Jecoris lienisque symptomata, & horum causæ.

Gal. 5. de loc. aff. c. 7. Aëtius lib 10 cap. 17.

MUlta sane *symtomata* promiscue *à jecore* & *à liene* originem habent, quod ea viscera in humorum procreatione secretioneque plurimum occupentur. Ea sunt *icterus, melancholia, atrophia, cachexia, hydrops* ejusque species.

Ἴκτερος. Ejus signa. ICTERUS *biliosi est humoris per summa corporis effusio.* *

In hoc album oculorum & partes quæ circum tempora sunt, interdum & cutis tota, vel pallido, vel flavo, vel citrino colore suffunditur, hincque vitium aurigo nuncupatur. Auriginosum corpus vix sudat, sed prurigine plerumque tentatur, & quasi suscepto onere ingravescens torpescit, mens sensusque hebescunt, & variis lacessuntur imaginibus.

Causa, venenum, ejusque signa. Icteri variæ existunt *causæ*, una est virulentarum bestiarum ut viperæ demorsus, epotum *venenum*: quorum vi sanguis totus pristinam amittit puritatem & in citrinum ac biliosum humorem corrumpitur, qui omnia pervadens cutem inficit atque labefactat. Tunc autem evidentes causæ prægressæ sunt, atque repente, aut brevi, color mutatus est: febris nulla fatigat.

Crisis, & ejus signa. Fit & aliter icterus *per crisim* biliosarum febrium, qua noxiam materiam natura ex alto corpore in summam forasque propellit. Hic repente nascitur, febrem finit, nec tamen cum febre desinit, sed diutius aliquando protrahitur: urinæ & alvi excrementa secundum naturam habent. De hoc loquebatur Hippocrates, *Quibus per febres icterus die septimo, aut nono, aut undecimo, aut quartodecimo supervenerit, bonum, nisi dextrum hypocbondrium durum sit: alias minime bonum.* *4. Aph. 64.*

Ex *jecoris* quoque *inflammatione* icterus nascitur, cujus vi & incendio pars sanguinis maxima vertitur in bilem, & in omne corpus quoquoversum effunditur. In hoc vehemens ardensque febris existit, dextro hypochondrio gravitas dolorque subest, dejectiones & urinæ biliosæ profluunt, inflammati jecoris signa comitantur. *Hepatis inflammatio, & ejus signa.*

Atque hi quidem rarius incidunt, nec omnino simplices existunt. Simplex vero icterus & qui frequentius ingruit, aut jecoris, aut cholodochi folliculi peculiari vitio fit. Quum enim in *calidiore jecore* bilis copiosior gignitur quam à cysti expurgari tota possit, redundans ea quoquoversum irrumpit aut effunditur; atque cum sanguine vel ejus sero evadens, summam corporis cutem inficit. Sed & quum ea cumulatur in jecore, ejus substantiam amplificat, & in tu- *Calor hepatis.*

De Ictero.

	S. A.		S. A.
* *in febribus ante septimum, malus.*	4. 62.	*item.*	6. 42.
quando bonus?	4. 64.	*paucos flatus habet.*	5. 72.
cum duro hepate, malus.	4. 64.		

tumorem attollit tactu conspicuum: ac dein tempore crassescens atque obdurescens, non modo obstructionem, verum etiam jecoris scirrhum renitentem ac prædurum ingenerat, cui fere succedit hydrops.

Ejus signa. Sub hoc ictero aut nulla, aut admodum lenta febris est, atque licet turbidæ, crassæ & croceæ sint urinæ, alvi tamen dejectiones non albicant, quod è folliculo atque etiam è jecore bilis multa proruat in alvum.

Obstructio meatuum, ejusque signa. Icterus vero qui & *obstructiones meatuum* ad bilis cystim pertinentium fit, repente hominem adoritur, sine febre, sine magna corporis aut virium jactura: dejectiones albicant, quod bilis illapsus in intestina cohibeatur. Urinæ crassescunt atque rubent adeo, ut & prope nigrescant, dextro hypochondrio gravitatis sensus inest, sine conspicuo tumore.

Aliæ causæ imaginariæ. Aëtius loc. cit. Comminiscuntur plerique *alias icteri causas*, ut folliculi fellis imbecillitatem, & partium, quæ in habitu sunt corporis calidiorem intemperiem: quæ tamen omnes rarissimæ quum sint, in earum numero haberi debent, quæ cogitatione potius, quam usu & eventis deprehensa sunt.

Prognosticum. FORESTUS. *Icterus si fiat pulsione naturæ ante septimum diem non laudatur, sed post septimum: quamvis aliquando & ante septimum visus fuerit profuisse. & post septimum ex affectu jecoris provenire possit, qui ubi tandiu persisteret nihil boni portěderet.*

Morbo regio laborantibus (secundum Hippocr. aph. 42. lib. 6.) si fiat hepar, durum, malum: nam & icteritia, quæ à lapide, & quæ à scirrho, incurabilis. quidam ferunt & carnem & verrucam in meatibus increvisse. Sed & Celsus, auctoritate Dioclis, testatur, quod si morbus regius post febrem oriatur, ex toto prodesse; si post hunc febris, occidet. Ictetitica si fuerit diuturna, periculum hydropis minatur, potissimum si urina etiam diu fuerit aquosa: tunc equidem obstructio magna à visceris frigiditate provenit. At malum quoque est, prostratum appetitum esse, & ægrum vigiliis molestari, delirioque affici, sermonemque cum labore formare. Hæmorrhoides vero in hoc morbo fluere, bonum. Periculo quoque obnoxius est homo, si icteritia confirmata laboret, & non curetur, neque materia expellatur: subito enim tandem cor aliave aliqua nobilis pars opprimitur. Urina innatans quid simile orobi grano, malum; & urina alba, parum tincta. vide de his Articul. & Avic. sed crocea & tincta magis, salutem denunciat. Turgidus venter in regio morbo, malus: & valde tumescens, lethalis magna ex parte, & secundum Gradum, infectio crocea per transennam commissuræ capitis anterioris lethalis, hepate inflammato. Icteritia etiam sine febre, juxta Vales., in senibus pinguibus, raro aut numquam curatur, ut ipse sæpe expertus, materia crassa viscosa existente. Citrina magna ex parte velocius curatur nigra, & citius generatur ac terminatur.

SYLVIUS. *Icteri varia est curatio pro causis variis. Qui autem est* à bilis copia, *hepatis, & venarum intemperiem calidam sequente*, curatur quatuor auxiliorum generibus. *Cura à bilis copia.*

1. Victus ratione *refrigerante, humectante.* *1. Diæta.*

2. Bilem, *si crassior est, & tenacior*, apparantibus: *ut syrup. ex succo oxalidis, granatorum, omphacii, limonum, citrorum, intybi, cichorii, violarum, rosarum, cum duplo aquarum solani, plantaginis, lactucæ, oxalidis, intybi, cichorii.* *2. Præparatione.*

3. Cholagogis, *ut cassia, manna, electario rosato vel de succo rosarum, diapruno scammoniato, rhabarbaro vel pulverato, vel, si timetur obstructio, infuso. Vena etiam sectione, si toti corpori est communis intemperies, & si non est suspicio, ne bilis largior, calidior, tenuior, furiosa turgeat; cum sanguis aliorum humorum sit velut frenum & retinaculum.* *3. Evacuatione.*

4. Intemperiem *calidam, quæ icterum regignere possit*, tollentibus *sumptis & admotis, frigidis & tenuibus, prædictis. Horis enim duabus antepastum vacuata ex hepate bile (alioqui retenta putreret, febresque augeret, vel gigneret) hypochondrio dextro applicetur pannus lineus mersus his: aquæ intybi lib. 1. aquæ rosarum roboratis unciis duabus aut tribus, aceti ad penetrandum uncia una, spicæ scriptulo uno, vel croci granis quatuor, ad calorem partis sanguificæ tuendum; santalorum, spodii ana drach. 1. fiat. epithema hepatis vel cordis calidi: cui tamen cordi hac omni tempore applicari possunt, quia coctionis instrumentum non est, additis tamen aquis buglossi, been utroque, caphura, caryophyllis, l gno aloës, croco multum cardiaco: sed his tribus quæ calent, manu parcissima. Sumuntur vero conserva rosarum, & alia nunc dicta in apparanda bile.* *4. Intemperiem corrigentibus.*

Si vero icterus est ab obstructione *per bilem crassam aut pituitam*, curatur remediorum generibus quatuor. *Cura icteri ab obstructione.*

1. Victus ratione *tenuante, aperiente, calefaciente, minus si à bile est obstructio, quam si à pituita.* *1. Diæta.*

2. Materiam apparantibus, *ut syrup. incidentibus, tenuantibus, aperientibus: primo mitioribus, ut dictis, & de bizantiis, cum aceto; deinde de dua-* *2. Præparatione.*

duabus radicibus, postea de quinque: & item melle rosato, syrup. eupatorii, cum aqua cichorii, asparagi, lupuli, fœniculi, apii, cassutha, eupatorii: purgato prius ventriculo per cassia drach. decem, vel manna unc. duas vel diaphœnici drach. duas, tres, vel pilularum Alephanginarum scriptula quatuor, ne prædicti syrup. materiis multis & crassis à ventriculo in hepar tractis obstructiones augeant.

3. Evacuatione.

3. *Bilem crassam, & mistam ei pituitam* vacuantibus: *ut agarico potenter obstructa liberante; ut rhabarbaro ad drach. duas, vel tres, infuso horis decem, vel duodecim, in aqua cichorii, vel intybi, & pauco vini albi odori, & fortiter expresso: cui in robustis addere potes agarici trochiscati drach. unam & ad saporis gratiam julebi violati unciam unam: vel diaphœnici, aut E. indi. unc. dimidia, vel hieræ simplicis, cum melle, unc. una, agarici trochiscati drachma una. Clysteribus etiam acribus, & quorum vis intestina tenuia attingat, est opus: quibus etiam citetur alvus alioqui his pigrior, quia bilis ad eam ferri fere desiit propter obstructionem. Vena quoque secatur, vel basilica, vel salvatella vulgo dicta, inter minimum & annularem digitum media dextræ manus: præsertim cum bilis sanguini est mista: sic enim humores in hepate fixi agitantur, stationemque deserunt & obstruere desinunt.* †

4. Meatus apertione.

4. Meatus aperientibus *syrupis: & aquis prius dictis materiam apparare: præterea radicibus quinque apii, fœniculi, asparagi, rusci, petroselini, lotis, & ad dimidias ex aqua coctis: adhæc foliorum raphani contusorum decoctum, vel eo gratior aqua inde destillata matutinis quatuor, sumpta ad unc. quatuor. Lumbrici quoque siccati & sumpti cum vino albo: & saccharo ad saporis gratiam, à nesciente, ne aversetur, icterem sanant Avicennæ, & aliis permultis, vi quadam secreta: idem pulvis cum syrup. de bizantiis in pilulas formatus, quæ auri foliis intectæ sumantur: & postridie bibat serum caprinum. Idem præstat Avicennæ stercus canis ossibus tantum pasti: prassii item decocti ex vino albo tenui, unciæ quatuor saccharatæ matutinis aliquot potæ, omnem icterum sanant: vel unc. quatuor decocti perfecti cicerum rub. & radicum asparagi. Capræ item prius nutritæ herbis aperientibus, fœniculo, apio, petroselino, rusco, lupulo, eupatorio, asparago, lactis libræ tres, accipiant nocte una seminis cnici pugillum unum: postridie caseosa ejus substantia separata serum potu icterum liberat Avic. Idem præstant aperientia, hæc scilicet, dialacca, diacucurma, diacalaminthe, à drach. quatuor: & trochisci rhabarbari, eupatorii, rosarum, ad drachmam unam cum aquis prædictis: mutata sæpe remedii forma, ut in cæteris affectibus diuturnis: ne uni naturæ assuescat, sed semper in id fiat mutatio, quod affectus & affectæ partis natura & aëris expostulat.*

5. Coloris sublatione.

Cutis autem & oculorum color flavus tollitur, *partim moventibus urinas dictis, partim admotis, scilicet balneo ex decocto chamæmeli, meliloti, & similium: balneo item sulfureo, & aëre calido, cæterisque poros aperientibus, & humorem tenuantibus, forasque trahentibus, & sudore vacuantibus. Oculo autem conferunt sternutamenta, quia materiam excutiunt, & acetum calidum odoratum: ut ejus vapore apertis poris materia exhalet. Eisdem initio aqua rosarum applicari potest, ne adeo tingantur: aliis autem temporibus hæc cætera astringentia sunt noxia.* ††

ICTERUS ARQUATUSVE NIGER *melancholici est*,

Ad obstructiones.

† O. HEURNIUS.] *Cum reliquis aperientibus etiam milio in apozemate utebatur.*

†† J. HEURNIUS pro Ictero inter secretiora reposuit.] ℞ *rhabar. opt. ʒij. cinnamomi ℈j. agarici recenter trochisc. ʒß. z. z. ℈ß. infunde in aq. Endiviæ & vino albo Tenui, colaturæ adde mannæ Electæ ʒxij. misce* F. Haustus.

Vel

℞ *Fol. Senn. mund. ʒiij. anis. ʒß. agar. Troscisc. ʒj. z. z. ℈ß. infunde aq. Endiviæ & vino, colaturæ adde Syr. rosati laxat. ℥j.*

℞ *lumbricor Terræ pulver. ℈j. diaspolitic. gr. viij. cum Syr. byzantino* F. Pilulæ N°. *iij. & superbibat decocti absinthii in vino (si absit febris) vel in aqua si adsit, & nihil aliud in cibo & extra cibum bibat quam tale decoctum.*

Aliud.

℞ *Fol. agrifolii Vstor ℈j. & bibat mane & à prandio tale decoctum* ℞ *cichorei cum radicib. miij. rad. & chelidonia mj, confunde simul & poculo inde quod coque inde in B. M. & maceretur horis 24. expressionis detur partus cyathus mane & sero.*

est: humoris in cutem & in corporis summa effusio.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 1.

Ἴκτερος μέλας seu μελάγχλωρος.

Signa.

Sub hoc coloris flos perit, isque pro vivido obscurus primum, deinde sublividus & subniger nulla evidenti occasione apparet. Corpus quidem minus quam in altero ingravescit, mens tamen imaginibus magis perturbatur, quæ metus & mœstitiæ plenæ sunt. Nec dejectio, nec urina de naturali statu manifeste decedit.

Causa.

Proxima hujus continensque *causa* est melancholicus humor in omne corpus cum sanguine effusus: idque vel quod in sanguine atque in jecore nimium exuperet, neque totus lienis vi elici expurgarique possit: vel quod lien hujus copia infarctus alium excipere nequeat, vel copia turgens illius portionem refundat in venas; ac tum lienis tumor gravitasque premit: vel quod vena è portis jecoris in lienem directa, & qua sanguinis fæx deducitur ac expurgatur, obstructa obstipataque fit.

Prognosticum.

FORESTUS. *Quod vero omnino gravius afficiantur ii, in quibus atra bilis humor una cum sanguine ad cutem est delatus, quam in pallida, ab Aëtio scriptum est cap. 17. lib. 10. Idem ater morbus regius, si diu perseveraverit, nec obsequatur medicamentis adhibitis accedat, malum est. Nam consentiente jocinore, aqua intercus succedet, ut liquet ex eodem Aëtio. Vrina vero, si suam servaverit naturalem dispositionem in atro morbo regio, salubre erit indicium: exiguam namque indicabit lienis affectionem, nec adhuc eidem jecur consentire. Icteritiæ nigræ eventus rarior est quam citrinæ, & magis prolongatur, & difficilius curatur.*

Cura icteri nigri.

SYLVIUS. Icterus niger, curatur *ut præcedens, sed remediis melancholiæ debitis: de quibus in lienis affectibus.*

Gal. 3. de loc. aff. cap. 7.

Τὸ φυσῶδες καὶ ὑποχονδριακὸν πάθος.

A melancholia

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA utriusque affecti visceris maximeque lienis soboles est.* Hujus enim *species duæ*, una *mitior*, *deterior*, altera.

Illa ex melancholico humore terreno sanguinisque fæce ducit originem, qui in liene vicinisque sedibus supra modum cumulatus, tumorem ingenerat, è quo teter vapor sursum effertur. Lienis tumor interdum *conspicuus* ingensque animadvertitur sine ictero sine cachexia, idque quum & mitis est humor, & arcte coërcetur. At vero quum è propria is sede prorumpit in venas effusus, aut icterum aut cachexiam parit. Quum autem præter naturam incalescit, vel *deteriorem* substantiæ conditionem subit, atrum de se vaporem exhalat; qui animum mentemque varie conturbans, author est hypochondriacæ melancholiæ. Hujus *notæ* sunt multa fixaque diu cogitatio, rerum commentatio & suspicio malarum, verecundia, rusticusve pudor, solitudo, mœstitia, timiditas, & ignavia, animi dejectio, aut desperatio, mentis atque sensuum caligo, turbulentus somnus, perversa rerum existimatio, ac sæpe præposterum judicium. Atque hæc quidem sunt melancholicorum symptomatum mitissima.

Ejus signa.

Altera affectio *ferocior* existit. Ea fit ab atra bile quæ vel ex terrena sanguinis fæce supra modum incalescente & exusta, vel ex bile flava processit. Colligitur hæc nonnunquam in liene, sæpius in pancreas, & in mesenterium spargitur, nullo tumore manifesto. Quumque sit humor acer atque perniciosus, exigua portione sævissimorum symptomatum author existit.

Ab atra bile.

Quæ igitur ab hoc fit melancholia, superiores *notas* præ se fert omnes & eas quidem multo graviores. Præterea vero præcordia sæpe ingenti fervore æstuant, pulsusque arteriarum in his est validus, quum vapor quavis ex causa excitatus sursum evolat, cor palpitat, aut premitur, anima deficit, plerisque fauces siccitate præcluduntur, ut iccirco difficile possit in mulieribus ab uteri strangulatu secerni: facies rubore, ardoreque suffunditur, oculi quasi suffusione caligant, mens deniq; perturbatur, ac interdum tantopere occupatur ut sine ulla rerũ expectatione meliorum, summa sit desperatio vitæ, neq; possit, æger ulla orationis suavitate, ad spem recuperandæ valetudinis erigi. Hoc miserabile medicis tormentum: summa vero tranquillitas est

Ejus signa.

De Hypochondriorum Affectibus.

est laborantis constantia & prudentia. At vero extincto dissipatoque vapore symptomata mitescunt, subinde tamen recursura. Hoc malum si penetret in cerebrum, eoque figatur, furorem ac tandem febrem accerset, hecticæ finitimam, & quæ in marasmum deducet.

A bile; ejusque signa. His quadantenus similia profert incommoda *bilis simplex* circa jecur abundantior coërcita, & exæstuans: nam & æstus apparet, & animi defectio, & suffusio, atque rubor: & nisi vires jam malo succumbant, animus concitatus exardescit, iracundia sæpe jactatur, ulciscendi libidine effertur. Hac etiam tandem corpus absumitur, & liquescit, nisi in melancholiam transitus sit. †

Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. Ἀτροφία ἡ τῆς θρέψεως ἀποτυχία. Ejus causa. ATROPHIA *est nutritionis error, quo corpus sensim exarescit & absumitur.* Si vel alimenti penuria, vel vacuatione immoderata, vel aliarum evidentium causarum vi, vel acuto morbo corpus emarcescit, atrophia non appellatur: sed duntaxat quum lente ac pedetentim, nulla prægressa causa, id sumpto alimento non alitur.

Atrophiæ quæ unam quampiam partem obsideat, *causa* est peculiare quoddam illius uitium: ejus vero quæ totius est corporis, causa in aliquo principe viscere consistit, quæ caloris spiritusque aut naturalis aut vitalis robur, vel obtundit, vel extinguit. Itaque cordis affectus, maximeque febris hectica, & pulmonis exulceratio, quoniam vitalem illius omniumque partium spiritum labefactant, in atrophiam perducunt. Quinetiam ventriculi graviores affectus eodem adigunt, & lienis, jecorisque, calida atque sicca intemperies, & bilis multæ tum flavæ tum atræ perfusio. Vix enim ullam animadverti veram atrophiam, in qua viscera, præter intemperiem, non multa quoque humorum, præsertimque biliosorum, colluvie scaterent, ac earum plerumque copia distenderentur. Hæc igitur causa quoniam naturalem spiritum & calorem proterit, vix ut utilem sanguinem gignat, in atrophiam præcipitat. Per hos affectus tametsi alimenti copia suppetit, & venæ multo humore turgent, corpus tamen non alitur, quia is humor caloris & substātię bonitate, sæpe etiam fibris quibus concrescat destitutus, partibus neq; adherescere, neque assimimilari potest. Multo autem diversa est cachexię ratio, de qua nunc transigendum.

CACHEXIA *malus est atque vitiosus corporis habitus.* Sub hoc plena satis atque copiosa corporis moles est: at vero tum substantia, tum colore vitiosa. Corpus non ut athletarum promptum & alacre, sed grave est atque iners, non vivido colore florescens, sed vel pallido, vel livido, vel citrino squalidum. *Hippoc. 4. Aphor. 31, s. 3. Gal. 5. de loc. aff. 7. Aëtius li. 10. c. 19. Καχεξία. Ejus signa. Causa.*

Hoc mali ex alimentis impuris atque corruptis *contrahi solet*: si aut hæc vitio non sunt, ventriculi aut viscerum vel imbecillitas, vel impuritas accusanda. Imbecillitas diminutam concoctionem cruditatemque parit, quæ in venas & in habitum corporis, utilioris vice alimenti rapta, partibus singulis tum etiam agglutinatu, at non perfecte assimilatur: hincque vitiosa, non autem vera & perfecta fit nutritio. Impuritas viscerum, sive ab eorum corrupta substantia proficiscitur, vitiosum corruptumque sanguinem profert, qui demum in partes singulas evectus, illicque concrescens, vitiosam quoque efficit nutritionem, vitiatam nimirum substantiam pro ut illi dissipata reponens.

Hinc *cachexia* pro sanguinis conditione *varia*: alia cruda ac pituitosa, alia melancholica, aliaque aliter corrupta, quam alimenti natura & mala viscerum constitutio protulit. *Pituitosa* cachexia, qua fere virginum nitor squalet, vividique coloris flos perit, leucophlegmatiam antecedit, eamque prænunciat: quemadmodum & melancholica cachexia elephantiasim minatur *Differentiæ.*

A cachexia Cachexia igitur *ab atrophia* quam longissime *distat*: in hac extenuatum corpus sensim contabescit, in illa ampliorem id molem habet. In atrophia quod in venis est, nec concrescit, nec parti adhærescit, vixque sanguinis appellationem meretur: in cachexia & concrescit & nutriendæ parti adhærescit, atque licet pituitosus, melancholicus aut aliter vitiatus, sanguis tamen appellatur. In utraque corporis viriumque robur *Gal. 5. de loc. aff. 7. & 6. cap. 1. Ægineta l. 3. c. 48.*

† J. HEURNIUS In diuturna cacochymia cum obstructione mesarrhaicarum maxime cum successu usus est.] ℞ *Succum rad. raphani (myrredick) succum cochlear. berabungiæ nasturtii, aquat nummularia an. bibat bis die.*

robur elanguescit: sed in atrophia, quod nulla prorsus, in cachexia, quod vitiosa sit nutritio.

Ὁ ὕδερος. Huic proximus est HYDROPS, * maxime qui sarcites appallatur. Triplex enim traditur *ἀνὰ σάρκα*, *ascites*, & *tympanias*: horum rationes atque causæ in primis diversæ.

Ὁ ἀνὰ σάρκα ἢ λευκοφλεγματίας. *Anasarca* ** id est, subter cutem, qui & leucophlegmatias Græcis nuncupatur, *molis corporeæ incrementum est præter naturam.*

Ejus signa. Hujus initio pedes tument, maxime vesperi & ab exercitatione, aut quum declives diu fuerint, in hisque (si crassiusculus est humor) digiti manet impressum vestigium, mane vero & per quietem sæpe dissipatus tumor evanescit. Deinde neque facies, neque brachia, neque partes aliæ, imo neque abdomen ipsum magis quam reliquum omne corpus intumescit: sed id æquabiliter molle, laxum & pallidum existit, dissolutum & quasi enervatum minimo labore frangitur, omnesque illius functiones languent, & hebescunt: febris fere assidua, sed lenta, conficit, cum pulsu parvo, crebro & inæquali: urinæ albæ, tenues, & omnino crudæ. Hæc autem idcirco accidunt, quod corpus universum cruditate & pituitoso albicanteque sanguine, aut si dicere mavis, aqua lenta & concreta suffunditur: hinc & malum ipsum aquam inter cutem recte nuncuparunt, cujus copia nativus calor obruitur. Hanc à phlegmatica cachexia sejungit sola magnitudo, quod tumidiorem habeat corporis vitiatam molem.

Causa. Una & eadem utriusque *causa*, immodica nimirum jecoris atque venarum refrigeratio, quæ aut primaria est, aut ex cordis, lienis, ventriculi, mesenterii aliarumve partium concoctioni servientium vitio contracta: & insiti caloris ac spiritus nimia dissipatio. E causis autem evidentibus viscera refrigerant, nativumque calorem obtundunt aquæ frigidæ & vitiosæ potus immodicus, lactucarum, fructuumque esus intempestivus, præsertim dum vel æstu, vel exercitatione corpus incaluit, ejusque viæ patent, per quas externa vis penetrat. Insitum vero calorem spiritusque dissipant acutus vehemensque morbus, & sanguis è naribus, aut ex utero, aut ex hæmorrhoide immoderatius profluens, & quæcunque denique exhauriunt nutrientium viscerum robur. Harum causarum magna vis est, si vehementer & affatim fiant: sin vero sensim ac lente, tametsi perseverent, (ut diutius ab utero vel naribus paulatim fluens sanguis) minimum certe incommodaturæ sunt. Mensium vero consuetarumque hæmorrhoidum suppressio & omnis sanguinis nimia exuperantia calorem spiritumque strangulat & obruit.

PLATERUS. *Leucophlegmatia si simplex sit, etsi totum corpus in ea tumidum fiat, in ascite vero solum venter & pedes, tamen facilius quam ascites sanatur, cum minor hic sit viscerum læsio, imbecillitasque hæc illorum, crudum sanguinem gignens, corrigi possit; difficilius si in ascitem tendere videatur, & vix dum si illi jam copuletur. In senibus ægre amplius sanatur, etsi diu sæpe protrahatur.* Prognosticum.

Instituenda curatio *eo fere modo, sicuti in cachexia, cum hæc illius sit principium, & ab eadem causa, in hoc affectu aucta & diutius remanente, dependeat: hepatisque & lienis imbecillitas corrigenda, causam primum amovendo, si à nimio fluxu mensium, hæmorrhoidum, aut alia hæmorrhagia processerit, dein viscera hæc roborando. Si obstructio adsit ea aperienda solvendaque, aperientibus & abstergentibus iis, quæ moderate illud, si fluxus aliquis adhuc adsit sanguinis, ne nimium illum crucient, efficiant;* Curatio.

vel

De Hydrope.

	S. A.		S. A.
* *Fit autumno.*	3. 22.	*tussis, malum.*	6. 35.
sanatis hæmorrhoidibus.	6. 12.	*item.*	7. 47.
à liene.	6. 43.	*secti aut usti, omni evacuatâ aquâ, moriuntur.*	6. 27.
quando lethalis.	7. 55.	*ulcera difficilia.*	6. 8.
ut solvitur.	6. 14.		
solvit maniam.	7. 5.		

De Leucophlegmatia.

	S. A.		S. A.
** *ex eâ Ascites.*	7. 74.	*solvitur alvi fluxu.*	7. 29.

vel validioribus, si ab eo non sit periculum, quæ simul & menses, si hi suppressi sint, commovere possunt; hæcque omnia internisque remediis perficiuntur. Evacuandi interim semper crudi humores & aquei, qui in primis viis, ventriculo, intestinis & venis, dein etiam in corporis habitu coacervantur, tum purgantibus per alvum tum per sudores & urinas exhibitis: Tum etiam extrinsecus admotis, locis maxime tumentibus, quæ materiam corporis partes imbuentem, discutiendo absumendoque exhauriant. In leucophlegmatia vero, in qua simul seri copia coacervatur, vel ea cui ascites jungitur, curatio fere eadem quæ asciti in educenda absumendaque aqua debetur, causa interim ratione remedia huic quoque accommodando.

1. Diæta. SYLVIUS. Quare instituenda victus ratio calida sicca: ut aëre æstivo, natura vel industria, fuga frigidi, humidi: qualis pluvius nebulosus. Cibo pauco, raro, ob coctricis & sanguificæ facultatis imbecillitatem coctu facili, sed euchymo, aut tenui potius quam crasso: ut vino flavo, sed pauco, carnibus delectis, vitellis ovorum recentium sorbilibus, pane duro, aut biscocto: vino, si opus est, merso, & asperso interdum pulvere cinnamomi, caryophyllorum, galangæ, macis, anisi, amomi, laccæ lotæ: aut per hunc pulverem vino aliquoties colato. Exercitatio quæ sudorem excitet continenter tergendum, est salubris, si vires valent, aut ejus vice frictio multa, mollis aut mediocris: vigiliæ item & affectus animi, & siccantia reliqua.

2. Præparatione. 2. Materiam pituitosam per carnem & habitum corporis totum sparsam, primum apparantibus, dicendis in ascite: ut melle rosato, oxymelite simplici, syrup. duarum & quinque radicum, cum aqua absinthii, fœniculi, cassuthæ, per dies quinque, aut sex: diutius enim apparanda, quam ascitæ materia fluxilis & liquida, ventriculo propinqua, & hepati.

Et purgatione. Deinde vacuantibus: ut hieræ picræ mellitæ uncia una, vel ejusdem semuncia, cum agarici trochiscati drachma una, vel pilularum de rhabarbaro drach. duabus, quarto quoque die sumptis: (pituitam enim, & ex hac putrefacta bilem purgant, & hepar roborant:) vel rhabarbari & agarici trochiscati, ana script. duobus, septimo quoque die sumptis: vel diaphœnico, E. indo. quamvis scammonium hepati noxium est: post ea autem scammoniata dantur quæ noxam emendent, aut potius cum his vel ante hæc, quæ noxam prohibeant: in quibus enim affectibus hepar imbecillum est, quæ ipsum lædant, fugienda sunt; ut scammonium, elleborus, colocynthis; quibus si coacti utimur, diebus consecuturis ea demus, quæ ipsum roborent, & noxam corrigant, vel potius ante propinanda autem simul quæ prohibeant. Vacuandum est autem sæpe, quia affectus est longus, & solvi contumax. Bilem vero in hydrope vacuari nolunt quidam, quod ea calida sicca pituitam frigidam humidam coërceat & emendet; nisi forte hydropi complexa sit febris biliosa, aut pleuritis. Tunc enim ut in complicatis affectibus contraria remedia indicantibus, urgentioris major est habenda ratio, non neglecto tamen altero.

Venæ autem sectio quanquam omni hydropi est noxia, maxime tamen tympanitæ, medio modo ascitæ, minimum hyposarcæ: quia in hac hydropis specie, minus quam prædictæ duæ maligna, (tympanites enim pessimus, ascites amborum est medius) cum in venis contineatur, ut in aliis duobus sub peritonæo, aliquid ejus cum sanguine vacuatur, præsertim si anasarca est à suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus. Non venæ sectione.

Vacuatur item materia hæc ureticis: ut syrup. bizantiorum, & succo prassii, vel decocto ejusdem, aut radicum petroselini, apii, fœniculi, rusci, asparagi. Cantharides autem vitandæ, quia flatulentæ, & vesicam ulcerant. Sed diureticis. Libro 11. simp. & 3. temper. & de theriaca.

Foris admota materiam hanc resolvunt: sol æstivus nudo corpori occurrens, aut arena ab hoc calefacta, cinis ex vino frixus, laconicum, suffitus per lapides ignitos: ex decoctis in vino, foliis lauri, anetho, origano, abrotono, salvia, rosmarino, & similibus. Balneum quoque salsum, nitrosum: aluminosum, sed sulphureum naturale, aut etiam artificiale melius: salubre etiam, ægrum mensæ incubantem immitti in clibanum extracto pane tepentem, sic tamen ut caput sit extra præfurnium ne calido aere suffocetur. Et dissipantibus,

3. Dispositionem hepatis, anasarcæ causam tollentibus, ut obstructionem, ut tumorem præter naturam vel intemperiem aliquam simplicem vel compositam, imbecillitatis effectricem, sanantibus contrariis: ut intemperiem frigidam oppugnabimus electario dialacca, diacurcuma, absinthio, eupatorio, rhabarbaro, trochiscis de rhabarbaro per se, aut, cum pulvere diarrhodon, si calor metuitur. 3. Sublatione causæ.

ASCITES est abdominis ex subdito aquoso serosoque humore distentio. † Gal. loc. cit. & Aëtius l. 10. c. 20.

Venter sensim impletur, dum divulsa laxatave cute supra modum intumescat. Corpus reliquum marcescit ac liquescit. Tumor presso diaphragmate spiritum difficilem Hippoc. aph 74. s. 7 Ὁ ἀσκίτης. Ejus signa.

lem reddit. Si abdomen impellitur, aut corpus in alterutrum latus provolvitur, fluctuantis humoris sonus obauditur. Urina admodum pauca est, eaque fere crassa, & rubicunda: præsertim si jecur morbo initium dedit. Serosus humor totus interdum sub abdomine concluditur, nonnunquam ejus portio in femora & in pedes maxime post inambulationem, interdum in scrotum veluti cuniculis sibi inusitatam viam parat. Irrepit & nonnunquam in thoracis spatium, infertque ea symptomata, quæ diximus purulentos affligere: nonnunquam & in uterum, ut in ea muliere cui instante menstrua purgatione humor sub abdomine congestus, per uterum sponte ita profundebatur, ut omnis moles abdominis biduo subsideret: alius dein humor sensim proximo mense succrescere incipiebat, qui stato quoque tempore totus efflueret.

Causa. Hic non ut leucophlegmatias ex sola partium nutrientium refrigeratione, nec ex cruditate sola *ortum ducit*: sed maxime ex soluta continuitate partium, aut vasorum quibus humores contineri solent. Itaque in leucophlegmatia quoniam solida sunt omnia, cruditas è visceribus per venas in omne corpus permeat: in ascite vero, quoniam exesum, apertum, ruptum, fissumve aliquid est, serosus humor, utpote tenuis, sine sanguine solus, uti solet, per renes excidit, & in abdominis capacitatem illabitur. Haud secus atque suppurans pleuritis, exesa aut discissa succingente costas membrana, affatim irruit in thoracis capacitatem. Non enim aliter tanta seri collectio præter naturam illic fieri potest. Turpiter hallucinantur, qui putant per angustos cæcosque poros serosum humorem trans ferri in capacitatem abdominis. Nam hac ratione ascites pereque omnes invaderet: & distribuendis humoribus videretur natura inutiliter vias ductusque tam multos destinasse. Adde quod iis quos ex urina dies viginti suppressa extinctos novimus, aquæ nihil quicquam deprehensum est per cæcos illos ductus in abdominis spatium refluxisse, quoniam integra nec pertusa his erant sanguinis serique conceptacula.

Qui in ascitem propensi? Hinc fit ut ascites *iis fere superveniat*, qui rupta, vel exesa viscerum vena, cruentis vomitionibus, aut dejectionibus, opportuni sunt. Licet enim suppressus sanguis sit, serosus tamen humor per derelictam fissuram præterfluit, inciditque in spatium abdominis. His etiam supervenit qui viscerum errore ictero diu tentantur, & quibus lien, vel jecur, vel mesenterium veteri scirrho obduruit: quandoquidem viscerum substantia siccitate, humorisque penuria, ceu rimis quibusdam dehiscit, eorumque ambiens membrana diffringitur, ut non amplius tenue serum continere possit, sed id renum more elabi sinit, atque sensim quasi ex fissa olla stillare in vacuum abdominis spatium. Hanc causam innuit *Hippocrates*, quum ait, *Quibus hepar aqua plenum eruperit, iis venter aqua repletur.* 7. Aph. 55. Quod si sola visceris substantia diffunditur, ambiens autem ac cingens membrana integra manet, aqua non excidit, sed vesiculæ, aqua plenæ, ὑδατίδες Græcis dictæ, emergunt, quibus sæpe pecudum boumque jugulatorum jecur scatere deprehensum est. Hoc enim viscus quia terrenum siccumque est, magis quam reliqua, hydropem accersit, & magis ætate provectis, quam pueris. Itaque causæ omnes quæ jecur vehementer exiccant, ut ardentes febres, ut calidiorum ciborum, præsertim vini meracioris, liberalior usus, hydropem invehunt: ab his quippe exarefactum jecur perinde atque terra siccitate dehiscit, ac finditur. Fit præterea ascites ex jecoris aut lienis vulnere exiguo quod non alte penetravit (hoc enim repente hominem interimit) sed summam duntaxat extimamque faciem attigit. Oritur & ex ulcere, quod fere ab illorum suppurante phlegmone, atque vacuata relinquitur.

Prognosticum. PLATERUS. *Ascites hydropi, si ab hepatis aut lienis substantia soluta continuitate, à siccitate, vel duritie, aut scirrho, vel tumore alio, vel ulcere, aut omnimoda corruptione, aut contusione, vel vulnere proficiscatur, cum ægre hæc reparari possint, incurabilis fere existit; Uti & si à renum ejusmodi læsionibus, vel ureterum & vesicæ disruptione prodeat; Aut à venarum mesaraicarum, cum omento & mesenterio, ruptura, exesione, ulceratione & corruptione, immedicabilis quoque plerunque existit morbus. Quod si vero à nimia seri copia, in venæ portæ vel etiam cavæ ductibus coacervata, & ex illis in abdomen exsudante, vel per anastomosin exstil-*

exstillante, prodeat, curationem admittere potest; modo non hujus collectionis, omnimoda hepatis vel renum imbecillitas, quæ reparari amplius nequeat, vel uterque ureter adeo obstructus, ut reserari non possit, quod rarum est, in causa sint; vel aqua in abdomine diutius retenta, jam viscera vel omentum & mesenterium, cum venis illis intextis, ut sæpe fit, infecerit. Quibus observatis, si de causa constet, eo audacius aliquid prædicendum: sin ea nos lateat, uti sæpe fit, vel de ea dubitemus, dubie quoque respondendum. Inprimis si urina admodum rufa sit, malum erit: si cruda & alba, major erit spes.

Curatio. *In* curatione *hydropis ascitis, causæ primum erit habenda ratio.*

Quæ si à viscerum & hepatis imbecillitate, refrigeratione, obstructione, duritie, scirrho, tumoreve alio duro, procedat, curatio in ictero, quæ ab illis ut & in iisdem caussis nata hydropem præcesserunt, copiose explicata fuit, adeo ut non opus sit hic eam repetere. Vti & si à calore & siccitate horum viscerum hydrops originem traxerit, in ictero, similiter curatio fuit proposita. Quod si vero ob imbecillitatem renum potius accidat, vel ureterum omnimodam obturationem, remediis quæ in mictione suppressa præscripta, huic seri retentioni & coacervationi in venis occurremus.

Quibus sic institutis, ilico quoque ad aquam ex abdomine educendam, antequam viscera interna corrumpat, omne studium convertemus, per alvum eam educendo, per urinas, per sudores eam exhauriendo, & nisi hæc succedant, etiam per manifestas sectiones & aperturas, vel externas applicationes, quæ hasce aquas absumant, illud moliendo. Quod & in pedibus similiter faciendum, tum ut illorum quoque tumor subsideat, tum ut illic effluente aqua, illa quoque quæ in abdomine existit, in illius locum succedens, ab eo ex parte per hanc viam evacuetur; scrotoque, si illic aqua quoque consistat, quæ eam consumant, extrinsecus apponenda erunt.

Cæterum in aliis causis, quas avertere difficile vel impossibile, ut viscerum soluta continuitate, ex siccitate nimia à calore contracta, refrigerantibus & humectantibus potius, quam calidis & siccantibus, quibus alias in omnibus fere hydropis causis uti solent, hanc emendare, uti in cachexia, eo modo quoque genita, studebimus; & in duritie ac scirrho horum viscerum tumoreque, ex remediis similiter expositis, emollire conabimur; quæ tamen ad præcautionem in hydropis metu plus efficient, cum ubi invaluerint, ea vix amplius queamus corrigere; uti neque si gravior læsio aut corruptio hæc viscera aut vasa infecerit.

In quibus tamen desperatis causis, nihilominus ad symptomata lenienda, aquas quoque ex ventre & pedibus educere, iisdem vel etiam extremis remediis tentabimus, ut sic dyspnœa minus illos gravet, & ne aqua retenta, ob moram & pernitiem summam quam acquirit, viscera interna lædendo, graviora illis pariat accidentia, & in pedibus sponte vel apertura prius facta erumpendo, illic inflammationes & gangrænam, unde misere sæpe ante obitum affliguntur, procreet. Hæ autem omnes operationes per sequentia remediorum genera perficiuntur.

SYLVIUS. 1. Victus ratione *calida sicca: quoniam causa ejus tumoris in ventre continens, & propinqua, est aqua frigida humida: ad hæc hepatis actio, scilicet sanguificatio frustrata est ab intemperie frigida, licet eam intemperies calida sanguinem & spiritum resolvendo excitet interdum: tuncque minus calidis pugnandum est, quam dum à frigidis causis abolita est sanguificatio. Vivat igitur in* aere *libero, calido, sicco, naturæ partis anni, aut nostra industria, ignibus luculentis, suffitibus aromatum.* Cibi *condiantur pipere, caryophyllis, & similibus aromatis: sed ii si vires valent, sint pauci, ut calor nativus aquas illas interea resolvat.* Vinum *sit album tenue, sed paucum: vinosum tamen, nisi à causa sit calida; aquam vero ne spectent quidem, quod siti inexpleta cum torqueantur, visa illa ad bibendum incitantur.* Exercitatio *& vigilia largior quiete & somno est salubris, nisi magna ex tumore spirandi difficultas prohibeat.* 1. Diæta.

2. Aquas *hydropem excitantes vacuantibus* 2. Purgatione.
primo purgatoriis. *Vt sero lactis caprini, rhabarbaro, hepar etiam roborante, agarico, hepati innoxio, succo brassicæ marinæ, (quam soldanellam vulgus, Arabes cachitum vocant) citra molestiam hydragogo, & hepar roborante, (quæ duo effecta in hydrope curando sunt necessaria) ac etiam faciei maculas tergente. datur autem à drachmis tribus ad quatuor. myrobalanis citreis etiam in causa calida sagapenum item in catapotia Mesuæ formatum drachma una, valentius purgat quam brassica marina, Radicum quoque ireos sylvestris, aut ex loco sicciore, purgatarum, lotarum, & tritarum succus, residendo purgatus, quarto vel sexto quoque die sumptus: primo ad drachmas duas, tres, tandem ad unciam unam; seu cum Gordonio, quantum dimidia ovi testa contineri potest, aquas valen-* Serapio.

lenter purgat, & curabilem omnē ascitem persanat.

Et corroboratione. *Intercedentibus vero diebus hepar* roborabis *succo vel aqua, prassii absinthii, cassuthæ: his etiam omnibus aquas hydropis purgantibus miscenda sunt hepar roborantia: aut post illa sunt sumenda. datur etiam ejus succi semuncia cum syrup. capil. vene., vel si friget cœlum, cum syrup. absinthii, aut prassii uncia una, & vini albi parvi unc. duabus: vel decoctum ireos diebus novem, horis tribus ante cibum datur: vel radicis huius taleolæ decem, vino albo imbecillo macerantur nocte: postridie vinum ipsum mane bibitur diebus aliquot, magno successu. Fiant autem vacuationes aquarum parcæ, sed frequentes, ut interim roboretur natura.* *Aphor. 27. lib. 6.*

Quare quibusdam purgantibus abstinendum. *Thymelæa quoque (mezereon Arabes vocant) & ex ea electarium Mesuæ drach. duabus sumptum, magna molestia multas aquas vacuat, nocetque hepati: ob id* non utendum: *nec daphnoides, quam laureolam vocant: succus quoque cucumeris agrestis siccatus, elaterium vocant, omnium purgantium durantissimus: nam Plinio etiam centum annos integer servatur. euphorbii quoque grana octo, & pilulæ de euphorbio Mesue, una parva pilula, datæ etiam in quartana & arthritide frigida multum vacuant, sed clementia sunt tutiora: ut agaricus, rhabarbarum, brassica marina, iris.*

Non venæ sectione. Venam *vero in hydrope* ne seca, *quia intemperiem frigidam hepatis vacuato sanguine auxeris, nisi hydrops sit à suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus, sanguine utrinque vacuari consueto, in vasa & hepar regurgitante, & colorem ejus nativum præ copia, & crassitie, & qualitate sæpe aliena, strangulante. Quanquam autem in ascite & tympanite interdum rubra fit urina, non ob id vena secanda est, quia talis fit ob imbecillitatem facultatis hepatis coquendo secernentis. Si hydrops est ab hepatis tumore aliquo præter naturam, is ante est curandus, ut ante est præceptum.* † *Aphor. 12. lib. 6. Galen. ibid.*

2. Sed apertione. 2. *Secundo ureticis &* aperientibus *inter purgatoria sumptus: ut syrup. bizantiorum, duarum & quinque radicum cum aqua, aut decocto absinthii, fœniculi, prassii, cassuthæ.*

3. Dissipatione. 3. *Tertio per insensilem transpiratum* resolventibus: *ut ventris solius insolatu, aut in arenis calentibus impositu, aut balneo ex urina pueri biliosi, aut suffitu per mensam, foramen ventri recipiendo æquale habentem, facto ex decocto salviæ, majoranæ, rorismarini, pulegii, chamæmeli, anethi, origani, calaminthes, stœchados, foliorum lauri, salis, aluminis, sulphuris, in vini albi, & lixivii, ana lib. octo: impositis sæpe lapidibus ignitis, ne frigescat. Ne autem vapor dispergatur, dolo suffitus materiam continenti, aut panno denso prohibe. Ventri etiam applicare possis sacculos, arena, sale, alumine, sulphure plenos, vel oleum lilii, anethi, vel pulverem seminis anisi, baccarum lauri, & similium: vel ex his & stercore caprino, aut vaccino à vacca adhuc calido, cataplasma: vel unguentum agrippæ, vel limaces cum testa tritos cataplasmatis modo, donec per se cadant, admovere.* *Gal lib. 11. simpl.*

4. Aquæ emissione. Postremo *ventris incisione* aquas emittere *licet, ubi cætera nihil profuerunt, si æger est juvenis & robustus: nec tamen universim vacues, sed particulatim per dies aliquot. Aperitur autem ad musculum obliquum ascendentem dextrum, si hepar primario est affectum: sinistrum vero, si lien; cute prius deorsum revulsa, ut post incisionem locum naturalem repetens, hiatum obturet, ne aqua largior effluat; vel immisso siphone in hiatum: aqua autem quotidie bis, aut ter, siphonis operculo ablato mittatur.*

Simul & ægri roboratione. Ægrum interim roborato *cibis delectis, & conditurís analepticis: ut dialaccæ drachmis duabus mane sumptis: vel diacurcuma, cum aqua intybi, absinthii, cassuthæ, & cibis calidis modice humidis, tenuibus, coctu & distributu facilibus: aut si causa est calida, electario trium santalorum, diarrhodo abbatis. Hepar quoq; lupi, & rhabarb. & troc. ex eo hepar mire roborant. is in hebd. dati ad drach duas: & alia quæ tota sua substantia hepar roborant, electuarium de vino, syr. de bizantiis, si calida est causa, si vero frigida, syr. absinthii, cum aqua prassii, cassuthæ, eupatorii.* ††

V 2 Item

† J. HEURNIUS.] *Oleum juniperi cum integrâ cantharide ex vino hydropicum multum juvisse observavit.*

† † J. HEURNIUS in Hydrope pro secretis sequentia annotavit.] Fiat *Syr. magistralis ex decocto hoc ℞ rad. enulæ, baccar. juniperi, agrimoniæ, fumariæ, card Bened. chamedryis, pimpinellæ, soldonellæ, rad. Ebuli ℥ij. corticum sambuci ℥jſ. Specier. diaturb. cum rhabar. polypod. rad. cappar. Tamarisci, rad. ireos agarico, gratiola, Sem. anisi, dauci, carui, fœniculi; aromatizæ confortæ alternis diebus dialaccæ ʒj. Emplast. de baccis lauri & meliloto.*

Item

℞ acinos maturæ admodum sambuci, frange ut semina prodeant, ac illa ablue, & inde illa semina aquæ, & collige ea quæ subsidunt, & da ʒj. in pollinem versam cum vino albo, id bis terre sumat & dein bibat parvum cochlear. spirit. juniperi (vulgo vocatur aqua juniperi) non debet autem cum vino destillari, sed cum aqua per Vesicam: Coloniâ adfertur optima.

Item

℞ *Specier. diaturbith ʒj. diacarthami. ℈j. vel ʒß. cum Syr. rosat. laxat.*

Item

℞ *Succi ireos depurat & crudi ℥ß. Syr. rosat. laxat ℥jß. aq. cinnamomi ℥ß. vini ℥j. Caryophyll. ℈ß.*

Misce.

Galen. & Aëtius cit. loc. Ὁ τυμπανίας.

HYDROPS TYMPANIAS *abdominis est distentio, ex multo flatu in illius capacitate concluso.*

Ejus signa. Moles quam in ascite minor & minus gravis, parum fluctuans, sed rugitu obmurmurans: summus venter ungue percussus, ut tympanum tinnit, multaque flatus indicia existunt.

Causa. Hujus ergo *materia* flatus ex imbecilla concoctione & cruditate genitus: qui cum multus in ventriculo, aut intestinis, velut in colico dolore coërcetur, nec exitum naturalem reperit, impetu viam sibi muniens, per cæcos tenuesque ductus inter abdominis membranas magnis cruciatibus sese infert, ac demum varie impulsus, in ipsum abdominis spatium penetrat aut devolvitur. De hoc inquit Hippocrates, *Quibus tormina circa umbilicum fatigant, & labor atque lumborum dolor, qui nec medicamento, aut ullo alio modo solvi potest, in hydropem siccum firmatur.* Rarus certe hic hydrops, vixque syncerus flatus sub abdomine, citra humoris permistionem, unquam est animadversus.

Prognosticum. PLATERUS. *In prima tympanitis specie, quæ à flatibus non in ventris capacitate, sed ventriculo & intestinis collectis, eaque adeo distendentibus, ut inde venter intumescat, procedit, si ob convolutionem intestinorum, aut aliam permanentem obstructionem eveniat, atque intestina ad extremum usque attenuata sint, adeo ut rursum in se redire nequeant, vel etiam levi impetu, uti vidimus, disrumpantur: desperatum plerunque malum existit. quod si vero non adeo hæc distentio aut obturatio invaluerint, ita ut colici doloris flatulenti potius sit species, quam verus tympanites, spes sanationis tunc major affulget.*

Cura flatus in intestinis contenti. Cura *autem in hac tympanitis specie sic instituenda, ut viam hanc intestinorum rursum referemus, idque mature, antequam ad extremum res devenerit, illudque Clysteribus injectis potissimum, qui emolliendo, stimulando, alvum solvant, flatusque simul dissipent, vel exhibitis purgantibus, aliisve intro forisque adhibitis remediis, iisdem quibus in colicis doloribus simili modo excitatis, & alvi constipatione, utendum ejusmodi casibus esse diximus, eaque illic copiose, ut non opus sit hic repetere, descripsimus.*

In altera vero tympanitis specie, in qua & flatus & aqua abdominis cavum replentia, *ventrem in tumorem attollunt, cujus &, tanquam frequentioris, curam Practici fere tantum attingunt, quia in eo & tympanites & ascites concurrunt, ob geminum hunc affectum, quorum uterque gravis est, periculum quoque majus exurgit.*

In abdominis capacitate. *Cujus* curatio *ab ascitis curatione non adeo discrepat, nisi quod imbecillitatis ventriculi, unde flatus prodeunt, siquidem inde tunc proveniant, simul habetur ratio, & sive inde sive ab aqua in ventre contenta, in flatumque resoluta proveniant, illis simul dissipandis cura adhibebitur.*

1. Diæta. SYLVIUS. 1 Victus ratione, *ut prædictus hydrops, calida sicca, & flatus resolvente, & fuga eorum omnium quæ flatus gignunt, fame, siti, exercitatione.*

2. Dissipatione. 2. *Flatus ipsos dissipantibus medicamentis, & aquas pituitasque flatuum fomites vacuantibus, ante dictis & dicendis.*

Flatuum. Flatus *autem* dissipant, *ventri impositi calentes sacculi ex milio, panico, sale, cinere, furfure, sulphure: spongia item vel panni mersi decocto chamameli, meliloti, origani, calaminthes, & similiter resolventibus: vesicæ eodem decocto plenæ. Cucurbitula quoque magna cum larga flamma, bis terve umbilico imposita, sine incisione, mire flatus in colico dolore & tympania resolvit.* (Gal. lib. 4. Method.) *Galanga, cyminum, diagalanga, diacyminum, diamoschus, salubriter sumuntur. & E. de baccis lauri drach. tres, vel semuncia, clysteribus miscetur, factis ex rutæ, salviæ, ana ma. uno, florum chamameli, meliloti, anethi, centaurii parvi, chamedryos, ana pug. uno, se. anisi, cymini, ana drachmis duabus, coctis in lixivio, aut vino, aut hydromeli, aut aqua fabrorum, addita hieræ picræ semuncia, & olei anethi, aut rutæ, unciis tribus: balani quoque, dictorum pulvere misto cum melle cocto ad consistentiam idoneam. Ventrem quoque linteis calidis fricuisse bonum est, ut apertis tenuati flatus exhalent melius cum manibus carnosis, & calentibus, & admotis animalium visceribus natura sua calidis.*

3. Causæ sublatione. 3, *Dispositionem hepatis,* causam mali, tollenbus: *iis scilicet, quæ illi dispositioni sunt contraria, & hepar roborant: de quibus sæpe prius est dictum.*

Raro autem hydropis species sunt simplices, sed fere secum implexæ.

CAP.

CAPUT IX.

Intestinorum morbi, causæ & signa.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 2. 3. de. sympt. caus. 2.

INteſtina non admodum intemperie infeſtari ſolent: horum autem graviores *morbi* ſunt, *obſtructio, adſtrictio, inflammatio, abſceſſus* & *ulcus*.

Τῶν ἐντέρων πάθη. Ἔμφραξις. *A tumore, & ejus ſigna.*

OBSTRUCTIO aut alimenti prolapſionem, aut fæcis dejectionem, quæ præcipuæ ſunt inteſtinorum functiones, interpellat. Ea autem interdum, ſed admodum raro, *fit à tumore* præter naturam in inteſtini ſubſtantia orto, qui uonnunquam eouſque increſcit, ut ejus ductum viamque impleat. Hic notis eluceſcet, quæ mox recenſebuntur.

A reſiccatis facibus.

Interdum à *reſiccatis* obduratiſque *fæcibus*, quæ in illorum anfractibus reconditæ exturbari vix poſſunt: ſiccantur vero quoties tarde deſcendunt, aut quum forenſibus negotiis aliiſve occupationibus coërcitæ ſurſum remeant. Evidens has cauſa anteceſſit: nullus ſubeſt dolor, nulluſque tumor conſpicuus. Leviter ac facile hæc ſolvitur obſtructio.

A pituita gypſea.

Interdum è craſſa, lenta vereq; *gypſea pituita* quę ſenſim copioſior collecta firmiuſque inteſtinis adhæreſcens, omnem eorum capacitatem replet. Supervacanea quidem pituita in cerebro, in ventriculo & in inteſtinis gigni conſuevit: ſed in cerebro tenuis & aquoſa, in his vero craſſa atque lenta: hæc enim peculiare eſt ventriculi & inteſtinorum excrementum, non fæx alvi, quippe quæ cibi exrementum eſt commune. Etenim quum illorum ſubſtantia frigida ſit atque membranoſa, craſſum certe ac viſcoſum de ſe excrementum proferet, quale eſt pituita lenta. Hæc igitur ſecundum naturam gignitur concreſcitque in inteſtinis: è quibus cernitur, alias ſponte fæcibus circumjecta deſcendere, alias clyſtere manifeſte deduci, alias dyſenteriæ vi corradi. Quum autem parcius ea vacuatur, ſenſim aucta caloris vi ſic tandem craſſeſcit, ut prorſus obſtruens inteſtina quaſi infarciat, fiatque latentium difficiliumque morborum cauſa Caroli Quinti Imperatoris legatus quidam dolore torquebatur, nec non tumore à dextro hypochondrio per A ima ventriculi in ſiniſtrum exporrecto. Huic quum ſexennio toto remedii genus omne tanquam emolliendo ſcirrho adhibitum fuiſſet, injecto tandem acriori clyſtere, durum ac firmum puippiam, medio ductu pertuſum, pedis longitudine detractum eſt: quod ille inteſtini portionem eſſe metuebat. Sed quum repente levatus videretur, adhibito conſilio, iterum ac tertio clyſtere prolutus eſt; rurſuſque ſimili evulſa materia continuo priſtinæ eſt valetudini reſtitutus. Alteri cuidam ſimilis, ſed gravior affectus alvum prorſus cohibuit: qui tandem ventre ſupra modum intumeſcente deceſſit è vivis, inventumque eſt colum B inteſtinum uſque adeo infarctum pituita concreta, ut ſolidum prorſus cenſeretur, nihilque omnino fæcis in alvum delabi ſineret. Vera hæc eſſe teſtamur, quæ tamen Galeno non admodum probabilia videntur. (6. de loc. aff. 2.) Craſſior porro hæc pituita in cæci aut coli inteſtini cellulis diutius coërcita, nonnunquã concreſcit in calculos: quales ſæpe vidimus inſtar nucis juglandis, & in quodã magnitudine caſtaneæ, quarto aut ſexto quoque die dolore nullo exturbari. Hæc igitur mala concreſcens pituita efficit, qua exuperante animus vireſque languent, ventriculi cruditas adeſt, tardaque alvi dejectio, flatus plurimus obmurmurat, venter friget, ac nonnunquam colico dolore premitur. C

Στενοχωρία. *Ejus cauſa.*

Obſtructioni affinis eſt inteſtinorum COARCTATIO & anguſtia.

Ea autem *fit* eorum vi quæ ingeruntur: ſive cibi ſint, ut cotonea mala: ſive adſtringentes clyſteres. Quinetiam à meſenterii aut viſcerum tumore inteſtina premente: hocque frequens admodum eſt. Fit & ab enterocele, quum inteſtinum in ſcrotum devolvitur, eoque quaſi vinculo coarctatur.

Signa.

Horum unumquodque ſe ipſo non aliis *indiciis* percipi debet. Prętor inſtitutum non erit exemplum memorabile hoc loco interſerere. Septennis puella diarrhœa correpta, quum per dies complures ſubalbidam ac

ac putrem olidamq; materiam indolenter alvo redderet, diuturnitatis fluoris ejusmodi pertæsa ejus avia, consilium de cohibendo cum aliis mulierculis cepit. In eam rem, cydoniato larga manu exhibito, sic est ejus esu alvus repressa, ut eo die & sequenti nocte nil omnino reddiderit, sed excitatis sævissimis ventris doloribus & torsionibus usque eo intumuerit, ut hydropica derepente evasisse putaretur. Accitus medicus quid rei esset suspicatus, clysmatis primum lenibus, dein etiam acrioribus identidem injectis, hærentem alvo noxiam materiam foras evocare, fotu dolores lenire tentat: sed id frustra. Invalescentibus quippe doloribus immanibus cum crebris animi deliquiis, tandemque liquidioris stercoris vomitione intra biduum miserabiliter extincta est. Aperto corpore cæcum intestinum coangustatum constrictumqne, adeo obhærescente interioremque ductum obturante cydoniato deprehensum est, ut illac nullo modo prorsus quicquam posset peruadere: unde accidit ut acris illa & corrupta materia meatu prohibita, objectaque mora restagnans, inusitatam sibi viam in abdominis spatium patefecerit, paulo supra obstructum locum pereso perforatoque intestino, quo velut emissario & cuniculo acto excidens abdominis totam capacitatem repleverat. Hinc acerbissimi dolorum morsus, hinc distentio, hinc animi defectiones, obortoque fœdo vomitu crudelissima mors brevi consecuta. Hæc historia ad eos valebit qui redundantem nocentemve humorem, undecunque is profluat, intempestive sistere atque coërcere properant, maximo ægrotantium malo.

A B C

Φλεγμονή. Jam vero INFLAMMATIO in gracilia intestina non sæpe incidit: at in crassiora quæ sanguine multaque carne prædita sunt, frequenter, maximeque in id quod rectum appellant.

Ejus signa. Dolor in primis acer isque lancinans, non ut in dysenteria aut corrodens, aut vagus, aut intermittens, sed in una eademque sede defixus constansque premit. Febris quam in dysenteria ardentior, eaque, dum pus conficitur, exasperans, & inæquali rigore fatigans. Desidendi cupiditas inanis, & qua præ obstruentis tumoris magnitudine, nihil, minimumve dejicitur: in dysenteria vero nonnihil, atque etiam creberrime. Dolorem vel anodynus clyster mirum in modum exacuit, quod tumorem comprimat: in dysenteria compescit, atque demulcet acri humore deterso.

Α'πόστημα. *Ejus signa.* ABSCESSU facto ruptoque, pus primum saniosum, deinde album & concoctum à podice exigitur: idque vel seorsum ac syncerum, vel paulum ante fæces, à quibus detergi impellique solet. Tum dolor, febris aliaque symptomata mitescunt, & alvus impedimento sublato libere exit.

Ε'λκωσις. *Ejus signa.* ULCUS tum ex abscessu, tum etiam ex dysenteria aut tenasmo relinquitur. Hujus dolor fixus est, cujus sensu debilitata intestina, sæpius onus suum deponunt, eructantque modo cruentam, modo purulentam saniem. Id si cavum est, quoniam in parte humida consistit, & excrementis pervia, diu sordidum manet, vixq; tandem cicatrice obducitur, & nisi diligenter præcavetur, fere vel in fistulam, vel in cancrum desinit.

CAPUT X.

Intestinorum symptomata, horum causæ & signa.

Gal. 5. de loc. aff. c. 2. Et symp. caus. 2. Aëtius li. 9. c. 27. & 29. &c. Τῶν ἐντέρων συμπτώματα.

INtestina non paucis dirisque *symptomatis* torqueri solent, qualia hæc fere sunt: *dolor* tum *colicus*, tum *iliacus*, *tarda alvi dejectio*, & *ileus*, *profluens alvus*, quæ aut *lienteria* est, aut *colliquatio*, aut *diarrhœa*, aut *dysenteria*, aut *tenasmus*. Adhæc *cruenta* aut *purulenta dejectio*, *lumbrici* quoque, & *ascarides*.

A

Κωλικὴ ὀδύνη. *Ejus causæ.* COLUM intestinum amplum quum sit & laxum, anfractibusque multis sinuosum, varias sane materias excipit, quarum exuperantia distorquetur, DOLORQUE fit, quem ab affecta sede COLICUM nuncupamus. Hæ autem materiæ sunt flatus crassior, humor, aut lentus, ac pituitosus, aut acer & mordax, & vere biliosus, qui interdum etiam inflammationem accendit, è qua pus in colo fieri interdum solet. Flatus in colo intestino plurimus gigni cumularique solet in quo sæpius rugire vel murmurare obauditur: neque

neque enim aliud natura condidit excipiendi flatus receptaculum, quem tamen prima ventriculi concoctio maxime progenuit. Itaque flatus in hoc intestino copiosior congestus, si propter obstructionem à duris resiccatisque fecibus, alisve de causis erumpere nequit, intestinum vi distendit atque divellit, magno certe & immani cruciatu, magnoque sensu doloris. Cohibendi flatus consuetudine non paucos dissectione animadvertimus, quibus dilatatum colon intestinum brachii amplitudinem adæquabat: alios quibus ex imo ventre flatus toto anfractu in ventriculum resiliens ructu emittebatur, & quibus pro crepitu ructus erat: alios quoque aliis ex causis hoc symptomate continenter affligi, ut his plures ructus quam verba essent.

Signa. Flatulentus dolor colicus ventrem distendit, vagus est & instabilis, in variasque ventris sedes se contorquet: sæpe obmurmurat, & arcte conclusus, nec ab ore, nec ab alvo erumpit: hunc causæ flatus effectrices præcesserunt. A crassa lentaque, & præsertim à *vitrea pituita*, quæ non modo huic intestino adhærescit, sed & ipsum corradit, dilacerat, atque in id plerunque perforantis terebelli more se infigit, colicus etiam dolor exercet. Hic fœde fixus est, & alte excruciat, nauseam & pituitæ vomitionem ciet; neque ructibus, neque flatibus emissis demulcetur: habuitque originem à crapula, & otio, quæ cruditatem, crassumque humorem progignunt. Ab acri vero *erodentique humore*, aut etiam ab inflammatione quisquis ortus fuerit dolor colicus, fixus etiam est, sed cum febricula, ardore, siti, & vigiliis: irritatur esculentis potulentisque calidioribus, à quibus etiam sumpsit originem. Atque hi quidem vere colici dolores facile mitescunt, ceduntque justis remediis. Nephritici dolores, in quibus nec arenula, nec calculus exturbatur, sæpe colicorum specie eludunt.

Nothi colici dolores. Alii insuper cruciatus, quadam *similitudine & vehementia colici* nuncupantur, quibus tamen non in colo intestino sedes est, sed vel in peritonæo, vel in membranis quæ abdomini ventrisque partibus obtenduntur.

Eorum signa. Hi sane gravissimi sunt, & admodum diuturni, ac neque clysteribus, neque medicamentis, neque fomentis, neque iis remediis, quibus qui vere sunt colici dolores, deliniri solet.

Causa. Eorum *materia* aut flatus est tenuis, aut humor acerrimus & æruginosus, membranarum spaciis conclusus, è quibus detrahi vix potest. Succedunt diuturnis febribus, aliisque biliosis morbis, quorum est difficilis solutio. Natura quippe crisim noxiique humoris depulsionem in alvum molita, quum nusquam vacuandi viam promptam & expeditam nanciscitur, ilum è venis & visceribus in membranas sæpe avertit, ubi dolores exurgunt priore morbo graviores. Observavi, & continuas, & tertianas, sæpius vero quartanas febres hisce doloribus finiri, qui diu circuitu certo exacuebantur, paremque accessionum ordinem retinebant.

Prognosticum. PLATERUS. *Si flatus, excrementaque, in crassiorum intestinorum anfractu, vel cellulis, vel tenuium intestinorum exitus meatu retenta, distendendo, irritandoque, dolorem colicum iliacumve gignant, facilius hæc obstructio in crassis intestinis solvitur, colicusq; dolor sanatur: difficilius, si tenuium intestinorum meatus obturatus sit, excrementaq; quæ retinentur, prava sint, taliaque continuo gignantur, cumulenturque, iliacumque illum dolorem nostro tempore adeo frequentem pariant, cum etiam reserata nonnihil obstructione, tamen ille facile vel subito, vel post tempus redeat, excrementaque de novo coacerventur, ægrique qui hunc dolorem passi sunt levi ex causa recidivam patiantur, perseveranteque morbo convulsiones, paralyses, quas membrorum dolor præcedere & præsagire solet, aliique graves morbi, ut dictum, sequantur: quibus supervenientibus, licet dolores tunc quandoque remittant, tamen graviora hæc accidentia hominem vel jugulant, vel noxas graves post se relinquunt. Quod si quoque adeo pertinax sit hæc meatus occlusio, à tenacibus & duris excrementis aliisve corporib. facta, ut aperiri nequeat, excrementisque adeo tenuia & jejuna alioquin intestina impleantur, ut illa, per duodenum in ventriculum irrumpentia, vomant, lethalis tunc fere iliacus sequetur dolor. Qualis & ille esse solet, cui præter oppilationes, intestinorum accedit convolutio, vel propter prolapsum in hernia, illorum contorsio, similem vomitionem mortemque plerumque accersens.*

In quibus omnibus casibus, nisi quando ob herniam iliacus fit dolor, in quo casu curatio *potius herniæ, ut prolapsum intestinum reponatur, quã iliaco dolori, debetur, sicuti in herniis hæc explicabuntur, curandi*

scor-

scopus erit, excrementa emollire, abstergere, educere, vias laxare, alvum stimulare, flatusque, si qui adsunt, discutere, doloremque, si is adsit, lenire. Et si biliosi, acres, pravique, qui retinentur cumulanturque sint humores; illis expurgandis, contemperandis, non tamen summe frigida, acida, sed temperata medicamenta, simul accommodare, dolorique compescendo, qui tunc acrius urget, etiam per narcotica magis quam in aliis causis, intentos esse, & convulsiones, aliaque mala, sicuti suis in locis ostenditur, praecavere vel emendare oportebit. A pituita vitrea, refrigerante intestina, si dolor torquens fiat, eam abstergere, incidere, refrigeratasque partes calefacere studebimus. Quae calefactio etiam in simplici illorum intemperie, eam, nisi sponte cesset, corriget. Hac autem omnino per injecta, exhibita, adhibitaque remedia diversimode sequentibus modis praestantur.

Quomodo fiat mitior dolor sublatione causae?

SYLVIUS. *Colicus dolor cito curandus, quia ob vehementiam vires maxime prosternit.*

Si vero est mitior, *& dat inducias, clystere primum vacua: ut viam aperias, per quam facienda est vacuatio, etiam si alvus est libera: deinde purga medicamento phlegmagogo, si pituita est causa: cholagogo, si bilis eo refusa, vel attracta ab eo in ventrem materia, & libero exitu prohibita, ad partes principes sursum regurgitant. Si autem intestinis solis haerent, medicamento opus est, cujus vires hepar non superent: ut hiera picra. Si vero materia est rodens, & mordax, & ulcerans: clystere blando lava, & dolorem mitiga. Si pituitosa & flatuosa, etiam scammonio & turbith: cum cibo, vel minoribus aliis sumpta, sunt remedio. Dum autem materia est crassa, lenta, frigida, multa, quae valenter calefaciunt sumpta, injecta, admota, flatibus excitatis tensionem, & ab ea dolorem augent: ut etiam docet Galenus libro methodi septimo, & duodecimo. Sumpto autem clystere, aeger in partem magis dolentem cubat. Si autem injectio recipi in intestina per flatus prohibetur, habe fistulam biforem: ut foramine uno, materiam injicias, altero flatus foras erumpant. Si balanis utendum, sint longae digitos circiter septem: ut penitius vim suam immittant.* †

Anodynis? Gal. lib. 12. Meth ubi pulchra est colicum dolorem curandi ratio.

Quod si dolor his non cedat, & sit maximus, narcoticis *utendum, praesertim si materia est calida. Si enim frigida est, usu narcoticorum crassiore evadit, & contumacior expelli, malumque paulo post gravius saevit, sive pituita erat, sive flatus. Foris autem admoventur narcotica emplastri forma: intro autem recipiuntur probe castigata: ut philonium, theriaca recens: sed victus prius remediis omnibus aliis, & parva mensura.*

Dolor igitur inprimis est sedandus traditis remediis causam auferentibus, qua desita, dolor cessat: materia interdum prius apparata, & post vacuata: interdum ad vomitum revulsa, resolutave per admota. ††

Quomodo gravior dolor Anodynis?

Quod si dolor vehementer urget: *admotis, aut injectis primo pugnandum est anodynis, hoc est, calidis moderate, vel non ultra primum gradum, (ut partem materiae clementer digerant, neque novam, vel ex pituita ibi contenta excitent) & humidis, ut partes laxatae tensioni magis obediant: ob id minus doleant. Qualia sunt, decoctum semin. & foliorum lini, foenugraeci, foliorum malvae, althaeae, anethi, foeniculi, florum chamameli, meliloti, & similium: vel clepsydra ex alto ventri undique lana munito, affusum, vel potius ex magna spongia expressa, aut in vesica, admotum. Fotus item cum simili spongia, aut vesica ex oleo communi, lini, chamameli, anethi: stercus etiam vaccinum utiliter admovetur; filum item ex lixivio cum cinerib. coctum, calidum admotum: insessus ventris totius inferioris per semihoram in balneo ex dictis plantis cocto. Mora namque in ipso, vires dolore, inedia, vigiliis fractas nimis dejiceret: ob id interea, dum insessu dolor placatur, olfaciat aromata, & suaves alios odores ad virium robur: manus etiam & pedes lavet aqua rosarum, & vino aromatico. Clyster item injicitur decocti praedicti, vel juris pinguis, vel olei chamameli, vel, nucum, vel lini, quod efficacissimum est. lib. una, cum cassiae & saccha. ana uncia una, vitellis duobus ovorum. Summuntur vero decoctum, vel aqua destillata chamameli, jus galli, aut gallinae, aut simile pingue cum multo croco.*

Quibus victis & viribus deficientibus, narcotica

† O. HEURN.] *Mercurium crudum à ℈j. ad ʒj. in cocleari olei communis recentis cum saccharo distemperatum, exhibitum, scire se ait alvum, ac dolorem colicum solvisse ac certissimum esse remedium.*

†† In colicis raro decoctis sive per alvum, sive per os utendum censent quod, quamvis qualitate prosint ratione substantiae seu materiae noceant, praestare clysteres confici ex solis oleis vino potenti mixtis, qualis est hic ab O. HEURN. laudatus.] *Olei juniperi chymici ℥ß. vini malvatici ℥x. misce, & f. clyster.*

Narcotica? tica *injiciuntur potius quam sumuntur, præsertim causa calida: nam frigidam augent, sive pituita est, sive flatus: fitque dolor non multo post sævior.* *Mesues in theorematis tertii fine* *Clysteribus ergo prædictis misce philonii Romani drachmas duas, tres: vel idem illine balanis filum habentibus, ut tempestive retrahantur: nam mora calorem nativum interdum extinguunt, & occidunt caro vel apoplexia. Opium etiam castorio flatus dissipante, & sibi maxime contrario correctum, interdum victis prædictis inditur. Vinum quoque aromaticum clystere injectum, in materia frigida, & flatu, salubre est. Si sumi ea est necesse, aget ea, aut fortior athanasia à drachma una ad sesquidrach. vel his valentius philonium ad drachmam unam datur. Tutissime autem horum drachma una, vel scriptula quatuor sumuntur cum purgantibus: ut hiera Gal. mellita drach. sex, cum diaphœnici drach. duabus, E. indi drachma: nam calida opii vim frangunt, & ipsum mox vacuant cum parte materiæ: opium contra calidorum violentiam obtundit, & tamen agit, sed moderatius. Ea mistio medicorum probatissimis maxime probatur, in colico dolore vehementi, quod tuta sit & efficax.*

Tota substantia agentibus? Gal. l. 10. simpl. Tota *vero* substantia *colicos juvant, stercus lupi ossibus non præmansis plenum, aut ipsius intestinum collo appensa: castorium etiam caliditate & siccitate idoneum: lumbricorum terræ, vel cornu cervi, drachma una, cum vino albo pota: scorpiones assati per se calculum quidem renum frangunt, motis vero urinis avertunt materiam, & sic colicum juvant: tanti tamen momenti in id non sunt, ut sumi debeant. Officium mespilorum drachma una cum semine anisi cum vino sumpta calculum frangit, & colicum dolorem sedat: secretum quorundam remedium.*

Cura doloris à pituita, *Si autem à* pituita *est dolor colicus, victus rationem pituitosis affectibus debitam servet: ventrem leniat dictis clysteribus: sumat etiam blandum phlegmagogum, ut hieram Gal., diaphœnicon, electarium indum. Apparetur deinde oxymelite aliquo, vel syrup. radicum duarum, aut quinque. iterum purgetur, sed valentius: ut hiera mellita unc. una, diaphœnici drachmis duabus, vel E. indi: quanquam materia in viis istis capacibus non magnopere eget apparantibus: præsertim ubi magnus dolor non dat inducias, nisi materia sit multum crassa, lenta, infarta, etiam hiera diacolocynthidos vacuanda. Reliquiæ postremo resolvuntur oleis chamæmeli, lilii, anethi, rutæ, cum se. cumini, anisi, fœniculi, baccis lauri, cum abrotono, pulegio. Sumitur aromaticum rosatum, E. de baccis lauri, diagalanga, diacyminum, diamoschum.* †

Si succus *est* biliosus *(quod rarum est) aut melancholicus, vacua dictis clysteribus. Sumat cassiam, mannam, terebinthinam ad unciam unam, vel jus galli antiqui, cum polypodio, aniso, fœniculo, vel agarico. turbith., pro variis scopis cocti ad dissolutionem, ad uncias octo vel decem sumatur.* *A bile.*

Si dolor in colo sit à phlegmone, *cura phlegmonem, ut dixi sæpe.* *Ab inflammatione,*

Si à vermibus, *post audies.* *Vermibus,*

Si à malo situ, *vel hernia, elatis cruribus, succusso corpore per crura reddatur loco suo.* *Hernia,*

Si à flatibus, *leviora primum tenta, quæ flatus dissipent: præsertim cum adest materia flatum fovens: ut, pulverem anisi cum vino dabis: valentiora, diacyminum, diagalangam, E. de baccis lauri. Cucurbitula magna loco dolenti affixa mire levat, & repente clyster ex oleo nucum, vel rutæ, cum hiera, terebinthina, E. de baccis lauri, ana uncia dimidia, valens est, etiam si pituita subest.* †† *Flatu? Gal. l. 12 meth.*

TARDA ATQUE PIGRA ALVI DEIECTIO EST, *qua faces & cibi reliquiæ raro, nec pro assumptorum ratione descendunt.* Per hanc fæces necessario obdurescunt, quod diutius cohibitæ caloris vi continenter siccescant, abhisque nonnihil succi semper exugant mesenterii venæ, non modo in tenuia, sed & in crassiora intestina distributæ. Tarda dejectio intestinorum quidem symptoma est, sed quod alios deinceps morbos excitat, quocirca inter evidentes morborum effectrices causas refertur. Illinc siquidem vapore caput tentatur, corpus ingravescit, ventriculi concoctio offenditur, ac reliquæ functiones deteriores evadent. *Gal. 3. de symptom. caus. 2. Aëtius l. 9. c. 26. Ἡ βραδύνουσα διαχώρησις. Et inde nata symptomata.*

Sæpe ex vivendi errore *nascitur*, velut ab esculetis ficcioribus, acerbis & adstringentibus, quæ præsertim prima mensa assum- *Causa.*

† J. HEURNIO Hoc feliciter cessit.] ℞. *Manna ℥xij. olei amygd. ℥iß. vini malvatici ℥iiij.*

†† HEURNIUS Pro colico dolore tanquam secreto, utebatur.] ℞. *Dimidium cœpæ albæ, confunde cum oleo & Umbilico admove.*

pta sint: ad hæc ex immoderata ciborum copia, quam pauco tempore natura, neque vincere, neque distribuere potest: ex otio denique & decubitu, somnoque multo. Cæterum non hanc sed eam quę morbi soboles est tardam dejectionem perquirimus. Hujus causa triplex statuitur: sensus obtusus, qualem infligunt veternus, apoplexia, & paralysis. Stimuli penuria, ut quum flava bilis quę obiter intestina ad excretionem irritat cohibetur, hocque crebro fit in ictero. Intestinorum vel obstructio, vel adstrictio, quæ cæteris est causis frequentior. Adstrictio à mesenterii aut viscerum tumore nascitur, qui intestina pressu coangustat; nonnunquam & ab enterocele. Obstructio vero vel à duris siccisque fæcibus, vel à crassa lentaque pituita, vel ab assidua corruptione cibi; & multi; & varii, nec consueti, multiplicatisque cruditatibus, vel à concreto calculo. In quibus ergo pigra multum ac tarda est alvus, ut in eo quem novimus non nisi duodecimo quoque die excrementa fæcesque dejicere, & aliquando citra manifestum corporis functionumque detrimentum dies totos quadraginta nihil prorsus ab alvo reddidisse, causa quidem, neque à consuetudine, neque à natura, sed ab iis quæ nunc recensui vitiis petenda. Quinetiam tumor præter naturam in intestino genitus, id in totum obstruit, fæcisque prolapsum cohibet. *(Gal. 6. de loc. aff. 2. Aetius lib. 9. c. 28.)*

(Ο᾿ εἰλεὸς καὶ χορδαψός.) Hæ causæ quum supra modum increverint, excrementorum via prorsus occlusa, miserabilem ILEUM * edunt, in quo fæces alvum præterlabi nequeunt. *(Ejus causæ.)* Hunc persæpe committit intestinum, si cum resiccato stercore vel in scrotum vel in disruptum umbilicum procidens retrudi nequeat. Interdum & stercus durum, & intestini tumor præter naturam, aliæ vero causæ rarius.

(Signa.) Sub hoc omnino neque cibus descendit, neque injectus clyster ascendit. Atque per initia intestinorum murmur inest, dolor circunvectus, ructus inanis, nausea atque ventriculus nimium humidus. His dein accedit pituitæ bilisque vomitio, quicquid estur bibiturve, tametsi in intestina provolvitur, hinc tamen postea remeat inquinatum stercoris nidore: ac postremo horrendum visu stercus ipsum morituris vomitione rejicitur, frigescente quidem jam corpore, & oborto sudore frigido.

CITA ALVI DEIECTIO contrariis fit ex causis, quum videlicet cibus vel liquidus, vel lubricus, vel pinguis nimium est, quum is sua copia ventriculum & intestina quasi pondere gravius onerat: quum quædam acrimonia eum pungit atque vellicat, sive ea ex medicamentorum genere, sive cibus sit corruptus, sive biliosum & acre corporis excrementum sit, aliunde eo confluens, aut etiam illic genitum. Hæc quippe citam alvum reddunt, quæ & liquida, & sæpius quam ex consuetudine dejicit. *(Διέξοδος ταχεῖα. Ejus causa. Gal. 5. de loc. aff. 7. Et lib 6. cap. 2.)*

Ex iis autem quæ exeunt PROFLUVIORUM DIFFERENTIÆ statui debent. Quum ab alvo continenter cruda defluunt, aquosa nempe diluta, humentia, colore subalbida vel cinerea, graveolentia, idq; solo ventris rugitu, vel murmure, nullo manifesto torminum, dolorisve sensu; aut lienteria, aut cœliaca est affectio. Si enim lævia & æqualia suique similia, & quasi chyli aut cremoris specie profluunt, cœliaca sin vero inæqualia & dissimilia, in quibus cibi nec obtriti nec confecti substantia aperte cognoscitur, lienteria est. *(Aetius l. 9. c. 37. Κοιλιακή. Ejus signa.)*

(Causa.) *Cœliacæ affectionis causa* non cruditas est, non imbecilla ventriculi concoctio, sed chyli imperfecta malaque distributio, quam mesenterii, lienis, aut jecoris obstructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum, maximeque fructuum fugacium, & potus immoderata copia peperit. Hæc enim distribui tota nequit, sed maxima ex parte in abdomine subsistit. Ab his causis multa congeritur illuvies, quæ sensim in tenuioribus intestinis aucta, vel in ventriculo, vel in mesenterio, vel circum viscera, tempore corrumpitur.

(Signa alia.) Quumque sua copia gravis esse cœperit, vel sponte infra interdumque supra prorumpit, vel à natura lacessita propellitur: non-

De Ileo.

	S. A.		S. A.
* *Fit autumno.*	3. 22.	*quando malus?*	7. 10.
ex stillicidio urinæ, lethal.	6. 44.		

nonnunquam leviſſimo clyſteris medicamentive irritamento exit. Pulſus frequens & celer exiſtit, tanquam febris affligeret, & dejecturis leviuſculæ animi defectiones obrepunt. Ante eruptionem abdomen diſtenditur, venterque prominet: hiſque ſuccedens ſpontanea perturbatio, cœliaca eſt affectio. Vacuato humore omni ſupervacuo, profluvium ſponte conquieſcit, interdum eodem quo cœperat die, interdum poſtero aut tertio.

Prognoſticum.

PLATERUS. *Cœliaca paſſio ſeu fluxus alvi chyloſus, per quem chylus purus exit, frequens eſt affectus, infantibus præcipue familiaris, nec adeo periculoſus, niſi gravioribus affectibus copuletur, aut illi etiam alia diarrhœa accedat.*

In hoc caſu, cum obſtructione venarum meſaraicarum proveniat, accedente interdum hepatis imbecillitate, harumque illi adnexarum venarum, unde ſuctionis evenit defectus: obſtructionibus aperiendis primaria hic curandi *erit* intentio, *hiſce præſertim quæ hepati ſimul ſint convenientia, nec alvum perturbare poſſint: abſtinendo ab adſtringentibus interim: cum fluxus ille non adeo immoderate fiat, nec illis utendo, niſi, aperta obſtructione, diarrhœa alia ſubſequatur, tunc etiam illa uſurpare poſſumus.*

Cura cœliacæ à liene.

SYLVIUS. *Si fluor eſt à* lienis *obſtructione, vel imbecilla vi tractrice, curatur ut dictum eſt in dolore ſplenis: ut, admoto oleo capparum, lini, geniſtæ: ſumpto tamarice, aſpleno, ſcolopendrio, capparibus: purgato item corpore per myrobalanos indas.*

Ab hepate obſtructio.

Si ab hepate *eſt, illius affectus, obſtructio, phlegmone, ſcirrhus, imbecillitas tractricis, vel retentricis, vel coctricis, ab intemperie ante eſt corrigendus idoneis remediis, in horum affectuum curatione prædictis. Si igitur eſt hepar obſtructum à materia frigida, ita ut dejectiones ſint chyloſæ, ea paretur expulſioni per ſyrup. cichorii Nicolai, radicum duarum, aut quinque, cum aquis aperientibus abſinthii, praſſii, apii, fœniculi, caſſuthæ. Si vero materia eſt calida obtundatur dicto ſyrup. intybi, roſato, & aquis cichorii, intybi: poſtea vacuabimus rhabarbaro infuſo, per ſe, aut etiam cum agarico, vitantes ſcammoniata, & alia hepati noxia. Poſtremo intemperies tollatur, heparque roboretur, nunc trochiſcis de lacca, de rhabarbaro, nunc diacurcuma, diacalaminthe, à drach. una ad drach. duas: tunc aliis atque aliis. Nam in affectu diuturno varietate remediorum, etiam idem pollentium, viciſſim utendum, ne natura uni aſſueta & familiaris, vires ejus contemnat. Sed cave ne materias in hepate compingas, & retineas his roborantibus: nec foris illinas hypochondrio dextro frigida, aſtringentia: quia ſanguinem cogunt, & hepatis calorem reliquum extinguunt, & hominem occidunt.*

Gal 6. de loc aff. 2. Λειεντερία.

LIENTERIA *dicitur inteſtinorum levitas, qua quia per alvum defluunt, alimentis, tum ſubſtantia, tum colore finitima ſunt.* *

Ejus cauſa.

Cauſam habet non diſtributionis impedimentum, ſed concoctionis primæ imbecillitatem, ob quam cibus crudus, nihilque mutatus delabitur: ſive quod imbecillior ventriculus eum non conficit, ſive quod laxior ille non arcte continet, dum integre coquatur. Ventriculus autem imbecillior redditur proprio robore diſſoluto, idque bifariam, vel ſuo, vel externo, ſeu aliarum partium vitio atque ſympathia. Propria illius vitia hæc ſunt: refrigeratio, cujuſmodi eſt ab immoderato frigidæ potu, præſertim quum corpus exæſtuat. Laxitas ſeu emollitio, qualem inducunt aquæ tepidæ, olei, butyri, adipis, prunorum, malvæ, atque ſimilium uſus immoderatior. Aliena qualitas inuſta, qualem fungorum, cucumerum, melonum, & fructuum maligna qualitate putreſcentium intempeſtivus eſus, multoque efficacius hauſtum venenum induxit, quemadmodum & perverſa cœli conſtitutio, quæ popularem ſæpe lienteriam promovit. Aliarum autem partium conſenſu lienteria fit, quum ab illis vitium aliquod in ventriculum incidit. Sic pituita è cerebro procumbens, quia refrigerat & emollit: & bilis è jecore profuſa ventriculum proritans, crudos cibos necdum plane coctos in alvum præcipitat. Sic ſæpe animadvertimus ingentem abdominis abſceſſum, & pulmonum vomicam, & pectoris renumque ſuppurationem, tetro malignoque nidore in cor & in ventriculum effuſo, gravem periculoſamque peperiſſe lienteriam: qualem in iis quoque cernimus, qui diuturno morbo confecti jam morti ſunt proximi.

De Lienteriâ.

	S.	A.		S.	A.
* *Fit autumno.*	3.	22.	*lienoſis lethal:*	6.	43.
à dyſenteriâ.	7.	76.	*acidus ructus, bonum.*	6.	1.
in viris.	3.	30.	*hyeme ſuprà purgare, malum.*	4.	12.

PLA-

Prognosticum.

PLATERUS. *Lienteria, in qua cibus non mutatus, sed uti assumptus fuerat, iterum redditur, si ratione assumptorum accidat, facilius sanatur; Si ventriculi causa eveniat, cum magnam illius imbecillitatem esse oporteat, quæ cibos omnino non immutet, siquidem in aliis illius intemperiebus aliquomodo, si non omnino, concoquitur, curationem difficiliorem reddit, & in senibus aliquando incurabilem. Qualis est ea est, quæ gravibus, ut in diarrhœa dictum, jungitur morbis.*

Cura.

SYLVIUS. Curatur *contrariis causæ remediis.*

A cibo coctu difficili.

Si enim à cibo *multo* coctu difficili, *vel corruptibili: paucum coctu facilem, vel non facilem corruptu impera: si à frigidis, calida. Si corrupta est materia in ventriculo, vomitu ex aqua tepida vacuetur, vel dejectione per mannam, cassiam: si est intestinis, clystere educatur.*

Ab humore ventriculo affixo.

Si ob materiam *multam* ventriculo affixam, *quod sæpe contingit: curatur* quatuor remediorum generibus.

1. Diæta.

1. Victus ratione *incidente, tenuante, tergente: ut salsis, amaris, acribus.*

2. Præparatione.

2. Pituitam parantibus *sæpe dictis.*

3. Evacuatione.

3. Vacuantibus *vomitu aut potius dejectione, nisi materia ad os ventriculi erumpat: qui si non sufficit, addatur dejectio per medicamentum à longinquo non trahens: ut hieram picram, diaphœnicon, pilulas, mastichinas, Alephanginas, de hiera: quæ etiam salubris est, si ambigis, an pituita, vel bilis, ventriculum offendit: utrunque enim vacuat.*

4. Roboratione ventriculi.

4. Ventriculum roborantibus *stypticis, & intemperiem frigidam tollentibus calidis:* admotis *quidem, oleis absinthii, menthæ, mastiches, ex spica, illitis: & item unguentis, ac ceratis, tum ex his, tum ex pulveratis absinthio, mentha, mastiche, schœnantho, cipero, galanga, balaustiis, malicorio, cinnamomo, caryophyllis, calamo aromatico: ac denique fotu cum spongia ex vino nigro austero, cui prædicta* A *fuerint incocta.* Sumptis *autem aromatico rosato, diacymino, diagalanga, zingibere condito, myrobalanis, cepulis conditis, duabus in hebdomada ante cibum: diacydonio, cum sacchoro & aromatibus, in causa vero calida sine aromatibus: cochlearibus etiam duobus miva cydoniorum aromatica ante cibum: syrupo menthæ, absinthii. Hæc enim coctricem vim & retentricem roborant. Coriandrum quoque cibum in ventriculo valenter continet Avic.*

Ab humore calido.

Si vero Leienteriæ causa est calida, *similiter victus ratione, sed frigida, oppugnetur: deinde materia expelli facilis vacuetur, myrobalanis citreis tritis, vel infusis. Postremò intemperies calida tollatur frigidis, & pars roboretur stypticis: ut julep. rosato, syrup. & saccharo rosato, syrup. cydoniorum, granatorum, E. diarrhodo abb., E. trium santalorum.* B

Ab ulcere.

Si Leienteria est ab ulceribus, *quales aphthæ sunt in ore, tergeantur, & cicatrice tegantur, remediis aphtharum, aut phthiseos.*

A flatibus

Si à flatibus, *curetur remediis colicis.*

A dolore.

Si à dolore *ventriculi remedia prius scripta habes.*

DIARRHOEA quanquam dici potest omne *alvi profluvium* id tamen proprie designat, *quo synceriores humores defluunt, sine vehementi sensu doloris.** Alias enim seorsum *pituita*, alias *bilis flava*, alias *atra* purior apparet.

Διάῤῥοια. Aëtius lib 9. c. 35. Avic. lib. 3. fen. 16, cap. 1. Pituitosa, 6. aph 32. 7. aph. 29. 30.

C *Pituita* crassa & mucosa ex intestinis crassioribus fere corraditur, in quibus cumulari & concrescere solet: sæpe & ex mesenterio, in quo ea plenior congesta, œdemata, scirrhosque progignit, hincque fere pituitosum omne profluvium originem sumit. At nihilominus tenuem spumosamque pituitam censuit *Hippocrates* è capite in ventriculum inque intestina prolabi: dulcem vero atque dilutam ex universo corporis habitu derivari. Qua ratione etiam testatur

De perturbatione, & Alvi profluvio.

	S. A.		S. A.
* *Quando prosit?*	1. 2.	*solvitur à surditate, & contrà.*	4. 28.
tollat febres?	4. 60.	*in hoc, lac malum.*	5. 64.
fit æstate.	3. 21.	*in eo inspiciendi oculi.*	6. 52.
pluviosâ constitutione.	3. 26,	*spumosum à capite.*	7. 30.
in infantibus.	3. 23.	*in gravidis periculosum.*	5. 34.
viris.	3. 30.	*in tabidis, lethale.*	5. 12.
senibus.	3. 31.	*item.*	5. 14.
balbis familiare.	6. 32.	*in pleuritide, malum.*	6. 16.
juvat libbientes.	6. 17.	*in peripneumonia, malum.*	6. 16.
solvit leucophlegmatiam.	7. 29.	*solvitur à vomitu.*	6. 15.
mutatio excrementorum juvat.	2. 14.	*est causa dysenteriæ.*	7. 75.
biliosum, in corpore impuro.	2. 16.		

testatur diarrhœam solvere leucophlegmatiam, esseque balbis familiarem.

Biliosa. *Diarrhœa biliosa* est qua bilis flava aut citrina ardens ac plerunque spumans emanat, idque sine magna ventris torsione quod libere per laxas patentesque vias defluat. Ea sæpe è calidiore jecore, aut è cysti fellis profunditur in intestina: nonnunquam & ex mesenterio, in quod supervacuum omnem humorem oppressa natura solet recondere: nonnunquam, sed rarius, è venis majoribus, atque etiam ex corporis habitu.

4 Aph. 23 Sic enim diarrhœam statuit *Hippocrates* surditatem aliosque ex bile morbos solvere.

Melancholica. *Melancholica diarrhœa* è liene aut mesenterio prodit, quum oppressa natura vel naturalem melancholiam, vel bilem atram in alvum excutit exturbatque. Hæc autem cæteris multo est insolentior. Atra nonnunquam usqueadeo apparet dejectio, ut vel cum diluta pice, vel cum cassiæ medulla conferri possit, quæ multos melancholiæ similitudine fefellit. At illa certe è sanguine fit, qui quoties aperta, rupta vel exesa præcordiorum vena, in intestina incidit, longo sinuosoque prolapsu ita præassatur ac nigrescit, ut picem plane referat. Discernitur autem, quod intincta lintea rubescant, quodque cruenta vel comitetur vel præcesserit vomitio. Fit &, quum post diuturnum icterum, jecore infarctu scirrhove laborante, aut aliter male affecto, bilis flava, proprio folliculo diutius coërcita, virorem, tandemque nigrorem ustione contrahit, quæ vel in atros calculos, sphærularum è gagate specie, ibidem concrescit, vel turgescens & naturæ molesta irrumpit in intestina: tumq; excrementa illa nigra atro

2. aph. 21. sanguini similia existunt, quæ *Hippocrati* habentur pessima, nimirum quæ non ita multo post ægrotanti sunt perniciem allatura.

Prognosticum. PLATERUS. *Diarrhœa, in qua fæculenta excrementa varia, humoresque in ventriculo & intestinis genita, vel eo transmissa, per alvi fluxum evacuantur, non erit sistenda, si vel arte per medicamenta promota, vel à natura sponte suscitata, ad redundantiam corporis expurgandam, recte & feliciter procedat. Tum in nondum ægrotantibus ad morbos præcavendos: tum in morbis, ab humorum copia & cacochymia pendentibus, dein & in acutorum principiis, ubi, docente Hippoc. si talia qualia oportet dejiciantur, & ægri bene tolerent, bonum, vel etiam declinatione & crisi, per quæ alvi fluxum morbus quandoque solvit. Compescenda vero tunc erit, si in sanis & puris corporibus hæc veniat, maximeque superpurgatio dicta sequatur. In ægris vero, si vel promota vel sponte superveniens, vel quia non cessat, vel quia de causa morbi nihil aut parum aufert, vires prosternit, & sic nocet; vel jam prius illis dejectis, exitium adfert. Veluti in internis inflammationibus, pleuritide, peripneumonia, & in febribus quibusdam acutis malignis, pestilentibus: & in aliis quibusdam diuturnis vires prosternentibus, ut febribus hecticis, phtisi, hydrope, superveniens lethalis. Quemadmodum in affectibus hisce aliisve, ubi perniciosa est, fuit expositum. In quibus omnibus, quantum fieri potest, ne fiat, aut si facta sit, rursum sistatur, præmisso prognostico: si periculosa videatur, procurandum.*

Cura diarrhϾ biliosæ. Purgatione. JOEL. Curatio *alvi profluvii humoris profluentis natura varianda est. Si itaque* biliosa *aut crocea in fluore alvi excernantur, tum, nisi vires deficiant, non tam cito sunt sistenda. Cohibita enim ventriculum subvertunt, & viscerum interiorum inflammationem inferunt, & malum reddunt gravius. Itaque in biliosa alvi profluxione, in principio præstat naturam ad biliosorum excrementorum perfectam expulsionem benignioribus remediis excitare. Talia autem sunt hæc sequentia.* ℞. *Pulpæ cass recenter evulsæ,* ℥x. *quæ sacchare conspersa in aurora devoretur. aut* ℞ *Rhabarbari electi* ʒij. *quod contusum maceretur per noctem in* ℥vj. *aquæ cichorei. tandem ebulliat leniter, exprimatur, ac coletur, colatum jus dulcoretur* ℥ij. *syrup. rosar. solutivi. fiat haustus, qui in aurora tepidus ebibatur. Aut biliosa excrementa tunicis intestinorum inhærentia sequenti enemate abstergantur.* ℞ *Aqua hordei* ℔j. *ol. rosacei* ℥ij *sacchari crudi quod rubeum vocant* ℥j. *vitel. ovorum num.* 11. *Commisceantur, fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur. Post elutionem biliosi humoris, si absit febris, crebro potandum offeratur ægrotanti lac caprillum, in quo candens ferrum bis terve sit extinctum. Ubi vero adest febricula, lactis usus est vitandus, juxta Hipp. qui inquit, lac dare febricitantibus ac caput dolentibus malum. Præstat itaque pro lacte uti amygdalarum dulcium contusarum emulsione cum aqua chalibeata parata, quam lac amygdalatum vocant. Prodest & aqua hordei parata, in qua candens ferrum est extinctum. Pro corroboratione viscerum & obstructione meatuum frequenter in die commanducandum præbeatur ægrotanti sequentis electuarii semijuglandis magnitudo.* ℞ *Conf. rosarum, diacytonion ex succo sine speciebus, an,* ℥j. *Trochiscorum è spodio, è terra sigillata an.* ʒjß. *Syr. è myrtillis q. ß. fiat electuarium. Extrinsecus*

Adstrictione. *Corroboratione.*

trinsecus vero totus venter inferior bis in die inungatur sequentibus oleis simul mixtis. ℞ Ol. rosacei, cytoniorum, an. ℥ß. è mastiche ʒij. misceantur. Quin ad obstruenda intestina in billioso fluore plurimum conducit, si ℔j. lactis caprilli, in quo candens ferrum est extinctum, vel in quo succus acatiæ aut hypocistidos sunt incocti, instar enematis, intestinis infundatur. †

Cura diarrhææ pituitosæ, Præparatione, Vbi vero excretus humor pituitosus esse conspicitur, tum prius viribus consistentibus concoquatur & ad eductionem præparetur sequent. remediis. ℞ Syr. de 5. radicibus, è cort. citr. an. ℥jß. Aq. stillat. hyssopi ℥iij. misceantur. fiat haustus pro una vice, quem tepidum ebibat æger. Vtatur autem eo per 2. tresve dies mane ac vesperi ante subductionem pituitæ. Quarto autem tandem die impacta intestinis pituita detrahatur sequenti haustulo. ℞ Agarici trochiscati ʒij. fol. senæ Alexandrinæ ʒj. Spicæ, Indicæ,

Purgatione. cinnamomi an. ℈ß. Contusa macerentur in aq. menthæ ℥vj. per noctem, mane ebulliant leniter, colentur. colato juri admisceantur diaphœniconis ʒiij. fiat haustus, qui tepidus ebibatur in aurora. At si vires debiliores existant quam ut æger purgans remedium ferre queat, pituita tamen per enema sequens ex intestinis omnino elicienda erit, alias enim frustra adhibentur astringentia. ℞ Hyssopi, centaurii minoris, majoranæ, rutæ, an. m. ſ. aq. ℔jſ. concisa decoquantur ad medias. colentur. colati juris accipe ℥xiij. cui admisce hieræ simpl. diaphœniconis an. ℥j. mellis rosati ℥ſ. ol. rutæ ℥ij. salis communis ʒij. misceantur. fiat enema, quod tepidum recto intestino infundatur.

Cura diarrhææ melancholicæ, Præparatione, Simili quoque ratione si humor profluens subniger & melancholicus existat, ante subductionem præparandus ac coquendus sequenti potione est. ℞ Syrup. de fumaria, de epithymo, è lupulis an. ℥j. Aq. fumariæ, melissæ, an. ℥ij. Misceantur, fiat haustus pro unica vice, quo per triduum aut quatriduum utatur mane ac vesperi. Quibus peractis, evacuetur humor

Purgatione. melancholicus sequenti haustu. ℞ Epithymi ʒij. hellebori nigri prius in aq. cocti atque ex eadem exempti ʒj. cinnamomi electi ℈ſ. myrobalanorum Indarum ʒjſ. contusa macerentur per noctem in aq. fumariæ

A ℥vj. tandem decoquantur leniter. colentur. colato jusculo admisceantur diacatholici ʒiij. fiat haustus, qui mane vj. ante prandium horis tepidus ebibatur. Aut evacuetur melancholic. humor sequenti clystere. ℞ rad. polypodii ℥j. thymi, epythymi, fumariæ, an. m. ſ. decoquantur in ℔iij. juris pulli non pinguis ad medias. colati hujus accipe ℥xiij. quibus admisce diacatholici ℥jſ. ol. anethini ℥ij. salis ʒj. fiat enema.

Adstringentia in diarrhæa. Supra monuimus non esse alvi profluvium cito temereque sistendum, ita hic hortamur tirones, ut concoctiones & evacuationes humorum profluentium in initio statim ægritudinis post alterum aut tertium diem antequam vires deficiant exhibeant. Vbi enim jam vires per patientis negligentiam sunt penitus pro-B stratæ, à purgationibus abstinendum erit, & omnis opera ad corroborationem viscerum, & obstructionem meatuum convertenda, cum ratione victus, tum remediis & intra & extra corpus adhibitis. Corroborant autem & constringunt, fluoremque alvi cohibent in omni genere fluoris hæc sequentia. In victus

In victu. ratione utatur æger pane bis cocto, aut placentulis spirisve ex farina hordei paratis. Item oryza cum lacte caprillo parata, lacte amygdalarum, ovorum luteis in duritiem assatis, & in aceto maceratis, item lacte caprillo in quo ferrum candens est extinctum. Carnibus vescatur assis potius quam elixis, pinguia omnia vitet. Deinde intestinis sequens clyster ad-

Medicamentis. stringens infundatur. ℞ Rad. pentaphylli, tormentillæ, an: ℥ſ. Fabarum ℥vj. Balaustiorum, sumach. an. ʒij. Acatiæ, hypocistidos, an. ʒj. Plantaginis, rosarum, an. m. j. Contusa coquantur in ℔jſ. aq. ad tertias, colentur. colati juris accipe ℥xiij. olei cytoniorum ℥j. succi plantaginis ℥ſ. pul. trochiscorum è C terra sigillata ʒij. misceantur, fiat enema quod tepidum administretur. Per os sequentis pulvisc. ʒj. mane ac vesperi cum vino rubeo exhibeatur. ℞ Cornu cervi usti præparati ʒſ. sem. plantag. torrefacti ℈ij. trochiscorum è spodio, è terra sigillata an. ʒſ. Commisceantur optime pulverata. Diu mane ac vesperi exhibeatur haustus lactis caprini, in quo incocta est stœchas citrina aut gnaphalion, aut auricula muris. Foris autem totus venter inungatur sequenti linimento. ℞ Ol. è mastiche, cytoniorum an ʒſ,

Diarrhæa.

† O. HEURNIUS.] *Alvi fluxus cessat, dato medicamento, quod illam materiam educat, quæ perpetuo humores putrefacit, & corrumpit, atque ita fluxum alvi concitat: non enim frequentior alvi fluxus terrere medicum debet ne pharmacum exhibeat, modo ille non fiat à partis alicujus resolutione, ut in lienteria, fluxu hepatico &c. quia natura, ut mali radicem effundat, sæpe adjutorium artificiale à pharmaco desiderat non tamen hic dentur aeria, ut scammoniata, aut quæ recipiunt colocynthid.*

an. ʒß. ceræ parum, fiat linimentum. huic admisceantur pulveres trochiscorum è spodio, è terra sigillata, an ʒß. Post inunctionem cataplasma ventri imponatur ex farina fabarum, & limo ex aqua, in qua fabri ferrarii candentia ferra extinguere solent, excepto. simulque mixta atque calefacta. Si vero adsint fluori tormina ventris, adjiciatur præscripto cataplasmati pulveris cymini & aceti nonnihil, aut ℞ Cytoniorum, mespillorum, an. ℔ß. cymini præparati ʒj. Contusa coquantur in aceto ad pultis formam. quib. admisceantur acatiæ pulverizatæ ʒj. mastiches, caryophyllorum, an ʒß. fiat cataplasma, quod per duplicatum linteum extensum, calidum ventri imponatur. Reliqua constringentia alvi fluorem in curatione dysenteriæ enumerabuntur, quæ huc adferri possunt. †

Aëtius lib 9. c. 38 Συντήξις τῶν ἐντέρων. Sed & INTESTINORUM COLLIQUATIO ad diarrhœam referri potest, *in qua quod inferne procedit, quasi adipe vel oleo perfusum cernitur.*

Ejus causa. Hinc autem *fit*, quod recens concreta pinguedinis carnisve aut etiam (diu protrahente vitio) solidarum partium substantia liquescat, defluatque in alvum. Familiare hoc quidem profluvii genus pestilentibus febribus, & causo colliquanti, & hecticæ, & phthisi, & atrophiæ, nonnunquam & in viscerum inflammationibus.

DYSENTERIA *est cruenta alvi dejectio cum dolore & ventris torsione*: unde & hanc Latini tormina nuncuparunt.

Gal. 6. de loc. aff. cap. 2. 3. de symp. caus. c. 2. Δυσεντερία. *Ejus signa.* Primum quidem intestinorum mucus egeritur; deinde adeps intus illis adhærescens exiguo cruore perfusus: eaque *prima* est dysenteriæ *species*. *Altera* quum interior intestinorum tunica corraditur, cujus pelliculæ & fibræ dejectionibus permistæ apparent. *Tertia* quum altius penetrante & depascente ulcere, ipsa caro propriaque intestini substantia putris vel excisa procidit.

In quo autem maximeque *intestino* ulcus consistat, primum ex situ doloris intelligitur, deinde ex permistionis ratione. Etenim si cruor & quicquid corraditur, fæcibus alvi exquisite permiscetur, intestina superiora: si vero id purum ac minime permistum excidit, seorsumque fæces alvi descendunt, inferiora crassioraque ulcere depascuntur. *Et loci affecti.*

In hoc genere TENESMUS habetur, *qui directi intestini ulcus est.* *Τεινεσμός. Ejus signa.*

Sub hoc assidua desidendi cupiditas sollicitat, sed qua nihil fere præter mucosum quiddam, & subcruentum egeritur.

Dysenteriæ atque tenesmi causa est pungens, acerque humor, qui non recta, sed per anfractus in intestina vi quadam delatus, & infixus, ea exulcerat, & acrimonia rodit. Is autem vel bilis est flava, vel atra, vel pituita salsa. Nonnunquam & exedentia medicamenta, colocynthis & adamantis pulvis: necnon vitiosa & acria alimenta ingesta altius se in intestinum figunt, dysenteriamque cient. Humor porro acer in intestinum irruit interdum ex mesenterio, in quo jamdudum cumulatus erat, ut crebro iis accidit, quibus amplum abdomen prominet: interdum è jecore vel è liene, vel ex vicinis partibus: interdum è venis majoribus, atque ipso etiam corporis habitu. Hæc omnia propriis signis nosse expedit, ut certa sit curatio. Non omnem dysenteriam febris comitatur, sed eam duntaxat cujus humor est acerrimus, isque è visceribus, aut è venis magna corporis perturbatione profusus. *Dysenteriæ & tenesmi causa.*

PLATERUS.

† J. HEURNIUS Ad nimium alvi fluxum in secretis habuit.] ℞ *unam nucem moschatam pulverif. & tantundem boli misce cum vitello ovi, & in patella coque sine butyro in rotulas novem utatur primo die semirotulam, postridie integram, tertio die sesquirotulam:*

Aliud.

℞ *duos vitellos ovorum cum ʒij. aquæ, & ʒß. aq. rosar. cum Vini rubri ʒj. addendo saccharum coque.*

J. HEURNIUS hoc inter secretioria remedia annotavit. In autumno quosdam curavi diarrhæa corruptos hoc decocto.] ℞ *rad. pentaphyll. tormentill. an. scordei, cichorei, pimpinellæ, portulacæ, acetosæ cum rad. cichor. plantagin. 4. sem. frigidor. major. portulacæ (non addidi tamarindos nec myrobalan. neque rhabarbar.) Decoctio ex aq. hordei adde Syr. granator & succo aurantior. cum pauco ol. Vitrioli.*

J. HEURNIUS.] *Theriacam quotidie pisi magnitudine mane assumptam tanquam summum remedium commendat.*

Prognosticum. * Platerus. *Dysenteria gravis & periculosus est affectus, omni ætati, cum infantes, adolescentes & senes hoc morbo sæpe è medio tollantur, eoque magis, si intestina graviter læsa sint, quod ex copia cruoris, & carnearum illarum fibrarum, puris, & torsionibus magnis ventris cognoscitur. Malum quoque, si accedat inflammatio, existit, febre tunc & convulsionibus sæpe subsequentibus. Si bilis vitellina vel æruginosa, vel atra simul prodeat, pessimum, uti & si vires subito consternantur. Singultus superveniens, lethalem esse ostendit: Perversum quoque si continuo sine intermissione dejiciant: aut si cessante dejectione cruenta, novus fluxus dilutus, cruentus instar hepatici, tunc alia fœda diarrhœa, cadaverosi odoris excrementa putrida proferens, superveniat: Hæc enim omnia mortem præsagiunt, quæ nunc citius septimana prima: alias secunda, nonnunquam tertia demum supervenire solet. Si symptoma sit febrium continuarum aut malignarum, vel pestilentialium, & proin contagiosum, plures tunc interficit. Aliquando in ulcus sordidum desinit, & tunc cessante dysenteria, diu postea purulenta dejectione laborantes consumuntur, & tandem extinguuntur.*

Cura. Curandi scopus *in eo versatur, ut causam morbi propellamus, sive bilis, aliusve perversus humor, aut medicamentum erodens vel venenum existat; quod evacuantibus & abstergentibus efficimus. dein ut illius violentiam infringamus; quod lenientibus, anodynis, stupefacientibus, & antidotis, si venenatus sit humor, perficitur; admistis refrigerantibus, si inflammatio simul adsit: Dein ut morbum ipsum, qui excoriatio vel exulceratio existit, siccantibus, quæ ulcera & excoriationes curare, illis in locis ostendimus, sanemus, additis semper adstringentibus, quæ præterquam quod siccant, fluxum immoderatum cohibeant. Quæ omnia sequentibus præstabimus.*

Sylvius. Remediorum generibus quatuor.

1. Diæta. 1. Victus ratione, *si materia est calida, ut fere fit, refrigerante: ut cibis parum acidis ad excitandam appetentiam per consensum prostratam, (vitentur autem acetum, salsa, acria: quia ulceribus hæc sunt mordacia) iisdem paucis, ut partes largiori alimento destitutæ, contumacius, quem habent, humorem retineant: neque ita prompte intestinis dolore ulceroso trahentibus permittant. Sint quoque cibi actu frigidi ut appetentiam invitent, & naturæ inter se similis, non diversæ aut contrariæ: & euchymi, & coctu faciles, ob ventriculi imbecillam coctricem, & retentricem. Tales enim cito cocti prompte distribuentur. quales sunt, testes gallinaceorum, hepata gallinarum, ova sorbilia: nam liquidiora ventrem leniunt, dura ægre coquuntur: apud carnis, contusarum carnium, milium, far, panicum, oryza, super tegulam ignitam assata, lentes excorticatæ, lac acidum, (quod fit lacte per noctem serenam aëre deposito, & deinde ebutyrato) lapidibus aut ferramentis ignitis ter, quater, ustulatum.* Vinum *aut nullum bibatur, aut stypticum, idemque aqua chalybeata dilutum, vel decocto se. coriand. vel baccarum rhois, vel oxyacanthæ, addito si vis saccharo rosato, quod per se, ut julepum rosatum, etiam salubre est*

2. Evacuatione. 2. *Materiam dysenteriæ causam* vacuantibus, *ut bilem, causam ejus cerebriorem injectionibus calidis, myrobalanis citreis tritis ad sesquidrachmam vel ad semunc. infusis in aqua calida: deinde ter fervefactis, & valenter expressis, cum syrup. aut julepi rosati uncia una, ad tollendam asperitatem, aquæ plantaginis, buglossi, q. s. Sunt qui rhabarbarum quoque exhibent: quod alii cur damnent, non video; vitentur autem scammoniata omnia. Sunt qui corticum myrobal. cepularum drachmas tres, citrearum drachmas duas, uvarum passarum drachm. unam. spicæ parum, trita macerant aqua absinthii, plantaginis, buglossi: duodecies fervefaciunt: ubi refrixerunt, manibus fricant, valenter exprimunt: addunt catholici drachm. duas, rhabarbari drachm. semissem. Ubi vero processit multum morbus, & bilis multa tum à natura, tum à nobis est vacuata, & venter inferior astrictione majori indiget, magma rhabarbari potius, quam rhabarbarum ipsum, super tegulam ignitam sæpe vertendo assatum, est salubre, & paratu facile.*

Secun-

De dysenteriâ & Tenesmo.

	S.	A.		S.	A.
* *Fit per siccitates.*	3.	16.	*à dejectione sincerâ, malum.*	7.	23.
autumno.	3.	22.	*ab eâ, lienteria.*	7.	76.
in viris.	3.	30.	*inedia, malum.*	6.	3.
ab alvi fluxu.	7.	75.	*à tumoribus rubris evanescentibus.*	5.	65.
lienosis, bona.	6.	48.	*caruncularum dejectio, lethalis.*	4.	26.
maniæ, bona.	7.	5.	*Tenesmus facit abortum.*	7.	27.
ab atrâ bile, lethalis.	4.	24.			

Et alteratione.

Secundo aut tertio die refrigerando *bilem crassantia & obtundentia dantur: ut syrup. intybi, violatus, cum aqua plantaginis. Vbi vero processit, nec tantus est metus retinendæ materiæ, syrup. rosatus, cydoniorum cum aquis rosarum, plantaginis: iterum myrobalanis citreis & rhabarbaro, partim integro, partim assato purgamus: deinde jejunis hepar fovemus decocto santalorum, rosis, spodio cum aqua rosarum, intybi: additis tandem aliis quoque astringentibus. In his autem regionibus septentrionalibus, ex aëre & victus genere à pituita vitrea, & salsa tenesmi & dysenteriæ magis fiunt, vel in ventre genita, vel in ipsum corrivante ex capite, aut corpore universo. Phlegmagogis curatur. Si autem ab atra bile inceperit, cur lethalis sit Hippocrati, docet Gal. Aphor. 24. lib. 4.*

3. Abstersione ulceris exigui.

3. *Vlcera sanantibus, sed prius* lotis *à bile, vel mucco mordaci intestinis, per injectiones ex aqua hordei libra una, vitellis duobus sacchari rubri unc. una. Quæ interdum curandæ dysenteriæ sufficiunt. Interdum post eas* emplasticis *opus est, internam intestinorum superficiem contra fluentis materiæ morsum, ceu tectorio quodam, & crusta armantibus: ℞ ex albumine ovorum, gummi arabico, adipis caprini, ana semunc. olei rosati unc. duas, diu cum adipe liquandas & agitandas, ne adeps cito concrescat: boli armenæ, tragacanthi, ana unciam unam, cum unciis decem aquæ hordei, si lavandum & tergendum vel tantundem juris pinguis carnium, si vim emplasticam majorem volumus: addito etiam butyro recenti, insalso, & succo plantaginis. Post injectiones emplasticas, ne acres materias lentore suo retineant, & affigant intestinis, lavatoria iterum opus est, sicque vicissim.*

Et consolidatione.

Vbi materia mordax constitit, ac fluere desiit, solusque sanguis fluere perseverat sarcoticis, *& glutinantibus, & cicatricem ducentibus injectionibus utendum est, ex libra una decocti rosarum, balaustiorum, maliccorii, rhois, oxyacanthæ, uvarum gallarum, se. coriandri: addendo boli armenæ, sanguinis draconis, terræ lemniæ, thuris, ana drach. unam, vel trochiscorum ex terra lemnia drach. duas, cum vitellis ovorum duorum.*

Ulceris profundi abstersione.

Si autem ulcus *est* profundum *pus multum rejiciens, tergendum est clystere ex decocto furfuris frumentorum, ligni guajaci, vel cicerum rubrorum, vel ex hydromelite, vel sero lactis caprini, vel lotio: vel si valentius vis, ex lixivio, vel ex vino rubro subdulci tergente, & roborante, addendo mellis rosat. uncias duas. Si valentiore opus est, muria piscium salsorum, aut olivarum colymbadum. Interdum & valentissimis utendum: ut trochiscis ex arsenico.*

Et consolidatione.

Si autem diligenter deterseris, natura carne implere, *glutinare, & cicatrice tegere per se poterit. Quod tamen ut promptius faciat, juvanda est clysteribus siccantibus, & astringentibus, ut decocto lentium, rosarum, balaustiorum, addendo bolum armenam, terram lemniam: non omissis tamen interea tergentibus.*

4. Fluxum cohibentibus.

† 4. Fluorem astringentibus, *ne materia etiam benigna vacuatione multa, ob viarum laxitatem, vires dejiciat: maligna autem & corrupta non est retinenda, ne febrem augeat, & alia symptomata graviora excitet. Sumuntur in id saccharum rosatum corallo rubro mistum, cydoniatum sine aromatibus, syrup. Cydoniorum, trochisc. ex spodio, cum se. oxalidis drach. una. Hæc si non sufficiunt, narcoticis dolor sedandus, somnus conciliandus, & materia glacianda, ut ad fluendum sit ineptior: modo virtus non sit imbecilla, ne calorem exiguum illa extinguant. Sumitur autem athanasia à drachma una ad scriptula quatuor, vel clystere immittitur etiam drachmis tribus: balani quoq; ex lycio à Rasi descriptæ cum filo sedi imponuntur, ut tempestive retrahi possint, ne symptomata afferant prius scripta. Admovetur autem ventri oleum cydoniorum, myrteum, mastichinum,*

† J. HEURNIUS inter secretiora annotavit.] *Narrabant illi qui Anno 1597. redierunt ex Iava Amsterdamum maximam eorum partem periisse dysenteria, utebantur enim pravis carnibus, dum alexipharmacon inventum esset, quod tale erat ℞ allium cum saccharo & succo citreorum.*

O HEURNIUS.] *Qui navigant in Indiam Orientalem ex usu putridarum carnium incidunt interdum in dysenteriam, quibus præsentaneum est remedium, allium cum saccharo, & succo citreorum. Idem tanquam euporiston, & præsentaneum remedium commendat placentulas in sartagine coctas ex ovis gallinaceis, & argentina.*

Ibid.

O. HEURNIUS Sequenti autem opiatâ optimo cum successu in uxore suâ 19. puerperii die diarrhæa dysenteriam minante correpta usus fuit.] *℞ Crotic. granat. ℥ij. decoquantur in vino rubro styptico, antiquo. Colaturæ ℥ij. admisce sirupi de cydon., myrtill. an. ℥jß. C. Cervi perpeti, spodii, boli armenæ, terræ sigill. ossis sepiæ, mastiches, corticum citriorum siccatorum, cinnamomi, sem. fæniculi, coriandri an. ʒß. pulverisatis pulverisandis f. s. a. Opiata.*

insperso deinde pulvere coralli, rosarum, mastiches, boli armenæ, sanguinis draconis. In idem efficacissimum est emplastrum Mesuæ, diaphœnicum calidum, in frigida: frigidum, in calida causa dysenteriæ. Vapor etiam vini austeri per scoriam ferri, ferrumve ignitum, elatus, ac sede receptus, saluber est: eodem vino vel re similiter astringente, manus & pedes fo-

A *vendo. Ventri etiam fluenti robur tandem magnum sæpe affert majus cataplasma ex pane medio, tosto, vino austero extincto, addito butyro, usto ol. astringentibus, superdata mastiche. Si à solis intestinis sine ulcere fluor est, curetur clysteribus vires habentibus easdem, cum remediis per os sumptis, cum à ventriculo solo fluebat materia.*

TENESMI CURATIO.

Tenesmus, vehemens & inanis dejiciendi appetitus, qualis fere adest dysenteriæ prædictæ, ob materias mordaces, ad intestini recti finem hærentes: bilem scilicet, aut pituitam salsam vel vitream, vel aliter mordacem, ad sedem solum desidentem.

Curatur si à bile *est. clystere lavatorio, ex decocto hordei, saccharo, vitellis ovorum, si à* pituita, *ex decocto cicerum, sero lactis, melle rosato, si à* stercore *durato est, molliatur sumptis & injectis, si à* tumore, *curetur uti ejus partis natura & tumor is postulat. Si à* frigore *est, vel flatibus, quadra mensarum calefacta sedi admota remedio est: sacculi item ex chamæmelo, & verbasci floribus, calidi supponantur utiliter: vel eadem vino incocta, expressa, sedi applicentur calida, & ventri. Si tenesmus à* repletione *est, sinatur: saluber enim est. Si* ab imbecilla retentrice, *roboretur prædictis astringentibus. Si à* partibus *corporis* calore *immodico* liquatis, calor *mitigetur.*

Si fluor est immodicus, sistitur, ut prius. Si dolor implacatus urget, balanus indetur ex lycio, ut prius: vel Athanasia sumatur.

Gal. 5. de loc. aff. 7. & lib. 6. cap. 2. Ὑποχώρησις αἱματώδης. *Ejus causa.*

CRUENTA ALVI DEJECTIO qua cruor sine dysenteria ac sine tenasmo fertur, raro ex jecoris imbecillitate *fit*, sæpius ex apertis internis hæmorrhoidibus. Qui è jecore imbecillo dimanat, verus cruor non est, sed dilutus & recentis carnis loturæ persimilis. Hic idcirco rarissime apparet, quod insolenter admodum sanies ea per mesenterii venas è jecore prolabatur in intestina. Qui autem seorsum purus ac rutilus exit, ex aperta hæmorrhoide est, quæ hunc proxime è vena cava profundit, modo egestionis initio, modo in fine & in ipso egerendi conatu. Interdum & grumus rubens hinc procidit, dum hæmorrhois stillat in recti intestini capacitatem, in qua omnino coit. Neque igitur ex apertis mesenterii venis sanguis multus, neque ex superioribus liquidus aut rutilus descendit, sed ut ante dixi picis instar retorridus ac niger.

Prognosticum.

PLATERUS. *Fluxus hepaticus dictus, si dysen-*

A *teriæ accedat sub finem, uti frequentius fit, prostratis jam viribus, hepate male affecto, mortem plerumque infert. Alter quoque rarus affectus ejusmodi, vires admodum dejicit, cum copiosa seri evacuatio plurimum debilitet, uti in hydrope & diabete ostensum, hepar que calore præternaturali affectum sit & imbecille.*

Cura.

Cui in curatione *præcipua remedia accommodantur, ut intemperies illius emendetur, illique appropriatis ei remediis robur addatur, & fluxus interim alvi compescatur, ubi multa in dysenteria dicta etiam locum habere possunt. Quapropter à nimium aperientibus calidis cavere debemus potius, quam illis* B *venas amplius reserare, nisi quatenus quædam ex illis temperatoria, ad urinas serum derivant. Hæc sequentibus operandi modis præstantur.*

SYLVIUS. *Hepar roborandum est in dysenteria hepatica, per ea quæ causæ sunt contraria: ut frigida, in calida: calida, in frigida causa: ut pistacia, cubebas, & ex his electuarium: hepar lupi quoq; est præstantissimum, mane ad cochlearis mensuram sumptum. Uvæ item passæ pingues passim Avicennæ commendantur: ita ut dulces, causæ frigidæ, acidæ vero calidæ tribuantur. Dysenteriam enim hepaticam etiam solæ sanant, ablatis tamen seminibus, cum astrictione opus non est. Eædem tritæ & cretæ saccharo mistæ fiunt salubres, misto, sivis, spodio, vel aliis hepati familiaribus: ut hepatica, rhabarbaro. Quod si in dies scriptulum unum, vel in hebdoma-* C *das drach. una sumatur, est in id saluberrimum: & syrup. absinthii, & absinthium, cibo, potu; in idem optimum: trochisci etiam Δι οἴνου, id est, de vino Galeni, & Avicennæ, causa præsertim frigida: si calida autem est causa, miscentur ei spodium, trochisci spodii, species diarrhodi & ab E. trium santalorum, syrup. cichorii Nicolai.*

Aëtius lib 9. c. 42. Πυώδης ἢ μυξώδης ὑποχώρησις. *Ejus causa.*

PURULENTA EXCRETIO si exigua & cum dolore *prodit*, ab ulcere, aut intestinorum, aut podicis est; quod vel dysenteria, vel tenesmus, vel phlegmone reliquit, hoc autem antecedens affectus commonstrat. Si copiosior est, atque doloris expers, ex abscessu quodam mesenterii in proxima inte-

stina

stina fertur. Si vero parcior, pariterque indolens, ea quidem vere purulenra non est, nec ab ulcere manat, id quod multos puris specie fefellit, sed mucosa quædam sordes est subalbida, & veluti limus fæxque sanguinis melancholici, quam podicis expuunt venæ, atque multo interdum tempore eructant, post diuturnos fere morbos melancholicos, duramque & laboriosam equitationem.

Aliorum non satis vera. 6.loc.aff 4. lib. 3. fen. 10. tr. 4. cap. 9. Aetius lib. 9 c. 39. Trallianus de lumbrico. Avic. l. 3. fen. 16. tr. 5. c. 4. Nunquam certe aut admodum raro è jecoris aut è lienis abscessu, multoque rarius (quod tamen affirmat *Galenus*) è purulentis pulmonibus syncerum pus in alvum derivatur. Hanc tamen illi viam comminiscitur: è pulmonibus eructari in sinistrum cordis ventriculum, hinc in aortam arteriam, ex hac in minores, quæ per mesenterium feruntur, pelli, & excidere in intestina. *Avicennas* aliam viam cõfinxit, è pulmonibus in dextrum cordis sinum, hinc in venam cavam, è qua in jecur, & portas, ex quibus in mesenterii venas, tandemque in intestina. Cæterum in his figmentis fieri omnino nequit, ut tam longo viæ tractu pus quod sanguinis permistione tinctum fuerat, tandem album redeat, secernaturque syncerum.

Ventris tinea. LUMBRICI ex omnibus corporis partibus maxime intestina occupare solent: quanquam & exiguos interdum in renibus genitos vidi cum urina profusos, & in pulmonibus, & in auribus, & in dentibus: sæpe etiam in neglectis abscessibus, ulceribusque sordidis.

Earum causa. Ex crassa lentaque pituita, quæ in intestinis frequens corrupta, præparataque fuerat, ab uberrimo insito calore suscitantur, vitamque sumunt, eorum animalium exemplo quę ex putri materia cœlestis caloris ope vitam habent.

Differentiæ. Ut autem varia est putrescentis materiæ figura, ita & *variæ* fiunt *lumbricorum species*.

Earum signa. Alii *longi* sunt *ac teretes*, qui in superioribus gracilibusque intestinis gigni solent: è quibus dum cibus descendit, obnituntur & sursum plerumque irrepunt in ventriculum, quem gravibus torquent symptomatis. Inde per gulam os ipsum conscendunt, è quo hiante etiam prosiliunt: clauso vero dormientibns per palati cavum obrepunt in nares, forasque prodeunt.

Alii breviores sunt & lati, *cucurbitæ seminis effigie*, quorum procreatio est vel inceco intestino, vel in coli cellulis: atq; hi sæpe mira serie inter se cohærent. Interdum mutuo horum adhæsu & adunatione crebra, contexitur latus ille vermis, quem ob similitudinem Græci, ταινίαν appellant, quod vittis & fasciis mulierum quibus capillum vinciunt similis, tam latus ac longus existat, ut per omnia præcipue vero crassiora extendatur intestina, in iis præsertim quibus pigrior tardiorque alvus natura est.

Alii exigui sunt & tenues, simulque teretes, (*ascarides* appellant) quibus fere sedes est in recto intestino, & extremo sphinctere. Adultis nonnunquam horum multitudine fæces consperguntur. Hos etiam animadverti interdum ab ano pruritu quodam emergere, hinc in femora natesque quoquoversum serpere.

Omnibus *materiam suppeditant* cruditas & crapula, deinde eorum usus, quæ facile putrescunt, ut lactis, casei, fructuumque dulcium, & fugacium. Itaque pueri quam adulti his multo sæpius afflictantur, quod illorum calor humidior sit, confertioreque halitu perfundantur. *Causa lumbricorum evidens.*

Lumbricorum signa sunt ventris distentio, cum murmure atque torsione, lientericum profluvium, corporis dissolutio, faciei pallor, oculorum suffusio vel sugillatio, narium pruritus. Quumque sursum erumpunt, agitati (maxime per inedias & cibi penuriam) intestina morsu, aut suctu feriunt, siccam tussim movent, oris ventriculi præcordiorumque compunctionem, animi defectiones, syncopas, epilepsias: ascensu vero tremorem, devorandi conatum, & strangulandi metum inferunt, quibus malis infantes plerique sunt extincti. † *Signa.*

PLATERUS. *Lumbrici in intestinis tenuibus geniti, diu sæpe illic perseverantes, & chylo alti, cum nulla incommoda manifesta adferant, nec cognoscantur, negliguntur: qui citra aliam curam, tandem cum excrementis deorsum in crassa intestina pervenientes, ab illis impulsi, cum iis per alvum dejiciuntur. Alias sed rarius, sursum repentes,* *Prognosticum.*

 per

† O. HEURN.] *Insignem massam ex innumeris vermibus conglomeratam diuturni languoris causam fuisse, bis in duab. mulierib. observavit.*

per os vel nares emergunt: Alias vero in intestinis permanentes, vel vivi vel mortui, atque incommodantes, graviaque sæpenumero accidentia, in tenellis præsertim corporibus, adferentes, unde mors quandoque sequitur, curationem exigunt.

Indicationes.

Intentio *autem* curandi *eo dirigitur, ut generationem illorum impediamus, genitosque è corpore deturbemus.*

Impedimus illorum exortum, si, ne chylus lumbricis gignendis idoneus reddatur, caveamus: quod fit, si, ut moderatus & dilutus lactis instar, non copiosior, aut crassior viscosiorque reddatur, cibariis temperantes, illisque quæ laudatum succum gignunt, exhibitis efficiamus; infantesque carne & pinguibus, donec parum adolescant, vesci non sinamus, eosque diu in lactis consueto, & pultium usu retineamus.

Genitos lumbricos è corpore tam vivos, quam mortuos exturbamus, illis quæ naturam ad illorum cum excrementis excretionem sollicitant. Vivos vero hisce, quæ eos vi ipsis adversa, vel fugant, vel etiam enecant, eaque vel manifesta, ut amaritudine vel acrimonia, aut salsedine vel aciditate; quos sapores lumbrici fastidiunt: vel quæ pinguedine vel lentore spiracula ipsorum occludendo eos suffocant: vel quæ occulta quadam proprietate illis inimica, usu cognita, eos vel depellunt, vel illis exitium pariunt. Dein & alliciendo eos, ut ad exitum properent, aliquomodo efficimus, idque hisce quæ illis jucunda & grata sunt, qualia sunt & alimentosa & dulcia, è quibus uti vivunt & nutriuntur, ita contrariis afficiuntur.

Quæ omnia remedia pro ratione corporis, constitutionis, accidentiumque comitum, dirigenda erunt. Ut si febris adsit, calidissima, qualia sunt amara & acria, vitemus; vel temperemus hisce, quæ aciditate sua calorem aliorum, uti & febris, contemperant, & nihilominus lumbricis resistunt. Si fluxus alvi comitetur, eligenda ea aut miscenda quæ adstrictione aliqua prædita, utrumque, & alvum cohibendo & lumbricos necando, præstare possunt. Postremo &, si animi defectiones sequantur, cordialia; si convulsiones, quæ hasce avertunt, prædictis miscebimus.

Præcautio.

SYLVIUS. Lumbrici si imminent, *pituitam vacua pane & pauco synapi: vel si opus est, medicamento phlegmagogo, & eam gigni prohibe fuga alimentorum crassorum, lentorum, &c. pituitæ gignendæ aptorum, ut supra in colico affectu, & alibi sæpe, diximus.*

Cura.

Si *vero* adsunt, remediorum generibus quinque sanantur.

1. Diæta.

† 1. Victus ratione *parca, calida, sicca, acri, amara: nisi interdum morsus eorum, ob famem sævientium, dulcibus sit placandus.* ††

2. Lumbricorum enecatione.

2. Necantibus lumbricos *tota sua substantia, & amaris, calidis, siccis ad tertium gradum: ut omni absinthio, utroque abrotono, persicorum foliis, & nucleis, lupinis, mentastro, allio se. brassicæ, apii, radice filicis masculæ, radice graminis: his omnibus vel quibusdam sumptis, injectis, umbilico admotis, cum aloë, athanasia, felle aliquo, in puellis, suillo, ovino, vel alio miti: in grandibus etiam bovino, additis oleis amaris, absinthii, menthæ.*

3. Expulsione.

3 Enecatos expellentibus (*ne putredinis vaporibus febres & epilepsiam, & alia symptomata sæva excitent.*) *ut aloë, absinthio, rhabarbaro, agarico, liquore amaro solutis, vel in catapotia formatis: oleo quoque omphacino, sumpto sæpe, & larga copia, & clystere iniecto, nisi lumbrici sint adhuc vivi: nam fuga hujus & similium reperent in ventriculum, si rotundi sunt, nisi mista sint dulcia: ut lac, & similia: ascarides vero minimi ad sedem fere desident sacculo involuti, cum quo tandem sunt deturbandi. Lati autem (quos vocant cucurbitinos) intestino cæco sæpe affixi: interdum colo, & recto: vix tandem magna vi deturbantur, sibi magna excrementorum & velut membranarum illuvie implexi. Hiera picra Gal., & ex ea pilulæ, & quæ ex aloë, myrrha, croco communes vocantur, sunt in id efficaces, sumptæ, & aliquo oleo aut syrupo amaro mollitæ, & umbilico admotæ.*

4. Repulsione & retractione.

4. *Lumbricos ad ventriculum* ascendere prohibentibus, *stypticis, & amaris, ex aceto sumptis, & ventriculo admotis: ut oleis, cataplasmatibus, unguentis, emplastris. Lumbricos deorsum trahentibus, dulcibus, ut lacte injecto clystere cum melle, nisi febris adest: tunc jus carnium cum saccharo injiciatur.*

Ascaridum eductione.

Si autem sint ascarides *ad sedem hærentes, balanus ex bombace, illito oleis amaris; vel aloë, felle vaccino soluta: vel balanus ex lardo pingui, cum filo, dum retrahetur, vermes plurimos sibi hærentes referet. Usu crebro diutino salsorum, amarorum, acrium, aceti, necantur & expelluntur.* †††

CAP.

† O. HEURNIUS Hujus julapii frequentem usum etiam febre commendat.] ♃ *Acetos. Romanæ mj. ebulliat in aq. gram, & totâ nocte, teneatur in calidâ infusione, tum colaturæ lib j admisce sirupi violati ℥ij. cornu cervi usti ℈j. spiritus vitriol. vel sulphuris guttas. v.*

†† *Pulverem ex sale hyperici & artemisiæ ad expulsionem vermium ipse expertus laudat.* J. HEURN. Febres & Vermes.

††† *Aqua Gentianæ Febres & Vermes pellit Mathiolus: hoc in secretis* HEURNII *habent.*

CAPUT XI.

Ani affectus, symptomata.

Hipp. lib. de fistulis ab initio. *Ani affectus.* ANUM hi *affectus* occupant, *phlegmone, abscessus, fistula, fissura, condyloma, & hæmorrhois*, cujus symptoma est sanguinis effluvium.

Inflammatio, & ejus causa, PHLEGMONE fit copia sanguinis è vena cava, per hæmorrhoides in partes inanes quæ circa podicem sunt incidente. Hæc quum ex aliis causis, tum maxime ex multa duraque equitatione proficiscitur.

Signa. Dolor inest admodum acerbus, isque lancinans, & qui premendo exacuitur, foras interdum prominet, alvus non nisi difficile & summo cruciatu exit, ac interdum dies multos sistitur, comite etiam febre, ut & urinæ ob viciniam affecta vesica.

Ἀπόστημα. ABSCESSUS è phlegmone relinquitur, qui in recti intestini cavum sæpius quam in cutem erumpit: quandoquidem parte molliore exedens pus sibi promptius viam parat.

Vlcus. Rupto abscessu ULCUS manet purulentum, ac sordidum, quale & nonnunquam existit ex neglecto tenesmo. Id autem in *Fistula.* FISTULAM brevi degenerat: vix enim parte humida & excrementis pervia coalescit, sordiumque copia callosum diutissime manat, etiam dolore sedato. In hoc pus vel seorsum vel dejectionis initio exit, multo secus, quam è mesenterii aut superiorum partium ulcere. Sed & id visum est interdum in vesicam penetrare: ac tum micturo crepitus è pudendo perinde atque è podice, deinde puris atque etiam fæcis nonnihil mistum urinæ prorumpebat.

Varices, Aliquando autem è phlegmone non abscessus ulcusve relinquitur, sed ad anum VENÆ, crassa & melancholica, sanguinis colluvie DISTENTÆ, ob idque partibus etiam vicinis vehementes dolores, & cruciatus acerbos facientes, vel libere eam postea expuunt in intestinum, vel in condylomata deponunt.

A RAGADES, id est, fissuræ, ani ulcuscula oblonga sunt, quibus sphincteris rimæ proscinduntur, iis similes quæ inferius labrum, & manus pedesque dilacerant. His finitima sunt & levia quæcunque sedis ulcera. *Aëtius lib. 14 c. 3. Ῥαγάς.*

Dolor acerrimus est cum ardore, citra phlegmones indicia, ulcerisque extremum expressa ano plerunque oculis patet. *Signa,*

Fiunt autem vel duriorum asperitate fæcum, vel humoris acris, salsi, siccantisque morsu. *Causæ.*

CONDYLOMA durum est tuberculum in ani margine ortum, aut verrucæ, aut grani B uvæ, aut maturi mori, aut ficus effigie. Ex melancholico nigroque sanguine illic sensim extuberat, & increscit, tædio potius quam dolore molestum. *Κονδύλωμα. Ἡ αἱμοῤῥοΐς, Causa. Hippoc. & Galen. 6. Aphor. 11.*

HÆMORRHOIS vero quæ EXTERNA & conspicua est, ex ano quoque surgit ac prominet. * *Aëtius lib. 14 c. 5.*

Ea ex atro melancholicoque sanguine *fit*, qui è cava in extremum venæ profusus, nondum tamen illinc præ loci duritie exiliens, cumulatur, idque implet & in ficus speciem distendit. A condylomate autem distat, quod & breviori tempore fiat, & affligat gravi dolore, quodque nondum in callosam duritiem concrescat. Atque ea C cæca appellatur hæmorrhois, quum nihil sanguinis effundit. Quæ vero aperta jam est, sanguinem interdum sponte, in conatu semper profundit, nec in tantum tumorem attollitur. *Æginera. lib 3 c 59.*

INTERIORES HÆMORRHOIDES, quum corporis venæ aut multo aut acri turgent sanguine, nullo fere sensu tumoris dolorisve, supervacuum sanguinem eructant: idque solum in egerendi conatu: atque is seorsum conspicitur fæce minime permistus. *Profusio sanguinis.*

HÆMORRHOIDUM SYMPTOMATA, sunt immoderata *sanguinis profusio*, & ejus minime consueta *suppressio.*

De Hæmorrhoidibus.

	S. A.		S. A.
* *Viris familiares.*	3. 30.	*renum passionibus.*	6. 11.
bonæ.	4. 25.	*in sanientibus.*	6. 21.
atrabilariis.	6. 11.	*iis sanatis. hydrops, vel tabes*	6. 12.

Utrumque enim præter naturam est, fitque in gravium morborum causa. Sola quippe vacuatio naturalis ea censetur, quæ quod grave infensumque est, velut onus utile deponit, citra corporis infirmitatem, citraque virium jacturam.

Causa. *Profusionis causa* continens, vel in sanguine est, qui multus, tenuis, aut acer, violenter erumpit: vel in venis, quæ aut apertæ, aut exesæ, aut ruptæ jam sunt. *Suppressio* autem contrariis fit *ex causis*.

Prognosticum. PLATERUS. *Hæmorrhois cæca, si non bene tractetur, in inflammationem, indeque in ea, quæ eam sequi solent, perversa ulcera, aliaque vitia, commutari potest.*

Indicationes. Præcavetur *autem hæc etiam, quando facile hoc quibusdam contingit: quod fiet, si in illis qui consuetas habent hæmorrhoides, fluxus harum decenti tẽpore promoveatur, nec impediatur: quod quomodo fieri debeat, in suppressis hæmorrhoidibus dicetur.*

Curabitur vero jam facta, si causam quæ eam excitavit vel fovet, sanguinem scilicet, avertamus, & dolorem subito ob metum inflammationis compescamus, indeque tumorem illum discutiendo siccandoque, absumamus: quod si in ulcus desinat, uti aliquando fit, ut ulcus curatur. Quod remediis sequentibus præstatur.

Cura fluentium. SYLVIUS *Hæmorrhoidum venarum fluor non ante est stringendus, quam vacuationis copia vires dejiciat, & sanguis, pro nigro & crasso, melior jam fluat. à magnis enim morbis fere melancholicis ægrum hæc spontina vacuatio vindicat. Alvus quoque cassia, aut jure pingui, aut decocto brassicæ, est lenienda, ne stercus sua duritie eas lædat. Sistitur autem* quatuor auxiliorum generibus.

1. Diæta. 1. Victus ratione *frigida astringente: ut omphac., succo rhois, rosar., cydon., ex his ac similibus syrup. cond.*

2. Aversione. 2. Avertentibus. *ut secta vena basilica dextra, vacuatione sanguinis etiam larga: ut etiam cucurbitulis, hypochond. dextro, interscapulio, humero, affixis: frictionibus, ligaturis, fotibus brachiorum.*

3. Adstrictione ingus, 3. *Venarum illarum* ora contrahentibus *& sanguinem crassantibus, & refrigerantibus sumptis & admotis: ut syrup. myrtillorum, cydonyorum, granatorum, cum aqua rosarum, solani, plantaginis: ut sacchharo rosato, cum boli armenæ, vel hæmatitæ, vel coralli rubri drachma una, horis duabus ante cibum: ut tryphera Phenonis. E. scoriæ ferri Rasis. Squamma quoque ferri quater ex aceto cocta & siccata, sumpta à scriptulo uno ad drachmam unam bis in septimana, ventriculum, heparque roborat, & humorum malitiam emendat. Ut trochisci electri, terræ sigillatæ, spodii, cum se. oxalidis. Quibus victis etiam narcotico, athanasia Nicolai, aut antidoto Philonis, persica, à drachma una ad scriptula quatuor utendum.*

Foris. Foris *autem similia admovenda, balaustia, malicorium, galla, thus, hypocistis, bolus armena, sanguis draconis, tragacantha trita & excepta malo cydonio probe cocto: vel aloë, thus, bolus armena, sanguis draconis, albumine ovi soluta, pilis leporis, vel tela aranei excepta. Pulvis quoque corii usti, vel suberis usti, quorundam secretum remedium, ovi albo exceptus: usti quoque bufonis pulvis Nicolao Florentino in id efficax, & usu tutus scribitur: quod venenosa qualitas ex hoc, ut scorpionibus, urendo abigitur. Emplastrum postremo comitissæ, sedi admotum, & lumbis, efficacissimum.* Lib. 5. method.

Sanguinis correctione. 4. Sanguinis *vitium* emendantibus, *victu tenui, si largior est: siccante, si aquosior: cholagogis, si biliosus est: phlegmagogis, si pituitosus. Si doleant, anodynis sæpe dictis: ut lacte cocto, vitellis ovorum, œsypo, butyro recenti, dolor est placandus.*

Cura hæmorrhoidum cæcarum sublatione causæ. *Si* hæmorrhoides sint occultæ, *& tumore doleant, anodynis placentur, vel sanguis emittatur his apertis per hirudines, aut scalpellum, aut anastomatica post dicenda. Si vero nec tumor est ingens, nec dolor, naturæ permitte: nec aperi, nisi tumoris aut doloris magnitudo compellat: quod sæpe cancri, fistulæ, & affectus alii difficiles his partibus per valentia remedia apertis superveniunt. Alvus quoque lubrica est reddenda, ut ante paulo docui, ne stercoris durities dolorifica fluxionem geminet: sanguis quoque malus si abundet, corrigatur victu idoneo, & cæteris. Avertendus deinde sanguis, ut prius.* †

Sedatione doloris. Dolor leniatur *oleo violato, si calor quoque adest, vel, rosato, vel amygdal. dulc., vel lini, vel lumbricorum, millepedum, scarabæorum, cum vitello ovi: mica panis cum lacte & ovi vitello cocta, albumine ovi tandem adjecto, & adipe gallinæ, butyro recenti, farina fœnigræci, cum adipe gallinæ, vel anatis, & decocto meliloti: pulvis etiam suberis usti, cum oleo, vel butyro, vel adipe aliquo: limaces sine testa, tusi, cum oleo violato cocti, cum farina sem. lini, aut fœnigræci in cataplasma formati, præstantissimum sunt*

†O. HEURN.] *Sæpe experientiâ compertũ dicit dolores hæmorrhoidum levari, si illinatur unguentũ ex vitellis ovorũ ad mediocrẽ consistentiã coctorũ cum duobus Cãphoræ ℈ß. opii j. gr. iij. croci. gr. v. misceantur exacte.*
RUDOLPHUM II. Imperatorem] *cum immani hæmorhoidum dolore cruciaretur, vapore casei Hollandici Edamensis prunis impositi ab empirico quodam curatum refert.* O. HEURN.

sunt remedium. Insessus, *aut fotus quoque saluberrimus ad sedandum dolorem, fiet ex decocto malvæ, altheæ. violarum, florum chamæmeli, meliloti, tapsi, nymphææ, se. lini, fœnigræci, papaveris albi, hyoscyami albi. Hæc si non sufficiunt,* stupefacientibus *tactum dolor prohibendus: ut balano ex bombace, cui illitum sit Philonis antidotum, vel athanasia Nicolai: vel eadem emplastri modo applicentur sedi: vel unguenti populei uncia una, ovi vitellum, opii à drachma una ad drachmas duas, croci parum: misce, & applica, si dolor est vehementissimus.*

Apertione hæmorrhoidum. *Hæc quoque si non sufficiant, hæmorrhoidibus apertis,* sanguinem emitte doloris causam. *aperies autem affricta re aspera: ut linteo novo, parietaria, folio ficulneo: valentior est pulpa colocynthidos pulverata, ex oleo amygdal. amararum admota: nam horis quinque aperit, idem præstant stercus columbi cum saxefragia, succus cepæ, fel vaccinum, & alia: cyclamini radix, succo, aut pulvere: & cætera acria. Eædem unctæ sanguine gallinæ, vel columbi, hyrudinibus non venenosis & paratis affixis, aperiri possunt: quæ si sucto sanguine largo pertinaciter adhuc hæreant, capiti earum insperso cinere, mox excidunt: sale autem ipsis imposito, quem suxerunt sanguinem mox revomunt. Penuria sanguisugarum, aperi scalpello, sed cum præmeditatione: quia vulnus ægre glutinatur. Sunt tamen hodie qui scapellum præponant hirudinibus, ceu tenuem tantum sanguinem trahentibus.*

Exiccatione. Aphr. 12. l. 6. Avic. *Si cui autem* recentes *adsunt* hæmorhoides, *nullo tamen dolore, sed tumore solo molestæ, ne curentur. Si consueverint fluere, non comprimantur, præsertim omnes, nisi magna hæmorrhagia sint tunc periculosa: quæ tamen postea sunt aperiendæ, nisi sponte hient. Galbani vero drachmæ duæ triduo sumptæ hæmorhoidas siccant: & admota pulvis stibii, decoctum ceratii, muria piscium salsorum: & eorundem capita cum pauco caseo salso: anacardi incisi & affricti loco, vel suffiti per infundibulum: dracunculi præterea folia, radix, succus, cortices, ciciens, oleum, tota sua substantia idem præstant: vel hæmorrhoides astringantur hippuri, vel filo serico stringantur paulatim magis atque magis.*

Aphor. 11. lib. 6. *Melancholia vexatis, & renum affectibus, hæmorrhoides supervenientes sunt salubres.* †

Hipp. lib. de fistulis. Ἀρχὸς ἐκπτώσιων. ANUS PROCIDIT modo sponte, modo egerendi conatu, apparetque sphincter totus interdum inversus atque provolutus.

Ejus causa. *Causa* est musculi resolutio seu laxitas, ex multi humoris perfusione, qua ratione pueris & infantibus quam adultis id vitii familiarius observatur.

Prognosticum. PLATERUS. *Podex ob conatum validum inversus, & ultra quam par erat, una cum portione recti intestini similiter inversa expressus, atque aliquamdiu emanens, sponte interdum rursum in suum locũ reducitur: vel si hoc non fiat, facile reponitur. Si vero sæpe hoc accidat, & quotiescunq; dejicit, alvus procidat, nec vel ob imbecillitatem, aut resolutionem musculorũ, retineri possit, difficilius curatur: omniumque ægerrime vel nunquam, si ob avulsionem à membranis, quibus suspensus retinetur, procedat.*

Indicationes. *In curatione causa primum erit avertenda, postea morbo, hoc est, huic ani situs permutationi seu procidentiæ medela accommodanda.*

Causa ut declinetur, si conatus vehemens, ob dejectionis difficultatem, prolapsum ani procreet, ut alvus libere respondeat, atq; fæces molliores & dilutæ sint, ne tanto conatu inter egerẽdum opus sit, procurandũ, illorumq; nimia congestio impedienda; quod exhibitis injectisq;, victusq; ratione idonea perficitur. Si ob partus difficultatem, aut dolorem intensum in sectione lapidis hoc accidit, hisce cessantibus etiam remittit.

Cura. *Procidentiæ podicis quæ debetur cura, in eo versatur, ut prolapsum reponamus, & repositum retineamus. quæ variis modis perficiuntur.*

Repositione. *Reponitur alvus intra corpus, manuali opera ipsius ægri, vel chirurgi, tremendo eum digitis, vel panno ad id formato.*

Quod si intumescentia quædã suborta, vel inflammatio hanc repositionẽ impediat, hisce primum abigendis cura adhibebitur, eo modo sicuti in uteri procidentia, si hi humores quoq; superveniant, exponetur.

Retentione. *Retinemus alvum ne prolabatur, variis remediis, quæ illud præstant, vel quia vius illas astringunt, vel separationem factam rursum uniunt, vel si ob musculorum podicis refrigerationem nimiam, vel imbecillitatem aliam, aut resolutionem, retineri nequeat, quæ ea corrigant; quod exhibitis, extrinsecus admotis, podiciq; applicatis, in eumque intromissis perficitur.*

Exitus ani morbus sancti Fiacrii. Sublatione causæ. SYLVIUS. *Si* ab intemperie *est humida, laxatis musculis sedem relevantibus siccabis: si frigida, calefacies; si utraque, calefacies & siccabis: si adsit calor, refrigerabis: qualia pulvis ex hypocistide, acacia, balaustiis, malicorio, rosis, gallis, cortice thuris, scoria ferri: vel ex his vino, si calor abest, aut aqua hordei, si adest, incoctis fotus: vel illitũ post lotionem, unguẽtum santalium, oleum rosarum, myrteum cydonio-*

† J. HEUR. Inter secreta remedia Hæmorrhoidibus applicat] *Fotum ex thapso, violaria, bellide, chamæmelis, dein urit lintea in patina & remanens oleum illinit.* Item. *Per quadrantem horæ foveantur fumo thuris in sede postquã alvus deposita, mox illine oleo raporum vero.*

niorum: pulvere dicto post insperso, vel postquam erit alvo dejecta repositum: balanus ex bombace prædictis mergatur, illinatur, inspergatur, & clunibus altis & junctis quiescat. Si sedes procidit, non à violento desidendi, & cohibitæ respirationis conatu, neque ex mora longa in aqua frigida, aut super lapidem, sed A ex decubitu pituitæ, *ea est coquenda & vacuanda: post intemperies impressa est castiganda. Si à tu*more *præter naturam, is curandus, appositis cuique tumorum generi & tempori præsidiis:* si dolor adest, *applicetur decoctum chamameli, meliloti, malvæ, altheæ, sem. lini, fœnigræci.*

CAPUT XII.

Renum morbi, causæ atque signa.

Gal. 5. de loc. aff. c. 3. de renum aff. cap. 2 &c. Νεφρῖτις.

RENES *morbi* pauci exercent: * *inflammatio abscessus* & *ulcus.* A

INFLAMMATIO quæ proprie nephritis appellatur, admodum raro accenditur in renibus, quod firma & eorum prædura caro ægre fluxionem admittat.

Ejus causa. *Fit* tamen interdum renibus ictu, casuve contusis; accersitaque fluxione per emulgentes venas.

Signa. Hanc adesse *testatur*, ardor ingens, dolor gravis ac pulsans, in ea inanitate quæ est inter externam costam & coxendicem. Hic & vicinas partes quæ circum præcordia sunt, circum lumbos, circum coxendicem & pubem, atque partes obscœnas, distentione convellit: extremorum frigus, atque cruris è directo siti stupor inest: mi- B ctio cum ardore atque labore frequens, principio tenuis & cruda, deinde crassa atque mucosa: alvus impedita & pigra. Hinc ventris distentio, febris assidua, nausea, ructatio, crebraque vomitio.

Νεφρῶν ἔμφραξις. *Ab humore* Renis OBSTRUCTIO *varias habet causas*, arenulas, calculum, humorem crassum & viscosum.

Rarum quidem est, vixque unquam compertum, ut à solo *humore* vel crasso vel lento ren totus obturetur: à calculo aut arenulis sæpissime, à quibus etiam solis urina supprimitur.

Arenulæ autem non in interiore cavo, sed in propria renum substantia proveniunt, à qua duræ sunt ac rubræ, & renis substantiam coloremque retinent. Illinc fluentis urinæ impetu raptæ feruntur in cavum, prolabunturque in vesicam per ureteras, & urinam reddunt arenosam. ψαμμώδης νεφρός.

Si curatio negligitur, tempore crassescunt illæ, vel mutuo adhæsu inter se colligatæ *calculum* coagmentant, atq; componunt. Hic dein è renis substantia exturbatur in cavum, quumque evellitur, renis partem cui adhærescebat, sine doloris sensu divellens, & quasi dilacerans, saniem prolicit, quæ pariter cum urina profunditur, eamq; crassam, turbidam, subnigramque reddit. Calculus autem exceptus renis capacitate, si exiguus est, non multo post tempore in caput ureteris se infert, ex quo magna vi, summoq; dolore nephritico in vesicam procidit. Si crassiusculus est, aut salebrosus & asper, in via diutius hæret, & magno cruciatu ureterem dilacerat. Sed & nonnunquam in renis capacitate subsistit, ac permanet, quum præ cassitie non satis lata illi est ureteris via. In illam contusus & exagitatus acerbum sæpe dolorem movet, quum præsertim prosilit atque se infert in ureteris caput: at is mitescit calculo remeante in renis cavum. Hic (nisi tempore procidit) assiduo Νεφρῶν λιθιᾶν. †

De Renum affectibus.

	S. A.		S. A.
* *Familiares senibus.*	3. 31.	*à venâ ruptâ, mictio sanguinis.*	4. 78.
vix sanabiles in iis.	6. 6.	*ab exulceratione, sanguis, vel pus mingitur.*	4. 75.
calculi in pueris,	3. 26.		
hæmorrhoides, bonum.	6. 11.	*carunculæ, vel capilli à renibus.*	5. 76.
qui abscessus sperandi?	7. 36.	*ab iis bullæ.*	7. 34.
à pure, stranguria.	7. 58.	*pinguedo urinarum.*	7. 35.

† *Observavit* J. HEURNIUS *in cadavere Domini Marnixii Aldegundii, cum illud Leydæ aperiretur an.* 1594. *in altero rene calculos parvos* 70 *in altero* 80. *qui nunquam tamen de ullo nephritidis symptomate conquestus fuerat; ita firmiter carni renum impacti hærebant.*

assiduo arenularum appulsu coagmentatur in verum renis calculum, cujus nec una semper est magnitudo, nec una forma, nec color unus. Confirmatus fere renis cavum implet, consuetasque arenulas exire prohibet: ac proinde renum calculus veteres dolores nephriticos obtegit & dissimulat.

Signa. Perfectum in rene hunc *esse docent*, affectæ partis gravitas, ob quam vix spina dorsi inflectitur: cujus tamen dolor, non ut is quem destillatio peperit, externarum partium pressu admodum manifestus est. Nullo tumore foris conspicuo, obtusioris cujusdam doloris sensus inest, præsertim quum alvo suppressa, ren ipse vel flatu vel fæce premitur, aut quum decubitus est in adversum latus, aut quum vehementior est exercitatio. Nephriticus dolor ex intervallis citra calculi excretionem redit: per laborem & duram equitationem, urina profluit cruenta: tum quippe calculus suo pondere, & attritu renem contundit, ac plerunque sine sensu dilacerat, exulceratque, è quo sanguis cum urina profunditur. Cruris, quod è directo affecti renis est, torpor quibusdam inest molestus.

Materia calculi. Calculi *materia* est crassus & viscosus humor in renem pariter cnm sanguine ejusque sero excurrens, qui alias ex cruditate, alias ex torrido terrenoq; sanguine procesfit.

Causa efficiens. *Efficientem causam* omnes quidem profitentur immoderatum esse renum calorem, qui humores perurens, siccans, & obdurans, cogit in lapidem. At certe alia statuenda causa efficacior, longeque crebrior, insita renum arenosa, calculosaque constitutio. Hanc quisquis à parentibus contraxit, vix ulla ratione calculi tormenta effugiet: quandoquidem hoc vitium omnium est maxime hæreditarium, ut non paucis pariter cum renibus calculus procreëtur. Adjuvantium porro causarum præcipua est otium, somnusque diuturnus, decubitu supino. †

Gal. loc. cit. & c. 4. Aëtius l. 11. c. 18. Νεφρῶν ἀπόστημα. Ejus causa, Signa. RENUM ABSCESSUS, quo purulenta materia coercetur, rarius ex sordido ulcere non expurgato, ea ratione quam mox subjiciam. Concoctione tamen phlegmones pus gignitur, & abscessus tantus interdum, ut distento rene, tumor circa lumbos & ilia foras promineat.

Febres cum horrore oberrant: gravitatis sensus quam ante magis infestat. Rupto autem abscessu pus cum urina defertur, & interdum sordes, aut corrupta caro ex putri renum substantia.

Ἕλκωσις. Vacuato expurgatoque abscessu, ULCUS manet diuturnum admodum, ac fere immedicabile. Quæ enim substantiæ portio vel putredine, vel attritu exesa est, neque resarciri unquam, neque coalescere potest: quandoquidem viscus hoc ut cætera spermaticum est: cujus etiam urina jugiter præterfluens ulcus agglutinari non sinit. Quocirca sordidum id, ut fistula, perpetuo relinquitur.

Ejus signa. Hujus *signum* est, quod modo pus, modo mucosum quiddam urina permistum defluit: hincque urina redditur alba, turbida, lactis sero persimilis, quæ tandem quiete sedimentum id purulentum mucosumve deponit.

Vlceratorum renum causa. Ulcus ex abscessu phlegmones insolens admodum est. Nec minus id quoque insolens putandum, quod vel à profluentis materiæ acrimonia renem exedente, vel ab ictu, vel à casu ejus venas disrumpente fieri tradunt. Crebro autem ac fere semper à

† J. HEURNIUS in remediis Secretis. Calculus] ℞ *Sem. milii Solis in Germania nati, & sem. petroselini. carui anisi. an. p. æqual. minutissime pulveris. & cribrentur ejus pulver. sume an. cochleare unum mellis Hisp. crass.* ℔ij. *inde vitro cui conservæ indi solent, ac bene obturato, fermententur in sese vel ad focum per mensem.*

Usus.

Septimo die ante novilunium accipiat calculosus ℥j. *vel* ℥is. *(tantum sumebat Dux Arschotensis) cassiæ recenter extractæ adde anisi* ʒj. *vel* ʒis. *cum saccharo F. Bolus si ter quaterve inde alvus dejecerit bene est; postridie sumat mane* ℥j. *jam dicti mellis id agat per 7. dies sequentes dum nova Luna sit hoc utebatur Dux Arschotensis.*

Pro potu in Paroxysmo Calculi: *Grana aliquot ol. caryophyllor. vel juniperi cum vino.* ℞ *Fol. altheæ m.ij. betonicæ, cerefolii, flor. althæ. genistæ. an. vj. sem. alth. petroselini an.* ʒj. *coq. in aq & vino tenui ad* ℔j. *colatura trajiciatur per manicam cum* ʒj. *cinnamomi & pauco saccharo.*

Cerevisiæ puppa indatur ex foliis vel floribus althææ & betonicæ.

calculo intus coërcito fit, qui vel pondere renem contundit, vel attritu comminuit, exeditque. Ita ſæpe vidimus, tota renis carne ac ſubſtantia pereſa, ambiente tanquam marſupio, membrum, pus, calculoſque multos obvolvi.

Earum ſigna. Ulcus ab his cauſis ortum habuiſſe *argumento* eſt, quod urina antequam purulenta eſſet, ſæpe cruenta fuerit, præſertim ab exercitatione & labore, quod febris nulla aut perobſcura fatiget. Si quando autem obſtructo ureteris capite pus cohibetur, id ſenſim vel per emulgentem in majores venas redundans, ſanguinem habitumque corporis inquinabit, (qua ex cauſa quaſi ex leucophlegmatia calculoſos tumere ac palleſcere ſæpe animadverti) vel ea ſede congeſtum, ilia lumboſque copia diſtendet, è quibus etiam aperta cute diu multumque manat. Nonnunquam & illinc calculus ingens cum pure alias exceſſit, alias evulſus eſt. Hæc quum accidunt, tota jam pene renis ſubſtantia putredine conſumpta eſt, illincque pus redundans inter peritonæi membranas fluctuat. Hujus copia interdum vidimus totam ventris, lumborumque regionem diſtendi, & pus hinc tum dejectione, tum vomitione reddi ſyncerum.

Galen. & Aëtius. loc citato. Ἡ νεφριτικὴ ὀδύνη. NEPHRITICUS DOLOR, acerbiſſimus eſt renum cruciatus, aut certe ureteris, cujus eſt ſenſus eximius.

Ejus ſigna, Is in renis ſitu fixus, alterutro latere ſtabilis eſt, niſi quod interdum vel ad coxendicem, vel ad teſtem qui è directo jacet, ureteris tractu protenditur. Non ut colicus dolor in ventrem medium, aut in omnem illius regionem murmure quodam evagatur: neque ſemper citata & expurgata alvo, diſcuſſiſque flatibus miteſcit: ſed immanitate & ferocia peritonęum convellit: hinc viſcera & ventriculus ſubvertuntur, ac primum quidem pituitoſa, deindeblioſa vomitione rejiciunt. Urina, quum malum incipit, pauca, tenuis, & aquoſa eſt, interdum vero ſupprimitur: poſtea copioſa, craſſa & arenoſa exit, eaque ardoris quodam ſenſu ad crebrius mejendum compellit. Decubitus in ægram partem dolorem demulcet, in adverſam exaſperat. Creber admodum eſt, ac multis frequens hic dolor, colicus vero rarus.

Tanti cruciatus, neque inflammatio, A neque ſanguinis grumus, neque craſſus humor *cauſa* ſtatui poteſt, quod mollis ac fluidus facile obſequatur, quodque obſervamus craſſiorem mucum, imo & concretum pus nullo ſenſu è renibus facile prolabi. *Cauſa,* Unus calculus cauſa fit doloris, qui craſſiuſculus, inæquabilis, ac ſcaber, dum per anguſtum ureterem devolvitur, hunc magna vi dilatans atq; dilacerans perquam immaniter excruciat. Iis qui jampridē nephriticis doloribus erant aſſueti uſq; adeo dilatatum ureterem aliquando comperimus, ut in eum major digitus immitti poſſet. Per hunc mediocres calculi ſine moleſtia excidebant, qui olim non niſi ſummo cruciatu procidiſſent. Qui vero aut nondum, aut certe raro & leviter nephritico dolore tentati ſunt, minimo calculo diſtorquentur.

B *Cauſarum indicia.* Hunc autem à colico diſcernere, in primis arduum eſt, quum nihil excedere manifeſto deprehenditur.

Sedato atque reſtincto dolore etiam conſiderandum, doloris ne cauſa in veſicam exturbata ſit, an in renis cavum remigraverit. Si exturbata eſt, cavendum ne illic ſubſiſtat, & aſſiduo materiæ appulſu in veſicæ calculum coagmentetur. Jam vero ejecto cum urina calculo, æſtimandum, ſolidusne ſit, an ex arenularum adhæſu compactus. Ex iis namque medendi ratio conſtituitur. Neque iis credendum eſt, qui calculos, albos in veſica duntaxat; rubros in renibus naſci affirmant: nam purulenti renes albos quoque proferunt.

C PLATERUS. *Nephriticus dolor, ab arenulis calcalove profectus, non ſolum quando urget, curationem exigit. ſed & in illis qui huic obnoxii ſunt, præcautionem requirit.* Indicationes.

Præcavetur, cavēdo ne arenulæ in renibus generentur, tunc, quando, vel quia parentes hoc malo detenti fuere, ſibi ab eo metuunt, vel quādo alias ad id diſpoſiti videntur: maximeq; in illis qui jā arenulas mingunt, proventus illorum impediēdus, & ne hæ renibus adhæreſcant, calculumque forment, præcavendum.

Et ſi calculi jā nati in renibus ſuſpicio ex eo, quod jam prius eum quoque paſſi ſint, gravitaſque aliqua in eo loco ſentiatur, adſit, ne dolor inde gravis ille ſequatur, illius augmentum impediendo, eumque mature expellendo, obviam ibimus.

Quæ omnia, ſi ea quæ calculo materiam præbent, reneſque calefaciunt & ſiccant, ſubtrahamus, eaque, quæ ab adhæſu arenularum renes abſtergunt, & quæ cal-

calculos, dum exigui & friabiles sunt, dissipare deorsumq; promovere possunt, adminiftramus perficiûtur.

In curatione vero nephritici doloris jam à calculo prodeuntis, & in viis hærentis excruciantisque, vias illas laxare, calculum comminuere, eumque ex angustiis illis exturbare, scopus curandi præcipuus erit.

Calculi renum prophylace.

SYLVIUS. *Lapis in renibus* gigni prohibetur.

1. Diæta.

Primo fuga eorum quæ pituitam *calculi materiam in corpore* augent. *qualia sunt alimenta crassa, frigida, lenta: ut caseus omnis, præsertim glutinosior, ex lacte: reliqua, panis azymus, animalium partes pingues, & albæ, ut extremitates, intestina: aves aquaticæ: cibus largior, & ab hoc venus, somnus, labor, balneum: sumendi enim cibi euchymi, & parcius quam pro appetentia.*

2. Purgatione.

Secundo, *pituitam nobis imprudentibus genitam, ne ad renes ruat,* ad intestina retrahemus, *clystere leniente, bis in hebdomade injecto: vel cassiæ unciam unam in hebdomada sumendo, vel potius, tantundem diacassiæ, quod ex cassia. & sacchara, & decocto glycirrhizæ, & baccarum halicacabi fit: vel teribinthinam ab emunct. ad unciam, pane missali in vinum merso involutam, vel jure capi solutam, & liquatam. Nam ventriculum, intestina, renes vesicã purgat nullo partium harum detrimento. Vel pilula una Alephang na in dies, vel alternis diebus sumpta.*

3. Diureticis.

Tertio materiam *pituitosam, si qua in rene hæsit, ne in eo lapidescat,* expellemus *ureticis: ut decocto cicerum, præsertim cum glycirrhiza & saccharo, ab unciis sex ad octo, accepto pridie medicamento leniente ex cassia, id enim decoctum renes & vesicam multum terget, ciceribus, glycyrrhiza, sacchara. Idem pollet jus galli decrepiti saccharatum, & aqua lactis caprini, & parietariæ decoctum, vel aqua, vel succus residendo purgatus, & saccharatus: nam vias urinarias terget, urinamque provocat.*

4. Correctione intemperiei.

Quarto, *calorem renum,* calculi causam *effectricem,* temperamus *admoto renibus inter duas telas cerato Galeni refrigerante, vel santalino, vel ex cera alba, & oleo violato, vel nymphato, vel cucurbitino: sed post quartam partem horæ ablato, & aliquoties in die, dum refrixit, reddito: tepidum tamen aëre frigido applicandum est. Vitamus autem astringentia, ne viæ astrictæ materias retineant. Aëri externo lumbos quoque aperimus: pelles, plumas, calorifica cætera tangere prohibemus.*

Cura in paroxysmo.

Calculum vero in renibus concretum, & jam dolentem, *præcipue si in ureteribus est, expellimus ipsum frangentibus, vias lubricantibus, aperientibus, dilatantibus, & urinas moventibus.*

Viæ laxatione.

Sumpto prius ad vias lubricandas *cassiæ bolo, cum oleo recens extracto ex amydalis dulcibus, non rancidis: ne illa materiam istam ex ventriculo & primis venis ad renes trahant.* †

Calculi diffractione manifeste.

Calculum *autem* frangunt *quædam* qualitate manifesta: *ut pulegium ureticum, & anastomotica, calaminthe, origanum, lithospermum, saxifragia vulgaris: decoctum radicis graminis. secretum quibusdam remedium amygdalæ amaræ, nuclei cerasorum, persicorum, mansi, vel triti, cum vino albo deglutiti: aqua ex fabarum siliquis destillata: decoctum cicerum rubrorum, apii, fœniculi, petroselini, rusci, asparagi, malvæ, bismalvæ: sed hæ diutius coquendæ sunt.* ††

Occulte.

Aliæ calculum frangunt in renibus tota sua substantia seu proprietate occulta. *Lapis judaicus sapore jucundo præditus: pulvis leporis cum pelle in furno siccati: pulvis item ex osse calcanei leporini: vitrum septies ignitum, & toties aqua saxifragiæ extinctum. Pulvis item ex lapillis cancrorum, & limacû, & spongiæ & lumbricorû terræ: & mandibularû lucii, secretum quibusdam remedium. Dantur autem ad drachmã unam cum vino albo, vel aqua aliqua prædicta, aut decocto calculum frangente: vel cum aqua raphani, apii, petroselini, aristolochiæ longæ, baccarum halicacabi, spinæ albæ, saxifragiæ. Pulvis quoque scorpionis ad scriptulum dimidium valenter frangit calculum.* ††† *Ossis humani ex sepulcro limatura ex vino pota, dolorem renum sedare mox quibusdam probata est. Lapidem quoque exectum vel excretum à rene, renalem, à vesica, vesicalem, calculum frangere potu, quibusdam putatur: quanquam id Galenus mendacium affirmat.* Lib. 10. simplis. *Cortex lauri potus Avicennæ idem potest. Omnibus autem, drachma una siccati sanguinis hirci, quem quadrimum, & diebus aliquot ante nutritum herbis prædictis, tã ureticis, quã calculum fran-*

† O. HEURN.] Henrici IV. Galliarum Regis: *quotidianum remedium fuisse bolum ex butyri recentis non saliti & sacchari candi an. superbibito haustu vini oligophori in quo chamæmelum Romanum & hedera terrestris 7. horas fuerant macerata refert.*

†† J. HEURN.] *Chalybem vino liquatum utilissimum observavit.*

O. HEURN.] *Mercurius dulcis semel, atque iterum justa dosi exhibitus in renum affectibus, optatissimos præstare effectus testatur.*

††† *Insigne remedium in ipso paroxysmo, & ab* O. HEURN. *laudatum, est spiritus terebinth. gutt. iij. vini rhenani Mosellani ℥viij. ol. nucis muscat. gutt. v.* item.

Mercurius dulcis semel, atq; iterû justâ dosi exhibitus in renû affectibus optatissimos præstare effectus testatur.

frangentibus, potoque vino malvatico, vel similiter aromatico, deinde Augusto mense decollaveris, sanguinemque medium, non primum, nec postremum, scutellis multis collectum, dum concretus est, tesselatim sectum, sic caveris in umbra. Sed ex hirco, vulpe, lupo, & similibus, vivis, calentem adhuc sanguinem haurire praestantius fuerit: quod nonnullos magno successu tentasse audio, nulloque periculo: addebant enim aliquid coaguli, ne in ventriculo glaciaretur. Avicula, quoque motacilla, seu cauda tremula vulgo dicta furno siccata, in id efficacissima creditur. Item quae vulgo gallorum messengua dicitur: betonica quoque seu cestrum Galeni. Lib. 5 sanit. tuenda. *Composita autem calculum frangentia sunt, Iustinianum Nicolai, à drachma una ad drachmas duas, cum vino albo calido, vel aquis dictis, jejuno data lithon tribon, id est, calculum perforans, & frangens, dialacca, electuarium de cineribus scorpionum.*

Viarum dilatatione intus, *Clysteres quoque anodyni sunt salubres, ex libra una decocti foliorum malvae, bismalvae, parietariae, chamaemeli, meliloti, adianti, sem. foenigraeci, cum multo butyro recenti, vel adipe gallinae, vel oleo amygdalarum dulcium, vel amararum: vel si flatus adsunt, anethino, cum cassiae uncia una: benedictae simplicis Nicolai, & olei scorpionum, una semuncia: vel clyster ex solo oleo communi cum sem: anisi. Largior autem quam libra injectio, renes premendo est dolorifica magis, ob id vitanda, sed frequentia copiam suppleas.*

Foris. *Lumbis autem illinantur oleum scorpionum, amygdalarum dulcium, amararum, semuncia, cum adipe gallinae, butyro recenti, oesypo: vesica etiam plena, decocto chamaemeli, meliloti, malvae, althaeae, helxines: vel spongia eodem madefacta, & expressa.*

Viarum lubricatione *Sumantur vero saepe jura pinguia, vel unciae octo, aut etiam plures, decocti malvae, vel althaeae, cum butyri recentis uncia una, mellis rosati sescuncia.*

Materiae incisione. *Sumantur oxymeli, syrup. acetatus compositus, syrup. byzantinus, acet. de radicibus, cum duplo aquae betonicae, aut saxifragiae.*

Ventriculi roboratione. *Si ventriculus imbecillam vim coctricem habet, roboretur litu ex oleo absinthii, menthae, cum galanga, mace, rosis, caryophyllis, ne pituita largior in eo propter imbecillitatem genita, in renes confluat, aut à calculi remediis trahatur, quae usta lapidem augeat.* †

Caput XIII.

Vesicae morbi, causae, signa atque symptomata. *

Gal. 6. de loc. aff. 4. Aetius lib. 11. Ἡ λιθῶσα κύσις. VESICA *calculo* crebrius affligitur, *inflammatione* & *abscessu* admodum raro, *exulceratione* nonnunquam.

VESICAE CALCULUS magnitudine, substantia, calore, figura atque situ plerumque variat, nec uniusmodi cernitur in omnibus: hinc & varia symptomata laborantes exercent.

Causa, Hujus *causam* plerique omnes tradunt crassum esse crudumque succum, qui per venas cum urina in vesicae capacitatem influat, in qua tanquam faex subsidens, loci calore exarefactus sensim lapidescat. At vero quid limum istum (nisi forte admodum angusta aut obstructa sit vesicae cervix) tam diu possit illic remorari, non video, quum & sanguinis grumus, & pus, & mucosa lentaque pituita, aliaq; multo crassiora facile illinc profluant cum urina. His argumentis adductus, aliam coepi causam inve-

Renum Dolor & Ardor.

† D. SCHINKELIUS.] ℞ *trochisc. de Alkekengi ℈j. spec. requiei Nicol. ℈ß. dissolve prius in pauca aqua rosata ut opium liquescat, da cum julepo refrigerante.*

Ad Ardores excoriantes.

℞ *Vnguentum nutritum, adde lythargyrum exactè pulverisatum.*

De Vesicae affectibus.

investigare, ac tandem comperi, omnem calculum in vesica conclusum, rudimentum quoddam è renibus traxisse, è quibus per nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquandiu hæret, ac plerumque persistit, illicque allatarum sordium adhæsu coagmentatur, dum verus confirmatusque lapis fiat. Ita quidem neminem hactenus offendi in vesica calculum habere, qui nephriticis doloribus divexatus ante non fuisset. Et quoscunque exemptos vesicæ calculos obtrivi (obtrivi autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quasi nucleum reperi, verum rudimentum è renibus exturbatum, diversi quam reliquum integumentum ac involucrum & coloris & substantiæ.

Propria calculi vesicæ *signa* hęc fere sunt, vaga quædam & oberrans circa pubem & perinæum titillatio, siquidem exiguus is & levis etiamnum est: quum vero grandescit, incumbentis gravitatis pondus percipitur, ut idcirco difficilis & doloris plenus per falebrosa loca fit incessus, multoque difficilior saltatio. Mictio crebrescit adeo, ut & tandem assiduo mejendum sit, vixque possit urina cohiberi. Quum mejendum est, urinæ fluor repente intercipitur, obviam quidem impulso calculo, sicque minime continuata sed intercisa est emictio. Ac tum dolor alias universum pudendi ductum, alias glandem solam affligit, isque acerrimus sub emictionis finem, quum calculus urinæ cursu incitatus, quasi proditurus, sphincterem violentius comprimit. Mejendi conatum comitatur desidendi cupiditas, quod calculi magnitudo è perinæo rectum intestinum, ut vesicæ cervicem, extimulet. At vero nonnunquam summæ vesicæ adhærescens calculus, & quasi ex illa propendens, vix ullum ex his signis manifeste exhibet: & visi sunt qui nullo dolore diu illum gestaverint: omnibus tamen hæc signa modo mitia sunt & obscura, modo sęviora. Urina alba, crassa & turbida redditur, quum grandior calculus jam diu est in vesica detentus, in qua sedimentum purulentum est, aut narium mucori persimile. Horum signorum plurima etiã spectantur in cavo & sordido cervicis ulcere, quale venerea gonorrhœa profert. Hæc vero ex causis antecedentibus internoscenda sunt.

Si ulcus inest sordidum, fœda illa gonorrhœa jam diu antecessit: sin calculus, laborans miris quibusdam nephriticis doloribus fuit opportunus, neque semper calculum doloris causam eminxit. Ad extremum vero digitus in anum, aut certius catheter in vesicam immissus, quod conjectura dubium incertumque fuerat, sensu explorabit, confirmabitque. *Distinctiva ab ulcere.*

SYLVIUS. *Lapis in vesica, ut in renibus, curandus: sed valentioribus remediis, quia durior est, & longius ab ore, per quod remedia sumuntur, abest. si tamen magnus sit & prædurus: execandus est à lithotomo perito, eoque extracto, vesica hydromelite abluenda. Suffitum aut injectionem per fistulam argenteam, ex sanguine hirci, vulpis, lupi, & aliorum lapidem frangentium, quidam tentaverunt: sed successu parum prospero: quod lapis quibus est in particulas confractus, harum inæqualitate & asperitate, & magnitudine, plus molestiæ exhibuerit urinario meatui, quam lapis integer vesicæ.* Cura.

HILDANUS. *Antequam præscribatur extractio Calculi, ut Medicus & Chirurgus futurum ægri statum ex arte prædicare & indicare queat, sequentia diligenter observet.* Prognostica ante sectionem.

Primo: utrum Calculus sit magnus, an parvus. quod partim ex circumstantiis, partim etiam ipsis manibus, & digito in anum immisso, cognoscere atque discernere poterit. De magnitudine calculi.

Et circumstantiis quidem magnitudinem Calculi cognoscere potest Chirurgus, si ad principium morbi attentus fuerit. Quo enim major est Calculus, eo etiam majus temporis spatium ad sui generationem requirit: magnusque Calculus brevi temporis intervallo vix generari potest, nisi corpus ægri (quod Medico diligenter observandum) peculiariter ad eum dispositum fuerit.

Præterea etiam exiguus Calculus ægro longe vehementiorem graviorem que dolorem, quam magnus, affert: ille enim una cum urina in collum Vesicæ delabitur, eumque pungit & exulcerat, urinamque supprimit; hic vero, scilicet magnus, non adeo profunde ad collum vesicæ pervenire potest, ut tam gravia excitare possit symptomata.

Digito vero exploratorio in anum immisso, optime magnitudinem Calculi explorare atque agnoscere potest: cumque ejusdem extremitates, angulos, altitudinem ac latitudinem digito discernere & comprehendere possit, eadem opera facile magnitudinem Calculi deprehendere licebit.

Si vero illud præstare, Calculumque digito complecti nequeat, illius quoque magnitudinem non certo digno-

dignoscere, eum vero magnum esse, sibi persuadere poterit: tumque de pondere ac mole, quam ægri circa extremitatem ani percipiunt, diligenter ægrum examinabit: prout enim pondus & moles illa se habuerit, de magnitudine quoque seu parvitate Calculi judicandum erit:

De sectionis successu.

Secundo, etiam constitutionis ægri ratio habenda est. Si enim Calculus magnus, æger vero parvus, aut debilis, imbecillis & prostratus fuerit, nihil aliud quam infelicem exitum sperari potest. Si vero Calculus non admodum magnus, æger robustus, & bene habitus sit, erit unde prospera quæque sperare queat.

Nemo vero Calculi, magnitudine ovum gallinæ minus superantis, extractionem, sine vitæ periculo, ne in grandioribus quidem adultisque Viris, tentare potest: talis enim Calculus, citra musculi vesicæ imo ipsius etiam vesicæ exulcerationem, vix educi potest.

Calculum quoque frangere, non admodum tutum, imo, an frangi possit, incertum est; quoniam nonnulli duri instar silicis reperiuntur, ut alibi fusius dicetur.

Tertio, etiam dispositionis sive constitutionis interiorum ægri viscerum ratio habenda est. Si enim pulmo, hepar, lien, renes, vel etiam vesica labefactata, & ex parte corrupta esset, ut sæpius in istiusmodi morbis contingit, tunc Lithotomia sine vitæ periculo tentari non posset: Natura enim postmodum è prædictis Visceribus humores pravos & excrementitios ad vulnus transmittit: indeque dolores, tumores, & alia molesta symptomata, ac tandem, ut manifestum, mors ipsa subsequitur.

Quarto, postquam Chirurgus digito in anum immisso, vel etiam cathetere, aut stylo exploratorio, Calculum inæqualem, asperum & angulosum adesse deprehendit, non aliter apud se statuere potest, quam operationem difficilem & longam, variisque periculis implicitam futuram. Discrimen illud Calculi etiam inde aliquo modo innotescit, quod urina alba & lactea plerumque Calculum æqualem ac lævem denotare soleat. Si vero urina frequenter rubra cruentaque fuerit, certo calculus asper, inæqualis, & angulosus aderit; præterea etiam hunc dolor longe major, quam illum, comitatur.

Quinto, Calculi vesicæ adnati extractio non absque summo periculo tentari potest; Vesica enim in extractione dilaceracur, unde multa periculosa sequuntur symptomata.

Sexto, quod si Calculus oblongus, hoc est, instar olivæ foret, Chirurgusque forte fortuna forcipe in medio eum prehenderet, & in obliquum extraheret facile etiam vesicæ collum dilacerari & exulcerari posset.

Septimo, periculum Calculi, multo levius est in Mulieribus, quam in Viris: collum enim vesicæ in fœminis breve & adeo amplum est, ut interdum etiam magni Calculi, citra incisionem per illud educi possint.

Octavo. quando post operationem turundæ vulneri non immittuntur, illudque, donec vesica probe expurgata fuerit, apertum non retinent, tunc æger etiam in periculo recidivæ versatur calculi reliquiis retentis, & ad ductis.

Nono, in senibus, & provectæ ætatis hominibus, vulnus longe tardius, quam in junioribus; in iisque quorum interiora viscera imbecilla, debilia, atque vitiata, multisque humoribus pravis referta sunt, tardius ac difficilius, quam in iis, qui pulmones, hepar, lienem, ac renes, habent integros, sanatur. Quando enim in senibus corpus variis humoribus pravis refertur, iique ad vulnus labuntur, tunc sanatio ipsorum ab iis impeditur atque suspenditur. Idem etiam de internis juniorum visceribus corruptis intelligitur.

INFLAMMATIO si qua premit, ea non vesicæ, ut quæ tenuis exanguisque est, sed sphincteri cervicis musculo insidet.

Φλεγμαίνων σφιγκτήρ.

In ea febris ardens & acuta infestat: dolor perquam acerbus, ac lancinans in perinæo cum rubore & ardore excruciat: urina supprimitur, summo tamen mejendi desiderio atque conatu: alvus solito adstrictior est, quia rectum intestinum inflammationis magnitudine coarctatur: pubes atque pecten ad umbilicum urinæ copia distenditur. Catheter præ loci angustia immitti non potest: sed & in primis periculosa est irritatio, quandoquidem hic affectus sæpe in gangrænam vel sponte abit, è qua vix ullus unquam servatus est. Quum abscessus fit & suppuratio, omnia ingravescunt: eo autem aperto mitescunt pure quidem erumpente, subsidente vero tumore, profusaque urinæ exuperantia.

Ejus signa.

Ex abscessu si servetur æger, ULCUS in sphinctere cavum manet, ac sordidum, è quo cum urina crassa modo pus copiosum & graveolens excidit, tandemque subsidet in imo. Visus est & hic abscessus per perinæum erumpere, è quo urina reddebatur, nonnunquam & in anum penetrare, illacque urina omnis defluere.

Gal. 6. de loc. aff. 4. Aëtius l. 11. c. 26. *Vesica abscessus, & ejus signa.*

Quinetiam vesicæ corpus, ipsosque ureteras levior interdum EXULCERATIO occupat, qua interior duntaxat pellicula abraditur.

Τῆς κύστεως ἕλκωσις ἐπιπολαία.

Ea *fit* alias à contundente, corrodenteve calculo, alias ab urina acriore quam vel vini

Ejus causa.

vini meracioris ciborumque calidiorum usus, vel acris salsiq; humoris permistio tulit.

Signa. Ex utroque aliquanto crassior evadit urina, & modo sanguine, modo pure exiguo perfusa: pelliculæ, aut squammulæ, aut furfurea quædam cum urina exeunt. Cæterum ab ea quæ in uretere consistit exulceratione, dolor inter renem & pubem affligit, & pus capillorum specie natat in lotio. Ab ea vero quæ in vesica urina contineri nequit, assidua mejendi cupiditas perurget, neque laborans erectus stare potest: ingens cruciatus & indesinens vesicam, pubem, perinæumque obsidet, maximus vero emictionis tempore.

Ἐν τῇ οὐρήθρᾳ ἑλκώσις. IN PENIS DUCTU ab eisdem causis levis quoque fit EXULCERATIO, abrasa interiore tunicula.

Ejus signa. In hac quęcunque modo dixi etiam cum turbida urina manant: attamen non ut illis sub emictionis finem, verum vel ipso initio, vel etiam sponte citra urinæ cursum. Inter mejendum urina acrem in pene dolorem parit, præsertim quum fluere vel incipit, vel desinit, quemadmodum vesicæ exulceratione (cui acris urina semper incumbit) perpetuus ac indesinens est dolor. Fiunt & in urinæ ductu exulcerationes sordidæ, atquæ cavæ, illis multo deteriores, cujusmodi hoc seculo frequentes protulit venera lues. de quibus postea. *Gal. 6. de loc. aff. 6. Aëtius l. 11.*

Πριαπισμός. PRIAPISMUS *est colis arrectio, & incrementum præter naturam, permanens citra libidinis stimulum.* Hic interdum cum inflammatione, interdum citra hanc existit, quum inflatus coles quodam tetano distenditur.

Ejus causa. *Causa* est flatulentus spiritus, pudendi arterias fistulosumque nervum affatim implens. Is autem vel ex crasso viscosoque humore caloris inopia suscitatur, vel ex genitalis seminis ubertate atque redundantia. Hoc mali genus insolens admodum est: quo tamen narrant jugulatum quendam biduo ab excessu è vita intentum rigidumque exhibuisse penem.

Jam vero pręcipua *partium obscœnarum symptomata,* sũt *rei venereæ impotentia,* atq; *gonorrhœa.*

IMPOTENTIA ea *fit,* aut quia extincta A virilitate semen intus non gignitur, aut quia emitti non potest. Extinguitur virilitas ex senio, ex morbo, ex causis omnibus quæ insitum spiritum roburque dissolvunt, ex incantamentorum (neque enim fabula est) maleficiis, & ex medicamentis quæ genitale semen, aut proprietate, aut qualitate manifesta perimunt. Non emittitur vero semen in magna vasorum obstructione, atque in partium obscœnarum paralysi. *Ἀδυναμία τῆς ἀφροδισιασμοῦ. Ejus causa.*

Posteriores, tametsi rei venereæ libidine jactantur, hanc tamen membrorum ignavia non exercent: priores vero nec ruunt in venerem, nec ejus desiderio pulsantur. *Signa.*

FORESTUS. *Prout variæ sunt causæ etiam curatio hic variatur,* *Curatio ex defectu alimenti.*

B *Quare qui hoc morbi genere detinentur, propterea quod parce comedant, bibantque, his imperandus est cibus largior in prandio, isque sit multus, nutriens, & semen generans; ut est sucus carnis, testes gallorum, vel vulpis, vel carnes lutrarum, castorei, polypi, ostrea, musculi, seu conchæ, & pinearum nuclei in lacte macerati; tum dulcia quæcumque, & ea quæ cum lacte, vel melle, vel sacchαro parantur. At qui vino sese ingurgitant, ad somnum potius quam ad Venerem impelluntur. Qui alimentis parum alentibus utuntur, immutent victus rationem in ea quam ante diximus. Ita, si fuerit ex causa primitiva, ut ex metu, vel verecundia, & tristitia, illa auferantur. Verum si sit ex incisione vasorum spermaticorum, vel ob fracturam nervi tendentis ad virgam, vel ob ineptam virgæ ac testiculorum parvitatem, vel ob ætatem decrepitam, non oportet multum laborare. ubi enim in-* C *strumenta vitiata sunt, aut mutilata, non curantur; & quæ in confirmatione sunt vitia, ægre curantur, potissimum quæ in defectu sunt sita.*

Attamen quod ad brevitatem virgæ attinet, si haberi posset aliquo modo, & proprie ante tempus consistentiæ, & cum adhuc membra crescunt, tunc aliqui jubent ut virga tota abluatur cum aqua calida decoctionis piperis, vel synapi, vel tithymali. fricando donec rubere cœperit, ac inflari, deinde inungatur oleis calidis attractivis, de costo, de spica, unguento Martiato, Aregon, dialthæa, vel Agrippæ; & post unctionem imponatur emplastrum ex pice calida liquida, alba, munda, & ammoniaco, æqualiter mixtis, & extersis super corium album molle; idque volunt fiat singulis diebus bis terve, ad 40. dies usque, vel plus. *Vitio membri parvi.*

Hoc

Hoc enim modo impinguatur membrum quodlibet, & corpus totum; & assidua tractatio virgæ cum manibus juva, tum dilatatione & extensione; & frequentatio coitus, cum fricatione levi perdurante.

Magni, *Contra si fuerit, ob longitudinem nimiam virgæ, tunc masculus vel fœmina (inquit Gardonius) teneat radicem virgæ strictam cum tota manu, & tota virga non intromittatur, ut semen in via non infrigidetur.*

Flaccidi, *Si autem fuerit ob mollificationem virgæ, tunc curetur sicut paralysis. Vbi enim fit à resolutione, quæ ad resolutionem sunt inscripta medicamenta, teste Paulo, conferunt. Valet inunctio virgæ assidua cum ung. & oleis calidis descriptis in capite De paralysi.*

Debilitate. *Si fuerit ob defectum membrorum principalium, vel etiam genitalium, vel renum, horum passiones prius curentur. Si ex debilitate cerebri, utatur mithridatio, nuce muschata, diamoscho, & pliris, cum moscho: & proprie si accidat ex debilitate cerebri, vel cordis, diambra. Confert aromaticum ros., & diagalanga, & diatrion pipereon, si ex stomacho: & diazinziber, dialacca, si ob hepar: & diasatyrion cum caudis scincorum, si defectus fuerit propter renes, testiculos, & vicina membra. Si adsit totius corporis debilitas, corpusque exsiccatum, fame exhaustum, vel longitudine consumptum, & tabidum; curatur totius roboratione & impinguatione, & regimine convalescentium, cibisque multum nutrientibus, carnibus pullorum, hœdorum, agnorum, jusculis inspissatis, cum vitellis ovorum, ovis sorbilibus, lacte capræ.*

Defectu seminis. *Iam si sit ex defectu seminis, valet & humectatio, corporisque impinguatio, & ea quæ semen ac sanguinem multiplicant, cerebella passerum, coturnices, capones, perdices. & alia jam dicta. Tota vero substantia semen gignunt, coagulum leporis, testiculus ejusdem, & matrix, priapus tauri, cor leporis, cerebella passerum, phasianorum, perdicum, assa, aut condita cum pipere aut zinzibere. Si ex frigiditate, calida adhibeantur: & si adsit ventositas inflativa pauci dentur cibi inflantes, ut sunt legumina, cicere, napi, & rapa. interea etiam illa quæ proprietate sua Venerem incitant. de quibus jam satis dictum est.*

Galenus Aëtius cit. loc. Γονόῤῥοια. Simplex. GONORRHOEA, est invita & nimia seminis profusio citra venerem, citra colis tentiginem, levi quodam aut nullo objectationis sensu titillatuve facta. Sed & gonorrhœæ species quædam est, quum occasione minima semen emittitur, ut in eo qui sola clysteris perfusione semen ejaculari consuevit. Sed & quendam vidi, qui longa gonorrhœæ consuetudine, per insomnia, atque etiam cogitatione sola, purum sanguinem, non minori voluptate quam semen effunderet. Malum quidem est gonorrhœa mulieribus perinde atque viris commune.

Est autem in hac semen crudum, aquosum, liquidũ, ac tenue, nec prorsus album. *Ejus signa,*

Effluvii *causa* est spermaticarum partium infirmitas, qua vel non concoqui, vel non retineri semen potest, tantisper dum coquatur atque crassescat Quamobrem frequens iis esse solet, qui impuberes necdum matura ætate veneri petulantius sese addixerunt. Nam imbecillæ partes evadunt, in quas longa consuetudine humores abundantius confluunt. *Causa.*

Quum PER INSOMNIA libidinis, aut in attenta rei venereæ cogitatione semen affatim procidit, non ut in vera gonorrhœa, crudum id & aquosum, ac sine sensu, sed magna utique voluptate exit, sed in mulieribus cum partium obscænarum odaxismo quodam, pruritu atque titillatione. *Pollutio nocturna, & ejus, signa*

Effluentis hujus *causa* est seminis vel exuperantia, vel calor & acrimonia naturam proritans, vel ingens spermaticarum partium robur: hoc argumento, quod voluptate jucunda id semper emanat. *Γονόῤῥοια βορρώδης καὶ δυσώδης. Ejus signa, Causa.*

Invasit hoc seculo in humanum genus ex lue venerea quoddam vitium gonorrhœæ finitimum, quod idcirco & fœdam VIRULENTAMQUE GONORRHÆAM appellamus.

Principio virus album, aut subcitrinum è vasis spermaticis sine sensu excidit; vigilanti pariter atque dormienti.

Ejus *causa* est spermaticorum vasorum atque testium imbecillitas, non illa quidem simplex, sed ex venenata lue contracta. hęc enim efficit, ut quicquid in his vasis colligitur, in tetrum fœdumque virus facessat: quod dein contagione alium quemvis contaminat. Tempore virus hoc putret, & acrimoniam ascitcit, ductum penis in transitu exedit, & exulcerat.

Factum vero jam *ulcus esse, ostendit* dolor exortus, qui & in tentigine quasi funem peni subtendit, & in emictione tanquam in dysuria acrius stimulat, ut idcirco multi in calculi vesicæ suspicionem venerint. Sed hæc propriis affectuum signis haud difficile fit internoscere. Tam alte interdum excavatur ulcus, ut foras emergat in penis summam cutem. Hoc virulento fluore præter ratio- *Excitati inde ulceri signa.*

rationem suppresso, intus plerumque colligitur abscessus, alias quidem circa testiculum in epididymide, alias in perinæo, qui rupta apertave cute materiam fundit.

Tuberculum carnosum, & ejus causa, Diuturnum quidem penis ulcus esse solet, vixque unquam sponte sanescit. Quocirca in eo neglecto vel TUBERCULUM CARNOSUM instar verrucæ expullulat, vel cumulata sordes in callum obdurescit, idque non uno meatus loco, sed duobus ac plerumque tribus.

Signa, Adnati tuberculi, callive *nota* sunt: urinę suppressio, vel tenuis emictio, qua non pleno illa cursu ac fluore, sed exili quodã quasi filo exit. Pene compresso durum tuberculum deprehenditur, & immisso cathetere obviam fit obsistitq; quasi offendiculum. *

Gonorrheæ prognosticum. FORESTUS. *Recte quidam dixerunt, quod ad signa prognostica attinet, gonorrhœam non solum damnum individuo, sed & omni speciei humani generis afferre: nam si omnes homines paterentur gonorrhœam, cito genus humanum periret, cum materia ex qua generatur embryo, fluat & deperdatur. Præter hoc igitur quod turpissima hæc sit passio, est etiam generi humano noxia, qua etiam nonnulli pereunt, ob verecundiam, cum non audeant Medico hoc vitium revelare. Quæ equidem si superfluat, & diu durat, perducit ægrum ad hecticam senectutis: nam semine plurimo profuso, spiritus quoque resolvuntur, & corpus infrigidatur. Quidam & gonorrhœam lethalem pronunciarunt in iis qui stomachum frigidum & hepar calidum haberent: augetur enim his frigiditas, & laxitas, neque remedia intus administrata frigidam malitiam stomachi tollere possunt. Cæterum seminis profluvium licet in omnibus ætatibus oriri possit, maxime tamen contingit pubertatem transgressis citra decimumquartum annum, ut inquit Aëtius: quod item non solum viris, sed & mulierculis accidit, licet in fœminis ægre tollatur affectio, ut ipse refert.*

Pollutionis nocturnæ. PLATERUS. *Seminis in utroque sexu involuntarius effluxus, si sit nocturna illa pollutio, ob copiam seminis eveniens, cum non nisi eo redundante accidat, & proin tantopere non noceat, fere negligitur: vel matrimonium, huic illius nimiæ collectioni, indeque natæ involuntariæ profusioni, medetur, in cœlibatu vero viventibus, ab illis quæ proventum illius gignunt illudque facile commovent, abstinendum.*

Indicationes, *Sin ob semen fervidius aut acrius, etsi parva illius sit quantitas, gonorrhœa frequenter infestet, semẽ* A *corrigendum, atq; ad mediocritatem erit reducendũ.*

Si vero ob imbecillitatem vasorum spermaticorum aquosius redditum, facile effluat; vel etiam ob laxitatem à nimio veneris usu contractum, semen qualecunque fuerit, diutius contineri nequeat, quia tunc hæc gonorrhœa admodum debilitat, illi, vasa hæc roborando, semenque crassando, prospiciendum.

Gonorrhœa virulenta dicta, à semine corrupto & vitiato profecta, non eam, quæ retineatur & fluxus illius sistatur, uti in alia gonorrhœa, rationem, curandi exigit, cum noxium retentum, loca illa exedendo exulceraret, sed potius ne in locum illius quod natura evacuat, tale quid ex infectione renascatur, providendum, quod per curam, quæ generatim toti lui Venereæ, indeque natis etiam aliis vitiis debetur, si in hac lue hæc quoque se offerat, integre interdum perficitur.

B *Quod si vero post eam, exulceratione quadam in penis ductu, ob exesam eam sedem, relicta, puris effluxus sequatur, tunc cura in purulenta excretione præscripta hic quoque locum habebit.*

FORESTUS. *Gonorrhœa itaque si fuerit ex causis externis, illæ removendæ sunt, ut corpus reducatur ad sanitatem: ut si sit ex caliditate, ea amovenda; ita & frigus, si ex frigore originem traxerit. Sic Rondeletius novit quendam nobilem, qui ab abscessu frigido renum, diu hoc morbo laboravit, & semper multo deterius habuit, cum semen extinguentibus frigidis, vel calidis uteretur. Tandem instituit contrariam victus rationem, jussitque bibere vinum generosum, & ut vesceretur alimentis optimis exsiccantibus, non flatulentis, & curatus est. Is partes illas imbecilles habebat ex coitu frequentiore. Et ob tumo-* **Cura ab imbecillitate.**

C *rem renum frigidum, multos humores crudos colligebat, à quibus flatus multi generabantur. Hi vero dilatabant meatus spermaticos, distendebant, & irritabant semen, quod ejaculabatur noctu, post quam ejaculationem, tam imbecillis erat, ut sese continere erectum non posset, aut ambulare, sed cogeretur in lecto decumbere, vel in cathedra, cruribus elevatis.*

Talibus qui ob flatus laborant, danda sunt discutientia, & siccantia parum alentia, & quæ non multos flatus gignant. Curabuntur ergo tales optima victus ratione, & medicamentis bonam concoctionem facientibus. Quare illa præscribentur, quæ ad inflationem, vel ventriculi cruditatem fuere instituta; ut pilulæ de arom. sabellinæ, ante cibum, de hiera. ex his capiet ʒß. semel in hebdomada, ante prandium. Vtatur etiam sequenti opiata: ℞ confect. arom. ros. ℥j. cineris intestinor. **Flatu que.**

De Urethræ affectibus.

S.A. S.A.

* *Tubercula quomodo solvuntur?* 4. 82. | *item.* 5. 57.

gallinæ, lotorum cum aqua absinthii ℥ß. iridis flor. & sem. agni casti, ana ʒij. cum syr. conservat. corticum citri, fiat opiata. Utantur & pulvere post pastum: ℞ cineris intestinor. gallinæ: vel pellicul. stomachi ℥j. anisi ʒij. galangæ ʒij. corall. alb. & rub. usti & loti ʒj. agni casti ʒß. sacch. candi ad tertiam partem ponderis. capiat cochlear unum ante cœnam, vel post, non superbibendo. Mane exerceat corpus, (sed potius superiora, quamvis ejus Rondeletius non meminerit,) non sero. Dormiat supra matalitium factum ex lana & foliis agni casti. Sobrie vivat, vitet cruditatem. Utatur vino generoso, & alimentis non flatulentis. Fricet mane brachia. Abstineat à colloquio & lectione impudica. Occupet animum in rebus gravibus. Hæc sunt in omnibus causis facienda, tum in his, qui ob seminis copiam id rejiciunt, nisi quod à generoso vino debent abstinere, & frequentius jejunare, utique pilulis.

A copia sanguinis. *Quod si* sanguinis plethora *adsit, non erit inutilis phlebotomia è brachio, frictiones, exercitia, balnea calida, & quæcunq; minuere possunt bonum habitũ, quæq; seminis fervorem & acrimoniã extinguere possunt, ut flores nymphææ, semẽ lactucæ, cucurbitæ, portulacæ, & olera, malva, acetosa, & aliæ herbæ.*

Ex acrimonia sanguinis. *At si sit ex* acuitate sanguinis, *mundificetur sanguis facta prius venæ sectione, & evacuetur cum iis quæ bilem evacuant, nempe cum rhabarbaro, myrobalanis citrinis, vel cum cassia & rhabarbaro: & contemperetur bilis, & exhibeantur ea quæ paulo ante diximus. dentur lentes coctæ in aqua, & coriandrum, & alia quæ extinguunt semen, ut portulaca, aqua lactis multum acetosa, à qua butyrum extractum. adhibeantur frigida emplastra, & adstringentia, & quæ experientia comprobata sunt semen minuere. qualis est syrupus Donati, qui recipit, sanguinariæ, acetosellæ, plantaginis, ana pugillum unum, portulacæ, capreolorum vitis, umbilici Veneris, & rubi ana m. jß myrtill., seminis coriand. præpar., pap. albi, ana ℥ß. folior. lactucæ, flor. nenuph. borag. & viol. ana m. ß. folior. rutæ, viticis, menthæ, calaminthæ, siccorum, ana ʒiiij. bulliant secundum artem in aqua pluviali q. s. de qua ℞ lib. iij. deinde succi rosar. rubear. granatorum, & pomorum acidorum, an. ℔ʒ, adjicito, & cum sacchаro exiguoque aceto fiat syrupus quo utatur æger sæpius, singulis diebus ℥ij. vel iij. absorbens. Item pastill. tales hoc modo confici poterunt: ℞ seminis rutæ, agni casti, urticæ. ana ℈ß. seminis lactucæ, portulacæ, plantaginis, & papaveris albi, ana ℈j. seminis coriand. præpar. & canabis torrefacti, ana gr. iiij. diacalaminthæ ʒij. cornu cervi usti, sem. rosar., santal., corall. rub., ana gr. vij. sem. melon. ʒiij. sacch. dissoluti in aqua ros. q. s. formentur* A *pastilli: quorum unum cum pauco vino rubeo astringenti, aut pauca aqua in qua sæpius ferrum fuerit extinctum, aut etiam eisdem simul permixtis, assumant pro qualibet vice. Hoc quoque unguentum fieri potest: ℞. olei ros. omphac. cytonior. nenuph. myrthini, ana ℥j. cremoris seminis lini, sem. coton. extract. cum aqua ros. ana ℥ß. folior. rutæ, agni casti, menthæ, siccorum, ana ʒß. succi polygoni, portulacæ, sempervivi, ana ℥iß. pul. corall, & santal. rub. sang. draconis, boli arm. ana ʒj. ceræ q. s. & aceti parum. misceantur, & fiat unguentum. Valent hæc ad acrimoniam seminis, & quemcunque fluxum ex debilitate virtutis retentivæ etiam vasorum seminalium.*

Si vero fiat ex longo decubitu, & usu alimentorum euchymorum, minuenda hic sunt alimenta, & danda quæ minus nutriunt, & curatur eodem modo ut ex abundantia. Rondeletius putat, juvare injectio- B *nem per syringam in anum exigua quantitate, super ventrem incumbente ægro. ℞. rad. ireos ℥j. myrtill., folior. lentisci, & cupressi, ana ℥ij ros. rub. & salviæ, ana ℥j. seminis agni casti ℥ß. seminis rutæ ℥ij. fiat decoctio in vino: injiciatur lib. ß. pro vice, rejectis prius recrementis. Hujus rationem apud illum vide cap. 57. De Gonorrhœa. Interea foveat regionem pubis, & perinei, prædicta decoctione, & hoc ung. inungit: ℞ olei myrtill., mastich. irini ana ℥ij. nucis cupressi. myrtill. ana. ʒiij. macis, caryophyll. agni ana ʒij. ceræ q. s. fiat. ung. Tempore inunctionis adde aceti albi parum, ad penetrationem & contractionem partis.*

Quod si accidat ob compressionem, *auferatur quod comprimit, & non retineatur urina vel stercus.* Compressione.
Quod si alio tumore, curetur propriis remediis.

Si proveniat ab aquositate seminis *& fluxibi-* Aquositate seminis. C *litate, evacuetur aquositas, & adhibeantur eadem quæ probrietate valent ad gonorrhœam, & quæ inspissant semen; & unguentis roborantibus uti licet, & etiam adstringentibus. Si virtus contentiva debilitatur à frigido, cum calidis rebus sperma minuentibus misceantur styptica calida ut est thus, mastyx, cortex thuris, anisum torrefactum, ruta, origanum, & cyminum torrefactum; & utatur unguentis jam dictis.*

At si contingat quod æger ex gonorrhœa diuturna exsiccetur, & macilentus evadat, ac ad tabem convertatur; tunc exhibenda electuaria resumptiva, & cibi facilis digestionis, & boni nutrimenti.

Si ob renes calefactos, refrigerentur: & si adsint alia vitia renum, propriis remediis curentur. † Calore renum. Gal. 6. de loc. aff. 3. & 4 3. de symptom caus. c. 2.

Mejendi porro symptomata sunt: *diabetes, urinæ incontinentia, ischuria, dysuria, stranguria, mictio cruenta* atque *purulenta.*

DIABETES *immoderatum urinæ profluvium est,*

† D. BONTIUS in Gomorrhæa, ut J. HEURNIUS inter secretiora remedia sua annotavit, usus fuit his pilulis. ℞. *Sem. lactucæ papaveris an.* ℥iij.

Radic. nymphææ ℥iij. *rosar. rubrar.* ℥j. *corall. rubr.* ℥ij. *Camphor.* ℥ß. *Sem. agni casti* ℥j. *cum muccagine tragacanthi F. Massa ex* ℥j. *Fiant pilulæ vij.*

est, quo assumpta potio nihil mutata profunditur. A Quibus venter, aut corporis habitus aquosi humoris copia tumet, iis interdum magno impetu urina quam potus longe copiosior emanat: quomodo obesum quendam & tumidulum vidi ex multa mictione diebus circiter octo, mirum in modum extenuari & concidere. Qui largissime bibunt, copiosam quoque profundunt urinam, ut is quem novimus quotidie horę spatio tepentis aquę medicatæ libras sexdecim exorbere. etenim qualem sumpserat, talem protinus emejebat. Cæterum horum effectuum neuter diabetes putandus: sed cum siti inexpleta supra modum bibitur, omnisque potus nihil fere mutatus mox effluit. *Ejus signa.*

Causa. Hoc proprium est renum symptoma, in B quibus calor ingens, aut ardentissimus humor impactus, vim trahendi seri vehementer impellit, quod tamen præ retinendi imbecillitate continuo prolabitur in vesicam. Proinde corpus universum & siti, & calore immodico exhaustum plane contabescit. Sed hoc quam rarissime symptoma usu venit: vixq; ullus est deprehensus, qui copiosæ emictionis nō aliā intus causam haberet.

Οὔρησις ἀπροαίρετος ἢ ἀκαιρος. URINÆ INCONTINENTIA *dicitur quum ea sine acrimoniæ & doloris sensu manifeste excidit, præter arbitrii imperium*: hisque *signis* longe distat à dysuria.

Causa. *Fit* autem resoluto sphinctere cervicis, atque iis nervis paralysi affectis, qui è lumbis in eum inseruntur musculum. Hoc alias ex ictu, aut casu, alias ex refrigerio, C aut destillatione fit. Qui se in somno permeiunt, quales maxime pueri, his quidem non paralysi, sed sola laxitate atque mollitie sphincter dissolvitur, qui neque exuperantiam, neq; acrimoniam urinæ sustinere potest, pręsertim quum animales vires somno sopitæ obscuram functionem obtinent.

Cura Diabeth. SYLVIUS. Diabetes, *affectus rarus: Galeno bis tantum visus, mihi semel in adolescente capis largiter & sæpe uso. Ubi autem vere largior est urina, sitis si adest exigua est, & placatu facilis. Puella enim Mediolanensis per dies sexaginta singulos, mictu reddidit urinæ boccalia seu chopinos sexdecim, cum in dies biberet tantum boccalia circiter tria, magno exempli miraculo: persanata tamen parum corpus conciderat.*

In continentiæ. *Si autem* invitis urina excidat, *ut etiam lectum æger permeiat, causa est primum auferenda: si enim à potu id largiore fit, bibatur parcius: si à potus aut cibi qualitate salsa, acri: ut esu largo cæparum, alliorum, porrorum: ab his abstineatur. si à frigore externo, calefiat. si ab hepatis imbecillitate, ut in ascite, prius dicta sunt remedia. Si sphincter vesicæ est resolutus mora longa in aqua frigida, vel alio frigidorum contactu, sanetur ea paralysis per calorifica omnia. Si idem est ruptus, vel laceratus, vel sectus, ut lapsis ab alto, vulneratis, sectis ob calculum, parientibus, ægre sæpe accidit: nisi initio sanetur, difficilem habet postea curationem. Si ab hepatis renum calida intemperie, ea sanetur sumptis & admotis refrigerantibus sæpe dictis. Si à retentrice vesicæ imbecilla, intemperiem, ejus causam, persana contrariis. Thuris etiam scriptulum & unum, vel drachma dimidia, cum aqua absinthii, multis est remedio. & spodium, & ex eo, vel balaustiis, vel terra sigillata, trochisci ad drach. unam, & pulvis glandis assata.*

Gal. 6. de loc. aff 4. Aëtius Lib. 11. cap. 21. ISCHURIA his contraria est, ut *quæ prorsus urina supprimitur, nec hujus quicquam exit.*

Ἰσχουρία. *Causam Galenus* plerumque refundit in obtusum vesicæ sensum, ob quem illa se impleri non sentit, nec idcirco ad excretionem irritatur. At certe urina quamdiu patentem, liberamque viam habet (ut in iis qui ob calculum secti sunt) nullo propellente aut excernente prolabitur, & suopte impetu foras excidit. Una igitur suppressæ urinæ causa est adstrictio vel obstructio. Hæcque vel ureterum amborum capita vel vesicæ cervicem opplet. *Ejus causa proxima, l. 11. c. 21.*

Signa. Utrum autem eorum in causa sit, certis *notis* pervestigandum. Si alterius duntaxat ureteris via obstructa est, haudquaquam supprimitur urina: per alterum enim perlabitur. At quum uterq; obstruitur aut coarctatur, suppressio fit, hinc conspicua, quod laborans renis utriusq; dolori fuit opportunus, lumborum summa gravitas est, ac interdum vehemens utrinq; dolor excruciat: nulla aut minima mejendi cupiditas urget: in pube nec dolor nec tumor, ne premendo quidem, percipitur: vesica inanis est & vacua

vacua, ut ne immisso cathetere urinæ quicquam emanet. Quum vero obstructa vesicæ cervix urinam cohibet, assiduum mejendi desiderium premit, summusque, sed irritus conatus est: pubes collectæ urinæ copia distenditur, ac dolet: atque si catheter in vesicam inseritur, copiosior urina impetu profluit, levamentoque est.

Causa remota. Obstructio circa ureterum capita fere fit à calculis grandiusculis, qui pariter illis impacti sunt: raro vel ab humore crasso, vel à sanguinis grumo: rarius ab inflammatione, vel à pure. In vesicæ cervice plerumque fit, vel ab inserto & hærente calculo, vel à tuberculo carnoso aut calloso, cujusmodi ex virulenta gonorrhœa succrescit: rarius à crasso humore, aut à pure, aut à sanguinis grumo. Hæc enim non diu subsistunt in via, sed facile urinæ cursu ac impetu foras impelluntur. Cuidam annum agenti trigesimum, obstructa vesicæ cervice, urina affatim tanquam emictione ex umbilico in multos menses profluxit: idque citra tumorem, citra ullam aquæ in abdomine collectionem, & citra valetudinis offensam. Quum hinc multi admiratione tenerentur, audirem vero, recens in lucem edito male vinctum umbilicum nunquam coaluisse, ex hincque semper nonnihil stillasse, censui, nondum inaruisse urachum, & nunc illi perinde, atque dum utero gestaretur, urinam è vesica in umbilicum refluere.

Prognosticum Ischuriæ à paralysi. FORESTUS. *Vrinæ suppressionem, quæ ob sauciatam spinam, aut casum (ut in illo contigit fabro lignario, qui cum à summis ædibus Iohannis Petri Pedemontani cellapsus esset, spasmo correptus, & lotium non reddens, mox interiit) aut vertebræ luxationem, aut ob lethales accessionum concursus suborta est, impossibile est curari: quare caute remedia adhibere oportet, ut inquit Aëtius cap. 24. lib. 11. Idem quoque auctor citato loco dicebat, quod ex his, qui paralysi exolutam vesicam habent, alii præter voluntatem urinam emittunt, alii autem lotium non excernunt. Minus periculo sunt obnoxii, qui præter voluntatem eam emittunt; at magis hi, quibus detinetur. Nam lotio supresso vesica & lumbi ejus distenduntur, similiterque pecten: femora autem tumefacta habent, & cum non ejiciant lotium, subjecta membra mortificantur: neque ita longo post moriuntur, ut ipse inquit.* *Ab obstructione cervicis vesicæ.* *Quod vero perniciosa sit urinæ suppressio, ex concreto sanguine seu grumo, decretum reliquit Gal. 6. de loc. affectis. Nam & putredo partium, & marcor ipsum sequi solet, ut ipse inquit, & licet nonnullis medicamenta exhibuisset pro ejusdem curatione, nihilominus omnes perierunt, uno quodam servato, solutis grumis, quos paulo post cum urina excrevit. Ita nauta quidam Schiedamensis, cui circa perinæum instrumento ligneo intra femora resultante & compresso, lumbi statim distendebantur, similiter & pecten, & femora tumefacta, lotio suppresso mortuus est, cum nulla remedia juvarent; ad quem morte instante acciti eramus. Non tamen semper suppressa urina ex casu, spina sauciata, incurabilis est, ut patet ex illa historia Galeni lib. 6. de loc. aff. cap. 4. sic scribentis: Igitur cuidam quum cecidisset, spina sauciata est, quapropter urinam reddere non potuit. Nam & id aliquando fieri solet, quemadmodum ab Hippor. dictum est. Verum non ilico suppressa fuit urina, sed pe- rendie, ob afflictarum vertebrarum ad interna luxationem, inflammata vesica. Itaque dolebat in ea parte, vel nemine tangente, si quis manu eum tangeret. Atque hunc curavimus, inflammationi remedia adhibentes. Rursus alter luxatis ad externas partes vertebris, urinam invitus profudit, nullo infestante vesicam dolore: proinde spinam curare voluimus.*

Porro quamvis hic affectus, in sanis conviviis diu permanentibus propter extensam vesicam, statim ad hibita compressione, & aliis remediis aptis curetur; in senibus tamen hoc si contingat, malum aliquando præsagit; uti evenit Nicolao Verlanio seni septuagenario, Principi Auriaco gratissimo; apud quem cum diu cum aliis nobilibus convivam ageret, & lotium diu retinuisset. alioqui calculosus, nec ausus esset surgere ad mejendum, domum postea reversus non potuit mingere; & quamquam aptis præsidiis postea minxit, tamen incidit in febrem acutam & continuam cum aphthis ita ut mors fuerit subsecuta. A retentione urinæ.

Quævis quoque urinæ suppressio ex calculo in renibus & magis in ureterem impacto, vel os vesicæ aut collum ipsum occludente, nisi transponatur, & optimis ac aptis remediis vera methodo resistatur, periculum decernit. Quævis etiam urinæ suppressio si duret usque ad x. vel xj. dies, mortem plerumque infert: à quacunque causa etiam pendeat, tales raro evadunt. licet & ipse viderim quibus ad septimum diem lotium retentum fuerit, & tamen supervixisse, quod & Gordonius se quoque vidisse testatur, & nos rusticum ad 10. dies non minxisse & supervixisse novimus.

SYLVIUS. Ischuria, *id est, urinæ suppressio: curatur per ea que causæ ipsius sunt contraria: ut frigida, calida sumpta injecta intestinis, & meatui urinario: & admota imo ventri: ut olea, unguenta, cataplasmata, emplastra, sacculos.* Cura ischuriæ ab intemperie.

Si ab obstructione *supprimitur, inquirenda est,* ne. Obstructio.

est, & curanda obstructionis causa: ut tumor præter naturam, caruncula; grumus sanguinis, petuita crassa, calculus:

A calculo. *Is enim aut comminuendus est aut cubanti supino succussatis cruribus in vesicam regerendus: vel cathetere, vel candela cerea oleo intincta, vel digiti condylo per perineum celeriter acto sedem versus. Si vero in meatum jam totus inciderit, trahendus est suctu virgæ, dilatato prius meatu per insessum, vel fotum, vel alia: deducendus quoque est digito in sedem immisso, si illic hæret: si vero ad prineum, condylo celeriter per id à sede scrotum versus acto, potius quam tunc repellendus in vesicam, ubi in calculum insignem possit grandescere: & forte vix postea in meatum urinarium incidere.*

Crasso humore. *Si* à pituita, pure, grumo sanguinis *obstruitur, syrup. duarum & quinque radicum, vel eupatorii, cum aqua fœniculi, apii petrose., tenuentur, & incidantur hæ materiæ, vel theriaca veteri cum vino albo tenui.*

A morbis renum. *Si causa sit* renum *aut* hepatis affectus, *ei prospiciendum est, ablata ischuriæ causa.* †

Ab urinæ retentione. Ad motis. *Si* lotium non excernitur, *provocandum primum mitioribus, ut compressione imi ventris, balano, acri, & sale aliquo acuta, immissa sedi cui vesica incumbit: pediculo: quoque in virga initium immisso qui motu titillet, expultricemque vim sopitam irritet, vel ejus loco portiuncula cepe, vel allii, vel similiter acrium: frictione etiam perinei, & virgæ prope ignem: hæc si non sufficiunt, pectini illinatur oleum scorpionum, & lilii, per se, vel cum sysimbrio aquatico frixa: vel imponatur helxine frixa, in id efficacissima: tegula quoque calefacta, vino bono calente irrigata, herbis etiam prædictis, aut similibus, impositis cruri, alligetur: adhæc epiploon recens exectum,* A *ut ab animali calet, imo ventri impositum. Valentior est fotus imi ventris ex spongia cum origano, calaminthe, pulegio, abrotono, sabina, mentastro: & insessus ex prædictorum decocto: quod etiam clystere injectum cum oleo liliorum, scorpionum, hiera vel benedicta, est optimum.*

Sumuntur *item syrup. radicum duarum, vel quinque, vel harum decoctum, sysimbrii aquatici, rubiæ, baccarum juniperi: quæ etiam sanguinem mictu provocant Dioscorid., ut sabina, & drachma una testæ purgatæ ovi à quo pullus exclusus est, est effica-* B *cissima potu. Cantharides vero etiam, alis & capitibus ablatis, ob vehementiam venenosam fuge: tutior est aqua raphani. Si à grumo sanguinis est, da potandum oxy. aliquod, vel leporinum coagulum.* Assumptis

STRANGURIAM, id est, urinæ stillicidium, * nuncupant, *quum urina stillatim guttatimque redditur*: id alias quodam conatu, sed dolore nullo, alias vehementi dolore & irritatione fit. Gal. 6. de loc. aff. de sympt. caus. 2. Στραγγουρία.

Quæ nullo fit dolore, easdem *causas* atque ischuria obtinet, sed sane leviores, quod fit diminuta quædam ischuria. Quæ cum dolore acri, tum ischuriæ, tum dysuriæ per- C mistas causas habet. Quod enim guttatim stillet, ischuriæ: quod vero ardeat ac stimulet, dysuriæ rationem sumit. † † *Ejus causa.*

DYSURIA * * *penis & vesicæ*, ut dysenteria intestinorum, *difficultas est*: urina quippe magno cruciatu atque dolore interdum affatim, interdum guttatim redditur. Δυσουρία.

Causa vel in urina consistit, vel in vesicæ cervice. In urina quod acrior evaserit, idque aut victu calidiore, aut bilis permistione, *Ejus causa.*

Aa 3 stione,

Suderiferum nobile ac diureticum

† ♃ *Milium decoctum in aqua cum passulis & ficubus.* Ex secretis O. HEURNII.

De stillicidio.

	S.	A.		S.	A.
* *fit autumno.*	3.	22.	*à vesicæ morbis.*	4.	80.
senibus familiare.	3.	31.	*item.*	7.	39.
à renibus purulentis.	5.	58.	*ab eo ileos, lethal.*	6.	44.
ab inflammatione uteri & intestini recti.	5.	58.	*solvitur venæsectione, & vino.*	7.	48.

Stranguria diuturna.

† † ♃ *Mulsa cui magnam incoque copiam liquiritiæ: adde lithontribon, fol. malvæ, violariæ gumm. tragacanth. & arabici Iuvat primo statim potu.*

LANSBERGIUS.] *dicit se curasse cruciatus intolerabiles annosos indeque pecuniam magnam fecisse.*

De urinæ difficultate.

	S.	A.		S.	A.
* * *Senibus familiaris.*	3.	23.	*vini potu.*	5.	48.
ab austrinâ constitutione.	3.	5.	*fit per siccitates.*	3.	16.
solvitur venæsectione.	7.	48.			

ſtione, at acrimonia puris ex rupto abſceſſu manantis. In veſicæ cervice, vel exulceratio, vel inflammatio eſt, quam tranſiens urina acrius ferit.

Signa. Cauſæ his *ſignis* internoſcentur, quæ ſupra unicuique affectui ſunt aſcripta.

Prognoſticum. FORESTUS. *Si ſenibus ſtranguria aut Dyſuria eveniat, difficulter ſanabitur, veluti & quodlibet aliud renum & veſicæ vitium, ut Hip. viſum eſt aph. 6. lib. 6. Idque potiſſimum fiet, ubi ex frigida intemperie cum frigidorum humorum redundantia ortum habebit. Timor etenim erit, ut ad mortem uſque eos comitetur, quemadmodum & alii frigidi ac diuturni morbi, ut liquet comment. aph. 40. lib. 2. Et ſic à quadraginta annis quidam difficiliorem curam eſſe volunt, & à cauſa calida in ſenibus periculoſiorem: in juvenibus à cauſa frigida juxta commentum illius aph. 34. lib. 3. In morbis minus periclitantur quorum naturæ &c. cum vehemens diſpoſitio cauſa ſit. Attamen ſenibus magis frigidis & veſica frigida exiſtente,* B *multo periculoſior, cum & tales fere omnes, juxta eũdem Galenum, commoriantur, quoniam earum opus indeſinens eſt, quiete autem opus eſt, ſi quid ſanari debeat; & quia ſuperfluitas acris apta irritare. ſive ulcus ſive inflammatio, ſive aliqua alia paſſio in ipſis conſtiterit. Et ita in ſtranguria propter ulcus, quantum ad cauſam calidam; vel propter debilitatem veſicæ quantũ ad frigidam, omnium ſunt difficillimæ curationis. Et ſubinde ratione vicinitatis malo diu perdurante, mortem tandem inferunt; ut in illuſtri quadam Domina, quæ cum diu ſtranguria & ardore urinæ laboraſſet, poſt ejus mortem ulcus in utero & renibus, cauſam mortis præbuit.*

Cura ſtranguriæ & dyſuriæ à bile. SYLVIUS. Stranguria & Dyſuria curatur *auferentibus cauſam acrimoniæ.*

Quæ ſi eſt bilis *urinæ miſta, victus ratio ſit refrigerans, humectans: uſu lactucæ, portulacæ, bliti, ſpinacii,* C *atriplicis, bugloſſi utriuſque, malvæ, biſmalvæ, fuga acrium, ſalſorum, aceti: deinde bilis purgetur manna, caſſia, myrobalanis citreis, non autem ſcammoniatis: eadem purgantia, quarto aut quinto quoque die ſumpta, paulatim bilem, vel materias ſalſas & nitroſas, à partibus ureticis derivant ad inteſtina. Idem præſtat ſerũ lactis caprini, & lac caprinum. Quia vero idem multam ex ſe urinam facit, eamque mitem: ſi urinæ acrimoniam obtundit: clyſteribus quoque injiciendum decoctum malvæ, althææ, violarum, nymphææ, ſalicis cum caſſia ad alvum leniendam, & temperandam humorum etiam in veſica acrimoniam. Bibat ſyrup. violatum, cichorii, cum ſero lactis, vel aqua hordei.*

A pituita ſalſa. *Si cauſa eſt* pituita ſalſa: *ſumatur frequenter te-* A *rebinthus lota in aqua roſarum, plantaginis, vel intybi, ad tollendam ejus acrimoniam. Hæc enim alvum ſolvit, & urinæ morſum mitigat.*

Si ab excoriatione *partium ureticarum, ſumat in dies drachmam unam boli armenicæ, vel trochiſcorum terræ ſigillatæ, vel electri cum aqua plantaginis, vel ſolani. Quod ſi* ulcus *adeſt, ante uſum prædictorum glutinantium tergendum eſt ſero lactis aſinini, vel caprini: decocto ſe. melonum, & aliorum frig. ſe. donec pus excerni ceſſet, aut parciſſimum ſubeat.* Ab excoriatione.

Si eſt ob ſiccatam veſicam, *vel abſumptam paraſtatarum humiditatem, quæ ſemini viam ſternit, alimento pleniore & craſſo eſt opus.* Siccitate.

Deinde, imo ſæpe ſtatim initio, ubi ſcilicet dolor eſt vehemens, acrimoniã *mordacem* urinæ remittes: *vel per unctuoſa, vel ſenſum tactus partium ureticarum modice ſtupefaciendo: ut ſyrup. violatus, cum aqua lactucæ, portulacæ, ſolani, intybi: vel ſi valentiore* B *opus eſt, ſyr. violati uncia una, ſyr. papaveris ſemuncia cum unciis tribus decocti ſe. 4 fri. majorum, vel etiam minorum. Sunt qui ſe. hyoſciami albi, vel papaveris albi drach. unam cum prædictis aquis mane exhibent: his trochiſcis halicacabi Meſuæ drach. una efficaciores, quia ſtupefaciunt, uretici ſunt, & urinæ acrimoniam obtundunt. Decoctum quoque malvæ, violæ, & ſimilium, cum caſſia bis die injectum eſt efficax: ſyringe etiam per catheterem brevem in veſicam immiſiſſe lac humanum, caprinum, ovinum, prodeſt. Nam ejus miſtio urinæ acrimoniam frangit. albumen cum agitatu multo fractum, donec lentum eſſe deſinat, per ſe, vel cum papaveris decocto, vel cum lacte; muccago ſeminis pſyllii ſex horis macerati aqua frigida, omnem acrimoniam obtundit, ut etiam dolori magno hæmorrhoidum mox ſuccurat, & podagræ calidæ, ſed periculum eſt, ne lenta hæc in meatu urinario, aut veſica, ſi eam adibunt, partium calore tandem ſiccata, vel obturẽt,* C *vel anguſtent meatum, & malum ſuccedat novum, priore etiam deterius. Valentius fiet remedium additis caphuræ granis 3. 4. valentiſſimum addito opii grano uno, vel troch. halicaca. ſcript uno, aqua vel decoctione papaveris ſoluto. Virgam quoque tenere in lacte calido, vel decocto papaveris albi, inungere ventrem inferiorem, & perinæum oleo ſalicum, violato, nymphææ, addita pauca caphura. Decoctum foliorum vitis, ſalicis, malvæ, violæ, inſeſſu, aut fotu ex veſica.* † In quibus omnibus mitigandus dolor.

MICTIO CRUENTA eſt quæ ſanguine perfunditur. Puri ſincerique ſanguinis eruptio ex interiore penis meatu, mictio haudquaquam appelletur, quod ſine urina nulloque voluntatis arbitrio, ex aperta, rupta, vel exeſa vena fiat. Gal. 6. de loc. aff. 3. Aëtius lib. 11. c.

Quum

† O. HEURN.] *Inter præſentanea remedia* ℨj *pulveris ex glandibus quercus cum vino rhenano numerat.*

Αἱματηρὰ οὔρησις. Ejus signa & causa.

Quum autem sanguis urinę permiscetur, si copiosus est, vel à renibus excidit, vel à sphinctere cervicis musculo: nam neq; ab uretere, neq; à vesicę corpore multus emanare potest Qui à renibus defluit, urinę toti exquisite permiscetur, ut ea quasi dilutus & tenuis quidam sit sanguis: hic vero mox subsidet rubicundus, liquidus ac minime concretus. Hujus causa si neque casus, neque ictus fuit, debet omnino ad calculum referri, qui per corporis laborem, præsertim per exercitationem validam, renem ejusque venas obterens, sanguinem profundit. Sola sanguinis emictio sæpe renis calculum patefecit, qui alias nullis indiciis se prodebat, ut ne subesse quidem putaretur. Sic diu potest multa emictio cruenta prodire, sine manifesta virium jactura. Quæcunque hujus aliæ causæ tradi solent, ut renum imbecillitas, simplex eorum apertio, jecoris infirmitas, plethora, mensium aut hæmorrhoidum suppressio, raræ adeo hæ & insolentes obtinguut, vix ut unquam solæ cruentam mictionem protulerint. Qui porro sanguis à sphinctere musculo in vesicæ capacitatem instillatus mictionem cruentam reddit, urinam non æquabiliter perfundit, ac subsidens in imo concrescit in grumos: ejus quoque portio aut grumus interdum citra urinam excidit: dolor plerumque meiendo premit, ac veluti penis radicem adurit, aliaque vel ulceris, vel ruptæ venæ signa comitantur.

Gal. 6. de loc. aff. 4. Πυώδης οὔρησις. Ejus signa.

MICTIO PURULENTA interdum è renibus, interdum è penis ductu prodit.

Illa pus habet accurate permistum, aut si quid forte crassius serosum est, id sub finem emanat. Hæc vero primo loco pus syncerum ejaculatur, quod vel penis cervice, vel à parastatis exulceratis, vel à vasis spermaticis exierat: ab hoc dein purior urina subsequitur.

Gal. 6. de loc. aff. 3. Ὑπομέλαινα οὔρησις.

MICTIO SUBNIGRA ac turbida sine dolore, si neque ab ictero, neque à crisi prodit, ab evulso calculo est, qui potest non sine molestia exturbabitur è rene.

Μυξώδης.

MUCOSA vel ab ulcere quodam, vel à calculo vesicæ fit.

Τριχίασις.

Filis aut CAPILLAMENTIS CONSPERSA, vel è lenta pituita, quæ in ureteribus, vel è seminis excremento, quod in vasis spermaticis longitudinem hanc adipiscitur.

At vero tum hæc, tum alia quæcunq; urinas possunt immutare, fusius explicantur in iis quæ de urinæ contentis sunt tradita.

Cura mictionis sanguineæ, à copia, Qualitate.

SYLVIUS. *Mictio cruenta si* ob redundantiam *fiat, vel critica est, non supprimatur, nisi vacuatione immodica vires dejiciat.*

B *Si* biliosa *est, aut* aquosa, *sumptis cholagogis, & hydragogis vel hydroticis, avertuntur à partibus urinariis hæ materiæ; & à sanguine vacuantur.*

Imbecillitate.

Si facultas secretrix est imbecilla, *illine lumbos oleo myrtino, ros., cyd., cerato Gal. santalino, unguento comitissæ de se, seu crocato flosculo rosarum, quam anthearum vulgus vocat: fotu ex balaustiorum, malicorii, gallarum, hypocisthidos, decoct. in aqua ros., plantag., ferrata. Sumat etiam syru. rosatum, myrtinum, cydoniorum, cum aqua solani, rosar., plantag, lactucæ, & drach. una boli armenæ, vel trochisc. electri, vel terræ sigillatæ, vel trochisc. spodii cum se. oxalidis à Rasi scriptorum, lactis ovini un*C*cia quatuor, sex, mane, cum drachma una boli armenæ sumptæ sunt in id efficacissimæ, & renes valenter roborant, modo ne dormiat, aut exerceatur.*

Apertione vasis.

Quæ remedia sunt etiam glutinantia, ob id salubria, si vas est apertum *casu, vel laceratu, vel alia ratione.*

Contusione.

Si ob casum *tamen est cruentus mictus, averte prius secta basilica dextra.*

Cura emictionis purulentæ.

Si purulentum est lotium, *tergentibus utendum: deinde glutinantibus prædictis astringentibus. Si præterea calidissimum, serum lactis, decoctum hordei saccharatum, bibendum, & injiciendum: trochisci quoque Rasis liquore aliquo ex prædictis soluti, salubriter in vesicam injiciuntur. tunc solum quando ab ea sanguis effluit.* †

† Ad Sanguinis mictum vel dejectionem.

℞ *Succi plãtaginis & millefolii coq. parũ ut purius fiat ei incoque satis malvæ gummi arabici cũ sacchoro F.* Potus.

LANSBERGIUS.] *Ego utor feliciter pulvere Gesneri.* J. HEURNIUS.] In remediis secretis.

CAPUT XIV.

Scroti morbi, causæ & signa.

Ægin. l. 3. c. 53. & 54 Avicenna. l. 3. fen. 20. & 22. tr. 3. cap. 3.

SCrotum & qui in eo sunt TESTES tum *inflammatione* habefactantur, *tumore duro scirrhosoque* tum omnibus *herniæ generibus.* *Inflam-*

Testis inflammatio. Ejus causa. *Inflammationem* accendit tenuis fervidusque sanguis præter naturam in scrotum & testes profluens.

Signa. Scrotum in tumorem distenditur, durities inest, rubor atque calor, dolor lancinans, qui levi contactu exacuitur, febris plerumque comes. Quod si inflammatio testem solum occupet, hæc in profundo demersa sunt, tactu melius quam visu comprehensa: sin vero in scrotum effunditur, omnia foris extant oculis obvia.

Scirrhus. Male curata inflammatio illic sæpe PRÆDURUM TUMOREM ex calore præpropere extincto relinquit.

Ejus signa. Tum rubor, calor, & dolor absunt, durities una persistit, cujus nonnihil plerumque immedicabile permanet.

Κήλη. Βουβωνοκήλη. Ejus causa. HERNIA seu ramex alias *in inguine* prominet, Bubonocele appellatur, mulierum atque virorum communis, alias *in scroto*, quæ virorum duntaxat est.

Fiunt autem quum quippiam in alterutram sedem illapsum, tumorem parit. Illapsus causa est peritonei (quod omnia sub abdomine coërcere solet) ruptio, aut dilatatio. Quum sola est ruptio interioris membranæ (duplex quippe est peritonæum) tumor in inguine solo existit: quum vero huic etiam dilatatio accedit ejus membranæ, quæ in scrotum devolvitur, hoc pariter distenditur.

Differentiæ. Ἐντεροκήλη. Ἐπιπλοκήλη. Ὑδροκήλη καὶ Σαρκοκήλη. Illabuntur autem varia, ex quibus *ramicum differentiæ* statui solent. Ab intestino, *enterocele* est: ab omento, *epiplocele*: ab aqua, *hydrocele*: ab adnata carne, *sarcocele*.

Signa priorum, Posteriorum. In enterocele & epiplocele permanens tumor non est: nam resupino & intestina, & omentum, vel blando digitorum impulsu remeant: illa quidem rugitu & flatulento murmure, hoc vero ægrius, & nullo sono, nullo rugitu.

Hydroceles atque etiam *sarcoceles* tumor perpetuus est, nec impulsus in abdominis capacitatem cedit. Hoc autem discriminis intercedit, quod hydroceles tumor mollior est, pulsatus resonat, pondere levis, & opposito lumine perspicuus, Sarcoceles tumor durus, gravis, & obscurus, qui longiori tempore pedetentim increvit.

Ut autem viris in scrotum, ita interdum mulieribus tum intestinorum, tum omenti, aut aquarum prolapsus fit *in pudenda*, è quibus illa videntur tanquam è sacculo propendere.

Οἱ ἐξόμφαλοι. Sed & *umbilici ruptio* ramicis genus censeri potest, quo sæpe videtur is mirum in modum prominere, intestinis sub cutem prorumpentibus. Neque præter institutum sit eum virum producere, cui ex accepto ventris vulnere, præcisum tenue intestinum prodit, è quo alvi excrementum nondum solidum, aut cohærens continenter emanat, annos jam quindecim, ea via intercepta quæ in anum ducebat.

Prognosticum. PLATERUS. *Intestinorum vel Omenti procidentia ex ruptura vel dilatatione peritonæi profecta, tumorem Celen appellatum producens, si in inguine enterocelen & epiplocelen gignat, ibique tumor persistat, leviterque saltem promineat, nec dolorem graviorem inferat, sæpe negligitur, vel leviore negotio coërcetur, & curationem, si mature adhibeatur, citius admittit, Vti & in omphalocele, in qua umbilicum aliquousque prominentem, pressioneque refugientem, per totam vitam gerunt; vel alterius ventris regionis cele, si simili modo se offerat. Sed & omphalocele aliqua, uti dictum, non est perseverans, sed sponte iterum evanescit.*

Quod si vero in scrotum usque tumor hic descendat, in enterocele major curandi difficultas exoritur, vel etiam periculum tunc interdum exsurgit: nam si inde remeare non possit, nullaque arte propelli, doloremque inferat & omnimodam constipationem alvi, mortem accersit, quam vomitus alvi fæcum præcedere, & instantem indicare solet.

Quod & in omphalocele vel alia ventris cele si eveniat, ut reponi nequeat, eademque accidentia proferat, mortale existit. In epiplocele vero si quoque tumor in scroto factus, induratus, uti jam dictum, subsistat, quod etiam est rarissimum, aliquando tamen accidisse vidimus, licet non ea symptomata producat, tamen eum quoque neglectum, mortem attulisse in quodam, observavimus.

In aliis veri enteroceles, eam in scroto, quam ventris aliis sedibus se exerentibus speciebus, si tumor cedere possit, ad eum penitus avertendum, ne amplius redeat, atque integre sanandum, medicamentis, etiamsi recens malum sit; hoc perficere, præsertim, ut ea operentur, diu continuari, & æger interim quiescere & vinculis astringi debeat, quod ægre perferunt, est difficile: si vero inveteratum sit, impossibile, nisi manuali opera aliquid, uti mox dicetur, præstetur; quod tamen non sine labore, & periculo mortis, si sectione (uti plerunque fieri solet) hoc fiat, & amissione illius loci testis, si in inguine sectio instituatur, peragitur.

gitur. Quam si ægri ideo vitare velint, cura erit, ejusmodi tumores quos avertere penitus nequimus saltem reprimere, & ne excrescant, retinere. Quæ omnia qua ratione fieri debeant, & per medicamenta, assumpta admotave, vel manuali operatione administrari, tunc demonstrabitur. Primum quo pacto huic causæ, hæc est, parti prolapsæ, dein quomodo morbo ipsi, hoc est, solutioni huic continui, in ruptura, vel contiguitatis, in relaxatione peritonæi, accommodari debeant.

Cura enterococeles.

SYLVIUS. Enterocele *in qua intestinum rupto peritonæo delabitur in meatum vasorum seminalium, aut etiam in scrotum*, curatur *primum* repellentibus *in suam sedem intestinum, deinde* continentibus, *ne relabatur, & solutum peritonæum* glutinantibus.

Repositione.

Vt autem tuto cito indolenter reponatur, *flatulenta vitentur, & si flatus lapsum intestinum jam distendunt (quos tumor levis transparens, digiti percussu sonans, ut tympanites, ostendit) dissipentur fotu cum spongia, ex decocto meliloti, chamæmelo, fem. vari, fœnic., lini, fœnigræ., anisi, anethi, cymini, & similium. vel oleo chamæmeli, anethi, amygd. dulc., ricinino, jasmino, leucoii, rutæ, vel cum vesica prædictis plena foveatur: vel ex fabis coquendo mollissimis, cùm aliquo oleo dicto, fiat cataplasma. Si autem stercus insit, clysteribus etiam acribus post mollientium usum vacuabimus: dein cruribus elatis, & diductis moliter succutiemus: & si opus adjutrice aliqua manu, comprimendo clementer subserviemus.*

Retentione.

Retinetur *autem subligaculo: & si puer est, & coxas elatiores aliquot dies continet in lecto, vitatque motus inordinatos, clamorem, tussim, sternutamenta, anhelitum, cohibitionem, omnem repletionem.*

Glutinatione.

A natura ulcus peritonæi glutinatur. *in grandioribus autem longum tempus postulat, & remedia præter dictam victus rationem magis exquisita: ut ceratum de pelle arietis Matth. Gradi: cui simile est emplastrum contra rupturam Nicolai. Sunt qui ferro candenti partem qua descendit intestinum urendo contrahunt: alii acu & filo ad usque cavitatem qua descendunt vasa, carnem pertundunt: ablata acu filum super tessellam corneam vel eburneam astringunt quotidie magis atque magis, donec totum filo perruperint: carne interim supercrescente in profundo, & meatus partem occupante, ne intestino postea sit via; sed cave ne & vasa cicatrice interna, dura, & eminentiore premas, nam dolorifica sic fuerit, & testem atrophia tabefecerit. Alii sectione facta, exectoque teste, vinculo vasorum omnium, & ambientis membranæ, aut cauterio, meatum contrahunt, & obturant: in qua castratione grandes natu plerique, B oris primum, deinde corporis reliqui convulsione, tandem moriuntur: pueris alia inde accidunt incommoda non exigua. Ob id hæc curandi forma potius omittenda est.* *Vide Alexandrum Benedictum.*

Cura epiploceles.

Epiplocele *similiter* curatur, *sed ægrius, uti & hernia sinistra, quam dextra, quod in hac cœcum intestinum delabi solitum, magno tantum peritonæi hiatu excidit: illæ etiam minimo meatu excidunt.*

Hydroceles.

Hydrocele *autem stercore vaccino, & caprarum imposito* curetur: *id si non sufficiat, filo ad aquarum locum transfixo, paulatim emittantur aquæ, postea ulcus glutinetur, & parti aquas transmittenti, ut hepati, lieni, prospiciatur.*

Cirsocele *autem, post vacuatum phlebotome & purgatione melancholicum humorem, si non cedat, ferro candente cancrorum modo eximantur varices.*

Ab his jam mulieri peculiares morbos exequar.

CAPUT XV.

Vteri affectus, causæ & signa.

Gal. 6. de loc. aff. 5. Aëtius l. 16. c. 83. *Vteri morbi.*

UTerum *morbi* varii obsident: * *phlegmone, abscessus, ulcus, cancer, scirrhus, mola, inflatior hydrops, calculus*: & in A cervice *rhagades, condylomata, hæmorrhoides.*

PHLEGMONE fit tenui fervidoque sanguine è vena cava per tenues venas, non in- Φλεγμονή.

De Affectionibus uterinis & muliebribus.

uteri capacitatem, sed in illius substantiam effuso: qui collectus, accensus, phlegmonem parit. Malum certe in cervice quam in utero frequentius.

Signa. Quum totus uterus inflammatione obsidetur; dolor acer ac pulsans excruciat: atque si inflammatio in priorem partem magis devergit, in pubem quoque dolor inclinat, & urinæ difficultas est: sin vero in posteriorem partem, dolor lumbos infestat, & alvum supprimit. Pubis, imi ventris, lumborumque ardor, tumor, distentio, atque gravitas inest: febrisque comes assidua cum symptomatum syndrome: immisso in cervicem digito quæcunque pars uteri prematur, vehementer dolet:

Ἀπόστημα. *Ejus signa.* Putri sanguine in pus transeunte ABSCESSUS fit.

Ac tum commemorata *signa* invalescunt, febrium horrores sæpe adoriuntur, nulloque ordine: omnia tamen confecto jam pure mitescunt. Rursum vero quum pus acre & exedens eruptionis viam parat, acriores dolores, febres vehementiores, aliaque graviora symptomata excruciant.

Aëtius l. 16. c. 83. &c. Rupto expurgatoque abscessu ULCUS manet, idque sordidum.

Æginetà lib. 3. c. 65. &c. *Ἕλκος ῥυπαρόν.* *Ejus signa.* Pus autem ex uteri corpore, vel in illius capacitatem incidit, unde syncerum profluere deprehenditur: vel extra in abdominis capacitatem penetrans, inter intestina hæret, ac subsistit, ut imum ventrem copia distendat, prematque pondere. Ruptus in cervice abscessus tactu quidem deprehenditur, atque is interdum in solam cervicem pus effundit, tandemque foras emittit: interdum in vesicam, tumque urina per uteri cervicem assiduo fluit: hacque ex re sæpe vidimus naturalem mictionem prorsus abolitam: interdum in directum intestinum penetrat abscessus, tumque fæcis nonnihil ex uteri cervice profluit.

Ἕλκωσις ἐπιπολαία. LEVIOR interdum EXULCERATIO utero ejusve cervici inuritur, quæ interiorem pelliculam corradit, aut excavat modice.

Ejus causa, *Fit* autem à partu difficili, quo aut grandior fœtus editur, aut etiam adversus, aut corruptus, vi misere extrahitur. Fit & à violento effrenique concubitu, atque à diuturno fluore, acri, & erodente.

Signa. Ab omni exulceratione dolor subest acer, pungens, & exedens: sanies & colluvies emanat, eaque, copia, substantia & colore varia, nonnunquam fœtida, nonnunquam odoris expers, quamque à simplici fluore vix discernas. Propria autem exulcerationis cognitio ex caussis antecedentibus, atque ex sensu doloris capitur, qui vel immisso digito, vel acri injectione, qualis ex vino aut ex hydromelite est, refricatur.

Τῆς μήτρας ἕλκη νομώδη, καρκινώματα. Uteri MALIGNA ULCERA, quod locus excrementis putredinique pateat, sæpe vel in nomas, id est, depascentia efferataque ulcera, vel in carcinomata degenerant. *Noma* inæquales conspiciuntur, exedentes, indiesque magis ac magis depascentes, cæteris ulceribus fœtidiores, sordidiores, acerbioresque. Neque à solis evidentibus caussis, sed & ab acri exedenteque humore infixo originem habent. *Carcinoma* humor efficit atribilarius, qui collectus vi caloris efferatur & excandescit. *Eorum caussa,*

Signa. Hoc si nondum exulceratum est, moles pondere gravis *percipitur*, tumorque durus, colore sublivido. Ab inflammatione hinc sejungitur, quod diuturnus sit, dolorque minus lancinans, & febris non perinde ardens. A scirrho, quod calore doloreque fatiget. *Exulceratum* vero *carcinoma*, ut nomis malignius est, ita præter cæteras notas labra habet prætumida ac dura, atque ex concreta illuvie, sordida & livida: sanie quoque id manat graveolente, tenui, & nigra, vel etiam fulva.

Aëtius l. 16. c. 80. Æginetà lib. 3. c. 69. &c. SCIRRHO autem interdum totus uterus, interdum pars quædam obdurescit.

Σκίρρος ὑστέρας μήτρας. *Ejus signa,* Tum durus ipse tumor tactui renititur, nullus, aut obscurus dolor adest, stantibus grave pondus (quod in aliis etiam tumoribus obtingit) quasi prolapsurum incumbit in pudenda: sedentibus vero aut decumbentibus sua gravitate rectum intestinum premit: incessus difficilis, crurum totiusque corporis segnities.

Caussa. *Fit* autem ex humore crasso ac terreno per uteri substantiam effuso, illicque concrescente: aut ex inflammatione quæ neq; dissoluta est, neque in abscessum conversa.

Ἡ μύλη. MOLA tumor est carnosus, non in substantia, sed in uteri capacitate genitus. Rudimentum interdum cujusdam formæ obtinet, sæpe moles est informis cute vel membranis obducta, intus caro mollis & con-

confusa, venis resperſa compluribus, ſine oſſibus, ſine inteſtinis, ſine viſceribus. Alimentum ea per venas prolicit, nutriturque plantarum more, & incrementum ſumit, ut interdum ventrem quaſi octimeſtris fœtus diſtendat. Hæret nonnunquam acetabulis firmiſſime, ut hanc aliquæ quatuor, quinqueve annos, interdum & totam vitam utero geſtarint. At plerumque levius adhæreſcens, tertio quartove menſe excidit, nondum adjuſtam magnitudinem perducta.

Ejus cauſa.

Τὰ ἔμβρυα ἄκυμα καὶ ἀμόρφωτα.

Ad hanc proxime accedunt IRRITI & inutiles CONCEPTUS. quorum frequens eſt eventus. Multi ſimul interdum geſtantur, pariunturque, & interdum cum legitimo fœtu eduntur.

Molæ *cauſa efficiens* non eſt ſolus ſanguis menſtruus, neque hanc (ut ova quæ appellantur ſubventanea) efficere poteſt ſolum muliebre ſemen, quum nuſquam viſa ſit mulier molam ſine mare concepiſſe: ſed molæ cauſa eſt viri ſemen, idque aut corruptum, aut quovis modo invalidum, quod alimentum quidem trahere, nihil vero conformare poteſt.

Signa. In mola, quemadmodum in conceptu, menſes ſiſtuntur, mammæ turgeſcunt, cibi faſtidium ineſt, venter ſenſim attollitur, ut iccirco concepti fœtus ſuſpicio magna fit. Atque his *ſignis* diſtat à ſcirrho. A fœtu autem vero atque legitimo, quod hic blande ac leniter movetur: mola aut gravitate figitur, aut impetu quodam provolvitur in quodcunque latus mulier decumbat. In mola mulier ad inceſſum gravior evadit, eique quaſi pondus propendet ex utero, artus gracileſcunt, dolorque ventrem ſæpe compungit: quorum nihil adeſt in vero atque legitimo fœtu, præſertim ſi valetudine integra eſt mulier.

Indicationes. PLATERUS. *Molæ curatio in eo, ne amplius generetur, vel, ſi genita ſit, mature, antequam in immenſum, uti ſæpe fit, excreſcat, expellatur, conſiſtit: cum ſic aucta difficulter poſtea cedat, &, vel retenta, vel cum magna difficultate & hæmorrhagia tandem erumpens, exitium ægræ aliquando pariat.*

Præcautio. Præcautione *ne generetur utimur tunc ſaltem, quando mulieres molæ obnoxias eſſe, ex eo quod vel prius ſemel aut iterum, vel ſæpius eas ejecerint, colligimus: tunc antequam conceptio fiat, & ſi fieri poſſit, antequam concumbant, ea inſtituetur. Quæ A præcautio admodum difficilis, cum id quod præcipuum eſt, lateat, ſeminis nempe defectus in mare vel fœmina; qui corrigendus: diligenti tamen conſideratione utriuſque naturæ & temperamenti, ſi aliquod alterutrius vitium deprehenderimus, ut hoc bona vivendi ratione, medicamentorumque convenientium uſu emendetur, tam in viro quam in muliere procurabimus.*

Præcipue vero quod mulierem attinet, ad molam gerendam pronam, illi præter decentes evacuationes, per venæ ſectionem, ſi plethorica ſit, per purgationes, ſi humoribus excrementitiis vel pravis ſcateat, ad uterum confirmandum, ea quæ robur addunt, adminiſtrabuntur, eoque magis ſi imperfectio hæc in mola, ab uteri imbecillitate & caloris nativi penuria procedat, quod ſemen ſuſceptum non convenienter, & prout ad fœtus procreationem opus foret, fovere B queat. Qualia remedia utero convenientia & appropriata, in ſterilitate, & fluxu muliebri, aliiſque ab uteri imbecillitate & fluxu muliebri profectis affectibus, deſcribuntur. Inter quæ & balnea, præcipueque thermas, ſi hæ mulieres eas adeant, multum efficere poſſe, ſibi perſuadent.

Curatio *molæ jam genitæ à ſemine, ſicuti in extumeſcentia ventris inde progreſſa oſtenſum, in eo, ne admodum excreſcat, & mature ex eo propellatur, verſatur. Verum cum de ea plerunque non ſatis certi ſimus, etſi ſuſpicio illius magna ſit, tamen validioribus, & violentis remediis rem aggredi, & per vim conceptum ejicere velle, cum, ſi verus conceptus eſſet, eum perderemus, res eſt periculi plena, nec temere ſuſcipienda, &, cum vel minimum dubitamus, omittenda: ſatiuſque tunc, vel naturæ negotium committere, donec certiores de ea fiamus, & eventum exſpectare; vel ſaltem, per ſanguinis miſſionem nutrimen-C tum nonnihil illi detrahendo, incrementum illius impedire; vel purgantibus exhibitis naturam, ut, cum alias immundities expellit, etiam forte hanc illi gravem & alienam molem propellat, ſollicitare: nec ab illis adminiſtrandis metus nos, ne ſi forte verus eſſet conceptus, abortus inde ſequatur, abſterrere debet: cum hoc minime factum fuiſſe, in multis mulieribus gravidis, ſæpe ſic evacuatis, vel diarrhœis diu laborantibus, obſervaverimus; naturaque non facile ad ea quæ naturalia ſunt, ſicuti vero præternaturalia, illique onerosa, excernenda, commoveatur.* *Curat.*

Quod ſi tamen de mola nobis certo conſtet, ex pluribus indiciis concurrentibus, & tunc quoque eodem modo, uti cum prius molam paſſa eſt mulier, apparentibus, vel ex eo, quod adhuc certius eſt, ſi tempore partus elapſo, tumor ille ventris, & durities, qualis in fœtu etiam tactu deprehenditur, nihilominus per- man-

manserit, tunc, ut natura excretionem illius moliatur exhibitis admotisque, atque inditis & injectis in sinum uteri excitabimus, viasque, ut ex utero emergere queat, aperiemus atque dilatabimus. Quæ omnia iisdem quibus menses provocamus, atque partum acceleramus levioribus remediis primum perficere studebimus; &, nisi succedat; illis quæ fœtum mortuum & secundinum expellunt, illud efficere tentabimus; atque necessitate urgēte, præsertim si malo apparere incipiat, obstetrici, ut eam (sicuti de partu mortuo dictum) manuali opera eximere studeat, mandabimus. Vel in desperato & extremo periculo, sectione per abdomen in uterum adacta, ultimam manum adhibebimus.

Aëtius l.16.c.78. Ἐμπνευματωμένη μήτρα. Uterus preterea nōnunquā tumet atque distenditur FLATUUM COPIA, qui aut edito partu in vacuam capacitatem irrepserunt, aut alia ex causa illic geniti coarctantur.

Ejus signa. Pecten, imusqe venter inflatur, ac dolore concutitur, qui & plerunque ad septum transversum, & inguina excurrit: agitato corpore interdum sonitus obauditur, ventreque digitis impulso tympani sonus editur, ac flatus è cervice manifesto prorūpit.

Cura tumoris à flatu. SYLVIUS. *Si à flatibus uterus est distentus purgato corpore toto injiciantur primum intestinis, postea utero, quæ flatus dissipant, diacynimum, dianysum, diagalanga, diadaphnidum: immittantur quoque pessi illiti succo mercurialis, imsperſi melanthio. Si valentius vis, cardamomo: si valentissimum, galbano illinantur, & euphorbio inspergantur. inungatur pecten oleo nucum, anethino, melle despumato, fiat insessus ex decocto eorum quæ menses movere dixim*

Aëtius l.16. c.79. 97, 105. &c. Tumet & nonnunquā uterus AQUARUM COPIA, qui certe hydrops est uterinus. Inflationis signa adsunt, sed gravitas major, & sonus quasi fluctuantis aquæ.

Ægineta lib. 3.c.75. Ὕδρωψ ὑστερικός. Hujus quemadmodum & ascitæ efficiens *causa* est jecoris aut lienis vitium, aqua tamen ex abdominis capacitate cæcam & insusitatam viam sibi parat in uterum. Interdum etiam vena cava solum sanguinis serū eodem instillat. *Ejus signa. Causa.* Mulier quædam hoc hydrope correpta, quoties appetebat menstrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat, pelvesque sex aut octo implebat aqua citrina ferventissima, dum venter totus subsideret. Mox dein menses insequebantur ex naturę præscripto. Collecta proximo mense par colluvies, stato dein tempore profluebat. Hæc tandem persanata uterum gestavit, peperitque bene vitalem fœtum.

Rhagades. RHAGADES, *condylomata* & *hæmorrhoides* in uteri cervice, in ejusque pudendo, perinde atque in ano proveniunt.

Signa. *Percipiuntur* dolore, aut cruoris profusione maximeque in coitus attritu: atque etiam (nisi foras prodeant) instrumento uterino quod dioptrismum appellant.

Cura rhagadum. SYLVIUS Rhagades, *rimæ quædam & fissuræ in mulieribus* curantur *illita œsypo, butyro recēti sine sale usto, vel oleo resudāte ex nuce veteri dum teritur, vel oleo violato rosato ducto per mortarium plumbeū pistillo plumbeo, donec mellis habeat crassitudinē.*

CAPUT XVI.

Uteri symptomata, horumque causæ.

Uteri affectus. UTeri propria *symtomata* sunt: *mensium suppressio, mensium profluvium* atque *stillicidium, albus fluor uterinus, gonorrhœa duplex, uteri strangulatus, ascensus, descensus, prolapsio* & *convulsio.* Hinc *furor, dolor*: adhæc quoque *sterilitas* & *abortus*, aliaque *gestantis uteri incommoda.*

Gal. 6. de loc. aff. 5. Aëtius l.16.c. 50. MENSTRUA PURGATIO * ex naturæ prēscripto primum erumpit ætatis anno quarto decimo, definit vero quinquagesimo- Qui-

De Menstruis.

	S. A.		S. A.		S. A.
* *deficientibus, fieri potest podagra.*	6. 29.	*in decoloribus, nec statis periodis fluentibus, purgatio necessaria.*	5. 36.	*ex nimiâ copiâ, morbus.*	5. 57.
bene fluentibus, non,	6. 29.	*in gravidis fluentia, fœtum imbecillum arguunt.*	5. 60.	*erumpentibus convulsio aut syncope, malum.*	6. 56.
supprimendi ratio.	5. 50.	*ex suppressis, morbus.*	5. 57.	*sanguinis vomitus, iis erumpentibus, solvitur.*	5. 32.
deficientibus, lac generatur etiam in virginibus.	5. 35.	*provocantur suffitu aromatum.*	5. 28.	*morbi terminantur iisdem.*	3. 28.
hæmorrhagia narium, bona.	5. 33.			*sin minus, consenescunt.*	3. 28.

Æginetа lib 3. c. 61. Quibusdã à duodecimo in sexagesimũ per-A sistit. Plerisq; serius incidit, citiusq; desinit.

Horum *causa* est tum naturæ, tum victus varietas, quæ aliis copiosam, aliis perexiguam purgationem exhibet. Itaq; aptus & conveniens purgationis modus est, qui naturę & vitę generi consentaneus: hoc uno signo dignoscendus, quod ubi desiit, neq; vires gravidas, neque imbecillas relinquit. †

Ejus causa.

MENSIUM SUPPRESSIO in ætate matura citra prægnationem, omnino prętet naturam censetur. quemadmodum & eorum purgatio rarior, quam menstrua: & parcior quam naturæ & victus conditio poscit, Hinc *symptomata* succedunt: nausea, cibi fastidium; lumborum, scapularum, capitis, totiusque corporis gravitas, & dolor quasi tensivę lassitudinis; urinæ crassæ, turbidæ, rubicundę, ac plerumque nigricantes: ex quibus tandem graves ac diuturnos morbos fieri commemorat *Hippocrates*.

Ejus signa. *5. aph 58.*

Evidentes horum effectricesque *causa* sunt, cibi potusque parcitas, labor vehemens, sudor multus, sanguinis immoderata vel ex naribus, vel ex hæmorrhoidibus, vel è secta vena profusio: vomitio, aut alvi immodica vacuatio, corporis extenuatio, ex quocunque fit morbo contracta. Quinetiam curæ ac mærores, & timor horrendus, sæpe menses suppresserunt. ††

Causa evidentes.

Interiores vero *causa* aliæ quidem in principibus partibus vel in toto sunt corpore, alię in utero solo. In principibus partibus, ut in jecore, in liene, in ventriculo, aut in pulmonibus. In his si qua est frigidior intemperies contracta, aut vehemens obstructio, aut scirrhosa durities, velut in ictero, cachexia, in hydrope, in asthmate, in aliisque affectibus, quorum vitio venarum sanguis labefactatur, fieri certe nequit ut menses recte atque ordine ex naturæ prędscripto fluant: quemadmodum neque si crassorum viscosorumq; alimentorum usu, aut frigidæ multa potione, aut otio diuturno, frigidus, lentus crassusque sanguis evaserit. In utero autem mensium purgationem impediunt, refrigeratio, obstructio, tum quæ simplex est, tum quæ à tumore fit, ut à scirrho, ab inflammatione: uteri quoq; perversio, & quicquid interius os ejus obturat, ut concretus sanguis, caro excrescens, adipis copia, & adnata pellicula aut ab ulcere male inducta cicatrix: aut conformationis naturale virium, ex quo mulierem vidi, cui nunquam vel menses, vel aliud quicquam fluxit ab utero, ac nihilominus bene habita, prorsusq; incolumis, annos vixit circiter sexaginta.

Interna.

PLATERUS. *In mensium defectu hac methodus observanda. Si eo ætatis tempore, quo mulier non fœcunda est, menstrua non fluant quia hoc naturale est. mutari minime debet. Proin nisi præteritis jam pubertatis annis, qui decimoquarto ætatis, in aliis citius, in aliis tardius incipiunt, nondum fluxerint, uti plerunque in virginibus accidit, male tunc coloratis & affectis, prius cura nulla instituenda. Et si annis quatuor, quinque vel sex ante qiuquagesimum menstrua cessarint, non amplius revocanda sunt. Nec eo tempore, quo mulier fœtum conceptum proprio sanguine. aut in lucem editum eo in lac converso enutrire debuit, et si plus sanguinis, quam fœtus absumat, in ea cumuletur, & in quibusdam menstrua adhuc aliquoties se manifestent. Neque in gravidis, etsi accidentia quoque quædam, quibus menses deficere solent, primis mensibus appareant: neque in lactantibus, temere menses ciere oportet. Vt nec illis septimanis, etsi menses provocandi fiant, quibus prius non fluxerunt, nisi hoc ad præparationem corporis fiat. Sed ea demum septimana, qua menses ante fluere consueverant. aut indicia quædam ac si fluxura quidem essent si modo possent; quod ex supputatione, dolore dorsi, aliisque conjecturis sese offeredtibus assequimur: aut eo tempore, quo sequidem manifestant, sed levitee tantum, & gutta una aut pauca tantum apparent; menses provocantia validiora præsertim, exhiberi adhiberique debent.* Prognosticum.

In illis quæ ab ortu, ob naturam virilem, aut constitutionẽ uteri occlusam, à mẽsibus immunes & steriles sunt, menstrum fluxum ordinariũ reddere, impossibile.

Ob sanguinis defectum, si menstrua purgatio cesset, aut imminuatur, frustra provocare in macilentis & attenuatis tentabimus, sed potius ut reparetur,

 bona

† *Symptomata suppressorum mensium gravius ferè tertio quoque mense affligunt quoniam (teste Plinio) solent mulieres tertio quoque mense uberius menstruari,*

† † *Commemorat Ronseus in epist. mulieri cuidam cui dens molaris elisui esset, menstrua singulis mensib. ex alveolis illius dentis prorupisse.*

† † † Ad Pituitam Vitream unde menses obstruuntur J. HEURNIUS pro secreto habuit.] ℞ *pilular. Iliacar Rhrases pil. alephangin. an. gr. xij. myrrhæ gr. vj. F. Pilulæ No. v. non autem ascendo in Solis Iliacis ad gr. xvj. ut Fiat & detur pilula una.*

bona vivendi ratione ſtudebimus; tumque ſponte redit, vel facile in ordinem ſuum reducitur. Si vero alio raptus, non amplius per uterum effluat, eo reducendus erit.

Si vitium ſanguinis, aut obſtructiones in viſceribus facta in cauſa ſint: hiſce ſolvendis & repurgatione ſanguinis intendendum, admixtis iis, quæ muliebria ducunt. Quæ, & ſi hæmorrhoides, remanente impuro ſanguine in meſaraicis, non fluant, locum habent.

Durities calloſa, ſcirrhoſa, uteri cervicis, ſi menſes impediat, hæc prius auferenda, dein menſes, niſi per ſe redeant, ſollicitandi. A pinguedine ſi uteri venæ occultatæ ſanguinem minime profundant, jejunio illum abſumere oportet.

In reliquis cauſis, ab humorum craſſitie, & ab uteri venarum obſtructione profectis, aut refrigeratione, ſicuti & in aliis, quando menſes movere conſultum eſt, ſequenti modo procedendum.

1 Sublatione cauſæ. Sanguinis.

SYLVIUS. Cauſam ſuppreſſionis abigentibus, *ut obſtructionem, aut contractionem, aut compreſſionem oſculorum ex venis & arteriis deſinentium in capacitatem uteri. Hæc autem obſtructio ſi à* ſanguine *eſt multo, ſecetur vena poplitis, aut malleoli, & victu tenui utatur, ac multo labore: quæ duo poſtrema etiam conducunt orificiis à pinguedine multa oppletis: ac etiam viraginibus, & calidis mulieribus: quanquam & his etiam phlebotomia ſit ſalubris. Si à* craſſo, *tenuetur: ſi à lento, incidatur, tergeatur, liquidus fiat: quæ præſtant ſyrupi, byzantinus, duarum aut quinque radicum, hyſſopi, cum aquis apii, fœniculi, petroſelini: trochiſci quoque de rubia, & qui à Raſi ſcribuntur. Si autem à* pituita, *ut fere fit, prædictis apparetur: deinde vacuetur agarico, E. indo, diaphœnico: roborenturque ventriculus & hepar, ne talem materiam generent.* †

Pituitæ.

2. Provocatione menſtruorum intus.

2. Menſes provocantibus. *ut ſyrup. & aquis prædictis: adhæc decocto radicum ruſci, aſparagi, apii, petroſel., fœnic.; addita etiam ſabina: & ſi vis valentius, pulegio, origano, calaminth., ciceribus, phaſeolis rubris, rubia. Datur autem id decoctum mane calidum, ab unc. 5. ad unc. 6. horis 3. 4. ante cibum. Idem pollet caſſia cum cinnamomo, ad drach. 1. crocus cum prædicto decocto. Inſeſſus quoque ex prædictorum decocto ſaluberrimus eſt, ſi modo, in hoc, & prædictis, expectes tempus conſuetæ purgationis.*

Foris.

Fotus *& ſacculi ex iiſdem, pectini, lumbis, muliebribus admoti: frictiones item partium infernarum: cucurbitulæ coxis internis, vel ad venam poplitis affixæ: ſectio ejuſdem, aut venæ malleoli. Si autem vaſa in uterum deſinentia ſint clauſa, mercurialis herba tuſa, linteo involuta nodo, noctu immittatur, appenſa filo: ora enim hæc mire aperit, idem poteſt melanthii farina, & mithridatios antidotus ad drachmam unam, cum maſtichis ſcriptulo uno: hæc enim non ſolum repellit, ſed valentius attrahit, quod apophlegmatiſmo probat. Si hæc non ſufficiant, oppopanax, galbanum, ſagapenum, hammoniacum, euphorbium paucum, admota pectini, aut peſſo immiſſa, mox provocant. & cyclamini radix, etiam ſuper ipſam tranſeunti mulieri menſes provocare putatur. Quorum acrium uſu multo, ſi ardor quidem mordax ſuccedat, aq. roſ. albumen ovi, oleum violatum, & roſ. lac, & ſimilia, ex panno imponatur collo uteri.* † †

Gal. 6. de loc. aff. 5. 3. de ſym. pt. cauſ. cap. 4. Aëtius & Ægineta cit. loc.

Ἀμετρος κένωσις καταμηνίων.

IMMODERATA autem MENSIUM PURGATIO ultra naturæ vitæque modum eſt, qua aut copioſior ſanguis, quam pro multitudine, aut diutius profluit, aut crebrior, aut non ſtato circuitu redit.

Ejus ſigna.

Omnis nimiæ & exuperantis vacuationis *ſignum* eſt virium imbecillitas, & eorum ſymptomatum invaſio, quæ immodicam ſanguinis effuſionem ſequuntur: cujuſmodi ſunt inappetentia, cruditas, fœdus faciei color, pedum, ac deinde reliqui corporis tumor œdematoſus.

Cauſa.

Fit autem vacuationis exuperantia ab his cauſis omnibus, quæ ſanguinem ita excalefaciunt, extenuant, vel quoquo modo exagitant, ut prompte ora venarum patefaciat, tantoque impetu efferatur, vix ut poſſit naturæ robore cohiberi. Fit & à plethora, quæ tanta plerumque exuberat, ut non ſolum venarum ora aperiat, ſed ex iis tenues interdum diſrumpat. quod his fere accidit, quibus menſes diu ſuppreſſi poſtea confertim ac concitatius erumpunt: & quibus abortus, aut veri aut irriti fœtus, quavis ex cauſa contingunt. A partu quoque laborioſo atq; difficili, quum vel grandior fœtus vel oblique ſitus, nimio conatu excluditur, in quo vel rumpuntur venæ, vel nimis dehiſcunt, ut idcirco immoderatus ſanguis,

† O. HEURN. Hoc ſe ante omnia efficax deprehendiſſe ait.] ℞ *Hieræ picræ mellitæ ℥jß. ſpec. diacarthami ʒj. Tartari vitriolati ℈j. Cremor. tartari ʒj. miſce. doſis alternis dieb. ad quantitatem caſtaneæ.*

† † Pro fœdo colore virginum à menſium cunctatione J. HEURNIUS in ſecretis hoc repoſuit.] ℞ *Specier. Hieræ picræ ſ. ʒij. trochiſcor. de myrrha ʒj. Syr. roſat. laxat. ℥j. vel ℥iij. miſce ſumat bis in hebdomade cochleare.*

sanguis, quemadmodum & ab evidentibus causis quibuslibet violentis, emanet.

Ἄτακτος καὶ συχνοτέρα καταμηνίων κάθαρσις.

CREBRIORUM MENSIUM PURGATIO, sive bis, sive ter ea mense redeat, si modo copiosa sit, iisdem quoque fit ex causis. Etenim neque hujus ordinem neque mensuram natura moderari potest. Atque hæ quidem immoderatæ eruptiones confertim ac repente fiunt.

Est & UTERI STILLICIDIUM seu fluxio diuturnior, qua sanguis parce ac sensim nulloque ordine illabitur, interdum quidem purus, interdum serosus & quadam saniei specie: idque alias assiduo, alias ex brevioribus intervallis.

Ejus causa.

Hujus causa est venæ exesio modo simplex, modo ulceri conjuncta, quod nonnunquam in utero, sæpius in ejus cervice consistit.

Signa.

Quum simplex est exesio, aut nullus aut obscurus est dolor: sin vero ulcus adest, manifestus ac vehemens plerumque immisso digito deprehensus.

Prognosticum.

FORESTUS. *Quæ mensium profluvia grandiores partus consequuntur, haud ita periculum minantur; quinimmo etiam plerumque sua sponte cessant, ut inquit Paulus cap. 62. lib. 3. At si abortivi fœtus causa fiant, repentinum plerumque periculum inducunt, citatis locis videre est, ut tam ex Aëtio, quam Paulo. Verum ex quacunque tandem causa fiat mensium profluvium, ubi fuerit immodicum, animi deliquium minatur & syncopen, ut patet 1. De art ad Glauc. Quare etiam quamvis naturalem partum consequatur, mortem infert nonnunquam, velut in reliquis accidit immoderatis sanguinis profusionibus. Magna quoque cum difficultate curatur, præsertim si ab ulcere, & si diuturnum sit profluvium: quamvis & nos tales aliquando etiam curatas vidimus. Sed & illud quoque advertendum, quod Hippocrates ait: Si prægnanti fluunt menses, non posse fœtum sanum esse. hoc enim Galenus 6. De loc. aff. verificat: si multus effluat ex venis uteri. Solutis enim acetabulis id fieri necesse est. Sed evenit aliquando ex venis cervicis, idque exiguum; unde nihil nocet: quemadmodum contigit nobilissime Matronæ Schoonhoviæ, uxori Domini Cornelii Zuzii Præsidis Hollandiæ. Interea tamen menses immoderati non solum dierum numero, ut si continenter fluant ultra dies quatuor, quinque, sex, septemve consuetos mulieri, sunt æstimandi; sed potius vacuati sanguinis quantitas tibi (inquit Sylvius) observanda ex mulieris plenitudine, habitu, viribus, tolerantia, colore. Nam si talia & tanta euacuantur, qualia & quanta vacuari oportet, confert, & leviter ferunt mulieres: nec ante est cohibendus hic fluor, quam vires collabi incipiant, & color vividus perdatur, symptomataque ejus alia leviora impendeant; graviora enim ne expectes.*

Cura sublatione causæ.

SYLVIUS. *Mensium fluor immodicus, si est* à sanguinis copia *vena interna dextra secetur, & imperetur victus tenuis, & fuga ovorum, carnium, vini, & aliorum sanguinem augentium. Si* ob mistam bilem, *à cholagogis: ut myrobalanis citreis vacuetur, & sanguis refrigeretur, & sistatur per astringentia frigida: ut syrup. granatorum, rosarum, ribes, oxalidis, cum aquis plantaginis, rosarum, portulacæ, oxalidis. Si à* serosa pituita *largiore sanguini mista, cum myrobalanis cepulis vacuetur. Si est à* lapsu *tergeatur, & glutinetur, rupta: si* ab ulcere, *tergeatur, & glutinetur, & cicatrice tegatur, ut in mictu sanguinis dictum est.*

Revulsione.

Sanguis quoque revellatur *secta dextra basilica, cucurbitula magna sub mammis affixa, fotu & ligaturis, & frictionibus dolorificis brachiorum.*

Adstrictione intus.

Astringentibus *quoque & frigidis simul est sistendus, cogendus & repellendus: tum sumptis, ut syrup. rosato, myrteo, cydoniorum, granatorum, cum aquis plantaginis, rosarum, solani: additis trochiscis terræ sigillatæ, vel electri, à script. duobus ad drach. unam, vel lapide hæmatite, corallio rubro, ferri scoria, tryphera Phenonis.*

Foris.

Tum impositis *sedi & uteri collo balanis ex bombace, oleo refrigerante & astringente illitis: vel aqua, vel succo plantaginis, solani, rosarum* imbutis: *insperso post pulvere astringente in sedis procidentia dicto, & mox dicendo.*

Si fit à sero.

Si à serosa pituita *fluunt immodice, prodest tibias ad genua usque continere in decocto astringente: vel eodem ventrem inferiorem fovere, aut totum corpus, vel suffire lumbos pectinemque refrigerantibus, & astringentibus: tum oleis rosato, cydoniorum, myrteo, tum unguentis ac emplastris, santalino, ex flore rosarum, (antheram vulgo vocant) comitissæ: insperso etiam his pulvere astringente, ex rosarum foliis, flore malicorio, balaustiis, gallis, hypocisthide, acacia, bolo armena, sanguine draconis, & similibus: ex quibus etiam prædictum decoctum faciendum. In uterum quoque metrenchytæ injiciantur unciæ tres, quatuor succi depurati. vel aquæ plantaginis, cum bolo armena, sanguine draconis. Si hæc non sufficiant, philonii vel athanasiæ drach. una, cum aqua plantaginis sumpta,*

sangui-

sanguinem moveri ineptiorem facit : viribus tamen validis adhuc detur, ne imbecillibus calor nativus extinguatur. Pessos autem causticos tentare non consuluerim: multo minus injectiones, nisi ulcera essent depascentia, qualia sæpe etiam dysentericis adsunt. Tunc enim leviora tentari possunt: ut pastillus Pasionis, Polidæ, aqua plantaginis solutus.

Gal 6. de loc.aff 5. Aëtius l. 16. c. 65. Aegineta lib. 16. c. 63. Ῥοῦς γυναικεῖος.

FLUOR quem MULIEBREM aut uterinum appellant, à mensium profluvio distat, quod non syncerus sanguis, sed corruptum quiddam prodeat, idque continenter, aut nullo ordine, nulloque circuitu. Est autem id modo liquidum & albicans, lactis sero aut ptissanæ cremori persimile: modo citrinum aut pallidum, modo subviride, adeo acre fere & adurens, ut quascunque partes attigerit, erodat aut leviter exulceret: atque id rursum modo tetrum est & graveolens, modo odore nullo molestum. Prodeuntium odor, color, atque substantia, fluoris speciem commonstrat.

Causa.

Causa autem quæ corruptum humorem assiduo gignit, alias in utero, alias in principibus partibus consistit. Graviter proinde hallucinantur, qui omnium ex utero prodeuntium, quemadmodum & omnis suppressionis mensium causam, ab uno requirunt utero. Etenim quibus mulieribus viscera refrigerata, vel obstructa, vel scirrho dura, cruditates, malum habitum, aut leucophlegmatiam invexerunt, corruptus humor in varias partes effusus, sæpe in uterum procumbit, & illac decurrens corpus expurgat, quod aliis quibusdam per renes, aut per alvum fieri contingit. Hoc quidem vitium multarum commune, sed maxime in ea muliere conspicuum, cujus supra diximus hydropem mensibus singulis per uterum expurgari. Neque vero affectus hic ætate maturas tantum, verum etiam virgines quas pallor decolorat invadit, quo & puellam octavo ætatis anno obsessam vidi, ac diu postea graviterque afflictam. Atque hæc fluoris uterini causa admodum frequens observatur. Altera causa ex utero longe quidem rarior existit, eaque vel intemperies est, fereque frigida, vel imbecillitas ab uteri gestatione, à partu, à contusione, aut ab alia externarum causarum vi contracta: vel erosio, vel exulceratio ex inflammatione, aut ex abscessu derelicta. His quippe causis oblæsus uterus, & proprium alimentum male conficiens, excrementa multa progignit, quæ foras elabuntur, & excidunt.

Internoscuntur causæ, quod ex solo uteri affectu parcior sit fluor, & ejus affecti adsint indicia: at ex viscerum totiusve corporis affectu fluor sit copiosus, nec male affectorum viscerum notæ desint. *Signa.*

Gal. 6. de loc.aff 6. Aëtius l. 16. c. 72. Γονόῤῥοια ἡ ἀπὸ τῶν γυναικῶν. *Ejus signa.* *Causa.*

Muliebri fluori affinis est GONORRHOEA, quæ mulieres perinde ac viros, imo etiam frequentius exercet, quod harum semen, utpote crudius ac dilutius, minus subsistat. Profluit autem citra ullam veneris titillationem; nec assiduo, nec quotidie, ut in uterino fluore, sed quibusdam intervallis; non ab uteri capacitate, sed à vasis spermaticis in uteri cervicem. estque id album, serosum, omnis expers graveolentiæ & acrimoniæ, ac omnino paucum.

Hujus eadem est *causa* atque virilis gonorrhoea.

Hac autem multo crebrior est VIRULENTA GONORRHOEA, quam impura venus infligit, eo modo quo ante in viris est comprehensum. Βρομώδης γονόῤῥοια.

Quod per hanc excidit, continenter assiduoque fertur, ut in uterino fluore. Est tamen crassius multo, atque modo album, modo flavum, virescens, odore gravi molestum, acre & exedens: ac proinde raro deprehenditur citra pudendi ulcus. At nondum his notis certo possit ab uterino fluore internosci: sed hinc maxime, quod non ut ille ab utero, sed à spermaticis vasis prodeat: quodque prorumpentibus mensibus non desinat, sed cum his & mox ab iis similiter persistat, uterinus vero fluor cesset in mensium eruptione, & aliquanto post tempore. Quinetiam luis venereæ signa se produnt, neque uterini fluoris, seu primarii, seu ejus qui viscerum vitio, fit, indicia ulla cernuntur. *Ejus signa.*

Gal. 6 de loc.aff. 5. Aëtius l. 16.c. 68. AEgineta lib.3.c.71. Πνὶξ ὑστερική.

Hystericorum porro symptomatum gravissimus est AB UTERO STRANGULATUS.

Ejus ordines, & signa.

Primum quidem quum levis & exigua est mali causa, ex utero sublatus vapor, viscera ventriculumque feriens, nauseam quandam movet: cui tamen raro succedit vomitio, sæpe tædium quoddam & cibi fastidium, idq; interdum cum murmure ventrisque rugitu, interdum citra hæc. Quum vapor in diaphragma, thoracisque partes, effer-

effertur, respirationem brevem crebramque, tanquam compresso pectore facit. Simul etiam cor obsidens levem interdum animi defectionem inducit, qua tamen vix pulsus immutatur. Metus hinc atque desperatio ægram concutit, ac plerumque tanta, ut se mox interituram putet, nullaque ratione in spem erigi & recreari possit. Malum altius in fauces invadens, eas quasi vinculo constringere, aut manu præcludere videtur, prorsusque spiritum intercipere, magno suffocationis metu. Ubi vero cerebri arcem conscenderit, alias quidem furorem uterinum appellatum, cum garrulitate, iracundia, & inquietudine, movet; aut alia desipientiæ genera, metus horrorisque plena: alias quasi soporem quendam ac veternum inducit, quo mulier corruens velut attonita jacet, sine motu, sine sensu ullo, respiratione adeo parva & rara, ut interdum nulla esse credatur, tanquam ipsa jam mortua extinctaque sit. At nihilominus pulsus interdum constat validusque est, interdum obscurus parvusque, ut ne percipi quidem possit. Hi varii sunt ordines variæque hystericarum accessionum formæ, quæ circuitu, ut epilepsia, repetunt, aliis quidem crebrius, aliis rarius, dum discussa sit earum causa. Sub accessionis finem humor quidam ex muliebribus locis excurrit, intestina obmurmurant, deinde oculi attolluntur, malæ rubescunt, intellectus, sensus ac motus restituitur, & corpus firmari incipit. Sæpe tamen deprehensum est, frigus tum temporis è capite per cervicem in scapulam & brachium illabi, quod stuporem difficilemque motum redderet, exhiberetque speciem quandam paralysis, sed quæ non multo post discuteretur.

Causa.

Causa quidem accessionis hystericæ est vapor ex utero, non solum per venas aut arterias, sed & per spiracula cæca & latentia sublatus, atque is certe venenatus, tamque malignus ac perniciosus, ut partium quas attigerit facultates offundat, earumque functiones intercipiat. Si vaporis naturam spectemus, plurimorum venenorum conditione frigidus is, & melancholicus est. Hujus focus est uterus, in quo vel menstruus sanguis, vel conclusum semen, vel alius quivis humor in hanc venenatam malignitatem corrumpitur. Ut igitur sæpe animadversum est, comitialem morbum ab utero, vel in prægnante, suscitari, è quo venenatus humor tetrum vaporem in cerebrum expiraret, ipsumque morbum cum partu finiri, ita & de hystericis symptomatis credendum. Hæc autem vix putem duntaxat vel à menstruo, vel à semine suscitari, quum & eas quæ bene purgantur & uterum gestant & viri consuetudine fruuntur, plerumque fatigent: quumque supra quingentas eodem cœnobio degere videamus, quæ diu consuetum veneris usum intermiserunt, nullo hysterico symptomate. Quivis autem humor in utero hoc modo corruptus, ejus generis vaporem ex loci natura venenatum expirat, & unde vita, illinc & summa veneni perniciés exoritur. Hinc fit ut tametsi viris diu hæmorrhoides suppressæ sint, aut veneris usus sit intermissus, nulla tamen hystericis similia symptomata contingant. Hæc quoties gravia incidunt, noscuntur quidem facile, levia difficile, quod melancholicis aut cardiacis non admodum sint dissimilia. Debent autem omnium affectarum partium observatione, omniumque signorum consensione discerni.

Prognosticum.

PLATERUS. *Periclitantur autem non parum illæ, quas hic affectus invadere solet, præsertim si, ac si animo defecissent, spiritum omnino non ducant, sed mortuorum instar jaceant, cum in accessione interdum extinguantur, frequentius vero ad se iterum redeant. Dein & si maniam & convulsiones comites habeant, eo nomine metuendus hic affectus, quod in hosce casus quandoque degeneret. Plerumque tamen aliquoties accidentia ejusmodi passæ, aut certo tempore sponte, vel post decentem curam, ab eo liberantur.*

Indicationes.

Methodus curandi est, excrementa circa uterum collecta, evacuare, & menstrua retenta proritare; flatus, vapores ab utero elevatos, reprimere, revellere, discutere, & absumere. Idq; variis modis; Inter quæ aliqua, etiam in paroxysmo usurpata, eum solvunt.

Cura in paroxysmo, revulsione.

SYLVIUS. *Suffocatio ab utero curatur, vapores ab utero* sursum ferri prohibentibus: *ut frictione, ligaturis dolorificis partium infernarum, cucurbitulis coxarum parti internæ affixis: ut secta vena poplitis, vel malleoli, si à suppressis est mensibus hæc præfocatio, non autē si est à semine corrupto, ne hac phlebotome id in venas trahatur: debet enim per collū uteri vacuari titillatu, digito longo obstetricis illito oleo irino, liliorum, laurino, in quo moschus, ambrā, galla sint*

dissoluta: vel zebet Arabibus dictum, coëundi miram cupiditatem excitare solitum.

Odoribus gratis.

Vt suffitu *uteri per sedem perforatam, vel infundibulum*, jucundo: *ex galla, moschata, moscho, ambra, cinnamomo, caryophyllis, cum myrrha, stacte (styracem liquidam vocant) in trochiscos formatis.*

Fœtidis.

Vt graviter olentibus *naso admotis. ut assa fœtida, galbano, sagapeno, castorio carbonibus imposito, pennis, præcipue perdicum, ustis: corio calceorum, præcipue usto, in oleum lini mox imposito: id enim, vapore per os recepto, etiam viperam ex ventriculo per sedem statim fugat.*

Extra paroxysmum.

Ne *autem postea ex seminis corruptione in id grave symptoma mulier* incidat, *si nubilis est, viro tradatur: si non vult nubere, aut monialis est, vena sæpe secetur: interdicantur vinum, carnes, ova, &c. sanguinem & semen augentia: imperentur labor multus, jejunium: usus agni, rutæ, dauci, cumini, & cæterorum semen gigni prohibentium, vel genitum absumentium: quale est dauci se. drachma una, cum aqua arthemisiæ pota: quibusdam secretum remediū.*

In nares ore insufflasse, uterum mox deturbat, vice cohibitæ respirationis: quam cohibeat sæpe mulier impendente uteri suffocatu. Metrenchytæ vacui siphonem collo uteri immisisse, mox internum pulsorium retraxisse, uterum deorsum revellit. †

Τῆς ὑστέρας ἀνωῤῥοπία.

UTERI ASCENSUS, descensus, prolapsus atque convulsio mulieres sæpe fatigant. *Galeni* motus authoritate nonnunquam putavi uterum nihil aut perexiguum è sua sede dimoveri: at ægrotarum mulierum modo querimonia, modo precibus adductus, hunc sæpe tactu deprehendi instar globi cujusdam in ventriculum efferri, eumque graviter opprimere. Hinc & sæpe manu depressus est, manifestoque in propriam sedem populsus. Neque id sane alienum magis videri debet, quam ejusdem prolapsus, quo totus fere procidit.

6. de loc. affect. 5. Aëtius l. 16. c. 74 Æginetа l. 3. c. 64.

Ejus signa.

Ascensu, non quæ strangulatu *symptomata* fiunt, sed duntaxat premitur mulier quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, aut animi defectione, at sine metu, sine delirio, aut alio symptomate graviore.

Κατωῤῥοπία.

Ejus signa.

DESCENSUS UTERI appellatur, quum in inferas partes is provolvitur. Percipit obstetrix hunc pudendo obvium: laborans vero si erecta steterit, gravitatis pondus in pudendum incumbere: sin vero vel sedeat, vel supina jaceat, vel alvum exoneret, A quasi onere rectum intestinum premi: sin prona jaceat, urinæ difficultatem nasci, ut etiam viri congressum pertimescat.

Πρόπτωσις.

Ejus signa.

PROLAPSUS descensu gravior est, quod eversus uterus foras procidat, ejusque fundus promineat, & manu attractetur anserini saltem ovi magnitudine.

Παρασπασμὸς ἢ διαστροφή.

CONVULSIO est quum uterus in alterutrum inguen contorquetur. Inguinis, ac sæpe coxendicis, vehemens tum dolor exercet, qui si atrocius excandescat, uteri furor appellatur: crus totum, maximeque femur, torpescit, ac friget.

Causa motus uteri.

Tam varii motus & errores iis duntaxat *obtingunt*, quibus uteri appendices laxiores, B idque vel ex gravi uteri gestatione, vel ex casu atque contusione, vel ex copiosi humoris perfusione evaserunt. At prolapsus non ex levioribus hisce causis, sed ex vehementiore solum pariendi conatu, quo uterus fœtum secundasve excludens impetu consequitur, seque invertens præcipitat: interdum & imprudentis obstetricis temeritas uterum cum fœtu aut cum secundis invertit, detrahitque. Quibus itaque habenæ seu appendices laxiores sunt, his uterus, quoties irritatur, sursum deorsumve, aut in alterutrum latus se contorquet. Irritatur autem aut rei præter naturam quam in se continet, aut externæ ejusque adversę molestiâ. Tum quippe lacessitus & quasi succensens de proprio loco decedit, alias in aliam partem oberrans, ut, quod infen- C sum inimicumq; est, fugiat, quod vero jucundum ac blandum, sequatur. Ita quidem rem habere sensus animadvertit, ut proinde non parum demirer, *Galenum* contra Platonem censuisse, uterum nihil aut certe perexiguum moveri, idque non per se, sed duntaxat à vinculis & appendicibus quibus annectitur, dum plenitudine distenta contrahuntur, brevioraque fiunt. At tametsi sponte movetur uterus aut errat, non idcirco animal haberi debet. Nam & ventriculus pars etiam plane naturalis, sine arbitro, sine jussu nostro movetur, quum rei alienæ injuria lacessitus magno impetu hanc vomitione repellit: aut quum fame exinanitus jucundo cibo quasi gestiens occurrit, huncque ab ore vix dum premansum eripit, ere-

Cit. loc.

† J. HEURNIUS in Præfocatione ab Utero sibi hoc reservavit] ℞ *Theriac.* ℈j. *vel* ʒß. *philon. Rom. gr. iij. castor. gr. viij. Sumat.* item. *Sume* ℈j. *florum nucis pulver.*

ereptumque avide adeo continet & arcte amplexatur, ut undique contractus in eum totus incumbat. Hæc ſi in ventriculo conſpicua ſunt, multoque magis in corde, cur non ſimiliter in utero fiant? quem ſcimus prima fœtus conceptione ſemen attrahere genitumque fætum menſibus novem continere, & maturum (quaſi cognitione ſit præditus) excludere.

Prognoſticum. PLATERUS. *Vterus quando extra corpus cum ſua cervice prolabitur, cum hoc, quia connexus colli uteri diſſolvitur, uti oſtendimus, fiat, illeque connexus ægre amplius reparari poſſit, cura admodum erit difficilis; &, ſi malum inveteratum fuerit, quia partes ab invicem disjuncta, jam callo obducta, conſolidari amplius nequeunt, impoſſibilis. Major ſpes ſanationis, ſi uterus nondum prodierit, ſed in ſinu incluſus perſiſtat, maximeque ſi in profundo adhuc lateat, cum minor tunc facta ſit fibrarum ſeparatio.*

A *Cæterum ad* curationem *hanc perficiendam, tum perfectam, qua partes hæ disjuncta uniuntur, vel imperfectam, ſi hoc fieri nequeat, ut ſaltem prolapſus ille vitetur, primum illa cauſa, dein morbo accommodanda.* Indicationes.

SYLVIUS. *Cauſa eſt (ſi poteſt) auferenda, & uterus loco nativo reſtituendus, niſi inflatio prohibeat, quam fota ex cumino, aniſo, baccis lauri, & ſimilibus, hydromelite, aut vino rubro aſtringente incoctis diſſipabis: mox ne recidat, inſperges pulveribus ſtyptícis, ante ſcriptis: poſtea, repones. Suffitu etiam rerum graveolentium: ut pennarum perdicis, aſſæ fœtidæ, caſtorii, & ſimilium, excepto per infundibulum vel cathedram perforatam: ſunt qui ovum ſub gallina corruptum, fractum, agitatum, lanis illinunt & imponunt vulvæ. Odoret ſimul jucunda: & docta obſtetrix manibus ſubſerviat, vel inſtrumento virgæ virili proximo. Poſtea clunibus elatis cubet aliquot diebus.* Cura procidentis uteri.

CAPUT XVII.

Sterilitatis, cauſæ, prægnantium ſigna, ſymptomata, horumque cauſæ.

Aëtius l. 16. Ægineta lib. 3. c. 74. Τὰ τῆς ἀγονίας ἤτοι ἀτεκνίας αἴτια. In viris. STERILITAS ut alia pleraque ſymptomata, alias uteri obſcœnarumque partium, alias viſcerum vitio, tum, viris, tum mulieribus inducitur. Steriles enim & infœcundi ſunt impuberes, & ſenio confecti, quod his tenue & aquoſum languidumque ſit ſemen: & qui vel ætate matura morbo acuto, vel etiam diuturno, conficiuntur, qui vel humores corrumpat, vel ſpiritus principes offendat. Ad horum conditionem accedunt, & qui citra manifeſtam corporis affectionumque vitæ offenſionem, principum partium, ut ventriculi, jecoris, lienis ac pulmonumm latenti vitio, B intemperie, obſtructione, aut ſcirrho tenentur, maxime ſi vel cachexia, vel leucophlegmatias, vel icterus, vel tabes & corporis extenuatio, febris, vel alia quædam cacochymiæ ſoboles ſit conſecuta. Viri enim ita affecti aut ſemen non proferunt, aut prorſus evanidum & infœcundum, utpote nec ex utili materia productum, nec ſpirituum benignitate perfuſum.

Στεῖραι γυναῖκες. *In mulieribus* vero quæ ita ſint affectæ aut viri ſemen utero non concipitur, aut conceptum à muliebri ſemine deſtituitur, moxque excidit: aut retentum principum partium vitiis obrutum, extinguitur, idque vel mox, vel aliquanto poſt tempore. His ex cauſis non modo ſterilitas fit, ſed mola, A & irritus conceptus, & fœtus languidus, & abortus, multo quidem frequentius quam peculiari uteri errore.

Jam vero obſcœnarum partium vitia, quæ ſterilitatem accerſunt, in viris quidem numerantur: pudendi paralyſis, & atonia, gonorrhœa, vaſorum ſpermaticorum obſtuctio, coarctatio & contuſio: teſtium pudendique exilitas, & quævis mala conformatio. In mulieribus eadem atque in viris teſtium ſpermaticorumque vaſorum vitia: & oris uteri cervicisve nimia amplitudo, vel anguſtia, obſtructio, obliquitas, perverſio, hincque nata menſium ſuppreſſio: quę omnia non ſignis egent, ſe ipſis quippe conſpicua. *Genitalium vitio.*

Adhæc uteri ſemen ſuſcepturi intemperies immodica ſterilitatem facit. Calidior ea eſt, quum (ut in viragine) genitalia pruriunt, nimiſque titillantur venere, & menſes parce & cum labore emanant, ardoreque exulcerant. Frigidior, quum venus eſt ignavior: menſes aut ſupprimuntur, aut parce fluunt, atque ii decolores: lumbotum, pubis, crurumque ſtupor ineſt. Humidior, quum tenue, aquoſum, copioſumque menſtruum redditur, ac ſępe uterinus fluor infeſtat, frequenſque lumborum, & pubis grevitas premit. Impedit etiam & nimia coarctatio ab omento pingui, & uteri inflatio, *Intemperie inſigni.*

flatio, omnis denique affectus insignior.

Sterilitatis indicia, & fœcunditatis. * Quæcunque igitur mulier ætate matura his vitiis minime tenetur, & bono recteque conformato est corporis habitu, nec extenuato, nec obeso, lumbis latis, amploque ventre, fœcunda *censeatur*. Eam autem hinc nosci putat *Hippocrates*, si veste obvolutam subter suffias, atque odor per corpus ad os & nares transmitti deprehendatur: sterilem vero quum in via extinctus odor eo minime pertingit. Quinetiam allium expurgatum si pessi forma dormituræ subdatur, odorque vel sapor ad os pertingat, fœcunda est: sin minus, sterilis. Hordeum in mulieris aut viri urina maceratum, si deinde sepultum decimo die germinet, fœcunditatem, sin minus, sterilitatem arguit. Præterea si urinæ vivum sulphur inspergatur, hincque vermes prodeant, fœcunditas, sin minus, sterilitas est. Quum igitur maris ac fœminæ congressu conceptus non evadit, utrius id culpa contingat, hæc indicabunt. Sæpe tamen usu venit, ut neuter coëuntium sit sterilis, sed quia eorum sunt inter se abhorrentes naturę, nihil idcirco ex sese, ex aliis vero generare possunt. Sic amborum impense calidorum non facilis est consensus, uti nec frigidorum: temperatorum, atque etiam contrariorum perutilis congressus.

Indicationes. PLATERUS. *Si mulier non concipiat, nullo alio defectu actus venerei obeundi, nec in viro, aut in illa, apparente, (cujus curationem illic exposuimus) causas diligenter expendentes, hac methodo procedemus.*

Si ob seminis penuriam, quod in viris citius contingit, hoc fiat, tunc rarius coëant, illisque quæ semen augere possunt, de quibus in impotentia dictum, utantur. Si quia crudum est semen, aut vitiosum, non procreent, ut sanguis laudatus generetur, &, si quid inest vitii, ab eo expurgetur, vasaque semen generantia corroborentur, curandum.

Si membri virilis vitio, eo quod foramen semen emittens alicubi apertum sit, illud accidat, sectione facta vel erosione labiorum hujus fistulæ, ut connascatur denuo & claudatur, procurandum: quo, eo occluso, semen rectam viam rursum sequi, & per glandis foramen recta rursum effundi possit: quod quando ab ortu deest, desperata tunc est curatio.

Si vero uteri causa, sterilitas contingat, idque quia uterum adeo induratum, vel orificium illius ex partu læsum laxatumque nimis, aut tumore aliquo obturatum habent, in illis mulieribus quæ sanæ alioquin, vel nunquam conceperunt, vel post partum aut læsionem uteri insignem, non amplius concipiunt, desperata fere est curatio. Sicuti & in illis viraginibus, quibus à teneris menses nunquam fluxerunt.

In reliquis vero, quibus propter imbecillitatem, vel humiditatem, aut refrigerationem, aut excrementorum uteri copiam, conceptio impedita est, quibus & menses plerunq; non decenter fluunt, aut fluors uterinus dictus, molestus est, aut alii morbi comites existunt, curandis potius intenti ad conceptionem illarum promovendam, curam, cum meliori spe, sequenti modo accommodare poterimus. Quæ & in desperatis in omnem viam tentatur.

HEURNIUS. *Quare si fœcunda fuit antea, jamque sterilescat, quotannis bis feriatur illi vena in brachio & in pede: modo illa præ copia sanguinis mole corporis crescat. Vel dorso & lumbis, dein femoribus & pedibus cucurbitæ admoveantur, & sanguis prolectetur. Si corpus non ita rigetur sanguinis copia, solis pedibus & femoribus hæ affigantur.* *Curatio Phlebotomia.*

In cacochymia cauteria cruribus inuri poterunt: vel brachiis, si caput in vitio est. Si totius corporis cacochymia adsit, ea purgetur, ac præparetur materia & corpus, ne fiat via vi, sed ut inoffenso cursu ad exclusionem materia feratur: & mox intemperies alterantibus castigetur. *Pharmacia.*

Si uterus calida intemperie ægrotat, recreabitur foris & intus remediis frigidis: sumat conservam violarum vel rosarum, & superbibat serum lactis, in quo coxit semen melonum. adde saccharum, vel macera violas & rosas damascenas in sero lactis: sumat cum syrupo violato. Venter & lumbi ungantur unguento rosato cum oleo rosato, vel oleo violato, vel nymphæa. Fiat etiam fotus ex rhodostagmate, & ex decocto rosarum, violarum, bellidis, violariæ, malvæ, umbilici veneris, parietariæ, foliorum vitis & salicis, lactucæ. *Ad intemperiem uteri.*

Si uterus frigida ab intemperie languet, propinabimus mane illi cochlearia duo aquæ cinnamomi vel juniperi, vel accipe olei anisi scriptulum: diacymini, diacalaminthæ, diamoschi, diagalangæ, horum unius drachmam: sacchari albi uncias quinque: & ex aqua cinnamomi fiat tabulatum: sumat bis die drachmas tres.

De fœcunditate & sterilitate.

tres: utatur etiam mane interdum scriptulo mithridati vel theriacæ. Digito suo illinat uteri os, & foris abdomen hoc linimento. Accipe olei macis semunciam: olei mastiches drachmas duas: olei caryophyllorum semiscriptulum, musci grana duo. Imponantur enemata sine sale, ex decocto artemisiæ, matricariæ, parietariæ, calaminthæ, salviæ.

Humida intemperies si in vitio fuerit, utatur uteri conserva rosarum, & superbibat aquam, ex foliis quercus, vel equiseti, vel salicis, cui melonum semen incoxit. adde dulcia, ne ad renes abeant: nam uterus avide prolectat suavia. attamen præstat subdere pesso siccantia: quare excipe syrupo de rosis siccis corallum, myrtilla, balaustia, cornu cervi præparatum. Hæc extra tempus solemne mensium in usum veniant.

Sicca intemperies si in querelam venit, utatur victus ratione humectante. & utero impone medullam vituli, adipem caponum, oleum amygdalinum & seminum melonum, butyrum insulsum: decoctum ex malva, & floribus malvæ arborescentis, & semine lini, ex ficubus, jujubis, radicibus satyrii.

Empirica. *Ea quæ proprietate juvant, dentur cum sacharo, si calida adsit intemperies: cum melle, si frigida adsit intemperies. Satyrii radix cum melle. adde virgam cervi, semen erucæ, pulverem uteri suilli, adde nucem moscatam & caryophyllos, & semen urticæ.*

Hipp. & Galen. 5. aph. Aëtius. loc. cit. Itaque mulier viro juncta convenienti & consentaneo, quæ nec naturali, nec adventitio vitio sterilis sit, nec ad veneris usum ignavior, ea ad concipiendum apta idoneaque est. Eam autem CONCEPISSE CONJICIENDUM, si ingenti oblectatione una cum viro, aut certe paulo post, semen ejaculetur. * Si exceptum id retinetur, nec excidit, nec à concubitu mulieris pudenda madent. Tum etiam eo ipso die mulier aut leviter inhorrescit, aut titillatu quodam uterum contrahi percipit, dum semen arctius comprehendit, aut dolor levis imum ventrem obsidet. Uteri os interius arcte adeo connivet, ut ne specilli mucronem admittat. Deinde pleniore distentoque jam utero, os illud interius quod oblongum erat, brevius fit ac retrahitur, sursumque remeat, vix ut immisso obstetricis digito attingi queat. Veneris appetentia languet, hujusque aliquanto negligentior est prægnans. Menstrua purgatio præter consuetudinem subsistit, nec stato tempore procedit: quum enim uteri acetabula secundarum adhæsu obturentur, osque ipsum interius conniveat, nihil sanguinis ex uteri capacitate elabitur. At quibus fortasse sanguis primis mensibus aut etiam prostremis effluxerit, ex iis venis quæ ad uteri cervicem pertinent, quemadmodum & virginibus emanat, citra ullam fœtus offensionem. Mense secundo etiam si menstrui aliquid profluat, quia tamen provida solersque natura sanguinis nonnihil reponit in mammas, superioresque sedes, pectoris venæ impleri, mammę vero turgere ac durescere incipiunt. Fœtu grandescente latera lumbique expanduntur, dilatanturque, ac venter citra manifestam gravitatem intumescit. Quibusdam tum temporis in facie vel citrinæ, vel lividæ maculæ, vel lentigines efflorescunt, vel oculorum ambitus livescit, aspectu languido: aut alia symptomata urgent, quæ posthac enarrabimus. Urina citreo aut sublivido est colore, crassiuscula, ac subturbida, quæ leviter concussa bullulas vel granula è summa corona demittit: in hac quod per quietem subsidet innatatve, crassiusculum est & male cohærens, carptæ lanæ haud absimile. Urina vini albi permistione, similis evadadit elixarum fabarum jusculo. Mulsa cruda ex aqua cælesti data dormituræ, si deinde ventrem torsionibus affligit, gravida est: sin minus, non est. Postremum hoc & minime fallax indicium est, quum jam fœtus loco dimoveri cœperit, quod vel tardissimum accidit medio prægnationis tempore. Moveri autem incipit non ut mola, gravi molestoque pondere, non rugientis aut evagantis flatus specie, sed leni, blando ordinatoque impulsu, aut quasi muscæ volatu, quem sępe calens manus imposita animadvertit.

Conceptus signa.

Quum citra hæc ſigna menſes ſubſiſtunt, ac venter præter modum ſine hydrope diſtenditur, in utero præter naturam quippiam ineſt, aut irritus conceptus, aut mola, aut inflatio.

Hippoc. & Galen. 5. aph. Aëtius loc. cit. Maſne an fœmella geſtetur.

Masne an foemina utero geratur, hinc conjiciendum. Mulier ſi marem gerit, probe colorata eſt, & hilari vultu: ſi fæminam, decolor ac triſtis. Mares parte uteri dextra magis continentur, fœminæ magis ſiniſtra. Et quum mas eſt, dextra mamma amplior eſt ac tumentior, ejuſque papilla nigreſcit firma & arrecta, citiuſque lacte ſtillat. Prægnans è ſede progreſſura dextrum pedem primum promovet. Omnes tum venæ, tum arteriæ dextræ magis quam ſiniſtræ implentur ac tument, præſertim ſub lingua: eſtque pulſus dextra quam ſiniſtra manu plenior, major ac validior. Quum vero fœmina geſtatur ſiniſtra omnia firmiora & magis conſpicua ſunt, flaccidioreſque ſunt mammarum papillæ. Quinetiam lac emulctum ſi aquæ inſtilletur, mox (quia tenue & dilutum eſt) divellitur: cohæret autem, ac diutius perſiſtit in ſummo, ſi maſculus eſt fœtus.

Prægnans cauſaria.

Mulier quę vividum fœtum opportune conceperit, ſi integre ſana eſt, nihil moleſtiæ offenſioniſve perpetitur toto prægnationis decurſu. Natura quippe ſingula in convenientes uſus legitime diſponit. At vero ſi valetudinaria eſt, ſecundo aut tertio menſe, quum jam mēſtrua purgatio diutius ſubſiſtit, necdum tamen in fœtus alimentum abſumitur, ejus morbi inſultus præſentiſcit, cui maxime fuerit opportuna, & quicquid eſt in corpore vitii, id tum detegitur: quemadmodum & non gravidis mulieribus, quoties menſium inſtat eruptio: * Ei autem quæ vel cacochymia vel plenitudine premitur, corpus quaſi laſſitudine frangitur, lumbi, inguina, fœmoraque ingraveſcunt ac dolent: ſomnus gravis interdiu obrepit. His accedit cibi faſtidium, inappetentia, nauſea, ac plerunque vomitio, modo pituitoſa, modo bilioſa: ex eo ſcilicet humore ſupervacaneo qui in præcordiis redundaverit. Quibus autem cumulatus humor vomitione non prorumpit, iis ſpirandi difficultates, vertigines, animi defectiones anxietateſque contingunt. Et quum tetri humores ventriculi tunicis impacti fuerint, pica & malacia, omniſque rei alienæ & peregrinæ, ut terræ, teſtarum, carbonum, ſalſorum, acidorumque eduliorum depravata appetitio, in quartum quintumve menſem fatigat. *Malaciæ cauſa.*

Hippoc. & Galen. 5. aph. Aëtius l. 16. c. 18. Abortionis cauſæ, c. 26. Externæ.

Abortus ** porro vel ab *evidentibus* vel ab *interioribus* fit *cauſis*.

Evidentes aliæ fœtum enecant, ut ſyncope, timor & triſtitia: & quæ toto genere extinguunt, ut quæ vel ſuffitu, vel odore vel ſubſtantia, venenata ſunt. Aliæ cibum ſubtrahunt, ut inedia, immoderata purgatio, ſanguinis è naribus, ex hæmorrhoide aut aliunde rejectio. Mulier enim ſanguine miſſo abortum facit, idque magis ſi fœtus auctior eſt. Aliæ uteri acetabula diſſolvunt, per quæ fœtus alimentum capeſſebat: ut violenta exercitatio, ſaltatio, durior equitatio aut vectio, gravioris oneris geſtatio, caſus violenter concutiens, ventris aut ictus fœtum contundens.

Interiores vero *cauſæ* ſunt cibus immoderatus, & plethora fœtum ſuffocans aut extinguens: mucoſus humor uteri implens aceta- *Interiores.*

De Gravidis.

	S. A.		S. A.
* *quando medicandæ?*	4. 1.	*Eryſipelas uteri lethale.*	5. 43.
item.	5. 29.	*febricitantes vel abortiunt, vel difficulter pariunt.*	5. 55.
iis acutus morbus lethalis.	5. 30.		

De Abortu.

	S. A.		S. A.
** *quando fiat?*	3. 12.	*futuri.*	5. 38.
ex venæſectione.	5. 31.	*ex utero tenui.*	5. 44.
à profluvio alvi.	5. 34.	*ab uteri acetabulis mucoſis.*	5. 45.
ſignum à gracileſcentibus mammis.	5. 37.	*ex teneſmo.*	7. 27.
item.	5. 53.	*in febricitantibus.*	5. 55.

acetabula, & ligamenta ita remolliens, ac dissolvens, ut fœtum continere non possit. Cibus mali succi, & inde nata cacochymia, ob quam fœtus alimenti benignitate destitutus, sensim languet & emoritur. Morbus acutus, qui sæpe fœtum in gravius discrimen, quam matrem conjicit: adhæc quæ supra enumeratæ sunt, & principum partium, & uteri affectiones malæ. Quæcunque igitur mulier citra evidentem causam abortire consuevit, vel totius corporis, vel uteri solius vitio laborat. Abortu porro immaturus fœtus excluditur alias vivus, alias mortuus & extinctus. Vivus quidem, quum acetabula violentius dissoluta sunt: mortuus, quum iis firmis & constantibus fœtus ipse perit.

Abortionis impendentis signa.

Abortus futuri *notæ* sunt, lac sponte fluens è mammis, præsertim aquosum. Id enim, inquit *Hippocrates*, fœtum imbecillum esse testatur. Mammarum spontanea extenuatio. Nam si gemellos habenti dextra mamma gracilescat, marem: si sinistra, fœminam amittet. Laterum ventrisque superioris coarctatio. Lumborum coxarumque gravitas, & ad motum segnities. Si fœtus jam mover cœperit, rarior languidiorque motus evadit: quumque abortiendi tempus instat, aqua primum saniosa, profluit loturæ carnium similis, deinde cruenta: hinc purus sanguis, postea grumi, ac demum fœtus ipse, aut formatus, aut informis excluditur. [5. aph. 37.]

Extincti fœtus signa.

Quum vero EXTINCTUS jam FOETUS diu in utero subsistit, commemorata omnia ingravescunt, adsuntque stomachi morsus, animi deliquium, capitis & oculorum dolor, frequens horror febrilis, spiratio fœtida & graveolens, venter gravis & quasi procidens, & qui etiam admota manu frigidus percipitur. Imo & obstetrix immissis digitis frigidam animadvertit uteri cervicem. Interdum convulsiones oboriuntur epilepticis finitimæ.

Indicationes curativæ.

HEURNIUS. *Ex his discuntur* notæ curandi.

Si fœtus mortuus sit, excludatur, & prohibeatur ne in majorem putredinem degeneret. Si adsint causæ quæ fœtum corrumpunt, illæ auferantur; ut si à febre, illa curetur: si à veneno, illud amoveatur: ita & alia vitia. Si excludi mortuus fœtus debet, laxentur partes, ne fiat via vi, & aperiantur via uteri, & roborentur. Quod si metus adsit, ne fiat abortus, & iam jam periculum adsit ejus, erit adstringendum, & auferendæ causæ abortus. Maxime id augendum in mulieribus, quibus solemnis est abortus. Quare recte perpendendum, num metus abortus proficiscatur à muliere, utero, vel num à fœtu.

Prognosis.

Scribit Hippocrates *in libro De morbis mulierum, Periculi plenum esse abortum: quod si non interfecerit, attamen in plurima tædia ac morbos abripiet mulierem. Nam uterus inde contrahit sæpe tumores, inflammationes, & ulcera: ex quibus caput in consensum abripitur, unde in antica parte capitis pertinax dolor. Et diu fatigant hæc mala ab utero contracta: & octavo vel decimo mense coxarum intolerabilem cruciatum incurrunt. Communione autem vasorum trahit uterus caput in sua vitia: quia plurimæ arteriæ in uterum profectæ, etiam ab eodem ductu sparguntur in anticam partem capitis, unde fuligines ab utero in anticam capitis partem effunduntur. nam ob futurarum raritatem eo per sanitatem excludi solebant. Scribit* Aetius, *omnem fœtus corruptionem periculi plenam esse in muliere robusta, quæ uterum robustum & densiorem sortita est: minus vero læduntur hæ, quæ alvum humidiorem habent, & uterum humidiorem, quæque sæpe maximos fœtus sine molestia pepererunt & quæ sunt ætate provectiores, ut quæ ad trigesimum annum jam pervenere, & quibus non ita circumfluit sanguis & non pingues.* [4. Tetrab. Sermon. 4. 18.]

Phlebotomia.

Ad curationem pergo. Num vena pertundenda? Pauci Medicorum sunt, qui in scriptis suis hoc imperant, nec immerito: nam raro circumfluunt abortientes mulieres sanguine: & malunt, si quæ sanguinis copia adsit, hanc inedia potius consumere. Si tamen metus sit ab abortu in circumflua sanguinis copia, consulto pertunditur vena, maxime si jam in procinctu sit abortus: nam tam cito ab inedia tanta vis sanguinis exhauriri nequit. Verum præservationis causa secabitur vena primis mensibus, ubi uberrime sanguine rigatur corpus. Roga ex gravida muliere, num conceperit ante vel post purgationem menstruam. Si post, non aderit tanta sanguinis copia, quin inedia exhauriri possit. Sin concepit ante fluxum menstruum, indicio erit, irriguum à sanguine corpus venæ sectione egere. Cautio semper adsit, ne nimium sanguinis abducatur. Brachii venæ feriendæ.

Medicamenta.

Si fœtus primis periit mensibus, ut si bimestris, uterus erit laxandus & aperiendus, ac dein expultrix vis erit sollicitãda. Fiat itaq; primo insessus ex decocto malvæ, althææ, thapso b rbato, semine lini, fœnugræci. dein obstetrix ungat sinum naturæ oleo amygdalino dulci, cum medulla vituli, & oleo lilino, tandem fiat pessarium ex radice cyclaminis, cum adipe anserino & croco,

croco, & myrrha. Si fuerit major fœtus, admonet nos Hippocrates, *ut exploremus, num recte ad exclusionem situs sit fœtus, vel non. Si recte, id est, si capite nutet ad sinum muliebrem, instituantur fotus & litus, ut dixi. Emollito utero, præcipiendum, ut obstetrix modeste sineque vi aperiat uteri os, & ut ea imponat, quæ uteri vim excretricem stimulant. Iubet Hippocrates utero infundi succum porri & apii, transfusum per linteum: addit adipis anseris uncias tres octo unciis prædicti succi; addit resinæ semidrachmam. jubet ut diu mulier hoc infusum retineat. Pessarium fiat ex stercore murium, myrrha, pauca colocynthide vel elleboro nigro, cum melle semicocto. Cum his remediis non cedit fœtus mortuus, author est Hippocrates, ut veniamus ad potiones: nos hac utimur; Accipe cinnamomi electi drachmas duas cum semisse: myrrhæ optimæ scriptulos duos: succini candidi sesquidrachmam; rubiæ tinctorum, castorei, cujusque scriptulum: boracis semiscriptulum: croci grana octo: misce, fiat pulvis subtilissimus: capiat drachmam unã cum dulci vino albo: adde mellis rosati colati unciam. Salutaris tunc etiam evenit sternutatio. nam ea valide propellit ad inferna diaphragma; compressoque epigastrio, valido nisu truditur ad inferna uterus. naribus inde parum castorei & exiguum euphorbii. Si robusta fuerit mulier, sustineatur à duabus mulieribus, & ambulet non sine succussatione. Si fœtus prave prodeat, ut si manus vel pedes exerat, reclinanda erit mulier in caput, ita ut pedes sint capite sublimiores, quo intro labatur fœtus, ac ut verti possit: ac dein mulier iterum se sistat in pedes: & ut antea diximus, remediis utatur. Si totum brachium exeratur, mortuo jam fœtu, id exscindatur.*

Doloris remedium.

Extracto fœtu, dolor maxime placari debet, ne fiat uteri inflammatio: fove itaque decocto foliorum malvæ, althææ, tapsi barbati, seminis lini, fœnugræci, floribus adjectis chamæmeli, meliloti, ficubus. & unge medullis & adipibus mollibus, adjecto pauco croco. Quod si implacabilis urget, hoc certo placabis: Accipe opii, specierum diambræ, singulorum drachmas quinque: mumiæ, myrrhæ, cujusque semidrachmam: fiat extractum cum sufficienti copia aquæ vitæ, & uncia aquæ cinnamomi: cum ad melleam crassitiem venit id extractum, addes ei succini albi, coralli rubri præparati, singulorum scriptulos duos: unicornu, musci, cujusque grana duodecim: croci grana sedecim; margaritarum præparatarum semidrachmam: olei carabæ, anisi, caryophyllorum, cinnamomi, singulorum grana tria: fiat confectio in pilulis; da unum granum vel duo: raro quintum supera.

Si jam jam

Quod si nondum sit abruptus fœtus, sed si jam sit abrumpendus, ut si acerbi illi dolores noxii adsint,

imminet abortus.

sed si nondum ichor cruentus ex utero feratur, tunc non utemur laxantibus, sed potius stringentibus & roborantibus ligamenta uteri, idque per os, & inferius. Per os dabimus conservam cornorum, mespilorum, cum mastiche vel olibano, aut drachmam cinerum cancrorum fluviatilium. Accipe conservæ rosarum unciam; pulveris trochiscorum de terra lemnia, vel de carabe, drachmam; deglutiat: ita utimur corallo, santalis, adjectis, ob uterum, semper dulcibus. ex ovo sorbeat mastiches pulverem. Inferius, dorso, lumbis, inguinibus, perineo admovemus unguentum comitissæ, & emplastrum pro hernia. Ita ex rosis rubris, foliis myrti, santalis, acaciæ, plantaginis succo, sumachio, finguntur remedia.

Cautio.

Cautio sit, ut remisceas his calida quædam, ne uterus enervetur: junge itaque mastichen, mentham, absinthium. Observabile, tutiora esse ea remedia, quæ inferius admoventur, quam ea, quæ per os sumuntur: maxime si adsit febris putrida; hæc enim usu adstringentium increscet. Quædam & occulta proprietate juvare videntur: Accipe lapidis haimatitidis, & aëtitidis, thuris albi, singulorum semunciam: mastichis, ladani, cujusque unciam: seminis sumachii drachmas tres: galbani semunciam: resinæ pini quantum satis sit: pulverisatis pulverisandis, & contritis conterendis, fiat ex arte ceratum: quod gestet in ventre & osse sacro.

Empirica.

Hoc remedium doctissimo Medico Italo D. Bellocationi in secretis erat, à quo id habui. Quidam commendant aëtitidem lapidem brachio alligatum: sed is ex aquilæ nido eripi debet. In his vero ingravidatis, ubi non ita præceps periculum adest, emplastra stringentia ventri admoveri non debent, ne pansionem uteri intercipiat, sed lumbis & ossi sacro apponantur.

Præcautio.

Quod si mulier, quæ nondum concepit, in metu sit, ne à conceptu abortiat, diligenter tunc explora, cur illa id metuat: nam eo rapi potest ratione totius corporis, vel uteri. Nam totius corporis vitio abortiunt, nimium si emacruerint, vel si nimia pinguedine onerentur. Abstineant à cunctis quæ abortum provocant. Purga à quarto mense ad septimum, si cacochymia adsit: id fiat cassia, vel manna. Observatum, si secundo vel tertio mense fluant menses, vena erit pertundenda ingravidatis plethoricis; nam sic melius fœtum retinent. Et utaris his temporibus hoc remedio: Accipe diacydonii uncias duas: corticum citreorum conditorum tantundem: conscindantur minutim: dactylorum minutim scissorum, conservæ rosarum, uncias duas; ligni aloës, cinnamomi, caryophyllorum, cujusque drachmam; cum sirupo citreorum fiat electarium: sumat mane drachmas tres.

PA-

Aëtius lib. 16. c. 22. Ægineta lib. 3. c. 76. Δυστοκία. Ejus causa in matre,

PARIENDI DIFFICULTAS * aut *à matre*, aut *à fœtu* est.

A matre quidem mala conformatio, staturæ brevitas, virium corporis imbecillitas, ut in puella, & anu, pusillanimitas, atque metus. Uteri cervicisque mala conformatio, angustia, & ossis pubis firmior compactio, compressio seu coarctatio ex vicinarum partium tumore ac duritie, ex vesicæ calculo, ex recti intestini excremento duriore, & lumborum concavitas.

A fœtu.

A fœtu autem quum solidior illius membrana ægre disrumpitur: quum ipse imbecillior enixu nihil matrem adjuvat: quum grandior, aut monstrosus, aut geminus est: aut quum non recta in caput fertur, nec manibus secundum latera adductis, sed vel ambos pedes, vel (quod multo operosius existit) alterum duntaxat, vel manus primum exerit, vel duplicatus in nates exit: vel obliquus alterutrum latus, vel pronus ventrem primum exhibet, quæ omnium pessima est pariendi figura.

Signa,

Difficilem partum in propinquo esse *prænunciat*, humor aquosus in membrana allantoide conclusus totus ante partum effluens, aut copiosior sanguinis eruptio multo tempore fœtum præcedens. Loci enim sicci manent, destituti eo humore qui fœtui transitum facilem & lubricum præbet: languidi dolores ex intervallis longioribus recurrunt, quandoquidem ægre abrumpuntur acetabula, vixque secundæ ab utero divelluntur. †

Prognosis.

HEURNIUS. *Si à gravi partus dolore lochia votis puerperalibus non bene respondent, partum periculi plenum denunciant: tunc enim in procinctu erunt convulsiones, tremores, rigores, deliria, vigiliæ, urina jumentorum more turbata, & febres acutissimæ. Si fœtus duplicatus prodire inceperit, periculi id plenum. Sternutamentum si ægre parienti supervenerit, bonum est signum; nam denotat, alacrem ac excitatam esse naturam: quin sternutatio in causa est sæpe, ut motu & quassu elidatur fœtus.*

Curatio Phlebotomia.

Scribit Hippocrates *libro De morbis mulierum, malleoli venam pertundendam esse, ubi fœmina, quæ ægre parit, fuerit succi plena, integræ ætatis, & robusta: ut hac arte deorsum flectat suum impetum natura, quo felicius ita excludatur fœtus.*

Fœtu extracto.

Quantum ad extractionem fœtus, si mulier lethargica fuerit, & si pulsum tremulum sortiatur, nihil agendum.

Remedia. Si à toto corpore,

Remedia varia in usum ducenda, ut variæ sunt causæ difficilis partus. Si pendet hæc difficultas à toto corpore *mulieris, ut si laboraverit ex febre, illa curetur usu rerum refrigerantium & aperientium. Præscribe decoctum ex herbis capillaribus, violis, ce-*
B *teracho, radicibus asparagi, graminis, hordeo mundato, frigido majore: adde syrupum rosatum simplicem, & granatorum dulcium: nam hæc una contra febrem pugnant, & student partui.*

A nimia pinguedine.

Si præ nimia pinguedine *in metu sit mulier difficilioris partus, tenui diæta stude ut gracilescat: & ita componat ea se mulier, ut magis sit prona quam supina, genibus ad ventrem ductis, ita enim orificium uteri fiet rectum.*

Ab ætate.

Ætas etiam in causa esse potest difficilis partus, ut si ætas tenera vel provectior fuerit, ut quinquagenariæ imbecicilles sunt mulieres. Hæ debent nutricatu recreari, ovis sorbilibus, jusculis carnis, vino nobili, aqua cinnamomi, modo phlegmones metus absit.
C *Quin in hoc eventu naribus admovebimus vinum, acetum, vel aquam rosatam, & aquam cinnamomi. Si nunquam antea peperit, admoneat obstetrix, ut strenuo animam contineat, ac ud uterum anhelitum quasi elidat.*

Ab utero,

Si vitium sit in utero, *quod ille squaleat; obstetrix hoc studium adhibeat, ut digitum suum ori uteri semper immittat; ita enim rectum illud manet: si enim id neglexerit, statim se vertit id ad posticas vel latera, ut non amplius aditum præbeat digito, nec exitum fœtui: dum enim obstetricis digitus eo loci hæret, ab illo tactu se pandit os uteri. Altera autem manu rigabit obstetrix succo aliquo viscido ac humido insertum sinui muliebri digitum: ut inde made-*

De partu difficili.

	S. A.		S. A.
* *sternutatio, bona.*	4. 1.	*in febricitantibus.*	5. 55.
secundinæ quomodo promovendæ?	5. 49.		

† J. HEURNIUS in secretis semper habuit in partu difficili & retent. secundin.] ℞ *Troscisc. de myrrha.* ʒs. *(usque ad.* ℈ij. *) cinamomi.* ℈s. *boracis gr. xj. croci gr. viij. Vini albi Tenui* ℥iij. *mell. rosat. simpl.* ℥j. *misce pro Haustu qui post horam vel bihorium repetendus si non juvet. imo hunc Haustum* O. HEURNIUS An. 1632. *Bis propinavit in sesqui hora famina quæ per duas septimanas in parturigine versata erat & cui dolores nixus deserverant & feliciter peperit.*

ſcat gremium naturæ. Extrahatur muccago ſeminis A *althææ, malvæ, ſeminis lini, in aqua artemiſiæ vel malvæ, adde oleum lilinum, & parum croci.*

Si fœtus mortuus.

Quod ſi difficilis partus fiat ratione fœtus mortui, validis remediis is excuti debebit: talia ſunt quæ cient valide menſes, & etiam ea quæ uterum irritant & pungunt: propterea præſcribebat Hippocrates fel taurinum ex vino aromatico: fel id præbetur à guttis quinque ad decem. Nos hoc utimur; Accipe cinnamomi, croci, cujuſque ſcriptulum: boracis ſcriptulos quatuor: mellis roſati ſeſcunciam: cum aqua artemiſiæ fiat hauſtus. Vel propina ſuccinum album cum aqua pulegii. Vel hoc; Accipe aquæ artemiſiæ, vini albi, cujuſque uncias tres: boracis ſcriptulum ſemis: mumiæ ſemidrachmam: mellis roſati ſeſcunciam: ſumat. Poſtridie da hoc: Accipe pulveris Ducis ſemidrachmam: ariſtolochiæ rotundæ ſcriptulum: ſeminis pæoniæ ſemidrachmam: fiat pulvis: ſumat B *mane: hoc enim excludit quod à ſecundinis in utero reliquum fuerit. Accipe trochiſcorum galliæ moſchatæ, myrrhæ, caſtorei, ſtyracis, benionini, dictamni, ſabinæ, cujuſque ſemidrachmam: croci ſemiſcriptulum: fiat pulvis: da drachmam ex vino. Et accipe muccaginum ſeminis fœnugræci, lini, althææ, olei lini, adipis gallinæ partes decentes: ceræ & croci parum: adde ſuccum ſabinæ: ſinus mulieris illinatur. Inferius etiam jubet Hippocrates admoveri virgulta cum radicibus ellebori nigri, eo modo ut undique obvolvatur linteo vel cera, attamen ita, ut emineat extima pars, eaque utero immittatur. Cum cruentatur hæc radix, tunc ſuum officium feciſſe eam ſignificatio fit. Crocus miram vim habet ad excluſionem. Audivi olim in Italia à meo præceptore ſene, quod, cum ægre quædam pariens hoc potaſſet, fœtum croco tinctum ediderit. Adde myrrham, caſtoreum, ariſtolochiam: fiat pulvis; detur ex decocto cinnamomi, ſabinæ, ca-* C *laminthæ, cum ſyrupo capillorum Veneris. Talibus potionibus hauſtis, ambulet mulier inter duas fœminas, quibus nitatur, quæ hanc quatiant; ita pervadet promptius remedium.*

Majorē fœtū obſtetrix ungat lubricis illis remediis jam præſcriptis. Si minor fœtus ſit, ſternuat mulier.

Si fœtus manus aut pedes proferat, modeſte hæc iterum obſtetrix immittat. Si gemini ſimul prodeunt, alterum leniter retrudat: Si membrana craſſior exitum fœtui neget, obſtetrix oleo lilino digitos ungat, & eam unguibus ſuorum digitorum perfringat. Si ob tenuitatem membranæ ruptæ fuerint nimis maturæ, adeoque jam cuncta ſqualeant, præſcriptis muccaginibus, & adipibus madeſcant loca. ſorbeat ptiſanam colatam, & vitellos ovorum.

Vt mulier facile pariat, laudant noſtræ mulieres, ut extremis ſuæ ingravidationis menſibus comedat multas ficus: inde enim acetabula & uterus madeſcunt.

A partu difficili quid agendum.

Libro De natura pueri, & De ſeptimeſtri partu.

Præterea obſervabile eſt, ut commode mulier habeatur à partu edito tanta difficultate. Iubet Hippocrates, ut non ilico umbilicus abſcindatur pueri à ſecundinis, ſed eo tempore cum jam minxit, ſternutavit, vel cum ploratum edidit: ut gemino illo matris calore foveatur; nam languet à labore.

Puerperæ etiam quæ ægre peperit, ratio habenda: in primiſque ſtudendum, ut ſecundinas abjiciat. id fiet his, quæ mortuum remedia fœtum excludunt, quæque menſes provocant: & curandum ut mulier ſternuat, & concutiatur, quo infra præcipitentur ſecundinæ. Quod ſi nullis remediis cedant, docta obſtetrix dextre manu uncta eas evellat: alioqui perit.

Mulier etiam à difficili partu curioſe habeatur, Poſtquam ſecundinæ prodiere, mulier & uterus odoratis & euchymis rebus roborentur. Attamen monet Hippocrates, ne ferventiorem victus rationem ineat, cavendum eſſe: hæc enim res maxime perniciem afferre ſolet. Memini, me olim apud principem mulierem, jam mortuam, vocatum fuiſſe una cum amico meo Viro Clariſſimo D. Petro Foreſto. nec potuimus aliam cauſam deprehendere mortis, quam quod obſtetrix imperita ab edito feliciter fœtu, ac ab excluſis ſecundinis, plena manu propinaſſet vinum aromatibus refertum: idque per aliquot dies. Primis enim à partu diebus maxime febres has mulieres invadere ſolent, quæ acuuntur à calido victu. Propterea ego jubere ſoleo, ut quatuor vel quinque dies abſtineant à calidioribus cibis & potibus. Non tamen aquam bibant, ſed cerviſiam mediocrem: & fruantur juſculis carnium alteratis capillis veneris & ſemine melonum: hæc una refrigerant, ac lochia evocant.

Hiſtoria.

Cautio.

Obſervabile, ne pharmaca purgantia propinentur in partu, vel ilico poſt: nam ab inſtituto ſuo avocaretur natura. Sed ſi maſculus fœtus editus fuerit, non ante trigeſimum diem id agendum: ſi fœmella nata, non ante quadrageſimum ſecundum diem erit pharmacia utendumm Attamen uſum lenientium excludere interim non debet: nam ſi alvus ignaveſcat, vel febris ſi inciderit, prima regio corporis vindicari à ſordibus debet. Ego feliciter ſemper fere hoc utor; Accipe caſſiæ recenter extractæ ſeſcunciam: mannæ electæ ac ſolutæ in pauca copia aquæ capillorum veneris, unciam unam: ſyrupi roſati laxativi, quantum ſatis ſit, ut molle fiat electarium: ſumat fere quotidie ante prandium ſtatim, cochlearium magnum. Spolium anguis femori alligetur.

Si mulier ſit ſanguinis plena, tertio vel quarto menſe ſecetur ei brachii vena: nam ſubducto nutricatu, detrahitur moli infantis. †

CAP.

†. J. HEURNIUS Pro Puerperis Febricitantibus in ſecretis hoc ſemper habuit] *Puerperæ cum febricitant illis plerumque lochia ſupprimuntur, alvus ſubſiſtit, ac dolent à ventre. his imprimis ſolvo alvum molli clyſtere cum arthemiſia, thapſo barbato, chamamalis, parietaria, Elect. lenitivo. ſi clyſterem noluit do Electuarium ante cibum ex caſſia, manna & Syr. roſat. laxativo, Si ſtrictior ſit alvus & Febris ſit valida ♃ aq. cichor. ℥iiſ. ſucci citreorum ℥ſ. coque hæc dilue Electuarii lenitivi ℥j. bibat mane, dein bis de die ſumat ex hoc Iulapio ♃ Card. Bened. Summitat. calendulæ pimpinellæ, Scordii (ſi magna adſit putredo) an. pj. macera in ſecundi decocti hordei ℔j. colaturæ adde Syr. de acredine citreorum ℥iij. ſucci ex integro citreo expreſſi totum. Emplaſtr. Ventri dolenti ♃ matricariæ mij. coq. ex aqua & adde olei lilior. inter duo lintea admove ventri. Siuui muliebri indet & hoc ℞ ol. lilior. ℥ſ. ol. macis ʒij. miſce calide utatur interdum ſumat trochiſeos de myrrha cum borace & croco.*

Frontale pro Puerperis Febricitantibus.

♃ Florum nymphea roſar. rubrar. violar. an. mſ. macera in aq. roſata cum ſucco citreorum & inter duo lintea admova.

Hordeatum.

♃ Hord. numda. pj. amagdal. dulc. excort. ℥iſ. Sem. pupaver alb. ʒiſ. Sem. 4. frigider. major. decort. an. ʒſ. F. Hordeatum pro ℔j. adjecto ſaccharo.

Parientes ægrè.

In Saxonia præbent pulver. Gagatis ʒj. ex Vino pro Infallibili remedio.

CAPUT XVIII.

* *Athritidis differentiæ, ſigna & cauſæ.*

Aëtius l. 2. Trallianus c. 11. Ægineta lib. 3. c 78. Ἀρθρῖτις.

ARTHRITIS *articulorum eſt dolor ex intervallis fere invadens.* Corporis artus varii dolores occupant: alii nanque oſſium membranas, vel muſculos, vel nervos, vel medias regiones, quales aut lues venerea, aut ſimplex deſtillatio proferre ſolet. Alii articulos duntaxat obſident, in quos quaſi defixi inciderunt: atque hos ſolos arthritis nomen complectitur.

...jus differentia.

Statuuntur autem *arthritidis differentiæ* ex articulorum numero: ſed tribus duntaxat uſus nomina indidit, hæ ſunt *chiragra, iſchias* & *podagra.* Quæcunq; in alio quovis figitur articulo, generis nomine *athritis* appellatur.

A Chiragra manum infeſtat, ejuſque vel carpum, vel extremam partem, vel digitorum articulos ac vincula, Dolor huic ineſt plerumque pulſans, ſæpe cum tumore, rubore, calore, atque turgentibus pleniſque venis. Χειράγρα.

** *Podagra* vel malleolos, vel pedium, maxime vero pollicis articulum adoritur. Tumor, ut in chiragra, adeſt, tum partis, tum venarum adjacentium; rubor, calor, dolorque pulſans. Ποδάγρα.

*** ISCHIAS omnium vehementiſſima ſedem habet non in eo articulo quo femoris caput in coxendicem inſeritur, ſed altius Ἰσχιάς.

De Articulorum Affectibus.

	S. A.		S. A.
* *fiunt vere.*	3. 20.	*iis, qui plurimo utuntur cibo.*	4. 45.
per ſiccam conſtitutionem.	3. 16.	*abſceſſus ex laſſitudinibus febrilibus.*	4. 31.
ſenibus familiares.	3. 31.	*avertitur urinâ craſſa, multa, alba.*	4. 74.
ſolvuntur affuſâ frigidâ.	5. 25.	*ſolvit hæmorrhagiam narium.*	4. 74.
fiunt poſt febres longas.	4. 44.		

De Podagrâ,

	S. A.		S. A.
** *fit vere & autumno.*	6. 55.	*puero ante veneris uſum.*	6. 30.
non in Eunucho.	6. 28.	*finitur quadraginta diebus.*	6. 49.
muliere menſtruali.	6. 29.	*affuſâ frigidâ.*	5. 25.

De Coxæ & genuum affectibus.

	S. A.		S. A.
*** *à coxendicis dolore diuturno, luxatio & muci generatio.*	6. 59.	*laxationi prodeſt, uſtio.*	6. 60.
claudicatio & tabes.	6. 60.	*genuum gravitas purgationem indicat non febrilicitantibus.*	4. 20.

ad ſummam natem, qua nervi à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes feruntur in crura. Dolor atrox non in ſola eſt coxendice, ſed in femur quoque, & in ſuram, & in extremum pedem exporrigitur, quocunque nimirum ab affecta coxendice deductus nervus pertingit. Raro tumor ineſt conſpicuus, rarius calor, aut rubor, quod ejus loci ſumma cutis venis conſperſa minime ſit.

Humeri. *Humeri* arthritis dolore quidem inſignis eſt, non tamen (ut neque iſchias) tumore, rubore, vel calore manifeſta. At quæ *cubitorum genuumque* eſt, & dolorem, & tumorem præ ſe fert ingentem, ruborem vero caloremque exiguum. *Cubiti.*

Proxima arthritidis cauſa humor. *Proxima* continenſque omnis *arthritidis* ac doloris *cauſa* eſt non ſimplex ulla intemperies, ſed humor præter naturam infixus & adhærens, qui ſæpe tumore manifeſto ſe prodit. Atque tametſi nonnunquam (ut iis qui primum incipiunt illa tentari) citra inſignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen ac paucus aliquis humor ſubeſt.

Ejus ſedes. Hic autem qui continens eſt doloris cauſa, nunquam, aut admodum raro (præter multorum id opinionem aſſevero) in id cavum ac ſpacium penetrat, quod inter oſſium extrema intervenit, ſed in vincula duntaxat, atque in eas membranas quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt & ambiunt, ac etiam in tendones eo directos: hoc ſane argumento, quod in nodoſa tophaceave podagra atque chiragra, humor in calculum jam concretus, aperta ruptave cute, plerumque eruitur è digitorum articulis, vinculo integro ac illæſo. Et in iſchiade ſi noxius humor in coxendicis pyxidem conditus eſſet, nec tam vehementem (quod vinculum obtuſi ſit ſenſus) nec tam late diffuſum dolorem inveheret.

Qualis ſit? Neque porro humor hic, continens arthritidis cauſa, tam varius atque traditur exiſtit: nec enim ſanguineus, nec bilioſus, nec melancholicus unquam eſt, ſed omnino vel *pituitoſus* vel *ſeroſus*: perperamque arthritidis differentiæ ex humoris genere ſtatui ſolent: ut alia calida, alia frigida ſit, ſed omnis frigida eſt, ex frigido humore genita. Quod ſi rubor aut calor interdum, maximeque in chiragra vel podagra, cernitur, is non ex morbi eſſentia, ſed ex vehementia fit doloris, qui ruborem caloremque, nonnunquam & febrem acceſſit: quæ potiſſimum iis eveniunt, qui conſtitutionem corporis obtinent impenſe calidam, atque plethoricam, & qui levi occaſione febre jactantur. Hic igitur frigidus humor ac tenuis, articulorum vincula, membranas, aut tendones implens, & diſtendens, aut feriens, dolorem infert: dolor vero ſi corpus præparatum jam eſt, ruborem, calorem, atque febrem: quæ diſtendentis aut ferientis humoris ſunt ſymptomata. Talis eſt ratione artiſque uſu comprobata ſententia de athritidis continente cauſa.

Antecedens cauſa non venit ex intimis viſceribus, *Antecedentem* porro *cauſam* recte omnes ſtatuunt humorem eſſe, quia aliunde in imbecillos articulos, aut influit, aut influxurus eſt: *unde* autem & per quas vias *influat*, nemo ad unguem videtur inveſtigaſſe. Ex hac ignoratione hactenus dolor articularis pro immedicabili derelictus eſt, nuncupaturque medicorum opprobrium. Errant profecto quicunque ex intimis illum partibus in articulos irrumpere putant. Quomodo enim à viſceribus intimiſque ſedibus poſſit humor ſyncerus aliquiſpiam per venas ferri? aut qui ſanguini permiſtus nuper erat, illinc per ora venarum in articulos purus excidere? aut ſi etiam cum humore ſanguis emanat, cur in articulo collectus phlegmonem non excitet? Sed neque humor crudus qui per alios ductus quam per venas fertur in articulos, arthritim facit. Nam cruditas in cachexia è viſceribus in pedes incumbens dum tumeſcant, podagram non efficit.

Sed è capitis parte externa. Alia igitur quam ex intimis partibus eſt *arthritidis origo*. Hæc autem caput eſt, è quo ſane pituitoſus humor iſque tenuis profluit in articulos. Non quidem cerebrum, aut interiores ejus ventriculi, in quibus pituoſum excrementum cumulari coacervarique ſolet, (hoc enim vel foras per nares, vel per palatum in aſperam arteriam atque pulmones, aut in ventriculum interioreſque ſedes illabitur) ſed *partes capitis externæ* & extra calvam poſitæ origo ſunt arthritidis: è quibus ſupervacaneus humor per ſumma corporis ſub cute deorſum decurrit. Venæ enim multæ ab externis jugularibus deductæ eo excrementa ſua tenuia atque ſeroſa depo-

deponunt. Quumque capitis crassa densaque fit cutis è qua capilli succrescunt, non quemadmodum è reliqua corporis cute, illinc facile humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copiosior, in iis maxime quibus gignendi ejus evidentes causæ (quas mox referemus) conveniunt. Cumulata jam humoris signa sunt: capitis gravitas & somnolentia, dolor externus, & qui contactu præsertimque inversis capillis exacuitur. Tumor œdematosus interdum ut cera mollis, cuti, præsertim ad occipitium, subjectus: cutis densa nec calvæ propriis adhærescens. Ea igitur humoris densa lentaque congestio arthritidis fomes est atque origo.

Quomodo inde defluat.

Supra modum congestus humor levissima occasione aut æstus, aut frigoris, aut frictionis, interdum etiam sponte de sua sede decidit, & *in subjectas partes illabitur*. Atque quum aquæ & seri instar tenuis sit, ei persimilis quem frigidiore cælo è cerebro per nares fluere comperimus, non per spinalem medullam, (paralysis enim fieret) non per nervos & musculos, sed facile sub cute (ubi laxæ & amplæ sunt viæ) in corporis extimas sedes influit. Is autem fluxionis decursu, quia tenuis, in solis articulis, qui compacti densique sunt, subsistit, ac hæret, non item in mediis regionibus, quæ amplæ laxæque sunt. In id demum corporis latus præcipue fertur, in quod crebrius corpus decumbit. Atque si, dum incitatus est humor, in dextrum latus est decubitus, dextrum humerum brachiumque dolor impetit: si in sinistrum, sinistrum: si in dorsum, cervicem, scapulas, coxendices vel crura. Qui arthritide conflictari incipiunt, solent primum levem chiragram aut podagram experiri, cujus vix quisquam nisi expertus credat humorem è capite duci, aut illinc posse tam repente in extremos pedes clanculum & sine sensu illabi. At quoniam initio admodum tenuis est, & iis maxime qui calidiores mundi regiones incolunt, facilis promptaque illius est defluxio. Quum autem tempore crassiusculus is jam evaserit, maxime in frigidis regionibus & ætate provectis, non repente in extrema profluit, sed in mediis hæret regionibus: ac tum mali origo, tum decursio conspicua est. Sentitur enim dolor è cervice vel per humores in cubitos & manus, vel per dorsum in coxendices, genua pedesque sensim devolvi, sensu interdum frigoris oborto, quo corpus omne perhorrescit. Dolor è superis partibus in inferas sæpe descendit, ascendit nunquam, nec è dextris in sinistras, aut contra commigrat: si quando enim dolori dextro succedit sinister, hunc non loci permutatio, sed nova defluxio parit.

Quomodo crassescat in articulo.

Omnis etiam quum defluit humor aliquantum tenuis est, alioqui non defluxurus: articulo jam impactus nostri caloris vehementiorumque medicamentorum vi *crassescit*, & parte tenui dissipata dissolutaque, fæx quædam terrena manet, quæ frequenti influxione coagmentata, in manifestum tophum & calculum digitorum præsertim in articulis concrescit. Ea est arthritis nodosa, qua dissiliunt articuli distorquentur, & pereunte motu incurvescunt.

Arthritidis procatarctica & evidentes causæ. Articulorum imbecillitas.

Jam vero *arthritidis evidentes causæ* eædem quæ fluxionis existunt: una quippe *humoris in capite redundantia*, altera *articulorum imbecillitas*. Harum neutra seorsum arthritim facit, sed necessarius ambarum concursus.

Imbecillitas quum ex aliis quibusdam vitiis æstimanda est, tum maxime ex vinculorum membranarumque laxitate & ex viarum amplitudine. Hæc autem vitia vel ab ortu sunt, ex parentum imbecillo semine, fitque tum arthritis hæreditaria: vel aliis ex causis evidentibus, quæ laxant & emolliunt, membranasque feriunt: ejusmodi sunt veneris, balnearumq; usus crebrior, & quæ foris incidentia articulos contundunt.

Humorum redundantia.

Redundantiæ vero *humoris* interiores causę, sunt cerebri totiusque capitis imbecillitas, & frigida humidaque intemperies. Humor enim vel alimenti vice capite exceptus, quum hæc vitia adsunt, totus confici non potest, ex eoque necesse est excrementum tempore gigni atque cumulari. Hęc autem fluxionis materia multiplicabitur, si prætera evidentes causæ accesserint, quæ illius exuperantiam gignunt. Hę præcipuæ sunt, crapula, potus omnis, vinique maxime, liberalior: hoc enim & caput implet, & nervos membranasque ferit. Somnus immodicus, præsertim mox à cibo: ocium, exercitationum intermissio, consuetarum vacua-

cuationum, earum maxime quæ per urinas & sudores fiunt, suppressio vel imminutio.

Prognosticum.

PLATERUS. *Arthritidis omnes species pertinaces admodum sunt; & quando invadunt, diu perseverant, facileque recidivam faciunt.*

Inter eas tamen, Arthritis generalis, etsi gravius affligat, atque interdum non sine periculo, antecedentibus aliis quoque, ex dolore diversis in locis se exerente, accidentibus, tamen cum, ut fiat, magnam causam esse oporteat, quæ in tot loca feratur, illa non adeo est frequens, rariusque vel tardius quam particulares illius species, vel etiam nunquam amplius, revertitur.

Frequentiores sunt Podagra & Chiragra pluresque invadunt, & quæ ubi semel inceperint, certo tempore, nunc per menses, nunc annuatim redeunt, atque ubi semel pedem fixerint, ægre amplius eradicari possunt, per se alioquin minime exitium adferentes, nisi tandem generaliores facta, aut ob alios affectus antecedentes, hominem conficiant: cum multi multis annis podagra afflicti, senium tamen attigerint, atque in eo diu adhuc vixerint: alii quoque à gravioribus malis, quæ defluxio in nobiliora loca cadere solita illis peperat, per hanc illius derivationem, superveniente podagra, liberati fuerint.

Media modo se coxendicis & homoplatæ dolores habent, minus quidem quam podagra, magis tamen quam arthritis familiares, & qui rarius quam podagra, citius tamen quam arthritis, etsi ad annos aliquot sæpe inducias dent, rursum romeare solent, atque uti arthritis, quam diutissime, aliquando ad menses aliquot, sed minori vitæ periculo, perseverare.

Quibus observatis, prædictiones nostras ad ea dirigere debemus, &, præsertim in podagra, quæ jam habitum contraxit, aut hæreditaria est, non temere nos eam abigere posse, polliceri. Sed saltem id nos, ut vel mitius vel tardius redeat, tentaturos, &, si fieri possit, procuraturos: eoque, quod hac ætate mitescere soleat; consolari.

Indicationes.

Methodus *vero* medendi, *tam in Defluxionibus dictis, quam Articulorum doloribus, tum in præservatione, in illis qui hisce obnoxii sunt, tum in curatione, quando jam laborans consistit, & pro ratione causæ, hæc perficiuntur.*

Præcavebimus autem, ut vel ægre redeant, aut mitius ægrum tractent. si humoris sanguinei, vel excrementicii, serosi, pituitosi congestionem & proventum in capite, vel in universo corpore, bona vivendi ratione, evacuantibus variis, corrigentibus intemperiem & imbecillitatem, impediamus: defluxiones & influxus illorum in articulorum aliasve sedes, illis, quæ hæc sistunt, vel alio deducunt, avertamus; loca hisce molestari, & tandem laxa imbecilliora que reddi solita, ne facile humores admittant, recipiantque, firmemus: intemperiemque contractam immutemus.

Curabimus vero, postquam defluxionibus aut articulorum doloribus jam infestatur æger: Si humorem, dum fluit, sistamus, fonti prospiciendo; vel vias per quas fluit, arctando: eumque à parte affecta revellamus, derivemus, & ab ea propulsemus: doloremque, præsertim si ille urgeat, ut ægro consulatur, novaque defluxio vitetur, mitigemus. Procedendo sensim, idque maxime postquam jam fluxit humor, ad illa, quæ, quod influxum, est, si sanguis sit, simul digerant, tandemque, ut in cæteris inflammationibus, penitus dissipent; si alius humor excrementitius sit, potentius adhuc illud præstent; & si in profundo sit, validius attrahant, & absumant, vel etiam aperte eliciant, Atque in declinatione, ea quæ partem multa passam confirment, & si quid residui sit, penitus consumant, adhibenda.

SYLVIUS. Arthritis à calida materia, curatur quinque *his* remediorum generibus. — Arthritidis cura in paroxysmo, 1. Venæsectione.

1. Phlebotome *partis oppositæ, si à sanguine est, aut materia sanguini mista: alioqui clementer purgamus. Repellentibus quoque utendum: ut oleo rosato.*

2. *Materiæ* fervorem remittentibus, *frigidis & astringentibus: ut syrup. rosato granatorum, cum dupla aqua plantaginis, rosarum, solani, oxalidis, per dies quatuor, quinque.* — 2. Refrigeratione.

3. *Eadem* vacuantibus, *ut catapotiis minoribus hermodactylorum, à drach. una ad scriptula quatuor.* — Evacuatione.

4. Anodynis, *à quibus incipiendum, & repellentibus: ut farina hardei, vel cassia fistula dissoluta in oleo rosato, vel succo, aut aqua solani, plantaginis. Medulla quoque panis, præcipue secalini, lacte macerata & parum cocta: additis ovi vitellis, & oleo rosato. Si autem dolor est intolerabilis: adde prædictis opii drachmam unam, croci ad penetrationem parum. Si magnus sentitur calor, muccago ex se. psyllii integro extracta, cum aqua rosarum, vel solani, pauco etiam aceto ad penetrationem addito, cataplasmatis modo apposita, & dum calescit mutata, idque sæpe, est præstantissimum remedium. Vel oleum rosatum, cui lumbrici terræ sint incocti, frigidum applicetur. Si materia fluere desiit, foveatur pars vino rubro austero, cui chamæmelum, melilot., fœnum græc., ajuga, nervis roborandis efficacissima herba, sint incocta.* — 4. Sedatione doloris. *Avicenna cap. de cassia*

5. *Id quod fluxit* dissipantibus: *ut oleo chamæmeli, stercore vaccino, si potes, quam recentissimo & calente.* — 5. Dissipatione.

Præ-

Arthritidis calidæ præcautio. Roboratione partis. Diæta.

Præcavebis *autem fotu partis ex vino nigro austero, cui incocta sint astringentia: ut galla, balaustia, malicorium, addito etiam alumine scissili.*

Abstinebis annis aliquot, vel etiam tota vita à vino, præsertim vetere jam malo, si expertis creditur, Rasi, Avicennæ, Celso. Vitabis coitum, ut Gal. aphorismo: Pueri podagra non laborant ante usum venereorum.

Purgatione. Præcautio.

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Sumantur bis in hebdomada pilulæ mites, ut ex hiera Rufi, quæ materias ad intestina derivent, ad articulos alioqui fluxuras.

Arthritidis frigidæ.

Si arthritis *est à materia* frigida, *ut pituita, purga sæpe, mistis etiam cholagogis (quod bilem mistam habere consuevit fluxionis authorem) & stypticis, ut vias fluxionis astringant. Quæ omnia præstant pilulæ de hermodactylis, addendo calidum aliquid in frigida, aut frigidum in calida: sed initio mitioribus utendum est, ne tenue trahant, crassum relinquant. Vino abstinendum, mollientia digerentibus miscenda.*

Cura.

Curatur quinque remediorum generibus.

1. Aversione.

1. Materiam *avertentibus, & clementer* minuentibus, *ut pilularum ex hermodactylis minorum Mesuæ scriptulis duobus, rhabarbari scriptulo uno. vomitus etiam, si facilis, est saluber.*

2. Præparatione.

2. Materiam *coquentibus, &* apparantibus: *Primum melle rosato, deinde syrup. stœchados, cum aqua betonicæ, & absinthii. Fugienda autem uretica, nisi exquisite purgato corpore: & nervis noxia: ut acetati syrupi, & oxymelitis oxysaccharisque genera.*

3. *Materiam valenter* purgantibus, *ut pilularum de hermodactylis majorum scriptulis quatuor.* 3. Purgatione.

4. Dolorem sedantibus *statim principio adhibendis: ut oleo chamameli, oleo lumbricorum, vulpino: cataplasma quoque ex farina fœnigræci, pulvere meliloti, & pauco aceti; cassia fistula, cum oleo chamameli, & melle sufficienti; boum stercus, item vaccæ ex ipsa adhuc calens, vel ex oleo chamameli, vulpino, frixum. Muccago se. fœnigraci cum aqua & aceto extracta, adjecto postea melle, multis probatum est & efficax remedium, si triduo hæreat.* 4. Sedatione doloris. Avicenn.

5. *Reliquias* digerentibus *moderate, ne tenui resoluto crassum lapideam duritiem induat: ut oleo chamameli, liliorum, vulpino: cataplasma quoque valet ex farina, se. fœnigraci, althææ, lini, floribus, chamameli, meliloti, rad. altheæ. Potest ex iisdem & roremarino, salvia, majorana, abiga, in vino coctis, fieri fotus, balneum, suffitus.* † 5. Dissipatione.

ISCHIADIS CURATIO.

Ischias iisdem remediis curatur, præterquam quod repellentia non admittat: sed, purgato corpore, valenter foras ex profunda cotyle trahentibus, ut cataplasmate ex stercore columbino, indiget. Clysteribus etiam acribus utendum est.

CAPUT XIX.

De Elephantia.

Gal. 2. ad Glauc. 10. Æginetа lib. 4 c. 1. Περὶ τῆ ἐλεφαντιάσεως ἤτοι τῆ ἐλέφαντος.

ELEPHANTIA *morbus est venenatus in tetrena substantia, totius corporis naturam immutans.* Quum terrenus ac melancholicus humor venenatam qualitatem asciverit, eam mox tum visceribus, tum partibus omnibus impartitur, quæ dein inquinata, terrenum quendam ac melancholicum succum vel ex purissimis alimentis gignunt ejusdem veneni participem: quo partes imbutæ ac nutritæ tempore similem nanciscuntur naturam, fitque in eis elephantia totius substantiæ morbus. Neque vero hic (quod plerisque visum est) cutem solam aut corporis summa, sed & inti- *Ejus generatio.*

† J. HEURNIUS Pro Arthritide hoc in secretis reposuit] ♃ *coq. ligni juniperini in Taleolas scissi ℔ij. in aq. amphor. xxij. ad dimidias in fine coctionis adde succulum sequentem.* ♃ *argillæ ℔ iij. Sulphur crassiusc. pulveris. ℥ij. aluminis ℥ij. salis ℥j. cinerum quernor. ℥iiij. picis siccæ ℥ss. crasso modo pulveris. & misceantur cum argilla exacte & sacculo include Fol. Chamæpytios mij. Fol. malvæ, chiomomel. an. mj. ex aq. coq. ad. ℔ 14.*

item.

♃ *Ivam Athriticam, Chamedryn, Salviam, Hederam quernam coque ex aceto, dein affunde triplum olei, cui adde salis tosti plurimum, coque ad aceti consumptionem Fiat Illitus addendo Medull. ossis Bovis & si vis lignum & grana juniperi.* J. HEURN. Hoc inter secretiora posuit remedia.

Athritidi. J. HEURN. in secretis] ♃ *aq. solatri aq. plantaginis an. pæq. adde camphor. & acetum.*

LANSBERG. *Dicit se eo uti ex* FERNELIO *neque unquam id se fefellisse quin ilico placaverit dolorem.*

intima quæque ossaque ipsa invadit & obsidet, quod omnia impuro fruantur succo. Quanquam autem ipsa morbi qualitas ad totum corpus pertinet, præcipua tamen vis in jecore atque in liene residet, quæ sua dein vitia corpori toti impertiunt.

Elephantiam alii *ab ortu*, alii *contagione*, alii sponte *proprioque vitio* contrahunt.

Causa ab ortu. *Ab ortu*, qui ex elephantico parentum semine procreati sunt: atque si parentum alter quum genuit elephanticus erat, fœtus quoque nascetur elephanticus: tanta est divinæ illius procreatricis facultatis energia, ut in semine intemperato ac prorsus impuro consistens, corporis partes figat, vel ex impura materia. Si nondum elephantia parens quum genuit tenebatur, sed in eam duntaxat erat propensus, filius, eadem ætate qua parens, elephanticus evadet. Quorundam etiam literis proditum est, mulierem quæ instantibus aut profluentibus mensibus conceperit, fœtum edere in elephantiam proclivem.

Contagione. *Contagione* vero sive concubitu, sive accubitu, sive assidua vitæ consuetudine, lues hæc hominem adoritur, quod ex elephantico perniciosa qualitas pariter cum humore transferatur in aliud corpus, sensimque irrepat in omnes partes.

Corporis vitio. Proprio *corporis vitio* inducitur, cum bilis atra plurimum exuperat, quæ sensim ac tempore venenata labe inficitur. Nam veneni speciem in nobis sponte gigni posse, alio loco demonstravimus. Exuperat autem quum vel sanguis, vel melancholia, vel bilis flava supra modum torretur. Quocirca eos adoriri solet, quibus vel menses suppressi, vel varices, vel diuturnæ hæmorrhoides curatæ sunt: & eos qui bubula, cervina asininave, carne vescuntur, cæterisque cibis glutinosis atque crassis: eos denique quibus vel jecoris ardor, vel victus calidior bilem flavam cumulavit, quæ diu cohibita degeneravit in atram. Quæ mala quum non nisi florentis aut etiam provectioris sint ætatis, elephantia nec pueros nec adolescentes sponte invadet.

Indicia incipientis. *Incipiente morbo* vividus ille coloris flos perit, cutis decoloratior apparet, aliis quidem nigricans, aliis flavescens, aliis albicans: unde nonnulli tres elephantiæ statuerunt pro coloris varietate differentias: hinc densior, durior, asperiorque redditur, quum scilicet jam multo est humore perfusa. Talis vero præcipue conspicitur aut in facie, aut in manibus, aut in pedibus, natura quoad licet vitia propellente in corporis extrema. In his sensus torpescit, frigusque perpetuum inest, maximeque in pedibus. Licet enim horum initio integer servetur motus, stuporis tamen & frigoris sensus inest. Tum temporis verrucæ plurimæ succrescunt, non in manibus solum, sed & in facie, & in reliquo corpore, peculiares vero in linguæ radice.

Confirmata. Pedes, manus & facies tument, in hisque varia prominent tubercula, maxime vero in malis quæ extuberant livido tumore: labra invertuntur, nares resimæ obstruuntur crassitie alarum, & rimis discerptæ crustulas nigras atque cruentas excutiunt: oculi candidum flavescit, miraque crassitie quasi ungue obtegitur: supercilia prædura ac fere callosa, atque etiam glabra. Ex his enim, quemadmodum & ex palpebris, & ex mento, pili venenata qualitate imbuti defluunt, dum tandem horrenda evadat partium omnium deformitas. Manuum pedumque digiti siccitate dehiscunt, unguesque finduntur ac dilacerantur. Totius etiam corporis cutis arescit, atque fœda siccaque scabie exasperatur, eaque interdum cum pruritu. Ipsa musculorum caro absumitur, ac sensim liquescit.

Consummata. *Malo* autem *ingravescente* pro stupore cutis sensus perit manente motu, ut ne infixa quidem acicula dolorem moveat, neque inspersa fervidior aqua exurat: vox è gutture raucescit, respiratio difficilior evadit, spiritus totiusque corporis exhalatio fœtet, sordida virulentaque ulcera in manibus, pedibus & plerisque locis excavantur, gravisque putredo omnia contaminat. Quæ ex urinis aut ex sanguine tradi notæ solent, incertæ omnino sunt, atque fallaces. Est autem eo sævior elephantia, quo signa graviora apparent: maxime vero quum non in summo duntaxat corpore, sed & in ipsis quoque visceribus, in ossibus cæterisque interioribus partibus firmius inhærescunt. Non omnia tamen in omnibus, sed alia in aliis comparere solent.

Cap.

CAPUT XX.

De lue venerea.

Luis venerea Causa,

LUES VENEREA *est contagiosus affectus, cum ulcere aut immani cruciatu variis locis emergens, ac sæpe extuberans.*

Efficiens ejus *causa* venenata est & maligna qualitas, atque perniciosa labes, quę in quacunq; corporis parte primum insederit; eam contaminat, indeque continuatione in corpus omne spargitur, & ex parvo initio & quasi suscitabulo profecta, sensim invalescit & propagatur, dum non spiritus modo atq; humores, sed & carnem & partes omnes solidas pervagetur. Neq; earum temperamentum solum, verumetiam totã substantiam pervertit, vix ut ulla deinceps probo ac puro fruatur alimento. Hinc excrementorum proventus succrescunt, variaque vitiorum genera emergunt, qualia mox recensebo. Ea porro qualitas non simplex & solitaria est, sed in humore subsistit, quo ut subjecto quodam & vehiculo utitur.

Ortus propagatio,

Neq; qui jam inquinatus est alium habitu solo, sed liquore de se in alterius corporis partẽ epidermide nudatam ejecto contaminat: èqua malum prorsus initium sumit. Itaq; venerea lues contagiosus est morbus, non sponte intimoq; corporis vitio, sed attactu solo contrahendus. Nam & quam quis ab ortu accepit, ẽa olim ex parentum contagione processit. Maxime autẽ venereo contrahitur concubitu, à quo & nomen invenit: ejus frequentatione propagata est in hominum genus, atq; ex unius impuritate & inquinamento sensim in universum orbem est disseminata, miserabile scortato- C rum flagellum. Sæpius ea è partibus obscęnis incipit, licet interdum & ex aliis plerisq; locis expullulet, in quibus labes contagione fuerit aspersa. Inquinatur autem duntaxat vel purus ab impuro, vel impurus ab eo qui longe sit impurior, à simili vero aut à minus impuro nunquam. Æque impuros citra offensionem congredi licet, & uterq; tamen puriorem alium congressu labefactat. Hauritur interdum lues è scorto, quod nondum inquinatum est quum quis cum eo volutatur, mox ab alio impuro scortatore. Impuritas non ex cute spectatur, quod sępe maximeque inveterata lue fermentum intus reconditum sit & abstrusum.

Et hac de causis & ortu.

Differentias ejus speciesque nonnuli, quibus symptomatum quam essentiæ major cura fuit, varias multiplicesque statuerunt. Una tamen & eadem rotius est essentia, sed variis distincta ordinibus, ut alia levior sit, alia gravior. Est & corporum in quæ illa incidit permagna varietas: ac utraque ex causa fit, ut lues alia *levioribus*, alia *gravioribus symptomatis* exerceat.

Primus Luis venereæ gradus. Ejus signa.

Omnium levissima est ea species qua solum capitis & barbæ pili sensim citra aliam corporis offensionem defluunt. Ejus quippe virus in tenui quodam vapore consistit, quæ in corporis summa effunditur ad illorum radicem: atque ut ephemera febris à putrida, & hæc species distat à cæteris.

Secundus,

Altera paulo deterior est, qua cutis univer- B sa crebris maculis minime extuberantibus conspergitur, iisque parvis, lentiginis instar, ac modo rubris, modo flavis: quæ non ante deleri extinguive possunt, quàm morbi radix sit evulsa. Hæc in tenuissimo sanguine virus habet, quam nulla graviora sequuntur incommoda.

Tertius.

Tertia species gravior ac jam vera lues est: hac rubræ aut flavæ pustulæ primum quidẽ circa frontẽ, ac tẽpora, poneq; aures, deinde in capite, atq; etiã toto corpore erumpunt & extuberant, rotundo schemate siccæ sine pure: quæ deinde sicca crusta obducuntur, atq; si negliguntur, serpunt in ambitũ, excavantq; cutẽ, dum ex pustula verum ulcus evadat, quod fere virulentum est, ac sordidum. Partes quæ ad podicem, ad nares, atq; fauces sunt, quia tenellæ, omnium primæ exulcerari solent. Emergunt autem hæc, quũ jecur ipsum, atq; sanguinis humorumque massa labefactatur, à qua protinus carnosæ mollesq; partes detrimẽtum capiunt.

Quartus.

Quarta his species succedit, quum invalescens lues solidas partes, ossa, vincula, membranas, ac nervos adoritur. In his jã vitiatis excremẽta multa, crassa quidẽ & glutinosa, pro partis conditione, sed tamẽ maligna congestione cumulãtur, quę nõnunquã in tendones, sępius inter ossa & periostia cõfluũt. Hæc quum vel mẽbranã ab osse divellunt, vel eã malignitatis acrimonia feriunt, cruciatus cient implacabiles, qui noctu fere ingravescunt. Ab his demum coagmẽtatis

præduri tophi cruciatu multo graviore succrescunt. Eadem porro quum in osse subsistunt, id amplificant, distendunt atque etiam exedunt, ut ejus sæpe deprehensa sit monstrosa figura. Tandem vero corpus vigiliis, diris cruciatibus confectum, & atrophia marcescens, vita destituitur.

Quomodo differat ab arthritide? Longissime hi dolores *distant ab arthritide*, quod hæc brevi parvoque tempore exoritur, idque ex defluxione, quæ repente in articulum incubuit. Dolores vero luis venereæ sensim multoque tempore pocedunt ab eo excremento, quod pars male affecta paulatim congessit. Adhæc arthritis aut in articulo, aut citra hunc consistit, fixaque est. Dolores ex lue, non articulos, sed medios artus obsident, in quibus & plerumque tophi concrescunt, maxime vero in fronte & capite, in clavibus, in medio humeri osse, & in medio cubiti radio, & in parte priore tibiæ, nonnunquam in aliis quoque ossibus. His ergo ex signis unaquæq; luis species dignosci percipiq; potest.

Quomodo non satis manifesta indaganda? Quum autem ex dubiis signis de lue ambigitur, ejus origo altius est investiganda, à qua parte initium habuerit. Etenim quoniam non nisi attactu contrahi potest, necesse est labes aliqua in ea primum parte comparuerit per quam insertum est virus. Hæc enim prima se profert in partibus obscœnis, si concubitu, in summa cute si accubitu contracta est: in nutricum mammis, si inquinatus erat infans: in infantis ore & faucibus, si nutrix infecta. Emergunt autem in obscœnis partibus pustulæ, ulcera maligna, virulentaque gonorrhœa, inguinum bubones. Sed hæc nisi altius intro subeant, nondum lues sunt venerea, sed rudimentum & veluti character ejus impendentis.

Huc affinitate quadam attexendi videntur reliqui tum venenati, tum contagiosi affectus, & quicunque virulentarum bestiarum ictibus infliguntur. At quoniam præcipua eorum cognitio ex causarum animadversione capitur, non ante duxi de his tradendum, quam eorum curandorum ratio quoque subnectatur.

In hac omnem jam videor interiorum affectuum cognitionem contraxisse, quam tamen frequens inspectio contemplatioque rerum confirmabit. Confido etiam particulatim singula me persecutum, nihilque recens emersurum, quod non ex illorum observatione ac imitatione nosci percipique possit.

Libri sexti de partium morbis & symptomatis, finis.



JOHAN.

JOAN. FERNELII AMBIANI, DE LUIS VENEREÆ CURATIONE PERFECTISSIMA. LIBER.

CAPUT I.

Luis Venereæ definitio.

Lues venerea. LUES Venerea totius substantiæ morbus est occultus, contagiosus, tuberculis, maculis, ulceribus, cruciatibus & doloribus sese prodens: (*solo concubitu, aut alio impuro contactu contrahendus.*)

Atque ut hujus morbi vis & natura, de qua hactenus inter Medicos parum convenit, certius innotescat, paulo altius repetenda est definitionis explicatio. Cum omnis morbus primum & per se in aliqua parte corporis insideat: partes autem omnes similares sint & dissimilares: necesse profecto fuerit in harum alterutra, vel in utraque luem veneream primum & per se inhærescere. At vero in dissimilaribus primum & per se non consistit: neque enim conformationis, neque magnitudinis neque numeri, (*neque collocationis sive situs*) morbus exsistit.

Morbus est similaris. Restat igitur, ut *partium similarium* primum & per se *vitium* sit, & affectus præter naturam: neque enim, si cum omni genere morborum concurrit & complicatur, aut etiam varios partium dissimilarium affectus invehit; idcirco sane morbus unus non fuerit, aut etiam partium dissimilarium primum & per se affectus censebitur. Ita enim & febris partes omnes obsidens, dissimilarium partium primum & per se morbus diceretur, nec unus esset affectus, sed plures: quod veterum auctoritas redarguit.

Forma. Verum enimvero cum affectuum partis similaris tria sint summa omnino genera, A intemperies, materiæ immoderatio, & totius substantiæ corruptela: ad quod lues hæc sit referenda, videndum. Primum ad intemperiem non pertinere, aperte posthac demonstrabimus, cum de ejus causa dicemus. Multo minus ad materiæ ametriam referri potest: neque enim mollities aut durities est, neque laxitas aut adstrictio, neque tenuitas aut crassities, neque demum raritas aut densitas, qui materiæ immoderatæ omnes sunt morbi. Ad formam ergo necessario referenda est. quæ quoniam B præcipua est, & pene tota rei cujusque substantia; ejus affectus totius substantiæ morbi dicentur. Atque ideo lues venerea merito *totius substantiæ affectus* dicetur.

Ex causa abdita. Jam vero cum morborum totius substantiæ alii intemperiem manifestam sequantur, cujusmodi sunt febres omnes putres, aliarumque partium affectus ex putredine ortum ducentes, alii alias causas occultiores: ad quod genus lues pertineat, videndum. Qui intemperiei succedit morbus, manifestus est, isque vel putredo quæ- C dam exsistit, vel putredinis quædam soboles, quod lui non convenit. Superest igitur, ut à secretiore causa orta putetur. Atque hic occulti morbi dicuntur, qui non ex dissoluto temperamento, neque ex simplici putredine, sed ex abditiore quadam causa processere, quę corporis totam substantiam primum & per se afficit. Hoc causarum genere continentur omnia pestifera, deleteria & venena, quorum ferocia in nativum nostrum calorem, in ipsumque vitæ principium,

cipium, cui tota essentia contraria est & infensa, maxime ac primum sævit ac debacchatur. Non enim ejusmodi causæ sola putredine, ut junioribus plerisque visum est, sed tota specie & vi deleteria nos vel offendunt, vel enecant.

Contagiosus. Hæc autem quæ toto genere & prorsus venenata sunt, tribus omnino modis nos attingunt: aut enim cum aëre spirando ducuntur, ut pestilentiæ semina: aut extrinsecus nos attingunt, ut rabidi canis & venenatarum bestiarum virus: aut intro sumuntur, cibi, potus, aut medicamenti specie. Venenum, quod non nisi intro sumptum vires habet, omnium infirmissimum exsistit: non in spiritu, non in tenui humore, sed in crassiore quadam substantia inhærescens. hujus generis sunt fungi, arrhenicum, auripigmentum, & alia pæne innumera, quæ non odore, non adhæsu, sed haustu solo enecant. hæc Chirurgi in malignorum ulcerum curatione citra ullam partium corporis jacturam, magnoque usu extrinsecus adhibere solent. ex quo intelligitur non esse illa contactu deleteria. At vero si quid istorum sumatur; è crassiore materia venenum vi nostri caloris suscitatum in principes demum partes sese inserit, profertque sui furoris incommoda. Venenum, quod halitu nos ferit, omnium præsentissimum est & efficacissimum, nec humore, nec crassiore materia tanquam vehiculo indigens, ut in nos agat, ac commigret: sed tenuissimum cum sit, spiritu haustum, celerrime per pulmones in cor viscus nobilissimum, & in arterias, in omne denique corpus irrepit: primum spiritus, deinde humores, postremo ipsarum partium substantiam labefactat. Quod autem venenum contactu ferit, minus efficax est: neque in solo spiritu, vel in aëre, sed in humore quodam provehente vires habet. Hoc vero cum in partem cute nudatam insederit; contactu quidem eam primum, dein vero proximas, reliquumque corpus omne consecutione quadam inquinabit. Non enim rabidi canis halitus solum contagione quempiam polluit; at in partem demorsu apertam, vel humor, vel saliva eructatur: cum quo virus illinc sensim in omne corpus evadit. In integram vero cutem si inciderit, nihil efficit. epidermis

A enim densa cum sit atq; valida, horum hebetiorum & crassiorum venenorum substantiam altius penetrare non sinit, nisi vel findatur, vel dilaceretur. Sic enim bestiarum, quæ virus ejaculantur, venenum provehente ducitur humore. sic sagittarum venenatarum, sic elephantiasis, aut luis Venereæ virus, non inspiratu, sed humore in quamvis partem cute nudam defixo, sensim prorepit in omne corpus. Ex iis tamen quæ solo contactu officiunt, pauca quædam numerantur, quę integram etiamnum cutem, quamvis validam & densam, pervadunt & penetrant, introque subeunt: ut quod à basilisco aut torpedine pisce infligitur virus. Atque hæ tres occultæ atque venenatæ causæ tres occultorum morborum differentias constituunt: quorum alii ab aëre; alii contactu; alii à venenata, quę intus sit, materia procedunt contrahunturque. Hi quidem omnes venenati sunt: at non similiter, neque iisdem ex causis. Nam qui ex intus conclusa materia processerunt, quia foras non emigrant, neque in vicinas partes prorepunt, simpliciter venenati nuncupantur. qui vero ab aëre aut contactu fiunt, contagiosi: quod vel externæ, ejusque venenatæ causæ occursu geniti sint, vel contagione mutuaque societate vicinas partes contaminent. At hi qui solo contactu contrahuntur, ut hydrophobia, lues venerea, & qui bestiarum venenatarum ictu fiunt, simpliciter contagiosi dicuntur, alii qui ab aëre procedunt, pestilentes. Ut idcirco brevissime dici possit,
C Occultorum morborum alios venenatos esse, alios contagiosos, alios pestilentes. Sed venenatis & pestilentibus relictis, de contagiosis pauca quædam dicemus.

Contagiosi tota substantia morbi alii manifesti sunt, alii occulti. Manifesti sunt phthisis, pruritus, scabies, lepra, achores, favi & reliqui hujus generis: qui licet contactu & fiunt & afficiunt; nihil tamen occultum malignumque recipiunt sed à manifesta, putredine, & qualitatum primarum intemperie, oriuntur. Contagiosi occulti dicuntur, qui externi cujuspiam veneni occursu & contagione primum contracti sunt, ut stupor à torpedine pisce, vel ab opio, hydrophobia, & qui scorpionum bestiarumque venenatarum morsu vel telorum *Non manifestus,*

rum

rum veneno infectorum ictu fiunt. In horum censu jure numeranda venit lues venerea. Cum enim neminem unquam hac lue labefactaverit inquinaveritve aëris inspiratio, nec multos communiter illa invadat; non potest inter Epidemicos morbos censeri. Cumque nec alimentorum impuritate nec vitio sit orta, non numerabitur in venenatis. Restat igitur ut habeatur inter contagiosos quorum peculiaris est sua cujusque causa. Et licet fortassis ab externis hæc causis primum originem non habuerit; quoniam tamen hæc semel genita non nisi contagione postea afficit, contagiosorum more, contagiosus quoque morbus dicendus est. alioqui nec elephantia, nec qui luis venereæ & elephantiæ permixtione fieri possunt, inter morbos contagiosos recenserentur. quod tamen veterum auctoritas & usus coarguit. Itaque lues venerea totius substantiæ affectus est occultus & contagiosus.

Sed occultus.

CAPUT II.

Luis venereæ origo.

Ortus anno 1493.

ANNUS fuit à Christo nato post M. & CCCC. nonagesimus tertius (aliis secundus) cum irrepsit lues venerea apud Neapolim, primum in Gallorum exercitum. Unde à Gallis Neapolitanus, à Neapolitanis Gallicus morbus est appellatus.

Non peculiari ira Dei,

Hunc *iram Dei* Opt. Maximi interpretati fuut Theologi, cum hanc malorum à nobis morum pœnam exigi, hoc supplicium de scortatoribus sumi publice docuerunt. Hinc statim mira tam horrendum affectum superstitio excepit, indoctis quibusque hominibus & mulierculis ad Divos nescio quos vota sua referentibus, opemque ab iis poscentibus.

Nec siderum aspectu,

Non defuerunt etiam Astrologi & Meteorologici, qui morborum popularium causas altius repetentes, insolentem quandam *siderum constitutionem*, ac binas solis eclipses, aëri inquinamenta quædam respergentes accusarunt, Epidemicumque hunc affectum dixerunt: quorum etiam opinionem plures Medici postea sunt secuti.

Sed contagio,

At ego vel ab insulis quibusdam Americis, in quibus populariter affectum hunc grassari audio, per Hispanos in Gallorum exercitum vitium allatum crediderim: aut illic certe scorti cujuspiam magna impuritate contractum. cujus dein *contagio* in omnem Europam, Asiam, Africam, & extremam Indiam defluxerit, omnemque orbis partem, quæ nostratum commerciis utitur, impleverit. Etenim si Epidemicorum morborum conditione, à certo astrorum influxu derivata est hæc lues; quomodo paucis diebus plures non afflixit, tandemque tempore desiit? Ita enim pestis illa Anglica hoc seculo nata sæpius jam & invasit, & exstincta est penitus. Ita morbi omnes Epidemici ab Hippocrate celebrati: ita exanthemata & ecphymata ortus & interitus sui cursum semper absolvunt. At aut ab uno aut admodum paucis apud Neapolim originem habuit lues venerea: cujus contagio hactenus serpsit in reliquos, nec tempore desiit. Itaque accusanda hoc loco multorum credulitas, qui multas se in cœnobiis virgines arcte conclusas hac lue labefactatas vidisse scripserunt sine viri consuetudine, & impuro contactu, sola inquinatas aëris inspiratione.

Non alimentorum vitio.

Non minus explodenda est illorum opinio, qui *alimentorum impuritate* & vitio luem hanc sæpius oriri contendunt. quasi vero nunquam antea putridis & vitiosis alimentis usi sint homines sine lue venerea: aut hæc in plebeios tantum & infimæ sortis homines vitiosis plerumque cibis victitantes, non autem in magnates & reges ipsos selectissimis cibis utentes, grassata sit.

Nec mitescit indies.

Multi etiam luem hanc indies mutari, & ita inclinare atq; consenescere, ut sit posthac brevi finem habitura, litteris prodiderunt. Ajunt enim, cum primum oriretur, tanta fuisse fœditate, ut quæ nunc grassatur, vix illius generis esse putetur. Ulcera erant innumera, in quernæ glandis speciem & magnitudinem aspera, exporrectaque: spurcus ab iis profluens humor, fœtor vero tantus exhalans, ut cujus nares attigisset, is infici mox crederetur: color pustulis ex nigro virescens, ipso aspectu non minus ægros quam dolore cruciabat. Fugiebant idcirco omnes ejus aspectũ, nedum contactu ab-

abstinebant, ut morbi præterea nullius. Quæ vero secuta est, & jam passim vagatur, pustulas quidem habet paucas, ut & ulcera; dolores autem atroces cum tuberculis scirrhosis ea, ut fœditate tolerabilior; ita certe doloribus & cruciatibus immanior evasit. Id vero minime senescentis luis naturæ & conditioni tribuerunt, sed præposteræ multorum curationi. Adeo enim est hæc lues mortalibus formidabilis, ut vel illius A minima suspicione confestim ad remedium ex hydrargyro concurratur. quod sane pustularum ardorem extinguit, exsiccatque ulcera: at destillationes, articulorumque dolores adauget. Itaque hanc, nisi Deus Opt. Max. sua clementia ipse extinguat, aut effrenem hominum libidinem temperet, nunquam extinctum iri, sed fore humano generi comitem, & immortalem, crediderim.

CAPUT III.

Luis causa efficiens ex nonnullorum opinione.

De causa luis opiniones variæ sunt.

DIximus de luis origine & externa occasione. Jam de efficiente causa cujus A ad curationem inprimis est necessaria cognitio, accuratius differendum. Hujus quidem natura & essentia quæ sit, quæ qualitas, quantæ jamdiu, quamque odiosæ concertationes, quot opiniones, quam maxime à Neotericis agitatæ & summa discordia conversatæ! at nondum tamen definita quæstio est.

Alii statuunt esse hepatis intemperiem siccam.

Alius enim, *hepatis intemperiem valde siccam* & paulo calidiorem per contagium impressam, arguit, ac eam primum quidem simplicem, deinde vero, increscente humore B noxio, compositam: qui in carnes ac corporis habitum à natura propulsus, & continuum solvat, & pustulas ulceraque excitet, dolores, tophos, aliaque incommoda innumerabilia accersat.

Rat. 1. Neque mirum videri debere, si medicamentis, quæ ad omnis generis intemperiem comparata sunt, hactenus non cesserit: quod omnis sicca intemperies partis alicujus nobilis maximeque hepatis humidi primogenii plurimum absumat atque dissipet: nec nisi arte summa & summo remediorum usu tolli, emendarive possit; cum C reliquæ omnes intemperies facile corrigãtur.

Rat. 2. Intemperiem calidam esse, à natura rei cognosci, & ab ejus efeectibus. Siquidem pustulæ & ulcera, quæ in hoc sunt morbo, duritiem habent insignem: durities autem fit vel à pituita crassa, vel à melancholia. At pituita crassa facta non corrodit. Erosiones enim, quæ cum duritie affligunt, sui causam materiam crassam & densam agnoscunt. Adhæc materia tenuis erysipelata vel herpetes excitat: ulcera autem luis profunda sunt & cava. Denique luis venereæ ulcera iis tolluntur remediis, quæ veteres Arabes ad ulcera à sicca & torrida materia compararunt. Quocirca à materia calida sicca & densa emergunt.

Hæc autem materia non potest aliunde peti quam ab hepate: siquidem medicum est theorema: Actione aliqua per corpus totum æquabiliter læsa, principium ejus naturale necessario esse male affectum. neque enim (quod exempli causa dictum sit) motu & sensu totum corpus privari potest, illæso cerebro, motus & sensus principio: neque asphyxia, id est, summa pulsus imbecillitas, in toto corpore deprehendi potest, illæso ejus principio corde. Sic profecto vitiato sanguine in omnibus corporis partibus, necesse est hepar læsum esse, & cujusmodi est sanguinis vitium, talem quoque esse jecoris noxam. At omnes eo morbo affecti, lividi fere & subnigri cernuntur, floridumq; tum faciei tum reliqui corporis amittũt colorẽ, quo fit, ut sanguis in hepate gignatur crassus, densus & mordax, qui postea in superficiem protrusus, eum colorem invehit. nã talis est cutis in superficie, quales sunt humores in intimo corpore exsuperantes: nisi ad profundum frigore aut alia occasione decubuerint, recesserintve. Rat. 3.

Alii, esse humorum affectionem malignam.

Alii omnes in hoc conveniunt, *quatuor humorum exustionem* & malignam quandam affectionem, antecedentem causam esse luis, dum nec dolores, nec pustulas excitat: conjunctam vero & continentem, dum illa jam protulerit: humores autem in hunc modum vitiari atque corrumpi, scilicet, vel

vel

vel aëris vitiati atque corrupti inspiratione, vel cibi cacochymi & aquæ corruptæ usu, vel certe alterius inquinati cujuspiam contagione atque congressu.

Alii, esse sanguinis suppurationem.

Quidam nihil aliud esse scripsit, quam depravati *sanguinis suppurationem*, quæ post in tumores & nodos consiccata induretur, & cujus scaturigo à male affecto jecinore pullulet.

Refutatur prima opinio.

Horum rationes quam vim habeant, paucis excutiamus, ut veritas magis elucescat.

1. Ratio.

Intemperiem siccam luis causam non esse, ex invadendi serpendique modo conspicuum est. Omnis enim viscerum intemperies, præsertim vero sicca, paulatim contrahitur, idque vel potus penuria, vel rerum calidarum & & siccantium diuturno usu. Est enim siccitas patiẽs qualitas minimam vim agendi sortita. Atqui luis causa, quanquam non semper subito se prodit, sed interdum. ut rabidi canis virus, aliquandiu in nobis delitescit; repente tamen semper contrahitur, eo ipso die, vel altero, vel certe brevi admodum temporis spacio. qua parte contracta est, ea ulcere aliove symptomate certa de se indicia prodit, totumque corpus vel optime sanum pervertit. At poteſtne jecur tam cito siccescere, humidumque ejus primogenium absumi, & retorridus in eo genitus humor in corporis ambitum propelli? quænam ista, aut in quo alio morbo tam repentina perspecta est humorum secretio, genitave intemperies? In febre quidem pestilenti, dum inquinati aëris inspiratione repente cordis spiritus contaminantur, lacessitum cor suæ affectionis indicia, carbunculum & bubonem, foras eructat. Ac minime tamen accensa aut resiccata sunt viscera. cor siquidem maligna quadam & inexplicabili qualitate obsessum sæpe prius extinguitur, quam viscerum temperies possit permutari.

Adhæc cedo, quæ intemperies unquam contagiosa visa est? *2. Ratio.*

Respondetur rationi tertia.

Neque vero si tubercula dura & ulcera exedentia luem veneream statim excipiunt, idcirco sane horum principium jecur sicca intemperie statim laborat. Ea quippe non tam à jecoris vitio & noxa, quam à malignitate causæ, quæ humores in sui naturam depravat, proficiscuntur. Itaque calida & sicca hepatis intemperies luis venereæ causa esse non potest. Indignum certe fuit tanti philosophi gravitate in re adeo aperta cæcutire.

Reliquæ opiniones negliguntur.

Aliorum ego omnium *opiniones*, quæ non nisi simplicem humorum corruptionem & exustionem proponunt, *nihil moror*: cum vel ipsis medicinæ tironibus ac tonsoribus notum sit, omnis generis ex humorum putredine morbos sine lue superioribus seculis grassatos fuisse: nec iis remediis, quæ humorum putredinem arcent & emendant, luẽ veneream bene unquam fuisse curatam.

CAPUT IV.

Vera luis causa efficiens.

Sed luis causa est venenata qualitas in humore.

Efficiens *luis venereæ causa* occulta est, & *venenata qualitas*, atque perniciosa labes, attactu & contagione contracta: quæ licet levis admodum & fere corporis expers sit, sensusque nostros effugiat: non simplex tamen, & solitaria existit, sed in humore, aut alio quovis corpore inhærescit; quo ut subjecto quodam & vehiculo utitur. Qui enim possit corpori nostro vim inferre virtus incorporea?

Contagio contracta.

Hujus perniciei vis & efficacia diutius aliquando in nobis delitescit, tempore tamen copiosis signis, & argumentis se prodit. Ut enim rabidi canis aut scorpionis, ita hujus venenum ab ea sede, quæ sit primum *contagione inquinata*, sensim in omne corpus spargitur, contagiosorum morborum naturam & conditionem imitatum. Maxime autem venereo contrahitur concubitu, à quo & nomen invenit, & ejus frequentatione propagata est lues in hominum genus, & ex unius impuritate & inquinamento sensim in universum orbem disseminata, miserabile scortorum flagellum. Itaque qui venereo complexu jungitur cum inquinata, à pudendis luem contrahit: nutrix, à qua infans pollutus lac sugit, à mammis: obstetrix: quæ infectæ parienti opem tulerit, à manu: infans à vitiata nutrice altus, nunc ab ore, nunc ab interioribus: condormiens inqui-

inquinato sudore diffluenti, à cute & à summis partibus: qui effusiore osculo salivam exceperit, ab ore.

Per corporis partem apertam, Hujus tamen veneni vis, quia est hebetior, non nisi *in apertam* nudamque *partem* sævit. neque qui jam inquinatus est, alium halitu solo, sed liquore de se in alterius corporis partem epidermide nudatam rejecto contaminat, à qua malum prorsus initium sumit.

Partium à quibus lues initium capit, aliæ aliis gravius vitæ discrimen inferunt. omnium exitiosissima est lues, quæ ab interioribus & reconditis visceribus, aut à partibus obscœnis inchoat: cæteræ leviores & minus periculosę. *Quæ deinde reliquas afficiat.* *Cuicumque particulæ lues primum insederit,* illic inhærescens pustulam excitat, interim & ulcusculum inde longius prorepens radices figit, sensimque partium continuatione interiora subit, & ex parvo initio, & quasi suscitabulo profecta, paulatim propagatur & invalescit; dum non spiritus modo atque humores, sed & carnem, & partes solidas omnes pervagetur, & ad extremum, ni medicamentum adhibueris, furore omne corpus vastet atque depopuletur. idque hac fere ratione.

Quo ordine, modoque, proserat. Cum virus, exempli causa, concubitu à pudendis madore perfusis initium habet; pustulas in his primum & ulcuscula evocat contumacia, malique moris. Vapor deinde aut spiritus ductu cavo pudendi introrepens (neque enim crebibile est, humoris quiddam eo subire) venæ cavæ sanguinem arteriæque majoris spiritum labefactat. tunc etiam bubo prorumpit in inguine: hinc vasis spermaticis, renibusque affectis, *Gonorrhœam,* *gonorrhœa* se prodit: qua virus velut eructando turpissime ejicitur. Cum exsecrandum malum jam jecur & ventriculum invasit; levis quidam alvi fluor suboffendit: moxque cum jecore sanguis polluitur, cujus cunctæ postea venæ participes fiunt: eoque in artus, in cutem, in musculos disseminato, compressum maleficium atque tacitum erumpit, pro siliuntque lividæ rubentesque pustulæ, *ulcuscula* crustosa & herpetes, *Vlcera,* nonnullis cava ulcera atque maligna, biliosis quidem phagedænica & exedentia, melancholicis cancrosa, pituitosis leviora, sed fœdiora, & humore quodam mucoso fœtidoque manantia; sanguineis

A crebriora carbunculi effigie: omnia quidem labris præduris, tumentibus, inversis, quę, exesa carne, ipsa etiam ossa depascunt, primum tenella, qualia sunt nasi & palati; deinde solidiora, quæ putria cariosaque tempore excidunt. Ab iis cum malum jam cerebrum, summamque corporis arcem obsidet, multa supervacua pro partis conditione pituitosa colligi necesse est: quæ si interclusa capite contineantur, magnum & acerbum *dolorem* commovent. *Dolorem;* Sin foras sub cutem capitis promineant, vel in articulos, vel artus deturbentur, cruciatus excitant immanes ac diuturnos, qui noctu maxime ingravescant; aut *tophos* præduros, scirrhosique tumores, *Tophos,* haudquaquam tamen doloris expertes, progignunt. Quanquam e-

B nim pituitosa videtur materia, veneni tamen maleficio perfusa acrimoniæ particeps est. Hinc sub ossium membranas se recondens, tum acrimonia, tum distentione dolorem excitat: in ossium vero substantiam per tenues quasi tubos sese inferens, illa diffundit, dilatatque in tumorem, quæ tandem carie consumpta putrescunt. Si minus acris materia & mordax cutem non exedit; ad *pilorum* radices effusa malignitate aut venenato vapore *effluvium* concitat: *Pilorum effluvium;* quo plerique visi sunt sine capillis, sine supercilio, sine barba, sine pilis; qui postea repullularunt. Cum tam multa ubique sint hujus perniciei signa, nullum tamen cernitur in urinis: neque ex iis quisquam aut hoc, aut aliud ullum veneni genus possit

C deprehendere.

Jam vero hæc paucula de lue venerea si acriore judicio studiose observaremus, cui non perspicua fuerit ejus pernicies? quis *eam veneni participem* inficiabitur? *Vnde quoque appareat eam venenatam esse.* Si enim minima ejus portio in totum corpus disseminata serpit non aliter, quam quæ à canis rabidi morsu infertur, possitne esse veneni expers? Non enim in externas duntaxat, quæ sub aspectum veniunt, verumetiam in interiores quasque partes, in ipsaque viscera penetrat, quæ dissectis mortuis comparent pustulis ulceribusque fœda. Itaque hoc in morbo, aliisque venenatis, plurimos videas captiosa eaque admodum inani ratione falli, quod dum vident symptomata hæc omnia cum humoris cujuspiam vitio insultare, nihil præter humorem inesse putant.

tant, nihil majus animo concipiunt, neque acriore animi acie perſcrutantur, num aliud quippiam in humore ſubſit, in quo præcipua affectionis cauſa conſiſtat: quale procul dubio, ſi ſenſu non cernimus, poteſt certe ratione ac intelligentia comprehendi, alioqui in maxima rerum ignoratione verſamur. Sed de his alias.

Qui ſint in luem venereum propenſi? Hanc luem nulli adnaſci, niſi contagio qui ſe polluerit, diximus. quod quoniam in concubitu ſolet evenire, pueros & ſenes aut alioqui coitus expertes rarius *occupat*: ſæpius & facilius, quo quis ſalacior, & in venerem eſt proclivior. qua de re & à partibus obſcœnis ſæpiſſime incipit; licet & interdum ex aliis pleriſque, ut dixi, locis expullulet, quibus labes contagioque fuerit aſperſa. Inquinatur autem duntaxat vel purus ab impuro, vel impurus ab eo qui ſit longe impurior: à ſimili vero, vel minus impuro nunquam. Æque impuros citra offenſionem congredi licet: & uterque tamen alium puriorem congreſſu labeſactat. Hauritur etiam interdum lues à ſcorto, quod nondum ſit inquinatum, cum quis cum eo voluntatur mox ab alio impuro ſcortatore. Impuritas non ex cute exſpectatur, quod ſæpe inveteratæ luis fermentum intus reconditum ſit, & ab ſtruſum.

Jam quos corripuit, ut quiſque vivit, ita eum aut cito *deſerit*, aut diu *tenet*, & in totum abſumit. *Quos maxime torqueat?* In Italia & Hiſpania, ac ſicubi præterea ſobrii ſunt homines, mitior: in Germania propter crapulam & victus intemperantiam, ut diutius hæret, ita prehenſos infeſtiſſime torquet, & acerbiſſime affligit: ſecundo loco ſunt Galli.

CAPUT V.

Luis ſpecies, ſigna & ſymptomata.

Luis venereæ nulla differentiæ, ſed tantum gradus ſunt. Luis differentias ſpecieſque nonnulli, quibus ſymptomatum quam eſſentiæ major cura fuit, varias multipliceſque ſtatuerunt. Una tamen & eadem eſt eſſentia totius: ſed *variis diſtincta ordinibus*, ut alia levior ſit, alia gravior. Eſt & corporum, in quæ illa incidit, permagna varietas. At utraque ex cauſa fit ut lues alia levioribus, alia gravioribus ſymptomatis exerceat.

Primus. Omnium *leviſſima* eſt ea ſpecies, qua ſolum capitis & barbæ pili ſenſim citra ullam corporis effuſionem defluunt. Ejus quippe virus in tenui quodam vapore conſiſtit, qui in corporis ſumma diffunditur, ad pilorum radicem. Atque ut ephemera febris à putrida, ita & hæc ſpecies diſtat à cæteris.

Secundus, *Altera* paulo deterior eſt, qua cutis univerſa crebris maculis minime tuberantibus aſpergitur, iiſque parvis, lentiginis inſtar, ac modo rubris, modo flavis: quæ non ante deleri extinguive poſſunt, quam morbi radix ſit evulſa. Hæc in tenuiſſimo ſanguine virus habet: quam nulla alia graviora ſequuntur ſymptomata.

Tertius, *Tertia* ſpecies gravior, ac jam vera lues eſt. Hac rubræ aut flavæ puſtulæ, primum quidem circa frontem ac tempora, poneque aures, dein in capite, atque etiam in reliquo corpore erumpunt, & extuberant rotundo ſchemate, ſiccæ, ſine pure, quæ dein ſicca cruſta obducuntur: atque ſi negligantur, ſerpunt in ambitum, excavantque cutem, dum ex puſtula verum ulcus fiat: quod fere virulentum eſt ac ſordidum. partes quæ ad podicem, nares atque fauces ſunt, quia tenellæ, omnium primę exulcerari ſolent. Emergunt autem hæc, cum jecur ipſum, atque ſanguinis humorumque maſſa labefactatur: à qua protinus carnoſæ molleſque partes detrimenentum capiunt.

Quartus. *Quarta* his ſpecies ſuccedit, cum jam invaleſcens lues ſolidas partes, oſſa, vincula, membranas ac nervos adoritur. In his jam vitiatis excrementa multa, craſſa quidem ac glutinoſa pro partis conditione, ſed tamen maligna congeſtione accumulantur. quæ nonnunquam in tendones, ſæpius inter oſſa & perioſtia confluunt. Hæc cum vel membranam ab oſſe divellunt, vel eam maligna acrimonia feriunt, cruciatus cient implacabiles, qui noctu fere ingraveſcunt. Ab his demum coagmentis præduri tophi, cum cruciatu multo graviore ſuccreſcunt. Eadem porro cum in oſſe figuntur, id

id amplificant, distendunt, atque exedunt, ut ejus sæpe deprehensá sit monstrosa figura. Tandem vero corpus vigiliis, dirisque cruciatibus confectum, & atrophia marcescens, vita destituitur. Quæ luis natura ac conditio, & quibus illa ordinis tanquam differentiis discreta sit, ex his constat.

Signa luis venereæ.

Jam certa *ejus signa*, quæ causæ efficientis symptomata sint sparsim propsita, seorsum enumeranda, & in epilogum coarctanda sunt. Itaque si capillorum aut barbæ defluvium citra morbum gravem & acutum incidat, & maculę exiguæ lentiginis † instar modo rubræ, modo flavæ per cutem universam exortæ sint, lues venerea contracta est. idque certius constat, si vel in pene, vel in inguinibus ἐπιφαινόμενον aliquod præcessit. Eadem sententia ferenda est, si rubræ, aut flavæ, aut lividæ pustulæ circa frontem & tempora, poneque aures, dein in capite, & podice, ac reliquo corpore extuberant rotundo schemate. quæ cum initio siccæ essent & sine pure: dein sicca crusta obducuntur aut etiam exulcerantur, excavanturque, & in ulces sordidum rotundum fere degenerant. Sed omnium harum pustularum & ulcerum ab aliis simplicibus distinctio vix plane & ad unguem literis explicari potest: oculorum intuitu & frequenti aspectione cognoscenda. Si dolores & cruciatus ingentes noctu ingravescentes non in articulis, sed in mediis artubus affligunt, in quibus etiam tophi præduri inter ossa & periostea ex crassa lentaque materia succreverint; aut etiam carie consumptum os est exesumque: lues jamdiu contracta est. Horum multis aut aliquibus tandem comparentibus, lues contracta intelligitur, & curatio maturanda. Multos video symptomatum multitudinem inter luis signa reponere. quæ quoniam illius propria non sunt; cognitionem interturbant, & tironum ingeniis nondum exercitatis & usu confirmatis caliginem offundunt. Quorsum autem attinet lassitudinem, prostratam appetentiam, somnolentiam, faciei pallorem, linguæ scabriciem, aliaque innumera, sine lue quotidie affligentia, inter luis signa recensere?

Quomodo ab aliis affectibus dignoscatur?

Jam vero cum clanculum sępe serpat lues, hæreatque in corpore diutius, nulli signis prædictis conspicua, illius *ab aliis affectibus internotio* atque diremptus accurate tradendus. Itaque cum ex dubiis signis de lue ambigitur, ejus origo est altius investigandą, & partes omnes adeundæ, à quibus initium habere potest. Et quoniam non nisi attactu contrahi potest: necesse est, ut labes aliqua in ea parte primum comparuerit, per quam insertum est virus.

Ex. grat. ab aliis doloribus?

Quendam exempli causa statuamus, multos jam menses de scapularum & occipitis *dolore*, noctu quam interdiu gravius affligente, conqueri: qui justis purgationibus & topicis remediis non cesserit. Cum dolor externus sine manifesto tumore aut abscessu tamdiu afflixerit, frigidum ex capite humorem eo confluere sensim, aut certe partis vitio & imbecillitate gigni cumularique necesse est. Qui tantum à visceribus in partes externas pellitur noxius humor, sive tubercula aut pustulas excitet, sive scabiem, sive per universum corporis habitum diffundatur, dolores non efficit tam atroces, non noctu excandescentes, sed qui duntaxat circa partes membranosas cumulatur. Luis enim initio ex interioribus noxia materia ad cutem pellitur: quæ postea in tubercula & pustulas erumpit: nullus tamen ante affligit dolor, quam circum membranas venenata qualitate jam perfusas vitiosus humor *venenata* & maligna congestione coacervatus fit. Et in hydrope anasarca, licet totius corporis habitus cruciatibus distendatur, nullus tamen, aut obtusus admodum dolor est: ut nec in tumoribus pedum œdematosis, circa finem diuturnarum febrium contingentibus. Utrum vero frigidum hunc humorem simplex partis intemperies cumulet, an qualitas potius maligna ei perfusa, investigandum diligentius. Perscrutandum ergo, num ante hos dolores quidquam in partibus obscœnis comparuerit. Emergunt autem in his pustulæ, ulcera maligna, virulenta gonorrhœa, & inguinum bubones. Hæc tametsi nondum lues venerea dicuntur, sunt tamen rudimentum, & veluti character ejus impendentis. quorum si quippiam præcesserit, quod postea quibusdam remediis fuerit,

† J. HEURNIUS. Ad sentiginem Veneream & exanthemata & maculas usus fuit. ℞ *Vnguent. resat. ol. amygdal. dulc. q. v. adde tuthia præparat. lythargyr. plumb. usti; an. q. s.*

rit ſublatum, quoniam tamen ſcapularum dolores diutius perſeverant, venenatæ cujuſdam qualitatis inde relictæ ſuſpicio eſſe debet: quæ ſolidas partes jam obſidens, ac illarum concoctionem pervertens, excrementa multa congerit, eaque craſſa & maligna, quæ doloris cauſa ſunt efficiens. & hic communia omnia deſtillationum remedia conveniunt. Si vel in faucibus, vel in ore, ulcus, vel excoriatio, aut quavis alia corporis parte contagione aliquid inhæſit, eadem eſt ferenda ſententia. Licet enim reficcatum fortaſſe fuerit ulcus, non eſt tamen mali radix evulſa, ſed ſenſim interiora vaſtans, tempore ſui teſtimonia profert. Suſpicionis porro occaſionem confirmabit, ſi circa os tibiæ, aut brachii, aut frontis, aut alterius partis alicujus, humor in callum aut tophum concreſcens, nocturno dolore fatigans, exſtiterit. hic enim non aliunde naſci ſolet: & huic morbo familiaris eſt. Quod ſi prætereа inunctiones ex hydrargyro æger expertus eſt: multo erit certior cauſæ interioris conjectura. At vero ſi iſtorum nihil præceſſit, ſed ſolitarius dolor eſt; cauſæ internotio difficillima exiſtit: quam tamen hac ratione aſſequi licet, ſi dolor, cujus cauſa inveſtigatur, vel in articulis, vel mediis artubus & muſculis ſedem habet. Qui in articulis, vel circa hos exiſtit, fixuſque eſt: non Venereus, ſed vel Arthriticus, ſi conſuetus eſt, ex intervallis repente invadit, paulatimque ſolvitur: vel à ſimplici eſt defluxione. Non enim Venereus dolor articulos (id pace multorum dixerim) ſed medios artus obſidet. In quibus etiam diximus plerumque tophos ſuccreſcere, maxime vero in fronte & capite, in clavibus, in medio humeri radio, & cubiti oſſe, in parte priore tibiæ: nonnunquam & in aliis quoque oſſibus. Jam vero ex iis qui in mediis artubus fiunt, qui brevi parvoque tempore exoriuntur, à defluxione ſimplici ſunt, quæ repente è capite eo labi ſolet: cujus atiam fons antea fortaſſe fuerat. Qui vero ſenſim multoque tempore procedunt ab eo excremento, quod pars male affecta paulatim congeſſit, Luis materiam redolent. atque idcirco cunctandum eſt, dum alia ſe produnt ſymptomata. Neque enim incogniti & nondum plane perſpecti affectus tentanda unquam eſt curatio. Solent enim complures admiſſum ſcelus conſtanter donegare, dum dolorum vehementia, & ingenti ſyptomatum turba convincantur. Sed de his ſatis.

Iam agnita Luis tradenda curatio.

CAPUT VI.

Curatio per hydrargyrum.

Qua illi initio adhibita cura fuerit?

QUI omnium *primi* tetri hujus & immanis morbi curationem ſunt agreſſi; neglecta ejus eſſentia, horum duorum ſymptomatum, tuberum nempe, & ulcerum, tantum *curam habuerunt*. Ac primum cum illa corpus depaſcebantur, *cauſticis* comburere conati ſunt. Dein quia uno exſtincto, nova renaſcebantur; permulta excogitaverunt unguento eodem reſtringuere omnia, in aliarum puſtularum & ſcabiei modum.

Per cauſticis.

Aliter atque aliter hoc tentabant, verum nullo quiſquam effectu, *argentum vivum* qui non addidiſſet. Hujus enim uſum avi noſtri ex Arabum ſchola deduxerunt: quos conſtat hydrargyrum ad ulcera maligna & cacoëthea coërcenda, atque ad ſcabiem omnem ſiccam feliciter uſurpaſſe, Itaque eo cum aliis quibuſdam oleis & pulveribus in unguenti formam concinnato, inungebant brachiorum & crurum juncturas, alii & ſpinam, & cervicem: nonnulli etiam tempora; item & ventrem: atque iterum alii univerſum corpus. Quibuſdam ſemel die, quibuſdam bis: nonnullis tertio iterum die, nonnullis quarto. Claudebatur æger in æſtuario, quod calebat aſſidue atque intentiſſime, alii viginti, alii triginta totos dies, nonnulli plures. perunctum lecto, qui intra æſtuarium ſternebatur, apponebant, ac multa ſuperjecta veſte ſudare cogebant.

Per argentum vivum.

Empiricam hanc curandi rationem hactenus ſecuti ſunt medici & chirurgi fere omnes, non ſine magno Reip. detrimento. Tanta ſiquidem hujus unguẽti *crudelitas* eſt, atque

Quam crudelis hac ſit?

atque ferocia: ut ſecundo ſtatim aut tertio die langueſcere incipiat æger. quippe, quod in ſummo corpore eſt, & in toto corporis ambitu, ſumma ſua tenuitate colliquat ac diſſolvit, ac tandem extrema refrigerandi, qua pollet, facultate ad interna repellit: inde in ventriculum, & thoracem: è quibus deinde ſurſum partium continuatione ad gulam & os compellit, tanta tamque violenta injuria, ut dentes, quibus, ut & cerebro, peculiariter inimicum eſt, ſtatim omnibus vacillent, ac nonnullis lividi decidant omnes. Quædam è corpore per ſudores diſſipat: quædam purgatoria vi in alvum deturbat magnis torminibus. Atque ut paucis complectar, omnibus certe, qui ita curantur, exulcerantur fauces; lingua, & palatum intumeſcunt, gingivæ, dentes vacillant: ſputum per ora ſine intermiſſione profluit, omni prorſus fœtore olentius, tanto contagio, ut labia ejus contactu ulcus contrahant, & intus buccæ ulcerentur. Frigefacto ſtomacho, & turbato fœtore appetentia cibi deſtituuntur ægri: cumque ſiti intolerabili crucientur, vix tamen bibere poſſunt, os alioqui totum uno occupante ulcere. Quinetiam lingua balbutiem, aures ſurditatem contrahunt nonnullis immedicabilem. Fœtet omnis circum habitatio.

Quam infida?

Atque adeo durum eſt hoc medicationis genus, ut perire morbo complures malint, quam tanto periculo, tam acerbo diſcrimine levari, quanquam vix centeſimus quiſque levatur, *recidivo ut plurimum ægro*. Recidiva raro ſimilis eſt radici: neque iiſdem ſymptomatis exercet, ſed fere deſtillatione, arthritide, tophis vel oſſium carie. Neque pari contagione eos, cum quibus ſocietas eſt, afficit; quod humoris furor, & impetus, illis auxiliis repreſſus fit, etiam nondum mali radice revulſa. tempore ſiquidem ea revireſcit, recurritque interdum poſt annum vigeſimum, aut etiam trigeſimum: tantoque intervallo mali fomes, quaſi ſepultus deliteſcit. Et nihilominus, qui tum expertes mali, prorſuſque expeditos ſe putant, alios cum quibus concubuerint, contaminat, prolemque gignunt ea lue conſperſam; indicium ſane, tum tempus mali fermentum in venis, in ipſiſque partibus reſervari, &, ut dicere ſolent, in ipſis quaſi medullis deliteſcere.

Qua & ab imperitis ut plurimum administratur.

Eſt igitur omnium curationum acerbiſſima, quæ hujuſmodi perunctione fit: & in ea miſerrimum hoc quoque eſt, quod plerique omnes qui ſic medentur, *medicinam non callent*, ſed ut audaciſſimus quiſque aut in aliis vidit, aut ipſe tulit, ita medicum agit, uno quopiam ad omnes unguento utens, &, ut ille ait, uno collyrio omnes perſanans, nullius neque temporis, neque corporum qualitatis habita ratione. Si quid accidat interim ægro conſilii inopia, quid ſuadeat non habens, morbi pervicaciam & malignitatem arguit, quæ non niſi iterata unctione tolli poſſit. Hinc alius bis, alius ter aut quater, nonnulli decies, alii etiam undecies aut duodecies eam curationem experiuntur, tanta cum doloris acerbitate, & malorum acervo, ut credi poſſit, nimium vivendi cupidos, qui non mori maluerint, quam ſic vitam proferre.

Summo cum ſanitatis & vitæ periculo.

Multis namque ad vertiginem, quibuſdam ad inſaniam uſque infeſtatur cerebrum poſt curationem. Tremunt multis non manus tantum, ſed pedes etiam, & univerſum corpus, aliis quidem ad annos aliquot, aliis ad omnem vitam. Multos in media curatione interire vidimus, dum carnifices illos hypocauſto plus æquo calido includunt: in quo illi ſalutis, quam ſic adepturos ſe eſſe ſperant, ſtudio patientius conſiſtunt, donec reſolutis caloris vehementia ſpiritibus, ac defectis cordibus, mori ſe non ſentiant. Alios vidimus, intumeſcente ad fauces gutture, cum exitum non haberet ſanies & ſpiritus, ſuffocari: quoſdam cum mejere non poſſent, alios exorta dyſenteria ac febre, mori. Omnino pauci ita convaleſcunt: iique validi, ac robuſto corpore, quibus malum inter initia conſiſtit, ſoluſque corporis ſpiritus vel humor, non autem partium ſubſtantia obſidetur. atque illi hoc periculo, hac amaritudine, his malis affliguntur. Nam cum initium præterlapſa lues ipſam jam partium ſubſtantiam obſidet; ut argentum vivum puſtulis, ulceribus, tophis, doloribus, aliiſque ſymptomatis tanto periculo opem ferat; mali tamen radicem haudquaquam evellit. Et ſi quod juvamentum ejus adferat uſus; id profecto vix ad paucos menſes, ne dicam dies, durare conſuevit.

Pro

Quamvis eam quidam pertinaciter defendant.

Pro hac tam acerba, tamque periculosa curatione, Chirurgi naturæ arcana penitus (si diis placet) intuiti, veluti pro aris & focis decertant. Nec inventa meliore fruge, glandibus etiamnum vesci desinunt, veriti, credo, ne vel ipsis de suo aliquid decedat lucro, vel à junioribus aliquid didicisse videantur. His ego ad Solem cæcutientibus longum Vale præfatus, quæ de hydrargyro sentiam, paucis exponam.

CAPUT VII.

Hydrargyri vires.

Hydrargyrum purgat.

Hydrargyrus summa partium tenuitate præditus, tantam *vim purgandi* sortitus est, ut ne ustione quidem ea spoliari privarique possit, sed, quod aliorum purgantium nulli concessum video, in ejus cinere supersit ea multo etiam quam antea vehementior. Purgat autem peculiari & sibi insita proprietate crassum lentumque mucum, atque ipsam pituitam, deinde consecutione quadam bilem utramque.

Partes dissolvit.

Crassum hunc lentumque mucum cum ex corporibus vel exquisite sanis eo perunctis detrahat, tendones, membranas, nervos aliasque *partes solidas dissolvere* videtur, atque propriam ipsorum substantiam colliquare, & in eam materiam convertere, quam ex ore stillare manifeste cernimus: carnosas vero & molles in sudores digerere, totiusque corporis constitutionem adeo pervertere, ut diu postea non nisi crassum lentumque mucum vel ex puris alimentis proferat. Sed ne ossibus quidem, si quis sæpius unguine ex eo illitus fuerit, vel ejus vapore aut cinnabaris ejus sobolis suffitu, pepercerit. Siquidem dentes eo sæpius inuncti statim postea vacillant & livescentes marcescunt, alia vero crassiora cariem parte quadam contrahunt, quam ferro excidens guttulas argenti vivi tremulas non raro ipse comperi.

Purgat autem præcipue salivatione.

Quanquam autem, ut & reliqua omnia validiora, ita hydrargyrus nonnunquam supra & infra vacuat, non intra corpus modo assumptus, sed etiam foris inunctus; maxime tamen & propria vi supra purgare natus est, & humores omnes, præsertim crassos & lentos, ex corporis ambitu, & universa mole, primum in ventriculum & pulmones regerere, ex his deinde in fauces, tandemque in os compellere, non quidem vomitione, sed continua mucosi sputi profusione. Unde & Salivatio vulgo dicta nova hæc & veteribus intentata purgationis forma. At hæc quidem foris inuncto hydrargyro, nunquam intro sumpto, tentatur purgatio. quæ quoniam inchoata semel in multos dies velis nolis producitur imbecillis viribus, quisquis illam promoverit; in certum vitæ discrimen laborantem adducet.

Judicium de eo Dioscoridis.

Recte *Discorides* argentum vivum, seu factitium ex minio, quod cinnabaris dicitur, sive minerale in argenti fodinarum tectis stillatim concretum, aut per se in metallis repertum, potum, vim pernicialem habere censuit: ejus usu gravissima fieri tormina, interna exedi & exulcerari, urinam supprimi, corpus intumescere, plumbeamque deformitatem concipere testatus.

Galeni,

Ac *Galenus* suspectum ejus usum ita merito abhorruit, ut, interimat, necne, sumptus vel admotus, periculum nunquam facere voluerit: nec denique ex veteribus Græcis in medicinæ usum tam periculosum pharmacum inducere quisquam est ausus.

Arabum,

Quod igitur ex *Arabum* medicorum sententia à multis argentum vivum vel extinctum cum aliis sumi intro posse dictitant, suaque, ut interpretantur, instabilitate & gravitate, mox ut ingestum est, ad alvum devolvi, reddique sincerum, nullo ventriculi aut interaneorum vulnere, minime recipiendum censeo. Multo minus vero consentit, quod *Antonius Musa* multis literarum monumentis clarus scriptum reliquit, infantium lumbricos argento vivo propinato tuto sese enecasse professus. Nec, si puerorum pediculos unguento ex hydrargyro in capite, parte nervosa & frigida, mulierculæ nullo discrimine interimunt, idcirco sane statim licuerit argentum vivum, cujus solo vapore non homines solum perculsi, sæpe stupidi ac prorsus veternosi red-

Brassavola,

redduntur, sed aves quoq; omnes repente mortuæ concidunt, intra corpus assumere.

Fernelii: id exterius, non interius sumi posse probatur.

Quid igitur de his sentiam, expertusque sim, paucis complectar.

Equidem tam mihi peccare videntur, qui hydrargyrum quovis modo præparatum tuto ore porrigi posse contendunt, quam qui venenatum adeo & humano generi ita periculosum existimant, ut à remediorum etiam externorum censu prorsus sit expungendum. Nam tametsi fortasse intro sumptum, ventriculum & interanea pondere non exulcerat, sicut neque plumbei sclopetorum globuli, (siquidem hi diu interdum in corpore hærent sine incommodo, dum sibi viam & exitum pondere suo pararunt) alia tamen ingenti frigore, quo os præsertim ventriculi lædit, alia, eaque multo graviora, venenata sua qualitate ac malignitate symptomata concitat, iis non dissimilia, quæ sumpto pulvere plumbi amicus quidē meus his diebus expertus est.

Exemplo alicujus qui plumbum sumserat.

Erat is distillationi à capite interdum in cervicem & scapulas, interdum in pedum articulos obnoxius: qua tamen superveniente justis vacuationibus haud ægre liberari solebat. Huic à me jam doloribus liberato, Empiricus quidam *plumbi pulverem* adversus Arthritim ita commendavit, ut in eo solo ejus recurrentis præcautionem positam esse statim persuaderet. Cujus idcirco usum amplexus, pulveris ejus sesquilibram ex jusculis, ex vino & piris coctis, aliisque cibis, facchari loco dierum quindecim spacio absumpsit. Sed dii boni! quot quantaque incommoda statim persensit! Dysenteria crudelis febri stipata die duodecimo exorta est cum gravissimis non ventris solum, sed & ventriculi torsionibus, ad eam spinæ dorsi partem, in quam os ipsius incumbit, pertinentibus. Ventriculi tanta dissolutio, tanta oris oblæsio, subsecuta est, ut ne contactum vel blandissimum ferre posset. Et quæcunque ingerebantur, vel in plumbeum nidorem, vel in mucorem tenuissimum versa mox revomebantur. Inde ructuum tanta edebatur copia, ut in flatus omnia abire viderentur. Sedata dysenteria, graves illi ventris, lumborum, & ventriculi cruciatus dies viginti perseverarunt cum incendi interni molestissimo sensu, totidemque noctes peregit insomnes. Atque hoc temporis intervallo licet sitis ipsum non valde exercuerit, appetentia tamen semper prostrata jacuit: nec alvus quidquam nisi vel clystere, vel cathartico medicamento proritata reddidit: & quæcunque tum infra, tum supra, aut sponte, aut artis beneficio prodiere, plumbeo colore infecta erant omnia; suam illam qualitatem internis partibus pertinaciter adeo impresserat. Interim exorta ictero corpus totum fœdatum apparuit, ac sanguis, fedata dysenteria ad febris curationem reserata vena detractus, totus flavus, biliosus ac spumosis deprehensus est. Hæc tam gravia tamque periculosa symptomata si plumbum non tam pondere aut insita frigiditate, quam occulta quadam eaque inexplicabili malignitate, oblæsis visceribus inferre animadvertimus, quid de hydrargyro intro sumpto censendum putemus?

Quicinnabarin,

Pictor quidam Andegavensis annos natus XXX. firma ac laudabili corporis constitutione non ita pridem hic agens, anno M. D. LVII. manuum digitos graviores solito, torpidiores ægriusque mobiles percipiens, paucis post diebus contrahi illos, convellique sensit: atque sensim indies magis ac magis aucta affectio est; dum incurvi illi, pæne inflexibiles manerent. Quin & carpum, & brachia pervasit affectio, dum nervis tendonibusque infrigeratis, humoreque crasso imbutis, admodum torpida, convulsa, graviaque redderentur. Haud multo post idem pedes vitium sensere, sublata incedendi potentia: in his tamen, ut neque in brachiis, neque in manibus, non admodum vehemens dolor affligebat. Misellus hic tot malis non satis, credo, divexatus, aliud symptoma longe gravissimum ac crudelissimum incurrit. Dolor enim acerbissimus atque atrocissimus ventriculum atque hypochondrium utrumque occupare cœpit, sed qui ad totum ventrem pertineret. cui, cum nec noctu, nec interdiu intermittebat. clysteribus, fotibus, balneis, ac aliis quibusdam remediorum generibus, sed frustra, levatio quæsita est. Unicum tantum in accessione inventum est solatium, tres quatuorve robustos homines ventri superpositos sustinere. Compresso siquidem ventre, paulo mitior cruciatus erat. Ubi sex, octove dies, nonnunquam & duode-

decim miſer ille adeo fuerat diſcruciatus, ſenſim abeunte dolore, languidus quidem ac pene moribundus cernebatur, ſed qui ſtatim reſtituta appetentia vires aliquas reciperet, dum alia rurſus ſimili acceſſione correptus proſterneretur. Viginti enim non amplius dies intermittebat. Atque in acceſſionibus alvus, ne validis quidem proritata medicamentis, quidquam demittere poterat quod ſi quando contingeret; nigrum omnino ac lividum ſtercus erat. Sed & intermiſſionibus, quæcunque purgantium medicamentorum vi detrahebantur, atrabiliaria omnia ac ſplenis purgamenta judicari poterant. Adhibiti ad tanti mali expugnationem celeberrimi quique Medici, brachiorum & pedum reſolutionem ad cinnabrium, quo pictores non raro utuntur, referendum putaverunt. Cum enim penicillum ille ſæpe digitis extergeret, iis inhærens cinnabrium ex hydrargyro facticium, partium continuatione vim ſuam in cerebrum, cui, ut & nervis & tendonibus & membranis omnibus, inprimis inimicum eſt, tranſmiſit. in quo frigefacto pituita multa tandem collecta eſt, quæ poſtea in tota brachia & pedes influens, eorum tendonibus & nervis ſymptomata iis non diſſimilia, quæ unguento ex hydrargyro perunctis accidunt, excitavit. Et hæc ſana fuit, me judice, ſententia.

Ignaris id medicis & in diverſas opiniones euntibus

At in doloris illius atrocis perveſtiganda cauſa quandiu laboratum eſt? quot habitæ concertationes? quam varia fuerunt Medicorum judicia? *Alius* frigidam vitreamque pituitam inteſtinis firmius inhæreſcentem quam ut facile poſſet detergeri, in flatus reſolvi, doloremque colicum excitare contendebat. *Alius* bilem acrem, quam natura in inteſtina expurgare debuerat, inter abdominis membranas effuſam, illicque coërcitam, certis cruciatibus invaleſcere, intumeſcere, & quoquoverſum furibunde moveri judicabat; atque in ipſo motus impetu, tum diſtentione, tum compunctione membranarum, crudelem illum dolorem excitare. *Alii* denique alias cauſas aſtruebant: quas ſupervacaneum fuerit recenſere. Etſi autem unuſquiſque poſitæ à ſe & probabilibus conjecturis inventæ cauſæ remedia appoſuit conſentanea; nullus tamen potuit dolorem non dico in tollere, ſed ne aliqua ex parte quidem minuere, vel acceſſiones ejus breviores aut tardiores efficere. Immo vero annos tres crudeliter excarnificatus, exſanguis tandem ac plane tabidus vitam cum morte commutavit.

Quod tandem cadaveris diſſectio oſtendit.

In diſſecto hujus corpore ſingula ad cauſæ inveſtigationem inſpicientes, jecur, lienem, ventriculum, & renes naturalem conſtitutionem præ ſe ferre vidimus: nulla in cyſti fellis obſtructio: nulla in meſenterio humoris vitioſi congeſtio: nihil denique in ulla alia parte notari potuit, quod tantorum fuiſſet malorum cauſa. Omnes ſiquidem longe aberamus à ſcopo, & tota, quod ajunt, via errabamus. Cum enim penicillum non digitis modo extergeret, ſed etiam imprudens & incautus ore exſugeret, veriſimile eſt, ut è manuum digitis, partium continuatione, cerebro, totique generi nervoſo, communicata fuit cinnabaris, ita ore acceptam ventriculum, & inteſtina; membranaſque omnes interiores non humectaſſe ſolum aut frigefeciſſe, ſed inexplicabili vitio, & maligna quadam qualitate, quæ oculorum refugit obtutum, infeciſſe; quæ tantorum dolorum cauſa occulta fuerit: cui non tam purgantibus, quam contraria erat antidoto ſuccurrendum. Sicuti dolores his non diſſimiles plumbei pulveris uſu concitatos, cum nullis purgationibus cedere viderentur, balneorum & lactis aſinini uſu curavimus.

Ratum ſit igitur, argentum vivum & plumbum incomprehenſa ſua qualitate venenata, inexplicabilia vitia partibus internis inurere, unde vix unquam expediri queant: nec intra corpus unquam ſumi debere.

Probatur idem Exemplo Alpinorum, qui bronchocele laborant.

Quod & alia obſervatione conſtat. Populi, qui ad Alpes habitant, *bronchocelis* turgida guttura habent: id quod & nos aliquando vidimus, & veteres etiam complures litteris prodiderunt. Id autem illis vitium peculiare eſt, quod Alpes metallorum venis, maximeque argenti, abundant, per quas aquarum ſcaturigines emanant. aquæ autem vitioſa hydrargyri facultate imbutæ ſuos tumores proferunt, quæ & dentibus, & toti cerebro non parum obſunt. Qua ex cauſa veteres multos fontes notarunt, ex quibus qui biberant, alii intra biennium, alii citius vitam amittebant.

Quan-

Exterius autem quomodo usurpari possit. Quanquam tamen hydrargyrus externis affectibus sæpe auxilio fuit: quippe qui sanguinis incendium, bilis ardores exesionesque foris admotus mitiget, sistat, atque compescat, ex iisque nata ulcera persanet: Quocirca ad cohibendam omnis generis serpentem scabiem siccam ad lichenas, ad psoram, ac lepram, affectus sane perquam rebelles, nec aliis quantumvis accommodatis remediis obsequentes, magno profectu illud aliis rite permistum, ut proprio dicetur loco, usurpavimus.

Sed de his satis. Jam *de primis qualitatibus.*

Argentum vivum frigidum est & humidum. Argentum vivum aliud ex plumbo, aliave materia fieri, aliud ex argenti fodinarum tectis stillatim concretum inveniri, inter omnes constat metallicæ rei peritos scriptores. Verum de ejus temperie non parum inter se Medici dissentiunt. Aliis frigidum & humidum, aliis calidum & siccum existimatur.

Rat. 1. Qui de fodinis inveniundis, ac de ipso in illis legendo observationes litteris mandarunt, montes locosque omnes in quibus abstrusus delitescit hydrargyrus, ineunte vere crassis densisque vaporibus ac nubibus circundari, altius ob sui gravitatem ascenre nequeuntibus, *vixque unquam aquæ penuria*, vel media æstate, *laborare prodiderunt.* Idcirco arboribus plurimis illa loca luxuriant, & herbis variis decorantur, alias viriditate & venustate facile superantibus. Sua enim frigiditate ac humoris multi copia æstatis æstum & siccitatem hydrargyrus contemperat. Contra sulphur, vitriolum, & sal calore suo & siccitate arida omnia & sterilia vicina loca reddunt. Adhæc arbores ad fodinas argenti vivi tardius multo quam aliis in locis folia emittunt, & vix unquam flores edunt: qui si forte aliquando erumpant; fructus certe ad maturitatem pervenire nequit. Postremo in fodinis qui hydrargyrum legunt, aut præparant, nisi prudenter & caute se gerant, in nervorum contractionem facile incidunt. Et hęc quidem, quæ vel rei Medicæ ignaris experientia quotidiana innotuerunt, hydrargyrum frigidum & humidum esse testantur. Sed ad alia pergamus.

Rat. 2. Argentum vivum aliud facticium ex plumbo, vel, ut Dioscorides censuit, ex minio, quod Cinnabaris dicitur: aliud sponte naturæ provenit, legiturque in propriis fodinis. Illud originis suæ nondum immemor, crassius & impurius, ut quod ad inaurandum, nisi accurata præparatione expurgatum attenuatumque fuerit, accommodari nequit. Naturale vero tenuius, purius, & ad omnia multo præstantius, durissima quæque metallorum corpora subit, ac penetrat, secumque in his affusum retinet aurum. Utrumque tamen ejusdem esse naturæ, eodemque temperamento prædita, inter omnes constat. Quocirca si *facticium* ortus sui ratione *frigidum* sit, argentum omne vivum frigidum esse necesse est.

Sed ad ejus *opera & affectus* oculos mentemque convertamus. Dolores quoscunque tum calidos, tum frigidos vi narcotica sistit, & consopit; perinde atque opium: sanguinis eruptiones omnes sistit, bilis ardores exesionesque retundit, & acrium omnium humorum impetus cohibet: pustulis ulceribusque ex iis natis opitulatur. Hæc ne ullus ad causam caloris participem referet? *Rat. 3.*

Sed mala, quæ corpori admotum invehere *Avicennas* commemorat, & nos longa didicimus experientia, percurramus. Cerebrum nervorum principium ita refrigerat, emollit, & laxat, ut rheumatismis nulla aut levi admodum occasione tentetur in posterum. atque si aliquando in aurem incidat, præterquam quod tanto frigore dolores excitat diuturnos, surditatem quoque parit, atque mentem pervertit, & sua sede dimovet: sed, ut sæpe, convulsionem; qua conquiescente, magna partis convulsæ relinquitur gravitas: interdum vertiginem, sæpissime epilepsiam concitat: nonnunquam veternum, aut etiam apoplexiam, cerebri substantia nimiopere refrigerata commotaque. Hæc si inunctus ac corpori affrictus hydrargyrus infligit incommoda, nonne impense frigidus & humidus sit oportet? *Rat. 4.*

Faber quidam aurarius an. Christi 1556. solius hydrargyri vapore gravissima, quæ mox dicam, sensit incommoda. Is bis aut ter ad summum, dum argenteam supellectilem inaurabat, hydrargyri vapore admisso imprudentius, statim stupidus, veternosus ac plane mutus evasit. quæ in os indebantur, devorabat ille quidem; stercus tamen *Probatur exemplis.*

men & urinam minime exire sentiebat, neque ad aurem inclamantes audiebat. A Exactis mensibus sex accensus humor febrim tandem acutam concepit: ac tum excusso torpore loqui cœpit, & quæsitis respondere, sed perturbata omnia & confusa. Remisit die xx. post accommodatas vacuationes febris, & in lentam degeneravit: qua tandem liberato, cerebrum grave, torpidique sensus omnes remanserunt, mensque ex intervallis perturbata. Hic quis opera non agnoscit immensæ frigiditatis & humiditatis? Sed quid hæc ut nova profero? Nonne ex iis qui vel unguento ex hydrargyro illinuntur, vel ejus vaporem aut cinnabaris suffitum admittunt; alios quotidie videas subito resolutos aut attonitos repente concidere; quosdam asthmate anhelos, alios, B paralyticos, collo, manibus, pedibusque tremulis vacillantes, alios surdos, reliquam vitam misere exigere? Hispanorum & Italorum aliptæ ex hydrargyro fucum mulieribus quærentes in quam fœda mala illas conjiciunt? Solius faciei illitu dentes his brevi lividi marcescunt, fœtet anhelitus, facie corrugata oculi caligant, & senescentes asthmate pereunt. Sed rem in hydrargyro admiratione dignam, à nullo quod sciam, animadversam, contemplemur.

Rat. 5. Hic enim si quis rerum eventus bene observet, non modo pituitosis morbis obnoxia nostra reddit corpora, partesque omnes in primis carnosas suo frigore & humore lædit; verum ita labefactat, & sua qualitate imbuit, *vix ut corpus febre corripi possit*, etiam si multa scateat cacochymia. C Anno à Christo nato 1556. Coriarium quendam tonsor ut inviserem rogavit, rarum affectum & observatione dignum me visurum dictitans. Is tametsi annos amplius decem post curationem per hydrargyrum ita salubriter exegerat, ut videretur percuratus: repente tamen exorto in sincipite dolore diutius perseverante, non modo ejus partis os totum paulatim computruit, exesumque est, ut frustulatim excideret: sed & cerebri utraque meninx eadem putredine absumpta, subjectaque cerebri substantia in abscessum conversa est; unde magna puris copia (miserabile visu) per multos menses, non ex ea tantum parte, sed ex utriusque oculi augulis etiam stillavit: dentes exciderunt omnes. Hic tamen neque febre corripi (incredibile dictu) visus est, neque cibi fastidio multum premi, neque extenuari, dum ad ventriculos cerebri ventum est. quo tempore mors repente hominem diu misere afflictum è medio sustulit. Alios complures vidimus, non minus crudeliter excarnificatos ad longum tempus vitam produxisse sine ulla febre; nisi forte dolorum vehementia, aut vigiliarum diuturnitate lentæ cujusdam species inducatur quæ etsi diutius perseveraverit, non tamen, ut parum in his versatus existimare posset, in hecticam degenerat: sed remediis quæ luem, ejusque symptoma tollunt, interdum etiam febri adversis, delitescit.

Huc quoque spectat, quod Medicis, in *Rat. 6.* artis quidem operibus diu versatis & exercitatis, sed parum oculatis sæpe imposuit: eos qui unguento ex hydrargyro semel fuerunt inuncti, *ægre adeo medicamentis moveri*, ut ea duplo validiora, quam ante, facile perferant. Quæ omnia si quis acriore animi acie intueatur, & ponderet judicio; nonne à frigida quadam causa hæc proficisci existimet? quæ non modo corporis nostri nativum calorem ita obtundit, ut ægre postea catharticum è potentia in actum reducat: sed & partes omnes humoresque ita refrigerat & humectat, & in similem sibi qualitatem alterat, vix ut vel medicamentorum vim sentire, vel inflammationem concipere possint.

Summa autem hæc refrigerandi humectandique potentia nisi *in tenui substantia* consisteret, haudquaquam tantis operibus excelleret. *Tenuium est partium.*

Qui contrariæ sunt sententiæ, his maxime argumentis nituntur. *Ratio eorum qui id calidum asserunt.*

Argentum vivum temperie calidum esse, *ex effectis*, inquiunt, intelligitur: licet aliis quibusdam probabilibus rationibus frigidum esse appareat. Crassa quippe attenuat, incidit, dissolvit, & in sudores dissipat, obstructa aperit, durissima quæque penetrat, aliaque multa edit opera, quæ non aliunde, quam ab ejus calore peti possunt. Sunt enim illa caloris propria effecta, frigoris plane contraria.

Verum enimvero si quis hanc rem propius in- *Solutio.*

tuetur, efficientem iſtorum cauſam alio referendam eſſe, quam ad hydrargyri calorem, intelliget. Etenim demonſtratum eſt à philoſophis & medicis, ſummas medicamentorum vires & facultates, quæ cauſæ ſunt efficientes, alias à qualitatibus primis, calido, frigido, humido, ſicco: alias à ſecundis, quæ à materia prodeunt, cujuſmodi eſt tenuitas, craſſities, lentor & acrimonia: & alias à forma & occulta proprietate proficiſci: eoſque prorſus cæcutire, qui in medicamentis vires omnes à primis qualitatibus quærunt, nihilque in tota arte præter intemperiem circumſonant. Itaque argentum vivum ſumma partium tenuitate, qua vel duriſſima metallorum corpora ſubit ac penetrat, non calere, attenuare, incidere, & ſudores movere credendum eſt. Piper & pyrethrum calidiſſima cum ſint: imbecillius tamen ſudore promovent, quam Guajacum temperatum: minus quoque attenuant & incidunt pulmonum craſſum lentumque mucum, minuſque menſes promovent, quam Gentianæ aut Ariſtolochiæ radix, illis calore cedens.

Inſtantia. Sed *quæret* fortaſſe aliquis, qui fieri poſſit, ut in medicamento impenſe frigido & humido materia inſit ſumma partium tenuitate prædita?

Solutio. Quærendum quoque fuerat, cur opium adeo frigidum, ut narcoticorum ſit vehementiſſimum, amarore guſtantibus ſit moleſtum. Multa crede mihi deprehendas in rerum natura, ſi ſingula bene examines, in quibus cœcutire humanum intellectum ſit neceſſe.

Hydrargyrum humidum eſt. Ratio. Jam vero *hydrargyrum vehementer humidum* eſſe, non ſiccum, præter ſuprapoſita, hinc colligitur: quod præduros ſcirrhoſoſque tumores præ cæteris omnibus emolliat, concretoſque diſſolvat: quodque nervos omnes & articulos adeo relaxet & debilitet, ut omnem fluxionem facile admittant, ſuſcitenturque ejus uſu tremores immedicabiles. At nihilominus quoniã vi ſpecifica omnis generis humores violenter evacuat, recte ex accidenti exſiccare perhibetur.

Exceptio. Hos quidem tremores ad Luis male curatæ reliquias nervos obſtruentes, vel ad motorum ſpirituum reſolutionem diſſipationemque, non ad argenti vivi humiditatem aut vim & qualitatem maleficam referendos eſſe, contendunt Chirurgi: & ad hoc argumentis utuntur parum validis, quæ nobis redarguere facile liceat.

Solutio. Tremore videntur corripi non Lue modo contaminati, ſed alii fere omnes exquiſite ſani, quicunque argentum vivum in puteis legunt, vel minium effodiunt, vel ex eo hydrargyrum, & hinc addito ſulphure cinnabarim decoquunt, vel qui inaurando vel alio quovis modo venenatum argenti vivi vaporem aut cinnabaris ejus ſobolis ſuffitum, ore nariburſque exceperint. Tremunt etiam iis manus, qui Lue Venerea affectos unguento ex hydrargyro ſæpius inunxerunt, idque ſine momentanea ac effatu digna ſpirituum motorum reſolutione, ac ſine Lue Venerea. Non ita pridem inauratorem quendam inviſi, hominem alioqui robuſtum & quadratum, cui hydrargyri vapore ita cerebrum, totumque genus nervoſum repente affectum eſt: ut non modo brachia & tibiæ vehementer illi tremerent; ſed ne ſtare quidem, aut incedere, aut attonitum caput, & tremulum attollere poſſet. Hic curatus ſtandi, ac incedendi vires paulatim recuperavit. Verum cerebrum illi grave torpidumque remanſit, & rheumatiſmis obnoxium. Occurrunt quotidie & alia ejus generis ſymptomata, quorum animadverſione intelligere eſt, vim ſummam ineſſe hydrargyro refrigerandi, laxandi, & molliendi, idque cerebro, nervis, tendonibus, membraniſque omnibus in primis perniciosum eſſe. atque idcirco hoc vix unquam, niſi in calido & ſicco coroore, ad calidum ſiccumque affectum, utendum. qua ratione, mox dicetur.

Jam vero ex purgantibus medicamentis omnibus craſſum lentumque mucum ſpuitione ſolus vacuat inunctus hydrargyrus, Luiſque incipientis ſymptomata interdum compeſcit. *Chirurgi verum illius alexipharmacum eſſe rati*, reliquis omnibus remediis poſt habitis, hunc, medicis omnibus eruditis merito ſuſpectum & inviſum, ad Luis curationem uſurpandum contendunt. *Chirurgi luis veneream Alexipharmacum eſſe putant. Sed falluntur.*

At licet hydrargyro, ut ſupra comprehenſum eſt, eam vim inſitam eſſe, eamque naturam noverimus, ut vel tibiæ affrictu è corpore etiam exquiſite ſano craſſum lentumque mucum ſpuitione violenter provocet:

vocet: quemadmodum sane agaricus, scammonium, colocynthis, teuues serosos-que humores insita proprietate vel ex sano corpore detrahunt in alvum: quoniam tamen malignam humoris qualitatem ipsumque Luis venenum jam fortasse solidis partibus tenacius inhærens atque impressum, manifesta contrarietate, aliave occulta proprietate non exstinguit, ipsius alexipharmacum aut *antidotum dici non potest*: ut neque colocynthis destillationum antidotum dicitur: nisi forte communi appellatione alexipharmaca & antidota nomines medicamenta omnia, quantumque vel purgando vel aliqua facultate alia morbo cuipiam auxiliantur: quod tamen veterum auctoritas, & usus loquendi ac nominis etymon redarguit. Antidota enim & alexipharmaca proprie appellamus, quæ non quidem extrinsecus imposita, sed intra corpus ipsum assumpta, tota substantia & occulta proprietate venenis resistunt, atque adversantur: ipsamque malignitatem exstinguunt. Nam & lethalia venena, quæ deleteria appellantur, ubi in animalis corpus ingressa sunt, totum id momento temporis immutant, sibique simili affectione alterant: ita sane alexipharmaca seu alexiteria, quæ venenorum remedia & antidota sunt, contraria venenis lethalibus, alteratione totum etiam corpus immutant, & alteralionem à deleteriis impressam extinguunt: non sane quod substantia ipsorum per totum corpus penetret, (neque enim potest tam paucus succus tam brevi tempore corporis interdum maximam molem replere) sed qualitatis diffusione, qualis & extra nos à solis fulgore in ambientem aërem diffunditur, & in nobis tum à corde in arterias, tum à cerebro in nervos fieri conspicitur.

Hydrargyro tantam vim purgandi inesse diximus, ut ne ustione quidem depereat, sed in cinere supersit multo etiam quam ante vehementior. Siquidem ustione consumpta exhaustaque aquea hydrargyri substantia, in qua vis refrigerandi insidebat, etsi nativa ejus temperies dissoluta est, manet tamen in cinere, quæ à forma nascitur vis purgatrix, multo quam ante efficacior. estque is tum ustione, tum aquæ fortis admistione acerrimus, hoc ab argento vivo differens, quo acetum ab ejus usta fæce. Hunc autem exhibent circumforanei, tonsores, scelerati impostores, non medici, ad luis Venereæ dolores diuturnos, vel alios frigidos quoscunque affectus, ut hydropem, febrim quartanam, idque granorum VIII. aut X. pondere, ex ovi luteo, aut Mithridatio vel Theriaca. ac statim ex universo corporis ambitu omnis generis humores sursum ac deorsum prorumpunt, tanto impetu, tamque violento, exhaustis spiritibus, fractisque viribus, ut vel repente moriatur æger, vel aliquot dies sine viribus, sine pulsu, sine voce jaceat mortuo persimilis. Os interdum totum inflammatur, ac gingivæ ulcera contrahunt putria ac valde fœtida: faucesq; interdum ita intumescunt, ut æger ad multos dies nihil prorsus deglutire possit. Sic dum hæc scriberem, in mea vicinia scelestus quidã hujus urbis pharmacopœus ad quartanæ curationem tria catapotia ex eo & Mithridatio concinnata exhibẽs, juvenẽ quadratum paucis diebus exorta dysenteria & delirio è medio sustulit.

Mercurius præcipitatus etiam purgat.

Sed inclementer.

CAPUT VII.

Quæ ante Luis curationem observanda.

Ante curam luis consideran-dum, Quam recens sit?

Antequam agnitę Luis curationem aggrediamur, multa sunt pernoscenda.

Ac primum, *quandiu ea afflixerit*, & quibus symptomatibus stipetur. Recens quippe humores ac carnes tantum obsidens, aut vix dum solidas attingens, nullo gravi symptomate, solis maculis aut pustulis quibusdam conspicua, facile curationem recipit; ægrius vero, quæ præterea doloribus & scirrhosis tumoribus molesta est. Omnium difficillime, quæ confirmata, quæ ossium carie, ac partium cartilaginearum exesione se prodit: quam in interioribus etiam visceribus ulcera & tubercula multa proferre, in mortuorum corporibus dissectis notavi.

Quodnam corporis

Ab his considerandus venit totius affecti corporis habitus, & viscerum, præ-

tempera-mentum? sertim vero jecoris constitutio & *temperies.* Nam qui sicco sunt & squalido corporis habitu, & os ventriculi debile nacti sunt, mitiora, quam qui frigido & humido sunt corpore, remedia, exposcunt; ut qui raro & laxo sunt corporis habitu, quam qui crasso & denso. Idem de his quoque sentiendum, qui improba vivendi ratione intemperiem hepatis calidiorem & sicciorem contraxerunt. Hi enim omnes nec magnam inediam, nec validas exsiccantes ullas purgationes perferre possunt, cum tenui bile & malis humoribus os ventriculi imbuatur, atque compungatur; unde in graves stomachicas syncopas incidant.

An cacochymia in prima regione? Inspicere vero oportet, & qui in ipsis visceribus humores exsuperent. Nam si vel partium nutrientium insito vitio, vel vivendi errore & longa crapula, vel alimentorum impuritate & intempestivo usu *illuviem multam* in primis venis & visceribus congesserint, quæ etiam inde in venas majores effunditur, antequam Luis propria suscipi possit curatio: purgandum corpus sæpius est, & cacochymiæ focus prorsus exhauriendus, primum quidem apozematis, aliisque quibuslibet blandioribus primæ corporis regioni expurgandæ destinatis. Ab iis deinde ad ea venietur, quæ è venis majoribus aliquid etiam evellant: tandemque ad venæ reserationem. Quod si quis temerarius & rei medicæ faciendæ ignarus cacochymia manente tentare audeat Luis curationem: ut ipsam (opus sane quam difficile) tollat; corpus sane variis affectibus in omne forrasse vitium obnoxium reliquerit. Non enim biliosa, melancholica, aliave crassa illuvies circum viscera collecta tota in sudores digeri, dissiparive potest; ut quæ circum membranas, nervosas ac solidas omnes partes, maligna luis congestione succrescit, sed tenuiore parte resoluta siccescit, impingiturque visceribus, ac tandem acrem malignamque qualitatem contrahens, ipsorum substantiam labefactat. Hinc profecto curata Lue lienis scirrhus comparet vel jecoris tensio: hinc & herpetes sæpius in manibus, nonnunquam & in aliis corporis sedibus maligni erumpunt: qui non nisi longa viscerum detersione, humectatione, & refrigeratione mitescunt.

A Contrario errore tenentur, qui *partibus externis* jam impactam crassam lentamque materiam, alvum ducentibus, aut vomitoriis medicamentis validioribus revocare contendunt, atque ita luem curare veneream. Hi certe ventriculum & viscera omnia graviter offendunt, ac multis symptomatis nullo pæne usu laborantem convellunt, ejusque vires adeo prosternunt, ut nequeat postea propriam curationis viam perficere. Neque igitur, quæ in primis est corporis sedibus, humorum illuviem per urinas aut sudores evacuare, neque quod externis partibus tenacius jam inhæsit, per alvum revocare tentandum, sed *Hippocrati* auscultandum, *Quæ ducere oportet, per loca conferentia, quo natura vergit,* ducere monenti. *In tertia?*

B At vero si *per universum corpus* fusa jam sparsaque erit *cacochymia*, quæ tamen à visceribus prodierit: non modo ante Luis curationem primæ ac secundæ corporis sedes justis purgationibus identidem repetitis detergendæ erunt, ac omni illuvie liberandæ; sed & per totam curationem, ne quæ in affectis visceribus denuo succrescant sordes, diligenter providendum: Nam si bene habiti (ut recte censuit *Alexander Aphrodisæus*) famescentes, solito cibi usu prætermisso bilescunt, & materiam congerunt acriorem; multo certe magis, quibus viscera latenti vitio, & prima affectione laborant, per inediam alimenti portionem corrumpent. Itaque purgatione, quod sic quotidie cumulabunt extrahetur, ut vacuum C maneat ægri corpus, tutiorque fit alterius affectus curatio. *In toto corpore?*

Considerandа & *consuetudo.* Hæc enim nec sanis, nec ægris repente mutari potest sine discrimine. oportet igitur ad insueta paulatim transire. *Quæ consuetudo ægri fuerit?*

Videndum, & quod *anni tempus* sit, quæ regio, quæ ambientis aëris conditio. Hæc enim si ad calidum declinarint, blandioribus agendum esse suadent: si vero ad frigidum, validioribus. *Quod anni tempus?*

Ætas quoque puerilis & senilis eandem indicationem præbent, ceteræ contrariam. *Quæ ætas?*

Sed & symptomata gravia cum supervenerint, si vires ademerint, curationis ordinem pervertent, dum leniantur. *Quæ symptomata adsunt?*

CAP.

CAPUT IX.

Alia Luis curandæ ratio, sed minus perfecta.

Aliorum curandi ratio per præparationes & purgationes.

QUam paulo ante proposuimus curandi rationem, quæ argenti vivi inunctione fit, cum inefficacem & parum tutam multorum periculo experti essent majores; aliam tentare aggressi sunt. Itaque *purgabant valide* sæpius: deinde quibus competebat, *sanguinem mittebant*: mox reliquias idoneis syrupis *præparabant*: quas postea purgationibus identidem repetitis exhauriebant: ita Luis radicem multiplici præparatione mitigatam penitus evelli citra ullam virium jacturam aut corporis noxam sperantes.

Infida.

Hæc quidem curatio si vitium recens contractum sit, solusque spiritus aut humor contaminatus, interdum liberat. at certe, si jam obsessa est partium substantia, impetum quidem & humoris furorem reprimit sed qui postea crudelius excandescat, sensim & clanculum radice altius defixa: ita ut vix ullis remediis inveteratum vitium possit extirpari. Hoc igitur lenit, non causam eorum evacuat: differt perniciem, non aufert.

Aliorum per sudorifera.

Intervenerunt & *alii*, qui ratione non A admodum dissimili, tenui extenuanteque victu & potu ex hebeno, guajaco, vel ex sancta Chynarum radice corpus absumunt, humores detergunt, *dissipantque in urinas & sudores*. Hinc necesse est pustulas & ulcera cum corpore siccari & sanescere, tophos præduros incidi atque dissolvi, ex hisque natos dolores mitescere. At symtomata isthæc putato; morbi vero essentiam multo diversam, quæ illis abeuntibus etiamnum tanquam radix solidarum partium substantiæ firmius inhærescit.

B Quocirca tametsi hæc, quam superiores, multo tutior & efficacior curatio; minime tamen periculo recidivæ liberat: cum præsertim Lues initium præterlapsa ipsam partium substantiam obsedit. *Melior, sed imperfecta.*

Itaque quibus remediis, quaque methodo usurpatis perfecta compleri possit tanti morbi curatio, tradendum, ut nos quoque Christianæ Reip. pro viribus consulamus.

At quoniam hic Guajacum causæ, sine qua non commode aut cito perfici queat curatio, locum obtinet; de ejus ortu & viribus prius dicendum. *Bona non sine Guajaco fit.*

CAPUT X.

Guajaci inventio, nomen & descriptio,

Guajaci inventio.

INsula quædam superioribus annis inter novas terras & antiquis incognitas reperta est, ea parte Americæ sita, qua longitudine in Septentrionem desinit. Huic Spagniola à repertore Hispano nomen inditum est. Illius insulæ accolis omnibus Luem quandam, Venereæ hic grassantis persimilem, aliquando familiarem esse, & endemiam, quemadmodum exanthemata & ecphymata hic nobis, litteris prodiderunt. Hujus Luis unicum remedium illis est ligni cujusdam decoctum. Quod cum animadvertisset nobilis quidam Hispanus, illic Gallico morbo, quem in Hispania contraxerat, diutius & immanius distortus, eadem medicina usus feliciter convaluit. Cujus idcirco usum postea in Hispanias at- A tulit, primum anxius ne non trans mare, qualis in insula, esset ejus effectus.

Ejus descriptio.

Nomen ei ligno fecerunt Guajacum, quod cum hiatu Hujacum pronunciant insulares. Ajunt *crescere*, qua apud nos fraxinus proceritate, arborem teretem: folia habere plantaginis, nervosa, sed minora ac rotundiora, & duriora, ac nuces gignere castanearum forma. Cortex hujus cum ad nos pervenit, colore cinericeo; haud ita densus, sed immodice durus. Color, qui buxeo ligno, externæ parti, nigrescens internæ, quam medullam dicunt. Pondus ei, quale nulli præterea ligno. Nulla ejus quamminima pars in aqua fluitat, sed mergitur continuo & subsidit. Duritie robur omne superat, & idcirco quamminime hiat;

 neque

neque faci e videas, quod rimas traxerit. Uritur ac inflammatur odore suavi. ab accenso gummi profluit subnigrum, & prædurum, ubi refrixerit. Hujus ligni sapor subamarus, miti acrimonia palatum ac fauces compungens: qui semel cognitus nunquam errare in dignoscendo finit emptorem; ut neque odor.

Delectus. Hujus ligni quanquam una est species, varii tamen ad nos mittuntur trunci, alii crassiores ab arbore, alii minores, ubique fere albicantes, à ramis decisi. Præferendum quod recens satis, non vetus, aut cariosum existit, cui cortex proxime adhæret: quod quamplurimum nigri habet; & veluti lineis quibusdam colore fusco per longum intersectum est: quod quam maxime pinguescit, & pondere valet. Ejus enim senecta levitas est, & macredo.

In quo fallitur Menardus. Fallitur itaque *Menardus*, ligni hujus differentias constituens: truncos enim albicantes & prorsus buxeos acriores & odoratiores, atque idcirco valentiores esse colligit: aliisque parte nigricantibus interna præferret, nisi decoctum redderent & aspectu turpius, & gustu insuavius,

Est enim lignum illud omnino buxeum, pæne inodorum & inefficax, redditque decoctum clarum & limpidum, nulla acrimonia fauces mordicans, sed ut cortex amarore molestum. At quod intus multum nigri obtinet, ut odoratius & acrius, ita decoctum facit albidius, & minime lucidum: plurimam enim obtinet resinam, quę aquæ incocta turbidam illam albidamque reddit. Sed & rationi consentaneum est, arbori quam ramis majorem esse vim: & quanto truncus quisque radici est propinquior, tanto præstantiorem esse: ac rursum qui ab arbore, nec senio marcescente, nec recens orta decidunt rami, iis, qui à modo natis aut senescentibus, multo esse præstantiores & efficaciores.

Præcipiunt *nonnulli*, fugiendum esse usum ejus, cujus trunci afferuntur magni, & valde crassi, ubique nigri. Id enim contingere senescentibus arboribus, ut succo destitutæ paulatim nigrescant. *Atque alii.*

At vero cum omnes eos truncos experiundi gratia sæpius dissecuissem, ac non modo gummi multis locis concretum deprehendissem, sed etiam è ligno accenso profluere vidissem; ejus decoctum usurpare cœpi. quod ut maxime crassum & albidum, ita omnium efficacissimum longa experientia deprehendi. Quocirca hoc ego vel natali solo, vel arboris parte, non solo senio ab aliis differre existimo, ejusq; ut maxime succulenti usum in primis cōmendo.

Jam vero cum in multis insulis reperiatur; nullius tamen litteris certe proditum est, ex qua mittatur præstantius. Video magnam copiam albicantis, quod imbecillius diximus, perexiguam nigri ad nos vehi. Hoc mercatores ab insula Joanni sacra, illud cum ab insula S. Crucis, tum ab insula S. Dominici adferri asserunt. *E qua regione eligendum?*

Itaque Guajacum aliud ab alio differt, vel pro arboris parte è qua deciditur, vel pro solo in quo ortum incrementumque sumpsit, vel certe pro ætate.

Caput XI.

Guajaci vires.

Guajacum calidum est & siccum. Cum medicamentum unumquodque calidum aut frigidum, humidum aut siccum ad corpus humanum dicatur; quod ipsum per se ac semper calefaciat, refrigeret, humectet, aut siccet: Guajacum *temperamento calidum & siccum* existimandum est. Si quis enim ramentum aut pulverem diutius mandat; caliditatem quandam percipiet, acrimoniæ participem. quin & externa ulcera si ejus decocto, aut bullientis spuma illinantur; diu postea calor, & acrimonia quædam sentietur. huic opinioni subscribunt odor & sapor. Nam ut auctor est Galen. 11. Simpl. cap. v. odorata omnia calida esse certum est. fit enim, ut scripsit Aristoteles, à vaporatione odor seu exhalatione quapiam: quorum utrumque caliditatem arguit.

Hæc autem cum temperata sint, & mitia; temperatam & mitem caliditatem declarant; quæ *secundi ordinis* initium non transcendat. Est enim secundo ordine calidum, frigidum, humidum, siccum medicamentum, quod manifeste suam qualitatem imprimit: *Secundo gradu.*

primit: primo vero, quod obscure. Non tamen ut quibusdam placet, siccitas in eo obscura est, ut in primo ordine subsistat. quin potius secundi finem assequi, ex manifestis morborum humidorum curationibus opinor.

Humiditatis tamen particeps. Quanquam vero guajacum calidum deprehenditur & siccum; est tamen humiditatis cujusdam particeps, maxime parte interiore nigra, præpingui, & resinacea, quæ viscerum & partium solidarum humidum primogenium conservat, & alit: ventremque lubricum facit, præterquam dum sudores promoventur. Quod si cuiquam mirum videatur; veteres consulat artis proceres, qui medicamentum unum & simplex pluribus interdum, iisque plane contrariis pollere facultatibus experti sunt, ut excalefaciendi, refrigerandi, aut exsiccandi & humectandi, aut tenuium partium & crassarum, &c. Et nisi primæ illæ & efficacissimę qualitates ita in uno medicaměto confunderentur: haud sane quæ ex illis oriuntur, secundæ similiter complicatæ forent.

Tenuium partium. Jam vero materia Guajaco ejusque cortici inest valde *tenuium partium*: cujus vi ac sua temperie præstantissima edit opera.

E quibus reliqua ejus operationes proveniunt. *Hinc* enim crassa incidit, & attenuat, lenta deterget, obstructa aperit & liberat, sudores provocat, urinas ciet, sputa adjuvat, stomachum præhumidum, nauseabundum, & resolutum sua siccitate astrictionis participe exsiccat & corroborat, ut & alia omnia viscera: oris malum odorem tollit: diuturnas & inveteratas jecoris & lienis obstructiones, icterum, hydropem, aliaque vitia ex iis nata curat: omnium corporis partium superfluos humores frigidos dissipat atque absumit: capitis destillationes omnes exhaurit, ex iisque natos dolores tollit: anginam notham, podagram, chiragram, ischiada, omnemque arthritim mire juvat; asthmaticos, paralyticos, stupidos, & quovis modo resolutos curat. Nervorum affectionibus omnibus subvenit, tumores omnes frigidos & duros ad suppurationem perducit, ulcera cacoëthea & Chironia sistit, exsiccat, & cicatrice obducit. Luis pustulas, tubercula, ulceraque omnia, atque omnes ex iis natos dolores, aliaque symptomata nulla corporis noxa nullaque virium jactura paulatim cohibet & tollit. Ut non abs re lignum hoc Guajacum ob admirabiles in hoc morbo percurando proprietates Sanctum à multis dictum sit.

Ut autem *cortex ligno* aliquanto *acrior* & æstimarior gustu deprehenditur, ita majorem vim siccandi ac sudores promovendi obtinet: præstantiorque & efficacior in siccando & tenuando haberetur, nisi jecori calida & sicca intemperie laboranti & febricitanti multum esset noxius. *Quæ insigniores in cortice.*

CAPUT XII.

Guajaci præparatio.

Guajacum quomodo comminuendum? LIGNUM oportet lima in scobem plane ac *pluverem redigere*, quo penetratu sit facilior, & melius ejus excoquatur vis. Nonnulli ad tornum in frusta quantumvis pusilla comminuunt, quod ut inefficacius est, ita limpidius reddit decoctum.

Qua proportione? Hunc pulverem *pondere* selibræ in aquæ fontanæ aut fluvialis libris VI. diem unum macerare oportet: deinde *percoquere lento igne*, leni vapore, in fictili olla nova, plumbo intus illita, & diligenter prius elota, ad prunam, dum ad libras duas sese imminuat, magna cura, & attenta custodia, ne nimio calore ebulliat, neve exæstuet, aut effervеat. Nam si quid exundaverit, multum de *Quomodo coquendum?* vi & efficacia perit, minusque efficax reliquum existit. ob idque ad flammam coqui non debet: & prunam quoque modicam petit; atque ollam quæ non repleatur, sed cujus quarta pars ad minimum vacet, quæque perpetuo sit cooperculata, nequid virium exspiret. Sunt qui ad dimidias tantum percoquunt partes. Sed ego illud certe decoctum magis probo, quod ad ignem diutius fuit, & quod à multo ligno paucum pervenit. Ita ut suadeam ad morbos inveteratos, ad quartam pervenit. Ita ut suadeam ad morbos inveteratos, ad quartam etiam partem decoquere, modo nulla obsit calidior hepatis intemperies.

Sic decoctum perfrigerari sinendum, dum scobs desideat: dein percolare & in vitreum. *Colandum.*

vitreum vas defundere oportet: in quo diligenter obstructo conservetur ad usum. Hoc primum decoctum alii Guajaci cremorem appellant; alii serapium. Color huic decocto est; qui aquæ ex limo minimum turbatæ. Sapor gustanti subacidus, initio quidem ingratus, sed paulatim assuescenti jucundus.

Quomodo parandum decoctum?

Nonnulli ex relicta denuo scobe cum libris VI. aut VIII. aquæ quandam quasi loram percoquunt ad libras IIII. aut VI. Hoc tenue percolatum ad cibum potui dant: cum prius medicinæ loco sorbeatur. Ego vero pulverem novum Guajaci pondere selibræ in libris decem aquæ tepidæ horis XV. maceratum ad prunas decoquo, dum ad libras VII. redigantur. Hoc non modo alit & humectat, sed etiam medicatæ cujusdam est virtutis particeps, ut idcirco in pastu & extra pastum quantumlibet tuto concedi possit.

Guajaco alia admiscenda sunt?

Acerba hoc loco inter medicos de Guajaci natura & viribus *exorta quæstio* est: aliis quidem ejus solius usu Luem Veneream penitus extingui, nec aliorum *medicamentorum mistionem* ipsum sustinere, quin de vi & efficacia deperdat: aliis contra ejus imbecillas vires aliorum validorum mistione intendi augerique, & quod ejus naturę deest, id aliorum admistione suppleri contendentibus, si perfecta Luis, ejus usu, expectatur curatio.

Ad Eradicandam luem,

Ego vero opinionem indefinite prolatam falsi insimulo. Neque enim ita per se efficax exsistit Guajaci decoctum, ut nullius alterius præsidii ope Luem percuret Veneream: neque ita imbecillum, ut non nisi aliorum mistione vires habeat. Cum ergo ejus quidem solius usu absumptis humoribus Luis symptomata cohibeantur; vis tamen & qualitas partibus jam insidens eodem penitus decocto exstingui delerive nequit, nisi cum eo aliquod incoquatur alexipharmacon, aut ejus præmittatur misceaturve decocto. Itaque si solius Luis suscipitur curatio; solius Guajaci decoctum ad sudores promovendos, cohibendaque ejus omnia symptomata, satis esse profiteor. cui tamen ad exstinguendam latentis veneni perniciem, impediendamque recidivam, nostrum alexipharmacum], qua ratione mox dicemus, adjungetur.

Ad gustum.

Nisi forte pauca quædam incoquere placet, quæ ipsum *jucundius reddant*, cujusmodi sunt uvæ passæ in primis, & glycyrrhiza.

Ejus vires alias infringit medicamentorum farrago.

Quod si quis cum eo ingentem tot simplicium *medicamentorum sarcinam* decoquere jubeat; ejus sæpe vim & efficaciam ita obtundet, ut optatus minime succedat effectus. Non enim bene illi cum omnibus convenit: sed habent nonnulla certam inter se repugnantiam medicamenta, quam nisi medicus longo usu & experientia agnoverit, unius interdum permistione, multorum sępe egregias vires obtundet, & effectus cohibebit.

Plura tamen adjungi ei possunt, si aliud jungatur symptoma, Vt asthma,

At vero si Lues in corpus inciderit, vel asthmate, vel arthritide, vel jecoris aut lienis inveterata obstructione, vel scirrho, vel certe insigni aliqua intemperie pressum, cujus eadem opera tentanda sit curatio; *Guajaco* ea *incoquenda* erunt medicamenta, quæ particulæ laboranti ejusque *affectui sint accommodata*.

Exempli causa, si annuo *asthmate* Lues conjungatur Venerea, multis iisque diris symptomatis stipata; est uterque quidem affectus diuturnus & curatu difficilis, sed Lues Venerea tamen multis doloribus acerbior. Ejus itaque curatio quam primum fieri poterit, suscipienda est, sed iis admistis Guajaci decocto medicamentis, quæ asthmatis fontem & scaturiginem exsiccent, ac cerebrum corroborent. Cujusmodi sunt flores rorismarini, salviæ, betonicæ, stœchados, & quæ pulmones multa pituita crassa ac lenta infarctos & obstructos expediant. Hujus ordinis in primis commendantur enulæ campanæ radix sicca, glycyrrhiza, polypodium, hyssopus, satureia, scabiosa, ungula caballina, mel; nonnunquam & liquor Cyrenaicus, styrax calamita, modo jecoris intemperies non reclamet. Hujus decocti usu Lues pariter atque asthma ita juvari aliquando mihi visa sunt; ut eodem pæne temporis spacio, utriusque sequeretur sanatio. Sed sunt interim topica alia multa Lui minime adversa remedia ad asthma adferenda. Ejusmodi sunt tum syrupi tum linctus omnes, qui crassa attenuant & incidunt, ac sputa promovent. Item quæ extrinsecus capiti admota ipsum exsiccant & corroborant: cujusmodi sunt calida omnia, præsertim vero hæc, quæ

modo novinavimus: item suffitus. Hic mane & vesperi, in sudoris exitu per nares & os excipiendus.

Aliudve. Et ut paucis perstringam, erunt ea semper Guajaci decocto incoquenda, quę tum adversus affectum Lui implicitum vires habere putantur, tum partes primario obsessas corroborent. Est enim Guajaci decoctum optimum aliorum omnium, quæ vel illi permiscentur, vel præmittuntur, vehiculum, ad solidas partes quasque etiam illa deducens.

CAPUT XIII.

Curatio per Guajacum, & ipsius luis Venereæ Alexipharmacum.

Curatio quo loco instituenda? In conclavi, hyeme præsertim, curatio tentanda, aëri minime, nedum ventis obnoxio, ubi ignis continuo sit: aut ut in Germania, intra æstuarium tepidum, cujus ostio velum aut tapetes obtendantur intus, & foris; ne qui egredietur, aut intrabit, aërem frigidiorem intromittat. Melius est enim corporis spiracula laxa habere & patefacta, quo virus undique expiret. Æstate est hæc cautio noxia, nedum supervacua.

Quid primo biduo præmittendum. *Primo* statim *die* alvus ducetur medicina purgatoria, quæ ad eximendam noxii humoris in corpore exsuperantis portionem dicata sit: ne is postea remediis concitatus curationem cœptam interturbet. Concinnetur autem fere ejusmodi, ut ad coërcendam grassantem veneni perniciem apta sit. *Postridie* purgationis aperienda est vena mediana aut basilica, maxime si plenum & succulentum sit corpus, aut aliqua venarum plenitudine pressum.

Quomodo bibendum decoctum? Hinc opus auspicari sic licet in hunc modum. Prius illud & *valentius decoctum bis die propinetur* tepidum ad cyathum unum; mane quidem ad quintam; vesperi ad quartam aut quintam. Porro cyathum voco ℥vj. quanquam dimidium libræ commode datur.

Quomodo ex eo sudandum? Hausto Guajaci decocto interquiescendum horis aliquot: & tamdiu stragulis munitum & contectum esse oportet, dum caloris ope digesto in artis medicamento noxium exsudet æger. Cumq; alii hausto potu statim sudoribus diffluant; alii non nisi post duas tresve horas; nemo possit certum sudoris excipiendi tempus præfinire. Constat tamē, quibus ab hausta potione sudores mox erumpunt; citius detergendos esse, & calidis linteis extergendos, ne vires labascant. Qui contra vero, tardius. Sudandum ergo erit, quamdiu vires ferre poterunt: & cum deficere sentientur, etiamsi vix parum quid eruperit, subsistendum. ac reficcato corpore, & venis concidentibus, è lecto surgere, & ad cibum se præparare par est.

Bis enim die *cibus est exhibendus*, mane quidem post quartam à sumpto poculo horam, ad nonam vel juxta horam, vesperi ad septimam. sitque is quidem satis tenuis & exiguus, sed boni succi. nam inanem in primis ventrem quærit hoc medicamentum. itaque qui celerrime sanescere cupiunt, cibum sumunt, non qui vires augeat, sed deficere qui non sinat. Neque periculum metui debet. siquidem vis tanta inest Guajaco reficiendi, alendique, ut nullus hactenus defecerit, quantumcunque parum ederet; qui ejus cremore fideliter præparato uteretur. Sit autem cibus assus potius quam elixus; pulli scilicet columbini, aut gallinacei adhuc molliusculi magnitudinem non excedentes. Non ignoro alios esse, qui carnes omnes ablegant; solum biscoctum panem ad ℥ij. cum uvis passis Corinthiensibus aut Damascenis concedentes. quod ut inveterato morbo & altius fixo interdum concedi potest; ita in recenti minime necessarium est. Sed hi solis resiccantibus Luem Veneream curare contendunt: nos alexipharmaco malignitatem exstinguimus, & cohibemus. Panis vero quatuor ℥. delicatioribus, validioribus sex, non amplius in diem scilicet concedantur. bellariorum loco sint passulæ & modicum panis nautici biscocti aut ad ignem exsiccati, aut etiam intermedia panis crustula. *Quis cibus in cura offerendus?*

Potus erit supradictū aquosius alterū Guajaci decoctum. Vinum ne delibare quidem oportet toto curationis decursu. tale enim huic ligno est vinū, quale cicutę: cum aqua si hau- *Quis potus?*

si hauseris; nullo remedio restitui possis.

Quo tempore? Nonnuli *cœnæ tempus* circumcidendum volunt, & ad meridiem tantum reficiendum. ego vix bis die sudoribus tuto corpus exerceri diu posse existimo, nisi cibus aliquis interveniat, qui vires dissolutas recreet & reficiat. Alii non ante cœnam sed tribus horis ab ea hausto decocto sudores provocant, crudum aut semicoctum cibum in totius corporis partes male disjicientes.

Qui affectus cavendi? Porro inter utrumque pastum legendis jucundis rebus, aut familiarium gratis colloquiis, aut lepidis confabulationibus, aut cantorum vel citharœdorum modulationibus, aut alio denique aliquo consueto lusu oblectamenta quærenda. Omnia vero negotia, omnes circumcidendæ graviores cogitationes, & ab omni cura conquiescendum. Cavendum & ab iracundia, quæ biliosas in primis materias accendit. Sed & Venerem tanquam pestem fugere oportet.

Si sudor non prodeat, quomodo ciendus? Jam vero si haustu Guajaci sudores non facile proliciantur; utres aqua calente pleni, vel lapides candentes, vel titiones in vino exstincti, pedum plantis & genibus admovendi. ita enim repente calore fusus liquatusque frigidus & crassus humor in extima corporis digestus facilius in sudores abibit. Sed & hausto validiore Guajaci decocto sacculi sequentes calidissime admoveantur capitis externæ parti; totumque caput linteis calidis diligenter superintegendum est, ne aërem frigidiorem sentiat: idque præsertim, cum dolore caput obsidetur. Non enim in parte frigida collectus vitiosus humor decocti beneficio in sudores facile resolvetur; nisi externorum præsidiorum ope incalescat.

Quid à sudore faciendum? Sudore quantum vires ferre possunt effuso, linteis calidis extergendum exsiccandumque corpus est, & lenibus frictionibus, quod in partibus extimis hæsit, dissipandum. Sed & inprimis calidis linteis aut pannis exercendum caput est, aut etiam calentibus sacculis perfricandum.

Interea alvus lubrica servanda. *Servetur alvus* toto curationis tempore quam *tenerrima*. Itaque si sponte sua non fluet; vel Senna carnium jusculo, vel decocto matutino validiori incoquenda, vel certe Cassiæ fistularis semiuncia alternis diebus pastus initio voranda. Hæc enim præterquam quod ventrem inanem reddunt, quæ in ventriculo & hepatis cavis, & in liene jamdiu fortasse delitescebant, detergunt & expurgant.

Et quia primis sex diebus increscunt symptomata, Sed nihilominus in sextum aut juxta curationis diem sæpe fit, ut incidentis & attenuantis decocti usu *vitiosi humores concitati* non modo consuetos artuum aut capitis dolores crudeliores reddant, sed alia quoque varia, in qua inhærent, pro partis conditione symptomata proferant: ut in os quidem ventriculi incidentes, nauseam, inappetentiam; interdum propter malignitatem syncopas cardiacas; in pulmones vero, tusses, initio inanes & siccas, sed tandem incrassato humore humidas. In thoracis partes externas si liquefactus humor est, aut à capitis externis partibus influat; novos dolores omnium atrocissimos, ac spirandi dfficultatem, sine febre pleuritim mentientes, invehit. Si vero posterioribus partibus capitis per cervicem in dorsi aut lumborum vertebras, aut etiam in ischion illabatur, altiusque subeat; diris adeo cruciatibus laborantem prosternit, ut in peiore res statu videatur esse quam unquam.

Quæ medentes turbant; Hæc aliaque multa curationi huic supervenientia, non modo laborantibus spem de salute conceptam adimunt, sed & medicos nondum artis longo usu confirmatos de cœpta curandi ratione ad aliam transire cogunt. Atque hic mire gestiunt tonsores: & dum hydrargyri vim & efficaciam in cœlum laudibus efferunt; neque Guajaci decocto neque ullis aliis remediis ullum unquam restitutum fuisse impudenter mentiuntur: solum hydrargyrum vim alexipharmaci habere contendunt. At ea certe Guajaco vis est, eaque natura, ut quos initio impetus agitatis humoribus concitaverit dolores, hos tandem iisdem absumptis cohibeat atque compescat, si quis eo constanter utatur.

Iis exortis purgandum. Itaque iis imminentibus aut certe jam exortis purgans medicamentum initio usurpatum aut ei simile repetendum; quod humores concitatos & furibundos è toto corpore potenter expurgat, intermisso eo die validiore decocto.

Sexto quoque die iteranda purgatio. Sed & sexto & septimo quoque hujus curationis die catharticum aliquod validum repetendum. Ita enim non modo quod Guajaci decocto sensim attenuatum con-

concitatum fuerit, sed & quod de quotidianis alimentis, pro partium vitiosa actione corrumpitur & curationem retardat, repente extrahitur, vacuumque excrementis marcet ægri corpus. Interea quibus perierat appetentia, restituitur, aliis post secundam medicinam purgatoriam septimo statim die, aliis non nisi decimo aut decimoquinto. Hæc ratione moderari oportet, & in victus ratione initio prudenter instituta constanter perseverare. Unicum ibi solatium est, non videre plures cibos, non videre edentes, & nidorem non sentire.

Atque ita sedantur symtomata.

Decimo die decocto addenda opiata ad dies decem,

Ad *diem* hujus curationis *decimum* aut duodecimum, corpore bis aut ter jam purgato, liberatis obstructionibus viscerum, totoque corpore jam aperto & patente, Opiata nostra superioribus remediis adjicienda hunc in modum. Quotidie mane & vesperi decoctum validius Guaiaci hausturus, opiatæ sesquidrachmam devoret. hinc statim prædicti decocti ℥vj. aut vij. superbibat, ac in lecto se ad excipiendos sudores, qua ratione suprapositum est, componat. Hujus per octo decemve dies continuandus est usus, aut etiam diutius, dum veneni radix sit avulsa, prorsusque exstincta ejus pernicies. quod quoniam fit alias breviore temporis spacio, alias serius pro veneni conditione, & affectionis diuturnitate, tutius omnino est, paulo ultra progredi, quam infra subsistere. Itaque si quis perfectissime liberari cupit; hyeme aut cœlo frigidiore & aquilonio, conclave ubi ipse cubat, non excedat, priusquam omnis in totum morbus sit abactus, & restituta valetudo.

Aut donec percuratus æger.

Qui si non curetur facile, adhibeat laconicum.

Sed & sedatis doloribus, omnibusque symptomatis superiorum remediorum usu sublatis; ne quid altius demersum non prorsus exstinctum denuo se prodat: perutile sit laconicum adire exquisite paratum, in quo sudores, sumpto in ingressu Guajaci decocto opiato, dies aliquot promoveantur pro viribus: in ejus vero exitu, dum in lecto rursum ad sudores excipiendos se componet; aquæ nostræ ad omnia venena sane quam efficacis. ℥v. haurire. Hæc ubi jam septem octove dies aut amplius, pro affectionis diuturnitate, & sui ipsius natura ac viribus pertulerit; sumendum iterum erit quod purget medicamentum, atque ab eo quatuor sexve diebus in pastu aquosum bibendum decoctum omisso fortiore

Post *ad pristinam vivendi rationem paulatim redeat*; ac exire incipiat, sed caute, & longius ac longius, nec in apertum statim; sed primum intra parietes, & de uno cœnaculo in aliud inambulandum; deinde ad vicinam aliquam nec longius domum, donec aërem ferre assuescat. Nihil enim hic repente fieri aut mutari debet, sed omnibus paulatim assuescendum.

A cura quo modo ad consueta redeundum?

Alii viginti, alii triginta dies satis esse putant, quibus concludatur æger. sed secundarium decoctum minimum dies quindecim bibat valde dilutum. Ita sane esse *in recens affectis* comperio quos cum quindecim, aut ad summum *viginti dies* in cubiculo continui; exire sino, & ad consuetam vivendi rationem paulatim redire; ulceribus etiam nondum cicatrice obductis, nec maculis prorsus exstinctis: quæ tamen postea paulatim exsiccantur, evanescuntque omnia, idque hyeme.

Quam cito?

In recens affectis,

Nam æstate & temperato cœlo domi laborantes continere supervacuum puto: quin & detersis sudoribus matutinis, sumptoque cibo, vel foris inambulare, vel quotidianis muniis vacare permitto, dum ad vespertinos sit redeundum. ac nihilominus perfecte curantur. tanta est opiatæ vis atque efficacia.

At vero cum vel minimum hujus *Luis fermentum* aliquando diu *consopitum* intusque delitescens recidivam haud raro invehat: quandiu vel tubercula, vel ulcera, vel maculæ, vel dolores supersunt; tamdiu profecto suspecta esse medico debet futura valetudo. Eam ob rem si quis existimationem integram tueri, & nominis famam praeclaris curationibus extendere contendit; remediorum usum minime intermittat, dum omnem Luis sobolem radicitus extirpaverit, tantique ac tam crudelis tyranni omnia vestigia deleverit.

In inveteratis.

Quod si forte vel cubantis intemperantia, vel exoleti ligni infirmitate quippiam aliquando reviviscat, recurratque post aliquot menses aut annos; simul atque hoc deprehensum fuerit; eandem omnino suaserim subire rationem; dum nihil prorsus supersit.

In recidiva eadem cura iteranda.

Quibus diebus, quoque medicamenti pondere.

Neq; igitur dierum numerus, neq; ligni & opiatæ pondus utendum certo definiri potest. Recẽs inquinati sæpe XV. aut XX. diebus perfecte liberantur. utuntur ligni pondere sex, septem, octove ad summum librarum: opiatæ ℥iij. aut paulo amplius. At qui morbi diuturnitate extenuati sunt, & doloribus ac nodosis tuberculis jam obsessi, vix quadraginta aut quinquaginta diebus evadunt. Ligni ℔XV. aut XX. aut ultra insumunt, opiatæ ℥iij. aut iiij. Qui sæpius etiam fuerunt peruncti, omnium difficillime, & vix unquam in totum liberantur, duplici de causa: quod & ea sit hydrargyri vis & proprietas, ut qui eo fuerunt peruncti, aliorum remediorum vires vix sentiant: & quod etiam hujus causam altius illa in corpus impingant.

Quid in debilibus faciendum?

Metuunt ac verentur nonnulli *cum gracile & siccum corpus* aut morbi diuturnitate exsangue & exarefactum occurrit; viribus ne destituatur in hac curatione, aut etiam in hecticam tandem conjiciatur, vel corporis atrophiam: ob idque parum quid satis esse putant, cui vis morbi cedere possit, dum vires recreentur.

At certe multorum fide & experientia comprobatum est, hac victus observatione siccos humescere, & macros pinguescere. estque hujus cremoris natura, neminem destitui ut sinat. Quare etiam infirmissimis non minus, sed aliquanto etiam plus dandum est, quia nihil cum impetu facit, cum ejus juvamentum sit paulatim sanare. In his tamen aut nulli, aut parce movendi sunt sudores, dum vires paulatim hujus beneficio receperint.

Quid in ulceribus?

Interim nisi *ulcera* & vulnera sint, nihil foris illinitur. His vero si exigua sint, neque unguentum, neque aliud quid imponendum: sed expectandum, dum extincta mali radice sponte siccescant. Sin altius serpunt, sordidioraque sunt; aqua nostra plane divina bis terve quotidie abluantur, carpinatumque gossypium in ea maceratum imponatur ulceris cavo. Hæc non modo mirifice deterget. & siccat, serpentemque malignam putredinem arcet & cohibet, sed etiam quidquid in ulceris cavo durum est, paulatim maturat & in pus deducit. ulcus dein carne replet & tandem cicatrice obducit, ut multorum unguentorum vice merito usurpari possit.

CAPUT XIV.

Luis aliis affectibus implicatæ curatio.

Lui conjunguntur morbi.

Curatione Luis Venereæ simplicis recens aut non ita pridem contractæ, quam brevissime licuit, perstrinximus. Nunc cum plures *cum ea concurrant* & implicentur *morbi*, aut jam diu inveterata est, quænam tenenda curandi methodus, tradendum.

Similes aut dissimiles.

Lues Venerea morbis quibuscumque componitur ac complicatur: interdum omnino consentit atque congruit; interdum dissentit. Consentit, cum ejus curatio aliis quoque sanandis conducit, aut nihil saltem obest. Dissentit, cum ejus curatio alteri incommodat, moramque adfert.

Quid similibus junctis faciendum?

Lui *consentiunt* Arthritis omnis, & dolores externarum partium omnes à capitis distillatione; intemperies ventriculi aut jecoris humidior aut frigidior, hincque nata obstructio, vel etiam stupor. paralysis aliique complures ab humida causa etiamnum præsente contracti. Hos itaque & simul cum Lue & seorsum sanare licet. Cumque id tentare libet; ab urgentiore semper incipere jubemur, altero tamen, quoad fieri licet, minime neglecto.

Qui dissimiles sint?

Dissentiunt febris omnis, intemperies hepatis calidior & siccior, psora, lepra, aliaque omnia scabiei siccæ genera: omnis sanguinis sive ex utero, sive ex ano, sive ex pulmone rejectio, aliique affectus complures à calida & sicca causa etiamnum præsente profecti: horum enim legitima curatio legitimis & refrigerantibus medicamentis perficitur: quorum usu quoniam Lues fit deterior multo, ejus quoque & difficilior & longior futura est, quæ calidis & siccis & valde attenuantibus remediis perficitur, curatio.

Quid faciendum si urgeant?

Itaque cum horum quispiam *acutus & præceps*, ut pleuritis, vel febris ardens *Lui complicatur*, posthabita Lue, ejus statim debet tentari curatio: iis tamen remediis, quæ quam minimum Luis causam augeant. In connexis enim affectibus urgentiori vel præpostero

ſtero ordine in primis eſt ſuccurrendum: atque in id quod eſt graviſſimum, omni cura & cogitatione primum incumbendum, ſive id ante luem Veneream & cœptam ejus curationem partum jam erat, ſive recens, dum legitima tentabatur curatio, intervenerit. Graviſſimum porro eſt vel quod maxime ægrum in vitę diſcrimen adducit, vel de quo is graviſſime conqueritur; cujus interdum precibus cedere cogimur. Horum exempla ponenda.

Declaratur exemplo anginæ conjunctæ. Non ita pridem tonſor me ad viſendum ruſticum quendam bene habitum & quadratum deduxit, qui cum duos jam annos ab inunctione ex hydrargyro, omni dolore vacaſſet, ac omnino reſtitutus ſibi videretur; in recidivam tamen incidit, qua duos jam menſes crudeliter admodum premebatur. Dolores acerbi tibias & brachia media obſidebant, atque ipſas etiam ſcapulas, noctu gravius excandeſcentes: ſed omnium graviſſimi in capitis externa parte figebantur; in qua etiam aliquid circa pericranium occaluiſſe plurimis in locis deprehendebatur. fauces quoque ingens ulcus ad palati baſim jamdiu occupabat ſordidũ. nihilominus tamen nec decumbebat, nec cibi faſtidio, nec ſiti premebatur, ſed muniis omnibus pro more vacabat; dum ſuperveniente inopinata deglutiendi difficultate, & viribus repente concidentibus in lecto manere coactus eſt; in quo eum deprehendi languidum, cum pulſu frequenti & celeri, febre teneri, ac maxima difficultate non modo deglutiendi bibendique ſed etiam loquendi: nihil interim tumoris foris in faucibus, ut neque intus in amygdalis apparente. Quis non hic agnoſcat, *periculoſam anginam Lui recidivæ implicitam*, omni celeritate accommodatis remediis, Lue etiam neglecta, curandam? At imperitus tonſor moræ impatiens, lucro inhians, omnia deglutiendi ſymptomata ad faucium ulcus pertinere credens, ſtatim me inſcio ſuis ſervis inungendum, aut potius miſere jugulandum ægrum commiſit. Itaque unguento proritata fluxione nova, biduo extinguitur. Haud mitius cum aliis multis agitur Lue Venerea correptis, ſi vel febris adſit continua, vel etiam gravis morbus aliquis, cujus poſtponatur curatio.

Doloris conjuncti. Familiaris quidam meus annos natus triginta quinque, quater aut quinques in anno *diris cruciatibus* ſpinam dorſi à ſcapulis ad finem lumborum obſidentibus, & nonnunquam iſchiade ſolebat torqueri ſine febre, ſine ulla ſpirandi aut mejendi difficultate, ſine vomitione, idque à maligna quadam diſtillatione, Luis naturam, qua olim inunctione fuerat curatus, reſipiente. Hic cum ſæpius à nobis fuiſſet his doloribus liberatus, iteratis purgationibus, unguentis, & ſolis anodynis primum, deinde reſolventibus & roborantibus, ac demum recreatis viribus, æſtuariis ac fotibus ſiccis capiti admotis; recurreretque nihilominus dolor conſuetus; atrocis tandem Chirurgi induſtriam experiri cogitavit, num forte horum dolorum radicem penitus eximere poſſet, ac recidivæ periculo liberare. Hic dolorem crudeliſſimum ad lumborum regionem pertinentem nephriticum eſſe ratus; languidum jam ægrum quatuor jam dies noctesque inſomnem in balneum pręcipitat aquæ dulcis calidioris, ibique morari diu jubet. quod ille doloris crudeliſſimi leniendi ſpe fretus exequitur; dum reſolutis ſpiritibus ac defecto prę virium inopia corde, mori ſe non ſentiret. Recte quidem hic properabat dolori, ut crudeliſſimo ſymptomati, vires frangenti corporis gubernatrices, neglecto etiam morbo ſuccurrere. Hoc enim præſtabilius, quam urgentioris ferocia ſinere proſterni ægrotantis vires, quarum gratia curatio inſtituitur. Nam quanquam ſublato morbo ſymptomata protinus vaneſcunt, neque uſquam poſſint in corpore ſola ſubſiſtere; ſi tamen gravia adeo infeſtaque ſunt, ut periculum ſit, ne antequam dematur morbus, violentia aut pernicie jugulent: lenienda protinus, ipſaque medendi methodus invertenda. At ibi tamen peccatum graviter eſt. Eſt enim terminus, nunquam prætereundus medico, qui ex arte generoſe contra morbum quempiam pugnare contendit, conſtitutus, ut tuto medicetur ei cui dolorem mitigat, ut vires cuſtodiat, per ea ſcilicet, quę virium robur tuentur atque conſervant, ſymptomata leniendo, quo & morbo reſiſtere & curationis ſpacio ſufficere poſſint.

Quid faciendum Jam vero ſi lui *complicatus diſſentaneus affectus diuturnus* & lentus eſt, cujus nequeat ſta-

tim

morbo longo conjuncto? tim curatio perfici, & à quo etiamnum aliquando neglecto minus quam à lue impendeat periculi, eo posthabito lues curanda periculosior, iis tamen remediis, quæ contrario & dissentienti morbo quam minimum obsint. At si æque graves & periculosi exsistunt; non huic aut illi prorsus, sed utrique mediocritate quadam & remediorum contrariorum temperatione eadem opera succurrendnm.

Declaratur exemplo intemperiei calidæ siccæ lui conjunctæ. Esto itaque, nobis occurrat quispiam annorum XXV. *lue venerea contaminatus: cui corpus sit siccum & aridum, variis febribus biliosis obnoxium*: volæ manuum plantæque pedum impendio sæpe caleant: os amarore perfusum sit, atque perpetuo aridum, unde cibi inappetens, & siticulosus evadat. Luem veneream si quis remediis descriptis curare aggreditur, aliis affectibus neglectis, in certum vitæ discrimen ægrum adducet. Etenim manifesta hæc intemperies calida & sicca refrigerari & humectari postulat, servato robore: lues vero contracta, non nisi attenuantibus & resolventibus, quæ omnia fere siccant & excalefaciunt, curari debet. Itaque summa methodo opus est, quæ eodem tempore remediorum contrariorum permistione, utriusque affectus curationem perficiat: ut increscenti phlegmonæ digerentia remedia reprimentibus permista adhibeamus.

In diæta. *Victus* instituatur non omnino siccans, aut tenuis, ut in curatione legitima; sed quodammodo humectans & refrigerans: in quo per initia loco Guajaci sola in potu utatur ptisana. In cibo convenient non modo pulli columbini aut gallinacei, aliæve carnes coctu faciles, assæ, in succo oxalidis, aut mali granati, aut aurancii maceratæ, sed etiam elixæ. atque etiam interdum ex iis paratæ sorbitiones refrigerantes, aut etiam hordeatum. Æger quoque non semel tantum die aut bis, sed ter quaterve copiosius alendus.

Purgatione. *Solvenda* primo statim die erit *alvus* medicamento Catholico; aut si magis arrideat, per cassiam fistulam: aut per apozema aliquod in duos matutinos haustus alternos ex decocto aperiente, incidente, detergente & refrigerante comparatum cum senna & agarico Hæc enim omnia quoniam purgando humectant, pariter & refrigerant, idcirco sane viscerum siccitatem & calorem emendant immodicum, non tantum quod humores acres biliososq; expurgent; sed etiam propria vi & insita facultate. Rabarbarum sola siccitate noxium est, multoque magis, quæcunque vehementiore aliqua siccandi & excalefaciendi vi pollent, ut scammonium, colocynthis, aloë. Postridie purgationis apozema bis die usurpandum ad materiæ præparationem paretur.

Repurgato bis aut ter alternis diebus corpore *mittendus sanguis* est, pro plenitudinis & virium ratione. Ita enim non modo viscera totumque corpus refrigeratur, sed plenitudinis etiam pericula, quæ aliis attenuantibus resolventibusque concitari facile possent, declinantur. *Venæsectione.*

Pusteaquam viscerum impuritati & intemperiei prospectum erit VII. aut VIII. diebus, refrigerantibus his & blande expurgantibus: *propria Luis remedia* adjungenda sunt. Itaque ptisanæ loco decoctum Guajaci hoc modo præparetur, quo in pastu & extra pastum cumvolet utatur. Ad sudores quoque promovendos concinnetur etiam validius Guajaci decoctum, quod longo usu notavimus non modo non augere calidam & siccam viscerum intemperiem, sed ita etiam humectare, ut quavis ratione extenuatos & macros, pinguiores reddat, & omnia symptomata ab intemperie calida & sicca hepatis contracta demulceat. *Sudoriferis,*

Quod in legitima curatione monuimus alvum semper liberam esse oportere; id in hac corporis constitutione maxime curandum, observandumque est: neque committendum, ut quippiam circum hepar aut lienem, aut in ipso etiam mesaræo indurescat. Tertio igitur quoque die si ea subsistat, aut etiam, si sponte aliquid in visceribus jam diu hærere, vel de quotidiano etiam alimento gigni cumularique existimatur; expurgandum vel apozematis suprapositi dosi, vel cassia fistula, vel Catholico: eodemque die Guajaci decocto mane saltem abstinendum: nisi in ejus ℥vj. sennæ ℥ß. incoquere visum fuerit; idque percolatum loco apozematis usurpare ad utrumque efficax. *Horum alternato usu*

Cum jam horum remediorum alternato usu toto corpore humorum portio major absumpta dissipataque fuerit, ac corpus ad opiatæ *Balneo eo tempore.*

opiatæ usum recte præparatum: *balneum paretur aqua dulcis* tepidæ, in quod ingressus æger opiatæ justam quantitatem deglutiat, ac mox Guajaci decoctum superbibat, ibique desideat integram horam. In exitu dein ad sudores pro viribus excipiendos in lecto se componat. Balneum præterquam quod è corpore sicco sudores copiosores elicit, partium etiam solidarum omnium nedum viscerum siccam & calidam intemperiem si quid aliud emendat, impeditque quo minus sudorum eruptione, ac moderate siccantium remediorum usu, quæ ad curationem reliquam necessaria sunt, lædi possint. Maxime autem melancholicis omnibus Lue impeditis convenit: quos constat sicco esse viscerum & partium solidarum temperamento, quod humectari desiderat. Id itaque vel quotidie, vel alternis diebus, semel ingredi siccos & attenuatos, calida & sicca vel alterutra hepatis intemperie affectos, confert. Ad id autem præparentur, qua ratione jam dixi, perseverentque dum Lues omnino sit sublata, aut certe quandiu opiatæ usus erit necessarius: nisi forte intermittere aliquot dies adstantis medici prudentia aliquando censuerit.

Post curam

Quod si forte per curationem, judicatione quapiam repugnante balneum ingredi non licuerit; ea certe *absoluta*, si qua longo remediorum usu partium temperiei labes inusta est: ea tepentis balnei usu ad multos dies continuato facile delebitur; nisi vel hydropis, vel destillationis cujusdam consuetæ metus abstinendum exhortetur. Sit autem ut dixi tepidum ex decocto herbarum refrigerantium & humectantium comparatum: in quo, ut neque in egressu, sudores nec promoveantur, nec excipiantur. Conferet tamen ingredientem sequentis decocti refrigerantis & viscera toborantis ℥vj. ebibere, quamdiu assidenti medico videbitur.

Hoc decoctum in neutro exemplari video descriptum, sed medico ad praxim suam vera arte instructo facile erit simile formare.

CAPUT XV.

Curandi modus perfectissimus.

Quomodo inveterata lues curanda?

IAm vero si neglecta Lues aut imperfecte curata tamdiu in corpore hæsit, ut non modo dolores inplacabiles, sed nodos etiam complures, vel in tibiis, vel in capite invexerit; suprapofita quidem curandi methodus tenenda est; sed cui alia atque alia pro laborantium natura & symptomatum varietate validiora remedia accedant.

Duos referam à me restitutos, quorum imitatione cæteri curari possint.

Declaratur exemplo mercurii inunctione semel,

Dominus de Mesieres, Prior S. Dionysii à carcere, annos natus XL. corpore mediocriter carnoso & bene habito, Lue correptus Venerea, seniores statim consuluit præclaræ hujus urbis Medicos & Chirurgos. Horum omnium communi consilio atque consensu, repurgato prius corpore, ac sanguine misso, *hydrargyro* accurate *inungitur*, sputatio erumpit VII. die copiosa: tandemque alvus etiam sponte resolvitur. quod animadvertentes, qui hunc inungebant Chirurgi, brevi adeo curatum iri pollicebantur, ut jam sibi restitutus videretur, eorum nimirum omnium usu, quæ ad perfectam per hydrargyrum curationem spectant. Verum enim vero cum jam exactis diebus viginti, opis nihil afferretur; revocati in subsidium Chirurgi, morbi contumaciam arguunt: quæ interdum nisi iterata simili inunctione compesci aut cohiberi non possit: ad quos accersiti medici facile annuunt.

Iterum,

Itaque eandem, sed tamen crudeliorem curationem expertus est. Cum nihilo magis quam prima levaretur, calumniam amolientes chirurgi, quosdam esse propofuerunt, qui licet curatione hac non modo non liberenter, sed etiam crudelius multo quam prius crucientur, exacto tamen ab ea mense uno atque altero paulatim postea sanescunt, hydrargyro partibus solidis admisso morbi causam sensim demoliente, superanteque. Quod sibi laborans salutis cupidus facile persuasit. Sed cum totos tres menses mussitans, nihilo melius haberet; ac multi præterea scirrhi aut tophi in capite, in osse crurum, humerorum & brachiorum exorti essent, diris cruciatibus molesti.

Chirur-

Chirurgos revocat: qui uno omnes ore curationem per hydrargyrum repetendam putant. Neque hi prius finem inunctionibus imponunt; quam *duodecies* duobus annis eandem curationem tanto dolore tantisque cruciatibus sine ulla ope perpessus est.

Tertio, imo duodecies iterata,

Inde siccum adeo & exsangue corpus evasit, ut in eo nihil præter aridam cutem & ossa, superesset, ac σκελετὸν potius videretur, quam vivum corpus. Tophi interim multi obsederant tibiarum, crurum, brachiorum & capitis ossa diris cruciatibus, qui impedierunt, quo minus integro biennio somnum inire potuerit. Hos Chirurgi, alia curandi ratione destituti, cauterio aperire cogitant: ita virus aliquod aperta cute stillaturum sperantes. Itaque cum duobus in locis, ubi tophi crudelius affligebant, nudatum in capite os nigrum cerneretur: ipsum terebello eximunt, humoris acrimonia parte jam interna exesum, & veluti terebra omnino perforatum. ac cum ne sic quidem dolores remitterent, nec somnum inire posset: emplastris de Vego cum duplicato mercurio hominem per mensem vestiunt. Alii vinum Guajacinum postea per mensem exhibent: alii etiam balneo ex decocto Guajaci mergunt: sed omnia nullo auxilio. Itaque hominem moribundum pro deplorato deserunt: nulla ei medicamenta opem allatura professi.

Summa ex tenuatione & virium dejectione.

Quam cedo cladis tantæ causam afferent? Cur hydrargyrus, quem Luis alexipharmacum unicum prædicabant, hunc atrociter adeo divexatum restituere non potuit? Empiricos credo curationem instituisse dicent. At Chirurgi erant hujus præclaræ urbis celeberrimi, medicorum etiam multorum adjuti consiliis. nec ægrotus ipse sibi unquam defuit. nihil enim ei unquam tam purum, tamque molestum præscriptum est, quod non dicto citius subire voluerit. Nemo à servis accuratius unquam fuit tractatus. Denique non opes, non ætas, non vires, neque quidquam aliud illi defuit, quod ad curationem requiri possit. Ratum igitur sit, hydrargyron Luis non esse antidotum, sed empiricorum inventum, quod tanquam fucum malo adhibent: neque à viris bonis & reipubl. studiosis, tam fallacem, incertam, atque adeo crudelem

A curationem unquam tentari debere.

Vt & in alio quinquies.

Non multo melius, cum hæc scriberem, actum est cum hujus urbis medico docto quidem & bene noto, sed nimis credulo. Hic cum ex impuro concubitu contraxisset penis ulcus, ac tandem in Luem veneream incidisset: quinquies crudelem eam curationem frustra tentavit. Nodosis tandem tumoribus & diris cruciatibus, in dies invalescentibus, prorsum contabuit, dum dentibus excidentibus, ac gingivis putredine absumptis, crudeliter vitam finiret.

Quæ ratione restitutus ille sit?

Cum aridum corpus lenta etiam febre contabescere videretur; visum est ægrum alere euchymis & concoctu facilibus, cujusmodi sunt pulli gallinacei, columbini, perdices juniores, dein vitulina caro, & hœdina, hisque persimiles aut etiam præ-B stantiores. Sint autem hæc, ob corporis ariditatem maciemque, modo elixa, modo assa. facilius est enim, liquidis impleri, reficique, quam durioribus. Conveniebat itaque ex Guajaci decocto vitulina caro cum pullo gallinaceo diu elixata: circa finem adjecta oxalide, boragine, buglosso, portulaca & pimpinella: siquidem eorum expressum jus, bis die ad ℥vj. exhibitum, præterquam quod vires promptissime & sensim instaurat, morbi quoque causam mitigat. Ab ea sorbitione, quæ octava quaque hora exhibebatur, quippiam assum, si poterat, assumebat: tandem pro bellariis uvas passas, & panem biscoctum.

Cibo,

A vino toto curationis decursu abstinendum censuimus, id nimirum verum esse C experti, quod jam semel admonui, Guajaci & aliorum alexipharmacorum beneficio neminem qui vino utatur facile posse restitui. Ejus loco Guajaci decoctum, quale in legitima curatione descripsi, tum in pastu, tum in siti extra pastum usurpabatur: cui inter coquendum cornu cervini rasuræ ℥ß. addebatur.

Potu,

Mane hora sexta & à prandio hora quarta ℥vj. sequentis *decocti exhauriebat*: neque tamen sudores, qui è corpore exsangui & præarido nullis præsidiis elici possunt, expectabant: neque si erumpere potuissent, vires ferendo fuissent. ℞ rasuræ Guajaci interioris nigri, odoriferi, resinacei, quart. iij. corticum ejusdem pulverisatorum ℥jß. infunde in ℔vj. aquæ tepidæ. fiat decoctum, adden-

Sudorifero decocto.

addendo rad. helenii, polypodii querni, gran. juniperi, radicum cichorei, an. ℥j. passularum enucleatarum ℥jß. seminum cardui benedicti, radicum tunicæ, tormentillæ, an. ℥ß. pimpellæ, morsus, scabiosæ an. p. j.

Purgatione. Semel in hebdomade *repurgabatur* sequenti aut simili medicamento: quod licet languido videri posset validius paulo; si quis tamen quę alibi diximus memoria repetat, corpora nempe quæ hydrargyro fuerunt inuncta, duplo validiora medicamenta perferre, nec facile iis commoveri; aliter judicabit. *Nec hoc auctoris medicamentum purgans nancisci potui.*

Tophorum emolitione, Cataplasmate. Hæc dum fiunt, *cataplasmata* instituti ad scirrhos remolliendos discutiendosque efficacissima hujusmodi ♃. sem. sinapi in aceto macerati per horas xx. dein contusi ℥ij. radicum bryoniæ crudæ ℥ij. radicum sigilli beatæ Mariæ crudi ℥vj. axungiæ porcinæ veteris omnium æquale pondus, croci ℥ß. malaxentur simul in formam cataplasmatis pro partibus dolentibus. renovetur semel quotidie, & ad multos dies perseveret.

Emplastro, Fiat & *emplastrum* nostrum, quod capiti toti quidem insideat per tres aut quatuor hebdomadas, sed ea lege ut levetur quotidie semel, dum totum caput oleo nostro efficacissimo obungatur. renovetur vero sexto quoque die. ♃ sem. sinapi per noctem in aceto macerati ℥ij piperis, pyrethri, caryophyllorum an. ʒj. hellebori nigri, rad. ireos Florentinæ, hermodactylorum, an. ℥iij. sem. staphis agriæ ʒiß. gummi pini & ammoniaci, an. ʒjß. malaxentur simul cum oleo de euphorbio, addendo in fine terebinthinæ q. s. ut bene cohæreant omnia, fiat emplastrum per magdal. extendatur portio super alutam, pro nodosis tumoribus aut doloribus diuturnis capitis, à lue, aut alia causa frigida circum pericranium collectis.

Oleo, ♃. rad. acori, galangæ, cal. aromatici ac. ʒiij. nucis moschatæ, caryophyll., cinnamomi, piperis utriusque, pyrethri, maceris, an. ʒß. foliorum siccorum lavendulæ, maioranæ, origani; salviæ, pulegii, menthæ, rorismarini, an. p. j. florum anthos, salviæ, lavendulæ, an. p. ß. olei communis ℔j. vel amplius si voles, aquæ vitæ ℥ix. reponantur omnia in phiala vitrea, bulliant supra cineres calidos ad aquæ consumptionem, deinde exprimatur oleum in torculari ad usum dictum in curatione.

Cum primum horum remediorum usu dolores aliquantum conquiescere cœperunt: non modo lenta illa febris, quæ hectica putabatur, evanuit; sed corpus cum carne sensim ita vires recepit, ut in lecto sedere posset. *Æstuarium* tum temporis parari jussi, in quo tertio quoque die semel intromitteretur, ac illic sederet, quamdiu vires facile ferre possent. sed prius decocti ℥vj. exhauriebat, præmissa opiatæ ʒj. Deinde ad ignem totum corpus oleo nostro calente inungebatur molli frictione. hoc enim si quid aliud infestas hydrargyri qualitates venoso generi impressas delet, & nativum recreat calorem, omnium quæ in nobis sunt functionum auctorem. In æstuario exiguus aliquis sudor statim eliciebatur: quem imbecillæ vires cum sustinere haud possent, aperto æstuarii ostio ac lectum repetente laborante, statim sistere cogebatur. *Usu laconici.*

In hanc medendi rationem dum pertinaciter insisto, ista ægri jacentis *vires paulatim recreari* in dies visæ sunt; ut tandem circa quadragesimum diem certa nobis salutis spes affulgeret. Nam non modo dolores illi capitis inueterati resoluto humore extinctaque causa evanescebant; paulatimque scirrhi omnes nodosi dissolvebantur: sed & quæ cruda & cinericia initio fuerant alvi excrementa, bene figurata & crusa reddebantur: simulque pro aquosis & tenuibus urinis crassiores & flauiores effluxerunt, ipseque æger, qui duos annos fuerat pervigil, noctu aliquantum dormitabat. Hinc pulsus statim meliores evasefrunt, & vox initio ita exilis ut vix obaudiretur, mox validior ac plenior edebatur. Sed & servo & baculo innixus, ad LX. curationis diem corpus erigere cœpit, ac tandem incedere. *A quorum usu melius habuit.*

Quo tempore *sudorem satis copiosum* semel die per vires elicere licuit, non in æstuario solum, sed etiam in ejus egressu in lecto, non quidem diebus continuis, sed triduum interquiescendo; dum validior natura quotidie eorum eruptiones perferre posset. *Quare præscripta sudorifera.*

Jam vero cum corpus initio osseum, carne *Inbibita*

sorbitiones, jam satis vestitum videretur: *sorbitiones* & elixa omnia *circumcidimus*, assis solis eum committentes, ne (quod in fine aliorum multorum diuturnorum morborum nimio potu aut humidorum ciborum usu fracto jecoris robore contingit) in hujus quoque declinatione tumor aliquis œdematosus in pedibus ac tibiis irreperet. Hujus enim rudimenta vesperi jam in pedibus cernebantur; cum præsertim aliquantisper stabat aut incedebat. Sed & electuarium trium santalorum quadruplicato Rheo parari curavimus, cujus tabellam unam mane bis in hebdomade ad jecoris robur potioni Guajacinæ præmitteret.

Intermissa cura, Cumque omnis doloris expers fuisset dies jam quindecim, ac bene adeo omnia jam membra nutriri viderentur, ut paulatim magis ac magis omnes ejus artus corroborarentur: die tandem curationis LXX. Guajaci decoctum validius aliquot menses *intermittendum censuimus*: si quid interim non prorsus exstinctum dolores tuberave protulisset, nos id vere novo tutius faciliusque remediorum usu repetito exstincturos, roborata nimirum quiete & natura ferente. Verendum enim, ne iisdem remediis natura diutius assuefacta, illorum vim tandem non sentiret, aut certe aspernaretur. Neque vero hic, ut in recenter contaminatis metuendum, ne interim radices altius morbus agat, reddaturque difficilior. Immo qui in tam calamitosum corporis statum aut sua negligentia, aut medicorum inscitia præcipitati sunt, vix unquam nisi in annum iterata curatione modo proposita restituuntur.

Solum secundarium decoctum usurpatum. Verum enimvero *Guajaci imbecillius decoctum* in ipso etiam intervallo vini loco prudenter me consultore usurpavit, ne vaporem quidem vini admittens. Mense exacto belle adeo habere cœpit, ut consueta munia omnia obire posset. Idcirco & aëri die Februarii XII. se committere cœpit & quoquoversum discurrere, nullis dolorum vestigiis, ne in iis quidem locis in quibus ante curationem tubera discruciabant, remanentibus. Tantum capite & artubus gravis sibi videbatur, & veluti lassitudine quadam pressus, idque præsertim cum è sereno in nubilum aut pluviosum cælum mutabatur. & post exercitationes œdemate quodam pedes vesperi dolebant, sed quod mane prorsus evanuerat.

Quanquam post exactos quatuor menses neque dolor, neque aliud extimescendum quidquam supervenerit, quod latentis fermenti suspicionem ullam movere posset: visum est tamen *curationem repetere* feliciter antea usurpatam, ut si forte lentus crassusque humor aliquis, aliudve luis fermentum circa periostea supererat, prorsus hujus remedii continuatione attenuari, paulatimque in sudores resolvi posset, simulque malignitas siqua solidis partibus infixa delitesceret, exstingui, atque ita omnium tuberum dolorumque causa extirpari ac funditus evelli. *Vere proximo ad curam reditum est. Medicamenta,* Ingrediebatur porro semel in die æstuarium: inungebatur quoque oleo nostro: in quo æstuario, ut & ab ejus egressu, sudores in lecto excipiebat pro viribus. Vesperi vero hora quarta sorbebat quidem decoctum, sudores tamen minime promovebat, nec lectum repetebat.

In pastu utroque mediocriter assis omnibus alebatur, ac biscocto pane utebatur, quem in hunc modum parari curabam. *Victusque præscriptus.*

℞ sem. card. benedicti mundati, pimpinellæ mundatæ, anisi feniculi an. ℥j. misceantur diligenter cum quantitate sufficienti pastæ ex optima farina, seu ex qua fiunt panes civium Parisiensium, fermento adjecto. Dein fiant panes bene cocti. qui ubi refrixerint, in tesseras secentur, ac sacharo in aqua rosata soluto abluti, in furno tepido diu siccentur, atque ita ad usum reserventur.

Istorum tandem remediorum usu, salubriter adeo vivit, ut nunquam laborasse videri possit. Quam Deus mentem omnibus indat, ut ita curari velint, antequam tam crudeliter fuerint excarnificati. *Quorum ope convaluit.*

Quidam non ita pridem ad me venit, cui *ulcus ingens à penis* radice totum imum ventrem & inguina atrociter depascebat, umbilicum etiam supergressum. quod neque emplastris de Vego cum superaucto Mercurio, neque ullis inunctionibus sputationem & alvi fluorem moventibus coërceri potuerat, adeo interim extenuato corpore, ut quà ossa tegerentur, nihil præter cutem supresset. *Aliud exemplum curati ab ulcere penis.*

Alius *faucium malignum* adeo *ulcus* & omnibus *Faucium.*

bus

bus remediis ex hydrargyro rebelle gerebat, ut columella jam exesa radice decidisset, exederenturque omnia tenella narium & palati ossa.

Uterque curatione supradicta XXIV. diebus convaluit, nullius alterius medicamenti ope, nisi quod exesæ & ulceratæ particulæ aqua nostra divina bis aut ter quotidie admovebatur.

OPIATA ANTIDOTUS ALEXIPHARMACA.

♃ scordii ℥ß. polii montani, pulegii, prassii albi, origani, calaminthæ, hyperici, centaurii minoris, B stœchados, chamædryos, chamæpityos, spicæ nardi, an. ʒij. seminum anisi, fœniculi, petroselini, dauci, sileris montani, rutæ, cymi, hormini, thlaspi, baccarum lauri, sem. pæoniæ maris, an. ʒjß. rad. aristolochiæ rot., gentianæ, diptamni, Valerianæ, asari, an. ʒj. zinziberis, nucis moschatæ, caryophyll. piperis, croci, an. ℈iiij. cinnamomi electi, myrrhæ, castorei, styracis calamitæ, an. ʒiij. mellis boni q. s. fiat opiata.

AQUA MIRIFICA.

♃ scordii m. ij. calendulæ. morsus, pimpinellæ, A hyperici, betonicæ. majoranæ, buglossæ, scabiosæ, salviæ, an. m. j. hyssopi, melissæ, an m. j. ß. contundantur, & in vase terreo novo ad solem exponantur, adjecta ea aqua quantitate, qua omnia bene mergi possint, ita ut aqua superet. Ubi sex septemve dies in sole efferbuerint, exprimere vehementer ea oportebit: deinde in remanente humore similes herbas contusas reponere, & rursus soli exponere, ut supra, dum octo aut decem dies efferbuerint, (sed interim semel saltem quotidie ista moveri debent baculo) ac tum exprimere. Deinde in manente liquore sequentia miscere. ♃ rad. tunicæ, tormentillæ, sem card. benedicti, an. ℥ß. zedoariæ, nucis moschatæ, caryophyllorum, an. ʒj. macis ʒß. sem. pimpinellæ ʒjß. croci ʒj. Mithridatii opt. ℔j. theriacæ veteris ℥iiij. commista soli exponantur ad 5. aut 6. dies aut amplius in alembico obturato. Deide fiat omnium destillatio in vase duplici, & servetur ad usum.

AQUA DIVINA AD ULCERA.

♃ sublimati optimi g XII. aquæ plantaginis ℥VI. recoque super calidos cineres in phiala vitrea ad dimidias; & utere.

Libri de Luis Venereæ Curatione, finis.



JOHAN. FERNELII,
AMBIANI
DE
EXTERNIS CORPORIS AFFECTIBUS,
PATHOLOGIÆ
LIBER SEPTIMUS,

PRÆFATIO.

Tractatus de morbis externis Medicinæ pars est, Relicta tamen est Chirurgis.

Chirurgia primum medicinæ pars est habita, & ambæ sub sub iisdem natæ sunt authoribus: nec chirurgiæ alia quam medicinæ præcepta, nec aliæ demonstrandi sunt leges.

Postea vero ut unius medicinæ dignitas splendidior præstabiliorque foret, rationis consiliique facultatem utpote liberalem assumentes medici, ac suo quodammodo jure sibi vendicantes, quicquid manuum opera geri solet, id omne ad chirurgos ac pharmacopœos artis administros transtulerunt.

Quid ii tractent?

His prima cura fuit, luxata ossa, sedibusque suis mota reponere, fracta vero dirigere, in suamque sedem compellere: & nonnulla ferramentis quoque aperire, secare, excidere, urere. Tum deinde vulnerum ulcerumque, ac postremo suppurantium tumorum curatio illis est relicta, quæ unguentis illita linteola atque linamenta manu adhibet. Reliqui affectus externi possunt sine chirurgia curari, quos tamen & illa plerumque usurpat sibi.

Externorum tamē cognitio ex Medicina dependet.

Omnium tamen origo fere ex interiore causa trahitur, cujus observatio atque curatio plane est medica: imo etiam omnium quæ foris existunt atque geruntur rationem medicus tenet, qui & chirurgi opus dirigit, ut medicus ratione, chirurgus manuum usu & excitatione præstet & excellat.

CAPUT I.

* *Tumorum præter naturam differentiæ.*

Gal. 2. ad Glauc. cap. 1. & 2. & l. 3. de feb. c. 11.

Externorum affectuum pro humoris specie & qualitate & pro affecto loco differentia.

Morbi, qui in externis partibus ex humoris vitio succrescunt, modo *cum tumore* fiunt, modo *citra tumorem*: & ex utrisque alii *ex sanguine*, alii ex *bile flava*, alii *ex atra*, alii ex *pituita*, alii ex *sero*, alii ex *flatu*, alii ex *horum permistione*.

Humor porro qualitate aut *acer est* & exedens, aut mitis ac *blandus*.

Situs vero humoris aut in *sola cute* est, aut *cum cute subjectam quoque carnem*, vel tendonem, vel adenem, occupat.

A Qui in cute, vel *in summa* quæ epidermis appellatur, vel etiam *in vera* consistit, quæ illi substernitur.

Rursum vero humor vel partem cui insidet *in suam naturam convertit*, ut in elephante & alpho, vel *per ipsius* duntaxat *substantiam effusus* sua illam qualitate afficit.

Hæ quidem propriæ externorum affectuum differentiæ sunt, ad medendi rationem accommodatæ.

Itaque uniuscujusque propria continens- *Eorum causa.*
que *causa* est humor quidam vitiosus præter natu-

naturam cumulatus: cumulatur autem, vel *congestione*, vel *fluxione*.

Ἀθροισμός. *Congestio* præter naturam sensim fit ex humoribus in parte alimenti vice distributis. Quum enim pars vel ita imbecilla est, ut nec affluens alimentum in propriam substantiam mutare, vel ita vitiata ut id ipsum corrumpat, nec genita excrementa à se propellere queat, necessario præter naturam congestio quædam fit.

Ῥευματισμός. *Fluxio* autem est humoris incursio concitatior atque copiosior quam parti alendæ fit ex usu. Hujus interiores causæ sunt fluxuræ materiæ copia, acrimonia vel tenuitas: propellentis partis robur, viarum laxitas, & excipientis partis imbecillitas, situsve declivior. Evidentes vero causæ contusio, ruptio, vulnus, luxatio, & quæcunque doloris aut caloris vi fluxionem accersunt.

Hi porro *affectus* qui corporis summa obsident, vel *in cute prominent*, vel eam *excavant*, vel *commaculant*.

Prominent tumor, *tuberculum*, *pustula*. Tumor tuberculo major, & utroque minor est pustula.

Tumores sunt: phlegmóne, phygethlon, bubo, phyma, erysipelas, (hoc enim & in tumoribus recenseri solet) œdema, hydrocephalon, hydrocele, tumor flatulentus, scirrhus, ganglion, bronchocele, parotis, struma, cancer. * * *Qui ex illis in cute promineant?*

Tubercula sunt: carbunculus, furunculus, terminthus, glandula, nodus.

Pustulæ sunt: psydraicia, epinyctis, phlyctænæ, ecthymata, ephelides, hidroa, herpetes, scabies, prurigo, lichen, psora, lepra, omniaq; verrucarum genera, clavus, callus.

De singulis igitur dicendum, sed alio ordine ex causarum affinitate instituto, quæ in curandi ratione primas obtinent.

De Tumoribus.

	S. A.		S. A.
* *Molles boni. crudi, mali.*	5. 67.	*in collo ex anginâ, bonum.*	6. 37.
articulorum frigida levantur.	5. 25.	*in pectore ex anginâ, bonum.*	7. 49.
in ulceribus tollunt convulsiones & insaniam.	5. 66.	*inflammatio umbilici, infantibus familiaris.*	3. 24.
sine iis vulnera, malum.	5. 66.	*frigidis curatur.*	5. 23.

De Tuberculis.

	S. A.		S. A.
** *fiunt vere.*	3. 20.	*à plurimo cibo,*	4. 45.
in pueris.	3. 26.	*item.*	7. 67.
cum nascuntur, excretiones inspiciendæ.	2. 15.	*urethræ suppuratione solvuntur.*	4. 82.
item.	7. 63.	*item.*	7. 57.
post febres longas.	4. 44.	*intus rupta exolutionem, vomitum, & lipothymiam faciunt.*	7. 8.

Caput II.

Tumores, tubercula, & pustulæ è sanguine.

Gal. cit. loco. & de tumoribus cap. 8 15. & 2. ad Glauc. c. 1. Phlegmone tumor est calidus præter naturam collectus, prominens atque circumscriptus, ovi saltem gallinacei magnitudine.

Ἡ φλεγμονή. *Ejus signa*, Huic quasi ex igne aut ex balneo rubor inest: calor quoque ex inflammatione vehemens, quasi pars uratur: distentio ex copia renitens: pulsatio profunda & molesta, quod arteriarum diastole partem inflammatam feriat: dolor ex calore, ex pulsu, atque tensione acerbus, præsertim quum pars eximio sensu prædita est.

Causa, *Causa continens* sanguis est, non in solâ cutem, sed in subjectam quoq; carnem impactus, qui è venis eo tandẽ cõfluxit. Quum enim venę arterięq; majores immoderata sãguinis copia distenduntur, hanc gravatæ in minores quasi onus deponunt, ex his demũ in minimas. Ac tũ per minima oscula, perq; tunicarũ meatus sanguis cohiberi non potis; effluit illabiturq; in spacia vacua quæ inter fibras sunt primorum corporum, præcipueq; musculorum, venarum, arteriarum, nervorum atq; membranarum. Hæ partes fluxione dũ perfunduntur implenturq; distentæ copia quasi develluntur, ferventisq; sanguinis ardore incalescunt, doloremque faciunt. Sanguis quippe extra vasa collectus nec

nec libere perflabilis, neceſſario putreſcit, atque inflammatur.

Differentia. Ita quidem ſi purus is erat, *exquiſita* phlegmone fit, cujus ſpecies ſunt: opthalmia, parotis, angina, parulis in gingivis, aliæque ex partibus nomina adeptæ. Eſt & alia *minus exquiſita*, cujus non ſyncerus eſt ſanguis, ſed aliorum quoque humorum particeps. Hinc fiunt phlegmone eryſipelatodes, œdematodes & ſcirrhoides.

† *De Cura Phlegmones reliquorumque tumorum agit Fernelius l. 6 Method. med.* *Τὸ φύγεθλον, ὁ βυβών.* PHYGETHLON phlegmone eſt in adenum locis emergens, maxime vero in cervice, in alis, aut in inguinibus; Latinis Panus appellatur. Sed & qui in inguine naſcitur, peculiari nomine bubon nuncupatur.

Ejus cauſa, & ſigna. Similibus *ex cauſis* ortuque ſimili ac phlegmone naſcitur, iiſdemque *ſignis* innoteſcit. Fere autem fit aut poſt febres, aut poſt dolores partis alicujus, qui fluxionem provocant in adenes.

Τὸ φῦμα. PHYMA tumor quoque adenum eſt, ſimplici phlegmone atque phygethlo aliquanto minor ac planior, minuſque rubens ac dolens.

Ejus cauſa. Non enim è puro ſanguine proficiſcitur, ſed ex eo cui pituitę quiddam ſit admiſtum, ut ſit phlegmone œdematis particeps.

Galen. de tum. c 6. 15. & 17. Ægineta lib 4. c. 23. 24. CARBUNCULUS è ſanguine originem habet, non eo quidem tenui & laudabili, ſed craſſo ac nigro, calido tamen, fervente atque corrupto.

Ὁ ἄνθραξ. Cauſa, Signa, Hic in quamcunque partem invaſerit, eam mox exurit, puſtulas circum ſe ardentiſſimas acerrimaſque ciet, tandemque ardoris vi, cruſtra vel nigra, vel cinerea obducitur. Huic partes vicinæ longo ſæpe tractu conſentiunt, caloris doloriſque participes: valida quoque febris accerſitur. Inflammata pars nunquam ſuppurat, ſed fervore exuſta corrupta carnis locum tandem excutit, quo excidente ulcus cavum ſordidumque manet, hocque uno maxime à cæteris ſejungitur tuberculis.

Differentia. Carbunculorum alius *ſimplex*, qui è ſolo ardore ſimplicique putredine naſcitur, alius *malignus*, qui his etiam jungit venenatam qualitatem: talis in peſtilentia graſſatur, de quo plura proprio loco diximus.

†† *Ὁ δοθιήν. Signa.* FURUNCULUS, dothien Græcis appellatus, tuberculum acutum cum inflammatione ac dolore, ovum columbinum magnitudine non excedens. Phymate ergo minus, ſed acutius, rubentius, ac dolore gravius. Phlegmones veram ſpeciem exhibet, ſed ejus exiguæ, & quæ vix infra cutem deſcendat, atque ſubjectæ carnis minimum comprehendat. Suppurat furunculus perinde atque phlegmone, hincque à ſimplici carbuculo diſcernitur.

Cauſa. *Fit* autem non quemadmodum phlegmone è probo ſanguine, qui in particulam vi quadam irruat: ſed è craſſo & vitioſo, non perinde tamen atque in carbunculo exuſto, quem à reliquo puriore natura ſecernens, tanquam infenſum & inutilem in corporis ſumma propellit. Quocirca ut phlegmone multitudinis, ſic furunculus, cacochymiæ ſoboles eſt: raroque fit ut hic ſolitarius erumpat, ſed fere multis corpus ſcatet atque inquinatur.

Ἡ ἐπινυκτίς. EPINYCTIS Celſo puſtula eſt peſſima, circa quam vehemens inflammatio cum ingenti dolore, ſubrubra ac quadam tenus liveſcens, eaque noctu potiſſimum affligit. Sponte exulceratur, ex eaque ſubcruenta ſanies emanat. Unde & ſpeciem habere cognoſcitur carbunculi, cauſamque ſimilem, ſed quæ nullius peſtilentiæ particeps, levior exiſtat: quemadmodum & ejus puſtula carbunculo minor.

Ὁ τέρμινθος. TERMINTHUS hujus quoque generis eſt, ex fervido præaſſatoque ſanguine prorumpens. Epinyctidi par quidem magnitudine, ſed cui puſtula incumbit nigra ac rotunda, quæ ardore in ſquamam abit.

Τὰ ἐκθύματα. ECTHYMATA etiamſi peſtilentiæ conditionem ſequantur, ex ſanguinis tamen fervore prodeunt & extuberant: neque manifeſta eſt pituitæ permiſtio. Tempore concoquuntur & albeſcunt, eorum materia in pus jam converſa; quæ tandem & in ſquamas ſicceſcit.

CAP.

† J. HEURN.] *Mulieri, cui ex bubone peſtifero ulcus antiquum relictum erat, quod ſeſe in inteſtinum aperiebat, ſæpe faces, ſæpe & lumbricos evomebat, curavit oleo arte parato ex oleo hypericicum parte olei lateritii.*

†† O. HEURNII Ex ſecretis remediis.] *℞ ſevi ſuilli annui, farina, mellis an. partes æquales vitellum ovi unum f. paſta ex aqua formatas placentulas impone hypocauſto, ut caleſcant, & applica brevi tempore maturat.*

CAPUT III.

Tumores, tubercula, atque pustulæ ex pituita.

Gal. 2. ad Glauc. c. 3. 4. 5. 6. *Tumoris à pituita differentia.*

UT pituita alia tenuis, aquosa, aut mucosa existit, alia crassa & glutinosa, cujusmodi est quæ vitrea aut gypsea appellatur: ita necesse est varios ex hac collecta nasci tumores.

Τὸ οἴδημα. *Signa.*

Ac primum quidem OEDEMA tumor est frigidus, laxus ac mollis, doloris expers. Nec calor nec rubor, sed genuinus vel albidus duntaxat color inest: tumor sæpe magnus, & qui presso digito, vel nullo, vel exiguo dolore cedit.

Ὄγκος οἰδηματώδης.

Est autem *duplex*: unus collectus & circumscriptione definitus, qui proprie ac simpliciter *œdema* nuncupatur: alter diffusus & expansus, qui rectius *tumor* est *œdematosus*.

Causa.

B Hic ex crudiore pituitosoque sanguine, aut jecoris, aut assumptorum vitio progignitur, qui in nutriendas partes illapsus, nec in earum substantiam conversus, sensim cumulatus redundat, partemque tumore distendit, ac fere retinet prementis digiti vestigium. Ita sane in tabe, in cachexia & leucophlegmatia, modo pedes, modo reliquum corpus omne tumidum evadit. Verum autem & exquisitum œdema non ex sanguine pituitoso, sed ex pituita fit supervacanea, quæ solum vel aquosa, vel mucosa fit, undecunque illa in affectam partem deferatur. Fere tamen è capitis destillatione huic origo est, quæ sæpe in genua, interdum in humeros aliasque partes decumbit.

Ὄγκοι ὑδατώδεις.

C Huc pertinent AQUOSI TUMORES, quibus vel aqua citrina, vel sanguinis serum comprehenditur: quod genus hydrops ascites, hydrocephalon, hydrocele, & quicunque horum similitudine sub cutem prominent.

Φυσώδεις. Ἡ φυσοκήλη. *Causa.*

Finitimi his etiam sunt FLATULENTI TUMORES, in quibus vapor aliquis flatusve præter naturam concluditur. Hujusmodi sunt hydrops tympanias, ramex flatulentus, & quicunque aut sub ossium membranis, aut in musculis ex collecto vapore attolluntur. Hi admodum raro usu veniunt, vixque usquam potest solus flatus A citra humoris permistionem colligi.

Signa.

Tumor indolens est, nisi quum membranas magna vi divellit atque distendit, œdemate mollior, minusque renitens, nec prementis digiti vestigium retinens.

Galen. de tum. c. 2. Ὁ σκίῤῥος. *Differentia, Causa.*

SCIRRHUS tumor est præter naturam purus, ac renitens, concolor, & indolens. *Duplex is* est: *unus* velut incipiens, nec confirmatus, nec legitimus, in quo presso doloris sensus inest: *alter* confirmatus & exquisitus, qui omnis doloris omnisque sensus est expers.

Utriusque materia est crassus viscosusque humor, qui particulæ impactus in ejusque spacia insertus ita obduruit, ut nonnisi ægre solvi dissiparique possit. Hic autem humor aut statim tumoris initio talis existit, ut quum vel pituita vitrea atque gypsea, vel naturalis melancholia quæ fæx est sanguinis, in parte aliqua seu fluxione, seu congestione cumulatur: Aut ex male curato erysipelate vel phlegmone talis evasit, ut quum ejus materia immodice refrigeratur & adstringitur, aut diaphoreticis dissoluta tenui portione crassior subsistit ac manet. Ut enim jecoris scirrhus fere omnis qui ab ictero relinquitur, ex bile sensim crassescẽte fit: ita & nonnunquam in externis quoq; partibus eandem habet originem.

Ægineta lib. 4. c. 6. Τὸ γάγγλιον. *Causa.*

GANGLION tumor est concolor, durus, renitens, & indolens, nisi quod vehementer pressus stuporis sensum exhibet. Oritur circum nervos & articulos, sæpe in carpo ex crassa lentaque pituita, vel ex naturali melancholia, quæ in eam duritiem concrescit. Qui extra articulos nervosque necnon extra adenas passim exoritur, discriminis gratia quibusdam *nodus* appellatur.

Βρογχοκήλη. *Causa.*

Hujus generis est *bronchocele*, nostris hernia gutturis appellata, inter asperam arteriam cutemque congesta: non, ut plerisque visum est, ex immodicis clamoribus, an ex potu aquæ ex liquefactis nivibus, quæ Alpinis aliisque montanis in usu est: sed ex crassa lentaque pituita quæ eo sensim è capite ejusque partibus externis per auris posteriora devolvitur.

GLAN-

Ἀδὴν ἐσκιρρωμένος.

GLANDULA est adenis tumor obduratus, à nodo gangliove solo situ distans. Hęc enim è solis adenibus, ille è nervis aut articulis emergit. Quumque adenes varie sparsi sint in omne corpus, maxime ad venarum arteriarumque diductiones, in multas quoque partes glandulæ incidere solent: quibus nonnunquam corpus universum (quod multa pituita redundaret) scatere deprehendimus.

In hoc etiam genus pertinent parotis frigida, buboque frigidus.

Ejus differentia.

Glandularum aliæ resolvuntur, quarum humor non admodum crassus sensim digeri dissiparique possit. *Aliæ* suppurant, factoque & erumpente pure in abscessum desinunt. Et hæ quidem sanguinis calorisque sunt participes. *Aliæ* duræ persistunt, veram scirrhi speciem adeptæ: earum origo è gypsea pituita est: *aliæ* ubi inveteraverunt contracta tandem malignitate in ulcus desinunt: illæ strumæ simplices sunt, hæ vero exulceratæ.

Αἱ χοιράδες. *Harum vera*

Vehementer quidem duræ sunt strumę, & propriis membranis, ut glandulæ, omnes obvolvuntur, sed earum materia acrior tandem evadens, adenem ipsum, circumsitam carnem, cutemque exedit, ulcusque efficit malignum, serpens, & exedens. His sæpe ortus est in cervice, in qua plerumque longa serie dispositæ glandularum modo cernuntur. Hinc & nonnunquam in pectus, aut in mammas prorepunt.

Causa

Defluit autem earum materia è capitis parte externa, per cervicis tendones & adenes: idque sensim ac lento adeo cursu, ut sæpe obscura sit origo. Ea vero materia non simplex pituita est, sed quæ jam caloris via ac putredine excandescens acrimoniam conquirit.

Ἡ καρκινωματώδης χοιράς.

Quod si pituita artæ bilis permistione ferocior sit, struma carcinomatis vim & conditionem æmulabitur, nuncupabiturque *struma carcinodes*.

Galen. de tum c. 7. 2. ad Glau c. 10. Ὁ καρκῖνος.

CANCER, tumor est durus, rotundus, inæqualis, venis quandoque ambitu turgidus, colore livescens, aut nigricans dolore, ac interdum calore gravis. In qualibet corporis parte nasci solet, in ore, in oculis, in vulva, in cole, in ano: at maxime in fœminarum mammis, quæ quia fungosæ & inanes, illius materiam prompte excipiunt: sed & in eas tum è capite tum ex utero facilis est decursus.

Signa.

Hujus obscura sunt rudimenta, ac plerumque tumor exoriens sentitur ciceris magnitudine, cum dolore & calore quasi ferientis candentis acus, interdum etiam dolore nullo. Hinc fabæ, deinde juglandis & ovi magnitudinem æquat, dum tandem in ampliorem molem attollatur & increscat. Quum jam illius materia aut vetustate, aut errore vivendi, aut medicamentis incalescit, dolor calorque citra inflammationem vehementior exercet, pars conspicue livescit, aut nigricat, venæ in ambitu crasso nigroque sanguine nonnunquam turgent.

Causa.

Hujus continens *causa* est bilis atra sanguisve fervidus ac retorridus: sæpe ex suppressis menstruis aut hæmorrhoidibus, nonnunquam ex quartana febre cumulatus. Quo pigrior & ignavior humor est, hoc mitiorem cancrum infert: graviorem vero quo is calidior acriorque fuerit. Ille nisi irritatus excandescat, diu citra perniciem consistit. Hic vero coërceri vix potest quin brevi exosa cute se detegat, fiatque *cancer exulceratus*. Tum quidem corruptæ carnis speciem tumor exhibet, cum fœtore, cum sordida illuvie, horrido aspectu, labris præduris & inversis. Ex eo sanies tenuis, nigra aut fulva manet, vapor expiratur, cordi, ori, cerebroque gravis: febris assidua eaque lenta inest, frequens animi defectio, quum præsertim cancer mammis inhæret: exesis venis sæpe sanguis profunditur, & nisi malignitate ocius interimat, longe lateque prorepit.

Cancer exulceratus.

Ἡ φαγέδαινα.

Cancrum proxime imitatur PHAGEDÆNA, & quidem non cutem modo, sed & subjecta quæque depascens & erodens.

Ejus causa.

Hujus etiam *origo* est ab atra bile maligna, aut ab æruginosa, de qua inter ulcera tradetur.

Gal. in defin. Med. Τὸ σάρκωμα.

SARCOMA carnis est incrementum, tuberculi, tumorisve specie. Non ex humoris cujusquam fit affluxu, sed ex solo partis alimento. Hæc enim quia aut intus, aut foris exulcerata est, ni cohibeatur, assiduo alimenti accessu diffunditur atque luxuriat: sæpe etiam venarum & arteriarum instar ductus producit, per quos alimentum sumat. Sic in male curatis ulceribus sæpe excres-

Ὁ πολύπυς, ἡ ἔπυς, ἡ ἐπουλὶς, ἡ σύκωσις. crescit caro: sic *polypus* naribus contusis, sic *epulis* in gingivis ad dentium radices, sic *ficus* in ano. Sic demum & integra cute quum subjecta caro cotusa ruptaque est, *ingens tumor* sensim exurgit, qui & cæterarum partium more alimentum capessit, nullo quidem dolore, sed exquisito sensu & naturali colore. Hic in quavis parte, sed frequentius in cervicis, alarum, inguinumque adenibus provenit, quorum circumscripta caro non facile potest amplificari in tumorem.

Ejus causa. Similem fere *ortum habet* atque phlegmone, distat vero, quod non affatim, sed sensim sanguis accedat, & quantum accedit in alimentum, absumatur atque luxuriet.

Galen de c. 11. & 26. Huc fortasse causarum affinitate pertinebunt *varix*, & *aneurisma*. †

Ὁ κιρσός. Signa. VARIX venæ immodica est dilatatio: in cruribus quam in cæteris partibus frequentior. Quumque vena impletur multo crassoque sanguine, pars aut livida, aut nigra apparet, atque etiam tumet, sed sine dolore: pressus tumor protinus cedit, moxque redit.

Causa. Fit autem ex ictu, ex contusione, ex nimio conatu, ex labore & peregrinatione: interdum ex plethora, ut plerisque mulieribus uterum gerentibus.

Τὸ ἀνεύρισμα. Ejus signa. ANEURISMA arteriæ dilatatio est, spirituoso plena sanguine. Id interdum in externis partibus existit, in manibus, pedibus circa jugulum atque pectus: hoc à varice distans, quod magna, turgida, ac sæpe molesta pulsatio insit. Presso tumore, quæ intus est, materia prompte subterfugit. Fit & nonnunquam interioribus arteriis, maxime sub pectore, circa lienem & mesenterium, ubi vehemens sæpe pulsatio animadvertitur.

Causa. Credi vix potest quod nonnulli comminiscuntur, per hos affectus ruptam apertamq; esse venam aut arteriam. Si enim sanguis è vena aut arteria prosiliens, non amplius illis contineretur, mox corruptus putresceret, tumorque fieret generis diversi.

CAPUT IV.

Externi affectus, & pustulæ à bile.

Galen. de tum. c. 9. Τὸ ἐρυσίπελας. Ejus signa. ERYSIPELAS * ardor est vehemens per corporis summa diffusus. Nec tumore manifesto extuberat, nec partem attollit, aut distendit, nec penetrat in subjectam carnem, sed late diffunditur, nulla collectione circumscriptum. Quamcunque partem prehendit, vehementer mordicat, & urit: color inest ex rubro flavescens, qui pressu subterfugit, moxque redit. Dolor nec pulsans, nec admodum vehemens est. Quum fluxio excutitur, horror quidem ac dein febris hominem adoritur: ac sæpe quum in crura irruit, ab inguinis tumore initium ducit. Serpit id quidem herpetum more, atque priori derelicta sede, in vicinas partes sensim obrepit.

De Erysipelate.

	S. A.		S. A.
* *non ulceratum juvat.*	5. 23.	*ad exteriora, contrà.*	6. 25.
ulceratum lædit.	5. 23.	*ex ossis nudatione.*	7. 19.
uteri in gravidâ, lethale.	5. 43.	*ex eo putredo, aut suppuratio.*	7. 20.
ad interiora verti, malum.	6. 25.		

Aph. 34. 6.

† *Qui calvi fiunt his varices magni non superveniunt, quib. vero calvis superveniunt varices, ii rursus comantur.* solvunt etiam melancholicam, insaniam ut habet. Aph. 21. 6.

Si varix ulceri adsistat, frustra illi, nisi ante curato varice, medeberis. crassior enim, ac limosior in vena restagnans sanguis, varicis caussa, cum sanguinis motum ille inhibeat, nec recenti spirituum affluxu, ut oportet, recreëtur, corruptionis cujusdam expers habendus non est. Mirum autem angustum venæ canaliculum (quod vidisse se scribit FABR. HILDANUS*) ab hærente sanguine, ad brachii molem intumescere posse. Evacuandus igitur, præmissis universalibus, è varice limosus sanguis, quæ cura cum absque igne aut ferro vix peragatur, Marianam plerumque in agro fortitudinem requirit.*

Differentia. *Est* autem *duplex*. Unum, quod *simplex* erysipelas Celso appellatur, solo rubore & ardore, nulla exulceratione molestum. Alterum, quod eidem *sacer ignis* nuncupatur: estque exulceratum erysipelas.

Hujus duæ species sunt. *una*, qua summa cutis sine altitudine exulceratur, in qua & crustulæ instar furfuris excitantur: *altera*, cujus exulceratio altius in cutem penetrat, è qua ruptis pustulis purulenta sanies exit.

Causa. *Simplicis erysipelatis origo* est è fervente tenuique sanguine, qui biliosus appellatur: *exulcerati* vero ex eo cui bilis supervacuæ ejusque incalescentis nonnihil sit admistum. Is è venis tenuioribus propulsus nequaquam in carne subsistit & hæret, sed tenuitate in cutem fertur & evolat, quæ densior & compactior hunc retinet cohibetque. Quumque tenuis sit humor, facile dispergitur, neque in conspicuum tumorem se attollit.

Genus hoc universum exquisitum est erysipelas; quod vero phlegmonodes appellatur, tumentius quidem, sed minus fervidum existit, multoque minus œdematodes.

Αἱ φλυκταιναι & φλυκτίδες. Sylvester ignis. Huc pertinent PHLYCTÆNÆ & PHLYCTIDES Græcis nuncupatæ. Repente emergunt subflavi humoris copia distente, bullarum modo lucidæ, atque iis similes quæ ab aqua fervida, vel ab igne ambustis erumpunt, non manifesto tamen dolore graves. His ruptis humor excidit, crustulæque obdurescunt, dum sanescant.

Signa, Causa. Has constat non nisi ferventissima bile *gigni*, quæ ignem viribus suis adæquet, ut non idcirco præter rationem illas vulgus ignem sylvestrem appellarit.

Galen. de tum. de c. 9. Ὁ ἕρπης. Differentia. His proxima est PAPULA. Est autem ardor cutem serpentibus minimis pustulis exasperans ac rodens, Græcis HERPES appellatur. *

Ea quidem *duplex*, una simplex quæ herpes est *miliaris*, † altera fera, quæ herpes *exedens* nuncupatur.

Signa. *Papula fera* ruptis pustulis veram cutem exulcerat, rodit atque depascit, serpit in latum atque in altum, ex eaque ulcuscula manent arida. *Papula simplex* & mitior summam cutem exasperat, & sub una epidermide consistit, exiguas illic pustulas excitans, quę minimum extant aut prominent, milio haud absimilis. Utraque in vicina quasi in orbem quoquoversum serpit, seque diffundit, ac plerumque medium sanescit, extremis longius procedentibus.

Distinctio ab erysipelate. Papula exulcerata erysipelati summe affinis est, ut idcirco nonnulli in genus idem confundant: hoc tamen discriminis intercedit, quod erysipelas conspicua fluxione derepente emergit, herpes vero seu papula sensim multoque tempore, nec conspicua fluxione efflorescit. Herpetis pustulæ aridæ sunt, è quibus ruptis nec sanies, nec pus exit. Erysipelatis vero magnæ, exulceratæ & humidæ, quæ saniosum pus effundunt. Herpes pruritu, erysipelas dolore ac ardore torquet. Omnis papula diuturna est, prorsus febris expers, nec nisi tempore sanescit: erysipelas vero fere cum febre est, præceps, & quod brevi vel sponte solvitur.

Causa proxima. Utriusque herpetis materia, *continensque causa*, bilis est syncera supervacua, eaque ardentissima, cujusmodi prassina vel æruginosa, quæ sensim nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate partes omnes, præcipueque carnosas, transgreditur, dum densiorem cutem attingat. At vero crassior ea atque glutinosior est quam in erysipelate, ac proinde diutius atque tenacius in cute hæret ac subsistit. Quæ igitur glutinosior fuerit simulque acrior, in cute tota remoratur, pustulasque movet, quibus ruptis exulcerata cute, papula fera emergit. Tenuior vero cutem etiam penetrat, coërceturque in sola epidermide, quam si sudoris modo nequeat transire, erodit, & pustulis intercursantibus exedit. **

Æginet. lib. 4. c. 3. Ὁ λειχὴν. IMPETIGO, cutis est asperitas, dura ac sicca, cum ingenti prurigine. Ea autem à scabie distat, quod sicca sit & omnis humoris omnisque saniei expers. Ex siccis enim pustulis fit, scabies vero ex humidis.

Hujus *quatuor* sunt *species*.

Ea est vel prurigo. Ὁ κνησμός. *Una* admodum *simplex*, qua cutis rubra, dura, exasperataque vehementi pruritu roditur:

† J. HEURNIUS Pro herpete miliari hoc secretum habuit.] ♃ *Fœcem Vini inter duo lintea, applica.*

ditur: at hæc simplici *pruritus* nomine continetur.

Oritur ex bile, aut ex pituita tenui, quæ tamen putrida sit, aut salsa, & quæ sub una epidermide, coërcetur, eamque exedit.

Impetigo. *Altera* est vera impetigo, *lichen* Græcis nuncupata, quæ asperior pustulis majoribus emergit, acrius corrodit, latiusque procedit.

Hæc sæpe ex neglecta papula *fit*, fereque ex ea quæ papula fera nuncupatur, & quæ nisi mature sublata sit in lichenem vertitur, hic deinde in psoram, psoraque in lepram. Lichenis materia est bilis ardentior, aut pituita putris ac salsa, non tenuis illa quidem, sed quæ crassitiem, aut ex se, aut ex aliorum permistione contraxit.

Ἡ ψώρα. *Tertia* species est Græcorum *psora*, (hæc enim à scabie longe est diversa) qua cutis crassior, siccior, purior, tumentior & serpentibus pustulis asperior evasit: his vehementer roditur & exeditur, passimque finditur, & ex se furfuracea quædam nigra excutit.

Huic *originem dedit* atra bilis in cutem effusa, è qua digeri vix potest: ægre siquidem hoc malum sanescit.

Quarta species est *lepra* Græcis nuncupata, omnium sane deterrima. Ea cutem vehementer rodit, alte depascit atque findit, ex qua non solum furfures, sed & squamulæ decidunt, modo pallidæ, modo subnigræ: nullis hæc cedit remediis, & de ejus curatione vulgus divos implorare solet. Ἡ λέπρα. Hipp. aph. 20.53.

Nascitur ex bile atra, cui etiam crassæ lentæque pituitæ salsæ quiddam sit admistum. Hincque non epidermidem solum: verum etiam totam cutem prehendit ac obsidet. Quodcunque psora leprave inquinatum sit corpus, sensim id tabescit & absumitur.

De Ani Affectibus.

	S. A.
* *Herpetibus quid prosit & noceat.*	5. 22.

De Impetiginibus, & pruritu.

	S. A.		S. A.
** *fiunt vere.*	3. 20.	*senibus.*	3. 31.
in viris.	3. 30.		

CAPUT V.

De Pustulis.

Galen. de tum. c. 15. Ægineta lib. 4. c. 2. & lib. 6. c. 87. Τὸ ἐκφύμα, Eruptio.

CUtis admodum frequens vitium est PUSTULA * cujus appellatione comprehenditur quicquid rotundo schemate leviter in cute extuberat.

Ejus *duo genera*. una est *humida*, è qua rupta, vel humor, vel sanies, vel pus emanat: altera *sicca*, humoris nihil profundens.

Humidis continentur hidroa, ephelides, phlyctænæ seu phlyctides, epinyctides & quæ ex his ruptis fiunt scabiei genera.

In *siccis* numerantur exanthemata quædam, pruritus, deinde & vari, & verrucarum genera.

Ἱδρῶα. Exiguæ & AQUOSÆ PUSTULÆ sunt hidroa, id est, sudationes.

Signa. Emergunt repente sparsim toto corpore, sed frequentius in manibus pedibusque milii magnitudine, aqua plenæ, sine rubore, sine ullo dolore.

Causa. *Fiunt* enim ex sudoribus sub epidermide coërcitis, per cujus spiracula ii digerii minime possunt: unde à quibusdam sudorum papulæ nuncupantur.

Αἱ ἐφηλίδες. His aliquando majores sunt EPHELIDES, pustulæ quidem in ambitu rubræ ac fervidæ levi dolore, è quarum medio rupta bulla, aut vesica, albus humor instar lactis exit, scabiesque succedit.

Causa. *Fiunt* autem ex fervido impuroque sanguine sub cutem effuso.

Ξυσμός. SCABIES aspredo cutis est, seu levis exulceratio pruriens, aut interdum rodens.

Causa. *Fit* autem ex humidiore quavis pustula, sive pallida, sive livida, sive nigra sit: quæ rupta ulcusculum in cute profert humidum, aut etiam interdum expurgata sanie ari-

aridum, idque modo cum prurigine sola, modo cum levi rubore in ambitu, cumque calore ac dolore. Ex resiccata sanie crustula obduréscit, qua sæpe ulcusculum obducitur.

Species. Ut autē pustularum ita & *scabiei species multa*, humoresque multi ac varii earum causæ existunt, quos & dolor, & color, & manantis saniei species distinguit.

E toto quidem corpore scabies erumpere solent, sed *ex capite* pessimæ, quæ idcirco peculiari nomine sunt insignitæ. Appellatur autem *psydracia*, *favus*, *& manantia capitis ulcera*.

Τὸ κηρίον. Ὁ ἀχώρ. *Favus*, qui Græcis est cerion, saniem amplis foraminibus emittit mellis crassitudine. *Vlcus manans*, quod Græcis est achor, glutinosam saniem angustis foraminibus eructat. Hæc scabiei genera ab ea *simplici capitis scabie* distant, quæ summam duntaxat cutem obsidet.

Earum signa, Causa. Hinc autem cerion & achor *dignoscuntur*, quod evulsi capilli radix crassa inprimis est, lento crassoque humore obsita.

Causa est nitrosa salsaque pituita, aut melancholia, sub cute maligne putrescens, quæ quoniam capillorum radici multa inhæréscit, & capitis quam cæterarum partium cutis densior est, ex ea detergeri aut elui tota vix potest. Quocirca ulcus ægre sanescit, atque ex humoris pernicie inprimis contagiosum pueris exiitit.

Ἀκροχορδών. VERRUCARUM genera licet exigua sint mole, quod tamen fœda sunt ac plerumque molesta, in morbis haberi debent. *Hip. Aph. 26 f 3.*

Verrica pensilis, quæ acrochordon Græcis appellatur, parte quidem summa latior, ima vero quæ ad cutem est tenuior, qua quasi pediculo innititur. Exquisite dura est & aspera, cuti concolor.

Altera thymium dicta, & colore thymi florem repræsentans, ad cutem etiam tenuis est, in summo lata, dura & aspera, pensili minor. Hæ quidem verrucæ raro solitariæ, sæpius complures proveniunt, maxime in palmis pedibusque puerorum. Plerumque inopinate comparent, atque etiam nonnunquam subito disparent.

Verruca sessilis, quæ Græcis est myrmecia, humilior est thymio, lupino vix unquam major, dura, stabilis, latiore basi: radices alte exigens dolorem ciet. *Μυρμηκία.*

Clavus, ut sessilis verruca, in cute eminet, albus, rotundus, callosus, parte summa clavorum capiti similis; sed prædura solidaque radice intro se insigens, quasi ex ossium membranis emergat & expullulet. In digitis plantisque pedum ex calcei pressu aut intertrigine nasci solet: acuto interdum dolore sponte feriens, semper vero ingredienti molestus. *Ἧλος.*

Callus colore atque substantia clavo similis, obdurata est summa cutis ex labore, in palmis aut in inferioribus pedū plantis succrescens. Nullam tamen radicē alte demittit, ac proinde prorsus est doloris expers. *Τύλωμα.*

De pustulis.

	S. A.		S. A.
* *ulcerosa in vere.*	3.20.	! *lata non admodum pruriunt.*	7.9.

CAPUT VI.

Maculæ.

Galen. de tum. c. 10. Δέρματος σπίλος καὶ κηλίς. CUtis vitia quædam nihil prominent, sed æqualia manent nulla asperitate: hujusmodi sunt MACULÆ quæcunque alieno colore hanc fœdant: ut *vitiliginis species, lenticula, ecchymomata, sugillata, stigmata, vibices*.

Ὁ ἀλφός. Ejus signa. VITILIGINIS *tres* sunt *species*, *alphus*, *melas*, *leuce*. In his cutis fœdatur dispersis maculis, neque continuatis, neque cohærentibus, sed quæ sedem mutant ac serpunt. Sub his sensus aut omnino perit, aut multo stupidior evadit, ut ne, si cutis scalpatur, & interdum ne si acus quidem leniter insigatur, percipiat. Alphus albo, melas nigro colore velut umbra inficit: atque hi summam duntaxat cutem occupant. Leuce albo etiam, ut alphus, colore describitur, sed altius descendit, cutemque totam prehendit. In hac pili excidunt, aliique albi ac tenues succrescunt lanugini similes. Confirmata leuce perfrictione nusquam rubescet, neque adacta acu sanguis, sed aquosa dunta-

duntaxat sanies exit. Videtur præterea & interdum vitiligo quædam rubro, fusco, aut livido colore, cujus sensus aut perit, aut stupidior est, hocque genus universum juniores *malum mortuum* appellant.

Causa. Hæc vitia peculiaria iis sunt, quorum malus est habitus: omnium quippe efficiens causa est humoris impuritas. Alphi quidem & leuces crassa glutinosaque pituita, melanos bilis atra, cæterorum humor fœdo colori consentaneus.

Ὁ φακός. LENTIGO & varus, in facie potissimum & in manibus, nonnunquam in pectore, emergit lentis magnitudine, colore fusco, crebris quasi guttis dispersa: his familiaris qui ruffo sunt pilo. Interdum, hyemeque præsertim, sponte deletur, æstate revirescit ac crebrescit. Accidunt & partibus cæteris maculæ majores, palmæ interdum magnitudine, colore etiam fusco, & quæ quibusdam temporibus & oriuntur & desinunt, quæ quoniam naturæ ejusdem sunt, in id quoque genus pertinent.

Causa. Has autem constat ex melancholico succo *nasci*, qui è visceribus in cutem fit effusus. Interdum etiam peculiari cutis vitio & affectu contrahuntur, quo illius alimentum, etiam si purum sit, corrumpitur, alienumque colorem subit. Cutis enim extrinsecus infecta suum pariter cibum mutat, quemadmodum & maculæ ab ortu prima que conformatione, ut signa quædam nobis inustæ, nulla possunt ratione deleri: & si nonnunquam obscurantur, tempore tamen virescunt, aliæ quidem cum maturis fragis aut cerasiis, aliæ vindemiarum, aliæ alio tempore aliove cœli statu. Quinetiam ut exanthemata, ita etiam aliæ quædam maculæ venenatæ qualitatis contagione sine pustulis efflorescunt, tum colore, tum figura variæ, atque etiam interdum inauditæ: idque vel aëris inquinamento vel hausti veneni pernicie, vel virulentæ bestiæ morsu: quę non nisi exstincta venenata qualitate deleri possunt.

ECCHYMOMATE quoque cutis fœdatur: hoc enim est sanguinis per cutem effusio, atque concretio. Τὸ ἐκχύμωμα. *Causa.*

Effunditur autem è tenuibus exilibusque venis in cutem sparsis, quę ob sanguinis copiam aut tenuitatem, aut acrimoniam, vel anastomosi, vel diapedesi reserantur: crebrius vero vel labore immodico, vel contusione ex ictu casuve rumpuntur.

Ex his ergo sanguis per cutē effusus coit, modo cum levi tumore ac dolore, modo citra hęc, ejusque colore inficitur cutis. Primumque livescit, ac tum affectio pelioma Gręcis nūcupatur: deinde & nonnunquam nigrescit, estque tū melasma: utraque nobis sugillata dicūtur. His minora sunt stigmata vibices quales relinquuntur è flagellis. *Signa.* Τὸ πελίωμα, τὸ μέλασμα, τὰ ὑπώπια, τὰ σίγματα, & μώλωπες.

CAPUT VII.

De grangræna & abscessu.

Galen. de tum. c. 8. 2. ad Glaucum 9. Γάγγραινα. Ὁ σφάκελος.

MAgna sæpe vitia phlegmonis aliisque tumoribus succedunt, quorum non aliud GANGRÆNA pejus. Est enim incipiens partis corruptio: quę quum jam eo processit, ut pars corruptione extincta & emortua sit, *Sphacelus*, id est, sideratio nuncupatur. Hęc in osse caries est, in carne cęterisque partibus, generis nomen retinet.

Signa, Primum igitur coloris flos perit & extinguitur: quumque sphacelus est, pars livet aut nigrescit tumida, mollis ac prorsus cadaverosa: nec arteriarum pulsus est, nec dolor, sed nec sensus ullus, ut etiam sine sensu doloris alte scalpellus adigi possit.

Causa, *Oritur* autem quum pars affecta vitali calore ac spiritu destituitur: aut quia à corde per arterias influere prohibetur arctiore vinculo, contusione, vel obstructione: aut quia insitus partis calor præfocatur & extinguitur, idque vel humorum copia, ut in magnis inflammationibus, vel ingenti obstructione quę perspirationem prohibet, vel penetrabili frigore, vel venenata atque maligna qualitate. †

Gangrænam in Pede & tibiis, nervosis partibus.

† Mr. JOHAN. SIMONIS, in JOH. BAARSDORP, Consule Lugdun. Batavor. Anno 1599. ita curabat; scarificabat mortuam & semimortuam partem ita ut ater efflueret Sanguis & cataplasmata ex herbis calide imponebat linteo quadruplicato;] ℞ *Herbar. scordii, cucumeris asinini, lapathi acuti, apii, sambuci, cardui bened. angelicæ urticæ & anagallid. althææ*

...rior: sambuci, chamomill. meliloti, brassicæ an parum admodum farinæ fabar, bar. hordei, lupinor- ne nimium crassescat, pulver. ireos, senecii, parietar, hyperic, nicotianæ & crocum coq. s. a. ex aq. vel lixi- vion- addebat interdum salem: cum excidisset eschara imponebat hoc oleum: coque in melle succum ab- synth. scordii, pimpinell. consolid, apii, in fine adde ol. hyperici ut, inde omnino rubescat. Hoc streptis latis imponebat, ac Emplast. gryseo tegebat, cui ulterius folium brassicæ rubræ imponebat & dein cataplasma. J. HEURNIUS] in scretis remediis.

Gal. de tumor. c. 3. 2. ad Glaucon. 7. 8. Τὸ ἀπόστημα.

ABSCESSUS, apostema Græci dicunt, *est collecta materia in pus aut in alienam substantiam conversio.*

Ex inflammatione.

Inflammationis quidem materia, quæ sanguis est, extra venas putrescit: cujus si tanta est putredo ut nequeat ab insito calore vinci, sæpe in gangrænam transit: sin vero vincatur, concoctione in pus facessit, eaque puris collectio absolute est abscessus. Hic quum fit, locus tumentior, durior, rubicundior, fervidior ac antea apparet, dolor incumbit vehementior, isque pungens ac lancinans: atque si locus insignis est, febricula rigorque inordinatus noctu potissimum fatigans. Abscessu jā facto mitescunt omnia, tumor in mucronem magis attollitur, excitaturq; cutis prurigo. Pus enim cineri comparatur, cujus jam calor deferbuit.

Ex aliis tumoribus.

Fiunt porro & *alii abscessus ex frigidis*, duris, inveteratisque tumoribus, quorum materia neque inflammatur neque suppurat. Ex his non pus, sed aliena quædam substantia eruitur, ex frigido humore concoctionis vi genita. Ita enim his apertis potissimumque inveteratis, substantiam deprehendimus similem vel grumo, ve. ossi, vel ungui, vel pilo, vl lapidi, vel adeni, vel ligno, vel carboni, vel luto: ea in carnosa parte succrevit, sed nulla cysti obvoluta. †

Gal. de tumor. c. 5. Tunicæ conclusi. Τὸ στεάτωμα, τὸ ἀθέρωμα, ἡ μελικηρίς.

Fiunt & alii quoque abscessus quorum materia cysti & *tunica concluditur*, atque ex materiæ conditione tres emergunt eorum differentiæ, *steatoma, atheroma* & *meliceris*. In *steatomate*, quæ extripatur, sevo, in atheromate, pulti, in meliceride melle persimilis est, circum quam tunica vetustate obduruit. Hæc in reliquis partibus corporis rarissime, crebro in capite progigni solent, quod hujus cutis densa materiam diu cohibeat, dum in alienam externamque substantiam concedat. In hæc quoque genera pertinent capitis tumores, junioribus testudo & talpa dicti, nisi quod fere distent magnitudine.

Eorum signa.

Quoniam autem lenti sunt hi abscessus, ac sensim multoque tempore gignuntur, aut nullo aut obscuro dolore exercent, nisi quum forte acrius suppurant. ††

Galen. de tumorib. cap 4, 5. Ὁ κόλπος.

SINUS, venter est & obtecta latensque capacitas, expurgato abscessu manens. Quum sanguis in phlegmone, aut alia in abscessu materia putrescit, contagione vicinam quoque carnem, & interdum nervorum venarumque fibras corrumpit & exedit, quæ & puris naturam subeunt, & cum pure defluunt. Proinde pure affatim effuso, necesse est intus sinum relinqui, quo id tenebatur. Quum enim pus exitum nullum habens diu coërcetur, ac intus subsidit, proxima quæque & adhuc sana rodendo sinuat, sicque late sinus se fundit.

Ἡ σύριγξ.

Hic si in longum exporrigitur, longioreque ductu pus emittit, *fistula* nuncupatur: est enim arctus oblongusque sinus. Hæc ex figura modo simplex, modo multiplex, quasi ramulis sparsa, interdum recta, interdum tortuosa flexuosaque est.

Τυλώδης κόλπος.

Recens sinus atque fistula carne sua circunvolvitur, cujus tandem latera vetustate obdurescunt, quod pure adhærente nec tempestive deterso atque concrescente occallescant. Hoc tanquam pariete aut velamento sinus fistulave circundatur, qui & tum *callosus* appellatur.

CAPI

De Gangræna & Sphacelo.

	S. A.			S. A.
* *Cerebri tribus diebus interficit.*	7. 50.	1	*à frigore.*	5. 22.

† *De mirabili atheromate cum immani cruciatu conjuncto in femore* PETRI SIDONIÆ *Hispanorum Capitanei in Indiæ Occidentalis Provincia Cuatulco, in quo deprehendebantur minuti pisciculi vide* Spiegel der Spaensche Tyrannie. p. 332.

†† Steatoma Curatum fuit ab J. HEURNIO ut inter secreta remedia annotavit] ℞ *Emplast. diadictamnum proficiebat sed non curabat Filiæ D. Præsidis* BANCHEMII, *sed curata*

fuit ab eo steatomate quod genarum alteram occupaverat. ♃. persicariam maculatam ex ex sumebat maculis non tincta folia, ea in exiguas partes conscindebat & applicabat steatomatie, & ejusdem folio contingebat, abluebat autem aqua stillatit. ex foliis persicariæ; inde illam bene curavit.

CAPUT VIII.

De Vulnere.

Avicenna l. 4. fen. 4. cap. 1. Θραῦμα.

UNitatis solutio in utramque partem tum similarem, tum organicam incidit, estque communis utriusque morbus. Quæcunque interiorem & ex corporis vitio originem habet, aut quæ pus putredinemve contraxit, ulcus appellatur. Nam & phlegmone aperta, & vulnus quod incuria jam sordidum ac putre evasit, specie mutata ulcus est.

Ejus species. Πληγὴ ἢ τρῶσις, νύγμα, θλάσμα, κάταγμα, ῥῆγμα.

Quæ vero extrinsecus orta est, si cæsim infertur, *plaga* aut vulnus * si punctim ab acuto telo, punctio: si collisu, à re gravi, in carne quidem *contusio*, in osse fractura: at in membrana, nervo atque vena *ruptio* nuncupatur.

Causæ.

Evidentes causæ aut incidunt ac vulnerant, aut pungunt, aut contundunt, aut multifariam agunt. Incidunt ensis & quæcunque longiore sunt acie. Puugunt pugio, sica, sagitta, animalium morsus, & quæcunque mucrone sunt prætenui. Contundunt casus, violenta incursio, motus vehemens, vociferatio. Multifariam agunt, venabula, retusa tela, & quæcunque vulnerando contundunt. Hinc igitur tres primæ fiunt solutæ unitatis differentiæ. Vulnus quod partis est mollioris, ut cutis, ut carnis, venæ, arteriæ, nervi aut membranæ. Punctio vero uniuscujusque partis perforatio. Contusio seu collisio mollioris partis frequens interior divisio, externa facie integra. Durioris vero partis ut ossis (quod irruenti corpori duro nō intro cedit, nec in se compellitur) solutio, fractura est. Tensarum vero partium, ut nervi, membranæ, tendonis, venæ & arteriæ, ruptio. Hæc simplicia sunt solutæ unitatis genera; ex quorum commistione composita emergunt.

Vulneris differentia.

Uniuscujusque multæ rursum species existunt. Nam *vulnus* aut *simplex* est, aut *cavum*. Hoc ita appellamus in quo propriæ substantiæ portio quædam periit. Simplex rursum aut summum est, quum cutem solam occupat: aut profundum, quum in carnem, in aliasve subjectas partes infligitur. Longum aut breve, magnum, aut parvum, atque in his non longitudo sola, sed altitudo quoque & latitudo spectanda. Rectum vel obliquum, æquale vel inæquale, ut quod parte una summum est aut angustum altera profundum aut latum.

Signa.

Singulæ ejusmodi differentiæ tum sensibus, præsertimque visu atque tactu, tum infligentis causæ animadversione *internosci* solent, neque (quum coram sint & in conspectu positæ) alia de se indicia postulant. Sed tamen causæ quæ vulnus inflixit & materia & figura & magnitudo & vires æstimandæ sunt. Materia aut lignea est, aut arundinea, aut ferrea, aut ærea, aut stannea, aut plumbea, aut cornea, aut vitrea. Figura aut acuta, aut obtusa, recta, curva, angulosa, sulcata aut spiculis alata. Magnitudo teli admodum varia obtingit, cujus etiam appellatione irruendi impetus comprehenditur: ut fit utrinque vulneris magnitudo conspectior. Vires ejus materiæ quæ vibrantur interdum nullæ sunt, interdum aut simplici aut venenata qualitate infensæ sunt: simplici, ut cauterium & septicum medicamentum: venenata, ut tela toxico immersa exstinctaque, ut rabidi canis, serpentis aut muris aranei morsus, ut scorpii, viperæ aut phalangii aculeus. Hæc vero non amplius simplicia & solitaria sunt vulnera: quemadmodum nec quę vel ingen-

De Vulneribus.

	S. A.
* *magna sine tumore, mala.*	5. 66.
ex iis, convulsio lethal.	5. 2.
cerebri, cordis, septi, jecoris, ventriculi, intestinorum tenuium, vesica, lethalia.	6. 18.
ossis, cartilaginis, nervi, genæ, præputii, non coalescunt.	6. 19.
item.	7. 28.

gentem dolorem, vel phlegmonem, vel pruritum comitem habent. Hinc autem illa nosci possunt, quod symptomata quam pro simplicis vulneris conditione graviora suscitent, maxime vero quæ toxicorum & virulétarum bestiarum ictibus infliguntur, de quibus posthac plenior erit tractatio.

Signa quæ indicant partem quamcunque vulneratam. Nunc autem ad eas notas pergo quæ demonstrant *quæ pars* in quovis vulnere plurimum sit *affecta*.

Venam. Incisa *vena* sanguis abunde profunditur, eoque abundantius quo amplior atque turgidior ea fuerit: profluit autem continenter & æquabiliter, nullo subsultu, sanguis crassiusculus atque rubcundus.

Arteriam. Ab *arteria* vero tenuis, flavus ferviduſque manat, neque is æquabiliter, sed pulsu quodam & saltu: quum enim arteria se summittit, copiosior exit.

Nervum, *Nervo* autem seu punctim seu cæsim vulnerato, motus, interdumque sensus, perit aut certe offenditur, torporque accidit partibus vulneri subjectis, dolor ingens excruciat, inflammatio partem exercet, nonnunquam in gangrænam desinens, febris accenditur, cerebrique consensu sæpe delirium succedit. Convulsio quoque insequitur, idque frequentius puncto & quadamtenus secto, quam præciso nervo.

Tendinem, Vulneratis *tendonibus* aut *membranis* quæ tum calvam tum reliqua ossa convestiunt, eadem signa at obscura tamen obtingunt: multoque magis cæsis articulorum vinculis.

Os. *Os* vulneratum si nudatum est immisso specillo scabrum exasperatumque percipitur nullo dolore, nisi quum forte obtegenti membranæ durius occurritur.

Si interior pars quæpiam consauciata sit & offensa, quæ ejus sunt indicia. Jam vero quam *intus partem* unumquodque penetrans vulnus attingat, *signis judicandum*. Si ex capitis ictu *meninges* vulnus acceperint, atrocissimus dolor inest, qui & mansu adductisque maxillis, & spiritus contentione exacuitur: protinus vomitio consequitur, identidem ac subinde recurrens, *Meningum.* sanguis intro effusus nonnunquam vel è naribus, vel ex auribus, vel ex oculis promanat: sensus interdum quasi attonitis obtunduntur, nervique distenduntur: nec multo post febris, atque mox delirium exoritur, præsertim quum inflammatio occupaverit.

Cerebri, Si *cerebri* quoque *substantia* offenditur, ut facile fit quum amplificatum id (ut plenitudo) omnem calvæ capacitatem implet, mens labat, symptomataque omnia ingravescunt, ac sæpe cerebri portio non citra vitæ perniciem excidit.

Ventriculorum cerebri, At si altius in *cerebri ventriculos* vulnus sit inflictum, aut si transfossi sunt oculi, repentina mors insequitur, perinde ac percusso corde: illic quippe vis animalis, hic autem spiritus atque etiam sanguis confertim emanat.

Pectoris, Quum *pectoris vulnus* in cavum subit, exspiratione flatus erumpit, atque vel aloës, vel myrrhæ, vel aristolochiæ pulvere in vulnus infuso, mox amaror impartitur ori.

Pulmonum, Vulneratis *pulmonibus* præter hæc, expuitio spumans cruentaque fertur, spiritus difficile atque cum sono eliditur, deinde ni repentina mors sequatur, tum febris, tum marcor hominem sensim conficit.

Cordis. Consauciato *corde* protinus extrema frigescunt, morsque in propinquo est: atque ea derepente irruet, si sauciatio in illius sinus descenderit.

Arteriarum & venarum, *Arteriis venisque* amplioribus inibi dissectis, magna sanguinis viriumquefacta profusione, sudores frigidi fœtidique exeunt, mortis nuncii.

Diaphragmatis, Transfixum *diaphragma* præcordia convellit: summam infert difficultatem spirandi, delirium quoque & mentis alienationem, nonnunquam tussim, & expuitionem cruentam, tandemque haud secus atque ictus pulmo tabem atque interitum: maxime quum parte id media afficitur, ut quæ nervosa exanguisque sit, & continenter agitetur. Extremarum vero partium quæ carne multa sunt præditæ vulnera interdum agglutinantur.

Gulæ, Vulnerata *gula* nullus cibi potusve transitus est: quidquid assumptum fuerit, protinus evomitur: singultus, animi defectio, ac plerumque convulsio distorquet.

Ventriculi E *ventriculi* vulnere quod in capacitatem subit, cibus & potus erumpunt: vomitio quoque frequens est, & singultus, & animi defectio, nec ex eo diu quisquam servari potest.

Intestinorum, Dissectis *intestinis* feces minime descendunt, sed in abdominis spacium illabuntur, gravi exorta putredine: atque plaga

vel

vel fęces ipsas vel earum odorem fundit. * A

Iecoris, Lienis, *Iecoris* aut *lienis* vulnus quum per summa est, præcordia ad spinam reducit: cruentas tum vomitiones, tum dejectiones movet, lateris punctiones doloresque ad jugulum, quod è directo est, animi defectiones atque febrem, alvi profluvia, quibus tandem quasi atrophia corpus liquescit & absumitur. At quod altius vulnus infligitur, animi defectione frequenti, sudoreque frigido, mortem accelerat.

Renum, E *rene* læso mictio fit cruenta, eaque parcior: dolor ad inguina atque testes devolvitur, urina sub abdomine collecta hydropis quandam speciem exhibet.

Vesicæ, Eadem propemodum & percussa *vesica* infert, atque insuper vomitionem, singultum, deliria, urinæque profusionem è vulnere: quibus & mors succedit.

Spinæ medullæ, Discissa *spinæ medulla* subditæ partes resolvuntur, earumque motus ac sensus omnisque functio intercidit, ut etiam modo stercus, modo urina, modo semen præter voluntatem exeat.

Plurium partium. Raro autem simplex vulnus usquam consistit, sed fere *partes complures* occupat atque comprehendit, è quibus & multa & varie confusa signa existunt. †

De Intestinorum Affectibus.

	S. A.
* *Gracilium vulnera non coalescunt:*	6. 24.
tenuiorum, lethalia.	6. 18.
recto inflammato, adest stranguria.	5. 58.

CAPUT IX.

De Vlceribus.

Aëtius l. 14. c. 33. &c. Ægineta lib. 4. c. 36. Τὸ ἕλκος. ULCUS * *est fœda impuraque continui solutio.* Impura quidem fit, non ut vulnus sanguine, sed vel humoris vitio, vel hinc genita sanie, vel pure, vel quavis alia corruptione; non extrinsecus, sed ex vulnere ipso profecta. Vulnus extrinsecus accipitur, ulcus nonnunquam extrinsecus quoque, ut quum vel septico medicamento, vel cauterio corpus inuritur: at sæpius huic origo spontanea ex interiori vitio est.

Causa, Itaque omnis *efficiens* vulneris *causa*, evidens est, ulceris vero plerumque interior, quivis scilicet humor præter naturam collectus. Hic enim vel exesione ulcus gignit, vel in vulnere accepto vetustate aliave ratione succrescit. Est autem ulceris interior illa causa duplex, antecedens & continens. Antecedens est corporis impuritas atque cacochymia, aut ex improbo victu, aut ex viscerum prava affectione contracta. Continens est, vitiosus humor, omnisque corruptio in affecta parte consistens ac hærens. Vulnus ergo solitarium existit, neque illi causa assidet: ulceri sua semper comes est causa, quæ quod genuit etiamnum fovet.

Differentiæ accidentales. Præcipuæ *ulcerum differentiæ* & ex iis quæ dimanant, & ex causarum varietate statuuntur. Ulcus quidem, quemadmodum & vulnus, appellare licet magnum, parvum, summum, profundum, rectum, obli- B quum, æquale, inæquale, recens aut inveteratum, at non illius propriæ sunt differentiæ.

A sanie. Ἕλκος, ἰχωῤῥοῦν, ἰῶδες, ῥυπαρὸν, πυῶδες, σκωληκιῶν, Ab iis quæ in ulcere succrescunt indeque manant, species hæ fiunt, *ulcus saniosum, virulentum, sordidum, purulentum,* atque *verminosum.*

Est autem *sanies* omnium quæ defluunt tenuissima, minime glutinosa, subalbida aut subrubicunda. Quod hac crassius existit, si glutinosum quoque est, sive Græcorum

† J. HEURNIUS Ad Vulnera ut secreto usus est. *Ol. Lanceæ Christi.*

De Ulceribus.

	S. A.
* *fiunt verè.*	3. 20.
oris in infantibus:	3. 24.
vesicæ & renum signa,	4. 75.
frigidum mordax.	5. 20.
calidum inimicum.	5. 21.
tumores avertunt convulsionē, & insaniā.	5. 65.
circumglabra prava.	6. 4.
hydropicorum difficilia.	6. 8.
à frigore. 5. 22. *à forti pulsu hæmorrhagia.*	7. 21.
in diuturnis abscessus ossis.	6. 45.

ἰχὼρ, ἰὸς, πύον,

ichor sit, sive meliceris, nostris *virus* appelletur: *pus* utroque crassius est, & albidius, minime tamen glutinosum aut cohærens: hoc ex ulcere exit jam sanescente, sanies ex incipiente atque crudo, virus ex maligno. Unumquodque autem vitiosum habetur, si multum, tenue, dilutum, lividum aut nigrum, mali odoris & acre: tolerabilius vero si omnia obtineat contraria. *Sordes* hisce omnibus crassior glutinosiorque est, ac minime profluit, sed veluti concreta adhæréscit ulceri. *Vermes* tum sordis, tum putredinis soboles sunt, solentque in neglecto ulcere procreari.

ῥύπος, σκώληκες.

Galen. de num. 12. 13. A causa. Κακοήθες ἕλκος,

Vlceris porro *differentiæ ex continente causa* hæ sunt: *ulcus phlegmonodes, erysipelatodes, œdematodes. & carcinodes*; dein *exedens, cacoëthes & putridum.*

Nam interdum ex adaperto quodam tumore fit ulcus, interdum citra tumorem ex humoris partisve corruptione. Ex tumore *phlegmonosum*, aut erysipelatosum, aut œdematosum, aut cancrosum, quod & cancer dicitur exulceratus.

Νομῶδες,

Sine tumore vero ulcus fit *exedens* quod partem cui insidet, assiduo excavat exteritque. Quinetiam *depascens* (Græci nomodes appellant) quod non solum affectam partem excavat, sed & vicinas quoque integras absumit & quasi depascendo depopulatur. Hujus quoque species est *phagedæna*, serpens quidem ulcus & obambulans, sed solam cutem, non autem subjectam carnem rodens ac depascens.

Φαγέδαινα.

Eorum causa.

Omnium causa est biliosus, acer & mordax humor, alias crassus, alias tenuis, confertim in partem effusus. Succedunt ea herpeti & erysipelati, interdum & vulneri quod acrius medicamentum exasperavit.

Κακοήθη καὶ δυσαλθῆ, τηλέφια καὶ χειρώνεια ἕλκη.

Ab his sunt *ulcera cacoëthe*, id est, maligna & ægre sanabilia, quæ etiam quod difficile ad cicatricem ducantur Græcis dysepulota nuncupantur. In hoc genere sunt Telephia, atque iis deteriora Chironia.

Ea fere magna, non tamen putrida sunt, neque tetrum odorem exspirant, neque depascunt, neque dolore excruciant, sed oras habent tumentes, præduras atque callosas: proinde non facile sanescunt; cicatrice interdum obducuntur tenui, sed quæ mox dirupta ulcus renovat: exulcerato cancro fere similia, nisi quod tumore nullo obsidentur in ambitu.

Eorum causa.

Horum præter vulgare humoris vitium, cæca quoque malignitas *causa* statuenda, quæ vix abigi profligarive potest. Talia fere ex pestilentia relinqui solent.

Σηπεδώδης.

Putridum ulcus proximum his est, in quo non id solum quod exit, sed ipsa quoque ulceris caro computruit, atque mollis, glutinosa & cadaverosa jam reddita, tetrum gravemque odorem exhalat. Hoc nisi coërceatur, plerumque in sphacelum deducit.

Causa.

Oritur nonunquam ex sola humoris pernicie, sed hinc tamen frequentius quod partis insitus calor, vel ab arteriarum obstructione, vel alia quavis ex causa sit extinctus, neque jam possit partis substantiam & integritatem tueri.

Ulceris igitur cujusque species ejusque continens materia tum ex iis, tum ex eorum quæ dimanant substantia atque colore, tum ex orarum duritie, vel tumore, vel colore noscenda.

Vlceri antecedunt.

Ad hæc vero ut perfectior instituatur curandi ratio, *causam* quoque *ulceris antecedentem*, & quicquid in illius ambitu consedit, etiam atque etiam circumspicere oportet, & accuratius explorare. Multa enim plerunque circumstant, sine quorum animadversione nequeat ulceris sanatio compleri: cujusmodi sunt *intemperies* præter naturam: *phlegmone*, omnisque *tumor*: *varix*, *contusio*, aliave *carnis corruptio.*

Intemperies.

Intemperies deprehenditur partis colore, contactu, laborantis sensu, atque remediorum usu.

Tumor.

Tumor præter naturam quum tactui visuique sit obvius, se ipso innotescit. Hic autem ulceri materiam pabulumque suggerit, ut (nisi prius sublatus sit) nequeat ulcus omnino sanescere.

Varix.

Varix quoque aut quovis modo dilatata vena, si in ulcus materiam eructat, id agglutinari non sinit

Contusio autem omnisque subjectæ carnis corruptio aut vitiositas, haud secus ac intemperies, ulcus sanari prohibet. Neque enim id carne impleri, neque agglutinari, neque cicatrice recte obduci sinit, ni convenientem naturæ suæ modum obtineat.

De Cura ulcerum Fernel. l.

Quinetiam *viscerum*, præsertim vero jecoris atque lienis *constitutio*, totius denique corporis

Meth. cap. 12. &c. poris habitus tenendus, quod ex bono facilius, ex malo habitu difficilis fit ulceris curatio: hac ex causa hydropicorum & icterorum ulcera ægre sanescunt.

CAPUT X.

*De ossibus fractis * luxatis aut aliter vitiatis.*

Hippocrates & Galenus lib. de fracturis & articulis. OSSI quoque peculiaria vitia insunt, ulceri finitima: nam & *continuitas solvitur*, & id *loco movetur.*

Τὰ κατάγματα, Continuitas solvitur, quum id aut *vitiatur*, aut *colliditur*, aut *foratur*, aut *finditur*, aut *frangitur.*

Cum vitiatur, *Vitiatur*, vel quum nigrum evasit, à candente ferro ustum, à maligno ulcere, à fistula, à cancro assidente inquinatum: vel quum pingue & molle, vel etiam quum cariosum fit. In his non solus color, sed & ossis soliditas perit: quæ in nudato osse satis est conspicua: in contecto vero explorari debet specillo tenui in ulcus immisso, dum os attingat, molle siquidem & asperum deprehenditur.

Colliditur, *Colliditur* atque contunditur nonnunquam quum nulla divisione pars illius summa ex ictu solum exasperatur: nonnunquam quum integra continuatione inflectitur, ut costa atque cartilago: at vero proprie quum in interiorem partem impellitur. Hoc concavum quodammodo fit, quemadmodum & ænea vasa quum illiduntur. Infantibus & iis quibus etiamnum tenella sunt ossa, præsertim vero calvariæ, peculiare hoc vitium. Tum quidem incumbens caro contusa est, atque sub ea depressum os, cavumque, tactu dignoscitur.

Foratur, *Foratum* est os, quum adacto tenui mucrone, demissoque tenui specillo, undique soliditas existit.

Finditur & frangitur, *Finditur* rectum, & ut lignum, in longitudinem: frangitur vel transversum vel obliquum: atque hujus extrema modo retusa, modo acuta sunt: hæcque sæpius carnem vulnerant aut nervum. Quinetiam fragmenta ab his tenuia interdum recedunt non sine compunctione ac dolore.

A Fissum fractumve os facile cognoscitur, si illius fragmenta suis sedibus moventur: aliud enim super aliud effertur, ac proinde asperitas & inæqualitas tangenti occurrit, mutaturque interdum partis figura. At nonnunquam fit ut fragmenta omnia in suis sedibus persistant, ac tum obscurius est malum: nihil enim pungit, nihil resimum est, sed tactu omnia sunt æquabilia, membroque sua figura manet. Hinc tamen conjicere licet, quod pars contacta dolet, neque suo perfungitur munere: tota intumescit, ac plerumque calet: evidentes quoque B ictus causæ antecesserunt.

Atque hæc omnibus quidem ossibus communia sunt.

Nunc quidquid unicuique peculiare est persequamur.

Signa fracturæ & fissuræ calvariæ. *Calvariam* penitus *frangi* aut etiam *findi* periculosissimum, & nihilominus cognitu difficillimum est. Quum caput vehementer percussum est re quapiam dura, aspera atque vasta, sanguisque per aures aut per nares effluxit, & bilis vomitio & vertigo insecuta est, homoque quasi attonitus concidit sine voce, sine sensu, magna fractæ C calvariæ suspicio esse debet. At hæc certe interdum ea nondum fracta obtingunt, concusso duntaxat vehementius cerebro. Sed & nonnunquam sine his quosdam vidimus fracta calvaria dies circiter octo, quasi minime affectos, ad consueta munia prodire, quos tamen postea ingens symptomatum turba prostravit. Itaque quum fracti ossis opinio est, est nullum certius signum sit, quam demisso in plagam specillo id explorare. Si quid enim in osse asperum extra suturas occurrit, fractum id ipsum est: si nihil nisi læve & lubricum, integrum manet. Interdum etiam ex malis

De fracturâ, luxatione, & vitiis ossium.

	S.	A.		S.	A.
* fracturis calidum amicum.	5.	22.	præcisione, desipientia.	7.	24.
vertebrarum luxatio in pueris.	3.	26.	os abscissum non coalescit.	7.	28.
caro livida, malum.	7.	2.	abscessus ex corruptione.	7.	77.
in ossis nudatione, erysipelas.	7.	19.			

lis symptomatis fractæ calvariæ suspicio est, nec tamen qua parte vulnerata est cutis, sed altera, os finditur: ac tum circumspectius quærendum, numquis locus mollior sit, aut tumeat, aut doleat: in hoc quippe ruina existit. Porro autem si malis quas dixi notis, statim per initia, vel mentis alienatio, vel torpor, vel nervorum resolutio vel distentio accesserit, non modo fracta, sed & depressa calvaria meninges cerebrumque premit. At si ea multo post tempore supervenerint, vel ex phlegmone, vel ex humorum illuvie originem trahunt.

Nasi. Siquid autem *in naribus* adversum frangitur, sive os, sive cartilago est, nasus desidet, coarctantur nares, spiritusve ægre ducitur. A latere vero si quid fractum est, aut locus cavus apparet, aut nasus in alteram partem contorquetur.

Maxillæ. Fracta vero *maxilla* quemadmodum & jugulum, non nisi communibus indiciis deprehenditur.

Costarum. At *costa* si tota perfringitur, præter eas notas, sanguinis quoque sputum, gravissimum dolorem, spirandi difficultatem, inflammationem, febrem, suppurationem, vitæque periculum infert. Contusio atque depressio, eadem quoque, sed leviora multo.

Spinæ. Quum quid vero in *spina* fractum est, quoniam acutum id est, utique pungit, locus concavus fit, corpusque in partem interiorem nititur.

Extremorum. *Humerorum* atque *femorum* fractorum non alia quam communia signa sunt: uti neque *brachiorum* neque *tibiarum*: quanquam in his non parum ad rem pertinet considerare alterumne os an utrumque sit fractum.

Hæc de fractis ossibus.

Nunc de luxatis.

Hippoc. & Galen. loc. cit. Τὰ ἐξαρθρώματα, Παραρθρώματα. LUXARI os dicimus quod vel prolabitur vel quovis modo sede sua movetur. Id si perfecte fit, & articulus prorsus excidit, ossisque caput è sinu suo promovetur, vitium hoc Græci ἐξάρθρωμα vocant. Si vero os ab osse paulum recedit, eaque inter se dehiscunt atque diducuntur, παράρθρημα.

Eorum modi. Utrumque autem *modis quatuor fieri* solet: aut enim in partem priorem, aut in posteriorem, aut interiorem, aut in externam os elabitur.

Causæ. *Fit* autem prolapsus omnis interdum ab externis causis, ut ab ictu, casu, & aliis quę violenter os aut è propria sede dimovent, aut vincula disrumpunt, aut laxant, idque frequentius in pueris & imbecillis, quam in robustis. Interdum etiam ab interiore causa, quæ vincula articulosque laxat & infirmat: ut quum humor pituitosus, mucosus ac lubricus exuperat, qui vel multitudine vincula emollit vel lentore lubrica efficit.

Signa in universum. Luxati autem omnis articuli hoc *indicium* est, quod qua parte os prosilit, articulus extuberat, adversa à qua recessit sinum habet: membri figura pervertitur, neque recta manet, membrum ægre in eam partem flectitur in quam os excessit, in adversam perfacile.

Et hæc quidem luxatis omnibus sunt communia. quid vero singulis accidat, deinceps dicendum.

Speciatim maxillæ. *Maxilla* & in partem priorem, & in alterutrum latus promovetur. Quum in priorem, mentum prominet, forasque excidit, & inferiores dentes longius superiorum seriem excedunt: quum vero in latus, mentum in contrariam partem contorquetur, nec dentes inferiores partibus respondent.

Vertebrarum cervicis. *Cervicis vertebræ* si in partem interiorem procidant, ægre tum spiritus ducitur, tum cibus voratur, sinusq; inest: si in externam, preter hæc, mentum etiam pectori committitur & tumor in cervice prominet.

Spinæ. Sic propemodum & quum in *spina* vertebræ prolabuntur, licet non prorsus excidant, ea posteriore parte vel prominet, vel excavatur, vel in alterum latus inflectitur, neque amplius recta illius figura manet. At vero quum toto loco mutatæ sunt vertebræ, quoniam & membranæ & nervi premuntur aut etiam divelluntur, præter ea quæ dixi, ex iis quæ super septum transversum sunt, brachia atque latera aut resolvuntur, aut distenduntur, vomitio spiritusque difficultas incidit. Ex iis vero quæ sub septo, crura resolutione aut distentione laborant, unde aut fæx alvi aut urina modo supprimitur, modo præter voluntatem exit.

Humeri. *Humerus* in alam frequentius, in priorem partem rarius, in superiorem nunquam prolabitur: si in alam, brachium recedit à latere,

latere, neque in id adduci poteſt: ſi in priorem, brachium in poſteriora facile, in priora difficile inflectitur.

Cubiti. *Cubitus* ab humore in omnem partem excidit: quum in poſteriorem, brachium curvum eſt, neque exporrigi poteſt, eſtque altero brevius: quum in priorem, extentum id ipſum eſt, neque incurvatur.

Manus, Similis quoque luxatæ *manus* eſt ratio.

Femoris, *Femur* ſi (ut ſæpiſſime fit) in interiorem partem prolabitur, crus totum extra porrigitur, vix alteri jungi poteſt, eſtque eo longius. Si in exteriorem, ut nonnunquam contingit, crus totum intro ſpectat, eſtque altero brevius. Raro autem admodum vel in priora, vel in poſteriora luxatur.

Genu, *Genu* in omnem præterquam in priorem partem converti poteſt: quod ſignis communibus internoſcitur. Hinc etiam, quod perinde atque in femore nervi intendi ſolent.

Palmæ plantaque, *Palmæ plantæque* oſſa modo in priorem partem modo in poſteriorem prodeunt, atque in ea parte tumor apparet, in adverſa ſinus.

Digiti tum manus, tum pedis in partes omnes excidunt, communeſque notas habent, quia neque naturalem figuram retinent, neque poſſunt in eam partem flecti in quam prolabuntur. *Digiti.*

His expleta atque concluſa ſit Pathologia, quæ eſt affectuum, cauſarum & ſignorum, omnium denique quæ præter naturam in humanum corpus incidunt, tractatio.

Quanquam autem ea in brevem quaſi formulam comprehenſa videri poteſt, quiſquis tamen acri ſtudio attentaque cogitatione ſingula expendet atque æſtimabit, tandem percipiet, nihil eorum prætermiſſum eſſe, quæ ad perfectam rerum & morborum cognitionem pertinent, & ad medendi uſum conducunt.

Præſtabilia quæque videor perſecutus, minutioribus iis duntaxat neglectis, quæ nullo ſtudio in cujuſque vel mediocriter eruditi captum, ac mentem venire poſſunt.

Libri ſeptimi Pathologiæ, De externis corporis affectibus, finis.



JOHANNIS FERNELII, AMBIANI,

CONSILIORUM Medicinalium Liber:

Ex ejus adversariis quadringentarum consultationum selectus

A

JULIANO PALMARIO.

Editio præcedentibus auctior.



JOHANNIS FERNELII CONSILIUM PRIMUM, EPILECTICO PRÆSCRIPTUM.

QUUM apud eruditos experientesque viros scholastica & minutissima quæque persequi indignum videatur, & supervacaneum; operæ precium & vestra eruditione dignum de affectione proposita duxeram, etiamsi apprime gravis & curatu sit difficilis, paucis multa complecti, & summas rerum sententias apposite apud vos proferre. At quoniam ita nunc vestra exigit sedulitas, ut non contracta, sed effusiore quadam orationis serie rem totam particulatim explicem: observata quadam styli moderatione, neque periphrasi, neque metaphoris, neque jocis, sed seriis nudisque verbis orationem aliquantum dilatare contendam: non tam vobis, quam laboranti, & iis qui ingentem admirantur scriptorum vocem, satisfacturus. Sequar autem non eum quem de exponendis naturalibus, non naturalibus, & contra naturam rebus artificiose ordinem proponitis, sed quem tandem resolutione ad curationem tenendum existimavi. Primumque quæ propositi morbi aut symptomatis notio sit, & ratio, & quæ vis, attingam.

Qualis hæc Epilepsia. Morbus, item symptoma quod in consultationem & deliberationem venit, epilepsia est, quæ annos decem insedit, ac inveteravit. Hæc licet à levioribus orta initiis, olim in vertiginis potius, quam in epilepsiæ genus divertisse videbatur, progressu tamen dierum veram & exquisitam epilepsiæ speciem est consecuta. Tanta affinitate hi affectus connexi sunt, ut recte *Avicenna, vertiginem diminutam epilepsiam, ex eaque in hanc transitum fieri* notaverit. Cum etiam in consummata epilepsia observemus, non semper graviores illos & immaniores, sed & interdum leviores quosdam & irritos insultus fieri, qui ut in vertigine nulla convulsione, sed sola sensuum & visus hallucinatione cerebrum impetunt. Cum nimirum proxima illa, continensque mali causa levius excandescit, & exiguum de se vaporem effert. Hanc autem quæ illustrem & magnificum virum diris modis exercet, & exquisitam & consummatam epilepsiam esse recipio, quod in ejus paroxysmo absoluta fiat totius corporis convulsio, quodque spuma stridore quodam elidatur ab ore, & sensus omnis atque cognitio cum memoria pereat. Immo verò si neque ullum ejus signum describeretur à vobis, vestra tamen authoritate innixus, hanc pro epilepsia habendam esse non dubitarem.

Primaria non per consensum. Sed quum tamen tria à Galeno tradantur, ususque notentur epilepsiæ genera: Unum ab extremis suscitatum corporis partibus, ut à manuum pedumque digitis: Alterum ab interioribus visceribus: Tertium à cerebro, quod primarium est, & ipsi proprium: Optarem sane à vobis indicia tradita pathognomonica, tum epiphænomena, quibus certo & luculenter intelligerem in quod genus epilepsiam hanc referendam putetis. Id enim tum ad medendi rationem, tum ad remediorum inventionem inprimis necessarium videbatur, quum non una omnium, sed sua sit cujusque generis curatio. Aliis multo ante paroxysmum tempore, caput artusque omnes ingravescunt, aliis nausea, aut etiam vomitio molesta est, aliis stupore quodam refrigescunt artus: Alii instantem paroxysmum præsentiunt, possuntque impendentis repentini casus pericula vitare: alii derepente prehenduntur & concidunt, nulla præsensione futuri mali. Suntqui paroxysmo soluto protinus surgunt nullo affecti symptomate: nonnullis vero symptomata quædam

dam ab acceſſione gravia manent. Horum igitur animadverſione proprium epilepſiæ genus deſignari internoſcique debuerat. Cæterum in hac reticentia conjiciendum nobis & diſquirendum in quod hoc genus maxime pertineat. Comitiali morbo intercipiuntur mentis ſenſuumque functiones : hinc cerebri cenſetur affectio. At quoniam ea interceptio interdum fit conſenſu aliarum partium, ut duobus prioribus generibus : interdum vero per ſe affecto cerebro : neque ex his quæ deſcribuntur ulla priorum generum audio pathognomonica ſigna, in poſtremum divertendum puto, & recipiendum, cerebrum ἰδιοπαθείᾳ atque etiam πρωτοπαθείᾳ concuti. Nec enim venenatus vapor inſtar auræ frigidiuſculæ, aut è pedibus, aut è manibus, ſenſim partium continuatione in caput aut cerebrum obrepere percipitur, nec ventriculi cordiſve ſubverſio, aut præcordiorum moleſta coarctio paroxyſmum antevertit, aut ob oculos nonnulla quaſi ſpectra obverſari videntur. Sed cum illuſtriſſimus derepente quaſi attonitus, aut fulgure percuſſus corruat, neceſſe eſt cerebrum & ipſam mentis ac ſenſuum arcem obſideri, in eaque proximam & continentem hujus epilepſiæ cauſam contineri, ac proinde in tertium hanc genus eſſe conjiciendam. Hanc denique epilepſiam eſſe primariam, & ut appellant eſſentialem.

Eam non venire ex obſtructione ventriculorum cerebri,

Percepta jam affecta ſede, & quod cerebrum non aliarum partium conſenſu, ſed per ſe & primario laborat, diſquirendum quæ in ea ſit cauſa. Galenus tertio de locis affectis, & libro de ſymptomatum cauſis, epilepſiam, quæ præſertim primaria ſit, contendit ex obſtructione quadam omnium ventriculorum cerebri proficiſci, ob quam animalis ſpiritus libere nequit in ſenſuum motuſque nervos influere, & omnis legitima tum movendi, tum ſentiendi, atque ratiocinandi functio perit. Impedita vero natura arctius oppreſſa nondum tamen proſtrata onus quaſi excutiens, caput corpuſque vehementer concutit, dum obſtructione ſoluta infarctum humorem expellat. Hanc cauſam, quam vos recte formalem nuncupatis, magnæ licet rationum probabilitati innixam, & Galeni decreto paſſim comprobatam, validis tum argumentis tum experimentis in pathologia & in dialogis de abditis rerum cauſis infregimus : aliam ſtatuentes, nempe malignam & occultam qualitatem cerebro cunctiſque facultatibus animalibus perinde atque venenum infenſam : quæ ut è pede percipitur ſpecie quadam frigidioris & malignæ auræ per continuatas partes ſurſum in cerebrum efferri : ita ex ipſo quoque cerebro ſuſcitari poteſt, idque protinus ſua malignitate ferire nulla præſenſione paroxyſmi futuri. Hanc vero qualitatem malignam & adverſiſſimam cerebrum multo validius excutere contendit, quam humorem ſimplicem ſola mole obſtruentem, neque tamen concuſſioni aut converſioni finis eſt, donec qualitas illa vaporis ſpecie ſuſcitata diſſipetur, aut ſponte ſua evaneſcat. Cauſa hæc non admodum ei diſſimilis eſt quam vel ipſe Galenus libro ſexto de locis affectis de uteri ſtrangulatu fatetur. Ut enim è ſanguine menſtruo, atque è ſemine corrupto vis quædam venenata profertur, quæ in præcordia, in fauces, atque in ipſum cerebrum prorepens paria ſtrangulatus ſymptomata gignit : Ita ſane & alia quædam venenatæ & malignæ qualitatis ſpecies epilepſiam facit. Proprie autem epilepſia ſymptoma eſt : qualitas vero maligna cerebro inſidens ipſa morbus èſt, iſque partis ſimilaris, & quem alibi demonſtravimus totius ſubſtantæ morbum appellandum eſſe. His ergo principiis firmius innitendum, hæc ſtabilienda ſunt nobis fundamenta, ſi quæ tam diri & inveterati morbi curatio ſperetur.

Sed à qualitate quadam maligna occulta cerebro veneni inſtar infeſta.

Cauſa materialis continens ſeu proxima hujus qualitatis.

Quamquam autem hujuſce qualitatis ad excitandam epilepſiam ſumma atque etiam præcipua vis eſt, non parva tamen exiſtit & ejus materiæ, è qua tamquam è fonte qualitas illa prodit, & ſine qua vix illa ſubſiſtit. Eam quidem eſſe craſſam lentamque pituitam cuidam melancholico humori permixtam, & in cerebro contineri, eique pertinacius adhæreſcere, multis complector indiciis. Ac quidem vetus illa dextræ naris obturatio, ante annos quindecim nata, oculi quoque dextri obtuſior acies, dextræ auris gravior auditio, dextram ipſam cerebri partem non parum offendi, luculenter demonſtrant. In ea autem cerebri parte dextra, pituitæ lentæ magnum eſſe pro-

proventum, ostendit insita cerebri temperatura humidior, quam deinde supra modum auxerunt ingluvies, crapula, cruditates, & aër impense frigidus ac humidus. At vero melancholiam pituitæ permisceri, testantur ætas in eum humorem gignendum propensa, curæ, mærores, & graves cogitationes quibus dominus implicatur. Quod etiam nobilissimus vir plerunque citra occasionem metu atque mœstitia jactetur, Hippocrati indicium est jam obsidentis melancholiæ. Hic certe affectus illos tanta affinitate conjunxit, ut ex eo eodemque melancholico humore nasci putet: qui si in cerebrum insideat, epilepsiam; si in mentem, melancholiam facit. Itaque pituitæ ac melancholiæ non exigua est redundantia in parte dextra cerebri. Sed hæc si simplex sit, minime epilepsiam infert, nisi & ea quam dixi externa qualitas accedat. Quocirca varia hæc cerebri excrementa diutius cohibita, & inhærentia, dierum numero, progressuque temporis, corruptione nacta sunt externam illam ac prorsus malignam qualitatem, in qua dixi mali essentiam haberi. Ad hæc multum mihi contulisse videtur tuberculum in dextro tempore instar ovi columbini exortum, & ipsi comitiali morbo coætaneum. Memini, iis dissectis quos viventes morbus comitialis aliquando immaniter corripuerat, me alias circa meninges, alias in cerebri substantia putridam quandam & glutinosam saniem quantitate fabæ aut nucis juglandis invenisse, quæ crudelis hujus & immanis affectus fomes fuerit. Ita igitur de continenti mali causa, deque primaria affecta sede statuendum.

Causa antecedens. Quoniam vero continentem illam & proximam morbi causam alia quædam antecedens appellata fovet, quę & ipsa interior existit, & sine qua summoveri illa integre non possit, de hac quoque dicendum. Ea est totius corporis cacochymia & impuritas ex prava viscerum constitutione profecta. Magna hæc quidem & in primis observanda, quod affectę sedi ipsique cerebro primo mali fonti novam assidue materiam suppeditet. Illustrissimo igitur viro jecoris, cordis, cerebri, & renum insita temperatura ex parentum semine, & primo ortu, calida humidaque est, ac deinde similis reliquo corpori est impartita, quandoquidem totius temperatura principum partium, ut autor est Galenus, constitutionem fere sequitur. Optima quidem illa, & ad probum sanguinem, & bene quadratum corpus comparandum apta: At vero postea in frigidiore humidiorique cœlo frequens habitatio, paludum, lacuum, & stagnorum expiratio fœtida, victus omnium quos audivi intemperantissimus, omnium obsoniorum & ferculorum varietate confertus, nullo instructus ordine, supra satietatem ferina quadam voracitate gravis, ut ei qui gulæ & abdomini omnino sit natus, viscera, venas, habitumque totum cruditatibus implens: somni, laboris, exercitationis, inanitionis, & pathematum animi ratio prorsus neglecta: bonam illam & laudabilem temperaturam, atque insitam corporis constitutionem penitus everterunt, & pro ea vitiosam substituerunt: nuncque ingluvie aliisque commemoratis causis obruto calore nativo vires & facultates, præsertim naturales, quę illius beneficio foventur, impeditę ac etiam debilitatę, tantam alimentorum molem modificare atque domare minime potuerunt. Hinc non cruditates modo, sed & omnis generis excrementorum proventus, toto sic corpore succrevit, ut pars nulla existat quæ non proprio quodam supervacui humoris vitio prematur. Ventriculum multa esse pituita confertum indicio est nausea illa frequens, & tenebrę à cibo ob oculos offusæ: hujusque ingentem copiam in intestina devolvi, aliam in eis etiam gigni, minime dubitari potest. Cerebrum multo gravius illius redundantia offundi testantur peculiares ejus affectiones. Sed & jecur, & lienem obstrui, atque etiam turgere, illud quidem bilis flavæ, hunc vero atræ copia, indicio sunt pręter cętera mores, olim quidem ob hepatis calorem & bilis fervorem in iracundiam, nunc vero ob nimiam adustionem in melancholiam propensi. Sub hac vitiosa constitutione viscerum, quis reliqui corporis bonus habitus esse possit? Corpus totum supra naturam & ętatem ingravescens, impuritatis ingentem molem & acervum confirmat. Hęc igitur corporis impuritas ob viscerum imbecillitatem,

tatem, & continuatam vivendi rationem illegitimam, quotidie nova etiam atque etiam ſuccreſcens, novum quoque pabulum ſuggerit continenti cauſę quam in cerebro conſtituimus. Neque hæc ante convenienter extirpari poteſt, quam corpus ipſum omni ſorde & illuvie ſit expurgatum.

Prognoſticum.

Epilepſiam quæ aut annum ætatis vigeſimum quintum exceſſit, aut poſtea hominem adoritur, commori, & in ſupremum vitæ diem manere, autor eſt Hippocrates: cum præſertim, ut hæc vehemens fuerit, & originis ſuæ nec certum habuerit initium, nec compertam ſedem. Claſſici vero autores toto hanc genere immedicabilem ſtatuunt, quod cauſa non ſatis perſpecta, illam videant neque medicamentis, neque vacuationibus ullis, neque cœli mutationi, neque vivendi legibus cedere, neque temporis diuturnitate vinci. Quibus de cauſis plerique omnes divinam hanc appellant, & pro ejus curatione implorant divorum operam. Hujus ſane conditio & eſſentia ſupra elementorum naturam eſt, omnemque ſenſum, & humanæ mentis aciem effugit: non ratione aut demonſtratione, ſed obſervatione ſola & uſu comprehenſa. Quanqum autem difficilis eſt epilepſiæ curatio, præſertimque in male habito corpore, ſuſcipienda tamen ea eſt, atque iis remediis tentanda quæ multis ſæpe profuerunt. Ea licet quadam ſubſtantiæ proprietate id præſtent, arte tamen adhibenda ſunt exinanito & puriori jam facto corpori.

Medendi methodus.

Curationis initium ab eo quidem ducendum eſt, quod reſolutione atque inveſtigatione poſtremo fuit inventum. id autem eſt totius corporis cacochymia & impuritas, qua præſente, nec tuto quidem medicamenta, quæ ſubſtantiæ proprietate prodeſſe ſolent, adhibeantur. Sæpe enim vel malum ipſum ingeminatur, vel etiam nova quædam ſymptomata accerſunt. Itaque corporis hæc immodica moles inprimis abſumenda, & in priſtinum naturalem que ſtatum quoad licet revocanda. Deinde caput & cerebrum modis omnibus exhauriendum, ac demum ipſa morbi radix funditus evellenda, corroboratis ſimul hiſce partibus quæ vehementius afflictæ fuerant. Quæ omnia ſi non æque diſtincte, ut pronuntiantur, tuto nihilominus & pro ejus quod curationi profuerit judicio, opportune decernentur.

Nec ſupervacuam humorum exuperantiam, nec corporis tantam molem ſemel & univerſe demoliri licet. Non enim tam repentinam mutationem illa natura ferat, ſed ſenſim ac pedetentim, ut quæ longo tempore contracta ſunt, lente quoque citra virium offenſionem tollantur. Neque id profecto ſolis medicamentis præſtandum, ut quorum immodico uſu corpus nimium labefactetur, ſed tum his, tum victu tenui & accommodato. Hic enim cruditates & luxuriantem corporis molem ſenſim abſumet: illa vero ſupervacuos ac etiam jam corruptos humores ſenſim quoque excludent.

Corporis totius curatio.

Quoniam vero methodicam illam curandi formam ſatis videor demonſtratione proſecutus, ut tandem frugifera ſit hæc noſtra contemplatio, conducibile ſit omnem deinceps curationis ſeriem ſubnectere.

Expurgatione.

Nec enim verebor apud eruditiſſimos viros ipſas medicamentorum formas depromere, quod ſæpe curandi ſumma vis poſita ſit in remediorum quantitate, & utendi ratione. Autumno igitur aut alio quovis clementiore cœli ſtatu curatione ſuſcepta, primum alvus ſi adſtrictior erit, clyſtere proritetur, qui etiam craſſam inteſtinorum pituitam eluat, atque detrahat. Atque is in ℔j. decocti accommodati habeat hieræ ſimp., diaphœnici an. ℥ß. mellis roſ. & anthoſati an. ℥j. olei rutæ & anethi an. ℥jß. Poſtridie portio humorum ſupervacuorum qui in ventriculo & in primis ductibus ſine adhæſu fluctuant, expurgetur hoc medicamento: ♃ polypodii quercini, ſem. carthami, carvi, fœniculi, foliorum ſenæ an ʒiij. epithymi ʒj. fiat decoctio in unam doſim. in colatura infunde rhabarbari electi ʒjß. agarici trochiſcati ʒj. cinamomi ʒß. expreſſioni adde ſyr. capillorum Ven. ʒvj. fiat potio. Detur mane horis ſaltem quatuor ante cibum.

Diæta.

Tertio die conſtituatur vivendi ratio tenuis, & citra manifeſtum calorem attenuans, eaque ex cibis euchymis, ut ex pullis gallinaceis & columbinis, ex perdicibus, aviculis montanis, phaſianis, & ſimilibus: iiſque aſſis potius quam elixis. A juſculis & ſor-

sorbitionibus multis abstinendum, quoniam præcordia nimis implent atque distendunt. A fructibus quoque, & leguminibus, & ab omnibus flatulentis aut vaporosis. His igitur & purioribus cibis qui facile designari poterunt, parce nec unquam ad satietatem utatur, & solum bis die cibum sumat, idque ex justis intervallis quæ concoctioni sint satis. Percipiet autem dominus laborans se his convenienter uti, si nec ventriculi distentionem, nec rugitum, nec ructum ullum in concoctione sentiat. Ut etiam poru cruditatum portio facilius absorbeatur, in easque nativus calor validius incumbat, parcus sit potus, isque in pastu solo: potu enim quam cibo impleri facilius est. Immoderatus corpus gravat, omnemque concoctionem interpellat.

Hoc etiam tempore humores ad pleniorem purgationem apparandi erunt, vel apozemate ex rad. petroselini, feniculi, & polypodii, cum hyssopo, betonica, & stœchade, in quo nonnihil oxymelitis dissolutum sit. Vel si mavult, guajaci decocto in quo commemoratæ radices & herbæ sub finem aliquantum incoctæ fuerint. Alterutro aut bis die, aut certe semel utendum, horis duabus tribusve ante cibum. Sed quam minime ciendi sunt sudores. Si interim alvus subsistat, sollicitetur commemorato clystere. Cum & victus ratione, & apozemate, diebus quinque aut sex, apparati jam satis ac fortassis concitati erunt humores, altero medicamento proliciendi erunt; quod aut priori simile sit, aut aliquanto efficacius, & curando affectui accommodatius. Quale hoc est: ℞ rad. apii, polypodii quercini, sem. carthami, passularum mundatarum, fol. senæ mundatorum an. ʒiij. epithymi ʒj. fiat decoctio pro una dosi. In colatura dissolve pulveris hieræ simp. diaphœnici an. ʒij. fiat potio. Detur mane horis saltem quatuor ante cibum.

Ab hac purgatione ad apozema redeundum, victusque similis continuandus, ac deinde post dies circiter quinque, tertio medicamento, si res postulet, purgandum, quod horum persimile sit.

Venæsectione. Ubi autem circiter diebus quindecim horum remediorum ope ventriculus, jecur, lien, pancreas, & partes omnes quæ in prima corporis regione consistunt, puriores existent, tum deinde secunda corporis regio quæ majorum est venarum, tempestive vacuabitur sectione venæ. Hanc enim non modo morbi species atque magnitudo, sed & corporis habitus & ante acta vita postulant, vires vero & ætas permittunt. Secanda porro erit vena cubiti media, quæ & è cerebro, & è jecore, ac inferis partibus perinde vacuat: & ea quidem in brachio dextro, quod oculus dexter sit hebetior, ejusque lateris auris, atque etiam naris obturetur, & tuberculum in dextro tempore promineat, partesque omnes dextræ ad motum & ad sua munera sint ob humorum copiam & gravitatem ignaviores. Detrahetur autem sanguis non minus quam libra una. quæ unciarum est duodecim.

Cerebri particularis curatio. A venæ sectione cum jam corpus extenuari & macrescere cœperit, ne quid ad perfectam curationem desit, tertia corporis regio, quæ summas omnes partes ipsumque caput complectitur, exinanienda erit.

Sudore. In idque utiliter guajaci decocto, vel simplici, vel, ut dixi, composito, sudores bis die aut semel citentur. Et quo tempore dimanabunt, tonso jam capite adhibeantur hæc calorifica ℞ seminis anisi, fœniculi, cumini, baccarum lauri contusarum an. ℥ij. milii ℔j. salis vulgaris libram semis. torrefiant omnia in sartagine, reponantur in sacculis, qui calidi applicentur capiti tempore sudoris.

Errhinis. Sudore deterso pituita è dextra præsertim nare proliciatur hoc errhino: ℞ salivæ, majoranæ an. ℔iij. tritis affundantur vini albi ℥iiij. fiat expressio, in qua maceretur radicis cyclamini minutim concisæ ʒj. rursum exprimatur, reponatur pro errhino, hauriatur in narem dextram, vel penicillus in eo intinctus immittatur in narem dextram, contineaturque dum pituita profluat.

Auricularibus. In aurem vero dextram quotidie mane hujus liquoris duæ tresve guttulæ instillentur. ℞ aquæ vitæ, succi cepæ an. ℥ij. in quibus infundatur pulpæ colocynthidos ʒj. in expressione castorei ℈ij. repone, & utitor, ut dixi, obtureturque auris bombace.

Cucurbitulis. Pomeridianis horis sub cœnam cucurbitulæ scapulis, cervici, & occipitio affigendæ, modo leves, modo cum scarificatu,

 id-

idque maxime parte dextra quę gravius afficitur.

Hęc igitur topica remedia cum guajaco & victu tenui eousque continuanda erunt, dum odoratus nari, & auditus auri dextræ sit restitutus. Quod si non facile sit assequi, nonnunquam mane caput jejuno lavandum, fovendumque erit lixivio calido in quo cephalicæ herbæ incoxerint, quod & ejus noxios humores vetustate concretos colliquabit, fluxosq; reddet, ut deinde topicis illis promptius obtemperet simul etiam occulta quæcunque cerebri vitia deterget.

Lotione capitis.

Superiorum remediorum continuatione, cum & corporis totius, & cerebri vitiosa constitutio, in pristinam ac fere naturalem rediisse videbitur, intermisso guajaci & topicorum remediorum usu, sed tamen victu siccante tenui & attenuante semper observato, epilepsiæ remedia propria opportune decernuntur, hac fere methodo. Primum quod universalis purgatio aliquandiu fuerit intermissa, hoc modo repetenda erit: ♃ fol. salviæ, betonicæ, stœchad., anthos, an. m. ß. epithymi ʒj. fol. senæ mundat. ʒiij. fiat decoctio pro una dosi, addendo sub finem agarici ʒjß. in expresso adde pul. hieræ diacolocynthidos ʒij. fiat potio sumenda die electa, horis quatuor ante cibum. Postridie bolus hic voretur: ♃ conservæ betonicæ, anthos an. ʒß. mithridatii veteris ʒj. misce. capiat mane horis tribus vel quatuor ante cibum. Sequenti die qui tertius erit, pulvis hic sumatur, vel solus vel hydromelite dilutus: ♃ rad. aristolochiæ rotundæ, epithymi an. ℈ß. rad. asari ℈ij. fiat pulvis tenuis, sumat horis duabus ab accepto jusculo, aut ab alio quovis levi cibo. Si forte vomitionem concitet, non ante cibus alius offeratur, quam ea desierit: ac tum pulli aut capi jusculum apprime conveniet, ad hoc deinde consuetus cibus. Si ob amarorem hujus pulveris difficilior sit usus, poterit in pilulas redigi, quæ parem vim & facultatem obtinent. Est autem vis huic medicamento summo ad epilepsiam.

Peculiaria hujus epilepsiæ remedia.

Interna,

At nihilominus ne quid suspectum supersit, die quarto, cauterio aperiatur tumor in tempore dextro prominens, illæsisque venis, arteriis, & musculis, sensim omnis ejus illuvies eluatur atque detergatur, sinaturque aliquandiu manare dum in naturalem statum redeat. Occipitium vero aut synciput ad coronalem commissuram cauterio inurere, nihil mea sententia contulerit, neque id citra gravioris periculi discrimen experiri licet. Thermarum, quacunque sint facultate præditæ, vis ad affectum hunc nulla deprehendetur. Neque fieri potest, ut corpus à pravis humoribus aptius vindicetur, quam exposita ratione curandi. His ita paucis videor ad quæstiones respondisse, in quibus plurimum inerat difficultatis.

Externa,

Cæterum, ut totam curationem compleam, & huic quasi colophonem addam, dum ulcus in dextro tempore inustum curabitur, usurpanda erunt remedia, quæ secreta proprietate epilepsiam inhibent, atque etiam depellunt. Cujusmodi est pulvis aut electuarium ex scobe cornu cervi, & eboris, cranio humano, radice & semine pæoniæ maris, visco quercino, corallio, & gingibere, exceptis saccharo soluto aqua betonicæ. Semen pæoniæ maris collo subnexum vim habere experimur, & ungulam ejus animalis quod vestrates *ellend* appellant, vel appensam, vel annulo inclusam vidimus epilepticam accessionem cohibere. Æstivo solstitio, & maxime divi Joannis Baptistæ profesto, si artemisiæ herbæ radix evellatur, sub ea verus carbo, sed tamen bene odoratus, inveniri solet, qui sindone inclusus appensusque collo epilepsiam arcet. Et hæc quidem proprie symptomati, cætera vero quę prædixi ejus causæ succurrunt.

Specifica.

Hac autem curatione prorsus & ad unguem completa, ne postea in consimilem affectum relapsus contingat, observanda erit aut exquisite, aut quam proxime licebit, vivendi ratio jam exposita. Circum solstitia & æquinoctia Luna decrescente, clystere præmisso corpus purgetur medicamento quod præscripsi ex hiera diacolocynthidos. Postridie bolus detur ex mithridatio. Tertio die vomitio proritetur, vel pulvere, vel pilulis præscriptis. Reliquo deinceps tempore ex intervallis ea usurpentur, quæ dixi proprietate valere. Si certus & status est epilepticæ accessionis recursus, iisdem mediis quinque sexve diebus utiliter antevertetur, nec ejus præcavendi certior lex ulla statui potest.

Præcautio.

CON-

CONSILIUM II.

De Alopecia vel depilatione.

Propositio ægritudinis ab altero medico, pro quodam inquilino.

IVvenis bene carnosus, ac saluberrimus, annos natus viginti, areolis aliquot statim ab incunabulis caput sibi deturpari sæpe apud me conquestus est: vacuato corpore remedia ego adhibui, quæ à veteribus in proliciendis pilis commendari videbam: sed nullo profectu omnia. Tu si quid longo usu in id admodum efficax comprobasti, impertias, etiam atque etiam rogo. Vale, & me, ut soles, ama.

Responsum D. FERNELII.

Prognosticum. HÆ capitis areæ cum nec ex acuto morbo, nec ex humoris cujusquam vitio, sed ab ortu & semine contractæ sint, vix ullam sane curationem admittunt. Seminis quippe & naturæ vitia vix ars ulla possit corrigere.

Cura. Si qua tamen curandi ratio profutura est, hæc una potissimum videtur. Vacuationes nullæ tentandæ; nec venæ sectione nec purgatione corpus exagitandum, quod nullus humor defluvii causa sit.

Commendatur per externa. At quoniam pars glabra siccior apparet, utile sit, foris emollientibus cutem laxare, in eamque humorem è vicinis sedibus prolicere, ut materia gignendis pilis apta suppetat.

Primi itaque fotus fient ex radice altheæ, & liliorum ex malva, violaria, parietaria, ex semine anisi, lini, & fenugræci. Ab hoc deinde cum pars mollior videbitur, fotus aliquis conferet qui materiam alliciat, ex salvia, betonica, stœchade, adianto, capillo Veneris, abrotano, semine urticæ & sinapi, coctis in aqua & vini albi parte quarta. Mox à fotu areę inungendę sunt adipe ursino, qui omnino summas vires obtinet. Exactis diebus quindecim mane & vesperi caput confricetur cępis contusis, dum prorsus rubescat, & mox melle oblinatur vice cataplasmatis.

Si sub his remediis pilus non erumpat, postremo adhibendum erit unguentum ex thapsia & adipe ursino, quod ut veterum monumentis celeberrimum est, ita efficacissimum comprobavimus. Est autē nobis hic vera thapsia frequens, cujus ʒj. trita satis sit in unciam adipis. Hujus vi si pilus non succrescat, vix spes ulla aliunde esse potest.

CONSIL. III.

De stupore.

Causa. LOnga recensione symptomatum, quibus divexatur D. Laborans, censuimus duas præcipuas omnium causas haberi, in quas illa referri possint. Una est jecoris & renum calidior intemperies, & qua totus sanguis fervidior evasit, & corpus universum gracile & extenuatum existit, ut jam ejus perustione æger pronus videatur in melancholiam. Altera est cerebri, nervorum & articulorum imbecillitas, cum intemperie frigida, ex qua non parvus est excrementorum pituitosorum proventus, quæ à cerebro in varias partes influunt A irrigantque nervorum processus. Hinc stupor * obortus est qui omnes fere artus occupat, nunc in hanc, nunc in alteram partem influens & insiliens. Ad quem non parum etiam conferre potuit illitus ex hydrargyro olim immoderate susceptus, ut cujus vis cerebrum & nervos refrigeret, & articulos debilitet.

Hæc certe rudimenta sunt graviorum morborum impendentium, vel athritidis, vel paralyseos, vel aliorum capitis affectuum, quod tumentes & inconstantes oculi portendunt. *Prognosticum.*

Cura, Quæ omnia ut præcaveantur post levem purgationem ex rheubarbaro, folliculis sennæ & catholico, profuturam venæ sectionem ex media vena cubiti sinistri opinor; aut si in dextro secare malis, non magni refert.

Diæta, Tum temporis victus etiam imperandus est, qui quodammodo temperatus sit, ut nec nimiopere refrigeret nec calefaciat, nec humectet, nec resiccet. In quo præcipua vini cura esse debet, ut omnino imbecillum sit & abunde dilutum, ne vel calore offendat, vel vapore & halitu cerebrum nervosque feriat. Nam solo vini meracioris usu immoderato, non paucos vidimus in corporis universi stuporem incurrisse, quo sola cutis affici videbatur citra ullum metum paralysis. Imperandæ simul sunt matutinæ frictiones corporis universi: capitis exsiccatio per sacculos ex sale, milio, furfure, semine, anisi, fœniculi & baccis lauri torrefactis. Deinde pituitæ derivatio per nares vel sternutamentis, vel errhinis: qua etiam in re utilis est pronus decubitus: vitandus supinus, quo humores in artus & nervos procurrunt. Moderata & æqualis partium omnium exercitatio ante cibum conferet, ut quæ nervos, musculos & articulos corroborat, & ab excrementis vindicat. A pastu cibi vapores utiliter reprimantur, vel coriandro, vel accommodato pulvere.

Præter hæc autem, quæ fere in victus ratione consistunt, necessaria erit frequens alvi dejectio, interdum clystere, qui hieræ quidpiam contineat, interdum syrupo idoneo vel pilulis. Syrupus decoctionem recipiat ex his quæ jecori, cerebro & nervis dicata sunt, in quam infundantur folliculi sennæ, agaricus, & rheubarbarum, sua quodque convenienti dosi. Pilulæ constent ex aloë lota in succo endiviæ, agarico & rheubarbaro. Octavo quoque die purgetur alterutro, sed syrupo frequentius, & utilius. Interjectis diebus dabitur vel mithridation cum conserva buglossæ, vel acori, vel proprium fiet electuarium ex pulvere trium santalor. & diamargariton. Exactis diebus quindecim vel viginti utilissima erunt vaporaria ex decocto radicum, aut herbarum accommodatarum cerebro, atq; nervis: aut in iis sudoribus provocatis supervacua dimanent, & nervi articuliq; roborentur. Ante hæc autem si morbus contumacius hæreat, nec iteratis purgationibus satis imminutus videbitur, æger domi continendus erit circiter dies octo, quibus & victus tenuis, & ligni sancti decoctum imperetur, eliciẽdo bis quotidie sudores: post quos tamen dicta vaporaria utiliter adhiberi possunt. *Aliis medicamentis.*

De stupore ac torpore.

	S.	A.		S.	A.
* *à capitis ictu, malum.*	7.	14.	*in morbis melancholicis.*	6.	56.
repentinus, melancholiæ signum.	7.	40.	*torpor dolorem solvit,*	5.	25.

CONSIL. IV.

De Catarrho cum hemicrania, & eorum curationibus.

Causa œdematosi tumoris. QUantum ex tuis literis assequi conjectura possum, œdematosi illi tumores qui jam inde à multis annis faciem tuam & malas occupant, à destillatione ortum habent, quæ à capitis vertice in hanc partem influit: at quia tam frequenter in eam sedem prolabitur, verosimile est illam prava affectione detineri, quæ fluxionem alliciat. Sed tamen inde nihil certi haberi potest, nisi prius perspecta sede, & affectus specie.

Hemicrania. Hemicrania vero de qua posteriores tuæ consilium exquirunt, disjunctus est & disparatus morbus, suam quoque seorsum medendi rationem obtinens. Hujus enim continens causa vapor est, qui à bile & jecore in ventriculum affluente sursum elatus cerebri meninga ferit ac vellicat, materiam fortasse destillationi suppeditans.

Catarrhus ille, qui te, sæpius recurrens, tam graviter affligit, universali purgatione ex ℥j. massæ pilularum sine quibus (quæ tum tuæ ætati, tum temperamento sunt accommodatissimæ) fuerit sistendus, maxime si abhinc octo aut decem diebus nullum catarthicum sumseris. Postridie sacculi quam *Cura catharri medicamentis.*

quam calidissimi, qui eam ex alto evocent ac resolvant, mane & sero ante cœnam vertici capitis rasi applicentur, (corpore interea calidis linteis cooperto) finanturque spacio semihoræ, aut circiter, & continuentur per aliquot dies, donec fuerit cohibitus. Præterea temporibus aut his partibus per quas fertur, adstringens emplastrum viamque intercipiens apponendum, quod alternis diebus serit renovandum, nec tollendum donec fluxio conquiescat. Quod si non amplius per os & maxillam decurrat, ne tamen gingivæ & internæ oris partes tam facile fluxilem humorem recipiant, ter aut quater in die adstringente & corroborante gargarismate colluantur. Et quia tota catarrhi materia non tam cito absorbetur, sensim ac sensim erit attrahenda hujus gangarismatis portio per os & nares, per quos cerebri capacitas expurgatur, mane & sero, ante cœnam.

Diæta. Observetur vero idonea victus ratio, vivat frugaliter, utatur cibis euchymis, & tenui vino quam dilutissimo, partim ob frigidam cerebri, partim ob calidam jecoris intemperiem: abstineat ab immodico potu, jusculis, & aliis humidis; declinet à ventis, frigore, imbribus; exerceat se mediocriter mane, & longe ante pastum. In ingressu lecti fiant frictiones brachiorum, dorsi, crurum, tibiarum, versus inferiores partes. Alvus semper sit libera, vel sponte, vel arte: clysteriis, glandibus solicitetur ne excrementis & vaporibus corpus scateat.

Formulæ medicamentorum. Remediorum descriptiones in promptu sunt. ℞. *Mass. pilularum sine quibus* ℈j. *Reformentur ex syrupo de stœchade, & fiant pilulæ* vij.

Parentur sacculi consueti *ex sem. anisi & Baccarum lauri an.* ℥ij. *Milii* ℔ß. *Salis communis* ℥vj. Applicentur vertici capitis.

Item ℞. *Vnguenti desiccativi rubei* ℥ß. *Mastichis pulverizatæ* ʒj. Fiat emplastrum, applicetur tempori lateris dolentis.

Item ℞. *foliorum salviæ m. j. Mastichis tritæ* ʒß. *Rasuræ cornu cervi* ʒiij. *Bulliant in vini & aquæ an.* ℥iiij. *Deinde coletur,* & fiat oris collutio & gingivarum, ter aut quater in die.

Caputpurgium commune fiat.

Clyster communis injiciatur.

CONSIL. V.

Pro nobili matrona dolore dentium vexata. E Gallico conversum.

Causa. DOlor ille dentium, qui te tam immaniter exercet, à frigida destillatione originem habet, quæ à sinistra capitis parte in maxillam ejusdem lateris, & dentis nervos, interdum usque ad omoplatas decumbit.

Cura medicamentis. Ad hujus præcautionem primo cohibendus est catarrhus, causaque ejus penitus circumcidenda. Id autem fiet his catapotiis semel in mense devoratis, vel hac potione si æstas sit aut calida aëris constitutio. Sequenti die à prima purgatione tonsum caput his seminibus in duplicato linteo conclusis fricabitur, idque fiet spacio duodecim aut quindecim dierum. quibus elapsis purgabitur corpus ut prius. Dein postridie caput, maximeque pars ejus sinistra, pauxillo aquæ vitæ singulis matutinis temporibus fovebitur, asperso pilis, post fotum, sequenti pulvere. Interea dentium ratio habenda: quibus detersis ter aut quater in die longe à cibo sumpto, retineatur in ore & manducetur hoc masticatorium, ad pituitam è toto cerebri corpore, maxime ex ejus ventriculis, per infundibulum in os & palatum attrahendam. Deinde hoc decocto sæpissime in die gingivæ abluantur.

Diæta. Interim cibis boni succi vescendum, sobrie vivendum; sitis extra pastum toleranda; in pastu mediocriter bibendum; abstinendum ab humidis; vitandum frigus capitis, dentium & pedum.

Formulæ medicamentorum. Remedia infra scripta diu ac diligenter continuanda, quia morbus est inveteratus.

℞. *Mass. pilularum cochiarum & de agarico, Pilularum assajereth. an.* ℈j.

℞. *Aquarum salviæ & betonicæ, vini albi an.* ℥j. *In quibus infunde rheubarbari electi, Agarici trochiscati an.* ʒj. *In expressione dissolve diaphœnici* ℥ij. *Syrupi capillaris* ʒß. Fiat potio purgans.

℞. *Milii* ℔j. *Salis communis* ℔ß. *Seminis anisi & fœniculi an.* ʒij. *Baccarum lauri contusarum* ℥j. Fiat pulvis tenuissimus. Inspergatur raso capiti.

℞. *Pyrethri, Staphysagriæ, Gingiberis, Cardamomi, Caryophyllor., Styracis calamitæ ana* ℥ß. Fiat pulvis subtilissimus ad usum dictum.

A ℞. *Mastiches* ℥j. *Radicis pyrethri* ℥ß. *Cubebarum* ʒij. *Incorporentur in forma solida cum melle anthosato*: fiat masticatorium.

℞. *Salviæ minoris m. j. Foliorum myrti m. ß. Mastiches conquassati* ℥ß. *Bulliant simul in vini albi & aquæ fontanæ an.* ℔ß. *Coletur & reservetur in phiala* pro colatura oris.

CONSIL. VI.

De catarrho, & cerebri humiditate, cum viscerum prava affectione.

Affectus capitis à catharro,

CErebrum natura frigidum & imbecillum magno excrementorum proventu obruitur, quæ impedito naturali cursu in varias sedes præter naturam irruunt. In nervos opticos, ubi ex hebetiore jam visu cæcitatem minantur: in maxillas, & dentes, ubi sæpe dolores excitant; quemadmodum & quæ in cervicem & scapulam incumbunt. Sed & eorum portio intus permanens aurium tinnitum, & capitis gravitatem accersit, omnesque functiones ignaviores reddit.

Aliarum partium à prava constitutione viscerum.

Sunt & alia symptomata ex jecoris nutrientiumque partium vitio profecta, cordis dolor, frequensque nausea, fœdus faciei totiusque corporis color, abdominis moles immodica, pedum, faciei, totiusque corporis habitus subtumidus, qui cachexiam portendit. Horum nihil citra viscerum obstructionem, impuritatemque obtingere potest.

In his observanda diæta.

His omnibus ut promiscue succurratur, tenuis victus diæta viginti aut triginta dierum spacio est imperanda: in qua semoto vino, potus erit guajaci decoctum, idque simplex, satisque dilutum: alterum vero meracius offerendum est hora 5. matutina, & hora 4. pomeridiana, ut hora prandii statuatur nona, cœnæ vero septima. Ac tum cibus parcus esse debet, siccus, bonique succi. Erunt igitur potiones hujusmodi: Decoctum meracius forma communi nobis usitata simplici; decoctum magis dilutum, forma quoque communi pro pastu & siti. Hæc victus ratio licet humores attenuet, eorumque portionem digerat in sudores, curationem tamen perficere non potest, neque sanitatem restituere, sed alia quoque remedia adhibenda sunt, hoc ordine.

A ℞. Betonicæ, Salviæ, Lupulorum, an. m. j. Florum cordialium an. p. j. Foliorum sennæ mundatorum ʒiij. Fiat decoctio pro una dosi. In colatura infunde rheubarbari electi ℈iiij. Agarici trochiscati ʒj. Cinnamomi ʒß. In expressione dissolve sacchari albi ʒß. Fiat potio, capiat principio diætæ, & continuet octavo quoque die. Si quando id medicamentum parce dejiciet, addi poterit diaphœnici ʒj. *Medicamenta.*

Diebus interjectis, si quando durior alvus subsistet, solicitabitur clystere molli. Quum primum sudores dimanare cœperint, mane quotidie tonsum caput infricabitur his sacculis valde calentibus. Sacculi communes calidissimi capiti admoveantur in sudore.

B

Item ℞. Nigellæ Romanæ, Styracis calamitæ, Benioini an. ʒiij. Macis, Caryophyllorum an. ʒj. Fiat pulvis grossus pro suffitu, utatur bis die deterso ac siccato capite.

Item quotidie mane & ante cœnam caputpurgiis utatur communibus: quę si non satis pituitam elicient, addi posset radicis Cartanitæ ʒß. In iis ergo sedulo persistendum, dum sanitas integre restituta videbitur.

At ne postea vel vivendi intemperantia, vel negligentia in affectus similes recidat, singulis saltem mensibus corpus purgandum erit syrupo, quem ad omnes eos affectus accommodamus. ℞. Radicum apii, petroselini, feniculi, & capparum, an. ʒſ. Endiviæ, Capillorum, Agrimonii, Cuscutæ, Ceterach, Betonicæ, Salviæ, Stœchados, Majoranæ, an. m. j. Florum cordialium, Epithymi, an. p. j. Fiat decoctio ad ℥xv. In colatura infunde folliculorum sennæ mundatorum ʒiiij. Agarici albi ʒij. Turbith

bith gummosi ℥vj. Gingiberis ʒij. Cinamomi electi ʒſ. Bulliant parum post infusionem, & fiat expressio, in qua dissolve sacchari albi ℔j. Paretur syrupus perfecte coctus, non clarificatus. Capiat semel aut bis in mense.

CONSILIUM VI.

De destillatione in varias partes cum lienis affectu, pro nobili virgine.

Historia morbi scribente & interrogante Claudio Melino.

Virgo annos viginti tres nata, statura exigua, corporis habitu denso & crasso, his symptomatis torquetur ante jam quinque aut sex annos. Tribus aut quatuor, ab ultima quadra Lunæ diebus, capitis dolorem ingentem sentit, tum occipitis, tum syncipitis, parte præsertim sinistra. Sentit etiam dolorem ventriculi insignem, cum vel cibi copia non ita ampla eam oppressit, aut cum cibis frigidioribus aut oleribus vulgaribus, & humidis utitur. Inspirat & exspirat cum sonitu & ægre, tempore frigido & humido. Dolet illi omne corpus & pars præcipue quæ est ab ima scapula sinistra usque ad imum mammæ sinistræ. Vigiliæ illam male habet: aurora somnum non adfert. Habuit aliquando manus volam crustis obsitam. Alvus illi adstricta est, & menses inæqualiter periodum servant. Interdum enim à proxima purgatione fluunt post tres menses, interdum duos, interdum sex septimanas transmittunt, hique parci ac exigui.

Responsum D. FERNELII.

Causa. Conspicua sunt in hac virgine destillationis indicia, quæ è capite, præsertim è parte sinistra in latus, &, in pulmones, & in cervicem pone aures, & in scapulam sinistram, & in varias subjectas partes incumbit: cum stertore & difficili respiratione, quæ asthmatis est rudimentum. Accedit ventriculi dolor, qui non tam proprio, quam lienis vitio contrahi videtur. Hujus enim visceris mihi magna suspicio est, quod tamen jecori offensionem impertiat, fortasse & originem dederit affectæ capitis sinistræ parti. Observandum igitur explorandumque sinistrum hypochondrium.

Cura. Implexis affectibus crebris vacuationibus succurrendum, sed quæ modo capiti, modo visceribus accommodata sunt. Ultima lunæ quadra antequam capitis dolor prehendat, purgatio decernenda iis catapotiis

℞. Mass. pilularum cochiarum ℈j. Pilularum sine quibus ℈ij. excipe convenienti liquore. fiant pilulæ v.

Diebus tribus aut quatuor insequentibus mane caput fricandum est sacculis ex milio, sale, semine anisi, & fœniculi, torrefactis in sartagine. Tum etiam pituita per os & nares elicienda, ut impendentis destillationis metus arceatur. Reliquo deinceps tempore, admotis præsertim suffitibus, caput siccandum & corroborandum est: quod pulmonibus jam impactum est, bechicis detergendum. Maxime vero syrupo de hyssopo, & capillari, modo vice eclegmatis, modo julepi forma dilutis, ut etiam ratio quædam habeatur movendorum mensium. Possunt in id & alii bechici syrupi apparari, qui præter cætera habeant radicem Enulæ Campanæ, Polypodium, Ungulam caballinam, Scabiosam, Hyssopum, Satureiam, cum dactylis, ficubus, & passulis.

CONSIL. VIII.

De Epilepsia.

Signa. Ut jurisperitis ex facto jus oritur, ita nobis ex recta morbi cognitione tota medendi ratio petenda. Non ita pridem expressa nobis est defectionis species; incertis illa quidem signis, & quæ aliis sint affectibus communia: hanc suspicabamur syn-

syncopes tantum naturam referre. Tu vero indubitatis signis adseveras & mones morbum esse comitialem, eumque non cerebro proprium, sed ex ventriculi sympathia, huncque certis periodis recurrere, ac fere inclinante Luna.

His ita constitutis, curatio, qualiscunque esse potest, sic videtur adhibenda. Sex septemve diebus ante statum periodi tempus, clystere jejuna perfundatur, qui præter cætera accommodata recipiat hieræ simplicis, diaphœnici, an. ℥ß. Eo ipso die tenuiter alatur, & vacuandus humor oxymelite simplici vel composito præparetur. Postridie purgatio decernenda ex diluto rheubarbari, & agarici, an. ʒj. In quo dissolutæ sint pulveris hieræ diacolocynthidos ʒij. Aut si forte ea apud vos non extat, dissolvantur pulveris hieræ simplicis, diaphœnici, an. ʒjß. At vero tu ipse, æstimato virium robore, morbique magnitudine, exquisitius medicamenti quantitatem præstitues. Tertio die ab omni vacuatione & medicamento quiescendum erit, nisi forte Mithridatii opti. ʒj. exhibendum putes. Quarta die alia vacuatio tentanda vomitu, quæ una efficacissima est, & in primis accommodata his vitiis, & viis expurgandis, quæ ventriculo assidentibusque partibus diutius & tenacius inhæserunt, & insederunt. Ea autem efficacissima erit ex ℈ij. aut ʒj. radicis asari, quæ in hydromelite aut passularum decocto dissoluta sit, cum tantillo cinnamomi, & syrupo violarum.

Reliquis diebus insequentibus, dum suspectum accessionis tempus exactum sit, mane quotidie offerantur ℈iiij. hujusmodi opiatæ. ℞. Conservæ anthos, & betonicæ an. ʒj. Mithridatii veteris ʒijß. Theriacæ ℈iiij. Visci quercini, seminis pæoniæ, Cranii humani, pulverizatorum an. ℈ij. Misce, capiat per se, vel cum aqua betonicæ. Si pęonia mas haberi potest, nihil efficacius deprehendes, sive semen sive radicem inclinante Luna collectam, ʒj. pondere. Quæcunque monemus, non semel duntaxat, sed ter quaterve impendente periodo decernenda sunt.

CONSIL. IX.

Pro puero octo annos nato Epilepsia jamdiu correpto, cum abolita fere memoria & ratiocinatione.

Medicamenta. ℞. Foliorum betonicæ, Anthos, Majoranæ, Stœchados, Salviæ an. m. j. Florum cordialium, an. p. j. Fiat decoctio ad ℔ij. In colatura infunde per noctem epithymi ʒij. Foliorum sennæ mundatorum ℥iiij. Gingiberis ʒij. Cinnamomi electi ʒiij. Mane bulliant parum, & fiat expressio: in qua dissolve Mellis optimi, Sacchari albi, an ℔ß. Fiat syrupus mediocriter coctus. Capiat semel in hebdomada ℥jß. cum aqua decoctionis betonicæ.

Diæta. Item conservę buglossę & anthos an. ʒj. Mithridatii optimi, Theriaces an. ʒß. Seminum & radicum pęoniæ maris, Visci quercini, Cranii humani, Rasurę cornu cervi, pulveratorum an. ʒij. Misce. fiat opiat. Adde Syr. viol. q. s. Capiat. ʒ. vel ℈iiij. tribus vel quatuor matutinis post purgationem, horis tribus vel quatuor ante cibum.

A vino prorsus abstineat, sitque pro potu aqua simplex, in qua incoxerint rasurę cornu cervi cum exigua parte gingiberis. A fructibus abstineat, prȩsertim à crudis & horariis, à lacte & lacticiniis, à leguminibus & piscibus.

CONSIL. X.

De Epilepsia.

Prognosticum. Affectus hic comitialis longe gravissimus ex gravi & inveterata causa subortus, in impuro atque jam male habito corpore vix ullam arte curationem admissurus est. Accedit tanta virium concussio, ut nulla corporis pars affectionis expers deprehendatur, si unum pulmonem exceperis. Caput dolore, vertigine, melancholia, comitialique morbo tentatur, summa est viscerum impuritas, qua reliquum quo-

quoque corpus sordescit, urinæ crassæ & sabulosæ renum obstructionem & gravitatem demonstrant: nec vetus femoris dolor dissipatus est.

Cura per interna, In tanta vitiorum syndrome curatio à corporis exinanitione ineunda, quæ quoniam vix tuto potest medicamentis purgantibus perfici, tentanda potius est victu tenui, & siccante per guaiacum. Itaque purgetur statim initio, vel per syrupum, quem aliquando prȩscripsi, vel per medicamentum ex diluto rheubarbari & agarici cum drach. ij. diaphænicon.

Postero aut tertio die ad tenuem victum accedat, in quo solis assis vescatur, parca manu: bibatque simplex decoctum guaiaci sine cortice, ut ei facilius assuescat. Prandeat hora j. Cœnet vero septima vespertina, quinta, vel sexta matutina, rursumque quarta pomeridiana: calicem hauriat purioris & meracioris decocti: in quo & cortex sit guajaci & polypodium cum salvia, betonica, & stœchade: idque primis diebus vice sit apozematis præparantis: nec sudores vi proliciantur.

Exactis diebus sex vel septem, cum jam præparati & conturbati corporis humores fuerint, iterum purgetur medicamento non admodum dissimili, aut cui addita sit senna cum epithymo.

Exin vero decocti vi sudores promoveri incipiant, ut, vacuatis interioribus sedibus, summæ pariter exinaniri possint.

Topica, Quum sudores libere evacuabunt, & corpus difflabunt, & jam extenuatum & gracilius existet, locus erit topicis remediis. *Femori,* Ac tum femori primum, quod toti malo initium dedit, adhibendi fotus extenuantes atque dissipantes: moxque ab his inducendum cataplasma ex radice bryoniȩ & cucumeris agrestis crudis, cum semine sinapis, cum pulpa ficuum, & fermento acri, quæ omnia bona & commoda proportione contemperata sint, & quam non tibi, sed tironi præscriberem. Si non satis hȩc tibi prȩstitisse videbuntur, tandem phœnigmus ex fermento & cantharide imponendus, dum radix ipsa mali sit evulsa. His enim prȩsidiis quod valide trahant plus efficies, quam ulcere vel admodum diuturno, cui nimirum sola vis inest excipiendi, non attrahendi.

Tum temporis movendȩ quoque erunt hȩmorrhoides, vel succo mercurialis, vel succo ficus, vel glande ex pulvere hieræ simplici, cum radice aristolochiæ rotundæ, sed tamen fotu prȩmisso emolliente. Aut si non satis moveri ac profluere queant, utiliter aperietur in pede sinistro saphena, educeturque sanguis pro virium modo.

Capiti. Dum per hæc topica curanda femori operam dabis, nihil obstabit etiam topica capitis remedia aggredi. Ac primum errhina, quæ valide satis è cerebro mucum proliciant. Dein capitis frictiones per sacculos ex seminibus discutientibus cum milio & sale torrefactis. Ab iis tonso ad cutem capiti inducetur emplastrum ex radice iridis florẽtinæ cum hermodactylis, & semine sinapis: quæ pulverizata excipiantur emplastro de meliloto, addita terebintina q. s. Emplastri consistentia fit. Valentius deinde addetur si rei necessitas expostulet. Poterunt in id ipsum cucurbitulæ, interdum leves, interdum cum scarificatu occipitio affigi. In iis ergo persistendum cum exposita ratione vivendi per guajacum, dum non modo interiores, sed & externæ partes omnes propitiis humoribus & excrementis expurgatȩ videbuntur. Setones in occipite, ulcera in commissura coronali, non eam, quam dixi, trahendi vim obtinent, neque ab iis id præstari experior, quod ab aliis præsidiis, ac sæpe ægrotos sine fructu miserrime torquent.

Cum toti corpori partibusque singulis hac ratione prospectum fuerit, si qua morbi comitialis suspicio derelicta videbitur, opportune decernentur, quæ tota substantia, occulta proprietate, hoc mali genus profligare traduntur.

CONSIL. XI.

Ad oculorum suffusionem, pro uxore domini de Riou, die 29. Martii 1552.

Causa. Utriusque oculi hebetudo, & impendens cæcitas, tum quæ ex opthalmia in oculo dextro relicta est, tum quæ postea in sinistrum invasit, primam efficientem

causam in cerebro demonstrant. In hoc quippe abundantior pituita excrementitia progigni cumularique solet, idque ex frigida humidaque dominæ laborantis intemperie, & ex immoderata vivendi ratione. Ea quippe ut præcipua est arthritidis causa, quoties per posteriora defertur: sic per anteriora & per opticos nervos irrepens in oculos, hæc videndi symptomata peperit. Neque enim sola pupillæ dilatatio citra hanc causam cæcitatem inferre potest.

Signa. Hoc autem loco hæsitamus, ubinam potissimum hic humor impediens, & qui continens & proxima est mali causa, consistat? An in optico nervo, anne sub pupillæ partibus intimis suffusionis specie, aut an extrinsecus supra corneam pupillæ effundatur, albuginis specie. Hæc enim singula diligenter æstimanda sunt, & internoscenda, sine quibus curatio, si quasperanda est, perfici non possit. Itaque optamus diligenter moneri per te de iis omnibus. Si nihil ob pupillam in oculo esse deprehenditur, causa est in optico nervo, atque is obstructus forsan est: neque enim suspicio est læsæ facultatis videndi, aut partis cerebri in qua consistit. Si quid obscurum ob pupillam animadvertitur, discernendum denuo, id ne in profundo sub tunicis conditum sit, anne foris circa tunicam corneam idem adhærescat. Illud suffusio, hoc albugo est.

Cura diæta. Tantisper autem, dum horum certius monebimur, curatio ineunda est generalis, & quæ hisce omnibus affectibus æque communis est, primum victus siccans & attenuans imperandus est, quo neque humidioribus, vel sorbitionibus, neque liquidis, sed assis duntaxat & siccis vescatur, hisque satis tenuiter, & quantum satis esse videbitur ad virium præservationem. A vino abstineat dies viginti aut triginta: potus sit ligni sancti decoctum, quod nullius alterius rei permistione sit apparatum. Si altero validiore & acriore decocto hora quinta matutina & quarta pomeridiana tentes ex toto corpore, maximeque è capite, sudorem elicere, non leve momentum ad curationem fuerit.

Tertio aut quarto die hujus victus, cum jam humores exagitati apparebunt, purgatio adhibenda per pilulas lucis majores; & pilulas sine quibus, aut per alias quas laborantis naturæ expertus eris accommodatiores. Hæ octavo aut decimo quoque die repetendæ sunt, nec eo die sudores promovendi. Diebus interjectis alvus, si forte durior existet, emolliatur clystere. *Purgatio.*

Quotidie mane, potissimum sub finem sudoris, deraso capiti vel tonso imponendi sunt sacculi ex milio, semine anisi, fœniculi, & baccis lauri torrefactis, quos in lecto decumbens calidissimos perferat horam circiter dimidiam, ut eorum opera lentus capitis humor foras proliciatur, & cerebrum totius mali fons, magis quam partes cæteræ roboretur. In hoc enim efficaciores sunt sacculi, quam vel emplastra, vel sinapismi, quantumvis calidi. Sublato sacculo caput muniendum est stuppis siccis, quæ suffientur styrace, benioi, caryophyllis, & horum similibus, paulo ante utrumque pastum. *Topica.*

Eodemque tempore pituita è capite detrahenda est apophlegmatis, qualia sunt ex mastiche & pyrethro mansis: vel gargarismo ex accommodato decocto in cujus ℔j. dissoluta sit ℥j. pyrethri pulverizati.

His constanter utendum interim, dum affectus oculi certius innotescet, sitne albugo, suffusio, aut optici nervi obstructio: nam imbecillitas ex spiritus penuria, aut virium dissolutione, esse nequit. Quibus perspectis, idoneis remediis, dum licebit, opem feremus.

CONSIL. XII.

Ad imminentem cæcitatem ex obstructione nervi optici, pro Domino Lastier, annos nato sexaginta, 29. Martii 1552.

Causa. Impedita hæc, aut depravata visio, quæ aut hypochyma, aut cæcitatem minatur, causam habet in optico nervo: non modo crassum vaporem, sed & lentum crassumque humorem, qui è cerebro illapsus nondum omnem nervi capacitatem implet.

Hic vero si ob crystallinum atque pupillam *Prognosticum.*

lam incidat, hypochyma: sin vero illic subsistens augescat atque concrescat, simplicem cæcitatem, in qua tamen nihil unquam vitii in oculo cernetur, pariet.

Itaque inhibendum, ne quid præterea eo recens influat, idque bona ratione victus, quæ corpus moderate alat, nec tamen humectet, nec excrementis impleat.

Bis aut semel saltem in mense purgandum per pilulas sine quibus, & pilulas lucis majores: atque etiam interjectis diebus, si quando adstrictior alvus erit, aut ventriculus crudior apparebit, per catapotia ex aloë.

Cura qua mali incrementum præcavetur. Caput mane quotidie siccandum fomentis ex sale, milio, & seminibus discutientibus torrefactis. Frictiones quoque in posteriora & in occipitium inferiora versus deductæ, apprime utiles erunt.

Pituita sæpe ex capite prolicienda apophlegmatismis; errhinorum autem non æque tutus est usus, sternutamentorum adversissimus, quod excrementi cursum atque impetum in posteriora convertant.

His & similibus rationibus caput excrementa minimum cumulabit, atque ea magna ex parte per naturales meatus deducentur.

Præsens malum aufertur. Alter autem curandi scopus est, ut qui in opticos nervos jampridem humor influxit, aut prorsus aut quantum rite licet, evellatur, revellaturque in fluxionis originem. Id quanquam arduum est, ac in primis difficile, tentandum tamen etiamnum est.

Sæpe igitur, maxime vero postridie purgationis, & aliquot deinceps diebus affigendæ erunt cucurbitulæ leves occipitio, utrinque ad cervicis originem. Imperandus est decubitus supinus: in quo & caput ipsum aliquando succutere contulerit, ut qui tenacius impactus est humor sede sua dimoveatur.

A Occipitii atque cervicis appellatos setones non probavi: quandoquidem nullo illi sui usu, vel commodo, sed gravi sæpe periculo infixos animadverti. Efficacissimam autem ac tutissimam revulsionem experior, quæ fit ab optico nervò in id cavum, quod est in radice auris, & in connexione maxillæ pone infimam auriculam. Per id enim ramus è vena jugulari intro subiens in opticos nervos utrinque excurrit. Eosque comitatur ad oculos usque. In id igitur exiguum emplastrum unguis magnitudine, apponendum est: aliud quod constet ex æquis portionibus saponis nigri & salis B communis triti. Vel aliud ex semine sinapi & cantharidibus an. ʒ. fermenti acris ℥j. His vero prudenter & arte summa utendum.

Quod si metuatur ne non satis sequax sit humor revellendus, præparandus erit fotu remolliente & attenuante, qualis fiet ex decocto altheæ, verbenę, euphrasiæ, rutę, seminis fœniculi & fœnugræci. Hujus decocti vapore ex spongia molli ac femella sub vesperum oculi fovendi sunt: cum pręsertim emplastra infimæ auriculæ inhęrebunt, ut suo saltem tempore noxium humorem molliat & extenuet.

C Collyria vero in oculos frustra immittentur, quod eorum vis nequeat in affectam sedem penetrare.

Utiliter nihilominus sępe mandetur semen fœniculi, aut etiam pulvis sumatur in fine pastus ex coriandro, aniso, fœniculo, euphrasia, & glycyrrhiza, & cinnamomo: istorum enim vapor & halitus ex ore & stomacho ad oculi anteriora fertur.

Non deerunt scio, qui hac in re guajaci decoctum imperent, & vehementer commendent, quod tamen sine istorum ope irritum fit, & minimè profuturum.

CONSIL. XIII.

De Arthritidis præcautione & curatione.

PRO D. DU PRAT. 1550.

Historia morbi & curæ, scribente PETRO BRUHESIO Medico,

Ad D. JACOBUM Sylvium Professorem Regium Parisiis.

TAntum mihi de animi tui candore, universæ Europæ jam olim ex doctissimis scriptis notissimo, polliceor, mi eruditissime Sylvi, ut non sim veritus ad te scribendi audaciam sumere. Quæ sane etiam eo major fuit, quod urgeret caussa, atque adeo necessitas viri vere magni, qui, ut ingenue dicam quod res est, præ omnibus quos hactenus audire & videre potui, tum à medicis omnibus, tum à medicamentis, beneficium persentiscere mereatur. Nam (ut omittam propensissimum favorem erga omnes eruditot viros) medicos omnes non tantum unice adamat, sed & veneratur, & propensissima voluntate prosequitur: nihil non promptissimo animo facit, quod à medico cum ratione & judicio, secundum Galeni methodum, præscribitur. Galenum, Aëtium, Paulum Æginetam, Alexandrum Trallianum, Manardum, ac Sylvii quoque scripta, diligentissime perlegit; tanta autem est memoria, ut, quicquid in his omnibus observatione dignum reperit olim, id arctissime conservet. Est hic illustris dominus Ludovicus à Flandria, Dominus Pratensis, Cæsareæ Majest. primus à cubiculis, Gubernator Hollandiæ, Zelandiæ, & Trajectinæ ditionis, ærarii Augustani præfectus. cujus prudentiam maximam, facundiam raram, atque eruditionem variam, & in principe viro admiratione dignam; animi candorem & integritatem, fidei erga suum principem constantiam, atque reliquas animi dotes eximias, si velim enumerare, dies citius deficiet, quam scribendi aut dicendi finem facere possim: neque res ea, si resciret, grata foret. tam non admittit sive agnoscit meritissima præconia. Frequentissime autem accidit conferentibus nobis de variis rebus medicis, ut honorificam admodum tui mentionem faceremus: utpote quod omnium nostræ ætatis scriptorum diligentissime Galenum legeris: inventa, candida ac dilucida brevitate, communicaris; atque ut summatim dicam, si quisquam hac nostra ætate sit medicus vere Hippocraticus, eum te esse. Itaque consilium accepimus, fisi tuæ humanitati, candori, ac facilitati; quæ in tam erudito viro ac philosopho desiderari non possunt; ut ad te scriberem de valetudine illustris Domini.

Vt autem possis de singulis exactius judicare, depingam Domini præsentem ac præteritam temperaturam; vitam anteactam, ac præsentem morbum, quo certis temporibus affligitur; ac methodum, qua nos in curatione usi sumus. Postremo, ut de singulis horum tuam censuram liberrime adhibeas, & quicquid apud te huc spectans, reconditum fuerit, communices, ardentissimis votis exoptamus, atque avidissime exspectamus.

Constitutio ægri.

Nativa itaque temperatura haud dubie felicissima fuit: id quod arguunt præ cæteris omnes rationes animæ absolutissimæ, & corporis totius exacta structura. In juventute cum æqualibus suis (ut verisimile est) nostratium more vita usus est licentiore: propter excellentiam tamen divini ingenii, prudentisque maxime naturæ, ipsi per Imperatorem delegata sunt onera varia & molesta in republica: in quibus omnibus sic hactenus sese gerit, ut, quod admiratione dignum est, ab Imperatore, ac subditis omnibus, nobilibus & ignobilibus, parem gratiam, eamque maximam trahat. Facilem se omnibus, expositumque præbuit semper. Varias, easque molestissimas subivit legationes, in Angliam, Franciam, Hispaniam, Italiam, ac per Europam fere universam, per varios labores, ac pericula maxima: interea tamen nunquam ab assidua omnium bonorum scriptorum lectione cessavit. Hisce indefessis laboribus natura, alioqui optima, vehementer labefactata est. Corpus universum justo est frigidius; vastum satis, ac crassum, medium inter carnosum & pingue: cerebrum frigidum & humidum; quantum ex pituitosis excrementis, quæ quotidie dimittit ad fauces, nares, & partes subjectas plurima, colligere licet. Atque hic unum commemoratione dignum est, quod cum

hæc

hac natura integerrima sunt omnes cerebri operationes, potissimum vero memoria, de cujus felicitate adhuc cum quovis alio decertare potest. Ventriculus quoque justo frigidior est, ut & hepar, quo fit ut pituita & serosorum humorum copiam justo majorem generet crura vero gracilia sunt, si cum aliismembris conferantur, admodum imbecilla, atque hinc fluxionibus podagricis vehementer obnoxia. Ætatis est annorum sexaginta, aut circiter.

Ægri diæta. Appetentia bona est; in prandio parum sumit, cœnat vero liberaliter. In potu vero amat cerevisiam: quam tamen corrigit injectione salviæ, stœchadis, menthæ, caryophyllorum, similiumque. utitur præterea aqua cocta cum saccharo & cinamomo: cui admiscet vini partem tertiam, vel quartam, plus minus pro libito. Vinum hoc est Rhenanum, antiquum, album, imbecille; quale Galeno est Sabinum, vel quæ ipse alba ac tenuia vocat. Videntur inter se nobis fere convenire Rhenensia nostra, & vestra Pictaviensia alba, nisi quod hæc fere sint crudiora. In usu quoque habuit vina Gallica rubea, sed tenuia, clareta vobis dicta, colore vermiculo, de cujus etiam usu tuum judicium expectamus. a Sale etiam hoc ex Aëtio utitur. ℞. salis torrefacti ℥iij. hyssopi ʒiij. pulegii ʒijß. cymini ʒiß. amini, cinnamomi ana ℈ij. omnibus in pulverem redactis. A cibo frequenter sumit aliquid diatrion pipireon. aliquando idem, vel diagalangæ. Ante cibum aliquando utitur gingibere condito, etiam gingibere parato, ut habemus apud Galenum b libr. 4. De sanitate tuenda; quod ait ex Barbaria afferri, & esse radicem herbæ virentis, statim in acetum conjectum.

Ratio morbi. Paroxysmi podagrici solent interdum bis terve quotannis recurrere. hoc autem superiori anno toto, per diligentissimam omnium opportunorum auxiliorum ac diætæ observationem, ab omni fluxione liber fuit. Sed in fine anni, ipso die quo anno qui proxime præcesserat, invasit strenuus paroxysmus: dolores usque ad sextum vel septimum diem, erant acuti admodum, ac plane nobis indicabant, fluxionem (ut fere fit) à bile sumpsisse originem; in corpore alioqui pituitoso.

Causa. Præcesserant autem causæ multæ, quæ poterant excrementa auxisse; profectiones molestæ per Hollandiam & Geldriam, loca frigidiora & humidiora; adversa valetudo conjugis, quæ post trimestrem ægritudinem obiit; & alia quædam. Quod bilis in ea ætate & temperatura, aliqua A portio auctior fuerit, id adscribo calidis quibusdam pharmacis, quæ etiamnum habet in quotidiano usu, extra paroxysmum. talia sunt, diatrion pipereon, & diagalangæ, quibus ante cibum utitur; interdum & diacalaminthæ, quo & ante cibum & à cibo uti consuevit, post purgationem. Hic præterea aqua medicata uti consuevit: ℞. Mastiches, rhabarbari, caryophyllorum, myrobalanorum chebularum conditarum, ana ℥j. infundantur vini antiqui odorati ℔ij. triduo post omnia in vase vitreo posita, modo Chymicis consueto destillentur: liquor vero diligenter observetur in vase vitreo, bene obturato. Dantur hieme ʒij. aut ad summum iij. jejuno, jejunando tribus horis post; æstate vero ʒj. cum aquæ rosaceæ ʒß.

B Principio paroxysmi, usi sumus repellentibus & astringentibus variis & vehementibus: tamen ab opiatis abstinuimus, ob nimiam crurum ex frigiditate imbecillitatem, quod ante annos forte viginti cœperunt cum his defluxionibus colluctari. Oleum rosarum ex omphacino oleo paratum, hic desideramus: sed tandem Antverpiæ accepimus, ex oleo c loto diligenter præparatum, utcunque ad illud accedens. Usi sumus mucagine psyllii, seminis lini, fœnugræci, aliorumque aptorum, & varie, cum posca, nunc cum caulibus & rapis coctis, mista, adjecto interim oleo rosarum, è vitellis ovorum, similibusque: tandem & chamæmeli, fœnugræci, hordei, fabarum, aliisque, prout exigebat præsens indicatio. Cura initio fluxionis.

Interea dum hæc peregimus, non neglecimus purgationem universalem. à qua statim cum paroxysmo licebat inchoare, quod illustris Dominus aliquot diebus anteactis sumpserat concoctivum humorum. Primum usi sumus enemate, postridie purgatione per inferiora: proximo ab hoc die rursus enemate, ad abstergendum & expurgandum quod forte ex præcedente purgatione relictum erat. Deinde rursus itum est ad concoctiva; post hæc denuo ad purgationem. Concoctivum paravimus ex decocto parato ex radicibus helenii, salviæ, hyssopo, stœchade, centaurio minore, eupatorio vero, similibusque: adjectis interdum carthami seminibus; ad servandum alvum lubricam. In principio tamen paroxysmi, adjecimus ea, quæ bilem partim reprimerent, partim moverent: absinthium, thamarindos, radices pentaphylli, similiaque. Exhibuimus vero hujus decocti ℥iiij. mellis rosati, primum; deinde cum syrupo de mentha & stœchade; tandem

dem cum oxymelite scillitico, ex dupla scilla parato, adjecto aliquo prædictorum syruporum, æquali pondere.

Cessante fluxione.

Cessante sensim defluxione, semper auximus topica discutientia, adjectis etiam iis quæ nervos corroborant, usi in hoc oleo lumbricorum, liliorum alborum, chamæmelino, amygdalarum dulcium, vulpino, è castorio, aut simili aliquo, vel per se solo, vel mistis, prout exigebat præsens indicatio. Ita ut tandem alicui horum miscuerimus sequentem liquorem, quem postea per se utiliter adhibuimus. Sic autem paratur: ℞. resinæ terebinthinæ, si haberi potest, aut ejus loco larignæ, thuris ana ℥iij. nucis myristicæ ℥ij. centaurii minoris, hyperici, chamæpityos, ana M. j. infundantur horis viginti quatuor in vini Rhenensis aut alterius generosi q. s. ut omnia bene tegantur: assidue moveatur, post in vase vitreo more chymico destillentur. Colligi possunt tres diversi caloris humores: quorum ultimus vehementissimus est. Usi sumus & alias emplastro Aëtii ex croco: sed ob nimiam adhærentiam, reformidavimus ipsius usum. Sic autem paratur. ℞. galbani, thuris, ana ℥iiij. croci ℥ij. ammoniaci ℥vj. picis aridæ ℔vj. olei rosati ℥vj. aceti acerrimi albi heminam unam, hoc est, ℥x. ceram, picem, & rosaceum, lento igne liquefacta, excolato. galbanum autem & crocum, ammoniacum, thus, cum aceto terito. Deinde usi sumus unguento ex salibus Galeni, & Aëtii, sic parato: ℞. salis sordidi, hoc est, cum terra sua commisti, aluminis scissilis, ana ℔j. fecis vini veteris sextarium unum, hoc est ℔jß. floris lapidis Assii, vel, si non adsit, salis ammoniaci, ℥iiij. arida terantur diligenter singula per se. deinde adjicitur fex, simulque teritur; tum additur olei veteris sextarius, id est, libra. j. ß. diu conquassentur, & ad usum reponantur. Pedes etiam lavamus vino rubro, cui incoximus nuces & virgulta viridia cupressi, similiaque, adjectis tandem sabina, stœchade, & similibus.

Pro particulari capitis evacuatione, & humorum in subjectas partes decumbentium aversione, Dominus habet instrumentum argenteum cavum, & anteriori parte rotundum, quo linguam & laryngis musculos quasi vellicat & titillat. Servat autem ante hujus usum in ore particulas radicum pyrethri, minutim concisi, & mastiches, aliquando nucis myristicæ partem, masticando: atque hoc modo rejicit quotidie ℥vj. vel vij. pituitæ tenacis & frigidæ. Aliquando etiam utitur sternutamentis ex radice betæ, aut succo majoranæ, per nares infuso, aut lacte in quo elaterii parum sit dissolutum.

Pro capitis quoque corroboratione, & reductione ad calidiorem temperaturam, feliciter usi fuimus oleo ex lateribus. quod sic paravimus: ℞. laterum antiquorum, vel novorum, humectationem ab aqua nunquam expertorum ℥j. injiciantur in ignem, ut candescant. post extingue oleo antiquo sufficienti: post tere diligenter, & addendo mastiches ℥j. resinæ terebinthinæ ℔j. omnia mista destillentur, more Chymicis consueto, & colligantur seorsum liquores; tres enim varii caloris defluent. Primus enim fluit ut aqua; sed postremus omnium est præstantissimus, ad discutiendum quidquid illis in locis adhæserit, ac robur præterea relinquendum, si illinatur alis narium, auribus, temporibus, vertici, & spinæ dorsi. Hujus enim usus probatur ad omnes articulorum affectus frigidos; in declinatione tamen. Consulto etiam rebus jam destillandis adjiceretur nux myristica, thus, macis, & lauri baccæ; exempli gratia, ana ℥ij. plus minusve. Eodem spectat oleum ex nucibus myristicis per descensum paratum: cui etiam macis, & lauri baccæ adjici possunt.

Usi sumus & oleo quod naribus admovetur, ad eandem intentionem, sic parato: ℞. olei de spica odorata ℥j. caryophyllorum ℈j. ambræ ℈ß. moschi odorati grana quinque, ceræ albæ aqua rosarum ablutæ valde parum. Præterea pomo odorato. quod sic paratur: ℞. pulveris rosarum rubrarum, santalorum citrinorum, macis, caryophyllorum, ana ℨij. styracis, ladani, benzoi, ana ℨj. conficiatur cum aqua rosarum.

Theriacam post diligentem purgationem non eramus neglecturi: sed veram desideramus. at usi sumus radicibus, quæ Chinæ vocantur; quæ occulta vi, non per qualitates primas, movent sudorem. Veriti sumus ejus decoctum in hoc senili corpore & frigido; propter noxas aquæ: sed pulverem excepimus melle rosaceo. aliquando eum cum saccharo in tabellas redigi curavimus, vel saccharo in aqua melissæ ad mellis consistentiam immiscuimus, feliciter. Solemus autem hæc dare pondere ℨj. aut amplius: & sic sequitur sudor. attamen hac radice eo minus usi, quod sponte sua post declinationem affatim fluxerit sudor omni mane. Interea temporis etiam diuretica usi sumus.

Hactenus summatim recensuimus ordinem nostrum: quem diligenter digneris expendere, ac liberrime de eo censuram ferre. Nunc autem particulatim quædam recensebo; de quibus quam maxime tuum judicium desideramus. Primum in purgando præmisso enemate, usi statim sumus catopotiis [d] Alexandri Tralliani, quibus in hac civitate millies forte, nullo unquam subsecuto symptomate pravo, usi sumus, Descriptio hæc est: ℞. aloës, scammonii, bdellii, hellebori nigri, pulpæ colocynthidis, epithymi (idque Æginetæ consilio, pro gummi) ana ℨj. euphorbii,

bii, nitri, ana ʒß. fiant catapotia cum succo brassicæ. Quoniam apud nos bilis hiberno tempore minus abundat, accipio frequenter scammonii partem ß. pro helleboro accipio agaricum, quem habent Galeni catapotia, quæ sua vocat in fine quinti libri methodi. Hisce igitur varie mistis feliciter admodum usi sumus. Deinde ad dies aliquot humoribus præcipuis ac biliosis jam expurgatis, ab hisce abstinuimus: quod Alexander consulto nos admonere videtur, in pituitosa podagra, satius esse paullatim ac sæpius, quam semel confestim purgare; sed interjectis diebus. Cre B broj quoque, scilicet alternis diebus, vel tertio aut quarto quoque die, usi sumus enematibus levibus, paratis ex decocto attenuante, & hiera picra, Galeni modo paratæ, ℥j. quibus tam multam eduximus è corpore crassam & tenacem pituitam, ut vix cogitare quidem possimus ubi ea contineri potuerit. Aliquoties iterum ventum est ad Alexandri catapotia, vel parata ex hiera diacolocynthidos pulvere. quem sic paravimus: ♃. pulpæ colocynthidos ʒx. agarici, scillæ assæ, ammoniaci, scordii, aut chamædryos, scammonii, hellebori nigri, stœchados bonæ, ex Hispania scilicet & recentis, hyperici, ana ℥j. epithymi Cretensis, euphorbii, ana ʒiiij. polypodii, bdellii, aloës, marrubii, cinnamomi, casiæ, ana ℥j. myrrhæ, sagapeni, croci, aristolochiæ rotundæ veræ, piperis longi albi, & nigri; gentianæ, spicæ Celticæ veræ, struthii, ana ʒij. mellis boni, aut syrupi de stœchade, q. s. ad formam electuarii. Dosis est à ʒij. ad iiij. superbibendo hydromelitis, aut vini dulcis cyathum. Quibus sane etiam felicissime usi sumus. Vacuant enim affatim, & tam clementer hæc atque Alexandri, ut homines non sentiant se sumsisse medicamentum. Humorem tamen diligenter perpetuo concoquo. Vtraque catapotia tribus horis ab assumptione operationem absolvunt: tamen ea quæ ex hiera fiunt, Alexandrinis longe tutiora, propter ea quæ ingrediuntur dissecantia & roborantia, crediderim. His vale. Interea avide tuum responsum expectamus.

Tui observantissimus

PETRUS BRUHESIUS.

ANNOTATIO BRUHESII in hanc Epistolam.

a *Sal, cujus Bruhesius meminit, est apud Aetium sermone primo Tetrabibli tertiæ: appellatus ab eo* dodecatheos, *hoc solum differens, quod Bruhesius cinamomum adjecerit.*

b *Affertur nostris temporibus ex India zingiber saccharo conditum, &, ut ait Matthiolus, succo conditum, ex ipsa sua herba aut parte aliqua sui expresso. De eo autem quod recens effosum in acetum conjicitur, nihil audire, aut apud alios legere memini.*

c *Quod ex oleo loto paratur, longe ab antiquorum emphacino oleo distat. hoc enim, ex olivis immaturis expressum, siccat, refrigerat, densat, & astringit; ut sic principiis paroxysmorum conveniens sit: at si* A *lavetur oleum, ut hasce facultates fere deponit, ita & principiis hujus morbi minus est accommodatum.*

d *Pilulas plurimum laudat Alexander Trallianus ad morbos articulares ex colocynthide, ut de dolore capitis, & hemicrania, ex causa humida in stomacho, alias item de curatione epilepsiæ, rursum alias de curatione podagræ pituitosæ, non multum inter se differentes. Hæ autem, quas Bruhesius hic citat, primo loco, quo diximus, invenientur. Ibi tamen Græcus textus ob bdellium omissum, est mutilus; id vero ibi reponendum esse, Trallianus ipse paulo post satis declarat.*

RESPONSUM FERNELII.

Cui Epistola illa Bruhesii ad Sylvium etiam exhibita fuit; ut in athritide illustris Domini Pratensis, quo pacto & præcaveri & curari posset, sententiam suam explicaret.

IOANNES FERNELIVS BRVHESIO S.

Causa morbi. QUÆ de Domini laborantis affectu, & de causis illius, nobis assequi; quæ de præcautione & curatione judicio A cernere licuit, hæc sunt. Laborantis ætas sexagenaria; temperamentum frigidius; habitus corporis obesulus; in cerebro,

bro in ventriculo, in intestinis redundans pituita crassa & tenax; denique non pauca alia signa, quæ scriptis tuis passim excerpsimus, omnia plane commonstrant, articularem hunc dolorem à frigida distillatione potius quam calida proficisci: quod doloris & species, & diuturnitas confirmat.

Pars affecta.

a. In quot autem articulos potissimum procumbat, expressum non est: quamquam id non parvum habet ad curationem momentum. Neque profecto animadversum video, unde ea frigida pituitosaque distillatio in articulos irruat: quod tamen est præcipuum curationis caput, in quod dirigi debet omne medentis consilium. b Ego sane neque pituitam crassam, quæ ex alvo detrahitur; neque eam quæ in articulos influit, umquam credam, posse è venis diffluere. Vtraque enim sincera est; at excrementicia, qualis nusquam in venis continetur: sed illa in ventriculo & intestinis ex loci natura provenit; hæc vero in articulos è cerebro & toto capite procumbit, cujus proprium est excrementum. Amplus hic sane locus clariori demonstratione illustrandus esset, si per opportunitatem liceret.

Cura ante paroxysmum.

His ita constitutis, exponendum jam est, qua ratione possit immanis hic dolor præcaveri, & qua is etiam, cum forte evaserit, leniri sanarique debeat. Itaque ubi primum laborans suo malo corripitur, aut paulo ante consuetum paroxysmum, huic vivendi rationi assuescat, eamque servet integerrime.

Diæta.

Cibis vescatur euchymis, capis gallinaceis, columbis, perdicibus, aviculis, lepusculis, vitulo, vervece, hisque similibus; assis quidem omnibus, elixis nunquam: prorsusque à sorbitionibus abstineat, & à piscibus omnibus, item à caseo, piris, fabis, & fructibus omnibus, maximeque horariis Secunda mensa, satis fuerit vel uva passa vel diacotoneon. Sic enim victu sicco & moderate calido, procurandum est, ut nihil aut certe minimum pituitæ in ventre toto succrescat. Ad id etiam conferret, hora una ante pastum, sumere tabellam unam aromatici rosati majoris; ex descriptione Gabrielis, vel tantillum zingiberis conditi, cujus jam est usus familiaris. Calidiora fugiat, qualia sunt c diatrion pipereon, diacalaminthes, diagalanges, & quæ sunt hujus ordinis. obsunt enim calore, nec bene vivendi errores possunt emendare. A pastu vero ventriculi vapores depellat, hoc pulvere. ℞ coriandri præparati ʒij. cinnamomi electi ʒj. margaritarum ℈j. sacchari rosati ℥ij. fiat pulvis: capiat cochlear unum in fine pastus. Bis in die cibum sumat; idque satis tenuiter, & ex justis intervallis, quæ concoctioni satis sint. Nam illi famem interdum tolerare, bonum est: quo omnis cruditas vincatur.

Potus esto vinum album, Rhenanum vestrum, vel Gallicum subrubrum, & tenue, utrumque moderate dilutum. Cerevisiam prorsus deuitet, & omnem aquam, etiam si multo sit aromate condita, ne quid addat ad eos serosos humores, quibus gignendis est obnoxius. Qua etiam ratione parcius ipsi bibendum est; ut nec potus excedat tota die ℥xxx. Si quo forte alio potu delectabitur, omnium utilissimus erit, qui ex palo sancto, sive ex ligno sancto paratur: is enim citra manifestum calorem, frigidiorem & pituitosum humorem incidit, tenuat, & deterget; idque potentius, quam quidvis aliud. obstructiones expediens, cruda plurima & supervacua resiccat, absumit, & ex locis penitioribus digerit, ad quæ aliorum medicamentorum vis penetrare non possit: ut idcirco futurus sit huic laboranti saluberrimus. Accedit etiã, quod hoc potu, quantum libeat, uti liceat. Sic autem fiet admodum gratus. ℞. rasuræ pali sancti ℔ß. infunde in ℔vj. aquæ tepidæ horis 24. deinde fiat decoctio ad ℔iij. addendo in fine passularum mundatarum ℥ij, cinnamomi electi ʒiij. caryophyllorum ʒj potus fiat colatus: utatur in pastu loco vini, aut saltem primo haustu loco cerevisiæ.

Purgationes.

Cum alvus non facile dejicit, irritabitur vel balano, vel clystere emolliente, qui crassam pituitam deterget, elicitque per alvum. hoc modo: ℞. radicum althææ, enulæ campanæ, polypodii; ana ℥ß. centaurii minoris, absinthii, rutæ, chamæmeli, meliloti, ana M. j. seminis anisi, fœniculi, cymini, baccarum lauri contusarum, ana ʒß. fiat decoctio. In colaturæ ℔j. dissolve hieræ picræ Galeni, terebinthinæ, ana ʒß. mellis rosati, & anthos, ana ℥j. olei rutæ & anethini ana ʒjß. detur ad alvi dejectionem

nem decimo quinto quoque die. Reliquum omne corpus, maxime vero cerebrum, & articuli, purgabuntur hoc medicamento benigno & facili. ℞. aquæ salviæ ℥iij. in qua infunde agarici trochiscati ʒj. rhabarbari electi ℈iiij. cinnamomi electi ʒß. infundantur secundum artem: cola, addendo diacarthami ʒij. syrupi de stœchade ℥ß. hæc sit una dosis. detur die & hora electis. Si vero pilulæ gratiores erunt, hæ conveniunt. ℞ pil. sine quibus esse nolo, *a* cochiarum, ana ʒß. malaxentur cum syrupo de stœchade, & formentur pilulæ quinque, capiantur post primum somnum. Hęc est igitur vivendi ratio non admodum gravis, & quam possit diutissime tenere, sed in primis idonea & utilis.

Imminente paroxysmo pro toto, Cæterum si D. Laborans pareat, velitque posthac à diuturno illo articulari morbo & dolore, tuto vindicari, necesse est, ut majora subeat, & veterem prorsusque vitiosam corporis sui constitutionem omnino permutet. Quod quidem non admodum gravate hoc modo efficiet, exacto priore mense hac ratione victus. Posteriori qui paroxysmo vicinus est, à vino abstineat prorsus, ac pro vino bibat pali sancti decoctum, supra descriptum: servata per id temporis victus ratione paulo tenuiore, & exquisitiore. ex his tamen quæ præscripta sunt, tunc temporis fiat alia potio, magis medicamentosa, ut validius humores jam apparatos digerat & absumat, quo tanquam medicamento utatur, mane, & ante cœnam. sitque hujusmodi: ℞. pali sancti ℔ß. corticis ejusdem ℥ij. infunde diebus duobus, in ℔vj. aquæ tepidæ. Deinde fiat decoctio ad ℔ij. ponendo in fine radicis acori veri, enulæ campanæ, polypodii ana ℥ß. foliorum salviæ minoris, stœchados, betonicæ, florum anthos ana p. j. cinnamomi electi ʒiij. caryophyllorum, macis ana ʒj. fiat potus colatus. capiat ℥iiij. pro dosi, mane hora octava, & tribus horis ante cœnam, in lecto decumbens, stragulis & vestibus contectus, dum sudor emanat. Ita enim quidquid vitiosi humoris disseminatum est per nervos & articulos, sensim digeritur, & absumitur.

Pro capite, Quoniam vero cerebrum destillationis fons est, & origo; consentaneum, huic quam cęteris partibus plura adferre subsidia. Itaque detersis sudoribus, mox caput & cervix calefiant, & exsiccentur his sacculis, quibus vis est dissolvendi reliquias noxii humoris, & corroborandi cerebrum: ℞ fol. salviæ, betonicæ, stœchados, majoranæ ana p. j. seminis anisi, lini, fœnugræci, ana ℥j. milii, salis communis ana ℔ß. torrefiant omnia in sartagine; reponantur in duobus sacculis; applicentur calidi sincipiti, & cervici, donec sponte frigescant, sæpiusque iterentur si videbitur. His factis moveantur sternutamenta. simul etiam errhinis, & apophlegmatismis, pituita è cerebro per os & nares derivetur. Vulgaris & cognita est horum materia. Istorum igitur assiduo usu exhauriendus est fons ille mali, dum exquisite sit exsiccatus.

Artubus. Sub finem mensis, cum victu, sudore, purgatione, apophlegmatismis, & sacculis jam satis exsiccatum & corroboratum cerebrum erit, nec ullum indicium apparebit dominantis pituitæ; tum certe artus omnes, nervi & articuli, firmandi erunt, & corroborandi, ne posthac fluxionem tam facile admittant. In id autem efficax est *e* balneum, quod fit ex incoctis rosis, balaustiis, salvia, stœchade, & myrto, adjecta bona copia aluminis. in hoc vero tepido diu sedeat jejunus, ut neque calorem, neque sudorem excitet, sed artus laxiores duntaxat confirmet, idque diebus tribus quatuorve continuis. Hinc sensim tuto redeat, ad familiarem victus rationem, quæ tamen, quantum licet, proxime ad hanc accedat: sint matutinæ capitis frictiones ex sacculis quotidianæ, sit & frequens pituitę derivatio, per os & nares. In somno fugiendus est omnino decubitus supinus, in quo quotidiana cerebri excrementa diffluunt in cervicem, & in artus; pronus vero tenendus est, ut sit excrementis decursus in nares. Exercitatio convenit moderata, in aëre sicco & libero. Artuum frictiones duræ recens experrecto saluberrimæ. Hæc sunt quibus arthritidem frigidam à cerebro irruentem tuto præveniemus, & quibus diligenter observatis, confido D. laborantem, si eo ipso genere, ut suspicor, conflictatur, ab hoc morbo liberandum esse.

In paroxysmi ini- At si forte quibusdam horum prætermissis, contingat eum hisce doloribus denuo cor-

tio purgatio. corripi, incipiente paroxysmo, & cum prima erunt rudimenta doloris, f exquisite purgetur, satis valido medicamento; nam levius cum datur, humores exagitat, nec tamen expurgat, atque idcirco distillationem, ipsosque dolores auget, ac sæpius conduplicat, ut proinde multi deterreantur, & abstineant à medicamento in principio doloris. Itaque in medicamento præscripto pro ʒij. diacarthami addantur ʒiij. vel quantum assidentis medici prudentia æstimabit. Hoc uno incipientes dolores sæpe finivimus. Mox à purgatione capitis & cervicis frictiones siccæ fiant, idque sacculis præscriptis admodum calidis, ut his reliqua destillatio sistatur, atque digeratur, ne in artus procumbat.

At si nihilominus fluxio irruat, occupetque articulos ipso doloris initio, si dolor ruborque conspicitur, qualis interdum adest, vel frigidæ arthritidis initio; (unde complures falluntur) adhiberi oportet, primum moderata frigida, deinde anodyna, postremo digerentia.

Topica frigida. Frigida quæ dico, non intro adigunt humores, sed fluentes inhibent, extinguuntque calorem; hujus ordinis est mucilago seminis cotoneorum, extracta in aqua solani, qua tepida locus dolens oblinatur, in eaque maceratis linteis obtegatur. Hęc si non satis dolorem leniant, addetur aceti pars octava, si nec sic quidem dolor mitescat, adjicietur camphoræ momentum, vel aliquid Trochisci albi Rhasis. Ab unguentis & pinguibus tum temporis abstinendum; quod calorem inflamment, geminentq; dolores.

Anodyna. Cum istorum beneficio doloris vehementia omnisque ardor extinctus fuerit, conveniunt anodyna hujusmodi. ℞. olei liliorum & chamæmeli, mucilaginis psyllii, extractæ in aqua salviæ, ana ℥j. croci ℈ß. ceræ parum. fiat linimentum pro inunctione doloris, bis aut ter quotidie. Post unctionem hoc adhibebitur cataplasma. ℞. micæ panis maceratæ in lactis vaccini ℔j. croci ℈ij. florum chamæmeli, & meliloti, pulverisatorum, farinæ, lini & fœnugræci ana ℥ß. olei liliorum parum. fiat cataplasma. Multa sunt hujus ordinis. ut medullæ cassiæ fistulæ, stercus vaccinum additum, vel aqua destillationis ejus, unguentum ex succo ebuli, & alia innumera, quæ doloris vehementia & necessitas invenit. His libri omnes pleni sunt, sed eorum, quæ dixi, vis maxima, si tempestive adhibeantur. Torquentur multi novorum medicamentorum inventione; at sane puto facilius ac tutius methodo, quam medicamentorum multitudine profligari arthritidem.

Finitis, aut maxima ex parte imminutis *Digerentia.* doloribus, reliquus humor digerendus est, ne in articulo concrescat, quasi in tophum, adhibito hoc medicamento: ℞. olei lumbricorum terrrestrium, terebinthinæ & anethini, ana ℥ij. axungiæ vulpis, taxonis, & anseris ana ℥jß. mucilaginis seminis lini, & fœnugræci, extractæ in aquæ salviæ, ana ℥iij. hermodactylorum subtiliter pulverisatorum ℥iiij. vel ℔ß. secundum exigentiam casus, ceræ q. s. Fiat unguentum, vel ceratum, ut voles. Deinde hoc imponatur emplastrum: ℞. gummi pini, picis navalis, emplastri oxucroci, ana ℥j. sulphuris vivi, pulveris hermodactylorum ana ℥ß. olei terebinthinæ q. s. fiat emplastrum; applicetur post unctionem. Singula diligentius persequerer, si certo cognitum esset genus arthritidis. Vale.

Tuus JOANNES FERNELIUS.

ANNOTATIONES PETRI BRUHESII in JOANNIS FERNELII, epistolam præcedentem.

a *Vbique vocatur* podagra; *imo scripsimus, crura esse imbecillia, & podagricis fluxionibus obnoxia.*

b *Contrarium & rationibus & Galen. aliorumque auctoritatibus doceri potest. efficassime libri* 6. *Aphor.* 5. *dicit, quod singulæ partes imbecilles recipiunt excrementa à fortioribus à se propellentibus vitiosum succum ante aliquot menses collectum. & Aphor.* 49. *dicit, nullum unquam podagricum convulsione correptum: quia nervi & ligamenta non opplentur humoribus, sed articulationes, unde tamen extenduntur ob subjectos tumores, unde per nervos non defluit hic humor: quia per adhibitionem frigidorum & astringentium cohibitus faceret convulsionem vel aliud induceret. Ad hæc nervi pedum non nascuntur à cerebro, sed ex infima spina; neque habent meatum à cerebro pedibus communem, si per spinalem medullam*

mediam

mediam ferretur humor, primum caussaretur totius corporis paralysis. Adhac videmus, venas articulis vicinas ante dolorem plurimum turgere & distendi. Adhac palam dicit Aetius de caussis universalibus arthritidis, & Galen. cap. de ischiade secundum locos. Et 6. Aphor. 47, praeavet articulares morbos, purgando bilem aut pituitam, prout altera caussa jam à longo tempore in omnibus venis collecta erat. Praterea in quotidianis, continuis, innumerisque aliis morbis, pituita est in venis, in iisque per circuitus colico eruciatu aliqui affliguntur, & paroxysmum sustinent, ubi omnes vena jam plena, eam in ventrem & intestina exonerant. Idem fit in multis febribus pituitosis. Praterea Galen. asserit, partes fortiores, omnes in imbecilliores sua excrementa exonerare: id nulla ratione promtius fit, quam per venarum ora, qua etiam tumida conspiciuntur. Quod autem hac excrementa sint crassa, tenacia, imo quasi succus crudus, auctor est Galen. 10. secundum locos de ischiade.

Etiam dictum est, è cerebro frigido plurima quotidie excrementa pituitosa ad partes subjectas decumbere; de quorum aversione per instrumentum post dicetur, & post agitur. de cephalicis etiam purgationibus diximus; & quod destillationes in senibus agre concoquantur; nam credimus, mali originem magna ex parte esse in cerebro.

c *Diatrion pipereon Galen. maxime commendat quovis tempore ad juvandam in frigidis concoctionem, à cibo & ante cibum, quia non distribuit ut diacalaminthes.*

d *Matthaeus de Gradib. damnat nimis magnam scammonii quantitatem in pilulis cochiis.*

e *Balneum nos laudamus, ex aqua marina, aut ferrata incoctis his ipsis qua recenses.*

f *Cruda tamen non possunt purgari; frigida affatim non concoquuntur. Notandum etiam, crudum, pituitosum & tenacem humorem non posse trahi, nisi concoctum; tenuis si sit, nisi purgetur, in articulos influit: itaque de aliis mediis est cogitandum.*

EPISTOLA PETRI BRUHESII.

Prima ad Ioannem Fernelium; qui antea tantum literas Bruhesii omnium primas ad Iacobum Sylvium viderat; & sic in arthritide curanda & praeservanda sententiam suam aperuerat; hinc Bruhesius ne tantum virum neglexisse videretur, & indignum quem salutaret, hanc ad eum perscripsit, atque interim difficultates quasdam movet.

JOANNI FERNELIO, MEDICO clarissimo, PETRUS BRUHESIUS S.

Scripsi superioribus diebus Iacobo Sylvio, viro non aliter mihi, quam ex scriptis, & auditorib. quos hinc habuit, noto, qui pro suo candore magna humanitate litteras nostras accepit, ac statim respondit; utinam nunc parem apud te gratiam invenire possem, Fernelii doctissime. Prasagit mihi animus sane, atque adeo certa spes affulget: hunc animi candorem in tam docto viro desiderari non posse. Atque hinc ausus sum te etsi occupatissimum, interpellare; occasione arrepta ab iis scriptis qua in gratiam ejus herois, cujus nomine nuper ad Sylvium scripseram, communicasti legato Casareo istic agenti. Qui tuam eruditionem, ut debet, multis laudibus ornavit apud Dominum. Quanquam iis opus non erat. Est enim hic Dominus acerrimus ingeniorum judex, facundia plane Ciceronianus, in medicis omnibus diligentissime versatus; & qui ex unguibus novit astimare leonem. Primum doluit vehementer clarissimo Domino, quod epistolam nostram ad Sylvium obiter tantum, & quasi per transennam, solum inspexisses. Sperabat enim, si exactius cognovisses locum affectum & causam, quod ea qua ad miraculum pene deduxisti, longe adhuc diligentius ac certius fuisses persecuturus. Itaque jussu Domini hanc ad te scribendi audaciam sumsi, ut de singulis te certiorem reddam; & si quid amplius in gratiam optimi ac principis viri, quia multis nominibus pra omnibus quos unquam vidisti meretur, à Medicis ac Pharmacis auxilium adinvenire habeas, id candide communicare digneris. Ego futurum confido ut nunquam in ingratum dicas collocatum beneficium.

Scripseram Iacobo Sylvio, affectum esse podagram: crura esse gracilia, & imbecilla, atque fluxionibus obnoxia; ad hac quod mali origo magna ex parte è cerebro esset, unde plurima pituitosa excrementa ad partes subiectas decumberent; ad quorum aversionem usi sumus mediis variis, ac quotidie, post masticatoria, instrumento argenteo, in hoc excogitato.

In universali corporis purgatione felicissime usi sumus pilulis Alexandri Tralliani. Usi sumus succo scillæ, pro puero epileptico apud Galenum parato. Foris, præter sacculos, aliaque localia, admovimus oleum laterum artificiose extractum ex Cephalicis; quod sane omnium efficacissimum est visum ad restituendam cerebri intemperiem frigidam; nam id essentiæ sua tenuitate in altum penetrat. Atque hinc vide quam exacte originem mali conjectaris. Influit autem humor potissimum in articulos pedum & aliquando genuum. Crus vero sinistrum dextro gracilius est, frigidius, & siccius, atque hinc imbecillius, atque ita frequentius cum hisce fluxionibus dimicat. Causam hujus arbitror, quod Dominus olim nescio cujus consilio, supra sinistrum genu, applicuerit unguentum Comitissæ ad multos dies, scilicet ad prohibendam defluxionem humorum in subjectos articulos genuum & pedum. En habes speciem arthritidis, quæ ante viginti annos primum laborare cœpit, loca affici consueta, malique causam, quantum pro nostra tenuitate judicare possumus.

Cura adhibita. *Per paroxysmum puto nos legitima methodo usos esse. Pro universali purgatione usi sumus validis medicamentis. Primo hiera ex colocynthide Galeni, interjectis aliquot diebus, quibus humorem calidis concoximus pilulis Alexandri. aversiones non negleximus: & nec particulares suo tempore purgationes. Cessante fluxione repellentia & restringentia removimus, & adhibuimus topica discutiendi vi prædita, tandem corroborantia cerebrum, spinalem medullam, ac nervos universos. Ventriculum, hepar, ac renes in suo quodque munere conservare diligenter conati sumus. Quibus autem medicamentis, & quo ordine singula horum perfici debeant, tradidi anno superiori illustri Domino, in scriptis, quæ plurima habent prius non recepta, nunc autem per tuam eruditionem comprobata: qualia sunt de cibo, bis de die sumendo, de vini potu, de evitanda cerevisia, & aqua medicata, similibusque: in quibus omnibus Dominus cœpit tuis sanis consiliis obtemperare. Bis die cibum sumit, minus tamen in prandio, quam in cœna: quod interdiu vacare debet negotiis arduis, quod etiam consueverit omnino non prandere. Vigilat vero ad tres, ad quatuor, à cœna horas, quam sub sextam incipit. Potus ipsi est decoctum ligni guajaci, abs te magno judicio conscriptus, cujus sapor Domino gravissimus est. Aliquando bibit*

Quæsita. *haustum vini, Rhenani tenuis. Interrogat Dominus, an non possit hoc decoctum affundere vino tenui, præsertim per hiemem, atque ita æquali*

A *vel inæquali, prout judicabis, portione commista bibere. Praterea judicabis num displiceat ista cœnæ liberalioris ratio quam excepit ex hisce tuis elegantissimus verbis:* bis die cibum sumat, idque satis tenuiter & ex justis intervallis, quæ coctioni satis sint. *Solet Dominus à cibo hieme præsertim, sumere aliquid diatrion pipereon: & sensit, insigniter juvari concoctionem, quod Galenus in omni cruditate vehementer commendat, ut quæ omni tempore, & à pastu, & ante pastum conveniat. Et alibi Gal. in potionibus dat piper. Si hoc tuto liceat, (quod nobis videtur) indicare velis. Diacalaminthes similiaque ex legitimis causis tecum improbamus. Præter hæc illustris Dominus scire contendit, an interea, dum secundam illam è ligno sancto parandam potionem (in qua magnam habet fiduciam) bis die sumet, debeat se domi continere, atque omnem aërem etiam ut-*
B *cunque benignum evitare. Adhac an incipiente paroxysmo in purgando corpore non debeamus concoctionem istorum tenacium humorum ac frigidorum, qui non possunt affatim concoqui, expectare; sed statim perceptis primis dolorum rudimentis exquisite purgare. Postremo qua ratione crus sinistrum possimus frictione, picatione, aliisque mediis auctius reddere. Hæc sunt, mi Ferneli, quæ Domini causa prolixius scripta digneris æqui consulere, ac de singulis censuram tuam liberiorem ferre.*

Nunc vero de aliis rebus cupio paulo liberius tecum philosophari, mi clarissime Ferneli, non ut abs te scite & cum judicio dicta redarguam, sed ut à doctiori discam hactenus non percepta. In quem finem proferam quæ mihi alias per otium soluta velim. Inter reliqua, per te elegantissime deducta, An ergo arthritis non fit à venis.
C *ais: pituitam quæ in articulos influit, utpote, synceram & excrementitiam, nunquam è venis defluere, sed è cerebro & toto capite procumbere. Mirum est. cum hæc excrementa quæ arthritidem producunt sæpe sint crassa, & tenacia, imo quasi succus crudus: ut auctor est Galen. de Ischiade agens, in libris De compositione medicamentorum secundum locos, libro sexto, Aphoris. quadragesimo nono, dum inquit,* crassum ac tenax quod in articulos influit, longiori tempore resolvi. *Ejusmodi excrementa subinde etiam à medicamento è venis attrahi & expurgari conspicimus. Ii etiam, qui per circuitus colico circuitu à pituitosis humoribus affliguntur, tum paroxysmum sustinent, dum venæ omnes, in ventriculum & intestina, excrementa ante multum tempus collecta exonerant. Idem fit in multis*

pituitosis febribus. Videmus præterea, è secta vena, interdum una cum sanguine puriori pauco, pituitæ tenacis, & crassæ, illi, quæ in ventriculo generatur non omnino dissimilis, copiam multam effluxisse. Eodem modo in his, quibus ex æstivis fructibus vitiosi humores fuerunt in venis coacervati, iis autumno. Quibus autem hieme collecta est, his in vere podagricæ fluxiones excitantur. teste Galeno sexto libro Aphor. 55. atque hos paroxysmos purgatione præcavet, sexto Aphor. 47. Neque cerebrum tantum; sed & corporis profundum per athritidem expurgatur. Alio (inquit Galenus tertio Aphor. 20) vero modo in tuberculis, & articulorum doloribus, profundum corporis expurgatur, vitiosis humoribus ad loca viliora transpositis: fiunt enim, Galeno libro sexto Aphor. 55. & alibi, hæ fluxiones; dum partes fortiores, sua excrementa, ante aliquot menses collecta, in imbecilliores ac recipere paratiores exonerant. istud nulla ratione promptius fit, quam per venarum ora, quæ etiam tumida conspiciuntur, pridie quam dolor invadit, & laxiores sunt, humore in articulos effuso. quod evidentissime animadverti etiam in pituitosa podagra hujus mei Domini & aliorum. Atque hæc manifesto docet Aëtius, de causis universalibus arthritidis agens, & Galenus de Ischiade, in libris de medicamentis secundum locos. Pro his facit, quod non statim ex causis, ex cerebro destillationem excitantibus, quæ omni tempore plurimæ sunt, fiunt arthritides, sed ubi certo tempore vitiosus cibus præsumptus est, vel anni inclementia præcessit. Præter hæc nullus est meatus pedibus cum cerebro communis. Nam pedum nervi ex fine spinalis medullæ enascuntur. hæc autem solida est, neque per sui corporis continuitatem, citra dolorem, paralysin, aut aliud inconveniens, transmittere posset tot tamque tenacium ac frigidorum humorum decubitum, ac sui humectationem. Etiam fluxiones per nervos potissimum deberent excipere eæ partes, ubi nervi desinunt; cujus contrarium est frequentissimum. Nullus præterea podagricus unquam correptus fuit convulsione, teste Gal. sexto Aph. 49. Quod per astringentia & repellentia fieri posset, si humores per nervorum canales defluerent. Nunc vero humor ad articulos primum decumbit, deinde in circumstantia omnia usque ad cutem. Nervi ergo & ligamenta bene per tumorem intenduntur, non inflantur. Videtur itaque humor pituitosus podagræ causa è venis in articulos effundi, facultatis expultricis adminiculo.

Cerebrum tamen communicat venis sua excrementa, quæ ob gravitatem paulatim descendunt. Pedes frigidi etiam alimentum communicatum non exacte concoquunt, sed partem ad articulos transmittunt. Etiam quæ ad ventriculum & intestina decidunt, concoctionem remorantur, & frigidorum humorum generationem adaugent. Venarum quoque ora quibus excrementa rejici sunt solita obstruit. Hæc in ea hæresis est, quam extirpare dignabitur tua eruditio. Vtinam vero hæc, doctissime Ferneli, tam candido animo quam à me scripta sunt, accipias. Vale, medicorum doctissime. Si quid tuo nomine in publicum exierit, fac me certiorem.

Tuus PETRUS BRUHESIUS.

Hac epistola Ioannes Fernelius respondet Petro Bruhesio, de iis quæ proxime præcedente epistola perscripta atque petita erant.

Eruditissimo exercitatissimoque Medico Petro Bruhesio, Joannes Fernelius S.

Litteræ tuæ ad Jacobum Sylvium, doctissime Bruhesi, fidem mihi fecerunt spectatæ eruditionis tuæ, quam denuo ex his ad me exquisite confirmas: & simul animi tui in me candorem, summamque propensionem declaras. hujus suavitate pellectus conabor illistrissimi Domini quæsitis, quæ tua potius esse video, respondere; si non verbis paribus, his tamen quæ mea fert tenuitas. Ne quid de meis scriptis, ut parum tutis Domino in suspicionem veniat. Priores ad Jacobum Sylvium litteras non obiter, sed admodum diligenter legi, ac pervolutavi; in quibus cum multa essent involuta, videbaris non de sola podagra, sed interdum de aliis articulorum doloribus differere, quorum originem alias cerebro, alias venis referebas acceptam, & de qua si & nunc dubitas, dum consilii mei rationem exigis, & tu videris mihi dubitandi occasionem dedisse.

Bruhesius in ea fuit sententia, magnam partem è cerebro, magnam etiam è venis & partibus vicinis defluere.

At vero si nunc communis est nostra sententia, hosce dolores ex pituita nasci, eamque deorsum è capite in articulos illabi, nihil est quod ambigat cuncteturve dominus curandi rationem jam pridem à te salubriter præscriptam exequi, quam scriptis meis, & non parvis laudibus ornavi, & ad nnguem imitatus sum, licet aliis remediorum generibus expressam: quemadmodum solet unusquisque ea fere commendare quæ plurimum fuit feliciter expertus: quamquam ipse non dubitem, etiam tua qualia commemoras profutura: si stabilis adsit perseverantia. Sed jam ad quæsita tua.

Responsio ad quæst.

1. Si Dominus sibi potum designavit ligni sancti decoctum, nihil obstabit per hiemem interdũ, at non semper, illi parem aut minorem miscere vini tenuis portionem. Monere hoc interim hoc loco velim, hujus ligni multa esse genera aut saltem multos ordines. Neque id sumendum, quod subdulce decoctum reddit, & sero lactis persimile; sed odoratum præferendum, cujus decoctum suavi acrimonia palatum faucesque titillat. Cum medicatam illam è ligno sancto potionem sumit, si sudor emanabit, eo ipso die domi se contineat, nec aëri se committat inclementiori cœlo, ne patente laxataque cute frigus intro subiens nervos feriat & vellicet.

2. Incipiente arthritidis paroxysmo, cum prima rudimenta erunt doloris, exquisite purgandum est, nec ulla expectanda est concoctio. humor dum in articulos influit, tenuis est, & aquosus, qui facile purgationi sit cessurus: at ubi in articulo hæserit, crassescit, nec facile medicamento ducetur. Hujus ordinis haudquam is est, quem præcipit Hippocrates concoctum medicari.

Ad originem arthritidis

Hæc sunt fortasse, quæ tu, vir doctissime, tanquam paradoxa miraris, & quæ optas, ut exponam, & tuas rationes in contrarium diluam. Quanquam autem paucis mos est, dicti aut consilii sui rationem reddere, quoniam tamen id tantopere æquo & ingenuo animo efflagitas, ne quod nudis verbis protuli, temere, & utcunque fors tulit, protulisse videar, quid ea de re sentiam, in sinu tuo dicam paucis; quod tamen differendum erat pluribus: persequar autem singula, quæ objicis, non docendi, sed respondendi genere.

A Primum quidem proponis frigidæ arthritidis caussam esse tenacem crassamque pituitam. Id quidem simpliciter & absolute pronunciatum, falsi insimulo. initio quippe tenuis est & aquosa, qualis interdum vi frigoris defluit è naribus. neque crassa tam prompte excideret, & in articulos illaberetur, & in corporis partes extremas; sed tenacius hæreret in via. at nihilominus hæc tempore, vi caloris crassescit in articulis, atque tum, ut ex Galeno producis, non nisi longiori tempore resolvi potest. tandem vero, si sinatur, plerumque in tophum durescet immedicabilem: de quo poëta ille;

Solvere nodosam nescit medicina podagram.

Morborum ergo tempora distingue, si concordes vis esse scripturas. De hujus pituitæ differentiis scripsi ex optimorum medicorum sententiis libro quinto Naturalis partis medicinæ.

B

Improbas denique, cerebrum mali fontem esse. Quæris, cur non omnis causa externa destillationem proritans arthritidem faciat. Quærendum etiam cur non omnis cerebri destillatio tussim excitet. Scis, vir optime, non unum omnis destillationis esse cursum, sed ut varia est humorum proclivitas, & ut aliæ partes aliis imbecilliores aut laxiores existunt, ita humores alios in aliam partem influere.

Contendis insuper, nullum meatum esse pedibus cum cerebro communem, per quem eo humor posset incidere. utque rem tuam conficias, evidenter colligis, nec per spinalem medullam, nec per nervos illapsum huc fieri posse. quod equidem fateor; neque quenquam adeo rudem esse credam, qui hujusmodi vias excogitat.

C

Ais tu tamen, cerebrum posse venis communicare excrementum suum. Cum sis ipse anatomes peritissimus, vellem mihi viam indicares, qua è cerebri ventriculis (quos Galenus, libris De usu partium, excipiendorum excrementorum gratia factos commemorat) excrementum remeet in venas. In cerebri substantiam nullæ venę sparguntur, neque aliæ intus sunt, quam quæ per meninges utrimque in verticem efferuntur. Possitne excrementum ex intimis illis ventriculis in illas rursus remigrare? Id aliquando in stomachum pro-

cum-

cumbere, obstruereve hepar, nihil ad rem nostram.

Ego destillationi quæ fit in articulis, non his existimem ductibus aut meatibus opus esse; sed hanc alias è cerebri ventriculis, alias ex partibus externis per cervicem & scapulas deorsum illabi, partesque subcutaneas & laxas consequi. Et tenuis ea cum sit, plerumque sine sensu doloris sensim præterlabitur, dum in solidiore & compactiore articulo sistatur, & inhærescat. Cujus ligamenta, tendones & membranas non sine dolore distendit.

Hanc mihi persuasi frigidæ arthritidis causam, quam male perceptam plerique, ut immedicabilem reliquerant. At neque in his nec in aliis quibuscunque artis operibus me unquam ab investigando deterruit veterum auctoritas. licet nullum hactenus vel minimum scriptorum neglexerim; ex meis tamen inventis plus me quam ex illis profecisse experior. Vix omnia mea lucem accipient. proferā tamē hieme proxima dialogum *De abditis rerum causis*. Ad te jā redeo.

Cum suadere niteris, excrementa hæc pituitosa excidere è venis, multa certe (libere enim me loqui jubes) committis. nunquam enim vidisti hujuscemodi pituitam medicamento è venis detrahi, sed quæcunque purgationibus ejicitur, tota aut à cerebro, aut à ventriculo, aut ab intestinis est. Ea ipsa quæ dolorem colicum infert, & quæ vel in dolore colico, vel in febribus A vomitione redditur, nunquam è venis in ventrem influxit, sed in hisce sedibus concreverat. Hallucinaris etiam, mi Bruhesi, dum te vidisse ais, multam pituitam crassam, ei quæ in ventriculo generatur non dissimilem, è secta vena cum sanguine effluxisse. Quod enim in pelvisculis albicans interdum cernitur innatare, non excrementicia hæc, de qua differrimus, pituita est, sed à Galeno libro de Atra bile, qua fibrarum vi concrescit, sanguis appellatur, isque pituitosus, & qualis in leucophlegmatia pluribus redundat. Ego certe inter vulgi errores hunc sentio gravissimum, quod & in febribus omnibus, & aliis quibuscunque morbis, humorum vitia non nisi in vebnis constituat, neque aliam hisce posse inveniri sedem putet: & cum de humoribus differitur, nihil de supervacuis, sed de his tantum intelligit, qui sanguini permiscentur in venis. De his autem aliquando plura. Reliqua omnia quæ profers ex Galeno, contendunt, in cacochymia ex venarum osculis multa vel in cutem, vel in alias extimas corporis partes imbecillas erumpere, quæ pruritum, scabiem, tubercula, inflammationes, interdum etiam calidas arthritides excitant; quorum nihil certe inficior. Habes, mi Bruhesi, meam de re proposita sententiam, quam de me gratuita quadam benevolentia extorsisti. hæc velim tam candido animo, quam scripta sunt, excipias. Vale. Lutetiæ.

JOANNES FERNELIUS *tui amantissimus.*

CONSILI. XIV.

Podagræ omnisque articularis morbi curatio, Pro D. ALBERTO JUNIORE, *Marchione Brandenburgensi.*

Diata. PRotinus ut articularis dolor quempiam adoritur, consueti cibi & potus dimidium circuncidendum, victusque tenuior & purior imperandus, quo corporis & humoris moles immodica concidat. vino interdicendum, cui calore & vapore suo noxia vis est proritandi fluxiones, & dolores exasperandi. Danda pro potu cerevisia tenuis, vel aqua saccarata, vel quidpiam quod citra offensionem palato arrideat. Vitanda erunt salsa omnia & aromatica, & quæcunque caput tentant, ut al- A lium, cæpa, nasturtium, synapi: idque maxime cum dolores immaniter fatigant, Sorbitionibus & jusculis parcissime utendum, & assis potius quam elixis, ut omni ratione corpus siccescat, & supervacuorum humorum non exigua portio absumatur. Hæc igitur præcipua sunt & in primis observanda victus præcepta, quæ latius explicabit quisquis medicus curationi præfuerit.

Quoniam autem sola victus ratione nequit tam atrox malum omnino profligari, *Medicamenta inter* acce-

accedant & hæc remedia, quibus solemus brevi dolorem finire. Continuò ut dolor invaserit, alvus, si adstrictior erit, molliatur clystere, qui aut hieram simplicem, aut diaphœnicon habeat cum cæteris, quæ immisceri solent. Postridie corpus exquisite purgetur medicamento, cui non infirmior vis sit, ne forte humores exagitet potius quam vacuet, hincque fluxionem geminet, sed valido satis, & quod à summis extremisque partibus exuperantes humores proliciat. id autem solemus hac fere formula præscribere. ℞ Aquarum stillatitiarum, salviæ, vini albi an. ℥. j. ſ. In quibus infunde rhabarbari optimi, Agarici recenter trochiscati an. ℈ iij. In expressione dissolve electuarii diacarthami ʒ. ij. syrupi violati, aut capilli veneris ℥. ſ. Fiat potio, detur mane horis iiij. ante cibum. Hoc electuarium Diacarthami, sive diacnici ob hermodactylos ac turbith est accommodatum arthritidi: cujus dosis laborantis naturæ & viribus conveniens aptetur. Nulla huic purgationi præmittenda est præparatio, quod initio profluens humor tenuis sit & aquosus, facileque obsequatur trahenti medicamento. Si forte purgatione una satis detractum non videatur, doloresque hi itidem perseverent, aut nova concitata fluxione exasperentur, secundo haud absimili medicamento purgandum, atque etiam tertio, si res expostulet: sed interposita quiete, ut viribus provideatur: id autem medici experientis judicio credendum.

Externa refrigerantia.

Dolores vero (ne vires nimium prosternant) ipso statim initio, ac etiam ante purgationem, leniendi sunt, hoc inducto præsidio, quod etiam blande refrigerando fluxionem arcet, nec tamen humorem in articulum impingit. ℞. Aquarum stillatitiarum solani, & plantaginis an. ℥. iij. in quibus macera seminis althææ, & cydonii an. ℥. ſ. Fiat mucilago, quæ tepida inducatur locis dolentibus, obducaturque stuppa cannabina vel linteis mundis. cum arescere incipiet, alia imponatur, ut pars sæpe madeat, dum rubor, calor, dolorque omnis sublatus sit. Hoc summe strenuum est in sedanda podagra atque chiragra. Si inflammatio major esse videatur, addes aceti ℥. j. In cæteris articulis cum atrocior dolor existet; ut in cubito, in genu, & in coxendice, quo altius vis hujusce remedii penetret, adjicies camphoræ gran. viij. Aut interdum partem fovebis aqua rosarum stillata, in cujus ℔. ſ. dissoluta sint camphoræ gran. vj. Incipientibus doloribus, nec olea, nec adipes, nec metallica prosunt, sed multis rationibus adversissima deprehenduntur.

Dissipantia.

Quum extincto ardore atque rubore doloris immanitas repressa fuerit, quidquid hujus reliquum fuerit exigetur hoc illitu. ℞ Mucilaginis seminis lini, & fœnigræci extractæ in aqua salviæ ℥. iij. Oleorum lumbricorum, chamæmeli & liliacei an. ℥. j. Axungiæ vulpis, & anseris an. ℥. ſ. Hermodactylorum tenuiter pulverizatorum ℥. ij. Medullæ cervi, aut vituli, & ceræ an. q. ſ. Fiat unguentum, quo pars dolens & tumida bis, terve, in die ungatur, & calidis linteis obvolvatur. Conducet & ipsi parti affectæ mox ab illitu hoc emplastrum inducere. ℞. Unguenti præscripti ℥ v. Terebinthinæ ʒ iij. ceræ quod satis. fiat emplastrum per magdalias. Si tenacior doloris materia fuerit, quam ut hisce remediis molliri possit, aut evelli, hoc tandem imponatur emplastri. ℞ Gummi pini ℥ j. Picis nigræ ℥ ij. Ceræ ℥ jſ. Axungiæ veteris ℥ j. Hermodactylorum pulverizatorum, Sulphuris vivi an ʒ vj. Fiat emplastrum, quotidie renovandum, & continuandum, dum tumor omnis sublatus videatur, & dum articuli sit liberior motus. Quod si perfecta negligetur curatio, aliquid in ipso relinquetur articulo, quod tandem obdurescens concrescet in tophum, prorsusque motum ejus præpediet aut excludet.

Hæc certa & admodum tuta doloris articularis curatio recentis, quæ si rite administretur nunquam te fallet: nec alia empirica longe petenda sunt, quibus sæpe illudimur. Morbi quippe hujusce curatio arte & methodo, non empiricis perfici potest. Observandum tamen & circumspiciendum in hac curatione. ut cum novus humor, novaque fluxio emerget, nova quoque decernatur purgatio.

Cura in inveterata podagra.

Ad eos vero curandos qui ob veterem podagram incedere nequeunt; & qui pedum contractionem quandam, & motus imbecillitatem contraxerunt, si non supra modum id mali inveteravit, tolli hac ratione poterit. Quotidie mane pedes mergantur in hoc decoctum, in quo quam calidissimo

mo circiter horam consistat. ℞. Baccarum juniperi, Radicis helenii, & althææ, an. ℥. ij.. foliorum lauri, myrti, salviæ, betonicæ, stœchados, origani, calaminte, majoranæ, florum rorismarini, an. m. j. seminis lini & fœnugræci, an. ℥. j. Fiat decoctio in lixivio sarmentorum claro, & quantitate sufficiente ad immersionem dictam. Hoc si efficacius reddere voles, addes salis communis ℔. j. Deinde detersi pedes hoc ungantur oleo. ℞. Radicis pyrethri, gingiberis, nucis moschatæ, caryophyllorum contusorum, an. ʒ. ij. florum salviæ, anthos, stæchadis, spicæ nardi, an. ʒ. j. vel ß. radicis aristolochiæ rotundæ, hermodactylorum pulverizatorum, an. ℥. j. Permixtis omnibus affunde aquæ vitæ ℔. j. Sinaturque die A uno macerari: deinde adde terebinthinæ ℔. j. ß. Reponantur omnia in alembico vitreo: distillentur lento igne: seorsum aqua & oleum reservetur in usum dictum. Detersi ergo pedes hoc unguento, oleo, & linteis obvolvantur. Deinde laborans decumbat bene contectus. Applicentur plantis pedum lapides candentes vino extincti, sinanturque dum è tibiis sudor emanet ac pedibus. Quumque inde laborans desurget, reliquo die ac noctis tempore sese muniat, ac frigus prorsus arceat. Ita quidem liberiorem motum consequentur.

Hæc sunt præsidia, quibus podagra & ceteri articulorum dolores abigi, brevique sedari debent. Nunc qua ratione arcendi sint, paucis attingam.

Qua ratione cavendum, ne podagra aliusve dolor articularis redeat.

Diata. Cum sedatis doloribus, firmatisque partibus æger jam sibi restitutus erit, men- A se uno aut altero antequam consueti dolores redeant tentanda sunt remedia, quibus hi præcaveri possint: in id autem, si impurum corpus, & supervacuis humoribus confertum fuerit, parciore victu utendum. Eoque sicco & attenuante. Vino, si per vires & ventriculi imbecillitatem licet, interdicendum, efficiendumque omnino, ut absumpta humorum noxiorum portione corpus gracilescat.

Remedia corpori, Cum vero una victus ratio non satis id præstare poterit, adhibendæ quoque purgationes erunt septimo vel octavo quoque die, modo per potionem, quę sit descriptæ superiori similis, modo per catapotia de agarico, & cochia. Diebus interjectis quoque alvus solicitabitur, si pigrior adstrictiorve fuerit. A secunda tertiave purgatione, si corpus satis exinanitum erit, sudores tempestive movebuntur, vel guajaco, vel aliis quibuslibet calorificis, ut humores, quibus præter naturam, tum nervi, tum articuli imbuti sunt, attenuati prorsus dissipentur.

Capiti. Tum temporis adhibenda quoque erunt capiti sua remedia, quę ipsum totius mali fontem exhauriant. Detersis ergo sudoribus quotidie si voles ante cœnam, attonso capiti inducantur ij. pulveres quam calidissimi, ut humores discutiant, tum caput siccatum firment atque corroborent. ℞. Foliorum saluiæ, majoranæ, stœchados an. m. ß. Seminis anisi, fęniculi, & cumini, an. ℥. ij. Baccarum lauri contusarum ℥. ß. Milii ℔. j. Salis communis ℔. ß. Torrefiant omnia in sartagine, reponantur in sacculis, qui calidissimi adhibeantur capiti & cervici, dum sponte refrigescant. Caput deinde muniatur tegumentis, quæ vaporentur hoc suffitu. ℞. Nigellæ Romanæ, Styracis Calamitæ, Benioini, (quod est pro succo Cyrenaico) Carabes, Mastiches, an. ℥. ß. Caryophyllorum ʒ. ij. Fiat pulvis grossus pro suffimento capitis. Si forte sub cute capitis vel manifestus humor inesse videatur, sæpius lavandum & fovendum erit caput lixivio, in quo Cephalicæ herbæ incoxerint. Aut si ne id quidem humores capitis supervacuos absorbeat, caput radetur, eique emplastrum hoc imponetur, cui eximia vis discutiendi est. ℞. Pulparum ficuum, fermenti veteris, B an. ij. Seminis sinapi contusi ℥. iij. Emplastri de mucilaginibus ℥. iij. Malaxentur, & incorporentur, addendo terebinthinæ parum si opus sit. hoc emplastro caput integatur contineaturque dum omnem evacuaverit humorem supervacuum. Valentiora emplastra non æque tuto adhiberi possunt. In eo ergo subsistendum est.

Exhausto mali fonte cum jam caput excrementis prorsus vacuatum & confirmatum erit, postrema curationis parte, artus omnes & articuli laxiores adstringentur, & firmabuntur balneo ejusmodi. ℞. Foliorum myrti, balaustiorum, rosarum rubearum, plantaginis, Verbasci, foliorum lauri, Origani, Calamenti, Pulegii, Thymi, *Artubus.*

 Salviæ,

Salviæ, Florum Rorisinarini, an. m.ij. Baccarum juniperi ℥.iij. Aluminis rochæ ℔.iiij. Bulliant omnia in aq. suffic. pro balneo. In hoc diutius immorandum ad duas tresve horas, neque sudores movendi sunt, ut artus melius firmentur. Continuetur autem triduum, aut quatriduum, mane, jejuno ventriculo.

Hæc summa curandi ratio utramque arthritidis causam, tum eam quæ excrementum facit, tum ipsam articulorum imbecillitatem ita radicitus evellit, ut exin laborans ab ea immunis & tutus evadat.

Ea continuanda, At nihilominus ne sic quidem ei confidendum, ut protinus ad intemperatiorem A vivendi formam redire liceat. Sed moderatiore victu deinceps observato, quotannis vere & autumno purgatio decernenda, quæ consuetum invasioni tempus intervertat. Postridie caput præscripto lixivio lavandum, atque etiam tertio, quartoque die. Balneum etiam, nisi admodum grave sit, imperandum.

Certa quidem hæc, & minime fallax curatio, quam ad unumquodque genus arthritidis quivis accommodare possit. Hanc autem aliis plerisque idoneis præscriptionum formulis, hisque efficacissimis illustrassem, si qua mihi hujus mali species propriis signis atque symptomatis fuisset expressa.

CONSILIUM XV.

De insigni obesitate corporis.

Symptomata.

Historiam morbi scribente D. MELINO ad D. FERNELIUM: pro D. de BOISDAUPHIN.

Claudius Lavallensis tibi notus, nonum jam mensem agit hic legatum Regis Christianissimi, atque tandem incidit in affectum, quem corporis gravitatem appellat ipse; ego verò plenitudinem vires prementem. Præterea ventrem inferiorem natura jam bis laxavit, ex quo ea ejecisse, quibus premebatur, credibile est: quandoquidem facile toleravit dies aliquot, & melius habuit. Erant autem quæ sponte natura exierunt fusca, ut plurimum, & graveolentia, & inæqualia, & in his pituitosa pauca, viscida. Alvum sponte fluentem juvit ℥.j. sennæ in jure prunorum macerata, & expressa. Ergo cum jam intelligat vacuatione opus esse: mihi autem, atque his, qui hic medicinam factitant, non satis fidat; rem totam ad te, cui plurimum fidit, tuamque auctoritatem, defert. Plenitudinem ad vires duo potissimum arguunt, corporis gravitas, & quod levibus ex intervallo repetitis vacuationibus feliciter utitur.

Responsum FERNELII ad literas Melini.

Natura morbi. SIc summa fide & diligentia literis expressam video Domini tui Boisdelphini valetudinem, ut eam mihi quasi ob oculos proponas, & in memoriam revoces, quam sæpe coram animadverti. Obesus corporis habitus, vastaque moles, quia non nisi pleno liberalique victu sustineri potest, magnum facit excrementorum proventum, nunc maxime ætate inclinante, deside vita, cælo frigido, & humido solo. Atque licet D. Legatus frigida pituitosaque illuvie plurimum scatere videatur, non pauca tamen bile exæstuat, quam memini interdum sponte illi ab alvo impetu prorupisse, & quotidie ter saltem alvum movere, eamque semper quam tenerrimam ser-A vare. Jam si supervacuorum humorum exuperantia præter naturam & consuetudinem succrevit, quid mirum videri debet, si eorum mole pressum corpus ingravescit, minimeque sit ad consueta munia comparatum?

Ne quid autem posthac gravioris mali contingat, tentandum ut, quam exuperantiam victus parcior ac tenuior prorsus absorbere non potuit, medicina subtrahat: quandoquidem observatum est, alvum sive sponte, sive arte solutam emolumenti non parum contulisse: id autem sensim ac lente præstandum, quod alvus lenissimis illis proritetur, quodque minime tutum sit tantam illuviem vi & impetu concutere, ne *Cura.*

univer-

universa corruat: itaque accommodatissima purgatio fuerit per catapotia ex rhabarbaro & aloë, an. ʒ. ij. agarici ʒj. cinnamomi, & santali citrini, an. drach. ſ. quæ concinnentur cum syrupo de cichorio. Hac autem lege utendum, ut primum quidem ℈. j. offeratur mane, hora una aut sesquihora ante pastum. Duobus tribusve diebus interjectis ʒ. ſ. aut ℈. ij. dentur horis duabus ante cibum. Sic sæpe repetenda erit purgatio ex intervallis brevioribus, sensimque vis illi augenda & continuanda, dum omnem videatur cacochymiam sustulisse, pristinumque corporis robur & integram valetudinem reduxisse.

CONSIL. XVI.

De arthritidis præcautione, & curatione: pro domino De Valletot Cantore Regio. 1552. è Gallico conversum.

Ad præcavendum Remedia corpori.

MI domine, ut legitime sanitatem tuam conserves, præcautionemque adhibeas ad dolores, qui viam affectant ad pedes, genua, artus, cæterasque articulationes; primum purgationem instituere debes quater quinquiesve in anno. Scilicet post festum Paschæ, & circiter mensem Augustum, potione infra scripta. Verum post festum omnium sanctorum, & circiter Purificationem B. Mariæ, pilulis, quæ subscriptæ sunt. Eligendusque erit tibi dies temperatus humidiorque, ut certior vacuationis effectus succedat. Et si necesse videatur, die præcedenti clystere molliente & præparante erit tibi alvus eluenda.

Capiti.

Quatuor aut quinque à purgatione diebus, vel pluribus, si ita feret animus plures addere, conducet fricare, & desiccare caput sacculo quam calidissimo pleno seminibus infra scriptis. Hisque diebus elapsis juvabit caput lavare, præcipue æstate, lixivio convenientibus plantis hic indicatis confecto, posteaque exiccare diligenter & calide. Neque esset alienum reliquis æstatis mensibus caput quoque lavare sapone ad id comparato. Quin & sex vel octo post purgationem diebus, desiccare & roborare cerebrum expediet, sub noctem, aut lecti ingressum, suffumigio hic indicato.

Diæta.

Sed præscriptis remediis præcipuum addendum est, nempe victus ratio. In qua quinque capita observanda potissimum erunt. Primum, ne nimia copia cibi, & potissimum potus, qualiscunque tandem ille sit, ingeratur: nec juscula quidem multa. Secundum, ne vino generoso & vaporoso delecteris, quin potius probe lymphato. Tertium, ut abstineas somno diurno, & per noctem ne decumbas in spinam, sed in alterutrum latus. Quartum, ut singulis temporibus matutinis diligenter caput pectas, illudque & nucham linteis calidis & siccis perfrices, omniaque cerebri excrementa depellere, & corporis superflua deponere satagas. Quintum, ut modico exercitio indulgeas, caputque inter cætera à frigore vindices.

Cura in paroxysmo.

Si forte remedia præscripta prohibere non poterunt, quin nova semper fiat doloris aut fluxionis accessio, ejus primo appulsu effundes litum subditum, ad dolorem leniendum; maxime si cum tumore, rubore, caloreve sit conjunctus. Quod si ne hic quidem litus sufficeret, aliud unguentum esset superaddendum. Calore extincto, & dolore magna ex parte mitigato, emplastrum sequens eidem parti erit imponendum, quod tandiu erit renovandum, seu quotidie, seu alternis diebus, ut nihil neque tumoris, neque ruboris, neque inflammationis resideat.

Potus solutivus.

℞. *Aquarum betonicæ, & Salviæ, Vini albi an. ℥. j. In eis infunde rheubarbari electi* ℈. iiij. *Agarici* ʒ. j. *Cinnamomi.* ℈. ſ. *In expressione dissolve electuarii diacarthami* ʒ. j. ſ. *vel* ij. *Syrupi de stœchade* ʒ. vj. *Fiat potio.* Detur in aurora.

Dosis pilularum.

℞. *Massæ pilularum cochiarum, & de agarico an.* ℈. j. *Massæ pilularum alephanginarum* ℈j. *Syrupi violacei q. ſſ. Reformentur ex aqua salviæ, fiant pilulæ* v. Capiat hora iij. matutina.

Sacculi.

℞. *Seminis anisi, fœniculi, & cumini, baccarum lauri an.* ℥. ij. *Milii lib. Salis communis* ℔. ſ. *Torrefiant*

fiant ficca & contrita. Fiat pulvis, includatur facculis raris ad usum.

Suffitus.

℞. *Nigellæ Romanæ, Styracis Calamitæ, Benioini, Charabes, an.* ℥. ſ. *Ponantur in pyxide, postquam ficca & mediocriter pulverata fuerint ad suffumigium: vel fiat* cucufa interbaſtata.

Litus.

℞. *Aquarum solani & plantaginis an. lib.* ſ. *Aceti.* ℥. ij. *In his infunde seminis cydoniorum, & psyllii an.* ℥. ſ. *Extrahatur mucilago ad cineres calidos, pro fotu tepido cum linteis ad locum dolentem.*

Unguentum.

℞. *Vnguenti populeonis* ℥. iij. *Vnguenti de althæa* ℥. j. ſ. *Incorporentur simul pro unctione loci dolentis post fotum.*

Emplaſtrum.

℞. *Radicis ireos Florentiæ, Hermodactylorum pulverizatorum an.* ʒ. vj. *Emplaſtri oxybroci, & de mucilaginibus, Gummi pini* ℥. j. *Malaxentur simul, addendo olei lumbricorum* q. ſ. *Fiat magdaleon, extendatur super alutam pro locis dolentibus.*

Diæta.

Si his remediis curari perfecte non poterit, ex uſu erit abſtinere vino, & bibere bis in die decoctum prius palmæ ſanctæ cum cortice: quod alio loco recenſuit D. Fernelius. Pag. 40.

CONSIL. XVII.

De Tremore.

TU eximio quodam animi candore his me encomiis celebras, Orophæe doctiſſime, quæ nec agnoſco, nec temere recipio. Quod tamen ea probitate ac ſynceritate, quę virum Chriſtianum ac philoſophum decet, in me ſis propenſior, gratiam habeo quam maximam, cumulate relaturus, ſi qua occaſione mea tibi opera aut favore obſequi poſſim.

Causa. Vt autem tibi quoque inſtituto ſatis faciam; tremor quem ætate firmiſſima obtigiſſe proponis, nonniſi à graviſſimis præter naturam cauſis induci poteſt. Cumque nec cerebrum inſigniter affici, nec pituitam uſquam exuperare audiam, aliæ quam vulgares hujus ſtatuendæ ſunt cauſæ. Æſtimata ante acta vita, & corporis habitudine, adducor ut tecum credam nervos parteſque ſolidas immodico meracioris vini atque veneris uſu labefactari, & jam uſque adeo debilitari, ut naturale conſuetumque munus explere nequeant, nec artus firmiter movere, nec continere. Hinc tremorem ſuſcitari, qui quoties laborans, vel potentiorum conſpectu, vel aliunde metu concutitur, acrius, ut fere ſolet: invaleſcat.

Prognosticum. Cum vero ab arefactis potius, quam à repletis nervis tremor hic ducat originem, ægrius curationem perinde atque convulſio ab inanitione admittet.

Cura interna. Si quam tamen experiri velis, ea nec purgationibus, nec vacuationibus immodicis, ſed contrariis cauſis, & proba victus ratione tentanda. At nihilominus, ſi qua forte cruditas ineſſe deprehendetur, ea tuto vel clyſtere, vel potione ex rheubarbaro & agarico eximi poſſet. Imo etiam ſi hinc bilis ſyncerior detrahi videretur, quæ circum pręcordia exuperans, ſæpe deprehenſa eſt in ſpinalis medullæ nervos inſilire, aliaſque tremorem, alias ſtuporem, aut paralyſin invehere: ea ipſa, aut ſimilis quædam purgatio, decimo quoque die repetenda foret. Purgationi quoque bidui aut tridui præmittenda præparatio per apozemata: diebus vero interjectis alvus ſi pigrior erit clyſtere ſollicitanda, in quo non parva ſit hieræ ſimplicis & mellis anthoſati portio. Continuanda hæc medendi ratio uſque ad diem trigeſimum aut quadrageſimum, aut certe dum appareant tremoris ſymptomata miteſcere.

Tum temporis vinum prorſus circumcidendum eſt, cujus unius abſtinentia ſępe affectus hoſce ſuſtulit. Eſto autem pro potu, vel aqua hordei, vel ptiſana vulgaris, in qua macerentur cinnamomum, vel nux moſchata, aut guajaci decoctum dilutius, aut quod *bochetum* appellant. Id ſcilicet hydromeli, in quo ſalviæ minoris folia maduerint. Victus accedat euchymus, ac mediocriter tenuis, modo ex aſſis, modo ex elixis, ut neque omnino ſiccet, neque nimio plus humectet. *Diæta.*

Cum victus & dictorum pręſidiorum ope corpus jam minus tremore concuti vide-

debitur, hincque præparatio & antecedentis causæ vacuatio facta erit, tum ex usu erunt balnea, in quibus cephalicæ herbæ & radices incoxerint, aut ex his comparata vaporaria, in quibus dies aliquot mane jejunum corpus confricandum est, dum sudor emanat, detersumque tepido cubili committendum, in quo mox tota spinæ medulla hoc oleo obungetur. ℞. Stœchados, Anthos, Salviæ, Majoranæ, Primulæ veris an. m. j. Baccarum lauri, & juniperi, an. ℥. ſ. Nucis moschatæ, Gingiberis, Caryophyllorum, Pyrethri an. ʒiij. Trita omnia aspergantur aqua vitæ ad ℔j. Dein affundatur olei communis optimi ℔jſ. Bulliant simul lento igne, usque dum tota aqua absorpta fuerit. Exprimatur oleum, reserveturque in usum dictum. Non ante hæc intermittantur quam tremor prorsus intermiserit.

Si forte inter medendum suspicio quædam ingrueret destillationis, quæ tremorem eum foveret, siccanda ea quoque esset milio, & aliis seminibus torrefactis, & suffitu. Aut etiam si nima opprimeret, errhinis opportune derivanda esset.

CONSIL. XVIII.

De tremore & gravitate.

Literæ Præfecti Perticensis. 1554. *Ex Gallico.*

Symptomata. *AB anno millesimo quingentesimo quinquagesimo incepi gravitatem insignem persentiscere, cum tremore omnium membrorum, præcipue post cibum & somnum. Dolor à media coxa ad cerebrum recta ferebatur, totam spinam lateris dextri comprehendens, seseque in brachium ejusdem lateris extendebat: remanebantque membra omnia ponderosa, ut moveri non possent, nihilque aliud præter somnum adfectarem, maxime à pastu. Sentioque per universum corporis habitum subcutaneam quandam fluxionem aquarum, nonnunquam torrentis more ferocientem; nonnunquam lentiorem, ut crassi tantum vaporis elevationem diceres per partes nervosas ad gingivas usque. Frigore autem ad caput frequentissime percellor, itemque ad alias partes exteriores, neque rectus diu stare possum atque decumbens consistere, omninoque dextra pars extenuari mihi videtur.*

Responsum FERNELII *ad literas Præfecti.*

Causa. DEstillatio crebrior in musculos, nervos, & membranas, parte præsertim dextra, excurrens, causa una aut certe præcipua videtur symptomatum omnium, quæ effuse narrantur in literis: ut gravitatis & doloris, qui in dorsum, in brachia, manus, atque in dextram coxendicem exporrigitur. His malis accedit corporis imbecillitas, à ventriculi & viscerum prava constitutione: obstructa enim sunt atque impura, neque corpus convenienter alunt: causæque sunt concoctio frustrata, & caput præsertim, dein & reliquum corpus vaporibus offusum, mireque ingravescens.

Cura. In hac affectuum varietate & contrarietate levis blandaque curatio suscipienda, quæ caput & nervos expurget, stomacho & visceribus minimum offensis.

Corporis. Primum igitur corpus universum sequenti syrupo bis mense purgandum, qui ad supradicta omnia comparatus est. Syrupus ex cephalicis, hepaticis, & splenicis, cum ℥iij. sennæ & ʒij. agarici. A purgatione quinque sexve diebus continuis, jejunus, horis saltem duabus ante cibum, sumat unam ex tabellis sequentibus. ℞. Pulveris electuarii Diamargariti frigidi, & electuarii lætificantis Galeni an. ʒſ. Rasuræ eboris, & cornu cervi, Cinnamomi electi an ℈j. Sacchari albi in aqua rosacea dissoluti ℥iij. Fiat electuarium per tabellas ponderis ʒiij.

Sicca etiam capiti expurgando atque roborando adhibenda sunt remedia sequentia. Purgatio pituitæ per nares ex succis majoranæ, atque betæ, vel validiore sternutatorio. Capitis siccatio atque corroboratio per sacculos communes. *Capitis.*

Jamvero nervorum refrigerationem & debilitatem emendabit si quid aliud, guajaci decoctum, in pastu loco vini haustum, atque etiam mane ad proliciendos sudores. Quo si per vires uti non licet, corpus saltem universum fricandum mox *Nervorum.*

 à somno

à somno satis duriter, linteis siccis & calidis, ac deinde exercitatione moderata diu incalescant atque firmentur artus omnes. Quum jam secundo aut tertio purgatum corpus fuerit per syrupum; si non satis firmi & robusti artus erunt, fiant æstuaria sicca, quib. summa vis inest nervos siccandi atque roborandi. Erunt autem hujusmodi. ℞. Granorum juniperi, Radicis acori & Enulæ Campanæ, an. ℥ij. Salviæ, Betonicæ, Majoranæ, stœchados, Lauri, Absinthii, Origani, Calamenti, Rutæ, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, an. m.j. Seminum anisi, fœniculi an. ℥ß. Fiat decoctio in aqua & vino albo. Effundatur decoctum super lapidem candentem, & vapor excipiatur in dolio vel cupa contecta, dum corpus incalescat & emanet sudor. Si non facile fit hac ratione æstuario uti: mane saltem decumbat in lecto, & bene contecto plantis pedum applicentur lapides calidi extincti decocto supradicto. Hocque modo decumbenti sudor blande proliciatur, dein detergeatur. Hæc autem continuare expediet, dum nervi omnes satis firmati & robusti appareant.

Diæta. In ratione vivendi satis sit bis die cibum sumere, idque satis parce & tenuiter, ne imbecilla viscera copia offendantur. Cibi sint boni succi & concoctu faciles, quales solent ab omnibus commendari. A piscibus saltem multis abstinendum; multoque magis à leguminibus, ut à pisis & fabis. A fructibus quoque & herbis crudis. A sorbitionibus & jusculis omnibus, & ab his omnibus, quæ nimium corpus replent & humectant. Vino utendum nec admodum vaporoso, nec vinoso, sed tenui, quod aqua pura larga dilutum sit, ne cerebrum & nervos feriat. Ab omni alio potu abstinendum, ac eo ipso parce & sobrie utendum, quod nihil magis nervos refrigeret ac humectet, & corpus totum gravet, quam nimia potus perfusio. Longe à pastu dormiendum, fugiendusque somnus meridianus.

CONSIL. XIX.

De pulsatione, sibilo, & obesitate.

Morbi ratio. Senator Carnotensis, carnosus, plethoricus annum agens trigesimum quartum, distentum gerens abdomen, in lecto decumbens, sibilum quendam ac veluti pulsationem obaudiebat, quæ tamen toto æquabiliter corpore sparsa, in nulla parte peculiariter insideret, nec tactu perciperetur, sed solo auditu tum laborantis, tum assidentium, si attentius aures admoverentur. Hic licet neque dolore ullo afficeretur, neque ullum symptoma compareret horrendum, metuebat tamen ne repentina morte raperetur. 1555. Mense Februario.

Caussa. Symptoma hoc quale nobis expositum est, vehemens est arteriarum omnium pulsatio, quæ circum caput & tempora, maxime decumbenti, obauditur. Ea autem ex spiritus sanguinisque fervidioris copia fit, quæ citra putredinem incalescens & effervescens venas distendit, arteriasque tenui & vaporoso sanguine implet, sensum exhibens pulsationis illius turgidæ, magnæ & vehementis. Hujus quidem rei argumentum, quod si sanguis vel intemperatiore victu, vel exercitatione immodica, vel igni, aliquantum incalescat & excitetur, hæc ipsi symptomata ingravescant atque exasperentur.

Prognosticum. Solius igitur fervidioris uberiorisque sanguinis id soboles est. neque ullum gravius malum intus latere portendit, nec majus periculum imminere minatur, modo tempestive remedia adhibeantur.

Cura Diæta. Prima & summa curationis atque præcautionis pars in vivendi ratione consistit: debetque dominus laborans vino in primis parcissime uti, eoque oligophoro, ac bene diluto, ut minimum vini saporem retineat. Elixis potius quam assis carnibus vescendum, & utrisque intinctis in omphacio, vel aceto, vel succo oxalidis, vel limonum vel mali medici. Piscium usus non inutilis, si præsertim durioris sint carnis, & solidioris: his tamen parce & frugaliter utendum. Interdum, diebus præsertim pisculentis, cœna sit hordei cremor. Vitanda sunt salsa omnia, & piperata, aliisve aromatis condita,

dita, & acria, ut allium, cæpa, sinapi, nasturtium. Vitanda quoque vehemens exercitatio corporis, nimia concalefactio, iracundia, tristitia; omnis denique animi perturbatio, & mentis contentio.

Medicamentis. Si huic vivendi legi diebus circiter viginti malum non cesserit, clementiore jam cœlo, medicina illi succurret; primumque alvus clystere emollietur, postero die corpus purgabitur hoc medicamento, quod & nephritico accommodatum est. ℞. Medullæ Cassiæ ℥vj. Diaprunis laxativi ʒijß. Rheubarbari pulverizati ʒj. ex saccharo fiat bolus. Tertio die vena secabitur interna brachii sinistri, sanguisque detrahetur pro virium ratione ad ℥x. aut xij. Diebus insequentibus mane detur dosis una syrupi de cichorio simplicis, & oxysacchari simplicis: ex duplo aquarum decoctionis radicum cichorii & acetosæ.

Continuetur porro præscripta vivendi ratio, dum vehemens illa pulsatio prorsus sublata sit: & plenitudinis pericula devitet. Atque etiam, si diutius refrigerans illa & frigidior vivendi lex observetur, nihil ad corporis salubritatem fuerit præsentius.

CONSIL. XX.

De tabe, Pro Rhotomagensi quodam cive.

Morbus. QUI describitur affectus tabes est, non sola destillatione, sed vitio pulmonum contracta, ut quos constat jamdiu spirandi difficultate oppressos fuisse, & nunc sic labefactatos, ut propria illorum substantia non modo contabescat, verum etiam corrumpatur.

Signa diagnostica. Cujus rei argumentum est pedis atque crurum tumor mollis, œdematosus. Quinetiam expuitio nunc purulenta prodiens, confirmatam esse tabem testatur.

Prognostica. Quocirca malum jam factum est immedicabile, neque spei locus est.

Cura medicamentis, Producenda tamen est laborantis vita, quoad arte licebit, blandis benignisque subsidiis, quæ citra virium offensam morbum leniant. Itaque à venæ sectione deinceps abstinendum. Quod si sanguinem denuo erumpere contingat, is aptius supprimetur ʒj. rheubarbari electi pulverizati. Aut si qua ratione purgandum videbitur, satis erit, vel cassia fistula, vel dilutum rheubarbari.

Et ducenda sputa syrupis lenientibus, atque detergentibus, qui non vehementer aperiant, quales sunt ex jujubis, sebesten, ficubus, passulis, polypodio, ungula caballina, pimpinella, hyssopo; in quibus bona sit portio sacchari, ut sint vice eclegmatis. Conferet & syrupus resumtivus, quo corpus universum vesperi & mane obungetur.

Diæta. Sic etiam veris initio imperandum lac asininum arte præparatum, quod offeretur mane, puro stomacho, horis saltem quatuor ante cibum: aut si ejus non sit facilis usus, hordei cremor ex saccharo rosato, ea ipsa hora, atque similiter, exhibendus. Reliquam victus rationem non dubito ex arte fuisse præscriptam, in qua tamen cibus facilis concoctu parcior sumatur, sed ex brevioribus intervallis, ne imbecilliorem naturam obruat, & cruditates augeat, quæ causa sunt œdematosi tumoris.

CONSIL. XXI.

De Tabe.

Historia morbi, scripta à Fernelio, dum differendum illi esset cum aliis medicis aulicis de affectibus Dominæ de l'Aubespine, cum primum in urbem Parisiensem appulit.

Historia morbi. *MEnse Augusti 1553. cum gravida esset sexto mense dimidio, citra vim ullam, citra destillationem aut tussim antecedentem, cœpit derepente sanguinem expuere, & educere de pectore, cum stertore, sed sine magno conatu. Tum temporis, cœpit & sanguis è naribus profluere, ac interdum relabi in fauces, quum hac impregnatione nondum fluxisset, licet venæ supra modum plenæ turgerent, essetque*

quæ aliis impragnationibus fluere consuetus. Exactis diebus quinque desiit, & constitit expuitio cruenta, tussis tamen sicca derelicta est sine stertore, sine difficultate spirandi. In partu nullæ aut parcæ purgationes eruperunt, quæ postea syrupo de hyssopo provitatæ sunt. Quinto die à partu febris ardentissima exercuit biduum, cujus vi leviusculus lateris dextri dolor obortus est. Hinc lenta febris non admodum manifesta perseveravit, & in dextrum latus decubitus. Paucis hinc diebus gravis destillatio è capite procubuit in scapulam dextram, simulque in extremum omoplatæ dextræ, & in eam sedem lateris, quæ jam ante laborabat. Secta tertio vena à medicamento, scapulæ & omoplatæ dolor desiit. Perstitit vero in latere altero conjunctus, qualis etiam nunc perseverat. Abhinc semper difficilis fuit dextra decubitus, & respiratio, etiam si nihil sanguinis emanet.

Ejus natura. *Ex his constare potest, primam sanguinis eruptionem, neque ex rupta, neque ex erosa, sed dumtaxat ex aperta vena factam, ob immoderatam sanguinis copiam. Idque in solo dextro pulmone, è quo in dextro decubitu sanguis stillare percipiebatur. Accessisse postea destillationem, quæ dextrum latus occupans, facta est doloris causa. Ut idcirco complexus sit duorum affectuum, quorum unus est in pulmone, alter in dextro latere. Præter hos affectus, jecur etiam calidius est & obstructum, cum levi dolore & renitentia: ren etiam dexter interdum nephritico dolore fatigatur.*

Historia morbi, scripta à domino Crabe medico regio, ad medicos Parisienses, pro domina De l'Aubespine,

Historia morbi. *SExtum jam mensem uterum gestabat generosissima domina, fluxionibus etiamnum à cerebro in thoracem obnoxia: quum ad vigesimum Iulii 1553. post diutinam in sole moram, & contractam ex passionibus animi sanguinis acrimoniam, in hæmoptoicum affectum incidit, sanguinemque cum tussi, confertim, multum, ferventem, & floridum rejecit. Quæ omnia non aliunde, quam ex pulmone sanguinem effluxisse indicant, magis vero aperto vasis osculo, quam eo ipso rupto, vel eroso, & præcedentia & subsequentia persuaserunt.*

Curę ante partum. *Conquiescente autem affectu solis medicamentis, hisque paucis, sanguinis fervorem retundentibus, & vi adstringente eademque emplastica præditis, à missione sanguinis, aliisque remediis validioribus, profligando huic affectui accommodatis, visum est a distanti medico abstinendum; donec ea valentior natura facilius à partu perferre posset.*

Post partum. *Insurgente autem à partu febre, quæ post alvi profluvium biliosum & putre facillime, nulloque exhibito auxilio præter apozema, quod muliebria permoveret, delituit: de dolore in dextra thoracis parte cœpit conqueri, ac difficili in eam partem decubitu, cum anhelatione, & sensu ponderis, si in adversum latus devolveretur.*

Confirmatioribus viribus. Corporis. *Paucis vero post diebus cum denuo levi tussicula præcedente sanguis rejiceretur, idque etiam frequenter contingeret, constante tum virium robore, admodum necessarium judicavimus ad prima præstantissimaque hujus affectus præsidia devenire. Hanc igitur methodum ad amussim servandum statuimus. Elota alvo leni clysmate sanguinem misimus ex interna cubiti dextri ad ℥iij. Postridie sectionem iteravimus. Quia vero sanguis utraque sectione crassus, limosus & semiputris effluxit, eodem die, post horas aliquot, ex vena eadem detraximus. quem statim ut puriorem syncerioremque sistendum voluimus. A missione sanguinis purgationem post julepi usum instituimus. Ea autem levissima fuit ex sesquidrachma rheubarbari in diluto cum semisse ejusdem pulverizati & semuncia syrupi ex rosarum ruboris perfectissimi infusione. A purgatione roborando cerebro prospeximus, atque educendis per suturas vaporibus, admoventes coronali suturæ emplastrum ex ammoniaco, & columbino stercore.*

Pulmonũ. *Interim vero partem affectam non negleximus. Primum itaque enema, & sanguinem sistentia, quibuscum vulnus, si quod esset, coalesceret, tenuisque & acris fluxio incrassata sisteretur, præscripsimus. In eoque ordine est electuarium solidum de terra Lemnia & bolo Armena, cum speciebus tragacanthi frigidi, & diaphenidii, rejectis speciebus calidis. Ejusdem facultatis confectionem liquidam instituimus ex bolo Armena, terra Lemnia, Corallo rubro, & hæmatite, adjecta conserva rosacea, & syrupo de papavere. Cæterum, ut quod jam in pulmones receptum esset, facilius repurgetur, syrupum thoracicum tenuantem, detergentem, & qui sputum promoveret, præscripsimus. Accessit eodem confectio solida, quam massam panis vocant, ex pineis recentibus & amygdalis. cum saccharo & aqua rosacea infusionis tragacanthi, semine acetosæ, plantaginis, & portulacæ exceptis; quæ præterquam quod facilius expectorare facit, sua etiam adstrictione glutinat. Adjecimus à nemine non probatum asinini lactis usum, cum sacchari rosacei pulvere.*

Prognosticum. *Itaque generosam hanc dominam bene habere ex præscriptorum auxiliorum usu, jam non ambigimus, nec si-*

nec sinistrum aliquid futurum pertimescimus, quandiu praeceptis salubribus paruerit, & rationem victus hactenus servatam non neglexerit.

Quid deinceps faciendum.

Quod si ab externis injuriis, vel vehementi aliquo motu animi, praevalida & contentiosa voce, aut intempestivis vigiliis, affectus recurrerit, iisdem auxiliis pugnandum consulimus. Verum ad hujus mali praecautionem, mediocrem sanguinis missionem, purgationemque ex diluto rhei, vere ineunte, & autumno, praesentissimis commodissimisque remediis, habemus, & summopere commendamus.

Responsum ad superiores propositiones.

Morbi causa.

SAnguinem fervidum atque floridum jam aliquoties ex intervallis tussi rejectum, recte profecto aestimatum est è pulmonibus prodiisse. Quoniam vero generosissima Domina laborans, molli tenelloque corpore, & pulmonibus est imbecillis, atque jam dudum destillationi & tussi est obnoxia: vehementer metuendum, ne non modo reserata, sed etiam exesa vena sit. (Nam vi ruptam fuisse nulla conjectura assequi possum.) Imo etiam, cum posteriore rejectatione à parte non obscurus dextri lateris dolor sit exortus, cum anhelatione & asperiore tussi, cumque sensu quodam gravitatis atque ponderis prementis, si praesertim in adversum latus ea devolveretur; nisi tum vera pleuritis erat, non levis suspicio esse debuit & ulcerati pulmonis, & collectionis quae vomicam minaretur.

His tamen malis ita pridem accurate ac sedulo adhibita accommodataque sunt artis praesidia, ut jam Domina laborans in tuto posita esse credatur, citra metum recursuri mali: quo mihi gratius atque optatius esse nihil possit. Itaque in his persistendum esse duco remediis, quorum usu & ope convaluit, maximeque in lactis & cremoris hordei usu. At nihilominus, quoniam & periculosissima & fallacissima solent hujusmodi esse mala, & diu plerumque latere, simulata quadam specie bonae valetudinis, dum aliquando occasione levi aut etiam nulla recrudescant; observandum circumspectius, nunquid pristinae malignitatis sit in thorace derelictum, num etiam tussis aliquando fatiget, aut lenta febris solicitet, aut aliquantum difficilior sit respiratio, qua multus spiritus duci nequeat. Horum quippe animadversione, praeter lac matutinum, & vitae rationem idoneam, ex usu fortasse videbuntur, quae blande leniant, & quodam robore pulmones leviter expurgent.

Supra descriptus affectus, Dominam de l'Aubespine jugulavit. nam febris lenta illam resiccavit, repetiitque lateris dolor, sputum cruentum, cum majore spirandi difficultate. Dissecto corpore inventi sunt pulmones putres, & costis adhaerentes, cum ulceribus variis.

CONSIL. XXII.

De sputo sanguinis è pulmonibus, cum tussi. Pro Domino de Baumont, anno aetatis suae quinquagesimo. E Gallico.

Diaeta.

UT levamen aliquod difficultati respirationis tuae inducatur, praecautioque adhibeatur, ne tussis cum sanguinis sputo superveniat, eaque tandem copia, quae nuper tibi abvenit: tibi summopere vehementius exercitium cavendum est, ingens calor, incandescentia, alieq; animi perturbationes. A vinis generosis, cibisq; praecalidis, sale, aut aromatibus conditis, omnibusq; aliis occasionibus, quae corpus plus satis movent, aut excalefacere cogunt. Neq; major copia cibi aut potus est ingerenda.

Cura medicamentis.

Praeter haec quater in anno, constitutionibus diebusq; convenientioribus purgandum erit corpus bolo infra scripto: saepeque sub noctem ad lecti ingressum uti conserva rosacea expediet. Si tamen accideret sputum hoc sanguinis repetere; commodum videretur post blandam alvi mollitionem mittere sanguinem è basilica dextra, quae est lateris fluxioni magis opportuna. Die sequenti haustulum rheubarbari torrefacti potare.

potare. Uti quoque frequenter atque adeo omnibus horis familiari quadam, jampridemque præscripta opiata, donec sanguis consistat. Interimque vino abstinere, & in siti julepum rosaceum bibere, aut syrupum myrtinum, aut de portulaca.

℞ *Cassiæ fistulæ recenter mūdatæ* ℥vj. *Rheubarbari electi pulverizati* ʒjß. *Electuarii diatragacanti frigidi, aut sacchari albi* q. s. fiat bolus.

Eorum formula. ℞ *Rheubarbari electi torrefacti* ʒjß. *Syrupi rosarum siccarum* ℥vj. *Aquæ plantaginis* ℥iij. *Misce*, fiat potus.

℞ *Conservæ rosarum siccarum* ℥j. *Boli armenæ* ʒiij. *Terræ sigillatæ* ʒij. *Coralli rubri*, *Charabes*, *Cornu cervi usti*, *an* ʒß. *Syrupi myrtillini* q. s. Fiat opiata, vel in forma lohoc.

Præcautio. Ad præcautionem, etiam si sanguis non erumpat, hoc condito sæpe utendum. ℞. Conservæ rosaceæ, & symphiti, an. ℥ß. Trochiscorum de charabe, & de terra sigillata, an. ℈j. Coralli rubri, Margaritarum electarum, an. ℈ß. Sacchari rosati q. s. Fiat conditum. Capiat cochleare unum hora una ante pastum. Usus boli armenæ perutilis erit si sanguis rursus erumpat. Deinde ipso suppresso sequenti syrupo pulmones corroborandi, leniendi, & detergendi. ℞ Passularum mundatarum ℥j. Polypodii quercini, Glycyrrhizæ rasæ, an. ʒij. Ungulæ caballinæ, Scabiosæ, Pimpinellæ, Centinodiæ, an. m. j. Seminis althææ, & bombacis, an. ʒj. Fiat decoctio ad ℔j. In expressione dissolve sacchari albi quartaria tria. Fiat syrupus mediocriter coctus; utatur omni hora ex cochleari sine aquis. pulmones roborat & deterget.

CONSIL. XXIII.

Pro alio, in eodem affectu.

Remedia. AD sitim julepus rosatus cum quadruplo aquæ coctæ dilutus, aut syrupus jujubinus, myrtillinus, & de portulaca, eodem modo. Item ℞ Pulveris electuarii tragacanthi frigidi ʒß. Santali citrini, Cornu cervi an. ℈ij. rhabarbari electi ʒij. Sacchari albi dissoluti in aqua rosarum ℥iijß. Fiat electuarium. Capiat lozengam unam per horam ante cœnam. Sunt & usui pilulæ de rheubarbaro: item suffitus hora somni. Item conserva symphyti & rosarum an. ℥j. Trochiscorum de bolo ℥ß. Syrupi myrtillini q. ß. Fiat opiata.

CONSIL. XXIV.

Pro Domino Sigismundo, Orthopnœa laborante.

QUum ex tuis literis, clarissime Sigismunde, summo te recuperandæ valetudinis desiderio teneri, atque ejus non parvam spem te in me collocasse intelligerem, vehementer illectus ac etiam impulsus sum, ut pro doctrinæ meæ tenuitate, & artis observatione, idoneis accommodatisque remediis opitularer. Ærumnosum sane ac prorsus calamitosum existimo, hominem vere ingenuum moribus, & literis insignem, republ. administrationi aptissimum, prima juventa ita unius morbi immanitate torqueri ac irretiri, ut ab optimis quibusque rebus gerendis avocetur. Pervestigavi igitur perfacilem tibi medendi rationem, & remedia pauca, quæ Dei beneficio te ab hac gravi servitute vindicare possint, idque blande, ut postulas, ac leniter, citra ullam vel cerebri vel pulmonum offensionem.

Qui proponitur affectus, orthopnœa est, statis temporibus recurrens, quorum intervalla optarem mihi fuisse exposita: sub hoc affectu pulmonum arteriæ quadamtenus obstructæ jam crassa atque lenta pituita, qua & ipsa pulmonum substantia infarcta aliquantulum videtur. Quoties autem nova è capite destillatio eodem incumbit, ea geminat obstructionem, impletque arterias, spiritum intercipit, ac prorsus difficilem facit orthopnœam, quę eousque persistit, dum recens illapsa fluxio aut dissipata sit, aut concocta excreatione rejecta. *Causa morbi.*

Duo

Præcautio. Duo igitur præcipui sunt curationis scopi: unus ut destillatio à pulmonibus arceatur; alter ut jamdiu infarti pulmones expediantur.

Destillationis diæta. Primum ut assequamur, imminuenda est in primis destillationis materia, & enitendum ut deinceps quam paucissima gignatur. Id autem fiet, si victus observetur tenuis seu parcus, & siccans, cibusque bis die sumatur, non è sorbitionibus, jusculis cæterisque liquidis, sed è solidis ac siccis, ac fere semper è carnibus assis, hisque boni succi & concoctu facilibus. A fructibus abstinendum, præterquam ab uvis passis, ficubus, prunis & amygdalis. Potus sit vinum album, aut rubrum, tenue, quale quod gilvum appellant: nec generosum nimis, nec vaporosum, satisque aqua purissima dilutum, ne caput vapore tentet, vel impleat. Nunquam ad satietatem edendum, quam parcissime bibendum, ac sæpe toleranda sitis, ut hac vivendi ratione exhauriatur humor omnis supervacuus, & corpus universum gracilescat, ipsumque caput quod mali fons est, siccescat. His legibus sensim assuescendum, in quibus tum sanandæ, tum præcavendæ orthopnœæ præcipua vis consistit. Saluberrimum fuerit has in omnem vitam continuari & accuratissime observari. Nihil tam grave ac molestum quod non facile reddat consuetudo.

Purgatione corporis. Quoniam autem una victus ratio, licet exquisita, vix satis potest jamdiu affecti corporis omnem impuritatem eximere, adhibenda quoque interrdum est purgatio; maxime vero ineuntibus quatuor anni temporibus. Ea hyemis & veris initio esse poterit per pilulas de agarico, & pilulas cochias. Sub æstatis vero & autumni initium, per potionem hujusmodi. ℞. Aquarum salviæ, & betonicæ, vini albi, an. ℥j. In quibus infunde rheubarbari electi, Agarici trochiscati an. ℈iiij. In expressione dissolve electuarii diacarthami ʒij. Syrupi de hyssopo ℥ß. Fiat potio. Detur die & hora electionis. Si statum est & certum futuri paroxysmi tempus: diebus circiter octo vel decem præmittenda est purgatio. Aut si forte derepente aut inopinate id hominem adoritur, invadatque, ipso statim invasionis initio valide purgandum, ut quæ influit materia extirpetur, antequam in pulmones

A impingat: id si non una præstare queat, adhibeatur & altera purgatio, dum tota fluxio evulsa cohibitaque sit.

Purgatione & roboratione capitis. Quotidie mane caput siccandum, & fricandum vel linteis asperis, vel interdum sacculis hujusmodi. ℞. Seminis anisi, fœniculi, & Cumini, an. ℥ij. Baccarum lauri contusarum ℥j. Milii lib. j. Salis communis ℔ß. Torreñant in sartagine, mox reponantur in sacculo, quo calido caput confricetur. A capitis frictione quotidie mane pituita & mucus proliciatur è naribus, idque vulgaribus & consuetis remediis. Interdum sternutamenta movenda, ut eorum, quæ in fauces & in pulmones influere consueverunt, revulsio fiat in nares. Exer-B citatio subeunda mediocris, præsertim mane, & sub cœnam, aut saltem pro exercitatione corporis frictiones duræ & asperæ usurpentur. Somnus vitetur pomeridianus, isque noctu quoque brevis sit. Nunquam supinus, sed in alterutrum latus decubitus sit, ne cerebri excrementa in fauces, & in asperam arteriam procumbant, sed ut decurrant in nares. Cœlum vitetur humidum ac frigidum. caput muniatur hyeme, ne frigoris injuriam sentiat: suffiri id etiam potest odoribus calidis, siccis, & corroborantibus, ut nigella Romana, Styrace calamita, Assa odorata, Succino, & Rosis. Hæc igitur pauca vivendi præcepta tum per curationem, tum etiam à curatione in omnem vitam observanda sunt, ne tam facilis sit in consuetum affectum relapsus.

Correctione inductæ intemperiei corporis. C Jam vero curatio propria & peculiaris instituenda est, quæ medicamentorum ope vitiosam corporis constitutionem eximat. In hanc tempus eligendum inter duos paroxysmos medium, cum jam à priore paroxysmo vindicatus, nondum paratus es in alterum relabi: debetque curationis hoc tempus dierum esse circiter triginta. Primum autem ea, quam dixi vivendi ratione suscepta, & ad unguem observata, alvus clystere movenda est, qui in decocto molliente habeat hieræ simplicis, diaphœnici, an. ℥ß. mellis rosati & anthosati, an. ℥j. olei anethi ℥iij. Postero die purgandum potione quam supra descripsi. Ab hac reliqui humores apparandi erunt hoc apozemate. ℞. Polypodii quercini, Seminis cartha-

thami, Radicis, Enulæ Campanæ, & Fœniculi, Passularum mundatarum an. ʒß. Sabinæ, Betonicæ, Stœchados, Hyssopi, Satureiæ, Tussilaginis, Thymi, an. m. j. Seminis anisi, Altheæ, & Bombacis, Glycyrrhizæ, an. ʒij. Fiat decoctio in hydromelite ad ℔j. In colatura dissolve sacchari albi ℥ij. Fiat apozema in quatuor doses, clarificatum, & aromatizatum ʒj. cinnamomi electi. Capiat bis in die, horis duab. ante pastum. Quinque sexve dies continuandum hoc apozema, ac interim si astrictior erit alvus, clystere solicitabitur. Demum repetenda purgatio vel per potionem, vel per catapotia. Potio autem hujusmodi apprime conveniet, quæ tum capiti, tum pulmonibus accommodata est. ℞ Polypodii quercini, Seminis carthami, Radicis Enulæ Campanæ, Passularum mundatarum, foliorum sennæ mundatorum, an. ℥iij. Fiat decoctio pro una dosi. In colatura infunde agarici trochiscati ʒjß. In expressione dissolve diaphœnici ʒij. Syrupi de hyssopo ℥ß. Fiat potio, capiat jejunus horis quatuor ante cibum.

Capitis. Cum jam corpus iis præsidiis, & parciore vivendi lege satis exinanitum apparebit; capiti utiliter propria remedia afferentur. Id autem ad cutem attonsum quotidie mane, & hora una ante cœnam fricandum erit sacculis, quos supra descripsi, quam calidissimis, hique perferendi erunt, dum caput totum videatur incalescere. Tum temporis, nisi nimium molestum foret, dies circiter octo guajaci decocto uti plurimum ad rem conduceret. Id autem sumendum esset mane & horis tribus ante cænam; cumque ejus vi sudor emanare perciperetur, tum tempestive sacculi calidissimi inducerentur capiti. Deterso sudore antequam cibus sumatur, mucus & pituita proliciatur è naribus hoc errhino. ℞ Salviæ, Betonicæ, Majoranæ recentis an. m. j. Radicis iridis ℥j. Terantur simul, demum affundendo vini albi, Hydromelitis an. ℥ij. Exprimatur succus; hauriatur in nares jam expurgatas. Si non satis eliciat, hoc præstantius accommodabitur. Radix cyclamini præcidatur & aptetur in tubulos oblongos duorum fere digitorum, hi macerentur in aqua vitæ, demum inserantur in nares, modo in dextram, postea in sinistram,

A sinanturque dum prono capite pituita decurrat & abunde fluxerit ex utraque nare. Sternutamenta quoque perinde cieri poterunt, & impetu facto cerebri excrementa derivabuntur in nares, omnisque cerebri evacuatio illac provocabitur. In id neque cucurbitulæ, neque apophlegmatismi contulerint multum. Illæ siquidem cerebrum parcissime vacuant, horum parum tutus est usus, quod pituitam deducunt in fauces, à quibus potius revellenda. Quum diebus circiter octo cerebrum expurgatum satis fuerit, caput radatur, eique imponatur hoc emplastrum, quod valide fluxiones omnes sistit, atque dissipat. ℞ Ficuum pinguium, fermenti acris an. ℔ß. Seminis viticis & nasturtii contusorum an. ℥j. Seminis sina-

B pi contusi ℥ij. Emplastri de mucilaginibus ℥iiij. Malaxentur & concorporentur, addendo olei irini quod satis fuerit. Formetur emplastrum extendendo super alutam, quod toti capiti imponatur, & quotidie mane renovetur. Id omnem capitis humorem sensim eliciet, quod neque cantharides occipitio admotæ, neque ulcus syncipiti & commissuræ cauterio inductum, neque secta in fronte vena effecerit.

Quo tempore hoc geretur emplastrum, curatio dirigi poterit ad posteriorem scopum, & infarctis pulmonibus succurri poterit hoc apozemate. ℞ Radicis Enulæ Campanæ, Polypodii quercini, Seminis carthami, Passularum mundatarum, an. ℥ſ. *Cura ad liberandos pulmones.*

C Hyssopi, Satureiæ, Thymi, an. m. j. Foliorum sennæ mundatorum ʒjſ. Fiat decoctio ad ℔ſ. addendo sub finem agarici trochiscati ℥ſ. Radicis Iridis Florentiæ ʒiij. In colatura dissolve sacchari albi, mellis optimi, an. ℥j. Fiat apozema in tres doses. capiet diebus alternis, mane horis iiij. ante cibum. Hoc absoluto summoveatur emplastrum, ac deinceps caput bene munietur, reliquumque curationis tempus collocabitur in usum eorum, quæ pectus & pulmones leniunt: cujusmodi syrupus bechicus. ℞ Jujubarum, Sebesten, Ficuum pinguium, an. quinque numero. Polypodii quercini, Seminis carthami, passularum mundatarum, Radicis Enulæ Campanæ, an. ℥ſ. Origani, Calamenti, Hyssopi, Satureiæ, Thymi, an. m. j. Seminis

nis altheæ, & bombacis, an. ʒiij. Fiat decoctio in hydromelite ad ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus, clarificatus, & aromatizatus, Guajaci, & radicis iridis Florentiæ, an. ℥ij. Utatur subinde ex cochleari, sensim, quasi lambendo. In id ipsum apprime valet & utile fuerit hoc vinum, quod mane sumptum vires etiam omnes corroborat. ℞ Vini albi optimi, Hydromelitis perfecte cocti, an. ℔j. In quibus infunde radicis enulæ Campanæ, & Polypodii quercini, minutim concisarum, an. ʒij. ita sinantur, & post horas viginti quatuor quotidie horis saltem tribus ante cibum sumat uncias quatuor vel quinque.

Recidiva Præcautio. Isthæc curandi ratio, licet facilis, nec gravibus implicata remediis, satis tamen esse possit ad pervicacem hunc affectum profligandum. At nihilominus si quam ejus velut umbram redire contingat, primo statim initio valide purgandum erit his medicamentis quæ dixi: & in ipso paroxysmo capiti admovendi sacculi quam calidissimi: dandumque pro linctu oxymel squilliticum, ac interdum nonnihil aquæ vitæ: hæc enim prompte liberat, si præsertim medicamentum aquosa & serosa abunde detraxerit. Quoniam autem pervicacia & diuturna vitia vix universe & repente evelli possunt, si quid à curatione derelictum fuerit, id sensim eximetur bona ratione vivendi, quam supra descripsi, & purgationibus quæ singulis anni temporibus sint accommodatæ. Hæc sane prorsus impedient, ne in pristina mala relapsus, ut fere solet, sit facilis.

CONSIL. XXV.

De Asthmate, pro Hispano quodam de Bourges.

Causa morbi. Vetus hoc asthma, quale expositum nobis est, duabus è causis consistit. Una est pulmonum arteriarumque pertinax obstructio, sensim ex influente pituita contracta; quæ eo usque jam obduruit, ut pars ejus maxima, vel grandinis, vel casei duriusculi consistentiam obtineat: altera causa est destillatio è cerebro, quibusdam circuitibus in pulmones affatim incumbens, à qua, quoties irruit, angustiores jam pulmones maxima ex parte obstruuntur, tumque fit respiratio difficilima, verique asthmatis, aut etiam orthopnœæ accessio, quæ duos tresve dies persistit, dum destillationis portio excretione discussa sit.

Cura extra paroxysmum corporis. Accessionum ergo præcautio, totiusque morbi curatio in his posita est. Tertio aut quarto die, qui suspectam accessionem precedit, purgandum est valido satis medicamento, quod possit è cerebro, aliisque partibus, influxurum humorem universum vacuare. Quale est hoc sequens. ℞ Aquarum destillatarum Salviæ, & ungulæ caballinæ, vini albi, an. ℥j. In quibus infunde rhei electi ℈iiij. Agarici trochiscati ʒj. Cinnamomi ʒß. In expressione dissolve diaphœnici ʒjß. vel ij. Syrupi de hyssopo ʒß. Fiat potio. detur die & hora electionis.

Capitis, Postero die cerebri excrementa deriventur per nares hoc errhino. ℞ Betonicæ, Salviæ, Majoranæ, an. m. j. Radicis iridis ℥ß. Terantur omnia simul. Dein superfundendo vini albi ℥iiij. exprimatur succus, & fiat caputpurgium. Utatur mane & ante cœnam, & ita assuescat cerebri pituitam derivare per nares repetitis & continuatis errhinis. Per palatum apophlegmatismis derivare tutum non est, quod ea via minus propinqua sit faucibus, per quas fluxio & destillatio fit in pulmones. Neque etiam setones appellati, aut ulcera parte quavis excitata, etiam si diutissime profluant, utilem possunt derivationem adferre: (sic enim non paucos vidimus illusos:) sed omnium efficacissima & utilissima est naturalis ea quæ ex naturæ præscripto fit per nares. Tum temporis etiam tonsum vel derasum caput quotidie fricandum his erit, quæ frigida excrementa siccant & dissipant, ipsumque cerebrum corroborant, ne posthac tam multa supervacua gignat. fiet autem hoc modo. ℞ Salviæ, Betonicæ, Stœchados, Anthos, an. m. j. Granorum juniperi ℥ij. Seminum anisi, fœniculi, Cumini, Baccarum lauri contusarum, an. ℥j. Milli ℔j. Salis communis ℔ß. Torrefiant omnia in sartagine, demum reponentur in sacculo, qui calide appli-

plicetur capiti, quotidie mane. Si post tres quatuorve dies destillationis signa appareant, aut non satis purgatus æger videbitur, eadem iteretur purgatio.

In paroxysmo. Si ne his quidem asthmatis accessio impediri potest, sed eadem ut ante, aut etiam minor recurrat, in ipsa accessione dentur syrupi de hyssopo, vel oxymeli squilliticum, vel conserva Enulæ Campanæ. Pectus inungatur oleo liliorum, amygdalarum dulcium, & anethi, cum mucilagine fœnugræci, extracta in aqua scabiosæ. caput & cervix præscriptis sacculis calidissimis fricandum. Infundantur clysteres acerrimi, cum tenui & attenuante victu. A venæ sectione putamus deinceps abstinendum, quoniam licet symptomati aliquando succurat, causæ tamen & frigidæ destillationi maxime est inimica. Hæc igitur præcipua remedia sunt, quibns cerebro mananti tanquam fonti succurritur.

Pulmonum. Ut autem altera mali causa, quæ pulmonibus infixa est, summoveatur, quum ab accessione liber fuerit æger, crassam pulmonum pituitam hoc syrupo emolliat, incidat & abstergat. ℞ Altheæ, Enulæ Campanæ, Polypodii quercini, Seminis carthami, Passularum mundatarum, an. ℥ſ. Jujubarum, Sebesten, Ficuum pinguium, an. quinque numero. Hyssopi, Satureiæ, Origani, Calamenthi, Pimpinellæ, Ungulæ caballinæ, Adianthi, Capilli veneris, Scabiosæ, an. m. j. Seminis altheæ, Malvæ, Bombacis, Glycyrrhizæ rasæ, an. ʒij. Fiat decoctio ad uncias quindecim. In colatura dissolve sacchari albi uncias quindecim; fiat syrupus perfectæ coctionis. Utetur omni hora sine aquis, loco lohoc, ex cochleari. Præparatos humores quinto aut sexto quoque die hoc alio syrupo sensim expurget. ℞ Decoctionis prædicti syrupi uncias quindecim, in qua infunde foliorum sennę mundatorum, Agarici an. ℥iij. Gingiberis albi ʒj. Radicem ireos Florentiæ ℥ſ. Deinde fiat parva ebullitio & expressio, in qua dissolve sacchari albi ℥xv. fiat syrupus perfecte coctus. Capiat ℥ij. pro dosi, cum aqua decocti hordei, an.

Diæta. Tenendus quoque est toto curationis tempore victus idoneus, in quo vitanda sunt ea omnia, quæ crassum succum generant, ut caro bubula & suilla: pedes & extrema animantium, fereque pisces omnes & caseus. Flatulenta omnia & legumina, herbæ multæ, fructus crudi, quales maxime sunt horarii, qui aquosos humores destillationesque cumulant materia, qualis maxime existit potus immoderatus, multa frequensque sorbitio, ut omni ratione corpus siccius & minus excrementium evadat. Ergo carnibus utendum boni succi, hisque assis potius quam elixis: quam parcissime bibendum, & in potu aqua abstinendum, ut quæ cruditates frigidosque humores progignat, & pulmonibus aliisque partibus infartos humores impingat; vinum resumendum est aliquando intermissum, & eo utendum quod minime vaporosum est, nec caput tentat, idque probe diluendum. Reliqua quæ in victus ratione desiderari possunt, facile fuerit ex his discernere, quæ omnia ad calidum potius, quam ad frigidum inclinare debent, nisi magna quædam suspicio sit hepatis calidioris. Ubi in usu præscriptorum æger dies quadraginta aut sexaginta diligenter perseveraverit, & rudiorem illam mali partem exemerit, ut reliqua radix penitus evellatur, utilissimum fuerit diætam ex palmæ sanctæ decocto imperare, sed quod sit hac descriptione paratum. ℞ Rasuræ palmæ sanctæ ℔ſ. Corticis ejusdem ℥ij. Infunde per horas xxiiij. in ℔vj. aquæ, deinde fiat decoctio ad ℔ij. Ponendo in fine Betonicæ, Salviæ, Majoranæ, Stœchados, an. m j. Polypodii quercini, Passularum mundatarum an. ℥ſ. Fiat potus colatus. Capiat ℥. quinque pro dosi, tepide, hora quinta matutina, & hora quarta pomeridiana, bene tectus in lecto: sumat vero cibum horis tribus à potione. Item. ℞ Rasuræ palmæ sanctæ ℔ſ. infunde per horas xij. in ℔. decem aquæ. Deinde fiat decoctio ad ℔. quinque; fiat potus colatus, utatur in pastu & in siti loco vini.

Quum hac utetur ratione victus, debet quinto aut sexto quoque die purgari syrupo supradicto, eoque die à priore potu abstinere. Debet etiam & in lecto decumbens, capiti sacculos calidos admovere, ut illic calorem aut etiam sudorem excitet. Debet etiam errhinis assiduo uti.

CON-

CONSIL. XXVI.

De puris sputo.

Prognosticum. TUssis hæc frequens & molesta, qua crassa, putria, & graveolentia, ac sępe cruenta excreantur, & quam atrophia, corporisque extenuatio comitatur, gravem pulmonum affectionem portendit, nempe vel vomicam, vel ulcus, quod in veram phthisin deducit; unde morbi exitus non modo anceps, sed metus periculique plenus est, quod arte vitari non possit.

Cura. Quum jam sæpe vena secta sit, ab ea abstinendum deinceps, ne vires languidulas nimium proterat. Si quando forte cruenta sanguinis expuitio immoderatior procedat, cohibenda erit potione ex ℈iiij. rheubarbari electi, & ℥ſ. syrupi rosarum siccarum, cum ℥iij. aquæ arnoglossi: eaque potio multo efficacior erit, si rheum torrefiat. Alis adstringentia ex bolo armena, ex corallio, ex lapide hęmatite, & ex similibus nunc ex usu non sunt: sed danda omnino opera est, ut sputa quam facilima reddantur syrupis alisque bechicis admodum lenientibus & alimentis omnique victu persimili: vitanda enim sunt omnia acria, salsa & acida, & quæcunque titillatione vel acrimonia tussim exasperant: vitanda animi excandescentia, vociferatio & immodica exercitatio, quod his ex causi pulmones divellantur, & ulcus refricetur.

CONSIL. XXVII.

De cordis palpitatione.

Causa palpitationis. COrdis palpitatio (qualis ampliter, dilucide & ex fide exposita est) non ex sanguinis immoderata copia originem ducit; non ex aqueo humore pericardio præter naturam coërcito; non ex adnato tuberculo: aut ex aliis causis veterum traditione celebratis, quæ cor mole sua premunt; sed ex male affecto sinistro hypochondrio, è quo fere animadverti hoc symptomatis genus prodire. Illic enim & lien, & pancreas sub fundo ventriculi, aliæque vicinæ sedes multo turgent humore vitioso, non eo quidem melancholico simplici, qui veluti sanguinis fæx est, sed potius atrabiliario, qui ex flava bile torrefacta, in easque sedes rejecta, sensim succrevit: is quoties ira, exercitatione, meraciore vino, aliisve cibis calidioribus exagitatur, tetrum & melancholicum de se spiritum efflat, qui subiens arterias, (quibus multis lien totus conspergitur) in cor proximum facile obrepit. Illius malignitate cor lacessitum & irritatum, palpitatione nititur, quod noxium est & molestum, à se excutere, quemadmodum & cerebrum in morbo comitiali.

Et concomitantium symptomatum. Vaporis portio altius in cerebrum sublata vigilias, insomnia, fortasse & terricula- menta, timoris atque mœsticiæ plena, inducit, quasi permistio quædam fit melancholiæ: & re vera affectus hic, qui totius mali est origo, ei maxime affinis est, qui hypochondriacam melancholiam suscitat. Nam ventriculi cruditas, ructus plerumque acidus, flatus immoderati, sursum deorsumque erumpentes, ventris rugitus, ejusque generis symptomata, quæ potissimum apparent in laborante, quoties calidior cibus ingeritur, minime fiunt primario ventriculi vitio, sed per consensum, & copia bilis atræ, redundantis in sinistro hypochondrio, & circa ventriculum; in quibus sedibus aliquid fortasse contractum, vel tensum ac renitens, vel dolitans, ac pulsans, deprehenditur. Hinc etiam præcessit magna illa corporis extenuatio, febris diuturna, continua, lenta, & hecticæ finitima. Certissimam autem fidem id facit, & conjecturam omnem confirmat, quod medicamentis ustam bilem ducentibus, alvi profluvio, & hæmorrhoidum eruptione, symptomata omnia mitiora obtigerint, & laborans plurimum sit adjutus.

Itaque ut horum imitatione reliqua morbi curatio compleatur, consulo, ut frequens *Cura Evacuatione.*

quens adhibeatur purgatio, eaque blanda. A Qualis est ex jam præscripto syrupo: cui tamen interdum aliquid rheubarbari in aqua buglossi diluti admisceri potest: eaque purgatio, quæ bis in hebdomada imperatur, si continuatis duobus diebus fiat, efficacior utiliorque deprehendetur. Si vires permittant, frequentius etiam decerni potest. Sin minus, alvus saltem molli clystere subducetur, quem parcius segniusque reddet. Postridie purgationis quatuor aut quinque horis ante cibum danda est ʒj. mithridatii veteris, mista pari portioni conservæ buglossæ. B

Præparatione. Ut autem facilius noxii humoris vacuatio procedat, utile fuerit hypochondrium sinistrum (si quid præsertim in eo, quale dixi, deprehensum fuerit) quotidie, mane fortasse & ante cœnam, hoc præparante decocto fovere. ℞ Radicis althææ, liliorum, fœniculi, capparum, an. ℥j. Malvæ, Violarum, Ceterach, Absinthii, Menthæ, Meliloti, Chamæmeli, Summitatum anethi, an. m. j. Seminis anisi, lini, fœnugræci, an. ℥ſ. Cyperi, Calami aromatici an. ʒij. Fiet omnium sacculus; bulliat in aqua sufficienti, in qua maceretur spongia nova & mollis, pro fotu sinistri hypochondrii. Si detersus locus mox obungatur hoc illitu, non parum etiam conferet. ℞ Olei violarum, liliorum, & chamæmeli, lotorum in aceto, an. ℥ſ. Mucilaginis psyllii, & fœnugræci, extractæ in aqua buglossi ℥j. Ceræ parum, fiat linimentum

Continuandum preterea est electuarium, quo jam feliciter est usus, ut biliosi humoris symptomata mitescant. *Emendatio symptomatum.* Idque diebus duntaxat, quibus nec syrupum nec mithridatium sumserit; atque in id ipsum & ad sitim (siqua erit) extinguendam fiat hic syrupus; qui in primis etiam conveniet, quoties vel animi defectio quædam, vel palpitatio urgebit. diluetur autem ex triplo vel quadruplo aquæ. ℞ Succorum depuratorum buglossi, boraginis, & acetosæ, an. ℥iiij. Succi limonum, & granatorum, ana ℥iij. Sacchari albi uncias sexdecim. Fiat syrupus mediocriter coctus lento igne, aromatizatus ex ʒij. santali citrini.

In victu hujus potissimum monendus est *Diæta.* æger, ut vino quam parcissime utatur, eoque nec vaporoso, nec generoso, & aqua multa diluto, in qua buglossi flores maduerint. Abstinendum prorsus à salsis, piperatis, sinapi, allio, cæpa, & ab omni cibo calidiore: item à lacte, & ab omnibus lacticiniis, C & ab his, quæ facile corrumpuntur. Sorbitiones cum primis utiles è jure carnium laudabilium, quæ alterentur cum buglossa, boragine, lactuca, & acetosa. Cœna interdum erit cremor hordei ex lacte amygdalino & saccaro preparatus, solus quidem sumtus sine vini potu. Hoc quippe mitescunt humores, succusque laudabilis succrescit.

CONSIL. XXVIII.

De ventriculi stupore.

Causa. PRæcipua symptomatωn, de quibus laborans hic conqueritur, sunt virium imbecillitas, & ventriculi stupor. Porro virium imbecillitas, causam habeat necesse est in aliquo principalium viscerum: id autem viscus, in quo ea causa residet, ventriculus est, cujus vitio corpus non alitur. Etenim stupor seu insensibilitas illa, qua alimenti benignitas non percipitur, ventriculum graviter affici docent: idque vel à crassa, lenta viscidaque pituita, interioribus illi tunicis adhærescente, vel ab intemperie frigida, quo veluti consopitur illius sensus. Atque probabilior quidem est posterior sententia. Quum enim accommo- A datis medicamentis pluries detersus sit ventriculus, & omnino expurgatus, neque tamen naturalis sensus restitutus est, sed eadem restitit affectio, statimque eadem pituitosi humoris copia succrevit, necesse est, ut is frigida intemperie torpescat, vel utilis alimenti pars major vertatur in lentum tenacem, & omnino crudum humorem.

Victus sit excalefaciens & siccans, in quo *Curatio. Diæta.* abstineat à sorbitionibus, & elixis ab humidis omnibus, ac hordeatis; imo & à gelatina: tum etiam à fructibus omnibus, præterquam ab uvis passis. Utatur carnibus avicularum, perdicum, & caponum, minutim concisis, ex condito, quod aliquid habeat

habeat cinnamomi, & nucis moschatæ; hisque omnibus assis. Et si forte hæc solidiora fastidiat, utatur expressis caponum assorum. Vinum generosum sit, ut excalefaciat ventriculum.

Medicamentis internis. Non aliis utatur medicamentis purgantibus, quam aloë, idque ex ʒß. cum syrupo absinthino, in tres pilulas redacta, per horam ante pastum devorata bis in hebdomada. Diebus interjectis injiciatur clyster, qui præter cætera habeat ʒvj. hieræ simplicis. Item quibus diebus non utetur pilulis, capiat quantitatem nucis moschatæ, gingiberis viridis conditi, mane & per horam ante cœnam. Item ℞ Absinthii, Menthæ, Rosarum rubrarum, an. m. j. Calami aromatici, Cyperi, & ceterach. Bulliant in aqua, ponendo in fine vini albi partem mediam.

Externis. Fiat fotus mane & sero cum spongia nova. Item liniatur regio ventriculi oleo nucum moschatarum: dein admoveatur emplastrum conveniens. Item si hæc non sufficiant, admoveatur regioni ventriculi linteum maceratum in aqua vitæ & excalefactum: ea enim præstantissima censetur in stupore & paralysi.

CONSIL. XXIX.

De dolore flatuoso ventriculi.

Causa. Ventriculi dolor vehemens ex intervallis affligens à multo flatu est, qui inclinante dolore, ructu erumpere solet. Hunc autem flatum cruditas parit quam ventriculus tempore copiosam congerit, & quam interdum vomitione rejicit. At non sola ventriculi imbecillitas tota illius est causa. Sed altius causa investiganda est in jecore: hoc enim & calida intemperie, & obstructione multa laborat, venamque ruptam aut exesam habet, è qua sanguis olim & non multis ante diebus vomitione dimanavit. Quibus ex causis concoctio omnis vitiatur, multaque mala tum ventriculo, tum toti corpori impendere solent.

Prognosticum. Huic autem affectioni nisi diligenter occurratur, aut hydropis, aut cachexiæ, graviorisque morbi periculum imminet.

Cura purgatione. Multa quidem remedia ad cruditatem adferri possunt, quæ tamen ob jecoris metum non permiserim in hoc affectu. Neque enim vehementer aperientia, aut detergentia, neque medicamenta ex hiera aut ex aloë ex usu sunt, quod venas corrodant, oraque patefaciant, à quibus dein sanguis profunditur. Itaque nullum mihi tutius medicamentum videtur rheubarbaro, quod & crudam pituitam & bilem expurgat, obstructionibusque solutis sanguinem cohibet, si tertio vel quarto quoque die ʒß. vel ℈ij. in tenuissimum pulverem redacti sumantur ex vino albo, & aqua plantaginis: vel catapotiorum forma horis duabus ante cibum. Nulla purgatio tutior efficaciorque deprehendetur ad doloris præcautionem. Interdum etiam alvus utiliter emollitur clystere.

Roboratione. Ventriculi etiam robur & jecoris probam concoctionem hoc electuarium mirifice procurabit. ℞ Rosarum rubearum, Santali citrini, Cinnamomi electi an. ℈ij. Margaritarum electarum, Coralli rubri, Rasuræ cornu cervi, an. ℈j. Sacchari albi dissoluti in aqua rosarum ℥iiij. Fiat electuarium per tabellas pondere ʒij. Capiat unam mane, & per horam unam ante cœnam. Si forte dolores crudelius recurrant, leniendi erunt fotu ex rosis, balaustiis, mentha, absinthio, chamæmelo, & aniso, coctis in aqua & vino albo. Aliis medicamentis, nisi forte maxima necessitate, non utendum, ob eorum metum quæ impendere dixi.

Diæta. Inter cætera, quæ ad victus rationem pertinent, vitet laborem & immodicam exercitationem, sive cursu, sive equitatione dura: vitet balneas, crapulam, & vinolentiam: itemque alimenta omnia impensius calida & acria.

CONSIL. XXX.

De ventriculi dolore, pro domino De Lauzun.

Causa & signa

SYmptoma, quod vehementius affligit, est ventriculi dolor diuturnus, æstate quam hyeme gravior & crebrior. Hujus causam investigantes, præter ea, quæ de signis narrando accepimus, ingentem contactu duritiem animadvertimus, è ventriculi fundo utrinque in hypochondria diffusam. Hanc doloris causam suspicatis experiri placuit, quænam materia tumorem hunc efficeret: datoque post clysterem medicamento ex solo rheubarbaro, dejectiones exciderunt primum quidem crassæ, picis æmulæ; dein quæ dissolutam cassiam repræsentarent; postremo rubræ crassiori & fæculento sanguini persimiles: quæ quum etiam sponte biduum aut triduum perseverassent, omnium judicio pronuntiatum est, non melancholicas, sed cruentas dejectiones esse, è retorrido præassatoque sanguine, qui ab exesa aut aperta vena, & in jecoris cava & in pancreas excidisset. Hic extra venas concrescens, ac putrescens, & tumorem, & dolorem, & animi defectionem, & febriculam, aliaque symptomata invehit. Neque profecto nobis vel diligenter investigantibus alia dolorum symptomatumque causa deprehensa est. Vacuato sanguine atro & retorrido sensim dolores conquieverunt; visusque est dominus expers doloris supra dies viginti aut triginta. Sed quum forte se paulo vehementius exercuisset, & ira atrocius excanduisset, mox cœpit novis, hisque similibus doloribus torqueri. Tum igitur dato rursus medicamento similes dejectiones visę sunt nigræ, aut exusto sanguini persimiles, quibus desinentibus dolores similiter conquieverunt. Hinc certa & evidens fuit causæ cognitio dolorem inferentis, & manifeste compertum, sanguinem è vena quapiam sensim quidem, sed præsertim per æstus, aut vehementes animi corporisque perturbationes, excidere; qui certo loco congestus, concrescens atque putrescens, & sua maligna substantia & vapore, omnium fit symptomaton causa, cui etiam causæ non pauci flatus permiscentur in corporis varias partes effusi.

Hoc malum nisi tempestive tollatur, aut brevem interitum, aut hydropem minatur. *Prognosticum*

Præcautionis autem summum consilium est, ut ab his omnibus D. abstineat, quæ sanguinem excalefaciunt, extenuãt, exagitant, aut quovis modo erumpere faciunt è venis. Ejusmodi sunt vehemens & intempestiva corporis exercitatio, ira, excandescentia, timor, & cæteræ animi perturbationes; vinum tenue & generosum, sinapi, salsa, & piperata omnia, & quæcunq; condimenta ex his parantur. Deinde corporis concalefactio, vel ab æstu immodico, vel ab igne, vel à thermis, vel ab aëre ęstuoso. Ab his omnino abstinere debet, ut nihil aut minimum sanguinis posthac è venis profundatur. *Præcautio*

Cæterum si ne his quidem malum præcaveri potest, & fortasse tumoris vel doloris rudimenta quædam posthac quasi circuitu appareant, statim jam diligentissime succurratur, primum clystere emolliente, dein medicamento ex solo rheubarbaro, vel adjectis interdum folliculis sennæ. Ab agarico, maximeque ab aloë, aut hiera, abstinendum, ne aperiant ora venarum. Quibus si malum non cedat, vena secanda erit brachii interioris, idque ad revulsionem. Imo etiam, si malum non premat, utile fuerit, quotannis venam bis incidere, veris initio, & autumno, ut sanguinis fervor mitescat. In id etiam conferunt syrupi, quos pręscripsimus, ex succis endiviæ, plantaginis, centinodiæ; rosarum, acetosæ & agrestæ: aut si efficacius sanguis sisti debet, pulvis offeratur quem conditi forma præscripsimus. Et hæc quidem causæ succurrunt.

Doloris aurem sævitiam leniemus clystere, qui flatus detrahat, quos novimus interdum affectui primario permisceri. Interdum fotu ventriculi ex his, quæ quodam robore flatus discutiunt, ac dissipant: interdum & unguento similis facultatis. Horum neque compositionem in præsentia referemus, quod seorsum satis ample & diffuse explicata sit. *Emendatio symptomatis.*

CON-

CONSIL. XXXI.

De Hydrope cum febre & gravibus symptomatis: pro Comitissa Alesiorum.

Historia morbi. scripta ab ejus Medico.

Historia morbi præ gressi.

GEnerosissimam Comitis Alesiorum conjugem. morbo vehementi, eoque diuturno, occupatam, sedulitate atque diligentia vestra liberatam audio. (Viri doctissimi.) Fuit autem morbus febris continua, quæ trigesimo die aliquantulum mitescens, post recruduit vehementius, cum inquietudine, vigiliis, alvi profluvio, delirio, spiratione difficili, inappetentia, & siti in tenui corpusculo; quæ non modo à vobis evicta, sed etiam totius corporis constitutio melior multo, quam ante morbum, effecta est. Intumuerat enim ventriculus ante annos duos flatibus, & serosa quadam humiditate, ejus tunicas distendentibus; & affectus per vices afferebat cordis palpitationi persimiles. Refrixerat obduruerat que uterus, spesque prolis exigua erat: sed julapiis, & benignioribus pharmacis, pulvisculis, fotibus. linimentis, tanquam interna resarcientes omnia, effecistis, ut uterus statim conceperit. Nec ambigo, hæc generationis primordia ad lætam sobolem fuisse perventura, si quievisset amplius, & pleniori victus ratione restaurandis viribus studuisset.

At cum nec sibi nec conceptæ soboli, sed subortis fortunarum suarum litibus & controversiis prospiceret, in eam incidit charybdim, quam Hippocrates tenuibus utero gerentibus præsagivit, Quæcunque *inquit,* tenues utero gerunt, abortiunt, priusquam crassescant. *Sextus siquidem prolis conceptæ mensis agebatur, quando ædes repetere statuit, quotidiano miliarium viginti itinere, donec in Albigniacum sororis domum reciperetur. Quo in loco statim vel æstu solis perculsa, vel itinere, vel lecticæ concussione fatigata, cœpit omne genus cibariorum fastidire, ingesta revomere, renum coxarumque dolore affligi, & partus immaturi metu perterreri. Quibus omnibus ope nostra sedatis, rursum in tertianam continuam incidit: cujus exacerbatio tertio quoque die ultra horas duodecim extendebatur. Sexto die, symptomaton, quæ in acerbatione affligebant, vehementia perterriti, sanguinem ad uncias tres misimus: à quo meliora & mitiora omnia extitere: sed infans rejectus die septimo, cum globulis tribus inferne curvis clausæ manus magnitudine. Hinc tertiana continua intermittens facta est: quæ rursum aliquot post diebus duplex evasit, cui curandæ post leves purgationes, venæ sectionis præsidium attulimus ad uncias quatuor. Tandem pedum facieique tumorem subcutaneum animadverti: sed & ventrem intumuisse cum diceremus, Domina laborans à biennio alium partum immaturum, eosdemque affectus sibi contigisse affirmavit. Tumor paulatim increvit. Accessit & alvi profluvium. Tandem sedato alvi profluvio remansit tumor pellucidus, tympani sonum edens. Unde gravissime illi metuo, ne derepente viribus fractis concidat.*

Responsum D. FERNELII, & D. Du Mouceau.

Prognosticum.

CUm multis hisque gravissimis malis, vir eruditissime, paucis ante diebus affligeretur illustrissima Comes Alesiorum, nunc vero enixa, evictaque febre tam multiplici, sedatoque alvi profluvio, aliisque repressis symptomatis, una reliqua esse videatur hydropis suspicio: si vires satis constent, vix tam præsens vitæ discrimen putamus impendere. Nam in hoc mali genus non paucis ante annis propensa est, è quo nonnunquam sponte, & solius naturæ beneficio, nonnunquam arte levibusque præsidiis est vindicata.

A Tumoris causam non ad uterum referendam putavimus, nec leviusculos errores puerperii tam gravi malo initium dedisse, sed jecoris in primis, deinde lienis vitia. In his siquidem visceribus renitentes prædurosque tumores olim animadvertimus, qui nondum prorsus nostris cesserant remediis, quum utero concepit: sed & illos credibile est gestationis tempore non parum increvisse, sensim auctos & confertim cumulatos humoribus & febribus, tam variis, & huic hydropi originem dedisse. Id sane dextri hypochondrii dolor constanter asseverat, *Natura morbi & causa.*

rat,

rat, quem nos tam atrocem esse audimus, ut ne minimum digiti attractum toleret.

Cura. Quocirca huic uni visceri in primis succurrendum esse censuimus, idque sensim ac blande, ne vel minimum vires offendantur. Expeditis enim hisce visceribus, sublatisque eorum vitiis, omnem speramus ventris tumorem discussum iri. Quanquam autem te virum experientissimum minime latent remediorum genera, quibus id compleri possit, eorum tamen quasdam formulas pharmacopolæ descripsimus, quas, te censore & æquo æstimatore morbi & virium, ille pro rei natura & conditione mu- A taverit. ℞. Aquæ endiviæ ℥iij. Vini albi ℥jß. In quibus infunde rheubarbari electi. ʒß. Cinnamomi electi ʒij. In expressione dissolve syrupi de cichorio simplici ℔ß. Fiat syrupus pro quatuor dosibus; utatur tertio aut quarto quoque die. ℞. Electuarii triasantali quadruplicato rheubarbaro, ʒij. Capiat aliquando loco syrupi. Item rasuræ eboris ʒj. Pulveris electuarii Diacubebæ ʒß. Pulveris electuarii triasantali, Diarrhodonis Abbatis, & Diamargariti frigidi, an. ℈j. Sacchari albi dissoluti in aqua absinthii ℥iij. Fiat electuarium per tabellas ponderis ʒiij. Capiat aliis diebus intermediis.

CONSIL. XXXII.

De destillatione & laxitate peritonæi variis affectibus complicata, pro Senatore Burdigalensi. an. 1554. *mense Septembri.*

Natura morbi. AFfectus plane varii atque disjuncti concurrunt in corpus jamdiu male habitum. Unus est destillatio è capite frigidiore & excrementitio, modo in maxillas, & in cervicem, & scapulas, modo in pulmones, & inferiora procumbens, cum tussi, & impedita respiratione, quod asthma portendit. Alter est dolor nephriticus ex intervallis affligens, ab arenulis aut tenui calculo profectus, quanquam nullum nunc video indicium concreti & inhærescentis in sinistro rene calculi, qui vel renem ipsum alterat & vellicat, vel imminentem nephriticum dolorem portendit. Tertius affectus est peritonæi in dextro inguine nimia laxitas, aut etiam divulsio, quæ en- B terocelem minatur ex tussiendi impetu orta. Malus habitus, quem ex subtumida corporis mole, & ex colore non satis vivido judicas, originem habet à jecoris lienisque impuritate, & obstructioue.

Cura. *Diæta,* Morbis autem tam varie implicatis, non nisi summa arte atque diligentia succurri potest. Victus in primis observandus est euchymus, vescendumque capis gallinaceis, lepusculis, perdicibus, aviculis, & vitulina carne, & interdum vervecina, eaque assa potius quam elixa. Declinandæ sorbitiones, juscula, potus immodicus; ad hæc ficuum, & eorum quæ mali succi sunt, esus: satietas, crapula, & cruditas nimia: debetque omnino tenuis ac parcus victus pari- A ter siccus esse, ut absumta humoris supervacui portione corpus siccescat, fiatque tum destillationi, tum cachexiæ, & reliquis morbis, minus opportunum. In id quoque exercitationes moderatæ conferent: nec corpus otio & ignavia torpescens, prematur copia superflui humoris.

Quinetiam prædictis affectibus tum abigendis, tum præcavendis necessarius est medicamentorum usus. Ac bis mense purgandum corpus est, hoc syrupo accommodato capiti, jecori & pulmonibus. *Purgatione.* ℞ Radicum Cichorii, Acetosæ, Rusci, Asparagi, & Petroselini, an. m. ℥ß. Agrimonii, Endiviæ, Cassutæ, Ceterach, Betonicæ, Stœchados, Hyssopi, Tussilaginis, Pimpinellæ, Saxifragiæ, an. m. j. Seminis endiviæ, Cassutæ, Altheæ, & Melonum, Glycyrrhizæ rasæ, an. ʒij. Fiat decoctio in ß. q. aq. pro dosibus iiij. capiendis ut dicetur. Quum purgandi major erit necessitas, videbiturque destillatio nimium urgere, vel corpus nimium ingravescere, si parcior cibus malo non succurrit, primæ dosi adde Diaphœnici ʒij.

Quod jampridem in pulmones influxit, eluendum, detergendum est: diebus interjectis crebriore usu sequentis syrupi, qui renibus etiam non parum confert. *Expectorationе.* ℞ Radicis Enulæ Campanæ, Polypodii quercini, Seminis carthami, Passularum, an. ℥ß. Jujubas, Sebesten, Ficus pingues an. quatuor

tuor numero. Hyssopi, Satureiæ, ungulæ Caballinæ, Betonicæ, Saxifragiæ, an. m j. Seminis althææ & Bombacis, Glycyrrhizæ rasæ an. ℥iij. Fiat decoctio ad ℔j.ß. In colatura dissolve sacchari albi quartaria tria. Mellis optimi ℥iiij. Paretur syrupus perfecte coctus, & aromatizatus cum radicibus Ireos Florentinæ, & Cinnamomi an. ʒij. Utatur frequenter ex cochleari, vice eclegmatis, & interdum ex aqua decoctionis hordei. Item ℞ Pulveris electuarii tragacanthi frigidi & Diairis simplicis, an. ʒij. Pulveris elect. Aromatici rosati majoris ʒj ſ. Seminis Petroselini Macedonici, Saxifragiæ, & Ocymi, an. ʒſ. Sacchari albi dissoluti in aqua parietariæ ℥iiij. Formetur electuarium per tabellas ponderis ʒij. Utatur aliquando longe à cibo loco syrupi.

Laxum inguen quomodo tractandum? Jam vero laxius inguen decumbenti supine quotidie fovendum est decocto hujusmodi. ℞ Pisidię, Balaustiorum, Nucum cupressi, Gallarum, an. ℥j. Aluminis ℥iij. Fiat decoctio in aqua fabarum pro fotu. Dein emplastrum imponendum contra rupturam, malaxatum cum prædictis pulveribus. Cætera leviora quæ desiderari possunt ex aliorum consiliis & scriptis petenda.

CONSIL. XXXIII.

Ad Cachexiæ initium.

Signa morbi. QUum non caput solum aut uterus, sed reliquum corpus omne graviter laboret, vitiose alatur, fœdo nec vivido colore suffusum sit, artus omnes quasi dissoluti langueant, nec munus suum complere possint, & summa sit virium imbecillitas, crebraque animi defectio, cum spiritu difficili, quoties præsertim corporis motus paulo vehementior existit: non aliter affici videtur D. Laborans, quam ii, quibus aliquod cachexiæ est initium, aut leucophlegmatiæ.

Causa. Quocirca malorum omnium causa non in capite, aut in utero, sed in principalibus viscerum investiganda est: maxime in naturalibus, ut ventriculo, jecore, liene, & assidentibus illis, quorum ope universum corpus ali solet. Hæc igitur admodum impura sunt, & multo humore supervacaneo perfusa: cujus vitio & impuritate cibus omnis quantumvis purus sit assumtus labefactatur, & tam varia mala obrepunt. In tanta viscerum impuritate ingens est obstructionis suspicio, observandumque num præcordia aut ventris partes quædam intumescant, dolitent, aut renitantur. Omnibus hisce vitiis initium dedit intempestivus & immoderatus lactis & fructuum esus.

Cura. Nec capiti, nec utero recte succurri potest, antequam sit visceribus tanquam fonti & fomiti prospectum. Itaque diligens hæc medendi ratio in primis tenenda, à qua dein partibus & symptomatis, ni satis mitescant, opitulandum. *Purgatione.* ℞ Radicis Cichorii, Petroselini, Fœniculi, & Capparum, Polypodii quercini, seminis Carthami, an. ℥ſ. Hyssopi, Prassii albi, Origani, Agrimonii, Ceterach, Cuscutæ, Adianti, an. m. j. Seminis anisi, fœniculi, Endiviæ, Melonum an. ʒj. Fiat decoctio ad uncias quindecim: in colatura infunde per noctem foliorum sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ʒij. Epithymi ℥ſ. Gingiberis ʒij. Bulliant parum mane, & fiat expressio, in qua dissolve sacchari albi ℔j. Paretur syrupus mediocriter coctus, non clarificatus, capiat quinto aut sexto quoque die ℥ij. pro dosi, cum pari portione aquæ decoctionis hordei, aut vini albi. Huic dosi quandoque utiliter addetur rheubarbari electi ʒj. Si quando diebus interjectis alvus non facile descendat, moveatur his pilulis. ℞ Aloës optimæ, pulveris hieræ simplicis, Rheubarbari electi, Agarici trochiscati, an. ʒj. Cum syrupo absinthii. Malaxentur simul, & fiat massa. Capiat pilulas duas aut tres pro dosi hora una ante cibum.

Præparatione roborationeque. Quum nec syrupo nec pilulis utetur, conferet vel decoctum, vel vinum absinthii Pontici, quod etiam dilutum sit decocto Cichorii. Aut si id forte fastidiet, hoc utetur electuario, quod & roborandi, & pręparandi vim obtinet. ℞ Pulveris electuarii aromatici rosati majoris, & electuarii Diamargariti frigidi, an. ʒij. Rasuræ eboris, & cor-

& cornu cervi; an. ʒiij. Fiat electuarium per tabellas ponderis ʒiij. Capiat unam mane, & per horam ante cœnam. Ventriculus & præcordia hoc foveantur unguento. ℞ Olei nucis moſchatæ, Olei menthæ, Olei abſinthii, & Amygdalarum amararum, an. ℥ſ. Ceræ parum. Fiat linimentum. Ungatur mane & ante cœnam, & ſuperponatur ſcutum ex bombace.

Diæta. Victus imperetur euchymus, attenuans, & moderate calefaciens: iſque non admodum plenus; ne vires imbecillæ copia obruantur: Quocirca abſtinendum à multis ſorbitionibus, & ab humidis, ut quæ nimium implent, cruditates geminant, obſiſtuntq; curationi. Maxime vero ab immoderato potu abſtinendum: atque ſi ſitis premat, arte fallenda eſt, quandoquidem non vera, ſed mendoſa exiſtit. Bis aut ter in die cibum ſumat, idque tenuiter ſatis, & quantum facile poſſit conficere. Eventus indicabit quid poſtea agendum reſtet.

CONSIL. XXXIV.

Ad Cachexiam, & hydropem incipientem; pro Ambianenſi quadam nobili muliere.

Prognoſticum. Nobilis hujus mulieris affectio à levibus principiis orta, ſenſim ad cachexiam & hydropem profecta eſt, in quo non admodum ingens ſit ventris moles, præcipuuſque tumor provolvatur in pedes & tibias: magni tamen æſtimanda vetus illa & renitens jecoris durities, jam ſcirrho proxima, cum nauſea, vomitione, dejecta appetentia, & cum ſiti inexhauſta. Hæc enim nonnihil humoris in viſcere computruiſſe commonſtrant.

Cura Purgatione. Quoniam igitur ejuſce humoris vitio & impuritate ventriculus perfunditur hic in primis eluendus eſt, ut dicta ſymptomata miteſcant: ac ſæpe purgandum medicamento, quod conſtet ex rheubarbaro, folliculis ſennæ, & agarico, quæ macerata ſint in decocto accommodato, adjecto ſyrupo infuſionis roſarum pallidarum. Debet autem ejuſmodi potio vel octavo vel decimo quoque die propinari. At ne moleſtum ſit, eam potionem tam frequenter repetere, in eum uſum ſyrupus componetur laxativus, qui ſimili ſit facultate, in quo immiſceri aliquando poterit ſuccus roſarum pallidarum, vel ſuccus ebuli per reſidentiam depuratus, quum præſertim aquoſus humor eliciendus erit. A ſucco autem iridis ſeu gladioli, quod acerrimus ſit, & ſæpe interiora exulceret, abſtinendum putamus. Sed & diebus interjectis, quum forte pigrior alvus erit, proritetur non clyſtere modo, verum etiam catapotiis ex aloë & rheubarbaro, vel interdum ſyrupo, qui recipiat ſyrupi de Cichorio ſimplicis, & ſyrupi roſarum pallidarum, an. ℥iij. cum diluto ʒv. rheubarbari electi infuſi in aqua praſſii aut fœniculi: hoc altero quoque die, utendum ad unciam unam.

Roboratione. In hac curatione præcipua ratio habenda eſt jecoris affecti; repetenda ſunt fotus, unguenta, emplaſtra, quæ jecoris duritiem remolliant, quoad licet, illius robore ſervato. Paretur electuarium ex pulvere electuarii Diacubebæ, & electuarii triaſantali, cum raſura eboris. Tibiæ & pedis tumor œdematoſus diſcutiatur ſero & lixivio, in quo incoxerint radices Ebuli, & Enulæ Campanæ, Roriſmarinum, Majorana, Thymus, Laurus, Origanum, & ſimilia.

Exercitatione veſicularum. Si ventris tumor videatur prolabi in tibias & pedes, maxime poſt inceſſum, utile eſſet veſicas excitare in locis tumentioribus, cum fermento pulpæ ficuum, & portione cantharidum, quibus apertis viſum eſt aliquando omnem ventris tumorem illac deduci.

Victus tenuis ſit & ſiccus, parceq; bibat. *Diæta.*

CONSIL. XXXV.

Ad hydropem, pro alio Ambianenſi. 1551.

Morbus. De Domini laborantis conſtitutione id jam tibi indixeram, non ſolum cachexia, ſed incipiente hydrope illum teneri: quo & venter ſupra modum intumeſ-

mescebat, & distendebatur, & subtumida discolorque facies erat.

Ejus causa. Malorum initium fuit à jecore, cui & lien consentit. Utrumque enim viscus turgidum, renitens, & durum animadvertitur, ut non modo obstructionis, sed & scirrhi speciem exhibeat.

Cura adhibita, His ergo curationem instituens, vivendi rationem moderatam atque siccam imperavi, medicamento alvum subduxi, viscera electuario sensim aperiente corroboravi: atque his quatriduum duntaxat usus, tantopere adjutus videtur Dominus laborans, ut se sibi restitutum jam putet.

Adhibenda. At certe causa mali ipseque fomes intus manet, visceris utriusque scirrhus. Cui A hac ratione succurro; decimo aut duodecimo quoque die purgabis medicamento, quod utramque bilem, pituitam, aquososque humores detrahat. Atque si diebus interjectis alvus subsistet, hanc solicitabis clystere. Hisdem etiam diebus interjectis dabis operam, ut tum apozematis, tum syrupis aperientibus ac detergentibus, expediantur obstructiones, & extrinsecus unguentis viscera molliantur, servato semper eorum robore.

His quasi generatim curationi accommodatis remediis obsequutus, pristinam sanitatem Domino laboranti restitues, quem idcirco tibi persanandum remitto. *Prognosticum.*

CONSIL. XXXVI.

Pro Cancellario Imperatoris Caroli, Hydrope laborante, 1551.

Causa. QUI jecore impensius calido natus fuerat, assidua animi contentione, curis, vigiliis, immoderato labore, fortasse & vivendi ratione parum consentanea, ascititium vitium naturali cojunxit.

Ex ea nati morbi. Atque his invalescentibus causis factum est, ut jecur quasi incensum torreatur, & fervida bilis insolentius exuperet. Hinc causis illa ardentissima: deinde vagæ febres, & erraticæ frequentes, pariterque erysipelas, cum siti, vigiliis, inquietudine, aliisque bilis furoribus, hominem levissima quavis occasione exercuerunt. Et hæc quidem maxime, cum solum intemperies, bilisque fervor urgebat. Postea vero altius malum irrepsit: nam bilis aliorumque humorum exuperanti illuvie jecur jam diu infarctum est, ac scirrho tandem obduruit. Quin etiam propria illius substantia labefactata est, & insitus calor plurimum obtritus.

Eorum signa. Obstructionis siquidem index est diuturnitas mali, & excrementa alvi pallida atque albicantia. Scirrhi vero, decubitus in dextrum quam in sinistrum latus diuturnior, facilior atque tolerabilior; in hoc enim jecur incumbens sua mole, quasi suffocans ventriculum premit, atque præcordia spiritumque intercipit. Si nulla tactus renitentia, sed totius ventris mollities apparet, in causa est aquosus humor sub peA ritonæum effusus, & jecinori prætensus, quæ occurrens ipse non sinit attingi viscera. Ad hæc vero substantiam jecoris labefactari, illiusque calorem nativum obteri atque torpescere, neque jam alendo corpori idoneum esse, indicio sunt artuum totiusque corporis atrophia, qua id jam summo marcore liquescit. Cruditates jamdudum animadversæ, frequens virium lapsus, veteres pedum dolores: deinde tibiarum, B atque demum crurum tumores œdematosi, aquarum sub abdomine collectio, quæ non modo cachexiæ, sed & veri hydropis, ejusque ascitis speciem exhibet.

Hic est sane malorum finis, in quem jam multo ante tempore omnia conspirabant, poteratque finis ex aliis prægressis longe prævideri. Itaque jam conspicuus est hydrops. qui licet ventrem non magnopere distendat: quoniam tamen neq; ab imC moderato frigidoque potu, neque à sanguinis effluvio, neque à lienis vitio contractus est, sed longius etiamnum progressus: qualem dixi causam, gravem scilicet, obtinet, eamque multiplicem, in jecore sensim, multoque tempore contractam, altis firmisque radicibus infixam, quæ difficillime evelletur. Equidem tantam causarum seriem, tamque multorum effectuum continuationem repetens, quæ & marcorem, & pulsum languidum, & virium dissolutio- *Prognosti-*

 nem

nem induxit, si non prorsus deploratam salutem judico, vix tamen ausim perfectam curationem polliceri, satis esse ratus, si malorum quædam tolli, quędam leniri possint, ut quam longissime fieri potest parvo tædio vita protrahatur. Quod qua ratione fieri debeat subjiciam.

Cura medicamentis.

Curationis qualiscunque sperari tandem potest ratio duplex, una quæ causam jecorisque vitia, altera quæ aquas summovet. Causæ summa ratio habenda, quod una hominem tandem conficere possit, aquarum vero posterior: tametsi enim omnis harum illuvies fortasse subtrahetur, quandiu tamen causa subsistet, denuo alias cumulabit.

Utraque autem remedia sic temperanda erunt; Si vires satis constabunt, levis & frequens purgatio offeratur ex diluto ʒj. rheubarbari macerati in aqua prassii, vel fœniculi cum ℈ß. cinnamomi, addito saccharo, vel syrupo Cichorii. Ita quippe sensim bilis citra virium jacturam detracta, & inexhaustam sitim leniet, & sublata nausea appetentiam suscitabit, pariterque efficiet, ut roborato jecore excrementi serosi minus progignatur, neque profecto in hac virium imbecillitate ullum valentius medicamentum curandum. Diebus interjectis, quum alvus nimium pigra subsistet, mollienda erit clystere quodam accommodato. Si forte aquarum copia ventrem distendet, bis mense subtrahi poterit idoneo pharmaco. Hac in re & iridis succus, quod fauces urat, & gulam, & cucumer agrestis, & chamelæa, quod corpori vim inferat, minime probentur. Ebulum commendo, cujus succus citra ullam offensionem blande aquas proliciet, si ex radicis sesquiuncia tusa affuso vino aut hordei decocto expressus succus propinetur, quo die nulla vacuatione æger solicitabitur. Vires ac viscera corroborabuntur crebro usu electuarii, quod constet ex pulvere electuarii Diacubebæ, Triasantali, Rasura eboris, & saccharo in aqua prassii dissoluto.

Diæta.

Nolim autem pluribus medicamentis Dominum laborantem senio morboque confectum, aut vires pene collapsas onerare: sed bonam curationis partem victus ratione, quæ in hac re primas obtinet, moliri. Cibus esto è carnibus boni succi, quæ concoctu faciles sint, assæ potius, elixæ nunquam, aut admodum raro. A sorbitionibus abstinendum, & ab humidis omnibus; non tamen condimentorum gratię interdicimus, ut quibus sopita excitetur appetentia. Cibum partiri præstat, ejusque justum modum ter quaterve die dare, ut nulla virium offensa, facilius coquatur. Quam parcissime bibendum, ut in potus penuria siccatæ partes, ipsique renes redundantem aquarum illuviem sensim exhauriant, ipsa vero viscerum substantia alienorum occursu minime impedita sese expurget, emendet, & corroboret. Potus esto, non qualis à plerisque imperatur meracum vinum, sed largissime dilutum, quod & sitim continuo leniat, & jecoris æstus temperet: ac nisi ætas & stomachus dissuaderent, frigidam darem, quæ promtius quam vinum causæ ac siti succurrit, nec tamen magis aquosos humores exaggerat: id siquidem arduum, ac in primis difficile, in tanta sitis immanitate potui parco assuescere. Sed tamen totis viribus conandum id assequi, quo uno plurimi sunt restituti: hoc usus & consuetudo facile reddet. Nam subtracto potu os tamen aliunde accersitis humoribus permadebit. Sed & huic malo potest aptissimum subsidium comparari, si mastiche vel quidvis ejusdem facultatis assidue mandatur: aquam enim plurimam eliciet, non ut quibusdam videtur è capite solo, sed ex ventriculo & ex abdominis capacitate: sicque multis est nominibus profutura. Sunt qui in hunc usum vomitiones probent. Hæc pręcipua hujus instituendæ curationis capita esse duxi. quibus non parvam accessionem facient docti medici, quibus res hæc tota concreditur. De Lucensium aquarum potu nihil equidem sperare ausim, quod nulla sint manifesta qualitate insignes, neque alio sapore ullo quam nostræ potabiles sensum feriant. Quidam conquisitis illis, & curiosius allatis hic usi sunt nullo certe fructu, etiam si unius horæ spacio libras 10. & 7. ebiberent, sudores promoverent, omniaque quam diligentissime imitarentur, quæcunque balnearum tibicines præcipiunt.

CONSIL. XXXVII.

De Cachexiæ curatione.

Causa. Quæcunque deſcribuntur ſymptomata, ad jecoris lieniſq; obſtructionem, tenſionemq; pertinent, quibus etiam ventriculus neceſſario conſentit. Tanta enim horum viſcerum aſſidentiumque partium eſt impuritas, ut omni impedita depravataque coctione corpus univerſum ſordeſcat, & vitioſis humoribus ſuffuſum cachexia quadam prematur. Eadem viſcerum impuritas cauſa eſt inflationis, ſuffocationis, nauſeæ, ac evagantium flatuum, cum murmure & vario dolore. Cauſa eſt denique defectionis animi, & exolutionis virium, & cur tam frequenter laborans cibum appetit: impendentem enim ſyncopen nititur arcere depulſa nimirum humoris acrimonia benignitate cibi.

Prognosticum His malis jam inveteratis difficile admodum ſuccurri poteſt, niſi laborans accurate obtemperet medicorum conſiliis.

Cura. Diæta, Primum parce vivendum illi eſt, ter duntaxat cibus offerendus, ex juſtis intervallis, iſque ſatis tenuis & boni ſucci: à ſorbitionibus & juſculis & liquidis omnibus abſtinendum, & ab immoderato potu, quod humoris copia calor obruatur, offendaturque coctio. Victus tenuior & ſiccior eligendus; vinum tenue, & bene dilutum, exercitatio moderata, atque etiam interdum valida, prout vires ferent.

Medicamentis præterea obſtructiones *Pharmacia.* tollendæ ſunt, ſenſimque detrahendus omnis humor noxius in alvum, idque epicraſi, hac fere formula. Apozema ad tres doſes. Pilulæ de tribus. Diebus interjectis cum non purgabitur, corroborandus erit ventriculus, atque inteſtina, hoc electuario. ℞ Raſuræ eboris & cornu cervi an. ℈ij. Cinnamomi electi. Margaritarum electarum, Pulveris electuarii Aromatici roſati majoris, & electuarii triaſantali, an. ℈j. cum unciis iiij. ſacchari albi, fiat electuarium. Quotidie mane & ſero hora j. ante cœnam ventriculum & præcordia foveat hoc illitu. ℞ Mucilaginis ſeminis fœnugræci, extractæ in aqua endiviæ ℥j. Olei abſinthii, Roſarum, Menthæ, & de capparibus an. ℥ß. Macis, Caryophyllorum, Roſarum rubearum, pulverizatorum an ℈j. Ceræ parum. Fiat litus. Subinde autem purgationes hæ blandæ præbendæ ſunt, & continuandæ dum tumor omnis atque renixus ſublatus ſit, dumque ſymptomata omnia miteſcant, quod vix ante menſes duos ſpero futurum.

CONSIL. XXXVIII.

Pro quodam ex aula imperatoris, Febris diuturnæ, & ſæpe recurrentis curatio.

Morbi natura & cauſa. Dilucida luculentaq; ſignorum & ſymptomatum, quæ in laborante Domino obſervantur, enumeratio, expreſſam morbi ſpeciem, omneſque illius, tum interiores, tum evidentes cauſas nobis ob oculos poſuit. Corporis forma, figura, habitudo, omniſque conſtitutio; deinde functionum tum naturalium, tum animalium integritas, nativum temperamentum laudabile commonſtrant: ſed quod paulum in calidius divergere oſtendit venarum amplitudo. Id ætate annorumque decurſu ſenſim calidius evaſit. Tandem etiam naturæ convenientem modum exceſſit, magnis animi perturbationibus, vigiliis, curis, ſolicitudinibus, quas Dominus ſedulo in rerum magnarum adminiſtratione ſubiit. Ab his ſimilibuſque cauſis evidentibus jecur incenſum, multæ bili gignendæ accommodatum eſt, quæ tempore coacervata & exæſtuans, omnium quæ traduntur ſymptomatum effectrix eſt. Hæc vel in ſecunda valetudine celeres vehementeſque animi perturbationes, crebramque excandeſcentiam gignit. Hæc eadem cauſa eſt, cur alvo adſtrictiore, acri vapore caput tentetur, reliquumque corpus non excretabile ſentiat inæqualitatem, & manuum volæ

volę plantęque pedum exęstuent, quod etiam jecoris calidioris est indicium. Itaque bilis retroactis annis tantopere exuperans effecit, ut corpus universum, quasi liquescens, in quandam extenuationem collapsum sit, atque etiam ut bilis tempestive non expurgata, sed coërcita, ac subinde putrescens, sæpiuscule sui generis febres excitarit: idque multo crebrius postremis annis, quibus illa copiosior cumulabatur. Et cum corpus proclive sit & præparatum, ut ex levissimis quibuslibet occasionibus caloris, frigoris, laboris, perturbationum animi, atque victus, in ejusmodi febres incidat, hisque prompte corripiatur, argumentum sane est exuperantis causæ interioris, maximeque redundantiæ, quod sit naturæ gravis, & supra modum molesta. Quinetiam febris species invasionisque modus interiorem causam demonstrant atque exprimunt: nam rigor initio, calor acris, faciei rubor & inflammatio, cum levi mentis alienatione, pulsus creber, similisque respiratio, urina rufa, atque crassa, excretiones sub morbi finem biliosæ, omnes quidem notæ sunt exuperantis flavæ bilis, quæ ex permistione sanguinem tenuissimum fervidumque reddit. Itaque & febris, & omnium quæ narrantur symptomatum causa non alio, quam ad bilis exuperantiam, & ad jecoris immoderatum calorem referri potest. Eodem etiam erysipelatis, & omnium fluxionum, quę in crura procumbunt, cura pertinet: quandoquidem erysipelas febri continuo succedit, quasi illius quædam indicatio, ex eo nimirum humore, qui febrem accenderat. Ceterum, si quis tumor pedum œdematosus erysipelata discussisse deprehenditur, etiamsi per sanitatem adesse consueverat, & familiaris putetur, suspectus tamen esse debet, metuendumque ne imminentis cachexiæ sit prænuncius; fere enim jecur multa crassaque bile obstructum, obscura scirrhi rudimenta contrahit, quæ dum sensim & sine sensu adolescunt, in cachexiam hydropemque præcipitant.

Prognosticum. Licet autem febrium recursiones, & crurum inflammationes, defluxionesque, ægrius inveteratæ sint, ætasque laborantis jam inclinet: Si quis tamen tempus diligentiamque sumet, poterit in illa valida robustaque senectute vel integram sanationem, vel certe summam levationem sperare: maxime vero, si in dextro hypochondrio nihil renitens, aut durum, contactu decubituve deprehendetur.

Medendi autem scopus erit, jecoris obstructiones expedire, exuperantem illius bilem sensim expurgare, ipsumque viscus refrigerare & corroborare: quæ qui opportune præstabit, omnem certe febris causam adimet, defluxionum fontem exhauriet, & in multos annos vitam producet. *Cura.*

Primum igitur decernatur purgatio ex diluto drachmarum duarum rheubarbari, ut decet, apparato, quo omnis illa redundantia & crudorum & semiputrium humorum in ventriculo, & circa mesenterii venas fluctans, abigatur, aut emendetur. Deinde jecoris lienisque obstructiones reserandæ his remediis, quæ dum extenuant & reserant, simul obstructionis materiam in alvum sensim deducunt. Hujusmodi est syrupus de cichorio compositus, qui pro dosi habeat ℈ij. rheubarbari. Hic diebus alternis, aut tertio quoque die offerendus tribus horis ante cibum sine custodia. Si longius erit intervallum, irrita erunt omnia, nec quem sperabamus effectum assequemur: ita enim laxatis apertisque viis semsim natura assuescet bili in alvum expurgandæ. Syrupus ad retorridam bilem. *Purgatio.*

℞ Rad. Cichorii, Acetosæ, Graminis, Asparagi, an. ℥ß. Agrimonii, Ceterach, Cuscutæ, Lupulorum, Adianti, Capilli veneris, an. m.j. Foliorum sennæ mundatorum ʒiij. Fiat decoctio ad ℔ſ. In colatura dissolve succorum depuratorum buglossi, boraginis, fumarię, & acetosæ, an. ℥jſ. Sacchari albi ℔j. Paretur syrupus perfecte coctus. Et cum decoquetur, adde expressioni ʒvj. rheubarbari electi in aqua endiviæ, cum ʒij. cinnamomi electi. Capiat bis in hebdomada ℥jſ. vel ℥ij. pro dosi, cum aquis hordei vel melissæ, sine custodia. Diebus interjectis alvus molliente clystere proritetur. Ad cruditatem pituitosam, quæ aliquando per hyemem contingit. ℞ Rhabarbari electi ʒjſ. Aloës optimę, Pulveris hieræ simplicis, Agarici recenter præparati an. ʒj. Cum syrupo absinthii formetur massa. Hæc vacuationum genera omnem bilis exuperantiam sensim detrahent per alvum, nec febrem accen-

accendi, nec fluxionem in crura procumbere finent: nec tamen vires frangunt, sed potius augent, dum naturam humorum noxiorum sarcina veluti pondere gravi relevant. Hac æstate residua, dum æstu corporis humores adhuc fluxi sunt, & quasi fusi, in hanc curationem incumbendum.

Corroboratione per diatam. Scopus alter curationis erat jecur, universumque corpus refrigerare & corroborare: id autem præstabitur victus ratione potius quam medicamentis. Sit igitur victus tenuis initio curationis, qui modice refrigeret ac humectet: jura gallinarum ex lactuca, acetosa, omphacio, buglosso, boragine. Carnes assæ macerentur condimento refrigerante, ut succo acetosæ, omphacio, succo mali punici, citrei, vel arantii. Vitet salsa, piperata, aromate condita, quæ jecur & humores adurunt, saccharata omnia, quæ promptissime in bilem facessunt: allium, porrum, cæpam, sinapi, nasturtium, hujusque classis omnia. Vitet etiam vina generosa. debilia diluere assuescat, nec timeat stomachi imbecillitatem. Cerevisia interdum utilis, sed quæ nec multum acris sit, nec admodum crassa. Corpore puriore jam facto cibus augeatur, servata qualitate. Peractis viginti diebus curationis, sorbeat mane hordeum mundatum paratum ut decet; huic si potest indormiat, continuetque in duos aut tres menses, aut si velit in omnem vitam, eorum exemplo, qui hoc salubriter & magno valetudinis commodo uti assueverunt.

Cruribus nihil adhibendum censeo præter aquas aut succos solani, plantaginis, & rosarum cum aceti octava parte, dummodo quantum fieri poterit, illa sublimem situm obtineant.

Desunt quædam.

CONSIL. XXXIX.

De febre intermittente dolorifica.

Morbi natura & causa. Laborans, de qua scribitur, gravissima febre intermittente afflicta, cum vomitione crebra, cum syncope, & cum summa corporis totius, sed maxime viscerum imbecillitate, quoniam omnium remediorum opem neglexit, nec tempestive medicamentis paruit, in sævissimas ventris torsiones merito incidit, quibus diu ac vehementer cruciata est. Febris enim peccans materia è visceribus (in quibus omnis febris intermittentis fomes consistit) inter peritonæi & ventris membranas devoluta, febrem finivit, sed dolorem accersivit. Ex his postea membranis, cum minime excidere posset, nec viam expeditam inveniret, qua in alvum illaberetur, velut furiosa alio tandem impetum faciens, transiliit in caput, & in corporis artus, ubi & novos cruciatus movet. Metuendum, ne tandem nervos occupans & tendones, paralysis speciem ingeneret, quæ ex colico dolore fieri traditur à Paulo, & de qua non pauca scriptis notavi.

Cura. Hæc sunt sane omnium malorum gravissima, quæ neglectis & perperam curatis febribus intermittentibus supervenire solent: his autem remedia quærenda. Licet autem minus quam olim purgationes nunc profuturæ sint, imperandæ tamen sunt, eæque satis validæ, ut noxium humorem è summis partibus revellant in alvum: aut si minime paritura est laborans, his saltem levioribus, sed identidem repetitis purgetur, quibus jam aliquoties est usa. A purgationibus conferent unctiones dolentium partium, anodynæ, & discutientes, quales comparari possunt ex oleo lumbricorum, & irino, & oleo de terebinthina, his tandem adjectis, quæ ad paralysin conferent, quoque balnea, in quibus incoxerint herbæ cephalicæ, multoque magis vaporaria, aut æstuaria sicca, si modo ea perferre queant laborantis vires.

Prognosticum. Porro morbus pervicacissimus in laborante male obtemperante, dubium aut etiam sinistrum plerunque exitum expectat.

CON-

CONSIL. XL.

De febre lenta, & variis affectibus. è Gallico.

Causa. UT certo satisfacere possim quæsitis ad me missis de febre lenta, operæ precium est ejus veram causam & originem investigare, quæ quoniam aliis febribus intermittentibus & erraticis successit, in ea sum sententia, fomitem ejus latere vel in renibus, vel in jecoris aut lienis prava qualitate: est enim symptomatica. Cujus ut planum haberi possit indicium, urinæ sunt perpendendæ. Si enim crassæ, spissæ, albæ, purulentæ sunt, aut si quando alias cruentæ fuerunt, indicium est, abscessum aliquem aut ulcus in renibus subesse. Quod si nihil alienum in illis conspicitur, à jecore vel liene causa repetenda. Non enim doloris colici vel nephritici quibus D. Laborans conflictatus est, hæc consectaria esse videretur. Sitis cerevisiamque bibendi lubentius quam vinum cupiditas, qua tenetur, ciborum aversatio, præcipue esculentorum, ructus, rugitus, flatus, ventriculi stridor, & ad concoquendum absurditas, cum lipothymia ad syncopen usque, manifestam ejus & ab eo noxam demonstrant, tum proprio vitio, tum hepatis & splenis vicinia ac sympathia. Neque vero fluxioni (si quæ in ventriculum decumbit) tantopere mens adjicienda: non enim tam fæva accidentia solus catarrhus parit.

Cura Purgatione, Remedia tum ad febrim, tum ad alios affectus blanda & epicrastica esse debent, de ætate, diuturnitate, debilitate, considerationis partem ad se trahentibus. Alternis ergo diebus, si alvus non respondeat, injiciatur clyster ex formula. ℞. Radicis althææ ℥j. Florum chamæmeli, Meliloti, Anethi, absinthii, Furfuris macri, an. m. j. Seminis anisi & fœniculi an. ʒij. Fiat decoctio. In colatura ad ℔j. dissolve mellis rosati ℥ij. Olei communis ℥iij. Fiat clyster. Si non satis detrahet crassæ & lentæ pituitæ, addes hieræ simplicis ʒvj. vel ℥j. Per hebdomadas syrupum infra scriptum hauriet, ut sensim ventriculus detergeatur, cæteræque partes hujus mali fomites. Quod si sæpiuscule uteretur largius, prodesset.

A nullo enim pacto debilitat, imo valenter roborat. ℞. Radicis acetosæ, Cichorii, Graminis, & Petroselini, Polypodii quercini, an. ℥ß. Agrimonii, Ceterach, Cuscutæ, an. m. j. Foliorum sennæ mundatorum ℥ij. Fiat decoctio ad ℔ß. in colatura dissolve sacchari, albi ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus, cui inter bulliendum adde expressionem ʒij. Rheubarbari electi infusi in vino albo, cum ℥j. cinnamomi electi. capiat ℥j. ß. pro dosi cũ aqua decoctionis hordei; mane tribus horis, nec pluribus, ante cibum. Nonnunquam loco syrupi uti poterit pilulis sequentis descriptionis. ℞. Aloës optimæ, Rheubarbari electi, Pulveris hieræ simplicis B an. ʒj. agarici præparati ʒß. Malaxentur cum syrupo absinthii ʒj. Fiat massula: capiat pilulas v. pro ʒ. mane horis iiij. ante cibum.

Roboratione. Diebus interjectis ad roborandum ventriculum, & firmanda viscera expediet condito sequenti liberaliter indulgere. ℞. Corticis citri conditi ℥j. Myrobalanorum conditorum, Conservæ rosarum, an. ℥ß. Pulveris elect. aromatici rosati majoris ℈ß. Cinnamomi electi, Santali citrini, Rasuræ eboris, & Cornu cervi an. ℈j. Sacchari rosati q. s. Fiat conditum auro coopertum. Capiat cochleare unum mane, & per horam ante cœnam.

Mitigatio symptomatum. Ad sitim bibet Julepum similis descri- C ptionis. ℞. Aquæ rosarum ℔ß. Succi granatorum ℥iiij. Succi limonum ℥ij. Sacchari albi ℥viij. Fiat Iulep. Utatur in siti longe à cibo, cum triplo vel quadruplo aquæ coctæ. Neque alii potui indulgebit, aut aquam vel ptisanam vulgarem; vel cerevisiam hauriet: sed supradicto Julepo contentus erit, vel syrupo granatorum; vel succo citri aut aurantii, extra cibum, atque etiam cum cibo. Quod si eum lipothymia quædam incesserit, præstaret multo, hæc superiora illi propinari, quam vinum. Eo tamen illud in pastu gustare mediocriter poterit, ut nulla postea sitis consequatur. Ad ventriculi autem labores, dum cibis coquendis incumbit, erit ex usu pauca & paulatim præbere. Quod

Quod si esca solida sit, succis supradictis irroretur. Neque te victus refrigerans magnopere deterreat: placidius enim ad frigida quã ad calida ejus se affectus habebunt.

CONSIL. XLI.

De febre quartana, pro regina Leonora.

Causæ. AB annis teneris, & à prima usque pueritia deprehensa est obnoxia asthmati, quod humidiore cælo, & quoties nova luna illucescit, nova destillatio vehementius fatigat: magno & periculoso uteri strangulatu sæpe correpta est; in quo & mens & sensus omnes pereunt, & suffocationis vehementia, cervicis, oculorum, & faciei venulæ dehiscunt, ut hinc rubræ maculæ diutius persistant. Viscerum, maximeque jecoris, illæ numerosæ insunt obstructiones, ex quibus sæpe in continuas & in tertiana febres, easque diuturnas, sæpe & in icterum admodum contumacem incidit. Quum tali esset constitutione, annum superiorem totum in otio transegit, nec tamen quidquam detraxit de victu, qui uberrimus esse consueverat. Hinc crudorum humorum, omnisque generis excrementorum ingens proventus, & obstructiones geminatæ, quæ tandem effecerunt, ut mensium hæmorrhoidumque vacuationes parcius, nec stato tempore procederent. Quibus ex causis tandem universum corpus cœpit ingravescere, & quindecim diebus, antequam morbo prehenderetur, mira lassitudine spontanea fatigari. Simul & appetentiam sentit dejici, quam tamen vario obsoniorum genere, variisque gulæ irritamentis conabatur excitare, ut non minus intemperanter quam olim viveret.

Historia morbi & cura. Ab his causis quartana invasit secunda Septembris, ex se ipsa, non ex alio antecedente morbo: sed principiis adeo tenuibus atque obscuris, vix ut à quoquam deprehenderetur. Secunda accessio manifeste speciem exhibuit intermitentis febris, in qua omnis generis vomitiones eruperunt. tunc cœpimus & syrupis, & clysteribus, & tenuiore victu corporis humores præparare. Tertia tamen accessio multo vehementior evasit, tum frigore, tum vomitione, tum suffocatione ex asthmatis permistione, tum jactatione corporis atque siti: Proinde medio accessionum intervallo, & proximo die minoris afflictionis blande purgavimus. Licet autem vacuationes undique & pituitosæ & biliosæ arte sponteque procederent, febris tamen manifeste increvit, habuitque quartam, sextamque accessionem, & acerrimam, & longissimam, ut jam nulla integritas aut intermissio deprehenderetur. Nullus enim sudor unquam erupit, qui accessionem finiret. Quum igitur febris non minus continuæ quam quartanę particeps videretur, ne forte in deteriorem degeneraret, utile visum est venam secare basilicam sinistram, è qua corrupti sanguinis unciæ circiter octo detractæ sunt, magno quidem usu, & facili tolerantia. Nam præter febris continuæ suspicionem, id faciendum suadebant mensium, hæmorrhoidumque suppressio, victus in otio intemperantior, faciei rubor, & venarum ingens & turgens plenitudo, ob quam sanguis è naribus subinde emanabat. Ab eo tempore corporis integritas, & intermissionis puritas major apparuit, sed par fere accessionum vehementia, cum cibi fastidio, & nausea, cum vomitione, & oris amarore. Quæ symptomata, cum nec victus ratione, nec syrupis, nec clystere mitescerent, secundo medicamento, eoque blando purgandam duximus, post accessionem novam. Cæteræ accessiones hinc leviores insequutæ sunt, sensimque decreverunt, ut neque frigus molestum sit, nec calor interpellet. Quocirca toto mense Octobris sola victus ratione idonea, & emollientibus clysteribus occursum est, nisi quod semel, dum gravi nausea & linguæ amarore premeretur, sorbitioni incocti sunt folliculi senæ, & paucis ante diebus ad levem ex destillatione tussim syrupus adhibitus jujubinus.

Quæcunque posthac ad reliquam curationem idonea videbuntur, horum imitatione prudenter decernent ii, quibus id muneris erit commissum.

CONSIL. XLII.

Ad quartanam, destillationi implexam.

Methodus curandi. QUUM multis ac variis affectibus, fereque assidua destillatione jamdiu conflictaretur generosus dominus Cathalaunensis, censuimus non soli quartanæ febri, qua torquetur, sed aliis quoque implicitis affectibus succurrendum: quod his præsentibus ægre possit quartana febris profligari, quodque ea profligata variis nihilominus querelis futurus sit obnoxius. Itaque omnibus qua licuit animadversione æstimatis, duximus non differendam, sed summa diligentia suscipiendam curationem; quæ tum medicamentis, tum victus ratione, & veteres morbos, & hanc vitiosam corporis constitutionem immutet.

Diæta. Victus ratio prorsus sicca sit & attenuans, moderateque calida, ut hunc frigidum mucosumque habitum emendet. A sorbitionibus prorsus abstinendum, à liquidis omnibus, ab elixis carnibus, à piscibus, à caseo, à fructibus, ab immoderato potu. Carnibus vescendum euchymis, hisce omnibus assis, aut perraro elixis, quas tamen si volet condimentis intingat ex pipere, gingibere, cinnamomo, nuce moschata, interdum & sinapi. Vinum generosum sit ac minime vaporosum, album, aut subrubrum, tenue, non supra modum dilutum, quo & parce utetur in pastu. Exercitatio subeunda mane, eaque multa & valida, dum corpus incalescat, aut fatigari incipiat, à qua frigus sedulo vitetur. A somno experrectus diu multumque fricetur linteis siccis, aut asperis, aut interdum sicca manu.

Purgatio. Medicamentorum sed blandorum frequens sit usus, & quæ crudos noxiosque humores sensim nullaque vi detrahant. Alvus sæpe clystere solicitetur, qui in decocto emollientium habeat Hieræ simplicis, Diaphœnici. an. ʒvj. Mellis anthosati ℥ij. A olei Rutæ & Anethi an. ℥jß. Sexto aut octavo quoque die pridie accessionis dentur catapotia, quæ constent ex pulvere hieræ simplicis, rheubarbari, aloës, & agarici, quæ paribus portionibus malaxantur ex syrupo absinthii, sumatque pro dosi ʒj. vel ℈iiij. Nonnunquam vice pilularum purgetur hoc syrupo. ℞ Radicum Apii, Petroselini, Fœniculi, & Capparum, Polypodii quercini, seminis Carthami, an. ℥ß. Agrimonii, Betonicæ, Hyssopi, Origani, Lupuli, Ceterach, Thymi, Epithymi, an. mj. seminis Anisi, Fœniculi, & Melonum an. ʒj. ß. Fiat decoctio ad ℥xv. B In qua infunde per noctem foliorum Sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ℥ij. Gingiberis ʒij. Bulliant mane parum, & fiat expressio, in qua dissolve Sacchari albi ℔j. Paretur syrupus coctus ad perfectionem, & non clarificatus: capiat uncias duas pro dosi, cum aqua buglossi, vel altera convenienti. Convenit interdum illo dissolvere expressionẽ ʒj. Rheubarbari electi, infusi in vino albo, ut sensim genus omne humoris separetur, vacueturque. Ita igitur istorum usus continuandus est alternis diebus, ut vix ulla prætereat, quin pridie vel clyster, vel pilula, vel syrupus adhibeatur.

C Præparantibus syrupis non admodum fatigandus est Dominus laborans, sed omnis præparatio idonea victus ratione tentanda. At quoniam interdum per accessiones bibendi necessitas urget, loco ptisanæ, aut aquæ hordei, vel alterius potus refrigerantis, & compingentis humores, propinandum est oxymeli simplex Galeni, aut syrupus acetosus, aqua multa dilutus: sed tamen parcus potus apprime utilis est, omnemque morbum breviorem occupat, revocatque ab humorum coctione. *Præparatio.*

CONSIL. XLIII.

Ad quartanam Diarrhœa implexam.

Causa. QUartana febris simplex esse non potest, neque ex solo succo melancholico originem habere, sed ex flavæ bi- A lis permistione. Illius exuperantia primum vomitiones concitatæ sunt, quumque illac tota expurgari non posset, tandem irrupit in

in alvum, peperitque recte appellatam diarrhœam, quæ vel tenesmum, vel dysenteriam minatur. Hanc comitatur dejecta appetentia, magna corporis extenuatio, & virium imbecillitas; quæ omnia symptomata sunt sævientis bilis flavæ.

Methodus curandi. Quum autem ab his omnibus graviora mala laboranti, quam à quartana febre impendeant, illis primum & maxime succurrendum, febre tamen non omnino neglecta. Itaque alvi profluvium sedandum est, non his, quæ omnino adstringunt & cohibent, ne forte hinc febris invalescat, sed his quæ calidam jecoris intemperiem emendant, simulque appetentiam & vires restituunt.

Cura medicamentis, Clysteres anodyni descripti, qui impendentem dysenteriam arceant frequenter immittantur: quibus tua eruditio aut mucilaginem cydoniorum, aut amylum, aut farinam fabarum adjiciet, cum necessitas exposcet. In siti quoties sine cibo bibendum erit, ex usu erunt syrupus de limonibus, & oxysaccharum simplex, Syrupus de agresta, atque his similes aqua multa diluti: Interdum grana mali punici, aut succum citri, vel medicum malum offeres; quibus etiam, vel omphacio, omnis cibus intingi, macerarique potest, ut his, & victu refrigerante accommodato, & humectante, bilis fervor mitescat, & jecoris intemperies servato ipsius robore emendetur. Hordeatum ex amygdalino lacte & saccharo rosaceo sumtum quotidie mane, horis saltem quatuor aute statam prandii horam, summas vires obtinet. Extrinsecus jecori vel epithema refrigerans atque corroborans, vel cerotum santalinum imponendum est, idque diu gestum. Præter hæc (si vires permittant) tantillum rheubarbari ex justis intervallis propinandum: mallem autem pondus drachmæ unius in substantiam, quam dilutum offerre.

Diæta. Si sub his remediis diebus circiter quindecim symptomata non satis mitescant, vinum omnino circumcidendum erit, & alius quivis potus offerendus. Multos quippe hoc anno expertus sum non potuisse à similibus symptomatis, & à quartanâ febre vindicari, nisi prius detracto vino; hisque vires firmiores erant aquæ potu, quam vini.

CONSIL. XLIV.

Ad lienis tumorem.

Causa. SYmptomata quæ narrantur docent lienem jamdiu male affectum fuisse, licet fortasse nec tumor, nec dolor deprehendatur: sed & dolor ille scapulæ affecti lienis soboles est, qui membranas distendens ac divellens sæpe deprehensus est ejusmodi dolorem inferre, quemadmodum & inflammato jecore dolor ad jugulum pertingit. Affectus uteri ortum habuisse videtur à lienis impuritate, eo sensim se ex purgante, sed quæ uterum ipsum tandem contaminaverit, & acrimonia sua (vesicæ ac uteri) ipsius cervicem exusserit. Quæ causa est ut viri congressum non admittat laborans: itaque impuritas illa lienis sensim cumulata, ac tandem computrescens incaluit, & tumorem cum symptomatis supradictis peperit.

Morbi species. Hic autem tumor, etiamsi calore molestus sit, phlegmone tamen non est: multo certe minus abscessus, quod viscus his minimum opportunum sit.

Cura: Porro tumor ille nulla alia via, quam per alvum eximi potest: illac vero derivabitur syrupo, qui constet ex buglossæ, boraginis, fumariæ, summitatum lupuli, &c. cum folliculis sennæ & rheo. Diebus interjectis alvus emollietur clystere ex decoctione emolliente, cum uncia semis catholici, & unciis tribus mellis. Ut emolliatur tumor, fiat fotus emolliens, & corroborans ex malva, viola, parietaria, summitatibus aliquot lupulorum, radicum capparum, rosarum rubrarum, betonicæ: bulliant in aqua, addendo parum aceti. Item potest fieri illitus ejusdem virtutis. Non admovenda sunt suppurantia, quod in jecore & liene abscessus omnis exitialis sit. Vino interdicatur, utatur syrupo & acetoso & capillari.

CONSIL. XLV.

De Melancholia Hypochondriaca, pro Domino de Maligny.

Morbi signa ILlustrissimum atque prudentissimum virum Dominum de Maligny audio multis variisque symptomatis obsideri, hisque gravibus & metuendis, sed quæ omnia in unius ejusdemque affectus significationem concurrant. Hęc licet paucis ante diebus, & æstate supra modum fervida vehementius excanduerint: multo tamen jam tempore, originis suæ prima quidem rudimenta habuisse videntur. Mœstitia & metus citra occasionem Domino frequens, solitudo, alta gravisque cogitatio, somnus turbulentus, spectris variisque terriculamentis molestus, omnia quidem melancholiam esse denuntiant, non eam certe primariam, quæ solius cerebri vitio fit: sed alteram quæ præcordiorum sympathia suscitatur, & quam idcirco hypochondriacam solemus nuncupare. Hujus enim manifestum indicium ex eo tumore est, qui circum lienem & pancreas animadvertitur.

Causa. Ejus vero continentem causam non existimem eam esse naturalẽ melancholiam, quæ fæx est sanguinis, sed alteram retorridam, quæ ex præassata bile citrina progignitur, & quam peculiari nomine bilem atram dicimus. Hæc siquidem jam multo tempore sensim in præcordiis congesta, illic plerunque exæstuare percipitur, tumque malignos de se vapores effundit, qui in diaphragma impulsi, spiritum quodammodo intercipiunt, & offendunt. In cor vero validam ejus palpitationem, atque interdum syncopen: si eos interdum in cerebrum attolli contingat, allucinationes fiunt delirio proximæ, atque hæ cum quodam timore & tristitia. Quibus ex causis D. laborans quasi animo perculsus sibi multum diffidit, & vix ad salutis spem erigi potest. Itaque palpitationis cordis atque syncopes causa non in corde, aut pericardio, sed in solis præcordiis constituenda est, è quibus teter hic vapor per multiplices arterias sublatus cor appetit, hæcque mala profert omnibus fere hypochondriacis communia. Quinetiam si diligentius tractetur, prematurque sinistrum hypochondrium, qua in A umbilicnm divergit, non admodum dissimilis palpitatio illic, ut opinor, quam in corde deprehendetur: ambarum enim una est origo. Adhæc ructus flatulentus, rugitus, nausea, expuitio frequens, & alia crudioris ventriculi signa, hypochondriacis omnibus communia sunt, & ex atræ bilis conditione profecta. Causę autem evidentes & prægressæ sunt, quod illustris Dominus natura supra modum biliosus, curis, gravibusque cogitationibus, victu calidiore, nec satis temperante, magnum flavæ bilis proventum cumulavit, qui & illi quandam icteri speciem protulit. Tandem vero non expurgata tempestive, hisdem causis perseverantibus, in atram bilem B concessit, quæ nunc omnium prædictorum malorum continens est proximaque causa.

De Prognostico certe hoc licet dicere, *Prognosticum.* quod licet malum hoc, syncope aliisque symptomatis grave sit, & plenum terroris, curationem tamen admissurum sit, hac præsertim laborantis ætate, & hoc virium robore, maxime vero si medicorum consiliis æger pareat & obtemperet: alioqui si hæc aspernetur, vel syncope, vel exolutione virium tolletur, vel rapietur in furorem, quem maniam appellant; vel si hæc evadat, vix tandem hydropis incommoda devitabit.

Hęc quidem multa atque varia existunt, *Cura.* C quorum omnium tota curatio in duobus præcipue posita est: unnm, idque maximum, ut interior causa, quam bilem atram esse diximus, prorsus extirpetur: alterum, ut syncope, aliaque gravia accidentia tantisper arceantur, dum perficieiur curatio.

Causa ea licet tam copiosa sit, ut pene *Purgatione* laborantem obruat, cum tamen vires supra modum languidæ sint, & symptomatum sævitia premantur, sensim ac pedetentim subtrahi debet, ac ea moderatione, quam imbecillæ vires facile tolerent: in id autem accommodatissimum fuerit apozema hujusmodi. ℞ Radicis Buglossi, Oxalidis,

lidis, & Cichorii ℥ß. Agrimonii, Cuſcutæ, Ceterach, an. mj. foliorum Sennæ mundatorum ℥jſ. Fiat decoctio ad ℔j. Addendo ſub finem trium florum cordialium an. p. j. In colatura infunde Rheubarbari electi ʒiij. Cinnamomi ℈iiij. In expreſſione diſſolve ſyrupi Violati ℥ij. Paretur apozema non clarificatum in tres doſes, capiat diebus alternis, mane horis ſaltem quatuor ante cibum. Apozematis hujus ſuavis atque blandi tutiſſimus uſus erit, neque medicamentum ullum valentius erit propinandum, ſed hujus continuatione, citra ullam virium offenſionem, tota mali cauſa ſenſim detrahetur, ſenſimque vires vegetiores evadent. Hoc abſoluto quatriduum quieſcat D. laborans, injecto tamen levi clyſtere detergente, ſi forte ſubſiſtat alvus. Dein vero id ipſum repetatur ea, quam dixi, ratione, & ſemper viribus æſtimatis, & facili ægri tolerantia.

Præparatione. Diebus interjectis, & quibus æger non purgabitur apozemate, offerendus erit ſyrupus ad humorum preparationem & ſymptomatum ſedationem, qui hujuſmodi fuerit. ♃ Succorum depuratorum bugloſſi, boraginis, oxalidis, fumariæ, pomorum redolentium, & granatorum, an. ℥ij. Sacchari albi ℔ſ. Fiat ſyrupus mediocriter coctus, capiat bis in die ℥ij. pro doſi, cum pari portione aquæ decoctionis hordei, horis ſaltem duabus ante cibum. Sic igitur duo hæc remediorum genera alternanda erunt, ut hoc uno die, illo vero altero utatur.

Roboratione, In intervallo autem (quod quatuor ſexve dierum eſſe oportere dixi) bis in die hac utetur confectione quæ vires recreet, & humoris acrimoniam ſymptomatumque vehementiam retundat. ♃ Conſervæ bugloſſi ℥j. Conſervæ roſarum, Corticis citri conditi, an. ℥ſ. Raſuræ eboris ʒj. Oſſis è corde cervi, Guajaci electi an. ʒſ. Margaritarum ſplendidarum, Xyloaloës an. ℈j. Corallii rubri, Cryſtalli tenuiſſime pulverizati an. ℈ſ. Sacchari albi qſ. Fiat conditum foliis auri coopertum. Capiat cochleare unum, ſeſquihora ante paſtum, & ſuperbibat parum vini diluti. Huic interdum permiſceri poterit portio quædam, velut quadrans, confectionis Alchermes: quanquam ejus ut omnium calidorum uſus in hoc affectu (ſi quo in alio) vehementer ſuſpectus eſt. Nihil enim morbum hunc ejuſve ſymptomata æque exaſperat, atque vel alimentorum, vel medicamentorum calidorum uſus. Quocirca ſubſiſtendum eſt in his, quę dixi, remediis, neque ad calidiora aut vehementiora citra perniciem, aut ſaltem jacturam tranſiri poteſt. Erit autem eorum quatuor, quę dixi, uſus continuandus: Apozematis, Syrupi, Clyſteris, atque Conditi, ea quam dixi ratione, dum plane ſibi reſtitutus videatur æger.

Venæſectione. De venæ ſectione dicendum: Hanc quoque ſumme profuturam, ſi tempeſtive & convenienter fiat. Multus enim ſanguis continetur atque coercetur in venis fervidus & torrefactus (etiam ſi aliud urinę ſuadeant) qui refrigerari atque ventilari poſtulat: neque veteres quidquam ſalubrius aut præſtantius hoc ſubſidio aut curatione protulerunt. Itaque poſt apozematis tertiam purgationem, ſi vires recreatæ ſatis aut conſtanter apparebunt, ſanguis audacter mittatur ex media aut interna cubiti vena, idque ad octo decemve uncias, niſi forte vires concidant, quod tamen rarum eſt: Sæpius enim onere depoſito exſurgere & ſuſcitari vires deprehenduntur.

Symptomatum ſedatio. Vere quidem ac proprie ſymptomata omnia deſinunt, cum percuratus morbus fuerit. At nihilominus ſi per ipſam curationem vehementius illa urgeant, lenienda erunt peculiari remedio, maxime cordis palpitatio & ſyncope. Quoties igitur horum alterutrum exiſtit, frictiones ventris, lumborum, & crurum fiant, deorſum verſus, ut revulſio fiat vaporis ſurſum irrepentis. Ampla quoque cucurbita affigetur imo ventri ſine ſacrificatu. Alvus ſi ſubſtiterit, balano proritetur. Cordi & ſiniſtro hypochondrio epithema inducatur hujuſmodi. ♃ Aquarum ſtillaticiarum plantaginis, Roſarum, Portulacæ, Bugloſſi, Meliſſæ, Cardui benedicti, Aceti, an. ℥ij. In his diſſolve trium ſantalorum, Roſarum rubearum pulverizatarum, carabes an. ʒiij. Trochiſcorum de camphora ℥ſ Paretur epithema, adhibeatur tepidum. Ore vero ſumat ſuccum mali punici acidi, quo nihil eſt ad hujuſmodi ſyncopas pręſentius. Hujus penuria ſuccum mali citrii aut medici, aut baccarum oxyacanthæ.

His enim tum vaporis tum humoris noxii acrimonia & malignitas obtunditur, contra vero proritatur calidis: si tum temporis libeat conditi præscripti momentum dare, non parum ad id conducet.

Diæta. Non parvam tum ad curationem, tum ad symptomatum sedationem vim obtinet vivendi ratio, sine qua vix quidquam fiat commendatione dignum. A cibis calidis & à fervidis omnibus tanquam adversissimis vel Galeni consilio prorsus abstinendum, quod & ipsum mali totius fomitem augeant & symptomata proritent. Cibis igitur vescendum frigidis & humidis, B etiamsi ventriculi cruditas hos dehortari videatur, ut carne vitulina, hœdina, capis, pullis gallinaceis, & columbinis, hisque elixis, cum lactuca, portulaca, acetosa, & boragine, potius quam assis: aut si fortasse vel etiam perdicum, vel avicularum assarum esus delectabit, intingantur succo aliquo refrigerante, & adstringente, ut oxalidis, omphacii, mali punici, vel medici, vel etiam aceto. His enim humor obtunditur, & arcetur syncope, ut saccharatis exasperatur. A salsis & aromaticis abstinen- C dum. Panis nec salsus, nec nimium sit fermentatus, vinum subrubrum sit, subausterum, ac modice adstringens, ut os ventriculi roboret, arceatque animi defectionem, aqua multa dilutum, ne vapores promoveat. Vinosum, album, tenue, vaporosum, fugiat, ut infensissimum: imo etiamsi à vino abstinere aliquando placeret, ac pro potu vel succo granatorum ex aqua, vel decocto baccarum oxycanthæ, aut cerasorum A acidorum arefactorumque, (quæ plerique in alios usus asservant) uti, nihil magis ad curationem conduceret. Hocque uno remedio complures convaluerunt. Omnino autem parce bibendum, quod nimia humoris fluctatio, & rugitus, & flatus, & expuitiones, & cruditates augeat. Bis die cibum sumere, idque parce & tenuiter, satis sit, hora nona matutina, & quarta pomeridiana. Nocte vero media utilissimus erit hordei cremor amygdalino lacte exceptus, ut qui summe vaporis & humoris ferociam compescit. Interjectæ vero horæ, nec cibo, nec potui, sed his quæ dixi remediis accommodentur, deputenturque. Omnis tum corporis tum animi perturbatio vitanda, ut ira, excandescentia, curæ, graves cogitationes: deinde etiam corporis motus validior, qui palpitationem infert, ut ne ad desidendum quidem seu sponte, seu medicamentorum vi desurgat, sed aut pelvi aut linteis subditis alvi onus excipiarur. Aër frigidiusculus salubrior calido & æstuoso, & Aquilonia constitutio tutior Austrina. Neque loco concluso, sed liberiore continendus est æger, & patefactis fenestris sæpius expurgandum conclave. Sub curationis finem cum jam D. laborans prodire incipiet, balneum aquæ dulcis apprime conducet, non quo proliciantur sudores, sed quo jamdiu calefactum corpus refrigeretur, arefactumque humectetur.

Hæc præcipua sunt totius curationis præcepta, quorum imitatione de cæteris, quæ fortasse intervenient, statui facile possit.

CONSIL. XLVI.

De Melancholia hypochondriaca.

Causa. SYmptoma quale expositum est, hypochondriaca est melancholia, jamdiu confirmata in ea ætate, quæ illi maximè solet esse opportuna. Facta est autem ex bile retorrida, quæ sensim multoque tempore circum præcordia cumulata est: & quam natura nec per alvum, nec per vomitionem tempestive expurgavit. Ea ventriculi concoctionem sic offendit, ut eorum, quæ assumuntur partem maximam vertat in flatus, qui & ructu & distentione plurimum A fatigant. Sed ex eo humore adusto ac retorrido, vapor nebulæ similis crebro sursum irrepens in cerebrum, metum, mœstitiam, variaque terriculamenta, & visorum ostenta parit: excurrens vero in corpus universum, multos movet dolores, qui tamen mox desinunt.

Reliqua affectus ratio hac debet curatione compleri. ℞ Buglossi, Boraginis, Melissæ, Betonicæ, Pimpinellæ, Lupuli, Cuscutæ, Ceterach, Endiviæ, an. m. j. Radicum *Cura purgatione.*

cum Cichorii, Polypodii quercini, Passularum mundatarum, an. ℥ß. Quatuor seminum frigidorum majorum an. ʒj. Florum cordialium, Epithymi, an. p. j. Fiat decoctio ad ℥xv. In colatura infunde foliorum sennæ mundatorum ℥iij. Agarici albi ℥ij. Gingiberis ʒij. Bulliant parum, & fiat expressio: in qua dissolve sacchari albi ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus non clarificatus. Capiat sexto quoque die ℥ij. pro dosi cum aqua decoctionis hordei. Utile sit ex eadem herbarum materia syrupum componere laxativum: quo mane quotidie jejunus utatur, ad humoris vacuandi præparationem: si quando tamen alvus adstricta fuerit, diebus interjectis hoc molliatur clystere. ℞ Malvæ, Violariæ, Parietariæ, Althææ totius, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, Absinthii, Origani, an. m. j seminis Anisi, & Lini an. ℥j. Fiat decoctio ad ℔j. In colatura dissolve Catholici ʒvj. Mellis rosati, & anthosati an. ℥j. Olei communis ℥iij. Fiat clyster.

Sedatione symptomatum. Corpore ita blande quater quinquiesve purgato, continuet sequens conditum. ℞ Conservæ Buglossæ & Violarum an. ℥j. pulveris electuarii lætificantis Galeni ʒj. rasuræ Eboris & cornu Cervi an. ℈ij. Margaritarum electarum ʒß. Sacchari albi quantum satis. Fiat conditum, capiat cochlear unum mane & per horam ante cœnam.

Cum jam morbus aliquantum inclinare videbitur, & symptomata omnia mitiora apparebunt, maxime vero sub finem hiemis, apprime utiles erunt balneæ dulcis aquæ potabilis, in quibus jejunus diu sedeat, easque continuet circiter dies decem aut duodecim. Sint autem eo tempore; ut neque sudorem, neque calorem manifestum excitent, neque corpus exagitent, sed duntaxat quadam refrigeratione humectent. Interea vero quotidianæ corporis totius frictiones ex usu erunt, atque tum præsertim cum accessiones urgebunt.

Diæta. Victus omnino humectans sit, atque refrigerans: in quo prorsus à calidis abstinendum, maximeque à vino vinoso aut meraco: nam summe dilutum bibendum est, idque parce, quod multa fluctatio flatus ructusque augeat. Convenient sorbitiones in quibus refrigerantes herbæ incoxerint. Hordei quoque cremor est accommodus, & alimenta omnia quæ similis sint facultatis: à curis & negociis tractandis prorsus abstineat: à feriis arcendus, & venatione, & aëre libero.

CONSIL. XLVII.

Destillatio, cum Melancholia.

Historia morbi. NObili huic viro crebro destillatio modo in cervicem, modo in scapulas & brachia, modo in dorsi posteriora procumbit, sed his multo gravius symptoma illum exercet, quod melancholia est Hypochondriaca. Nam ex quo à quartana febre vindicatus est, sinistri hypochondrii dolore prehensus, ita demum in hunc usque diem lienis affectu distortus est, ut in sinistrum latus decumbere nunquam licuerit: hinc ventriculi concoctio contagione offenditur. Diu multumque appetentia prostrata est. Ructus suscitatur plurimus, & saliva multa per gulam in os exurgit. Hinc allucinationes, & somniorum terriculamenta. Metus quoque & mæstitia, & rusticus quidam pudor, & falsæ absurdæque rerum mœstarum imagines.

Curatio ℞ Radicis graminis, Petroselini, Fœniculi, Apii, an. ℥ß. Buglossi, boraginis, Lupuli, Agrimonii, Ceterach, Cuscutæ, Adianti, Capilli veneris, Hyssopi, Origani, an. m. j. Seminis endiviæ, Cuscutæ, & Melonum, Glycyrrhicæ rasæ, an. ʒij. Florum Cordialium, Epithymi an. p. j. Fiat decoctio ad ℥xv. In colatura infunde per noctem foliorum sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ℥ij. Turbith conquassati ℥ß. Gingiberis ʒij. Mane bulliant parum, & fiat expressio, in qua dissolve sacchari albi ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus. Capiat semel in hebdomada ℥ij. cum aqua decoctionis buglossi. Semel vero in mense, & maxime ultima quadra Lunæ, ut destillationis materia purgetur, addes prædictæ dosi Diaphœnici ʒjß. *Purgatione.*

Corroboratione. Diebus interjectis partes omnes principes, maximeque lienem corroborabis hoc ele-

electuario. ℞. Pulveris electuarii lætificantis Galeni, Rasuræ eboris an. ʒj. Pulveris electuarii diamargariti frigidi, & triasantali an. ʒß. Sacchari albi dissoluti in aqua buglossi ℥iiij. fiat elect. per tabellas ponderis ʒiij. ℞. Olei liliorum, & de capparibus, Mucilaginis althææ extractæ in aqua buglossi, an. ʒvj. Ceræ parum. Fiat linimentum. Item Gummi Ammoniaci dissoluti in aceto forti ʒj. Radicis arthanitæ, & ireos Florentiæ an. ʒß. emplastri de mucilaginibus & de meliloto an. ℥j. Fiat emplastrum pro splene.

A Si malum contumacius perseveret, secanda vena interior cubiti sinistri, vere proximo, si nihil dehortabitur.

Diata. Victus imperandus est boni succi, & tenuis, qui in frigidiorem aliquantulum divergat. Nam calida omnia idcirco adversissima, quod atram hanc bilem ex flava præassata genitam exacuant, sicque materiam geminent, graviora symptomata suscitent. Itaque & salsa omnia, & piperata, & sinapi, & vinum generosum, meraciusque vitandum. Hisce vero contraria deligenda. Anno 1551. mense novemb.

CONSIL. XLVIII.

Literæ D. Melini medici ad D. Fernelium, De sanguinis missione in pruritu.

QVÆ negociorum tuorum sit magnitudo, quæ item molestiæ, non ignoro. Omnes enim, qui graviore aliquo morbi genere laborant, ad te non aliter quam ad Æsculapium quendam confugiunt: quæ res fortasse alium à tuo congressu deterreret. Ego autem, qui etiam novi, quanta illâ sit ingenti fœcunditas, quanque sit tibi facile de quavis quæstione proposita in re Medica respondere, tum etiam novi istam morum facilitatem cuivis fere expositam: non sum passus diutius scrupulo me illo angi, de quo proximis literis ad te. Quem mihi eximere, facilius fuerit tibi, quam mihi eximendum offerre: quod ut jam facias, te etiam atque etiam oro.

Historia morbi. *Hyeme superiore incidi in lassitudinem ulcerosam sponte, quam ni fallor practici pruritum appellant. Leni pharmaco paulo post lienem & hepar exoneravi. Ab eo tempore variis partibus exanthemata extiterunt sicca admodum, & fixius hærentia, quæ si erodebantur, ut scabendo contingit, sanguis nigrior & crassior inde erumpebat. Tandem furunculus inferiorem tibiam dextram occupans, tum herpes miliaris, animum exuscitant ad majora præsidia quærenda.*

Cura. *Hic vero venam aperio, & ℥iij. tantum sanguinis plus minus educo, & catholico, senna, confectione hamech, interdum addito rheubarbaro, bis terve ab usu seri lactis, prunorum, tamarindorum, & hujusmodi satis longo, ventrem solvo. Hac ratione paucis topicis adhibitis à morbo revalui. Quanquam etiam octavo posthac die à venæ sectione venam iterum aperui basilicam, & circiter ℥ij. sanguinis plus minus effluere sivi.*

Rationes pro venæ-sectione. *Chirurgus autem quem mea causa Claudius Lavallus Regis Christianissimi legatus vocaverat, & medici, in ea erant sententia, sanguinem multum esse vacuandum. Eorum ratio hæc erat: sanguis est admodum vitiosus, ætas & vires aut vigent, aut à vigore non ita procul absunt. Præterea hunc sanguinis vacuandi modum quotidie usurpamus, & quidem feliciter.*

Contra venæ sectionem. *Sed ego Galeni sententiam sequutus lib. I. Sanitatis tuendæ, ubi de spontinis languoribus ulcerosis, de pruritu, & scabie differit, vel nullum, vel certe perpaucum sanguinem mihi esse vacuandum contendebam, id revellendi causa potius quam vacuandi. Ita enim inquit,* ubi paulum vel citra sanguinem restitum, vel ultra processum est, audacter mittendus sanguis: *quem Galeni locum ita interpretor, ubi sanguis coctione diminuta paulum, aut aucta, factus est paulo crudior, aut biliosior, tum ipsum vacuare abundanter nullus timor esse debet. At in me nulla extabant signa in urina, quæ cruditatem indicare Galenus paulo ante dixerat. Præterea hyeme superiore sæpius cibum semel die tantum sumsi: cruditas igitur exigua illa mihi detrahere sanguinem abundantius non suadebat. Adhæc sanguis in me non est paulo aut nimio biliosior, vel atra bile multum impurus: id quod arguit, & temperies, & ætas jam inclinans, & color totius corporis ex flavo plumbeus, acti labores, curæ & longa studia literarum. ergo sanguinem mittere non debueram. Nam & Galenus statim superiori periodo addit;* Ubi plus, consideratius agendum: Ubi plurimum, in his nullus omnino mittendus est. *Mox quoque ait:* inspicere vero & quantitatem conveniet: ut verbi gratia; Si bonus sanguis

guis exiguus ſit, reliquus vero ſuccus plurimus; utique in his abſtinendum à detractione ſanguinis eſt. Sin is quidem exiguus, ſanguis vero copioſus, audacter incidenda vena eſt. *Hæc Galeni ſententia mirum in modum in hunc uſque diem me afflixit. Siquidem dum ſanguis defluit impurus, craſſus, ac niger, aut aliter vitioſus, Chirurgi ac Medici complures largiſſime ſanguinem detrahunt: quum vero purus ac floridus, contra: niſi in venis plethora ſubſit, quod feliciter id remedii genus uſurpari quotidiana docuerit experientia. Quare aut alia eſt nunc curatio laſſitudinis ulceroſæ ſponte natæ, quam ſeculo Galeni, (quod ſane verum eſt, ſi mentem referas ad ea, quæ de frictione mediocri, tarda, & quiete interrupta, id eſt* ἀποθεραπείᾳ *dicuntur à Galeno: item de balneis & oleis, & cæteris id genus) aut homines citeriores Æquinoctiali majorem ſanguinis vacuationem ferre poſſunt, quam troptores Æquinoctiali.*

Non ſum autem neſcius, te diſtineri variis & magnis negotiis: ſed idem etiam non ignoro, ſi mihi quadrantem horæ voles concedere, nullo negotio me hac moleſtia liberabis, aut potius explicabis.

Reſponſum D. FERNELII, *ad* DOMINUM MELINUM: *ſuper quæſtione propoſita.*

De Galeno judicium.

INcidiſti obiter in ſubtilem & arduam dubitationem, quæ omnium fere torſit ingenia, qui Medicinam facturi ad artis operam & uſum ſe contulerunt. Ea autem è Galeni ſcriptis emerſit, quorum tanta eſt varietas, tanta inconſtantia, tanta plerunque diſcordia, vix ut quiſquam illius hac de re ſententiam hactenus ſit aſſequutus. Sed neque is, ſi quid judico de hac controverſa quæſtione, quiddam firmum ac conſtans ſibi unquam animo ſtabilivit: quippe cum ad meditationem potius, quam ad medendi rationem omnem vitam contulerit. Non interpretis munere hoc loco fungar, nec auctoris ſententias è diametro contrarias conciliare contendam: ſed quid uſu longo quaſi comprehenſum teneam, rogatus, paucis theorematis exponam, quę hunc tibi injectum ſcrupulum penitus eximent.

Quæſtionis ſolutio in plethora,

Vaſorum omnis plenitudo venæ ſectione demenda. Nam quæ pura eſt plenitudo, & proprie plethora appellatur, hoc unico remedio tollitur: impura vero quæ multa eſt cachochymia, licet purgatione quodammodo minui poſſit, nec tamen tuto, nec celeriter. A ſecta vena protinus pericula vitantur ex plenitudine impendentia, nulla virium offenſione. Itaque quoties bene habitum corpus occurret, idque venis amplis, & multo ſanguine turgentibus, venam audacter incides: atque ſi ſanguis purus apparebit copioſus, detrahes; ſin vero impurus, parcius, ac reverentius, ex intervallis detrahendo, quam univerſim & affatim vacuando. Sublata A plenitudine præcipiti atque periculoſa, reliqua impuritas & cacochymia purgatione eximenda eſt.

Cacochymia.

At venarum impuritas pauca, quæ nuncupatur cacochymia ſine plenitudine, non venæ ſectionem, ſed purgationem expoſcit. Hæc enim peccantem cacochymiam, illa vero non ſolum cacochymiam, ſed omnes humores æquabiliter, & plenitudinem quæ tum nulla eſt, ſubtrahit, magna virium jactura. Sed tum maxime incommodat venæ ſectio, cum cacochymia è jecoris B aut ventriculi vitio (quod fere fit) contrahitur, ut in ictero, in cachexia, in leucophlegmatia. Nam detracto ſanguine, licet impuro, impurior multo ſuccedit. Hæc ſatis opinor quæſtionem tuam diluent, quæ multo tamen explicatius opere proprio tradita ſunt. Omnia his quidem conſentiunt quæ tu ex lib. 4. de ſanitate tuenda protuliſti.

Loca Galen. hic contraria.

Qui diverſæ ſunt ſententiæ, id ſequuntur, quod jubet Galenus tertio de locis affectis. In melancholia cubiti ſiniſtri venam C mediam tundere, ſanguinemque copioſum detrahere, ſi craſſus ac niger is effluat, cohibere vero ſi purus ac tenuis, & quod undecimo Methodi ait ſaluberrimum eſſe in omnibus febribus ſanguinem mittere, quas putridus humor accendit. Quodque primo artis ad Glauconem venę ſectioné permittat in quartana, & libro de venæ ſectione non minus morbos è cacochymia, quã ex plenitudine ortos venę ſectione, curet. Sed hęc diluũtur, à nobis fulcitur-

citurque prior sententia in libello cui titulum fecimus, De vacuandi ratione. Pluribus non ago, variis negotiorum occupationibus varie districtus. Vale.

CONSIL. XLIX.

Pro D. Malvenda, Imperatoris Caroli V. Theologo, Cachexiæ curatio.

Morbus. MAxima est eorum, quæ proposita sunt, symptomaton permistio, sed tamen tanta est series atque connexio, ut omnia ex eodem quasi fonte derivari putem. Capitis gravitas, auris dextræ tinnitus, oculorum suffusiones, & scotomata, incipiens vertigo. Non satis firma in labore & literarum studiis constantia. Omnia quidem sunt symptomata atque indicia mali affecti capitis & cerebri. Hoc vero, non sola sympathia, & inferiorum partium consensu, verum etiam proprio affectu teneri, indicant symptomaton perseverantia, totiusque morbi diuturnitas: quandoquidem necesse est caput ex subjectarum partium habitu & humore nonnihil in se proprii vitii tempore contraxisse. At vero difficilis tardaque concoctio, mictus frequens, nausea, leviusculæ animi defectiones, ad ventriculum, maximeque ad ejus os superius referuntur ac pertinent. In quo & cujusdam doloris sensus contactu deprehenditur. unde profecto perspicuum esse potest, ejus tunicas multo humore, eoque vitioso infarctas esse. Adsunt & non pauca signa male constituti jecoris, quod impense calidum, multis adhuc annis opportunum fuit gignendæ bili. Hæc aliquando vomitione erupit, non sine animi defectione: eadem in os effusa plerunque amarorem induxit: eadem aliquando coercita & putrescens febres peperit, quales audivimus. Istius bilis crassescentis, cruditatumque copia, jecur obstructum primum est: demum & tota illius substantia multa illuvie perfusa, in tumorem jam attollitur: qui si nulla ope diutius perseveret, in scirrhum abiturus est.

Ejus causa. Primum itaque mali fontem in jecore constituimus, è quo jam pleniore vitiosus humor in lienem, in pancreas, in mesenterium, in ventriculum, in aliasque vicinas sedes redundat. quas copia turgere, & contactu, inde deprehenditur, quod levissimo quoque medicamento plurima ab alvo detrahuntur.

Prognosticum. Illis autem partibus sic se habentibus, cum non solum caput, verumetiam reliquum corpus omne, ut jam languidum, non satis firma sit valitudine, est tandem futura cachexia, & ab hac hydrops, nisi diligenter prospectum sit. Hæc sunt quæ impendere video, sed quæ tamen præcaveri possunt, quemadmodum &, quæcunque genita jam apparent, curationem tempore sunt admissura.

Cura. Debet autem curatio blanda & lenis adhiberi, ut sensim, multoque tempore & otio ea evellat, quæ jamdiu radices egerunt.

Diæta. Debet & summa victus observatio haberi, in qua cibi deligantur, boni succi, qui minimum sint excrementitii, nec multum impleant, sed exigua mole vires sustineant, ut eorum usu natura haudquaquam distrahatur & revocetur ab humorum vitiosorum concoctione. Itaque carnes sint teneræ, molles; quales juvenum animantium, & avium, quæ dumeta & montes, non autem aquas incolunt. Omnes quidem assæ potius quam elixæ, ex capparibus, vel alio condimento præparatæ. Juscula & sorbitiones, quæcunque multum implent, circumcidantur. Itemque pisces, nisi qui firmiore sint carne; nec tamen ova incommodabunt. Fructus omnes noxii præter uvam passam, dactylos, amygdalas, & cotoneorum conditum: horum usus erit postrema mensa. Potus erit vinum album, nec dulce, nec acerbum, quale vobis est Rhenense, quod nec picatum, nec sulphuratum sit: aut fulvum aut subrubrum tenue, utrunque aqua multa, eaque pura dilutum, ut parva copia sitim leniat, nec jecoris calorem incendat. Satis fuerit bis die nutriri, sed ea lege atque mensura, ut nec cibus suo pondere ventriculum gravet, nec potus fluctuationem & ructus excitet. Hoc enim consilium nobis vires, quales accepimus, conservat. Neque illas, neque corporis molem augere, sed extenuare potius potest, ut tum vitiosi humoris portio quædam exhauriatur, tum reliqua ad futuram

ram vacuationem præparetur. Quocirca utile sit interdum famem & inediam tolerare, & cœnam prætermittere. Corporis matutinæ frictiones, & exercitationes moderatæ jejuno ex usu erunt, quæ & aliquid à corpore dissipant, & nativum calorem suscitent. Somnus moderatus longe à cibo ineatur. Hæc vivendi lex exquisite tenenda est, dum corpus sanescat integre. Cui etiam si diutius assueverit, firmior, constantiorque futura est valetudo.

Purgatione, Quæ autem medicamentis fit curatio, hac ratione complebitur. Plurimum quidem alvus clystere solicitetur, qui in decocto emolliente & detergente, Catholici semunciam recipiat, cum Mellis & Sacchari portione idonea. Simul autem eo ipso die aggrediatur, simulque observet præscriptam vivendi rationem. Postridie humores crudi & supervacanei, qui in ventriculo primisque venis, & in alvo fluitant, hoc medicamento expurgentur. ℞ Expressionem ℥iijß. Rheubarbari electi infusi in aqua Cichorii, & vino albo, cum ʒß. cinnamomi electi. In qua dissolve syrupi de Mentha. ℥ſ. Fiat dosis. Detur hora vj. matutina.

Præparatione, Diebus insequentibus reliqui humores coquendi sunt & præparandi, idque electuario potius, quam syrupo, aut apozemate, Galeni quidem imitatione, qui hujuscemodi morbis, & hyeme, pulveres potius quam liquores offerebat. ℞ Rasuræ Eboris pulverizati, electuarii Aromatici rosati an. ℈ij. Pulveris electuarii Triasantali, & electuarii lætitiæ Galeni an. ʒſ. Sacchari albi dissoluti in aqua rosarum ℥iiij. Fiat electuarium per tabellas ponderis ʒiij. Capiat unam mane, & per horam ante cœnam, id autem diu continuet, nisi cum aliis medicamentis utetur. Quod si interdum extra pastus, præ sitis vehementia, bibendum esset, quum nec aqua, nec ptisana, nec cerevisia competit, nihil certe præstantius oxymelite, quod vel simplex sit, vel ex Galeni descriptione, vel ex decocto radicis petroselini, & fœniculi, & hyssopi tantillo paratum.

Iterata purgatione, Exactis diebus octo, quibus hæc utendi ratio & præparantium usus observandus sit, secundo blande purgandum erit sequente syrupo, quem in eam rem sic accommodavimus. ℞ Radicis Cichorii, Acetosæ, Graminis, Petroselini, Fœniculi, Capparum, Polypodii quercini, seminis Carthami, Passularum mundatarum, an. ℥ſ. Marrubii albi, Agrimonii, Ceterach, Adianti, Capilli Veneris, Buglossi, Boraginis, an. m. j. seminis Anisi, Endiviæ, Cuscutæ, & Melonum, an. ʒij. Trium florum cordialium. an. p. j. Fiat decoctio ad ℥xv. In colatura infunde foliorum & folliculorum Sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ℥ij. Gingiberis albi ℈ij. Cinnamomi electi ʒſ. Dein facta ebullitione parva, fiat omnium expressio. In qua dissolve sacchari albi ℥xv. Fiat syrupus perfecte coctus: ponendo in fine decoctionis expressionem ℥j. Rheubarbari electi, infusi ut decet in aqua Endiviæ, & Vino albo. Dosis erit ℥jſ. diluta ex aqua decoctionis Hordei. Hoc syrupo purgandus erit octavo quoque die, aucta vel imminuta dosi pro rei necessitate. Diebus interjectis si forte alvus astrictior erit, utilius promovebitur his pilulis quam clystere. ℞. Aloës optimæ, Rheubarbari electi an. ʒij. Pulveris electuarii Aromatici rosati majoris ℈j. cum syrupo de mentha fiat massa mollis. capiat pilulas duas hora una ante pastum.

Præparatione per externa. Ubi jam secundo aut tertio purgatus fuerit, ad efficaciorem præparationem reliquorum humorum, qui & magis terreni & contumaciores esse solent, præter electuarium & victus rationem præscriptam, primus ex usu erit fotus, qui eos humores emolliat, colliquet, fluxosque reddat, & omni ratione viscerum obstructiones expediat, servato illorum robore. Erit autem hujusmodi. ℞. Radicis Althææ, Cichorii, Enulæ Campanæ incisarum an. ℥ſ. Rosarum rubrarum, Balaustiorum, Agrimonii, Menthæ, Absinthii, florum Chamæmeli, Anethi, an. m. j. ſ. seminis Anisi, Lini & Fœnugræci an. ℥ſ. Squinanti, Cyperi, Calami Aromatici, an. ʒiij. Fiat sacculus, bulliant in ℔j. aquæ, addendo sub finem vini albi ℔ij Fiat fotus stomachi & hypochondriorum, mane, & ante cœnam, cum spongiis latis & novis, expressis donec tertio aut quarto recalescant. Deterso ventri hoc emplastrum utiliter admoveri potest. ℞. Unguenti de althæa ℥ij. Cerati Santalini,

ni, & cerati ſtomachi confortivi an. ℥ iſ. malaxentur ſimul, fiat emplaſtrum extenſum ſuper alutam. Applicetur poſt fotum.

CONSIL. L.

Ad cachexiam pro quodam ex comitatu Burgundiæ.

Signa. LIppientes oculi, olfactus ſtupidus, ſaliva aut pituita copioſior ex ore profluens, pedum tumor veſpertinus, indicia ſunt ſummæ cruditatis exuperantis toto corpore.

Prognoſticum. Quæ cum jecoris calorem comitem habeat, ex manuum pedumque fervore deprehenſum; proximam cachexiam, aliaque mala, fortaſſe & hydropem futurum minatur: quę cum florente hac ætate tam manifeſta rudimenta habeant, procedente illa, & ingraveſcente, in extremam perniciem agent.

Cura. Occurrendum autem eſt ſumma diligentia & attentione. Primumque victus ratio purior ſit, in qua ab inteſtinis & extremis animantium, à piſcibus multis, à caſeo, ab omnibuſque viſcoſis & lentis abſtinendum temperandumque eſt, quemadmodum & menſes circiter duos ab omni ſorbitione. *Diæta.* Vitanda crapula, & conſueta edendi voracitas. Omnino temperantius vivendum, & omnino toleranda inedia, detrahendaque cœna. Vinum quoque parcius & dilutius eſto, idque fere album aut tenue. Exercitatio frequentior & validior adhibenda: quod ſi pręſtare non liceat, quantum defuerit, tenui victu ſupplebitur.

Purgatione. Neque vero hac ſola vivendi lege eximi poterunt multo tempore contracta corporis vitia, niſi & lenium quorundam medicamentorum uſus acceſſerit. Erunt autem hæc ad rem propoſitam in primis accommodata. ℞ Radicis Apii, Petroſelini, Fœniculi, Capparum, Polypodii quercini, ſeminis Carthami, Paſſul., an. ℥ ſ. Hyſſopi, Origani, Calamenti, Adianti, Capilli veneris, an. m. j. Ceterach, florum Lupuli, an. p. j. Seminis Aniſi, Endiviæ, Cuſcutæ, & Melonum, Glycirrhizæ raſæ. an. ʒ ij. fol. Sennæ mundatorum ℥ iiij. Agarici albi ℥ ij. Gingiberis ʒ j. Cinnamomi electi ℥ ſ. Bulliant parum, dein exprimantur, & in expreſſione diſſolve Sacchari albi ℥ xv. Fiat ſyrupus perfectæ coctionis. Capiat ſemel in hebdomada ℥ ij. ex tantillo vini albi dilutum. Diebus interjectis, cum forte alvus non facile dejiciet, tum ad hanc movendam, tum expurgandum corroborandumque ventriculum, his utetur pilulis. ℞. Aloës optimæ ʒ ij. Rheubarbari electi ʒ j. Pulveris electuarii Aromatici roſati majoris ʒ ſ. Syrupi abſinthii q. ſ. Fiat maſſa mollis, capiat pilulas ij. vel iij. pro doſi. hora j. ante paſtum ſine cuſtodia.

Quibus diebus non purgabitur, ſeſquihora ante paſtum ſumat tabellam unam electuarii Aromatici roſati majoris, quo & cruditatũ & cibariorum concoctionẽ juvet *Roboratione.*

Ad gingivæ inferioris exeſionem, quæ poſtremo deſcribitur, miſce Gingiberis pulverizati ℈ j. Aluminis uſti ʒ j. Mellis roſati ℥ j. Hocque quaſi linimento gingiva bis terve die ſatis aſpere confricetur. *Contra Gingivæ exeſionem.*

CONSIL. LI.

Ad dolorem colicum, una cum ſpinæ dorſi dolore, pro quodam nobili Germano, 1557.

UT atrociſſimi & curatu difficiles hi ſunt dolores, qui illuſtrem virum tam dire & immaniter exercent: ita & de eorum cauſa, deque affecta ſede dubitari video, nec plane inter celebres medicos conſentiri. Tametſi enim longe is lateque diffuſus eſt, ejus tamen peculiarem quandam & primariam ſedem credi par eſt, è qua prorumpens in alias quoque partes invadit. Hanc equidem controverſam quęſtionem rogatus paucis excutiam, ut deſignatæ ſedi, doloris propria quædam remedia aptari accommodarique poſſint. Primum igitur urinæ, tum ſubſtantia tum colore *Sedes doloris.*

lore

lore contentisque laudabiles, & ad eas accedentes, quæ secundum naturam sunt, (nisi quod ex assiduo decubitu citrinæ aliquantulum apparent) atque hæ sine arenulis, sine pituita, luculenter commonstrant, neque ad renes, neque ad ureteres doloris causam pertinere. Neque profecto qui proponitur, nephritici doloris speciem habet, neque usquam aut visus aut auditus est, qui citra ullius materię decessionem triennium perstiterit. Ad lienem, ad jecur, ad mesenterium minime etiam potest hic dolor referri, quod hæ partes aut nullius aut admodum obtusi sint sensus. De intestinis, vero quorum sensus est eximius, non præter rationem dubitari video, quod præsertim in sinistro hypochondrio secundum colon intestinum, atque etiam toto ventre sępe obaudiatur rugitus, quod vagus dolor modo in dextrum, modo in sinistrum latus insiliat, quod nonnunquam & in dextrum testem is devolvatur, quod abdomen supra modum inflari distendique videatur, eaque omnia ingravescant, dum adstrictior est alvus: contra vero prorumpente flatu aut alvo soluta abdomen sese summittat, & dolor mitescat, dum novus flatus suscitetur. Hæc quidem (fatèor) manifesta argumenta sunt doloris cujusdam oborti ex flatu in intestinis concluso atque coarctato, qui & illic peculiarem atque foventem causam habet, crassam, lentam, mucosamque pituitam, intestinis, præsertim autem cęco & colo, tenacius adhærentem, qualem sæpe deprehensum est in hoc laborante ab alvo aut seorsum, aut cum fæcibus prodire. His ergo rationibus adductus, non possum non fateri, causam unam doloris esse crassam lentamque pituitam, quæ intestinis crassioribus sit impacta. Sed hæc sane tenuior & levior mihi causa videtur, tantumque concomitans. Cæterum tum multiplex & varie implicitus hic dolor est, tum sedes ejus atque causa quoque multiplex. Nam præter eum dolorem, qui colico similis est, & ab intestinorum flatu atque pituita proficiscitur, alius, isque pręcipuus, ex metaphreno atque è lumbis est, è quibus & in musculos epigastrii diffunditur. neque levis suspicio est, nonnihil ad spinæ spondylos pertinere. Ex hac tam multiplici causarum varietate, curandi

A difficultatem obortam esse conjicio: itaque dolor secundum dorsum & lumbos deductus, & illinc plerumque in latera, atque etiam in priora abdominis exporrectus, & quasi cingulo corpus totum arctius constringens, demonstrant, partes eas omnes dolore obsideri & abdominis dolorem causam esse, cur id coarctari non possit, ad fæces ad flatus excludendos.

Causam porro tam late diffusi doloris *Causa.* credibile est fuisse destillationem frigidam, quæ si non è cerebro, è capite saltem in dorsi & lumborum musculos procubuit. Primum quidem parte sinistra: demum etiam dextra. Hinc postea sensim partium continuatione in abdominis musculos membranasque irrepsit. B Fortassis & ejus nonnihil altius inter spinæ spondylos sese inseruit, quemadmodum fere accidit cum ejuscemodi adfectus diutius protraxerint. Hoc tamen loco propter ea, quæ dixi, inspiciendum & observandum moneo, sit ne spina situ & figura secundum naturam, possitne quoquo versum libere flecti, & partes, quæ utrinque secundum productionem spinæ sunt, tactu durioreque pressu condolescant: Non levis enim suspicio mihi incessit aut luxatæ aut aliter læsæ spinę cum D. laborans vehementi & valido equi subsultu sensit spinam ad posteriora magno impetu contorqueri, eamque compunctione valida feriri, quæ corpus universum exagitaret.

Cum duo sint impliciti dolores causis *Prognosticum.* sedibusque disclusi, unus qui ad intestina C pertinet, potestque colicus appellari, alter qui ad spinam dorsi atque lumbos: prioris quidem sublatio sperari potest, pręsertim si simplex & sine intestinorum labe fuerit. Atque ut causæ ejus magnitudo certius æstimetur, totius ventris regionem tactu explorari velim & animadverti, nunquid in eo præter naturam obduruerit, eorum memor quæ vidi & scripsi sæpe, in intestinis crassam lentamque pituitam in intestini speciem concrescere, & obdurescere, viamque flatibus ac fæcibus pręcludere. Posterioris doloris difficilior curatio, & anceps exitus, præsertim si diuturnitate in spinam dorsi altius se adegit: utriusque tamen curationem experiri juvabit, & nihil

nihil eorum prætermittere, quæ arte & cum ratione opitulari queant.

Curatio Diæta. In his tam atrocibus doloribus expurgandis non minorem vim obtinet vitæ, quam medicamentorum ratio. quandoquidem ea non pauca absumit supervacanea, quæ vix sint medicamentis cessura: itaque victus sit euchymus, siccans, & attenuans, isque satis tenuis: carnibus vescendum gallinaceorum, columbarum, turturum, perdicum, avicularum, lepusculorum & similium, hisque assis potius quam elixis: condimenta quoque utilia, quæ præsertim nucem muschatam, gingiber, & piperis momentum recipiant. Vinum tametsi calore juvare creditur, quia tamen vapore & tenuitate cerebrum nervosque ferit, adversissimum putandum: subrubrum ac leviter adstringens deligendum potius, quam album, idque aqua cocta multa dilutum, in qua salvia macerata fuerit. Si D. laborans ea est animi constantia, ut omnia quæ dixi de victu, una diæta per guajacum complecti velit, eam quidem sperem non parum ad perfectam curationem profuturam. Neque tamen statim initio sudores promovendi sunt, sed meracius decoctum mane & horis tribus ante cœnam, vice attenuantis apozematis, offerendum, alterumque dilutum in pastu loco vini. Si curationis progressu sudores facile emanent, excipiendi erunt, & leviter ciendi, atque detergendi.

Purgatione, Septimo & octavo quoque die intermisso guajaco purgatio decernenda erit hujusmodi. ℞ Stœchados, Betonicæ, Salviæ, Anthos, Epithymi, an. pj. Polypodii quercini, foliorum Sennę mundatorum, an. ʒiij. Fiat potio: detur mane horis quatuor ante cibum. Hęc quidem omnia universalia sunt, neque venę sectione tentanda est ulla evacuatio, ut quę sit hac in re plurimum nocitura.

Remediis ad colicum, Cæterum summa vis curationis in topicis est remediis. Primumque ad colicum dolorem extirpandum quotidie horis tribus à prandio clysterem indendum censeo, hac formula. ℞ Florum Chamæmeli, Meliloti, Anethi, Rutæ, Origani, Absinthii, Centaurii minoris an. mj. seminis Anisi, & Fœniculi, baccarum Lauri contusarum, an. ℥ij. Fiat decoctio: in ℔j. colatu-

A ræ dissolve Hieræ simplicis, Mellis rosati, & anthosati, an. ℥j. olei Anethi, ℥iij. Fiat clyster, injiciendus ut dixi. Poterit interdum pro Hiera simplici dissolvi ℥ß. vel ʒvj. Hieræ diacolocynthidos. Sic permutatione augendus continuandusque clysterum usus, dum prorsus expurgata sit crassior intestinorum pituita, quæ materia est colici doloris, dumque dolor hic in abdomen & ventrem incumbens manifeste mitescat. Cum jam satis expurgata putabuntur intestina, ut quę multo tempore contracta fuerat, in eis vitiosa qualitas tollatur, roburque accedat, injectiones sæpe fiant ex sesquilibra vini cujusdam generosi rubri, aut leviter adstringentis, ejusque meracioris, & tepentis. In quo interdum Castorei ʒij. dissolutæ sint, postea vero puræ & sine castorio B fiant. Diu continuentur injectiones hujusmodi, quandoquidem nihil prorsus nocuerint, si etiam in intestinis subsistant, aut non prorsus excidant. His igitur præsidiis spero prioris doloris causam omnem sublatum iri. Hoc tempore curationis, si dolores aliave symptomata vehementius urgebunt, leniantur fomentis & aliis subsidiis, quibus jam olim leniri fueverunt.

Posterioris doloris curatio tum opportune erit topicis suscipienda, cum jam prior mitescere incipiet: nondum tamen diæta per guajacum intermissa: nihil enim obstat, quo minus doloris utriusque curatio simul tentetur. Primum igitur deterso sudore, quem jam sub diætæ finem guajaci decoctum promoverit, quotidie mane to- *Ad dolorem spinæ.*

C ta spinæ, totaque dorsi & lumborum regio fovenda erit, & inungenda his remediis, quæ jam diu impactam materiam, & altius infixam incidant, attenuent, & quovis modo præparent. Fomentum ergo fiet ex decocto radicum Enulæ Campanæ, ex baccis Juniperi, & Stœchados, foliorum Betoniæ, Salviæ, Lauri, Rutæ, Sampsuchi, Rorismarini, Origani, Calamintæ, Centaurii minoris. quæ omnia incocta sint in aqua simplici, addito sub finem vini albi triente. Adhibeatur autem spinæ quam calidissimum, per filtrum, aut spongiam oblongam, quasi in eo ipso decocto macerata sint, & expressa. Cumque ea sæpius repetita locus bene incaluerit, detersus inungatur hoc oleo. ℞ Florum Stœ-

Stœchados, Anthos, Lavendulæ, & Samsuchi, an. m. j. Croci ʒj. Baccarum Lauri contusarum ℥j. Pyrethri, Gingiberis, Nucis moschatæ, Garyophyllorum, Castorei an. ʒiij. Terantur, & in pulverem redigantur omnia. Demum his commistis, affunde aquæ vitæ optimæ & rectificatæ ℥viij. Terebinthinæ lucidæ ℔j. Reponantur omnia in alembico vitreo, fiatque destillatio igne lento. Excipiatur primum aqua, demum oleum, quod seorsum asservetur in usum unctionis prædictę. Si non sit facilis fomenti usus, aut non omnes id dolentes partes attingat, commutetur in insessum è decocto consimili, in quem omnes hę affectę partes demergi possint. Quum jam continuato fotu & unctione, mane & ante cœnam, ad dies circiter quinque aut sex, paratus humor satis existimabitur, mediocres cucurbitulę utrinque secundum spinę productionem, à dorso ad extremum lumborum continua serie affigantur, idque sine ferro & scarificatu, vel etiam cornua majuscula, quorum frequens est apud Germanos usus, ut eorum ope humor, aut alia quævis materia, ex imis partibus evulsa transferatur, & rapiatur in summam cutem. Non ante hæc intermittantur remedia, quam dorsi & lumborum dolor mitigatus appareat, omnisque eorum motus liberior & expeditior: aut si forte eorum continuatio molesta sit, atque gravis: ceratum aut emplastrum comparetur resolvens atque discutiens, quale fieri poterit ex malagmate distillationis prædictæ, cui gummi ammoniacum & cera addantur, & concorporentur ea quantitate & dosi, quæ videbitur ad malagmatis aut cerati formam desiderari.

Hęc igitur præsidia sunt, quorum administratione & cõtinuatione methodica sperari potest utriusq; doloris perfecta curatio, nisi forte aut luxata spina sit, aut partes dolentes labefactatæ jam sint diuturnitate mali. Quum enim hęc adsunt, aut prorsus nulla, aut admodum exigua spes est salutis.

CONSIL. LII.

Ad facilitandum conceptum. pro uxore Præfecti Mariemburgensis. 1552. è Gallico.

Remedia ante menstruorum tempus.

VT his omnibus, quæ à te mihi proposita sunt, remedium aliquod adferam, quo expetito voto fruaris, syrupum solutivum, magisterio non vulgari confectum, præscripsi, quo per octo dies uteris ante quam menses eruptionem affectent ex utero, diebus alternis, in tres doses ponderis ℥ij. sive cochleariorum argenteorum quatuor, eamque dosim excipies pari mensura aquæ hordei, sive vini albi mixti, horis quatuor ante cibum. Interimque domi te continebis, sobrieque ac temperate vives. Expectabisque donec menses superveniant, nihilque majus molieris, nisi quod eo tempore vino albo lymphato, aut alio potu aperiente, eos provocabis. His jam eruptis, & exactis, confectio sive opiata tibi in promptu erit, quam ad te mitto, quatuor diebus tempore matutino assumendam horis iiij. ante cibum ad nucis vel castaneæ quantitatem: simulque hauries vini albi lymphati tantillum. Quo facto, ac perinde post cœnam, sub ingressum lecti, alia dosi hausta, ceterisque eodem modo, excipies per interiora vaporationem & suffitum pulveris à me præscripti, quem in prunas injicies, ac velut incubando huic effumationi eam continebis quam diligentissime poteris.

Iteranda. Hisque peractis cessabis ab aliis remediis usque ad finem mensis: tuncque superiori progressu repetito paulo ante quam menses prorumpere conentur, syrupum & opiatam prædictam simili cautione hauries, sicque per quatuor menses ab hyemis extremo ad ver usque continuabis.

Quod si neque tuus optatus eventus succedet, si me certiorem reddere voles valetudinis tuæ, mittam ad te aliud consilii genus, quod ei tempori erit accommodatissimum.

Diæta. Victus interim siccus sit, & boni succi. Si forte pigrior erit alvus, diebus interjectis, aut interdum stomachus gravis, usus pilularum ex rheubarbaro, agarico, & aloë conveniet.

Remediorum formula.

℞ *Salviæ, Majoranæ, Nepitæ, Melissæ, Matricariæ, an. m. ſ. Foliorum ſennæ mundatorum* ℥j ſ. *Fiat decoctio ad* ℔ß. *Addendo in fine Agarici albi* ℥ß. *Rheubarbari electi* ʒiij. *Cinnamomi* ʒij. *In expreſſione diſſolve ſyrupi capilli Veneris* ℥jß. Fiat apozema clarificatum, mediocriter coctum.

℞ *Nigellæ* ℥ß. *Styracis calamitæ, Benioini, Radicis Ireos florentinæ an.* ʒiij. *Caryophyllorum, Maſtiches, an.* ʒij. Fiat pulvis pro ſuffitu.

℞ *Radicis Eryngiorum* ℥j. *Seminis napi, Capæ, & Bulbi, an.* ʒiij. *Radicis Pyrethri* ʒſ. *Gingiberis* ʒj ſ. *Radicis Biſtortæ, Renum & caudarum Scincorum an.* ℥ſ. *ſyrupi de Artemiſia quantum ſatis.* Fiat opiata. Capiat mane, & in lecti introitu, ad quantitatem caſtaneæ.

CONSIL. LIII.

Pro muliere hyſtericis ſymptomatis affecta.

Generatio morbi.

Mulier ætate plena, ac matura, multos annos viri conſuetudinem intermiſit: quo factum eſt ut ſemen congeſtum, ac præter naturam retentum computruerit, imo malignam qualitatem conquiſierit: quam & retenti menſes, & humores, quicunque in utero putreſcunt, ſubire ſolent. Inde tetri malignique vapores in ſuperiores partes elati, in ventre quidem torſiones faciunt, & murmura cum dolore. Demum ventriculi ſubverſiones, ructus, ſingultus, atque vomitiones varias. Quum vero ſeptum tranſverſum atque pulmonem opprimunt, difficilior eſt reſpiratio cum ſtertore, aut ſi cor feriat, palpitatio ſuſcitatur, aut animi defectio. Sin vero in cerebrum ac mentem irrepat, alias morbi comitialis acceſſiones, alias deliria, alias oculorum caligo, aliorumque ſenſuum interceptio, alias alia facultatis animalis ſymptomata ingruunt.

Curatio internis.

℞ Hyſſopi, Praſſii, Nepitæ, Meliſſæ, Hyperici, Betonicæ, Artemiſiæ, Matricariæ, an. m.j. radicis Rubiæ tinctorum, radicis Pæoniæ, Viſci quercini, Polypodii quercini, ſeminis Carthami, an. ℥ſ. Florum Anthos, Stœchados Arabicæ, an. pij. Seminis Pæoniæ, & Leviſtici, an. ℥j. ſeminis Paſtinacæ ʒij. foliorum Sennæ mundatorum ℥iij. Fiat decoctio ad q. iij. addendo in fine Agarici albi ℥jſ. Gingiberis ℈j. In colatura expreſſa diſſolve Sacchari albi quart. iij. Fiat ſyrupus coctus, ut decet, & cum coquitur, adde expreſſionem ℥ſ. Rheubarbari electi, infuſi in aqua Betonicæ, cum ſpica Nardi & Cinnamomi an. ℈j. capiat die quaque. Diebus interpoſitis utatur decocto ligni ſancti, atque ei ſenſim aſſueſcat, primumque offeratur ei in paſtu loco vini, quod in ℔iiij. aquæ raſuræ ligni ſancti ℥iij. vel iiij. duntaxat accipiet: incoquantur Paſſulæ, ſi videbitur, cum Saccharo & Cinnamomo; exacto triduo decoctum meracius mane & veſperi horis duabus ante cœnam, cum quibuſdam ex his quæ ſunt in ſyrupo, propinabitur. Victus ratio ſit mediocris.

Externis,

Cucurbitæ læves, eæque majores, ſine ſcarificatu feminibus affigantur: crurum frictiones utiles, vaporum impetum deorſum convertent. Fomenta & vaporationes fient ex quibuſdam eorum quæ ſunt in ſyrupo, adjectis Pulegio, Origano, Calamento, Ruta & Sabina. Fiant peſſi ex pulvere Hieræ & ſucco Mercurialis confecti. Addi poterit nonnihil pilularum cochiarum, aut radicis Cyclamini, aut Cucumeris aſinini, ut his fœda uteri illuvies tenacius impacta eliciatur. Si hæc non ſatis eſſent, obſtetrix experta ipſo acceſſionis tempore digitum oleo nardino vel muſcellino oblitum illius in uteri cervicē immillat, ut vel titillatu putre ſemen provocet, vel cervicem extendat, quæ tum (ut ait Galenus) furſum maxime convellitur. Si uterum libebit vehementius expurgare, per quietem injectiones fiant ex decoctis herbarum, quas in fomentis narravimus, additis Agrimonio, Abſinthio, aut etiam Aloës tantillo.

Inſtante paroxyſmo.

Ut autem inhibeantur acceſſiones imminentes, potio detur ex aquis Nepitæ, Meliſſæ, & Cichorii, Saccharo & Cinnamomo conditis aut Paſtinacę ſeminis ʒj. In his vel in aqua Matricariæ diſſoluta hauriat. Quum vero pars maxima acceſſionum ab utero fiat, Cataplaſma decernatur ex Filice, Leviſtico, Abſinthio, & Hyſſopo coctis ac

ac maceratis in vini styptici & aquæ paribus portionibus, quo venter totus integatur, aut melius undique cingatur, firmiusque ligetur, ut vaporum ascensum reprimat. Suffitus odorati pudendo offerendi, graveolentes naribus.

CONSIL. LIV.

Pro muliere, & prægnante, & puerpera, male habente ab utero.

Historia morbi & curę. *MUlier habitu mediocriter carnoso, ætate media, hepate calidiore, ventriculo frigidiore, corripi solibat suffocatione uterina, cum sensus privatione, ac veluti convulsione, doloribusque colicis. Item hemitritæo laboravit duos menses dum prægnans esset. Tandem peperit. Excrementa alvi citra opem medicam non dejiciebat: sed & magna pituitæ copia cum his profluebat, interdum sine his. Nulli sudores, nulla cerebri excrementa cernebantur, nihil cum urinis profundebatur.*

Quæritur qua ratione medendum sit, ne his doloribus colicis & uterinis rursum jactetur.

Responsum D. FERNELII.

Causa. NEcesse est ingentem esse causam, quæ tot & tam gravibus symptomatis laborantem exerceat, eam autem duplicem statuo. Priorem quæ in prima corporis regione insidet, in ventriculo, in intestinis, in mesenterio, & cavis jecoris. Hæ quippe sedes refertæ sunt & obstructæ crassa excrementitiaque pituita, quæ alvi dejectionem tamdiu remoratur. Nam & interdum concrescit in illis, maximeque in colo intestino, ex quo & acrioris clysteris vi aliquando evelli vidimus: hinc ergo dolores colici omnem ventris regionem obsidentes suscitantur. Altera causa est in jecore calidiore. Hoc enim multam bilem profert: quæ cum non possit per ductus naturales expurgari, propter obstructiones, in corpus universum cum sanguine promanat. Sed & nonnihil hujus in ventriculum effundi indicant vomitiones, interdum amaræ & biliosæ, quæ consequuntur pituitosas. Bilis illa in corpore pituitosiore febrem accendit hemitritæam, quæ sudore soluta, relinquit lassitudines ulcerosas aut phlegmonodes. Sanguis enim venarum majorum aut minorum, quæ sunt in habitu corporis, omnino expurgatus non est, sed inquinatus bile pituitosiore, ejusmodi lassitudines infligit.

Cura primæ regionis. Scopus medendi est corpus expurgare excrementis. Pituitosa igitur illa excre-A menta ad expurgationem præparanda oxymelite, in quo incoxerint hyssopus, &c. cum octava parte aceti, & quarta mellis. Item fiat fotus ventris extenuans, & emolliens. Quotidie injiciatur clyster acris, in quo dissolve hieræ diacolocynthidos, & diaphœnici an. ℥ß. cum melle. Quandoque detur mitior ad fęces emolliendas, & lubricanda intestina. Semel in hebdomada propinetur potio, quę recipiat rheubarbarum, pulverem hierę simplicis, & aliquid diaphœnici. Quippe Diaphœnicum necessarium est ad crassam & lentam pituitam excludendum, & sine eo rheubarbarum B non liberabit. Utatur in pastu vino tenui diluto, extra pastum decoctione guajaci, aut absinthii, cum vino & aqua.

Ubi prima regio fuerit expedita, secunda & tertia liberandę etiam erunt, non valde dissimilibus remediis. Non puto tamen, quod ex habitu corporis fit necesse in alvum revellere, sed sudoribus, decoctione guajaci meraciore, aut aliis mistis remediis exhauriendam esse hanc regionem. Victus sit siccans & extenuans, in quo abstineat ab omnibus humidis. *Secunda & tertia.*

Universo corpore repurgato uterus persanescet. Quod si nihilominus aliquid in eo restare videbitur, profligabitur vel suffitu, vel pesso, vel aliis ad id accommodatis. *Uteri.*

CONSIL. LV.

De partu legitimo.

Partus dierum 202. D*E partu, qui ducentesimo secundo nuptiarum die in lucem editus est, cum is integre confor-* A *matus, ac bene vividus existeret, dubitatum quæsitumque est, num forte ante nuptias conceptus esset.*

esset, & nonum jam mensem complevisset.

Deinde an hoc dierum numero natus, septimestris, at bonæ ætatis habendus sit.

Ad prius respondit D. Fernelius:

An possit esse perfectus?

Recens editi partus ætatem nullis indiciis certo definiri posse, & immaturos fœtus alias videri integre conformatos atque perfectos, alias sine pilis, unguibus, labris, aut palpebris, vel auriculis vix dum disjunctis. quemadmodum & abortum observavimus nonnunquam die quadragesimo dimidii digiti magnitudine membris omnibus distinctum, interdum tertio mense rudem adhuc & male digestam molem repræsentare: id autem efficit seminis varietatas, & facultatis, quæ in eo est, conformantis robur, aut infirmitas.

An sit septimestris?

Ad posterius quæsitum idem respondit:

Partum editum die ducentesimo secundo septimestrem censendum. Etenim Hippocrati, vetustioribusque Græcis, tum Philosophis, tum Medicis, qui in hanc contemplationem accuratius incubuerunt, incomperti erant Romanorum menses; hisque, quemadmodum & Hebræis, Lunæ cursu demensi sunt: constatque mensis diebus viginti novem cum semisse, quod tempus fere à quovis Lunę congressu ad proximum intercedit. Hac anni supputandi ratione, quæ in fœtus gestatione, in morborum decretoriis diebus, in omni denique Medicorum observatione in primis & ad unguem tenenda, partus hic, de quo quæritur, prodiit in lucem, die vigesimoquinto completo septimi mensis. Neque tamen (ut vere septimestris censeatur) necesse est septimum mensem prorsus implevisse: satisque fuerit, ad hunc terminum aut ultra aut infra dies septem acedere. Ita enim siderum nos gubernantium vires non in momento consistere, sed his limitibus contineri atque vigere, Ptolomæus aliique Astrologi celeberrimi literis proderunt. Septimestrem quoque partum bene vitalem esse, præterquam quod Hippocratis & omnium Medicorum autoritate celebratum est, atque receptum; nos etiam longa experientia notavimus. Cujus rei ab Astrologis petenda ratio, qui primum conceptus mensem in Saturni dominio, septimum in Lunę potestate collocant, quæ viventibus omnibus vitam atque vires impertit.

An vitalis?

CONSIL. LVI.

Ad Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides

QUÆ sine dolore describuntur manantes hæmorrhoides, cæcæ sunt, & interiores: quarum nihil putem foras prominere.

An cohibendæ?

Hæ autem quum jamdiu & supra annos duodecim abundantius fluere consueverint, omnino supprimi non debent, ne tandem incommoda sequantur, quæ Hippocrates commemorat, & metuit. At vero quum immoderatus illarum fluxus jam vires obterit, & jecur impendio refrigerat, ex quo icterus, & fortasse cachexia jam apparet, & impendet: illas certe cohibere non modo utile, verum in primis necessarium videtur. Sic tamen ut tertio quartove mense quidem profluere sinatur.

Et qua ratione?

Cohibebuntur utiliter in hac descripta corporis constitutione, non revulsione per venæ sectionem, è cubito, aut per cucurbitas hypochondriis affixas, non pulveribus, conditis, aut potionibus adstringentibus, sed hisce levissimis remediis, quæ profutura non dubito. Itaque si quæ purgatio necessaria videbitur, non alia conveniet, quam quæ ex Rheo constat. ℞ Aquarum Rosarum, & Arnoglossæ, an. ℥jß. In quibus infunde Rhei electi ℈iiij. Cinnamomi electi ℈j. In expressione dissolve Rheubarbari electi pulverizati ℈ij Syrupi Rosarum siccarum ℥ß. Fiat dosis. ℞ Plantaginis, Centinodiæ, Rosarum rubrarum, Balaustiorum, an. p j. Fiat decoctio in lacte ad ℔j. In colatura dissolve Boli armenæ, Farinæ Fabarum, an. ℥jß. Fiat clyster, in forma pultis, quam diu teneat: & iteretur bis, ter, aut quater, si non satis primus cohibuerit: si miscella major placebit, addetur Sanguis draconis. Juvabit etiam cataplasma extrinsecus podici adhibere ex Bolo armena optima, quę in Aceto, & Arnoglosso, & ovi cãdido sit dissoluta, aut in succo Plãtaginis & Centinodiæ, qui etiã in clystere conveniẽt.

In

Diæta observanda. In victus ratione vitanda sunt vinosa, admodum tenuia, & quæcunque alimenta sanguinem inflammant. Parce vivendum, ne vires jam imminutæ nimio cibo premantur, neve sanguis supra modum increscat. Vitanda exercitatio vehemens, ira, mœror, & quæcunque sanguinem ac spiritus inflammant, ac exagitant.

CONSIL. LVII.

De renum & meatus urinarii exulceratione, cum tuberculo.

Morbus. DUobus affectibus hisque finitimis conflictatur hic vir nobilis: unus est renis exulceratio; alter est penis seu urinarii meatûs levis exulceratio, cum adnato tuberculo carnoso.

Ejus signa. Renis alterius aut utriusque ulcerati indicium est, urina alba, crassa, & purulenta, in qua & pus ipsum subsidere deprehenditur. Deinde quod æstate superiore post vehementes exercitationes & labores urinas profuderit cruentas. Tum enim ulcus excitatum est, & (ut conjicio) à calculo renem atterente, qui paucis ante mensibus in rene concrevit. Nunc sordidiore facto ulcere non cruenta sanies, sed purulenta emanat. Ulcerati meatus urinarii indicium est ardor & acrimonia, quæ mejendo torquet, quodque multis ante mensibus fœda illa gonorrhœa divexatus sit, quæ meatum hunc exulcerare solet. Ulceri vero male sanato adnatum esse tuberculum carnosum, argumento est difficilis emictio, & qua non nisi tenuissimo filo urina profunditur, quodque aliquando omnino suppressa sit urina.

Prognosticum. His implicitis affectibus non facile sit integre mederi. Renis ulcus vix unquam coalescit, quod pars spermatica sit. Carnosum tuberculum difficile & ægerrime absumitur.

Cura. Confert tamen interdum purgatio, vel A ex cassia sola, vel interdum adjecto rheo. Postero die utilis terebinthina lota ad ʒij. Sorbitio matutina ex decocto radicis altheæ, & cicerum rubrorum cum melle vel butyro, hoc detergebit renis ulcus. Hoc ipsum præstabit & hydromeli simplex, si vel in siti, vel primo haustu sumatur in pastu vice cerevisiæ. Vehemẽtiora non laudo.

Tuberculi sublatio. Tuberculum carnosum extirpari debet sæpius immisso cathetere, ut hujus asperitate illius nonnihil sensim evellatur. Hoc enim curandi genus breve est & expeditum. Quod tamen si laborans non feret, cereolus immittendus est, qui meatum B ipsum dilatet, comprimatque tuberculum. & interdum is obungetur, pulvere, qui similiter tuberculum absumat, & ulcus conglutinet. cujusmodi est hic. ℞ Ossis Sepiæ, Tuthiæ præparatæ, an. ʒij. Cornu cervi usti, Aloës lotę, an ʒj. Aluminis usti ʒß. Fiat pulvis, utatur arido vel misto cum melle rosato in formam unguenti. Utilis etiam fuerit, frequens injectio aquæ aluminosæ compositæ & destillatæ, ut hac in re fieri solet. ℞ Aluminis crudi ℥ij. succorũ Plantaginis an. ℥iij. Agitentur omnia cum albuminibus trium ovorum. Reponantur in alembico vitreo, & distillentur igne lento. In his morbis contumacibus opus est & diligentia, & summa animi constantia, & tempore.

CONSIL. XLVIII.

De Vrina purulenta è renibus.

Morbi causa. URina quam crassam & albam emingi percipimus, vere purulenta est. In qua quiete subsidere pus deprehenditur album, læve & æquale, id autem pus index est abscessus vel ulceris. Quod tamen neque in pene, neque in vesica, neque in ureteribus est. Sed quum sine ullo sensu A doloris existat, in solis tenibus subesse intelligatur. Ab his etiam & calculi grandiusculi, & urina sæpe cruenta profluxit, quæ tum indicabat ulcus renis attritu fieri. Nunc vero sordidum & purulentum est.

Prognosticum. Sanatio perfecta sperari vix potest, & diligenter prospiciendum, ne pus cõhibeatur

 aut

aut subsistat. Ita enim in alias partes redundans ac refluens gravium fit symptomatum causa.

Cura. Satis fuerit curatione ulcus blande expurgare, & assiduam liberamque puris effusionem procurare. Itaque abstineat ab omni corporis vehementiori motu, & exercitatione, à salsis, calidis & acribus, ne ulcus exasperetur. Hydromelitis potus utilis prę sertim primo haustu, interdum hujus vice hordei decoctum. Dein vero & quę sequũtur medicamenta. ℞ Cassiæ fistulæ recenter mundatę ʒx. Cum saccharo vel electuario Diatragacanthi frigidi fiat bolus. Capiat die electionis, horis duabus ante cibum. Vel sic. ℞ Cassiæ fistulæ recenter mundatę ʒvj. Rheubarbari electi pulverizati ʒj. Cum saccharo. fiat bolus. Item ℞ Terebinthinæ Venetæ lucidæ ʒijſ. Lavetur in aqua rosarum, vel alkekengi. Capiat postridie purgationis ex cochleari, cum syrupo capilli Veneris. Si quando alvus adstrictior erit aut renes gravati erunt, aliis diebus hoc perfundetur clystere. ℞ Quatuor remollientium, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, an. mj. Seminis Anisi, Lini, & Fœnugræci an. ʒſ. Fiat decoctio ad ℔j. In colatura dissolve Hieræ simplicis, Catholici, an. ʒv. Mellis rosati, Sacchari rubri, an. ℥j. Olei Violati ℥iiij. Fiat clyster. Inclinante Luna tribus vel quatuor matutinis sumat hoc decoctum, horis tribus ante cibum. ℞ Cicerum rubrorum ℥iij. Radicis althææ ℥j. Summitatum brassicæ m. j. Fiat decoctio ad ℔ſ. In colatura dissolve Mellis optimi despumati ℥ij. Fiat sorbitio.

CONSIL. LIX.

Ad dolorem Nephriticum. è Gallico.

Præcautio. Diæta. VT nephritico dolori præcautionem adhibeas, cui jampridem obnoxius es: in primis vitandi sunt cibi omnes crassi & obstruentes, & carnes porcinæ, bubulę, & ferinæ, præcipue sale conditæ. Itemque pisces non squamosi & aquis luculentis innutriti, leguminumque omne genus tum recens, tum siccum, crustacea etiam omnia, panis prave coctus, caseus, omnesque fructus crudi: vinum quoque nigrum & crassum, asperum, vel dulce. Sed vesci poteris nutrimentis levioribus & facilis coctionis, ut carnibus juvenum animalium, aut aliorum, tum assis, tum elixis. In jusculis incoquentur radices petroseleni aut fœniculi. Intermissus quoque parabuntur ex capparibus, asparagis, lupulo: itemque acetaria ex pimpinella, saxifragia, coronopo hortensi, cæterisque similibus oleo & aceto probe maceratis. Vinum bibes album potius quam rubeum, saltem valde rutilum, tenueque, nec valde potens & mediocriter temperatum, provisione totius corporis non neglecta. Omne alimentum sobrie ingeres, tum esculentum tum poculentum. Repletio enim huic morbo & aliis suspecta est. Ter in die cibum temperate sumere sat erit. Ac conveniet in jentaculo butyrum recens sæpe comedere cum pane sive simplici, siue tosto, saccharumque inspergere, posteaque vinum album haurire. Si nonnunquam frustula butyri insulsi devorare succurret, juvabunt tum alvum, tum renes. Juscula etiam ex radicibus supradictis conferent, neque nocebit hora una post simile edulium assumptum exercitio mediocri indulgere, eodemque modo ante & post cœnam. Interdiu domire non expedit, nec noctu in renes decumbere, nec eos intro vel foris calefacere, seu stragulis seu igne.

Medicamentis. Sed præter hæc, particularia quędam auxilia pharmaceutica ex usu erunt. Primumque præscribitur pulvis sumendus horis duabus ante jusculum ad cochlear unum, vel solitarium, vel ex vino albo, idque semel in hebdomada, potissimum si alvus restitabit. Nihil autem est quod tibi luculentius serviet, quam si sex ante desinentem lunam diebus, perfundantur intestina clystere in hanc formulam. ℞ Radicis althææ ℥j. Radicis Enulæ Campanæ ℥ſ. Malvæ, Violariæ, Parietarię, Betę, Mercurialis, an. m. j. Florum Chamęmeli, Meliloti, Summitatum anethi, an p. j. Seminis anisi, Fœniculi, Carui, & Cumini, an. ʒiij. Fiat decoctio.

coctio. In colatura ad ℔j. dissolve Hieræ simplicis ʒvj. Diaphœnici ʒiij. Mellis rosati ℥ij. Olei Chamæmeli, & Anethini, an. ℥jß. Fiat clyster, detur mane in exitu lecti, die prędicto. Sequenti vero potio purgatoria conveniet in hunc modum. ℞ Aquę Parietarię ℥ij. In qua infunde Rheubarbari electi ℈iiij. Cinnamomi electi ʒß. In expressionem ℈ij. Agarici trochiscati infusi in aqua Betonicæ, Diaphœnici, ʒj. syrupi Capilli Veneris, ℥ß. Fiat dosis, detur die sequenti clyster. Interpositis autem diebus, à quibus cessabis: quarto demum, quinto, & sexto, qui erunt ultimi tres dies decursus lunę, hauries singulis quibusque diebus matutinis, horis tribus quatuorve ante cibum, drachmam unam massę pilularum, quam ego tibi conficiendam procu- A ravi, ad pilulas quinque: vel si tibi amaror non admodum displicet, dissolves eam vino albo, nec propterea lecto continendus eris. ℞ Radicis Gentianę electæ unciam j. Fiat pulvis subtilissimus. ex quo cum syrupo capilli Veneris fiat massa mollis. Reponatur in aluta, & in pyxide, ad usum prædictum. Hisce tribus diebus exactis, qui sex superiorum postremi sunt, non erit alienum, si ita fert animus, bis malvæ & cicerum decoctum parare, cujus consilium à me exquisivisti, continuisque quatuor aut quinque diebus potare. Interea temporis exacta victus lex & supradicta tenenda est, superioraque omnia sub finem trium mensium continuorum repetenda sunt, si perfecta & integra curatio à te expectatur.

CONSIL. LX.

Pro Duce Sommensi nephritico.

Causa nephritidis. ARenularum emictio nephritisque incipiens in corporis constitutione supra modum biliosa, & cujus sanguis crassus & terrenus, magna ex parte torretur, hac præcautione arceri debet; cum crassus viscosusque sanguis gignendis illis materiam subministret, jecoris vero renumque calor ex hac torrefacta arenulas calculosque proferat.

Præcautio Diæta, Victus ratio observari debet, quæ refrigeret & humectet, simulque detergat, & modice extenuet citra manifestum calorem. Pullorum gallinaceorum, columbarum, & vituli carnes, ex lactuca, althæa, malva, aut ex hordeo mundato elixæ, jurisque sorbitio jejuno data, interdum ptisanæ cremor ex melle aut saccharo paratus, apprime est utilis. Alio quovis pastu carnes tum elixæ, tum assæ edantur, in succo limonum maceratæ, vel intinctæ; qui, si desit, vel omphacium, vel oxalidis succus, nonnunquam & acetum conveniet. Vinum tenue & imbecillum sit, & abunde dilutum. Nam plurimi ab hisce malis vini abstinentia, & aquæ potu, sese vindicasse asseverant. Dorsi lumborumque matutina frictio, itemque exercitatio valida, aut equitatio durior, arenulas & calculos deturbat, nec sinit in renibus concrescere.

A Cæterum cum una victus ratio vix satis tuta esse possit ad morbi hujus præcautionem, interdum etiam medicamentis agendum erit, quę non vehementi calore aut siccitate, sed moderatione prodita noxiam morbi materiam per alvum detrahant, & quæ renum calorem temperent, & quæ arenulas facile cum urinis exturbent. Eorum autem compositio hujusmodi erit. ℞ Radicis Rusci, Asparagi, Graminis, Althæę, & Petroselini, an. ℥ß. Gallitrici, Betonicæ, Pimpinellæ, Saxifragiæ, Parietariæ, Adianti, an. m j. seminis Ocymi, Petroselini Macedonici, Milii solis, Genistæ, Bardanæ, Sileris montani, Gly- B cyrrhizæ rasę, an. ʒij. Passularum mundatarum, Polypodii quercini, an. ℥j. Fiat decoctio ad ℥xv. In colatura infunde florum Cordialium recentium an. p. ij. foliorum Sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ℥ij. Gingiberis albi ℈ij. Bulliant parum, & fiat expressio; in qua dissolve Sacchari albi ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus. Capiat decimo quoque die ℥ pro dosi, cum aqua decoctionis hordei vel anisi. Ex hisdem simplicibus detractis purgantibus alter syrupus apparetur, quo ex aqua hordei diluto diebus interjectis mane utetur, ad renum expurgationem. Terebinthinæ *Medicamentis internis.*

 usum

usum in hac laborantis constitutione non probem, quod promte inflammetur jecoris calore. Si forte frequens usus syrupi fastidiet, illius vice hoc electuarii genus suppetat. ℞ Quatuor seminum frigidorum majorum mundatorum, Glycyrrhizæ rasæ, an. ℈j. Seminis Pimpinellæ, ocymi, Petroselini Macedonici, Nucis muschatæ, an. ʒß Pulveris electuarii Aromatici rosati majoris ℈ij. Sacchari albi dissoluti in aqua alkekengi ℥iiij. Fiat electuarium per tabellas, ponderis ʒiij. Capiat unam mane, tribus horis ante pastũ, & superbibat parũ vini diluti.

Externis. Renes extrinsecus refrigerentur æstate hoc fotu. ℞ Aquarum distillatarum Lactucæ, Nenupharis, & Rosarum, an. ℥iij. Aceti ℥ij. Misce. mane & vesperi renes tepido A foveantur. Hyeme accommodatius erit hoc linimentum. ℞ Oleorum Violati, Nenupharini, & Rosacei, lotorum in aceto, & aqua rosacea, an. un. j. Mucilaginis althææ extractæ in aqua parietariæ ʒvj. Ceræ tantulum. Fiat linimentum pro unctione renum, mane, & vesperi.

Si forte aliquando nephritici dolores recurrant, clyster injiciatur ei similis quem præscripsi. Quo reddito fotus adhibeatur ad partem dolentem, ex descriptorum sacculorum decocto. Hic si non satis proderit, ampla cucurbitula dolenti loco affigatur sine scarificatu. Si ne his quidem dolor mitescat, cataplasmata idonea succedant, & insessus, quorum vis est in sedandis doloribus efficacissima. *Cura in paroxysmo,*

CONSIL. LXI.

Pro stranguria.

Causa. STranguria hæc qua urina reddi narratur turbida & impura summo cum dolore, sive purulentum sit id quod tandem subsidet, sive mucosum, neque ex ventriculi cruditate, neque ex ea pituita, quæ in articulos irruere consueverat, progignitur. Nunquam enim è superioribus sedibus tam crassa illuvies per integros renes illabi potest in vias urinæ. Quum igitur renes nondum male affecti esse deprehendantur, necesse est omnino, aut è pene vasisque spermaticis impuram hanc sordem profluere; ac proinde vel calculum in vesica esse, vel ulcus in pene & vesicæ cervice.

Signa causæ. Quum autem hi affectus quasdam notas communes habeant, propriis certe discernendi sunt: neque peculiaris est suscipienda curatio, antequam certo constet uter subsit affectus. Itaque observandum attentius, num quod pondus gravitatis percipiatur in perinæo, quod etiam incedenti molestum sit? Num dolor nonnunquam incumbat in podicem, & mejendi ac desidendi cupiditas sit? An urina pleno fluat radio? Si profluentis illius cursus intercipitur? Hæc enim certa sunt calculi indicia: præsertim vero, si aliquando laborans nephritico dolore distortus fuerit. At vero si nihil istorum comparuerit, an præterea virus quoddam è pene interdum sponte excidat A sine sensu, & sine emictione? Si ante vel post testium tumorem virulenta gonorrhœa aliquando contaminatus fuit æger? si urina non pleno radio, sed tenui quasi filo redditur? si in penis arrectione vel attactu, aut dolor, aut etiam tumor aliquis percipitur; in ipso penis ductu ulcus certe sordidum ac fistulosum, vel in vesicæ cervice, vel in penis ductu consistit? Ut autem conjectura, quæ ab his signis ducitur, sensus indicio exploretur atque confirmetur, catheter blande immittendus est, quo continens illa & proxima mali causa certius designabitur.

Cognita tandem affecta sede, & propria mali origine, huic peculiaria accommodabuntur præsidia, & quę (ut spes) profutura sint. Inter moras tamen (si quę erunt) dolor emictionis leniendus est fotu emolliente, vel anodyno partium obscœnarum, aut interdum fotu ex lacte tepido. Inunctione etiam, quę fit ejusdem facultatis, pars erit lenienda, & injectione ex mucilagine seminis psyllii & cydoniorum, extracta in aqua plantaginis. Urinæ quoque acrimonia lenienda est syrupo violato, althęę, limonum, vel alio refrigerante, aut emulsione seminum frigidorum majorum & vino abunde diluto, si robur ventriculi ferat. *Sedatio caloris.* B

CON-

CONSIL. LXII.

Ad ulcus sphincteris vesicæ, è Gallico.

Vlceris extersio. VT remedia adhibeantur ulceri jam inveterato & calloso, quod signis quibusdam certis & cathete deprehenditur esse in sphinctere vesicæ, sine tuberculo carnoso. Primum fotibus mollientibus, & dolorem sedantibus, ter aut quater in die pars infra scripta lenienda erit. ℞ Radicum althææ, & liliorum incisorum an. ℥ij. Malvæ, Violariæ, Parietariæ, Nasturtii, Origani, Calamenti, Absinthii, Florum chamæmeli, & meliloti, an. m. j. Seminis lini, & fœnugræci, an. ℥j. Reponantur in sacculo, bulliant in aqua & vino albo. Fiat fotus pudendi & perinæi, ter aut quater in die. Post quinque aut sex dierum hujusmodi fotus continuationem, intermittenda erit duobus diebus, interimque purgandum erit corpus cassia & rheubarbaro in hunc modum. ℞ Cassiæ fistulæ recenter mundatæ ʒvj. Rheubarbari electi subtiliter pulverizati ℈iiij. Cum speciebus electuarii tragacanthæ, fiat bolus. Die sequenti purgationem hauriet Terebinthinam Venetam in hunc modum paratam. ℞ Terebinthinæ Venetæ lucidæ lotæ in aqua rosarum & parietariæ ʒij. Tum ad priores fotus per tres aut quatuor dies erit redeundum, vel donec prædictum ulcus mollitum & lenitum erit, tuncque siphone tenui injiciendum erit decoctum inferius, & ad partem affectam deducendum, ter aut quater die. ℞ Rosarum rubearum, Plantaginis, Hordei integri, Absinthii, an. m. j. Centaurii minoris m. ß. Fiat decoctio ad ℔j. in colatura A dissolve mellis rosati ℥ij. Fiat injectio. Post aliquot dies, quibus hæc injectio celebrabitur, decoctum erit magis detersivum reddendum, addendo quæ sequuntur. ℞ Prædictæ decoctionis ℔j. In qua dissolve aloës optimæ ʒij. Myrrhæ ʒj. Aristol. rotundæ pulver. ʒß. fiat injectio.

Consolidatio. Ulcere jam his auxiliis probe deterso & mundificato, ut magis ac magis desiccetur, fiet injectio aquæ aluminosæ, in hanc formam confectæ. ℞ Aluminis crudi ℥iiij. Succorum plantaginis & portulacæ an. ℥viij. Agitentur omnia simul, & dissolvantur cum albuminibus trium ovorum crudorum; dein reponantur in alembico vitreo, & distillentur. Ut autem postea ulcus cicatrice inducatur, & pelle vestiatur, in- B jectione hac ultima procurandum erit. ℞ Aquæ plantaginis stillatitiæ ℔j. in qua dissolve trochiscorum alborum Rasis cum camphora ʒß. Fiat injectio. Aut loco trochiscorum hoc modo. ℞ Lithargyri auri, Cerussæ, Boli armenæ an. ℥ij. fiat injectio.

Diæta. In victus ratione abstinendum erit ab salitis, & aromaticis, vinis potentibus, cæterisque sanguinem subtiliorem reddentibus: eorum loco juscula refrigerantia, pruna, cæteraque edulia, quæ sanguinem moderatum generare possunt, erunt ex esu. Nonnunquam inter pastus, & per curationem, hydromelitis bene cocti, vel aquæhordei, haustum unum assumere expediet.

CONSIL. LXIII.

Ad mictionem pituitosam.

Signa morbi. QUidam mingebat urinas turbidas, in quibus subsidebat pituita crassa & viscosa: afficiebatur summo dolore & ardore inter mingendum, putabat herus, id fieri calculo in vesica concluso, sed chirurgi adhibito instrumento non invenerunt calculum. reliquum est ergo, ut id fiat à vesicæ imbecillitate.

Cura purgatione. A Ad eam sequentia præscripta sunt. ℞ Polypodii quercini ℥j. Radicis Rusci, Asparagi, Graminis, Petroselini, & Fœniculi, an. ℥ß. Agrimonii, Ceterach, Cuscutæ, Pimpinellæ, Beronicæ, Gallitrici, Saxifragiæ, Adianti, Capilli Veneris, an. m. j. Seminis Anisi, Melonum, Bardanæ, Petroselini Macedonici, Glycyrrhyzæ rasæ, an. ʒij.

Fiat

Fiat decoctio ad ℥xx. In colatura infunde foliorum Sennæ mundatorum ℥iiij. Agarici albi ℥ij. Turbith gummosi ℥ſ. Zingiberis ʒij. Bulliant parum simul,& fiat omnium expressio. in qua dissolve sacchari albi ℔j. Fiat syrupus perfecte coctus. capiat decimo vel quintodecimo quoque die ℥jſ. vel ℥ij. pro dosi, cum pari portione aquę parietariæ. Item ℞ Aloës optimæ ℥ß. Rheubarbari electi ʒijſ. Agarici trochiscati ℈iiij. Pulveris electuarii Ducis ℈ij. Malaxentur omnia simul cum syrupo de althæa. fiat massa mollis. Capiat pilulas quinque pro dosi ex drachma una, sine custodia. Aliis diebus cum vel adstrictior erit alvus, vel molesta pituita, ℞ Quatuor seminum frigidorum majorum, Seminis Ocymi, Pimpinellæ, Saxifragiæ, & Petroselini Macenici, an. ʒj. Cinnamomi electi, Nucis muschatæ an. ʒß. Pulveris Electuarii Diarrhodonis Abbatis ʒj. Sacchari albi dissoluti in aqua Parietariæ & Gallitrici ℥vj. Fiat elect. per tabellas ponderis ʒiij. Capiat unam mane, tribus saltem horis ante cibum, quibus diebus nec syrupis nec pilulis utetur.

Fotus. Item ℞ Radicis Althææ, Enulæ Campanæ, Granorum juniperi an. ℥j. Centaurii minoris, Origani, Absinthii, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, an. mj. Seminis Anisi, fœniculi, & Fœnugræci, an. ℥ß. Fiat omnium sacculus, bulliat in aqua sufficiente, ponendo in fine vini albi quartam partem. Fiat fotus calidus pudendi, pubis, & perinæi. Hoc si non satis, pituita extenuabitur & liquefiet. Ex hisdem parabitur insessus, in quo calido madeat & mergatur ad umbilicum usque.

CONSIL. LXIV.

Ad mictionem involuntariam, melancholiam hypochondriacam, & inflammationem tibiæ.

Morbi. QUI ampla & dilucida narratione expositus est affectus, licet varia symptomatum permistione eorumque insolenti concursione perobscurus & novus appareat, singulorum tamen signorum vires & naturas si paulo altius scrutemur, conspicuus uterque reddetur, ejusque causa aliorum morborum imitatione deprehendetur. Non unus quidem est & simplex affectus omnium symptomatum causa, sed collatis æstimatisque eorum naturis, tres omnino affectus impliciti deprehendentur.

Inflammatio tibia. Unus est tibiarum recurrens ex intervallis inflammatio, rubor siquidem atque calor notæ sunt inflammationis. φλεγμονὴν appellant. Ea tamen erysipelas censeri non potest, cum non solum cutem, verumetiam subjectam carnem occupet, totaque pars in ingentem molem attollatur. Restat igitur, ut ea tibiarum inflammatio sit phlegmonodes.

Ejus causa. Hujus proxima continensque causa sanguis est tenuis ac fervidus, qui non solum rubore & calore, sed & immoderata copia partem offendit. Is quidem non uno loco coërcitus phlegmones speciem exhibet, quæ postea in abscessum definit, sed per tibias æquabiliter diffusus phlegmonodem tumorem efficit, eousque perseverantem, dum represso ardore sanguis totus aut manifeste, aut sine sensu dissipetur & exhalet. Defluit autem hic sanguis ex universo corpore, maxime vero è visceribus, & è vasis omnibus in quibus statis temporum circuitibus coagmentari exuperareque solet, idque ob insitam laborantis constitutionem. Cum enim & illius temperamentum & habitus, vivendique ratio, & vitæ genus, laborantem sanguineum esse demonstrent, multoque sanguini generando pronum, accidit certe ut statis temporum intervallis magna sanguinis exuperantia toto corpore succrescat. Ea autem cum jam molesta & naturæ gravis evasit, in tibias, quavis ex causa imbecillas, è vasis aut à natura propellitur, aut suopte impetu ruit. Quemadmodum his, qui simili constitutione sunt, aliis per nares, aliis per hæmorrhoides, aliis per alias sedes erumpit. Revera nisi huic Domino laboranti ea exuperantia in tibias procumberet, periculum impenderet vel repentinæ suffocationis, vel ruptionis vasorum: cum audiamus aliquando sanguinem

nem magna vi vomitione rejectum, idque A non nisi aperta, vel rupta vena, quæ vel è jecore, vel è vicinis partibus & sedibus in ventriculum dirigitur. Ex universo autem corpore, ac ex omnibus venis fluxionem in tibias eruere, luculenter ea commonstrant, quæ audimus accessionis principio apparere: ea sunt totius corporis gravitas, lassitudo tensiva, spiritus difficultas, capitis dolor, æstus & ardor partium interiorum, animi anxietas: quę omnia exuperantis sanguinis, ejusque calidioris sunt symptomata.

Melancholia Hypochondriaca. Alter affectus Dominum laborantem affligens, est melancholia, inflammationis comes, quam hypochondriacam judicem. Nam dolor in hypochondrium sinistrum plerumque incumbens, ejusque palpitatio in sinistram mammam excurrens, animi B anxietas, mœstitia, solitudo, variæ somniorum perturbationes, judicium in rerum administratione, raciocinatione hebetius, & memoria fluxa: signa quidem sunt, quæ non nisi ad atram bilem referri possunt, cujus vapores in cor & cerebrum illapsi hæc omnia multoque graviora infligere solent.

Ejus causa. Quum summus ardor interiorum viscerum, humorumque, tam multos annos perseverarit; vix fieri potest, quin flavæ bilis præassatæ pars maxima in atram facescat, quæ in proprium lienis receptaculum relegata malignitatis suæ vires profert.

Mictio involuntaria. Tertius affectus est emictio involuntaria, dormienti potissimum sine sensu obtingens.

Ejus causa. Ea nequaquam soboles est inflammatio- C nis aut superiorum affectuum, neque posthac metuenda videtur ischuria ei similis, quæ hominem gravissime torsit, sed emictionis ejus causa est sphincteris musculi, qui vesicæ cervicem obsignat, offensio: hic enim catheteris immissione divulsus dilaceratusque est: ex quo & sanguis copiosior emanavit. Sic autem oblæsus obserandi munus complere non potest. Hæc quidé de affectuũ dignotione, & de causis.

Prognosticum. Quibus ita constitutis, omnium certe sperari potest perfecta sanatio, si modo laborans in hac ætate florente, summo virium robore, quam decet diligentiam impendat.

Curandi ratio, mictionis involuntaria. Postremus affectus, qui emictionem efficit sine sensu, quoniam simplex admodum est, nec ullam sordem aut illuviem effundit cum urina, solis adstringentibus & corroborantibus emendari potest. Hujusce generis fotus sunt partium obscœnarum, ex rosis, balaustiis, plantagine, rhoe, malicorio, hisque similibus, coctis in aqua fabrorum. Deinde emplastra ex eadem materia, & ex metallicis, lithargyro, alumine, bolo armena, mastiche, exceptis oleo myrtino, & aceto. Hæc si extrinsecus insidentia parum juvent, intromittenda quidem erunt siphone, dum offensum cervicis musculum attingant. Ita enim multo efficacior deprehendetur eorum usus.

Melancholia. Alii duo affectus, quoniam impliciti quodammodo sunt, & unus alterius soboles est, communem fere curationem habent. Recurrens illa tibiarum inflammatio sola fortasse victus ratione inhiberi arcerique potest. At melancholica affectio curationem quandam exposcit. Itaque ut sanguis totumque corpus purius reddatur, quinto aut sexto quoque die purgatio decernatur syrupo, qui constet ex succo buglossi, boraginis, fumariæ, lupuli, oxalidis, & similium; recipiatque in libras quasque succorum dilutas foliorum senæ ℥iiij. & cinnamomi ℥ß. Sacchari ℔j. Hujus dosis erit ℥ij. ex sero lactis dilutæ. Si melancholica symptomata magis premant, diebus interjectis similis offeratur syrupus, detractis foliis senæ. Præscribatur & electuarium ex pulvere lætificanti Galeni, Diambræ, & electuarii de gemmis, cum saccharo dissoluto in aqua buglossi. Purgatio nulla validior tentetur, nec posthac vena secetur, nisi major necessitas ingruat. Cæterum tuto & magno usu aperiri poterunt hæmorrhoides, si forte intumescant, aut quovis modo conspicuæ sint; idque vel scalpello, vel hirudine, vel medicamentis. Huc accedet victus ratio, quæ bonum, tenuem, modice frigidum ac humidum succum generet, qualem nimirum hypochondriacæ melancholiæ omnes expetunt.

Inflammationis tibia. Jam vero recurrentis inflammationis præcautio in hoc maxime posita est, ut parce tenuiterque vivat, & siti ac inediis se maceret atque in sanguinis & humorum mediocritate consistat, nec hos sinat in ullam gravem & molestam exuperantiam auge-

augeri. Quocirca cibis euchymis, frigidis ac humidis, mediocribus utatur, & à consueta alimentorum copia dimidium detrahat. A vino menses duos aut tres (si ventriculi robur fert) abstinebit. Hujus vero loco potus erit, aut cerevisia tenuis, aut aqua cinnamomo condita, aut ligni guajaci decoctum. Quod etiam si sudores promoveat, corpusque reddat patentius, utilissimum judico. Reliquo vitæ cursu devitet vinum meracius, crapulam atque satietatem. Tota quippe curationis spes A est in victu refrigerante ac tenui. Sententiæ de potu lactis asinini non accessi, quod lac in calida & biliosa constitutione prompte corrumpatur, nec corpus atrophia laboret. Multo minus placet balnearum usus: quod hæ fusis colliquatisque humoribus fluxiones proritent: corpus autem variis fluxionibus tentetur. Ne autem posthac in tibias tam prona sit fluxio, utile sit, fasciis eas arctius vincire, aut caligis, quæ hic nobis ex pelle canina parari solent in eum usum.

CONSIL. LXV.

Ad Gonorrhœam & Arthritidem.

Morbus. Generosum hunc virum duo exercent A affectus: Arthritis & Gonorrhœa. Hæc recens est, & trium duntaxat mensium, sine emictionis ardore, sine ulcere, aut mejendi difficultate. Illa vetustior, quæ hoc anno gravius afflixit, & ante annos sex semel de se futura aliquando testimonium exhibuit. Mirum sane, hanc ipso statim invasionis initio omnes peræque articulos occupasse, & tophos in digitis, manu, carpo, aliisque locis reliquisse.

Prognosticum. Indicium hoc esto gravissimæ arthritidis aliquando futuræ, quæ paucis annis hominem totum quasi compedibus & manicis sit comprehensura, nisi tempestive occurratur.

Cura primo triduo. Hoc ille præsentiens ac metuens, opem implorat, quam cum ferre ei non liceat in aula vaga ac instabili, committendum tibi illum putavi, ut in curando rationem eam & methodum imiteris, quam nos aliquando tenuisse vidisti. Ut autem tu pariter virulentæ gonorrhœæ curationem accommodes, die primo alvum perfundes clystere qui teneat Hieræ simplicis, Diaphœnici, an. ℥ß. Mellis rosati & anthosati an. ℥j. &c. Postero die purgabis medicamento, & Rheubarbaro, & Agarico, an. ℈iiij. infusis in aquis betonicæ, endiviæ, & vino albo, an. ℥j. in expressione dissolve electuarii diacarthami ʒjß. sirupi Capilli Veneris ℥ß. Tertio die dentur Terebinthinæ ʒijß. Cum sirupo Capilli Veneris, ex cochleari horis iiij. ante cibum. Quarto die quiescendum. Quinto diætam per Guajacum auspicari oportet, decoctumque duplex habendum, unum meracius, quod in ℔ß. ligni & ℥ij. corticis habeat sub decoctionis finem radicis Enulæ Campanæ, Polypodii quercini, seminis Carthami, an. ℥j. Quo utatur bis die, tribus horis vel iiij. ante pastum. Alterum dilutius ex solo ligno, cujus usus erit in pastu vice vini. Victus in diæta imperandus tenuis, attenuans & siccans. Si alvus erit adstrictior, proritetur clystere. Septimo vel octavo die denuo purgetur B medicamento non admodum dissimili.

Et postea. Ab hac purgatione, topica remedia capiti primum adhibeantur, ut sacculi ex seminibus, qui erumpentem sudorem magis evocent. Et post detersum sudorem quotidie mane & vesperi errhina, primum quidem leviora, dein valentiora. Quum capitis humores magna ex parte dissipati apparebunt, cervici & spinæ dorsi ea induces medicamenta, quæ scio te charticulis excepisse. Tophis vero emplastra quædam, C quæ serie longa Domino de Chauvigne nos præscripsisse satis meministi. Cum istorum continuatione omnem articularem dolorem & tophos fistulares ipsumque mali fontem absorpseris, corroborandi postremo erunt articuli remediis in id comparatis: quorum tibi magna quoque superest supellex: Sed antequam res eo deducatur, te, ut spero, revisurus sum.

Perseverante Gonorrhœa quid faciendum. Si his remediis gonorrhœam penitus evelli non contigerit, inferenda erunt in penem, quæ ejus reliquias reficcent, Horum

rum materia, si res postulat, plenius aliquando exponetur. Interim nihilominus calor immodicus, & æstus renum, per curationem reprimuntur illitu ex oleis nenupharini & rosarum, lotis in aqua plantaginis, vel oxymelite, aquis rosarum, plantaginis, & solatri, an. ℥ij. aceti ℥j. In quibus etiam, si necessitas postulet, dissolve trochiscorum de camphora ʒij.

CONSIL. LXVI.

Pro Enterocele, è Gallico.

Cura Dieta. AD Curationem propositi affectus primum contineri oportet conclavi, & decumbere lectulo, dies ut minimum viginti, lumbisque supinum insistere, nec corpus admodum extendere, aut exagitare, præcipueque tibias, atque adeo animum ira, tussi, risu, aliisque affectionibus. Interea temporis sobrie & temperate vives, cibis nec flatuosis, nec humidis: dabisque operam, ne venter sit turgidus aut siccus, ut quotidie aut natura, aut arte seu clystere, seu glande solvatur.

Medicamentis externis, Primum quidem purgabitur corpus medicamento, postea describendo: quod etiam repeti poterit post xv. vel xvj. diem ℞ Quatuor emollientium, Origani, Calamenti, Absinthii, Chamæmeli, Meliloti, Anethi, an. mj. Seminis anisi, fœniculi, an. ℥ß. Mellis rosati, & anthosati, an. ℥j. Olei rutæ & anethi, an. ℥jß. Fiat clyster. Item ℞ Radicis consolidæ majoris, & mediæ, radicis osmundæ regalis, an. mß. foliorum sennæ mundatorum ℥iij. Fiat decoctio pro una dosi. in colatura dissolve rheubarbari electi pulverizati ʒjß. syrupi rosarum siccarum ʒvj. fiat potio. Quatuor primis curationis diebus fovebitur tumor ille spongia mediocriter madefacta decocto sequenti: Quinquiesque aut sexies quam calidissime ferre poteris totam partem duram & dolentem diu conteges supinus, tum splenio & fascia linteis inductis circumligabis bis in die, mane videlicet, ac hora prima post prandium. Fotus talis esto. ℞ Radicis Altheæ, Ebuli, & Iridis recentis, an. ℥ij. Malvæ, Violariæ, Parietariæ, Nasturtii, Absinthii, Origani, Calamenti, Centaurii minoris, an. m.j. Seminis fœniculi, Lini, & Fœnugræci, an. ℥j. Fiat omnium decoctio in aqua sufficienti pro fotu. Post quatuor dies fovebis denuo herniam illam tuam sacculo, quem tibi tradidi vino rubeo adstringente perfuso & calefacto ad prunas: & post alios octo dies intingetur secundus sacculus lixivio ex aqua ferrariorum, & cinere quercino. Post quos sacculos bis in die inductos, applicanda rursus erunt splenia & fasciolæ. Quibus perfectis, cessare poteris ab aliis remediis, præterquam à subligaculo hernię tuę accommodato per duos menses. Itemque ut ab omni conatu laborioso abstineas, sive equestri sive pedestri.

Quarto decimo curationis die haustum *Internis,* quendam pulveris sequentis ex cochleari mane, vesperique hora una ante cibum aggrederis, ac, usque dum perfecta sit sanatio, persequeris. ℞ Corticis myrobalanorum Indarum & Chebulorum, an. ʒjſ. Nasturtii, Portulacæ, Plantaginis, Sumachæ, an. ʒſ. Coralli rubri, Lapidis hæmatitis, Carabes, an. ℈j. Cinnamomi electi ℈iiij. Sacchari rosati ℥iiij. Fiat pulvis.

CONSIL. LXVII.

Ad Coxendicem, & aliorum articulorum dolores.

Morbi generatio. MUltis hisque diris malis premitur hęc adolescens, sed quorum omnium una sit origo, unusque fons è capite. Vetus œdema, quod illam primis annis male habuit, frequens & importuna capitis lotio, intemperiem frigidam & imbecillitatem capitis reliquerunt, quæ frigidi excrementi copiam assiduo cumulat. His ex causis congestus, exuperansque frigidus ac pituitosus humor, olim in cervicis ade-

adenes ſtrumarum vice procubuit: nec multis ante annis in corporis partem dextram irruens, cervices, ſcapulæ, coxendicis, fœmoris, totiuſque cruris articulos obſedit. Neque ſolum externas corporis partes, ſed & noviſſime interiores invaſit, tanta fluxione in pulmones illapſa, ut non modo tuſſim, ſed & ſtertorem & moleſtam ſpirandi difficultatem invexerit. Unde intelligitur omnium malorum continentem cauſam eſſe frigidum pituitoſumque humorem, qui omnes fere corporis ſedes occupat, illiuſque primam originem è capite fluere.

Prognoſticum. Niſi extreme imbecillæ ſint vires, ſpes quædam ſanationis affulget, hoc potiſſimum ætatis vigore, & appellente vere. Multa quidem ad curationem arte præſcripta ſunt, quibus levata laborans, nondum tamen ob mali diuturnitatem & pervicaciam ſanata: hinc ſuſpicor malorum fontem nondum prorſus exhauſtum eſſe. Sed crebro ut in pulmones, ſic in articulos fluxionem è capite ferri, quæ hanc diuturnitatem alat.

Cura capitis. Summum curationis conſilium dirigatur, ut caput vacet excrementis, aut ſi quæ neceſſario gignuntur, deriventur per nares, vel admotorum vi digerantur. Itaque decimo vel duodecimo quoque die pro virium robore purgetur potione vel catapotiis, quæ ſatis valide poſſint è diſtantioribus partibus detrahere. Tonſo capillo quotidie mane, & hora una ante cœnam ſemina aniſi, feniculi, carvi, & cumini, baccæ lauri, milium & ſal torrefiant in ſartagine, excipianturque ſacculo, qui, quam calidiſſime ſuſtineri poteſt, inducatur, donec vel calor intro penetret, vel ſudor emanet è facie. Hoc ſublato caput muniendum eſt ſtuppis cannabis concalefactis & ſuffitu à te præſcripto perfuſis. Mox ex uſu erunt apophlegmatiſmi & errhina, principio quidem his mitiora, quam quæ ex helleboro conſtant. Ac ne ſternutamenti impetus corpus nimiopere concutiat, ſatis fuerit in ℥iij. ſucci betonicæ, vel ſampſuchi, injicere iridis ʒij. & cyclaminis ʒj. Cervix tota cingatur emplaſtro digitos tres lato, quod conſtet ex ℥ij. maſtiches, & ℥jſ. emplaſtri contra rupturam.

Decubitus ſupinus omnino vitandus, utilis autem pronus, qui fluxionis impetum deducat in nares. Victus imperandus ſiccans, & extenuans. Sorbitiones omnes fugiendæ ſunt, atque piſces, & potus immodicus. Carnibus aſſis veſcendum, parciſſime bibendum, denique ſitis toleranda. Horum omnium uſus tamdiu continuandus eſt, dum laborantis caput gravitate & dolore levetur, poſſitque citra moleſtiam ubique attrectari. Exactis autem diebus circiter viginti, ut & deſtillationis reliquiæ & humores, qui tum in articulos tum in pulmones procubuerunt, attenuentur, diſſipenturque; utile ſit, guajaci uſum imperare, qui multo minus vires offendit, tutiorque eſt æſtuario. Sit autem decoctum meracius, in quo ſub finem incoquantur Polypodium, ſemen carthami, Salvia & Hyſſopus: eritque in primis utile, ſi hujus vi mane & ante cœnam ſudores duci poſſunt. Cum hoc fiet, erit nihilominus in his perſiſtẽdum remediis, quę nunc deſcripta ſunt. Suſtinenda erit laborans victu ſatis pleno, ne vires tempore laboreque deficiant. *Totius.*

Si ne iſtorum quidem ope artuum dolores miteſcunt, inveſtigetur in coxendice ſumma pars doloris, quæ ſolet ad os ſacrum pertinere, & in hanc figatur cucurbitula mediocris, eaque ſine ſcarificatu, tertio aut quarto ex intervallis repetita, dum dolor definit. Validius enim quam quodvis emplaſtri genus, dolorem evellit. In penu vero vaporaria fiant ex vino aut aceto, infuſo lapidi molari candenti; aut foliis è lixivio ſarmentorum, in quo incoxerint radix Acori, & Enulæ campanæ, Polypodium, Laurus, Thymus, Stœchas, Salvia, Betonica, Majorana. *Coxendicis.*

Pulmonum infarctus expedient Oxymel ſimplex, Oxymel ſquilliticum, Syrupus de Hyſſopo, & alius quivis vice eclegmatis ex becchicis compoſitus. *Pulmonum.*

CON-

CONSIL. LXVIII.

Ad tumorem scirrhosum.

Investigatio morbi. PUlcre quidem judicium vestræ narrationi consentit, nam si initio vehemens cruciatus erat, sine rubore, sine pulsu aut colore, nunc vero dolore sedato tumor increverit, necesse est, vel ex œdemate factum esse exquisitum scirrhum, vel si non admodum durus aut recitens est tumor, rupta musculorum membrana carnem supra naturalem modum increvisse, & factum esse indolens sarcoma. Probabilior tamen est prior sententia.

Cura. Quum nihil adjuta sit laborans præclaris auxiliis, putavimus, extenuandum corpus esse, dissipandosque vitiosos humores, decocto palmę sanctæ: ad quod adigenda est cum victus ratione tenui & sicca, idque dies saltem viginti. Octavo quoque die A purgabitur medicamento ex folliculis Sennæ, Agarico & Diaphœnico, quod crassos humores jam præparatos eliciat: nec eo die sudores movendi sunt. Aliis diebus deterso sudore adhibendum est emplastrum Philagrii, vel emplastrum filii Zachariæ: utrumque enim accommodatissimum est emolliendis tumoribus scirrhosis, discutiendisque. Hæc nisi continuata proficiant, imponatur emplastrum efficacissimum. ℞ Radicum bryoniæ, cucumeris agrestis, iridis, sigilli beatæ Mariæ, crudarum, an. ℥ij. Radicum althææ & liliorum, coctarum sub prunis, an. ℥iij. Seminis sinapi, urticæ, nasturtii, an. ℥j. Terantur omnia simul, addendo axungiæ anseris recentis ℥viij. Olei amygdal. dulcium q. satis. Fiat cataplasma.

CONSIL. LXIX.

Ad pestem Anglicam, 1550. D. Fernelii, Ia. Hollerii, & Iacob. Sylvii, pro legato Anglico.

Causa. PEstis Anglica haud ita multis ante annis nota, omnium acutissima. Nomen à symptomate insigniori, sudatione, nacta, sive in humorum, sive in spirituum, sive in amborum putredine consistat, Epidemica omnino est. Corruptoque cœli tractu è ventis, halitibusve tetris, aut causa alia venefica, plane in corpora magis humida atque excrementosa, ut pestes aliæ, sævit, & sæpius, & periculosius.

Præcautio, Emendatione aëris. Quapropter venenosam istam aëris qualitatem, si lubet aut prohibere (id quod multo est optabilius) aut profligare, expugnanda nobis est diligentissime tum externa illa causa, nempe aëris corrupti contractio & commistio, tum corporis afficiendi pręparatio. Aërem corruptum, & tota substantia qualitatibusque pestilentibus vitiatum, in corpus tum recidi prohibebis, si loca eo aëre pestilenti contaminata intervallo etiam longo vitabis. Aut si in eo versari tuam dominationem cogunt negotia, flabellis est agitandus, & propulsandus, aut A his quæ putredinem arcent castigandus: & qui nondum putredinem hanc sentit, hisdem est servandus. Qualia sunt ignis in cubiculo & domo reliqua, atque adeo ejus toto ambitu, ex lignis siccis, & plantarum partibus odoriferis, luculentus. Partes hæ sunt, Salviæ, Rorismarini, Juniperi, Lauri, Majoranæ, Thymi sicca folia, flores, semina, Baccæ, Caryophylla, semen Melanthii, semen & radix Pæoniæ, præsertim maris, Schœnanthum, Lignum aloës, Styrax, & succus Angelicæ, & qui ex his fieri B possunt trochisci ad suffitum apti, addita etiam ambra, si libet, ac moscho, & cæteris alexipharmacis. Hunc vero aërem ea cura præparatum cave hominum halitibus conspurcari, ne forte inter eos sint quibus mali hujus rudimenta, & veluti seminaria, circumgestentur.

Corpus tum paulo calidius ac humidiús contra hanc luem munies, ac veluti adamantinum reddes, si vacet excrementis aut putridis, aut ad putredinem paratis, & bene *Purgatione corporis.*

bene totum perspirabile reddatur. Quę ambo præstabunt vacuationes paucæ, & victus ratio idonea. Vacuationes autem erunt hujusmodi. Primo quoque die antequam Lutetia excedas, accipe Cassiæ recenter purgatæ ʒvj. Rheubarbari electi mediocrirer pulverizati ʒjſ. Cinnamomi gr. vj. Capias mane horis tribus ante cibum cum saccharo vel aqua buglossi. Postridie mane circiter sextam, sanguinem unciis vj. vel circiter minues, secta basilica dextra, aut victu tenuiore, si à phlebotome abhorres. Quum vero corpus nostrum etiam ex alimentis qualitate & quantitate idoneis, excrementa gignat interdum etiam largiora, salubre tibi est, semel aut bis in septimana devorare una hora ante cibum duo aut tria hæc catapotia. ℞ Aloës electæ ℥ſ. Myrrhæ optimæ ʒij. Croci ℈ſ. Foliorum diptami veri, Radicis pseudodiptami, Betonicæ erraticæ seu tunicis, Pentaphylli veri seu tormentillę, Boli armenę veræ, Sigilli Lemnii veri, an. ʒſ. Cum oleo amygdalarum dulcium recenti sine igne extracto, & cum syrupo limonum, fiat massa mollis, involvatur aluta.

Alexipharmacis assumptis,

Quanquam vero purgantia etiam robur addant partibus nostris principibus, in quibus sunt facultates summæ, quorum actio est nostra vita: tamen propriis etiam Alexipharmacis sunt velut armandæ, ne locum dent ullum malignæ hujus aëris contagioni. cujusmodi esse hæc duo præstantissima constituimus, ratione atque experientia inventa ac comprobata. ℞ Conservæ Buglossæ, Boraginis, Cichorii, Adianti albi, seu capilli Veneris an. ℥ij. Conservę rosarum, Corticis citri conditi, an. ℥jſ. Foliorum veri diptami, Radicis pseudodiptami, Tunicis, Tormentillę, an. ʒij. Seminis cardui, Seminis citri, Seminis oxalidis an. ʒiij. Zedoariæ, Gentianę, an. ℥ſ. Mithridatii veteris, Theriaces, an. ℥iij. Pulveris electua. Diamargariti frigidi, de Gemmis, Diarrhodon Abbatis, & Triasantali, an. unc. ſ. Aquæ decoctionis duorum caponum alteratorum cum Oxalide, Portulaca, Scabiosa, Buglossa, Boragine, Calendula ℔x. cum foliis triginta auri purissimi. Fiat distillatio artificialis in vitreo vase super cineres. servetur vase vitreo. Utatur mane horis ante cibum, dando cum Saccharo & Cinnamomo. Et si malum prehendat, dato in ipsa accessione bis aut ter ad uncias duas vel tres parum calefactas.

Diæta.

Mane vacuato corpore partes omnes motibus clementibus exerce, quibus si sudor blandus superveniat, linteis mollibus tergendus est. Ab hoc ubi corpus deferbuerit, cibum sumes coctu facilem, sed paulo parciorem solito. Tales sunt Turdi, Perdicelli, Perdices, Aviculæ, Capi altiles, Gallinę, Phasiani, Lepusculi, Cuniculi, Capreoli assi potius quam elixi, cum omphacio, vel cum succo oxalidis, limonum, aranciorum, aceto simplici aut rosaceo. Aut si elixis his vel similibus vesci libet, alterentur portulaca, buglosso utroque, & cum prædictis condimentis mandantur, sed ita parce, ut semisatur ab epulis recedas. Pisces si tangere placet, deligantur qui post coctionem habeant carnem siccam & digitis friabilem, quorum proventu vestra dives est Anglia. Vinum sit æstate mediocre viribus, colore aut album aut igneum, hyeme valentius & rubentius, modo non magis vaporosum aut calidum aut aqua multa sit diluendum, quam in hoc effectu aut præcavendo aut curando non probamus, quod nimis humectet, uti neque vestram cerevisiam, quæ succum gignit crassum & melancholicum, quoquo modo paretur. Vestram quoque *gousthallicam* illi affinem non probamus, nec lac, corrumpi nimis habile. Nec serum lactis vino albo secretum & mistum. Caseus quanquam siccando saluber est, quia tamen vetus calefacit, recens est frigidior & crudior, & obstructioni paratior, vitandus est; præsertim frequens & largus. Fructus omnes ęstivi corpus putredini parant. Dactylos, uvas passas, permittimus, imo imperamus. Item ficus passas, quod viscera tergeant, obstructa liberent, & venenis resistant. Amygdalas dulces, Cappares, &c. Corticem citri conditi, Conservam rosaceam, boraginatam, buglossatam, Asplenii, Scabiosæ, Cichorii, Radicis tormentillæ, Tunicis, & similium, maximi facimus, crebro usu, & horis prope omnibus, sive ante pastus, sive post, nisi alia ratione alvum adstringendo obsint. Potes interdum ante jentaculum per horas duas sumere quantitatem avellanæ, hujus misturæ. ℞ Conservæ rosaceæ, Boraginis, Buglos-

Buglossi, Corticis citri conditi, an. ℥j. Theriacæ aut Mithridatii veteris ʒiij. Boli armenæ, Sigilli Lemnii, an. ʒij. Fiat opiata, post cujus parvam quantitatem superbibat ℥ij. vini distillati. Potes enim sumere portiunculam ovi Philosophici, quod plerique Medici descripserunt.

Cura ipsius sudoris anglici. Si improviso lues inciderit, mirum in modum roborat, in ipso sudore destillatum calefactum bibere, & electuarium sumere etiam bis terve, & panem ex vino aqua buglossi diluto madidum sugere: atq; hoc partes ipsas principes, facultatū effectrices, ac ipsas facultates, corpus nostrū gubernantes, reficit, & veneni vim tabificā citius de corpore propulsat. Ob id accessionem reddit salubrem magis ac brevē, & à symptomatis feris hanc luē sequi solitis corpus vindicat.

CONSIL. LXX.

Elephantia incipiens.

Historia morbi & curę. *Nobilis annos quinquaginta natus, carnosus quidem, sed tamen squalidus, & ad eum accedens habitum qualis est ictericorum, facie rubicunda, seu ex rubro livescente, sanguine crasso nigroque perfusa, in qua macula nigra, aut livida, interdum exoriebantur, ut etiam in reliquo corpore, sensu nullo aut obtuso prædita, sed sine siti, cine cibi fastidio, & aliis symptomatis gravioribus. Infinitas hic potiones hauserat medicas, & sudoribus corpus exsiccaverat in balneis calidioribus, non sine valetudinis jactura. Verebatur ne Elephantia corriperetur, cujus jam videbatur rudimentum.*

Rescripsit D. FERNELIUS hæc remedia.

Remedia usurpanda interna. ℞ Radicis acetosæ, Lapati acuti, & Enulę campanę, Polypodii quercini, seminis Carthami, Passularum mundatarum, an. ℥ß. Endiviæ, Cichorii, Plantaginis, Buglossi, Boraginis, Lupulorum, Fumariæ, Cuscutæ, Ceterach, Chamędryos, Chamępityos, an. m. j. Florum violarum p. ij. Fiat decoctio ad ℥xvj. In colatura infunde per noctem Epithymi ℥ß. Foliorum Sennæ mundatorum ʒv. Agarici albi ʒij. Gingiberis ʒij. Mane bulliant parum, & fiat expressio, in qua dissolve succorum depuratorum Fumiterræ & Plantaginis an. ʒiiij. Sacchari albi ℔jß. Fiat sirupus perfecte coctus, dosi ℥ij. vel ℥ijß. cum sero lactis, quinto aut quoque sexto die ℞ Conservæ Buglossi, Boraginis, an. ʒij. Rasuræ Eboris, & Cornu cervi, an. ℈j. Mithridatii veteris ʒij. Misce pro duabus dosibus post purgationem, horis iij. ante cibum.

Externa. Post tertiam aut quartam purgationem vena secetur interior brachii sinistri, detrahaturque sanguis ad ℥x. Deinde si qua ratione fieri potest, reserentur hæmorrhoides: primum quidem fotibus emollientibus & alterantibus: deinde suppositoriis ex hiera simplici, cum succo Mercurialis, vel cum felle: aut si foris conspicuæ sint, & intumescant, affixis hirudinibus: ut his rationibus sanguis ater & melancholicus emanet. Quum ita corpus diligenter præparatum evacuatumque fuerit, perutilis erit balnearum usus ex aqua dulci potabili, usque ad multos dies continuatus, mane jejuno stomacho; sed ea ratione, ut non admodum calidæ sint, verum duntaxat tepidæ, ut corpus tantum humectetur, non autem sudores eliciant.

Diæta. Victus observandus refrigerans & humectans: cremor hordei jejuno maxime conducit, cum præsertim non est opus medicamentis. Juscula quoque ey pullis gallinaceis, carne vitulina aut vervecina, cum buglosso, boragine, oxalide, lactuca & plantagine. Si vinum æstate circumcidatur, ejus vice saluberrima erit aqua hordei, vel alius quivis potus in laborantis gratiam comparatus.

Si quæ partes in cute existunt nigricantes aut lividæ, nullo vel obtuso sensu præditæ, his affigantur cornua vel cucurbitulæ exiguæ cum scarificatu, eoque satis alto, ut sanguis promanet, sensusque revocetur.

CON-

CONSIL. LXXI.

De Elephantia.

QUUM de his, quæ in facie Joannis Rocquiret se produnt, non bene inter doctos Medicos conveniat, aliique affirment aspectu illum esse horridum, & leoninos oculos, supercilia glabra, rarescere barbam, nares tumidas, multisque tuberculis tum intus tum foris deformes cum incipiente ulcere. Hinc respirationem difficilem, tonsillas ulcerari, cum voce rauca & obscura: alii vero istorum quiddam deprehendi negent, & tubercula, si qua, sunt rubra apparere. Necesse est signa, de quibus inter celebres Medicos certatur, omnino obscura & insida latere, neque ab his judicandum quenquam elephanticum, neque si, quæ dicta sunt, omnia compareant, judicandum propterea est elephantiæ initium, cum præsertim probe corpus alatur, nullusque pedum aut manuum stupor aut refrigeratio subsit, qui elephantiam statim initio concomitari solet. Neque si elephantiæ initium adsit, segregandus ideo est laborans ab hominum consortio, quum nondum corpus aut spiritus graveolens, nec putredo ea sit, cujus contagione vicinos labefactare possit. Ita igitur de re controversa & litigiosa nos subsignati doctores Medici censuimus Joannem Rocquiret etiam crasso aut melancholico sanguine suffusum, & tuberculis subrubris deformem nondum esse inter elephanticos numerandum, nec segregandum ab hominum consortio.

At si posthac malum omnem medendi vivendique rationem aspernetur, nullisque cedens remediis ingravescat, & manifestiora de se indicia proferat, tū satis oportune quid agendum fuerit æquiore judicio decernetur. Curatio vere suscipienda. Victus refrigeret ac humectet. Purgetur singulis hebdomadis apozemate. Vino prorsus abstineat. Calida autem omnia, & venenata pharmaca tum purgantia cum alexipharmaca declinet, cujusmodi sunt scammoniata, mithridatium, theriaca, &c. ut quæ non modo non juvent affectum, sed etiam humores adurant, & morbum conduplicent.

CONSIL. LXXII.

Cura Doloris, an à lue venerea?

EGregium sane operam videris impendere expugnando huic diuturno contumacique morbo, vereor tamen ne vires tenuiore victu tandem concidant: conservandæ sunt ac paulo pleniore cibo sustinendæ, ut omnem curationis decursum perferant. Audio novos dolores exortos, sed ea vis est potionis eaq; natura, ut si quid in corpore tacite latebat, id primis diebus in apertum proferat, sæpeque dolores exasperet mox tamen dispărituros. Quod etiam ventriculum novus dolor fatiget, ex eadem causa provenit, exagitati quippe vitiosi humores è visceribus eo confertim irruperunt, hos itaque duxi in primis expugnandos medicamento accommodato, cujus tibi compositionem descripsi. Quod die id hauries, ab altera potione abstineto, ac deinceps liberalius hac utere, ut sudores copiosi undique dimanent. Qui si ne sic quidem uberius exeant, eliciantur æstuario, quod in sudore plantis pedum assideat.

JOAN-

JOHANNIS FERNELII AMBIANI,

DE

ADDITIS RERUM CAUSIS

LIBRI DUO.

AD

HENRICUM II.

FRANCIÆ REGEM

Christianissimum.

AD

HENRICUM FRANCIÆ REGEM CHRISTIANISSIMUM,

JOANNIS FERNELII, *AMBIANI,*

DE ABDITIS RERUM CAUSIS LIBRI DUO.

PRÆFATIO.

SICUI *unquam ſcriptori*, Chriſtianiſſime Rex, *mihi certe uni cunctandi multumque dubitandi occaſio inceßit, num has de abditis rerum cauſis lucubrationes diu ſuppreſſas, in apertum proferrem, patererque in vulgus emanare. Id enim ſæpe mihi in animo verſabatur, non levis eſſe momenti in arte omnium præſtantißima, & quæ in totius humani generis ſalutem comparata ſit, abſtruſum quiddam & reconditum depromere, quod à vulgari genere philoſophandi & à popularibus ſenſibus abhorreret. Non paucos idcirco eſſe, qui medendi artem, veterum labore inventam, ſatiſque conſummatam rati, non ultra progredi contendant, velintque poſteros omnes, uno quaſi filo deductos, iiſdem ſemper veſtigiis inſiſtere, de quibus nefas ſit vel tranſverſum (quod ajunt) unguem decedere. Viam illi prorſus obſtruunt inveniendis novis, & eos impudentiæ graviter accuſant, qui in eo omne ſtudium collocarunt, ut aut novum quippiam conderent, aut traditas ab antiquis artes jam quaſi vetuſtate collapſas fulcirent, aut illis adderent, quæ partim diligentia, partim ætate eßent progrediente conſequuti, & quæ temporibus magis quam ſcriptoribus defuerant. His ex cauſis ab hac editione deterreri poteram, omniaque lubens ſilentio obruiſſem, niſi quæ de re medica ſeorſum à nobis traduntur hanc quaſi interpretationem deſiderarent, ſine quibus & obſcura illa manerent, & non ſatis tuta ab improborum voce. Ceterum ſi hanc vetuſtißimi Philoſoſophi viam tenuiſſent, ut ſemper majorum preßis veſtigiis, intra eoſdem terminos ſubſiſterent, neque penitus in initimam naturæ cognitionem penetrarent: demerſa adhuc lateret multis in rebus veritas: & vixdum ullum in abdita naturæ ſcientia lumen effulſiſſet. Si omnem laborem poſteri collocaſſent, ut eas ſolum artes & diſciplinas exædificarent, quarum fundamenta priores jecerant, nunquam tam multa diſciplinaram copia crevißet. Si quæ in veterum mentem non venerant, juniores non aperuißent, neque illorum induſtriam ſuis vigiliis excitaßent: nova ingeniorum lumina minime lucerent. At quoniam philoſophis alia via aliaque ſtudiorum ratio placuit, neque obtrectatorum linguæ, neque veterum ornata gravitas, & amplißima authoritas poſterorum quemquam à ſcribendo deterruit; omnes certatim ſic elaborarunt, ut ætates prope ſingulæ magnam & authorum novorum & artium copiam profunderent. Atque ut interim de hac noſtra ſyncere loquar, diſciplinæ & artes, quæ annis prope mille ac ducentis ſepultæ fuerant, aut quæ verius extinctæ occiderant, jam*

plane revixerunt, pristinum, ne dicam majorem, splendorem adeptæ, ut nihil vere docto illi seculo debeat hæc ætas invidere. Dicendi ratio summaque eloquentia nunc passim florescit, philosophiæ genus omne excolitur: musici, geometræ, fabri, pictores, architecti, sculptores, aliique artifices innumeri sic mentis aciem extulerunt, ut artes quique suas præclaris magnificisque operibus exornarint, quæ vetustioribus illis uno omnium ore celebratis nihil cedant. Neque inventis solum ornamenta & incrementa adjunxit temporum excursio, sed & artes novas protulit, ad quas priorum nunquam vel ingenium vel industria penetraverat. Demetrium *admirata est antiquitas, atque illum, ab reperta machina quadam bellica, appellavit obsessorem. Quanto ampliore nomine donandi nobis sunt hoc seculo machinarum inventores, quibus ab ardenti quasi bombo, nomen bombardarum est inditum? quæ; dii boni! quanto vel ballistis violentiores, vel tormentis rapidiores, vel catapultis concitatiores feruntur? Arte librorum chalcographica quid utilius ad omnium disciplinarum propagationem? At illam protulit nostra hæc ætas, ut & paulo superior, ceræ, corticis, aut papyri vice, chartam hanc quam Fabianam primi appellarunt: atque istorum ope in tantum fastigium evectæ sunt literæ. Quis ignorat, non tam novarum rerum desiderio, quam navigandi peritia, classe perlustratum Oceanum? repertas Insulas? intimos Indiæ recessus apertos? maximam continentis ad Occiduum partem, quam inde novum orbem appellant, priscis ignotam, nostris magno suo commodo cognitam fuisse? Hæc, ut cuncta astronomica,* Platoni, Aristoteli, *vetustioribusque Philosophis non satis perspecta,* Ptolemæus *dein plurimum auxit & illustravit: qui tamen si nunc redeat, Geographiam non agnoscat, adeo novus orbis inductus videtur hujus seculi navigatione. Ad quam nos non dico adjumentum attulimus, certe excogitavimus, horarum æquinoctialium observatione, qua ratione quacunque sis orbis regione, illius eam possit internoscere quam Geographi appellant longitudinem. Quod quidem de fontibus antiquorum non hausimus, sed de nostris rivulis primi (ni fallor) protulimus. Te quocunque vertas cogitatione, intelliges non decoxisse posteros, sed erecto ad contemplationem intentoque animo hæreditatem veterum artium ampliasse, & induxisse novas. Quid igitur inquiunt non esse hujus nostræ ætatis, novum quicquam præstare posse? Incomprehensarum rerum immensa est multitudo, & multo major quam quæ possit unquam percipi. Nulla autem ratio afferri potest cur ingeniorum laus nunc sit inferior. Quid est igitur cur aliquis hanc ætatem tam inclementer damnet, ut ex tanta rerum copia nihil queat attingere? Quis hoc seculum tanti insimulet stuporis, tantæ tarditatis, nihil ut novum cudere possit, nullarum artium afferre proventum? Quisquis mentis valens acumine, inertia non torpebit, sed ad res cognoscendas tempus diligentiamque sumet, poterit orbitam eandem cum veteribus terere, & in ejusdem industriæ curriculo versari, & illorum observationibus adjutus, inventis artibus magna addere incrementa, & nova condere multis profutura. Sic enim alia ex aliis trahi solent, & ex angustis fontibus perampla flumina derivari: tantaque est artium & disciplinarum series, ut apta ex sese omnia & connexa videantur. Si libere quod sentio, dicere licet, dicam, & quidem paucis: tam peccant qui à veteribus pervestigata omnia comprehensaque esse contendunt, quam qui eisdem primam rerum cognitionem detrahunt, illosque de veteri doctrinarum possessione dejiciunt. His constitutis, velim ex æquo & bono accedant nobis honorarii arbitri atque disceptatores, qui malo invidiæ puri, & profectus & consilii mei rationem colligant ac judicent: nec enim tantum ipse mihi tribuo, ut fidem haberi velim præjudicatæ meæ sententiæ. Qui primi inter veteres admirabili quo-*

quodam ad philosophandum studio se contulerunt, in naturæ angustias & quasi in carceres deducti, eo se revocarunt spatii, ut solis mundi elementis perpetuo inhærentes, nimisque materiæ dediti, longe intra modum constiterint. Alii deinde erectiore animo, suis non contenti finibus, ad Ægyptios (quibus cum Chaldæis & Hebræis frequens erat commercium) commigrarunt, à quibus divina non pauca per umbram duntaxat caliginemque percepta retulerunt. His suam postea philosophiam tanquam variis respersere figmentis, & quadam impietatis labe inquinarunt. Vnde accidit, ut tum vel rudis & materiata nimis fuerit philosophandi ratio, vel si divinum quippiam attigisset, inconstans ac prorsus incerta. Nunc vero quando Dei Optimi Maximi beneficio, nobis per Christum *lux ipsa veritatis affulsit, multa simul nobis sunt divinitus allata, à veteribus animo non integre percepta. Quis nostrum immortalitatem animæ, domicilium, vim, naturamque nescit? Quid porro inter philosophorum greges magis controversum, aut diuturnioribus contentionibus exagitatum? Ordines cœlestes, & illam supernæ civitatis descriptionem, quis veterum sapientum subodoratus est? Hæc autem si jam cunctis patent mortalibus, quis etiam non intelligat, multa esse in philosophia extra elementorum ordinem, prorsus abstrusa & naturæ arcanis involuta, quæ neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu deprehendi possunt? horumque cognitionem non mihi modo, sed & nostri ordinis nominisque cuilibet notiorem, quam Ethnicis philosophis esse debere? Video, posteriores illos Platonicos*, Numenium, Philonem, Plotinum, Jamblichum, Proclum, *quicquid de divinis rebus magnificum attigerunt, illud à Christianis viris*, Joanne, Paulo, Hierotheo, Dionysio, *furtim excepisse! ut inde abstrusa* Platonis *dicta clarius lucidiusque interpretarentur, & in verum sensum deducerent. Nobis vero non similiter liceat* Hippocratis *sensa nunc apertius reserare, ut vetus medendi ratio suscipiat incrementum? Affigemurne perpetuo his caducis? Nunquam concretum hunc crassumque aërem perrumpemus? Nunquam ex hoc tenebricoso mentis carcere in perspicuam lucem evolabimus? Nunquam adducto per meditationem animo, divina abstrusaque contemplabimur? Hæc singula quum apud me tacitus expenderem, simulque aliquando monitus essem* Hippocratis *oraculo, quo in morbis divinum quippiam ineße confirmat: existimavi perbrevem sententiam permagno esse momento ponderandam, & eo magis quod eximius vir ob divinitatem olim ceu numen cultus sit, & brevi sententia magnam rerum supellectilem, quam mente gerebat, concluserit. Primorum philosophorum mos fuit, quæcunque divina attigissent, tanquam mysteria contegere, aut integumentis quibusdam & involucris implicata enuntiare, seu imperitæ multitudinis offensionem veriti, seu quia hæc tam abstrusa si nullo negotio intelligerentur, probatum iri minime sperarent. Quocirca anno abhinc vigesimo odoratus quippiam sub divini nomine in medendi arte penitus obvelatum latere, quod nondum satis pateret, cœpi illius studio & amore incitatus quid esset investigare. Deprehendi id autem esse abditorum morborum tractationem, nec satis tritam, nec veterum monimentis expressam: sine qua tamen manca & duntaxat inchoata, nec numeros omnes habitura sit ars medendi. Hoc temporis curriculo in hæc undique multa pervolitavi, longe plura meditatus sum, neque quicquam occurrit, quod à concepta ea de re sententia me revocet. Quo longius ætate, literis, artis exercitatione, & multis tum aliorum, tum meis experimentis eo spectantibus procedo, hoc mihi certior veriorque fit de abditis morbis sententia, in quam & plerosque omnes paucis admodum rationibus jam adduci video, quasi illorum animus quodam veri instinctu afflatuque sit perfusus. Ea autem quænam sit, jam literis mandare conor,*


non tam perficiundi spe, quam desiderio excitandi ingenia multorum ad veri investigationem. Magnus hic noster conatus, Rex Christianissime; *sed qui majestatis tuæ splendore summam vim summumque robur obtinebit, si novis lætisque regni tui auspiciis ille nobis affulgeat. Accedent nihilominus & rationes non tantum probabiles, verum etiam ad assentiendum necessariæ, quibus (ut confido) veritas ipsa manum nobis adjiciet, & sua luce obscuram multorum caliginem excutiet. Quinetiam ne quid in opinione dubia non satis ratum haberetur, singula quæque ex* Galeni *monimentis videbor affirmasse: qui tametsi aliquando videatur hæc dedita quasi opera extenuare, in ea tamen vel nolens plerunque relabitur. Hinc scient omnes, quod terimus argumentum, & in communem medicinæ usum primi conferimus, id ipsum veteres attigisse, vixque ullum esse qui hanc in animo sententiam insitam, & quasi insculptam non habeat, etiam si verbo plerunque aliud exprimat. Itaque quam non pauci hanc nostram institutionem existimaturi sunt novam, re vera pervetus est: neque ea sum insolentia, ut me ejus authorem jactem, sed interpretem duntaxat & explanatorem profiteor. Hæc autem maxime in posteriorem librum meditor: quæ quoniam ex physicis nasci constituique solent, ipsa ratio connexi coëgit, in librum priorem philosophica quædam præmittere, quæ in illorum demonstrationem necessaria videbantur. Atque ita quantum divinitatis, id est abditarum causarum, inest tum naturali philosophiæ, tum rei medicæ, hoc unum opusculum scrutabitur & discutiet. Quod autem res est plena contentionis, disserendi rationem quandam aggredior, non simplici narrationis specie, sed quibus fere sermonibus res controversa agi disputarique solet: à tali quodam inductus exordio.*

LIBER PRIMVS.

CAPUT I.

Mundi elementa solam materiam genitis quibusque rebus impertiri.

PHILIATROS, BRUTUS, EUDOXUS.



Opportune adesse video quem quærebam, nisi me fallunt oculi, alioqui non satis perspicaces. Profecto is ipse est, neque splendor hic orientis Solis adversis aciem obtutumque oculorum perstringit. O felicem & auspicatam occursationem! Etenim liberabor eo scrupulo, qui mihi exagitata per hosce dies disputatione injectus est. Ille sic me habuit male, ut nulla ratione potuerit à me revelli. Sodalis hic jampridem meus, toto decennio visus nemini, scio afferet novi aliquid ex longa peregrinatione, illius ope consequar quod meo ipsius ingenio assequi non potui. Sed quonam ille se proripit? A non assequar virum nisi procul inclamem. Heus tu bone vir, heus Brute, subsiste per Æsculapium, aut si mavis, per Hippocratis genium: nec enim arctius habeo vinculum, quo te retineam.

BR. Quis est qui me vocat? ô salve mi Philiatre.

PH. Salve tu quoque.

B *BR.* Facis tu quidem tuo more, ut festivis agas verbis, nec unquam urbanitatis sales exuas. Sed quid tu? quo hinc te agis?

PH. Te ipsum quærebam quem rediisse nobis audieram.

BR. En tibi adsum.

PH. Video, sed usque eo insolens, vix ut oculis meis credam, quibus monstro similis

milis eſt hic tuus adventus. Quam cupio te interrogare!

BR. Tam cito? vixdum bene ſalutavi.

PH. Non queo amplius ſupprimere, quod me quam diutiſſime torſit.

BR. Quid hoc tandem rei?

Occaſio diſquiſitionis de divino in morbis.

PH. Non ita pridem ad indictam quandam celebrium medicorum diſceptationem conveni vel audiendi ſtudio, ut plane immodico illius artis amore teneor. Agitabatur inter eos ejuſmodi quęſtio: *Anne quod in morbis eſt divinum, divinam opem deſideret.* Iſtud olim ab *Hippocrate* noſtro ſimpliciter breviterque dictum, videbam variis interpretationibus alio atque ipſe ſperabam, trahi: nec profecto tumultuoſo illo congreſſu decidi res omnis potuit, tum quod novus interpres libere fuſeque explicandi caruit loco, tum quod præjudicata opinio & favorem detrahebat & fidem inauditæ (ut tum ajebant) ſententiæ. Ab eo die optabam tui mihi copiam fieri, ut tuum ea de re ſenſum expedires. Quo facto me beaveris. Enimvero mihi perſuadeo, in ea re noſtræ medicinæ verti cardinem.

BR. Rem affers arduam. In qua paulum conſumere temporis mihi nunc ocioſo & curis laxato jucundum eſt. Videamus qualisnam ſit res ipſa. Id ipſum vereor, ne tuus interpres rem ſuam non plane conficiat: vix quippe adduci ulla ratione poſſum, ut tam exiguo integumento, tanta ſit incluſa divinitas. Memini alias, me in philoſophum quendam incidiſſe, cui ſimilium fere eſſet paradoxorum cura: is palam enunciabat, non omnes rerum vires ab elementorum permiſtione prodiiſſe, neque hæc omnino cauſas eſſe eorum quæ conſiſtunt: ſed plurima à cœlo tum orta, tum ſuas obtinuiſſe vires.

PH. Plurima horum ſimilia audiiſſes tota diſputatione.

BR. At ſcis quid illi obtigerit philoſophos?

PH. Quid? obſecro.

BR. Is demõſtrationum neceſſitate compulſus, tandem in elementa cœlo recidit.

PH. Major eſt vis noſtro huic Eudoxo, qui in demonſtrationem plurimus incumbit: eſt in eo nõnihil quod forſan audire velis. Si illum probe novi (novi autẽ optime) lubens aperiet nobis & ediſſeret hanc rem totam, & gratiam ab illo ſumus inituri, ſi nos benigne & attento animo audierimus.

BR. Ain? Speras id nobis probatum iri?

PH. Exitum nolim polliceri, unum ſcio, illum quidem certe enunciaturum nobis ea myſteria, quæ abſtruſa, neque in communibus hominum ſenſibus poſita hactenus putavit.

BR. Utut res habeat, placet hominis ingenium ac vires experiri: hac tamen lege, ut mihi liceat, quæcumque obſcura aut nova audiam, ſedulo percontari, & liberius diſſentire, ſi abſurdum quiddam attingere videbitur: ſic enim, fiet, ut audias meam, quam tantopere deſideras, hac de re ſententiam.

PH. Efficiam ut tibi liceat: viri mores & ingenium probe teneo.

BR. Conveniamus hominem, & quando ita videtur, interpellemus.

PH. Erit nunc tempeſtivum: agit enim in villa proxima, quo profectus eſt heri cum amicis philoſophis: ibi plenius & audacius ſermonem cum illo conferemus, tantiſper dum ſe franget æſtivus iſte calor. Illud inprimis vereor, ne non deſcendant in animum noſtrum, quæ afferet: petet enim neſcio quid ex abditis fontibus rei medicæ, quo non cuivis penetrare promptum eſt. Tu ipſe & noſtrate & externa philoſophia inſtructus, impetum ſuſtinebis, ſi quando ſuperior erit meis viribus. Malim enim tuto fugere, quam temere & cum nota iis me objicere, quæ proferre nequeam. At vehementer me pudeat, ſi ea philoſophiæ præcepta neſcire deprehendar, quibus velim videri recens inſtitutus. Quocirca dum hanc viam compendiariam per ſaltus & humiliores colles conficimus, quæſo in commune *conſideremus conferamuſque philoſophiæ principia, quæcunque in futuram diſputationem utilia* judicas: ne quum ad ſeria veniemus, grave ſit viro, in hæc, quæ ſui igenii non ſunt, detrudi. Sic enim nihil moliemur perturbate, & à minimis ſtruemus maxima.

Quæ ut recte intelligatur quædam è Philoſophia præmittenda ſunt.

BR. Ordinem dicis quem omnes ſecuti ſunt, in quorum nos veſtigia incurrere debemus.

PH. Itaque matutinus hic avium concentus dum recreat animos, inito colloquio hæc explicanda ſuſcipe.

BR. Rem

BR. Rem ut vis aggredior, & in primis rogo te, certone scias *naturam aliquid esse?*

Naturam esse.

PH. Qui naturalis philosophiæ præcepta tradunt, naturam quandam esse non dubitant, à qua & se φυσικοὺς appellant: idque tanquam notissimum & apud omnes pervulgatum, philosophiæ principium statuunt, quod neque demonstrari debeat, neque possit.

BR. Illamne tu aliquando aut vidisti, aut manu tractasti?

PH. Videre non contendo, si modo cogitatione satis hanc possum consequi. Tu igitur alio perge.

BR. Eorum quæ mundus habet omnium, alia per naturam esse dicuntur, alia per alias causas, ut per artem vel fortunam.

PH. Quo modo?

BR. Quæ sponte sua interioreque impetu prodierunt, natura esse dicuntur, ut quatuor mundi elementa, metalla, stirpes omnes, cuncta animalia, horumque partes: at lectica aut domus, non natura, sed arte suam rationem est adepta. Neque vero animal, neque stirps, neque quidquam cæterorum naturalium appellatur natura, sed duntaxat à natura (à quo oriri dicitur) consistere atque conservari: hoc igitur *ortus omnisque actionis occultum intimumque principium, natura cujusque rei dicitur & est.* Huic *materies quædam subjicitur*, quemadmodum simulachro æs aut lignum quam sane oportet & naturæ nomine dignari. Sic unumquodque ex naturis duabus conflatum est, quæ nullo pacto sejungi, aut disclusæ locis consistere queunt: sed est utraque alterius sic appetens, ut ei annexa, alioqui moritura, foveatur.

Eam esse formam.

Et esse materiam.

Formam & fieri & perire: materiam vero perpetuam esse.

Materies ea quæ formæ tanquam primum fundamentum substernitur, dum res ipsa composita perit, atque in aliam facessit, *una eademque permanet.* Omnis enim quæ gignitur substantia ex quodam gignitur fitque subjecto: quemadmodum ex aqua fit aër, stirpes & animalia ex semine, neque quicquam fit ex nihilo. Atqui subjectum ex quo aliquid factum est, ex materia & specie conditum erat: *species periit abiitque*, succedente altera, privationemque tollente: materia autem eadem permansit: quæ hanc subjecta substrataque exciperet. Necesse igitur est hunc in modum subjici quiddam, in quo servato ac superstite fiat rerum conversio. Ex quo intelligitur, materiam nec ullo ortu generatam & indissolubilem esse, immortalem seculis omnibus, ac ut ortus ita & interitus expertem, atque dum gignitur quiddam, ejus solum formam nasci & emergere, dum occidit & extinguitur, eandem occumbere: materiam autem rerum omnium communem, unam eandemque perpetuo manere. Si enim quando res oblitescit, illius materia simul interiret & dissiparetur, communis rerum omnium moles, jamdudum, vel sæpius esset absorpta, nec hominum universum genus, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus stare posset.

PH. Hæc satis probe teneo. Age vero aliud edisseramus. Si ex alia quapiam res omnis genita profluxit, à qua materiam suam, quasi à fonte hauriret: cur tandem elementa desideramus, quæ in concreti hujus corporis procreationem confluant?

Corporis naturalis materiam ex quatuor mundi elementis constare, non materiam primam esse.

BR. Ut hæc quoque genitis constitutisque rebus materiam subministrent: etenim materia prius ab elementis profecta, in subjectum quondam migravit, ex quo quidque oriri nascique contuemur.

PH. Mentem tuam non assequor: dic igitur, si lubet, clarius.

BR. Subjectum id corpus ex quo procreatione quiddam nascitur & emergit, aut est omnino simplex, aut compositum. Ex simplici nihil nisi simplex duci derivarique potest, quod motus illius simplex sit & uniusmodi. Qua ex causa elementa in sese duntaxat solvuntur, & retro vicissim commeant, & unumquodque ex alio fit simplici. *Ex composito* autem *corpore* non simplex, sed aliud *compositum efficitur, quod nunquam possit ex simplici prodire.*

Ratio primæ.

PH. Sic res habet.

BR. Conclude igitur, aliam elementis, aliam concretis corporibus esse materiam.

PH. Id consequens esse video, quanquam nondum mihi dilucide patet.

BR. Dicam igitur luculentius. Elementorum simplex, concretorum vero

ex

ex elementis composita est materies. In illis sola principia: in his utraque omnino: tum principia, tum elementa insunt. Simplicissima est elementorum inter se commutatio, in qua quod prius est, posteriori simplicem materiam exhibet. *Concretis mistisque corporibus gignendis, unius elementi materia satis esse non potest, sed necesse est quatuor illa permistione confusa,* gignendis rebus idoneum se subjectum exhibeant substernantque. Ut enim dubitare non possis, aurum, argentum, ferrum, metallaque omnia: item unionem, hyacinthum, smaragdum, universumque lapidum concharumque genus, non ex unico sed permistis quatuor illis rerum initiis originem duxisse: aut si mavis, ex terra tanquam ex matre, sed quæ ex aliorum temperatione idoneam constitutionem sit adepta: Ita etiam stirpes & animantia, quæ non statim è terra, sed ex semine edita sunt in lucem, quanquam longiore tractu & complurium mutationum interventu, ex iisdem tamen rerum primordiis, quæ in semine & alimento tenebantur, materiam acceperunt. Hæc igitur *illorum materia* non, ut elementorum, simplex est, omnis formæ expers, sed multa compositione & conformatione instructa, corpus jam physicum, & proprie subjectum appellatur: *in quo quatuor elementorum substantiæ incorruptæ persistunt.* Quinetiam si ex hoc intereunte corpore aliud proferatur, illæ, quanquam alia proportione aliaque permistionis lege, integræ manebunt, dum extrema tandem dissolutione in suas naturas quæque redeant, & restituantur universitati.

Ratio secunda.

PH. His omnibus memini me non ita pridem *ex naturali medicinæ parte* informatum institutumque. Jam tempus est, finem inter nos differendi fieri. En hortus ejus quem tantopere expetimus.

Pag. 119.

BR. Huc sane (tanta vis est sermonis) nullo viæ tædio pervenimus.

PH. Vestibulum ingressi, apud hunc amœnissimum fontem anhelantes conquiescamus, ac tantisper respiremus, dum aliquis domesticorum, qui nos introducat, occurret.

BR. Nullus est quieti locus, ostium A jam concrepuit.

PH. Quem quærimus adest, suo more, meditatione plenus: bene res habet, nondum in literarum colloquia se contulit, cum amicis: sensit adventum nostrum, contendit ad nos exadvorsum.

BR. Age ocius, & congredere.

PH. Salvus sis, Eudoxe perdocte.

EV. Vos quoque salvete: advenisse quidem vos gaudeo, ut hujusce philosophicæ sodalitatis numerum augeatis, sitque nobis plenior ad studiosam rusticationem occasio.

PH. Nihil quicquam nobis est optatius, nisi vobis molesti sumus.

EV. Opportune quidem venistis, si quid affertis, etiam, si nihil affertis.

B PH. Afferimus sane quod vos totum hunc diem magna occupatione distineat.

EV. Quid istuc, mi Philiatre? Quid quæso rei huc vos tam matutinos egit? An quid est quod mea opera opus sit vobis?

PH. Maxime. Etenim angimur vehementer ea disputatione, quæ nuper agitata est de divinis morborum remediis: hicque noster Brutus, quanquam supra vulgarem modum sit multos annos philosophatus, optavit tamen in tuam familiaritatem & colloquium venire, ut quantum ea de re gestas animo, tantum per tuam humanitatem intelligeret. Itaque rogamus, C ut quod inter differendum assequi haud potuimus, id tu docendo nobis planum facias: si modo nunc tibi licet per ocium, si familiarem hunc amicorum cœtum soluturi non sumus.

Propior accessus ad disquisitionem de divino in morbis.

EV. Arduum est quod petitis, & à *veterum paucissimis comprobatum*: quumque non facile sit, novam rem ad communem hominum mentem & assensum accommodare, vereor ne si id percrebescat atque in sermone multorum incipiat esse, primo aditu indignum commendatione videatur: quo fit ut non facile vestræ acquiescam petitioni.

Hanc esse à veterum sententiis diversam.

PH. Confidimus, rem universam ex naturalis philosophiæ principiis sic te demonstraturum, ut ei qui syncero candidoque animo totam præceptionem diligenter audiet, nulla irrepat calum-

Et ex fundamentis ipsis.

niandi occasio. Tu Mathematicorum more, *ex principiis*, quæ sunt omnibus vel plebeiis recepta, soles *rem omnem* tam *aperte conficere*, ut qui ab illis ad extrema occultiora, tanquam manu deductus sit, his tandem non minus quam illis fidem tribuat & assentiat.

BR. Illa docendi ratio eruditis quibusque viris, maximeque Græcis veteribus, probata excultaque est, propterea quod tuto ac facile quicquid suscipit, demonstret. Quocirca hac inniti præstantissimum semper esse duxi, tametsi imperitis non perinde placet, ut quam assequi non possunt, neque judicio decernere noverunt, quo quidque loco statuendum sit. Gaudent enim *jejunis nudisque quibusdam propositionibus* & sententiis destitutis munitione demonstrationum, putantque, iis se scire demonstrationibus se obrui potius quam doceri. Unde fit ut *scriptorum* cujusvis fidei & *authoritati* omnia tribuant, satis esse rati si quid audierint à probato insignisque famæ viro dictum. Pronde quas ex optimis authoribus mira diligentia observarunt præclaras sententias, incompositissime congerunt, quæ minus cohærent quam scopæ dissolutæ. Putant, id artis esse primum & maximum, si nihil arte, modo pulchre sententioseque, dicatur.

Non quadam Propositione, aut Authoritate comprobandam.

PH. Valeant isti, mendicent perpetuo, & alienis rebus inhæreant, curentque edisscere singula, quam scire potius.

BR. Tu, vir optime, tuo more facito, & si quid in morbis aut in eorum medicina divinum inesse putas, id, per philosophiam obtestor, ne pigeat nobis quicquid est exponere. Nihil est cur rei aut difficultatem aut novitatem causeris: novimus & quantum possis, & quam nihil tibi novum sit.

EV. Possum forte aliquid, quia posse videor. Paucis certe quidem omnem controversiam vobis dirimere possum, si in caput unum, ac summam, totum conjici velitis.

BR. Tam est ardua, tamque abstrusa nova hæc & παράδοξος sententia, ut si pro dignitate eam exponi ac discuti placeat, necesse sit, antequam ad medicinam venias, difficillima quæcunque ac longe *pulcherrima naturæ principia excutere, & rerum omnium ortus, primamque formarum originem interpretari.*

Quare rerum principia excutienda primum.

PH. Mihi quidem jucundum erit ac dulce, à vobis hæc prius edoceri, quam rei medicæ totum me dedam.

EV. At mihi grave est, ad hæc quasi incunabula revocari, quæ nec satis memoriter teneo, neque hanc decent ætatem.

BR. Age precor, ne pœniteat in hanc rem aliquot horulas nostra causa collocare, quo & nobis satisfacias, & res tota planior eque suis principiis orta esse videatur: fac ut alteram diei partem in hanc operam perdas, velut animi causa confabulando.

EV. Conabor equidem, quando me tantopere urgetis, & præstabo quantum mea feret tenuitas: sed meos tamen familiares adesse volo, quos scio philosophiæ studio flagrare.

BR. Æquum est.

EV. Heus, puer, accerse philosophos, qui mihi huc venere comites, ut se nobis socios, si videbitur, adjungant: reperies in hortis deambulantes. Vos cessatores scamna parate in aula, quæ hortis adjacet: ex ea enim regione salubrius inspirat cœlum his maxime diebus, quum terra in omnis generis stirpes & flores se resolvit. En adsunt quos operiebamur: ingrediamur omnes, & sedibus in umbra positis disputemus.

PH. Placet.

EV. Nullum hic statuite dignitatis ordinem: locum quem cuique fors tulit, capessite. Liberum erit omnibus, hac de re quæ sentient dicere, nulli indicetur silentium: nec enim æquum est in hac sodalitate. Hic philosophi, qui pridie venerant, Quæ sit, inquiunt, vestra quæstio, ignoramus. Agemus Pythagoræ discipulos: discemus aliquid sine ullo periculo.

EV. Tacerem vobiscum, si per hos liceret. Quoniam vero amicorum & philosophiæ gratia nihil rejiciendum, sed audendum potius est aliquid, provinciam majorem, scio, viribus meis suscipiam: quo & si nihil adferam dignum tantis viris, recreabo tamen animos novitate rei. Itaque de occulta medicina locuturus, rem paulo altius repetam, ut à fundamentis opus extruere, & suo loco partes omnes collocare possim.

BR. Sic optamus, velimusque te rem ipsam jam nunc auspicari.

CAP.

CAPUT II.

Rei naturalis formam, substantiam esse, non accidens.

EUDOXUS.

Ex materia omnia procreari. Materia est constans permanensque subjectum, ex quo *omnia procreantur*; & quanquam per se ipsa & à forma remota non invenitur, prima tamen in corpore supponitur tanquam fundamentum, cui forma innitatur ac insit, veluti receptaculo omnium vicissitudinum & commutationum.

PH. Nos isthæc ad te venientes longa commentatione discussimus, ut renovata eorum memoria, instructiores essemus ad tuam disputationem.

Eam esse substantiam. EV. Si hæc, ut debetis, recipitis, dubitari non potest, *materiam substantiæ rationem* & genus *subire*, utpote quæ in composito prima subjicitur, & permanens continentes rerum varietates novationesque sustinet.

BR. Ne istuc quidem nos in disputationem revocamus, satis omnibus perspicuum.

Vt & formam. EV. Sed neque illud quod est principii loco receptum, cujusque substantiæ naturalis *formam* actumque primum *substantiam* & ipsam *esse*.

BR. Qui ita?

EV. Nam si in genere substantię est materia, multo (arbitror) magis ipsa forma, quam vos hac longe perfectiorem esse non inficiamini.

BR. De forma non adeo compertum est, quod ea per se subsistat, nusquam, sed in materia semper ac subjecto sit, ad accidentis fere similitudinem.

EV. Vastum est hoc disputationis mare, in quod si semel vela pandimus, longa nobis erit & gravis ex concertatione perferenda jactatio: nec nisi post longos errores veniemus ad illum vobis, ut dicitis, optatissimum portum.

Non ut Alexander Aphrodisæus voluit concursum accidentium. BR. Rem totam percurrere satius est, si tibi per ocium vacat. Ego enim, ut ingenue fatear, à gravissimis quibusdam authoribus sum institutus, qui aliis quam tu principiis nixi, omnia quæcunque mundus continet, ipsasque rerum formas, elementorum permistione nasci ac prodire contendunt. Illi materiam totam rei naturalis substantiam esse confirmant, huicque rhythmum quendam seu concentum affectionum qualitatumque accidere, quæ forma sit, per quam & nomen habeat, & à cæteris diversa sit. his enim suis qualitatibus res quæque cognoscitur, & sensibus nostris sese offert. Multis rationibus contendunt, id *Aristoteli* rei formam dici, eamque esse perfectionem, & finem ad quam rei ferebatur procreatio: per eam habere & figuram & finitionem, & perfectionis complementum.

PH. Si hoc ita tibi statuendum esse videtur, aut rationes producito, quarum te moveat probabilitas, aut si id non potes, celebris authoris testimonium.

BR. Utrunque adferam: nam *Alexander Aphrodisæus* Peripateticæ familiæ sectator præcipuus, hæc videtur iisdem propemodum verbis dixisse, quo loco sic ait: *Verum enimvero in igne quod naturale ac simplex corpus est, calorem & siccitatem, speciem facimus, & ab iis atque in iis genitam levitatem, hæc enim principium est motionis ad superiora tendentis.* *Cui Alexandro videtur favere Galenus, & omnino favet Thiloponus.*

PH. Hæc fortasse ex aliorum sententia pronunciavit.

BR. Minime vero, sed ea fuit opinio tum maxime celebris, quam etiam *Galenus*, quem Alexandri tempore vixisse scimus, probasse videtur: nam neque id in quæstionem vocavit, & *libro de elementis primo* qualitatem passim elementi speciem appellat, aitque ignem ex materia constare & qualitate. Hos non parvo post intervallo tutatus est *Philoponus* philosophus in primis magnus, & post hunc alii plurimi celeberrimi nominis & gravissimę authoritatis viri.

PH. Quæ ratio potuit illos in istam opinionem inducere?

BR. Quod cum prima elementa, per temperaturam subjici fierique mistorum corporum materiam oporteret, *esset* quo- *Ratio Alexandri.*

que *necesse* illa retundi, & *ad medium quoddam temperari, si exquisita erat permistio futura*. Contendebant autem, illud fieri non posse, nisi elementorum formas in qualitatum genus & ordinem referrent, quibus solis proprium est intendi & remitti. Multo post tempore *Averrhoes* acerrimo vir ingenio lectis diligenter singulorum decretis, hac *ipsa ratione eo necessitatis redactus* est, ut elementorum formas ancipitis inter synceras qualitates & compositorum corporum formas naturæ statuerit, illasque qualitatibus & substantiis interjectas utriusque participes esse. Quatenus elementis perfectionem consistendique vim tribuunt, substantiarum viribus pollere: quatenus vero in permistione confusæ intendi aut remitti videntur, qualitatum vim & potestatem exercere. Haud secus enim formarum, quæ in elementis inhærescunt, coitionem fieri autumat, quam contrariarum qualitatum confusionem, quasi propriæ elementorum qualitates remitti nequeant, nisi & ipsæ pariter commutentur formæ. Si enim aliqua ex parte eas quispiam retundi dicat, cum sit reliquarum, inquit, eadem ratio, possent quoque omnes illorum qualitates in nihilum tandem redigi, forma superstite & haudquaquam offensa. Id autem perquam absurdum in natura videtur: neque enim subsistat ignis, omnis caloris expers: neque aqua, ab omni humore destituta.

Quam & urgere animadvertit Averrhoes.

PH. Adversus hunc autem aciem struunt optimi quique Aristotelis interpretes, qui omnes affirmant, elementorum *qualitates nonnihil ac leviter retundi* posse, *formis* eorum, quæ veræ substantiæ sunt, *servatis*, neque illas obstare quominus elementa possint bene perfecteque misceri.

Quæ solvitur.

BR. Ego cum præclaris philosophis censeo, elementorum species, quemadmodum & qualitates eas quas primas vocitant, inter se diffidentes, coire tamen ac congredi, remissioneque convenienti temperatas, καθ' ὅλον misceri, hinc totius compositi unam simplicemque formam prodire. Tu vero si vis elementorum species nequaquam retundi, quo pacto illarum temperamentum fieri intelligas, haud equidem video.

PH. Fiet, inquit Aristoteles, primordiorum substantiis ad minima diductis confuseque permixtis.

BR. Id appositionem esse dico, non commixtam temperaturam.

PH. At vera mistio tum perficitur dum totæ præterea qualitates totis confunduntur, etiam si non sint illorum formæ totæ totis confusæ.

EV. Quid vos tantopere moratur hæc philosophica concertatio, quæ aut nihil aut minimum frugis ad hanc rem sit allatura? Debueras tu certe quidem, his posthabitis, ad graviora & longe utiliora properare. Quid de elementorum formis statuas, parum laboro, si modo cum præclaris philosophis tibi conveniat, concretorum corporum formas in substantiarum genere constitui.

BR. Conveniat sane: nec illis prorsus adhæreo, à quibus dixi me aliquando fuisse institutum, sed tutiorem viam ingressus, jam pridem concessi in familiam longe celeberrimam, eorum qui compositorum formas inter perfectissimas substantias collocant, elementorum formas inter qualitates referunt: quam quæstionem etsi tu ad hanc rem parum facere ducis, vellem tamen de illa tuam audire sententiam.

EV. De his nihil certum, nihil constans, nihil omnium consensu probatum definiri posse sentio, quandiu mens humana corporis hoc veluti ergastulo inclusa, neque materiam, neque formam sensibus cognoscit.

BR. Sic arbitror: neque enim tam discordes illi fuissent, qui in hanc investigationem diligenter incubuerunt.

EV. Si tamen placet, hæc rationis probabilitate dijudicari oportere, illorum potius accedam sententiæ, qui ut concretorum corporum, sic nullo discrimine & *elementorum species*, *puras substantias esse* pronunciant.

Et probatur elementorum ut rerum naturalium formam esse substantiam.

BR. Age vero si quid ad ejus rei fidem in animo premis, hoc exprome: neque enim te vel temere, vel citra rationem, ita sentire puto.

EV. Cæterorum rationes omitto: unius Alexandri, quem tu tibi præcipuum ducem legisti, sententiam in te profero. Age igitur, ob oculos aperte ponatur *Alexandri locus*,

Locus Alexandri Lib. de anima.

locus, ubi elementorum formas scriptura A prosequitur, ut inde nobis sit integra sententiæ nostræ confirmandæ potestas.

BR. *Quamobrem* inquit, *ea species quæ ab arte proficiscitur, substantia nullo pacto est, quemadmodum & ars ipsa: forma vero quæ est à natura, proculdubio substantia est, quemadmodum & ipsa natura. Verum enimvero in igne, quod & naturale & simplex corpus est, calorem & siccitatem speciem facimus, & ab iis atque in iis genitam levitatem.* His plane affirmat, compositi naturalis formam esse substantiam, elementi, qualitatem, sicut & artificio aliquo fabricatæ rei; neque est de illius opinione quicquam altius investigandum.

EV. Sed hæc videri possunt neque satis circumspecte dicta, nec ulla demonstratione suffulta. Noli librum ponere, sed eo ulterius evoluto, lege quæ paulo post adjecit. B

Et ejusdem Argumentis.

BR. Perplacet. Illis commemoratis hæc subjicit, *Quandoquidem non potest ipsa species, per se seorsum à materia separata & abjuncta subsistere: utranque tamen substantiam esse non ambigimus. Nam sicut materia, ita & naturalis species substantia est: partes enim substantiæ, substantiæ sunt. Quinimo quia pars utraq; substantia est, id quod ex ambabus constat, & substantia & una quapiam natura est, non ut quæ artificio fieri videmus. Horum enim subjectum, substantia est: species vero, qualitas esse creditur.* Hæc ne tibi satis sunt?

EV. Satis profecto: sed inspice propius an authoris mentem pure fideliterque edideris.

BR. Quid ni pure ac fideliter? certe quidem ad verbum.

1. Quod sit pars elementi, quod substantia est.

EV. Jam igitur accipe. *Partes*, inquit, *substantiæ, substantiæ sunt*: atqui tam elemen- C tum quam compositum corpus, est substantia. Ergo ut corporis compositi sic & elementi partes, substantiæ sunt. Hæc ratiocinatione si demonstrat Alexander, naturalis compositi formam esse substantiam, eadem conficiet, ipsius quoque elementi speciem, ad substantiæ genus esse referendam.

BR. Hæc ne mihi tendebas retia?

EV. Non ego, sed tu tibi ipse, si qua sunt retia, circundedisti.

BR. Captum equidem me esse sentio, sed semel. quod si me iisdem iterum implicare possis, tum vero demum teneto: nam hæc quidem retia, eo mihi facile perrupturus videor, quod Alexandro forma fortasse pars elementi non est, utpote quæ illo judice qualitas est, quanquam misti forma pars est totius & substantia.

EV. Si solam materiam esse dixit elementi partem à qua ὅλω αὐτοῦ τὴν ὀσίαν habeat, elementi species quæ qualitas est nihil conferet illius essentiæ.

PH. Etiam atque etiam vide quid agas: in præcipiti enim ac lubrico stas, vix ut insistere aut ingredi sine casu possis.

EV. Dic, mi Brute, nonne materia una est rerum omnium communis?

BR. Ita judico.

EV. At rerum naturalium essentiæ plurimum inter se discrepant.

BR. Mihi quidem ita videtur.

EV. Quo igitur pacto poteris ἐσιώδεις illas rerum differentias à materia, quæ omnium una est & eadem, constituere? aut quemadmodum ab illo rudi & communi omnium principio, res quæque propriam ducet sui generis essentiam?

BR. Non video.

EV. Itaque si rerum quæ ex natura constant, diversi sunt ordines, & differentia genera, si propria quædam est & sua cujusque natura, necesse est præter communem illam materiam, aliud quiddam institui, quo res singulę suam adipiscantur speciem, & suæ cujusdam naturæ sint.

BR. Necesse id quidem est.

Et pars materia præstantior.

EV. Illud vero quicquid est *quod essentiam toti largitur*, præclarum quiddam esse convenit, & *materia præstantius*.

BR. Sane: nam ex eo suum res quæque nomen sortitur.

EV. Atqui hoc illud est, quod tu speciem ac formam rei appellare soles.

BR. Solent & plerique omnes.

EV. Ergo necesse est formam esse primam ac precipuam rerum omnium partem.

BR. Nihil equidem vereor, de secundis id fateri corporibus. At elementorum longe diversa est ratio. Horum enim species qualitas est.

EV. Quodam veluti circulo in easdem revolveris tenebras. Ostendi una eademque ratione, omnis substantiæ, sive simplicis sive concretæ speciem esse substantiam.

tiam. Sed quando ita res exigit, veniamus tamen ad singula, eorumque sigillatim naturas explicemus. Stirps aut metallum, formæ suæ debet, quod stirps est aut metallum: & reliqua eodem modo omnia. Verumne id est?

BR. Ita volunt.

EV. Ipsum quoque elementum necesse est ut elementi rationem à sola acceperit specie.

BR. Et id quoque.

EV. Atqui per formam elementum substantia est, & hujus generis substantia. Nam ut hujus aliusve generis substantia sit, hoc est, ut sit vel ignis vel terra, non potuit à materia capere, quæ est rerum omnium communis.

BR. Hoc jam paulo ante concessi.

EV. Undenam igitur?

BR. A sua forma.

EV. Ergo hęc elementi forma, per quam ignis est ignis, & ab aqua differt, substantia est.

BR. Quomodo?

EV. Nam si ignis est substantia, ut fateris ipse, quod illi tribuit ut ignis sit, ipsum quoque substantia est.

BR. Consentaneum est.

EV. At est ea ipsa ignis ratio, quam tu formam esse non inficiaris: quo fit ut concludatur necessario, cum ignis tum cujusque elementi formam substantiam esse.

2. A definitione quoq; elementi.

Inde nos *elementum* vel aliam substantiam *definitione comprehensuri*, non figura, non colore, non pulchritudine, non turpitudine finimus, sed ea substantia à qua res quæque naturalis suam duxit essentiam: ea autem forma est, quæ rei cujusque definitionem concludit.

3. A differentia elementi ab aliis corporibus.

Rursus ut stirps à metallo, & animal à stirpe, formæ varietate & dissimilitudine A differt, sic & elementum, quod ipsum quoque substantia est, à cæteris substantiis distabit nativa quadam & insita sibi substantia. Ut enim substantię essentiam nullum accidens explere potest, sic *neque potest* illa rerum οὐσιώδης, id est, ut quidam loquuntur, *essentialis differentia ex accidente constitui*, quippe quod rei naturalis essentiam immutare nequeat. Cum igitur in cæteris omnibus substantiis id quo dissidet unum ab alio, substantia sit, qui fieri potest ut in elementis quæ verę substantię sunt, hoc secus habeat?

B *BR.* Istam hercle controversiam non fovebo diutius, pręsertim cum eam induxerim, rei tuæ non admodum, ut dicis, necessariam. Proinde non verebor hac de re pedibus in tuam ire sententiam: vixque credam, *Galenum, Alexandrum, Philoponum*, & reliquos hujus familiæ celebres viros, elementis formam tribuisse, nullius substantiæ participem, ex solis qualitatibus conflatam. Sed (ut *Avicennas* interpretatur) quia nobis ignotæ sunt rerum essentiæ, & quia non sunt sua formis imposita nomina, eo factum est fortasse, ut *illi viri elementorum formas propriarum & inseparabilium qualitatum nomine appellaverint*.

Neque certum esse, Alexandrum aliosque ejus opinionis fuisse.

C *EV.* Hoc sane tolerabilius: ita enim maximos viros, à causæ ignorationis crimine, modeste vindicabis.

BR. Jam me nihil hujus quæstionis pœnitet, etsi modo verebar ne improbius fecisse viderer. Et quia pudendum non est discendi studium, nihil reformidabo philosophica quædam denuo in medium proferre.

EV. Propone igitur quam potes brevissime, ne properantes ad graviora, nos medio cursu teneas.

CAPUT. III.

Naturalis cujusque corporis simplicem esse formæ substantiam, neque hanc esse ex subjectis formis ortam, contra Alexandrum.

PHILIATROS.

Elementi materia informis est.

OMnis quę sensibus apprehenditur substantia, ex subjecto & specie tanquam è suis partibus est composita, quemad- A modum & quæcunque ars effinxit in æris, lapidis, aut ligni materia, speciem quandam ab arte & ornamentum habent.

Elemen-

Elementum quod corpus eſt ſimplex, *pro ſubjecto* ſimplicem & *prorſus informem*, ab omnique ſpecie deſtitutam *materiam* habet.

Materia Compoſitorum formis donata. Compoſitum autem miſtumque corpus naturale, ſubjectum ſimplex habere nequit. Sic enim videmus, uniuſmodi & *ſui undequaque ſimile corpus* (Græci ὁμοιομερὲς vocant) quod eſt omnium compoſitorum longe ſimpliciſſimum, ut aurum, ut lapidem, ut ferrum, permiſtum & *è quatuor elementis coagmentatum ſubjectum habere*. Siquidem ante conceſſimus, miſti corporis materiam à quatuor elementis ductam eſſe, quæ *aſſervatis ſuis formis* in miſto corpore permanerent. *Similarium, formis elementorum,*

Nam ſi perirent illorum formæ, tum re vera interitus eſſet, haud quaquam permiſtio.

Diſſimilarium formis ſimilarium. Quinetiam *multiforme variæque naturæ corpus* contemplans, cujuſmodi hæc roſa, aut iſta tam blande nobis arridens laurus eſt, oculorum obtutu clare video (neque enim demonſtrationis fides major aliunde eſſe poſſit) ſubjectum corpus ex multis diſſimilibuſque partibus habere, aliam eſſe radicem, alium corticem, aliud lignum, aliam medullam, alia folia, alias baccas. Rurſum diſpari magis & ampliori varietate diſtinctum eſſe animalis ſubjectum, quod præter eam partium diverſitatem, conformationem quoque in illis habuit & multiplicem figuram.

EV. Rem attigiſti, mi Philiatre, utiliſſimam omnino, nec ulli, opinor, dubiam: quippe quæ ſenſu plus ſatis comperta fiet: & ſi forte rationem præter ſenſum requires, viventium officia & actiones contemplatus, videbis, nervos, oſſa, carnem, vires uſuſque tam diſſimiles obtinuiſſe, ut illorum quoque naturas & eſſentias latiſſime differre pronuncies. Quinetiam habent ſimilares hæ partes vel inter ſe compoſitæ quædam propria *temperamenta*, quæ quum integra ſervantur & inviolata, par eſt & illarum naturas, quæ temperamenti ſunt comites, incorruptas manere. Quid enim eas diſſolvere poſſit, inviolato temperamento? Ita planum fit in animantis compoſitione, oſſa, nervos, carnem, membranulas, & reliquas partes ὁμοιομερεῖς, non modo colore, craſſitudine, aliiſve qualitatibus & conformatione, ſed & ingenito *Vt oſtendunt temperamenta integra.*

A temperamento, & propria eſſentia ac ſpecie diſſidere.

Hæc ſi quis ad ſtatuendas rerum differentias non ſatis eſſe exiſtimabit, quanam, obſecro, alia ratione eſſentias rerum diſtinguet; aut quænam dabit corpora, quorum ſit quam illorum diſſimilior eſſentia? & *his* tamen (ſi quibus aliis) *ſuam eſſe ſubſtantiam negabit nemo*, niſi ſi quis eo contentionis & amentiæ proceſſerit, ut dicere auſit, tam noſtri corporis partes, quam reliqua vel maxime diſſidentia corpora, ſolis accidentibus ſejungi. Sed enim is vetuſtiſſimorum philoſophorum jam pridem exploſum decretum reponet, qui abdicatis formis, ſolis accidentibus perfici diſcernique omnia aſſeverabant. Quocirca propoſitæ hic à te B ſententiæ accedens, profiteor, non animantium ſtirpiumque modo corpora, ſed lapidum quoque & metallorum quorundam, multiplex haberi ſubjectum, cujus particulæ ſpecie & eſſentia, non ſolis accidentibus, diſſideant. *Nec eæ formæ accidentia ſunt.* *Alexandri opinio, qui ex accidentium concurſu naſci formam voluit.*

BR. Levaſtis me onere non parvo, planius alioqui & fuſius illa explicaturum. Jam enim vobis probaturus ſum, *quatuor primordiorum naturæ, ſimpliciſſimam eſſe formam: compoſitorum autem ex iis corporum, perfectiorem & ex compluribus coagmentatam.*

Ratio ejus. Sic enim diligentiſſima rerum perveſtigatione videris, lapidi quam elemento præſtabiliorem ineſſe formam, & ſtirpi, quam lapidi, & animanti quam ſtirpi: quaſi *pro dignitate ſubjecti formam cuique largita ſit natura.* Nempe igitur tu negabis iis compoſitum ſubjectum? Aut ſi id concedes, non C etiam illud dabis, genitam eſſe cujuſque rei formam, & ex iis prognatam formis, quæ ſunt in ſui ſubjecti concretione? Quæ ſi ita eſſe fateberis, fateare ſimul neceſſe eſt, non eſſe eam aliunde petendam, neque ei facultates ullas ineſſe, niſi quas ſimplicium naturæ conferunt. Hæccine tibi ſatis firma argumenta eſſe videntur? de quibus quid ſentias, & quibus ea rationibus infirmes, audire ſane velim.

EV. Hæc unde & ex cujus fontibus, & quorſum derivata ſint, ſatis perſpicio: neque fieri poteſt ut ſine grandi contentione dirimantur: de quibus dicam equidem jam nunc meam ex *Ariſtotelis* mente ſententiam. *Elementis ſimplex eſt forma* in ſubjecto ſim- *Contra Ariſtoteles uniuſcujuſque ſubjecti ſimplicem eſſe formam voluit.*

simplici: naturalis autem *corporis compositi*, quanquam coagmentatum, & ex diversis partibus cohærens est subjectum, *simplex* tamen *est totius forma*, sed quæ multiplici & composito subjecto utens, multiplices compositasque obit functiones, è quibus perfectio illius intelligitur.

BR. Dilucidius hæc eloquere, vix enim assequimur.

Elementi simplicior.

EV. Formarum multi sunt ordines, ex officiorum generibus digesti. Nam quum forma natura quædam sit, eaque motionis principium, quæcunque unius simplicisque motus causa fuerit, simplicissima & imperfectissima, illa & infima jure optimo judicabitur: quæ vero multiplicis variique motus erit opifex, perfectior erit illa certe, & altioris cujusdam ordinis. Sic *elementi forma*, quia loci mutatione sursum tantum aut deorsum fertur, omnium censetur *imperfectissima* & abjectissima: *stirpis*, quæ nutritionis etiam, incrementi procreationisque motum ciet, nimirum *perfectior* habetur & nobilior. Hac rursum *absolutior est animantis forma*, quæ præter hæc sensum confert, & voluntariam progressionem. *Omnium tandem suprema* & perfectissima est *hominis species*, quæ supra hæc omnia mentem divinum munus à diis immortalibus est consequuta. *Conveniebat autem ut quæ forma perfectior* esset, ac pluribus prædita facultatibus, *ea pleniorem & instructiorem corporis* velut *officinam haberet*, ut multiplicem instrumentorum copiam ac varietatem ad alias atque alias accommodaret functiones. Nam neque perfecta, & multas in se efficientes obtinens forma, in materiam commigrabit rudem, simplicem, & impolitam: nec si commigrabit, aut in ea incolumis stare poterit, aut omnibus suis muneribus plene defungi. *Elementorum* omnino *rudis* & simplex est *materia*: *æri*, lapidi, *subjectum* ex sola elementorum temperatione *compositum* inest. *Stirpibus* & dissimilare & jam *organicum corpus* substernitur: in *animantibus* vero, cum partium dissimilitudo quam in stirpibus est major, tum *instrumentorum concinnitas & elegantia decentior*. Ipsum denique *hominem* tam fabrefecit Natura, ut videatur voluisse ex eo tanquam *absolutissimi operis exemplari*, de se fieri existimationem, adeo multis gradibus eum supra cæteras omnes res naturales extulit. Ad hunc igitur modum, simplex quidem est omnium rerum forma, sed quanto subliniorem in locum evecta est, quantoque plures in se continet efficientias, tanto subjectum absolutius, instructius & ad singula commodius efficienda obtinuit. est enim formæ gratia conditum corpus, non item forma corporis.

Compositi perfectior.

Hominis perfectissima.

Cui respondet subjecti perfectio.

BR. Quid audio? næ tu felix es, quod absint philosophorum quos ego sector greges: qui si adessent, universi, scio, in te impetum facerent, tum singulæ familiæ tecum summo jure agerent: instaret princeps ille noster *Alexander*, & te à sententia tua deductum, in suam facile perduceret: alii prope innumerabiles, disputationum suarum & interrogationum laqueis te irretitum tenerent, quibus cum tibi justo sacramento contendere non liceret. Etenim si simplicium è quibus res componuntur species, integræ servantur in composito, neque pereunt, uti fateris, par est omnino, haud secus intere componi miscerique æque suas quibus insident materias, & ex ejusmodi permistione formam totius enasci, eamque sicuti & subjectum, esse compositam veluti concinentium formarum quandam harmoniam: argumentum dabo, si forte desideras, certissium. Stirpis enim & animantis totius actio, ex conspirantibus in unum partium omnium functionibus provenit, neque totius alia est, quam omnium inter se consentientium partium actio: ita etiam tanquam clara voce proclamante natura, credendum, nihil aliud esse totius formam, nisi justum singularum formarum consensum & conspirationem, nec ipsam aliunde nisi ex iis ortam esse. Quid igitur *Alexander*? *Simplicia*, inquit, *corpora, quorum subjectum simplex est, simplicem quoque speciem & naturam adepta sunt. In quibus autem non simplex* subjectum *est, sed jam corpus aliquod, sive compositum: in iisdem species, ornatu distinctiore & compositiore perfectior est. Neque immerito: species enim illa, quæ est in materia & in subjecto, confert aliquid ad eorum speciem, quæ composita sunt.* Paucis vero interjectis hæc adjicit: *Multitudo formarum, earumque diversa commistio, in subjectis corporibus æquabilem mutationis causam adferre potest.* Hæc nonne plane loquuntur, eorum quæ mis-

Ratio Alexandri desumpta ex operationibus inter se conspirantibus.

Lib. de anima.

miſcentur corporum formas etiam ipſas permiſceri, & ex illis formam totius exurgere, quæ ſit ipſa quoque compoſita?

PH. Dii boni quantum inter vos diſſidii? eſtne quicquam hac ipſa controverſia magis controverſum? Res eo veſtra contentione redacta eſt, ut quid potiſſimum ſequar ignorem. Quæ cum vos præcipites egerit in contraria quaſi διαμέτρȣ extrema, neque videam quemadmodum poſſint veſtra ſenſa, aut commoda interpretatione conciliari, aut pro veritate recte dijudicari: reliquum eſt ut aliis arbitri & ſequeſtris honore conceſſo, diſceptationis hujus tantum ſpectator ſim.

BR. Optime.

Refutatur Alexander & ſolvitur ejus ratio ex Ariſtotele 1. de Anima. Probaturque formam corporis ſimplicis non eſſe ex Harmonia accidentium.

EV. Jam vero, ſi tibi videtur, argumentationis tuæ rationem ineamus: quæ mihi quidem eo ferri videbatur, ut adhibita demonſtratione, conficeret omnino doceretque, compoſiti corporis formam, ex ſimplicium formis coaleſcere. Hic tu nos adverſariorum numero, & magno, ut putas, nomine minaciter terrere conatus es, neque forte ſatis idoneorum. Quod ſi ut teſtibus oppugnamur, itidem implorato teſtium auxilio propugnare libeat, pro multis unus nobis erit *Ariſtoteles*, cujus authoritas & argumentatio poſſit omnes omnium rationes refellere. Is (memor es, credo, ſcriptorum) diſputando jam olim confecit, neque animam neque formam eſſe harmoniam. Eſt enim harmonia conſentientium vocum proportio. At hæc iſta *proportio ſubſtantia non eſt*, anima autem eſt ſubſtantia.
1.
2. Item, Anima corpore prior eſt & præſtantior, in eoque principatum tenens ac dominationem, ipſum moderatur ac movet. *Harmonia* autem *ſuo inſtrumento*, ut cithara, *poſterior* eſt, neque habet ullum in eo imperium: non id movet, non moderatur. Quinetiam quovis modo, *diſſoluto* conſonantium rerum *concentu*, & ipſa *diſſol-*
3. *vitur harmonia*, mutatoque intenditur aut remittitur: at *in partium miſtione & temperatura id ſecus habet*: neque enim ejus temperaturæ mutatione alia ſtatim atque alia apparet aut exiſtit anima. Cumque ad offenſionem interdum uſque mutetur cor-

A pus, ipſa nihilominus tamen permanet anima, etiamſi cernimus harmoniam vitiatam: & ſuum cuique temperamentum mutare liberum eſt, animam nemo niſi cum vita mutat.

Nec formam Compoſiti naſci ex conjunctione formarum ſimplicium.

Quis igitur formam harmoniam eſſe dicat? ne vero corporis ejus quod ἀνομοιομερὲς propterea dicitur, quod non unius generis & ſui per omnia ſimiles omnes partes habeat, forma, compoſitio quædam eſt formarum ejuſdem generis, & inter ſe ſimilium, quæ ſic inter ſe connexæ & aptæ videantur, ut in unum ſine ulla diſcordia conſentiant atque conſpirent. Ridiculum eſt, putare, animam aut formam perinde atque ſubjectum corpus ex partium differentium nexu compoſitioneque conſtare. Sed eſt neceſſe,
B totius compoſiti unam eſſe formam ſimplicem, quæ à ſimplicium partiumque formis diverſa, illas incorruptas & integras in toto coërceat, alioqui perituras. Id probatur *Ariſtotelis* locupletiſſimo teſtimonio, ex *ſexto τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Quod*, inquit, *ex aliquo conſtat, ſic eſt compoſitum ut univerſum ſit unum, non uti cumulus, ſed ut ſyllaba. (ſyllaba autem non eſt elementa ipſa, neque eſt idem quod b & a, neque caro eſt ignis ac terra: diſſolutis elementis hæc non ſunt, caro inquam ac ſyllaba: elementa autem ſunt & terra & ignis.) Syllaba igitur profecto eſt non ſolum elementa, litera vocalis & muta, ſed etiam aliud quiddam. Itidem & caro non ſolum ignis ac terra, aut calidum frigidumque eſt, ſed etiam aliud.* In eandem ſententiam ſunt & illa: *Hæc quidem*
C *eſt ſubſtantia uniuſcujuſque rei: nam ut res ſit, hæc eſt prima cauſa; quæ non eſt elementum, ſed principium.* Sunt alii loci complures *libro ſecundo de animalium procreatione*, in quibus id ipſum manifeſtius explicavit. Sed de his alias ſeorſum plura.

Commen. ult.

Ratio 1.

Cur autem oporteat aliud quiddam novumque principium & cauſam, ſimplicium formis induci, adfert, *cum de Anima contra Empedoclem diſputat, non poſſe ſimplicia, maxime autem contraria, in unum coire* & contineri, *niſi* arcto velut vinculo, *fortius quid* & valentius *ipſa ſtringat*, ac coërceat, ne divulſa diſſipataque, mox diſtrahantur, & eo redeant, unde ſingula profecta ſunt.

Commen. 39. Num. 39.

Ratio. 2. Quinetiam *primo de Anima, contra Platonem* eadem ratione ostendit, si *in unum atque idem coalescant, quæ* diversa ac multa sint, *necesse esse alterius vi ea cogi*, copulari, & ne diffluant, contineri. E quibus intelligitur plane, ut corpus, quamvis è multis compositum, unum tamen esse dicimus, sic dicendum esse, formam ipsius unam & simplicem esse. Quid habes, obsecro, quod ad hæc respondeas? Tune *Aristotelem* superabis vel authoritate, vel argumentorum subtilitate ac robore, quibus omni studio totisque viribus efficere conatur, compositorum corporum necessario oportere simplices esse formas?

BR. Non ego sane, cum meam modo sententiam exponerem, id dicere volebam, compositi corporis animam vel formam harmoniam esse, & quandam è multis compositionem.

EV. Id sermo tuus præ se ferebat. Quid igitur sentis? dic amabo apertius.

Instantia pro eductione formæ ex accidentibus materiæ.

Ἡ ἐντελέχεια τοῦ ὅλου συνοχή.

BR. Hoc volebam: *compositi formam vim quandam esse, ex subjectorum sibi corporum temperamento ac mistione.* Subjecti enim ex mistione præparationem, ipsamque potentiam, cum ad absolutionem pervenerit, tum ἐντελέχειαν, id est, perfectionem fieri, quæ rei sit forma. Ita formam de potentia materiæ educi sentio, quod ipsa potentia continenti progressione transeat in formam, actusque fiat.

EV. Hæc sunt *Alexandri* illius *Aphrodisæi*. Tune igitur vis illius partes conserto pede tueri?

BR. Quid ni? obsecro.

EV. Etiam atque etiam quid respondeas vide, & quæ quantaque *incommodorum consequutio* te pene obruat.

BR. Quorum nam?

1. *EV.* Necesse est, eo quidem authore, subjecti præparationem, non accedentem solum adjuvantemque, sed primam & efficientem causam statui: quippe quæ de se omnem formæ essentiam proferat ac suscitet.

2. Simul vero ex subjecto sibi corpore, animam omnemque speciem emergere: & à corporum differentia, formarum varietates proficisci.

BR. Hæc principia sunt, & veluti fundamenta illius opinionis.

3. *EV.* Horrenda sane: consequitur enim, A formam omnem, vel ipsius hominis præstantissimam mentem, mortalem & internecioni obnoxiam esse, si quidem ex subjectorum præparatione & interitura harmonia resultet: quo quid esse potest vel absurdius vel magis impium?

BR. Bona verba: rem dicis illi viro nec novam, nec inopinatam.

EV. Euge virorum optime, perge ut cœpisti: nec te hujus pudeat. Ponendum 4.
erit, subjectum sua specie dignius, & præstantius: ejus esse in composito principatum, moderandisque actionibus ipsum præesse, quas omnes per formam ceu per instrumentum exequatur: neque formam habendam esse præcipuam functionis causam, quæ corpore pro instrumento utatur.

B *BR.* Hæc, opinor, tibi non concesserit *Alexander*.

EV. Sunt tamen superioribus annexa & consequentia, quod ut ille fateretur, nec tuum expectavit judicium, nec te consiliarium adhibuit. Quid enim ait? *Neque gravitas*, inquit, *ob id infra tendit, quod utatur terra, cujus est potestas, sed terra ipsa intercedente gravitate (quæ & potestas & forma & perfectio terræ est) fertur inferius. Idem in anima modus habetur, quum ipsa quoque potestas & actus & forma sit ejus corporis à quo possidetur. Ejus enim procreatio quodammodo ex mistione & temperamento primorum corporum est, sicut ostendimus: Atque per animam operatur id corpus, in quo principatum animæ esse conspicimus.* Agnoscisne hæc *Alexandri?*

C *BR.* Agnosco optime: neque, ut tu, absurda, sed opinabilia problemata esse judico.

EV. Siccine nihil te pudet tam detestabilis opinionis? qua nihil nec dici nec cogitari potest in philosophia vel distortius vel monstrosius. Erubescunt opinor qui nobiscum hic sunt boni doctique viri, audita ista tam perversa philosophia. Sed nullus te tamen aut metus dejiciat, aut pudor suffundat, quo minus fortiter tuis insistas gradibus, & istos absurdissimarum rerum quoad poteris perferas insultus: ex hac enim tolerantia clarius, opinor, veritas elucebit.

BR. Quid hic mihi tua opus est cohortatione? obsistam intrepidus, nec dubitabo,

bo, animi confidentia, quanta maxima esse potest, asseverare, quæcunque huc ex *Alexandro* protulisti, ea omnia longe omnium esse verissima, sibique aptissima consequentia per omnia consentire: videri autem pleraque falsa, quoniam abstrusa sunt & à vulgi intelligentia remota: sed in his, sicuti in omnibus quæ posita sunt in rationis probabilitate, satis esse duco, si secum universa cohæreant, nulla usquam incurrente repugnantia: novaque probabiliter inducere cuique liberum esse, id unum modo caveat, ne quid dicat quod videri possit non satis consentaneum.

EV. Quid juvat opinionum varietas, si quam teneas, quæ cæteris præstare & probabilioribus rationibus niti videatur? Sed ad rem, singula dijudicemus accurate. *Corpus*, inquit *Alexander*, *operatur per animam, sicuti terra per gravitatem deorsum fertur*: quasi vero sit anima corporis agentis instrumentum. *Aristoteles* contra censet, omnia omnium, cum animalium tum stirpium corpora, animæ esse instrumenta, ejusque gratia facta esse. *Alexander* animam, omnemque adeo rei formam, corpori subjicit, inferioremque facit. *Aristoteles* & omnes omnium recte philosophantium familiæ, excellentiorem & superiorem esse volunt. Ille omnis actionis omnisque motus principium & causam corpus esse docet. Hic contra Empedoclem rationes collegit, cur formam, quam & naturam simpliciter appellat, omnium causam & initium motus esse conveniat. Nunc age utri potius accedendum putas? *Alexandrone* an *Aristoteli*? Utrius est apud te major authoritas? Quod si apud te levis & infirma est nominis existimatio, rationes vide, quas si *Alexandro* firmiores & evidentiores esse comperies, tum demum *Aristotelem* contemnito.

Ac sententia Alexandri, sententiæ Aristotelis comparatur.

BR. Suæ non desunt *Alexandro* rationes, neque tam præceps ac devius is fuit, ut jam satis cognita *Aristotelis* mente, temere voluerit novam introducere doctrinam.

EV. Plerique gloriæ, ut ipsi appellant, immortalis adeo magna tenentur ambitione, ut celebritatem nominis, & suam illam immortalitatem, vel falsis inventis, vel etiam flagitio, quærere non dubitent. Sed tu quod verum est fatere: An non tibi videtur *Aristoteles* (puto enim te ejus omnia evolvisse) firmissimas atque adeo necessarias omnino rationes ad hanc rem attulisse? An non animadvertis *Alexandrum* in exemplis & inductionibus iisque non magna probilitate septis plurimum versari? Sed oculos, obsecro, in te ipsum converte, & in omnes penitus partes introspice: An nihil te movet dictorum improbitas? Audebisne tuam animam temeraria confessione mortalem facere, & cœlestem illam divinitatem fœdo lutulentoque corpori subjicere? Hæccine tam impia & tam nefanda recipiet? Quid sentias, responde quæso simpliciter & ingenue, neque tuam libertatem, ullius quamtumvis magni hominis præjudicio tibi ademptam esse velis.

BR. Sit uti vis, rei cujusque forma, simplex quædam substantia, sit & illa præcipua efficiensque causa functionum, præstantior corpore, quo in obeundis functionibus tanquam instrumento utatur. Sed tamen illa ex corporis temperamento prodire videtur, ceu vis quædam simplex ex subjectorum corporum temperie & concordi harmonia profecta. Non hoc, puto, negabis, si diligentissimo examine omnia libraveris. Sic enim *compositæ theriaces aut medicatæ potionis vim, ex simplicium commistis temperatisque viribus extitisse intelligimus*, quod cum *Galeni* etiam mente consentaneum est.

Aliud argumentum pro Alexandro ex compositione medicamentorum.

EV. O callidum versutumque hominem! Quod ipse satis tueri non potes, id videri vis mihi condonare, ut summo totius disputationis capite vicissim accepto, reliqua vel ab invito extorqueas. Nam si formam ex subjectorum corporum temperie ortam esse concedam, facile deinde quæcunque controversa sunt tibi assumes, eversis omnibus philosophiæ præceptis.

BR. Putabam litem hanc inter nos ista moderatione dirimi posse. At cum de suscepta semel opinione nihil velis remittere, sed omnia summo juris rigore persequaris, tuebor & ipse præfracte meam opinionem, de qua nulla vis, nullum periculum me possit depellere. Mordicus tenebo, cum animam, tum omnem speciem, ex subjecti corporis constitutione

 &in-

& innata potentia nasci, neque aliunde prodire, nihil curans, sive tu hanc mortalem esse, & materia posteriorem atque abjectiorem, & illius instrumentum, sive his contraria statuas. Hæc munitissima est arx in quam me recipio, vallo, fossa, multarumque rationum telis ac jaculis instructissima: hanc si oppugnare proponis, senties quanto tuis inde veniant machinæ potentiores & rapidiores.

EV. Ego vero machinis fortasse nullis, sed latentibus tantum subterraneisque cuniculis te petam Jam igitur age, dulcissime Brute: Hæc ista via, quam rei naturalis *formam* appellas, nonne substantia est? Hanc ne *Alexander* quidem ipse *substantiam* esse negabit? Tu vero quid?

Quod destruitur.

BR. Esto substantia.

EV. Mistorum elementorum *temperaturam*, omnemque subjecti hinc exortam habitudinem & potentiam statuis, scio, *in qualitatum genere*.

BR. Sic necesse est.

EV. Atqui ex una, vel *ex multis qualitatibus, substantia emanare nequit*.

BR. Nequit prorsus.

EV. Qui igitur fieri poterit, ut ipsa rei forma, ex qualitatum permistione & temperamento prodeat, soleque qualitates nullius substantiæ concursu & ope substantiam ingenerent?

BR. Non è sola (ne quid ignores) fit qualitatum mistura & temperie, sed ex ipsa quoque earum quæ in elementis sunt formarum confusione & permistione.

Formas non nasci ex refractione formarum elementarium, ut voluit Averrhoes.

EV. At elementorum formas *Alexander* in qualitatum genus retulit, ut hac etiam ratione necesse sit, eo certe authore, compositi formam ex qualitatibus enasci

BR. Ego vero nequaquam illi præsens assentior, sed *Averrhoidi* potius, qui elementorum formas, ambigui ancipitisque generis esse posuit: hujus opem si hic imploro, quid jam oberit, quo minus compositi totius forma è simplicium subjectorum formis emergat?

EV. Quod ne sic quidem simplex erit forma, sed ut corpus, ita & ipsa quoque composita.

BR. Mentem meam nondum, ut video, consequeris.

EV. Qui sic?

BR. Quia *ex subjectarum formarum temperatura*, ego *simplicem nasci posse existimo*, quæ licet sit ipsa simplex, omnium tamen formas suo veluti sinu complectatur.

EV. Id ne fieri posse?

BR. Quid ni?

EV. Ausculta paulisper, ut, quid ego velim, & tu quod quæris, scias.

BR. Ausculto: loquere quid velis.

EV. Quæcunque ad rei naturalis procreationem confluxere, seu simplicia seu composita corpora, ea priusquam mutua inter se actione componerentur & coirent, singula cum materias & formas suas habuere, tum qualitates perpetuo ipsis insidentes. Itane?

BR. Quorsum hæc?

EV. Nihil nunc quidem id refert: responde tantum, neque ad finem præpropere contendas.

BR. Fateor, elementa tribus illis instructa, in rerum procreationem convenire: Quid tum postea?

EV. Dum vera & exquisita fit illorum commistio, qualitates illæ diffunduntur totæ in totas. Siccine tibi videtur?

BR. Id jam sæpius ante concessi.

EV. At nequeunt illorum materiæ ὅλαι καθ' ὅλας permisceri, sed longa partitione partibus, eo reductis, ut jam ad extremum exiguę illæ, conjunctione quadam inter se vinctæ cohęreant. *Ο'λαι καθ' ὅλας.*

BR. Sic quidem necessarium esse duco: nam si materiarum perfecta fieret confusio, corpora in sese penitus ipsa subirent, quod mihi quidem videtur absurdius quam ut recipi debeat.

EV. Nec vero *formæ materias quibus semel infusæ sunt, deserunt unquam, neque possunt aliæ in alias transitione facta commigrare:* id scis optimis quibusque philosophis ita visum esse. *Ratio.*

BR. Et mihi quoque.

EV. Formarum igitur non alia quam materiarum mistio erit, neque relictis sedibus exilient formæ, quo seorsum ipsæ à materia solutæ inter se commisceantur: sed subjectis immersæ, quemadmodum illa, sic & hæ afficientur. Quocirca ut materiæ totæ in totas penetrare nequeunt, sic neque formæ.

BR. Quid tandem inferes?

EV. Non

EV. Non posse simplicem esse speciem, quæ à tali temperatione prosiliat.

BR. Vide quo rem deducere velis: non enim perspicio unde aut quo modo isthæc confeceris.

EV. Dicam, si voles, planius.

BR. Tua commenta nihil moror, neque mea interesse puto, ut captiosis istis & argutis cavillationibus respondeam: hoc satis habeo perspectum, rei naturalis formam, substantiam esse simpliciter.

Exemplo declaratur

EV. Fortasse tecum mihi conveniet, si sine ulla omnino lite rem omnem paulo altius una contemplemur.

BR. Ea vero mihi plus satis est perspecta.

EV. Fac igitur, per te erudiar, fac id plenius concipiam, quod animum mihi jam dudum sollicitat & angit.

BR. Quid istuc?

EV. Hujus *mei multis corpus* universum, nonne ex ossium, nervorum, membranarum, carnis, cutis, aliarumque similarium partium copulatione constructum est?

BR. Perge quo cœpisti. Quid enim hic respondeam, ad hoc quod est vel carnifici compertum?

EV. Quid porro? An non illud etiam compertum, consimiles has & uniusmodi partes integras & inoffensas in corporis compositione servari, & suam esse cujusque earum propriam & essentiam & formam?

BR. Compertum & illud etiam laniis.

EV. Perge, obsecro, tua ista in respondendo liberalitate uti, neque committas ut sordidus aut malignus videare in iis rebus, quarum plenissimus est etiam plebeiorum hominum sensus. Partes illæ muli, consimiles & unius inter se modi, nequaquam miscentur, sive illarum materias, sive formas spectes.

BR. Neque id sane opus fuit, satis erat illas apta concinnaque inter se harmonia conjungi, qua em hisce in ædibus lapides, cæmentum, trabes, & lateres, ab arte accepisse vides.

EV. Sic mihi quoque videtur. Quo igitur pacto fieri potest, ut nova totius forma ex his tam multis, simplex tamen ipsa, prodeat.

BR. Tu videris ipse. ita tamen certe res est.

A EV. Si permanent integræ & inviolatæ partium formę, quo modo aliam de se simplicem, multæ ipsæ integræ & incorruptæ, producent? Si qua ex iis prodire statuatur, hanc oportet esse compositam, ut & istarum ædium compositam ab arte speciem esse dicimus, non autem simplicem. Erit ergo totius muli forma, ex substratis formis quædam veluti compositio, utque totum corpus, sic & ipsa totius forma è multis diversisque partibus consurget. Viden' hæc esse necessaria?

BR. Nescio, quibus aut unde conquisitis tricis nos involvas in re satis plana & expedita: proinde commentitias istas similitudines quam apte ad rem excogitaveris, judicabunt alii: me certe non admodum movent.

B EV. Satisfecisti cæteris hoc vero postremum rectene intuli, an non?

BR. Nescio quid dicas.

EV. Scis vir optime, sed fateri pudet.

BR. Quid sentiam, taceo, & contineo optime, neque volo continuo palam esse: proinde tu alium si videtur interroga.

PH. Quid? res minima tam cito, tam vehementer confundit, optime Brute? Collige te ipsum, & vel nostra gratia responde, ut hæc disputatio mature tandem & convenienter concludatur.

BR. At enim sui similis semper est hic Eudoxus minutula quędam & acuta interrogat, quibus concessis aut negatis, statim nobis aliorum consequentium longam contexit seriem, confictorum ad ostentationem exemplorum mirifica copia refertam,

C ut captiosis istis laqueis irretitos cogat vel quod ante negatum sit etiam invitos dare, vel quod stulte concessum cum rubore repetere.

PH. Quid tua refert? permitte ut arbitratu suo omnia excutiat. Agedum responde.

BR. Si jubet hic doctorum virorum consessus, dicam, compositi corporis, compositam quoque esse illam substantiæ participem formam, sed quæ ex simplicium tamen formis constet atque cohæreat.

EV. Hei, arcis tuę pars summa jam corruit: cave ne te tota mox obruat.

BR. Satis in tuto est quicquid superest.

EV. Quam durum & quam arduum est opi-

opinionem semel ac penitus animis imbibitam evellere! Hic nullum non movet lapidem, nihil ne absurdissimum quidem detractat, id unum sibi modo retineat, formam rei ex subjecti compositione suscitari, nulla neque cura neque æstimatione perpendens, quidnam ponat, & fierine id possit an non. Proposui tibi non *Aristotelem* solum, sed & *Alexandri* tui patroni rationes, quibus conficit, simplicem esse cujusque rei formam, quod & tu palam atque ingenue dedisti.

BR. Dedi equidem, sed ante hanc altercationem, belle & sine ullo dissidio procedentibus adhuc rebus: nunc posteaquam obortum & indictum video tam atrox bellum, nihil quod huic præceptioni adversum fiet fatebor, ne verissimis quidem & clarissimis rationibus convictus.

EV. Nempe hoc illud est, quod recte in comœdia scriptum memini, *Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur.*

BR. Ne tu mihi istuc obtrudas; nondum enim de mea opinione decessi.

EV. Quænam ea est? obsecro.

BR. Sive simplex sive composita compositi species esse statuatur (nihil enim moror) eam tamen esse ceu quandam ex imperfectioribus partium formis absolutam perfectionem: nunquam ab hac opinione digrediar. Exemplum modo protuli ex *Alexandro de Theriaca*, & medicamentis compositis, quorum vis ex simplicium facultatibus dimanavit, ut inde colligeretur, compositorum corporum formas ac vires è substratis naturis proficisci & originẽ ducere

EV. Apta vero similitudo, quam si vicissim in te retorqueam, omnia subvertam hujus opinionis fundamenta.

BR. Quid ita?

Argumentum de Theriaca destruitur ulterius.

EV. Theriace quę jam temporis progressu, mutua simplicum effectione in unum quiddam redacta est, tota quidem simplicium vires & essentias retinet incorruptas, sed quibus nova totius forma, eaque simplex, accessit, propriis & novis ornata viribus. Unde effectus edit, qui, licet obscurius, omnes tamen simplicium redolent facultates, ac pręter eos, alios quoque qui recens inductæ formæ proprii sunt, quosque non unius ex tota miscella simplicis, sed totius esse theriaces facile judices. Qui hos mirantur, alii à tota compositionis substantia, alii à proprietate quadam, alii à constituente forma, eos manare contendunt, & quamvis aliis atque aliis utuntur verbis, eadem tamen omnes pronuntiant. Est enim certe omnibus confessum, eas functiones nulla posse ratione comprehendi, neque ex elementorum, simpliciumque partium viribus demonstrari, sed usu solo, atque experimento ab hominibus peritis animadverti ac notari. Similis prorsus est in stirpis aut animantis fabrica contemplatio. In his enim, ut in illis, mundi elementa, & primæ simplicesque partes, suo utraque modo commiscentur, quibus incorruptis simplex totius forma succedit.

BR. Tua sit ista interpretatio: mea & alia est longe, & ut arbitror, sanior.

Sive simplex sive composita statuatur totius forma, demonstratur, non posse eam ex solis simplicium formis esse.

EV. Vellem ut ego tibi, sic tu mihi singula dilueres: at si placet, rem altius paulo ac diligentius scrutemur. Quod ex illis mundi primordiis primum ac proxime constitutum ais, aliunde nihil accepit, sed ab illis suam omnem vim hausit.

BR. Maxime.

EV. Compertum est autem, primordiis illis vires inesse, quibus sursum ac deorsum cieantur.

BR. Compertum.

EV. *Quicquid igitur ex illis constabit, nihil supra simplicium vires sortietur*, sed duntaxat sursum aut deorsum feretur, pro modo naturaque vincentis elementi. Quocirca nihil ex illis solis genitum, sua natura poterit simul ad contraria moveri.

BR. Ita necesse est.

Ratio.

EV. At contra fieri vides in stirpibus & animantibus, quæ dum ex alimento capiunt incrementum, sursum simul deorsumque porriguntur, & animantium non varia tantum, sed & in contraria sæpe est progressio, varia & multiplex sentiendi vis, animi impetus alius alii, & comprehensionum opinionumque admirabilis pugna. Quid istorum quæso motus elementorum resipit? Num contraria elementa eadem simul particula dominantur, quæ contrarias istas motiones creant? Id si nullo pacto fieri potest, qua fronte dices, hęc ab impulsu elementorum pendere? Prætereo plurimas alias rerum vires, quas ideo occultas appellarunt, quod illarum nequeat ulla certa reddi ra-

di ratio: quas si tu voles, ut reliquas omnes, elementorum naturis acceptas referri, sudabis quidem plus satis, & præterquam quod operam ludes, temeritatis insuper atque imprudentiæ calumniam incurres. Ergo ut in theriaca & in unaquaque re composita, facultates cernimus nullius simplicium proprias, & quæ illorum naturam redolent: sic totius simplex quędam est species, quæ à simplicium formis essentiæ suæ nihil accepit. An, si mistum corpus ab elementorum permistione & materiam & temperamentum sumere fatemur, necessarium statim esse ducis, indidem quoque formam ejus ac vires peti? Oculos mihi in hæc sigillatim defigito, intendito animum. Plura non addam, ne supervacanea probandi diligentia ipse mihi diffidere videar, & claris ac conspicuis per se rebus argumentorum fumos prætendere. Tu de his ut voles statuito: neque enim tibi quicquam persuadendum recepi: ipsa pro se veritas fortius constantiusque certabit, nobisque tacentibus se ipsa defendet.

BR. Næ tu provinciam arduam suscipis: si quidem me admonendo, aut verius, assentando, victum capere ac tenere studes.

EV. Quomodo victus teneri potest is qui congressum metuit, qui certaminis aciem conflictumque subterfugit?

BR. Itane stomacharis? Apud te sumus. Si imperas, hoc tibi assentior, rei naturalis formam non elici ex simplicium tempera-

A mento: Id tamen quod est in comœdia pręfatus, *Hic impulit me, hæc nunc omnino ut crederem: Atque haud scio, an quæ dixit, sint vera omnia.* Sed parvi pendo.

EV. O anilem inconstantiam! virum te judicabam, qui veritatis investigatione gauderes: at nunc spreta ratione, quę est in certis animi inventis velut ancora, ad quam cunque assensionem quasi ad saxum tempestate delatus adhærescis.

BR. Ita fere usu venire solet in tali loco ac turba.

PH. An non tibi satis est, ô Eudoxe, victum hostem in has angustias & vincula conjecisse? visne hunc præterea suo jugulare gladio?

BR. Qui prudens, intrepidus & apprime B exercitatus gubernator videris, ô Eudoxe, faceres & ipse non minus me naufragium, si hoc æstuoso & turbulento sermonum fluctu jactareris. Et, si mihi, ut par est, vicissim respondere voles, ostendam, non minora te incommoda sequi, quæ de hac opinione te retrahant.

EV. Erit id mihi certe gratissimum. Age igitur, refelle quæ dixi: jam enim ego te liberum ac solutum mitto, quo pleniorem habeas ad id quod voles, potestatem.

BR. Tu vero te ad resistendum ac sustinendum compara.

EV. Egone tuos insultus & incursiones pertimescam?

CAPUT IV.

Partium quæ in composito sunt singularum formas esse veluti quasdam præparationes iuducendæ totius formæ, & eas esse multiplices.

BRUTUS.

Sed si simplicibus formis superinducatur forma totius,

Naturalis corporis compositi, sive id simulare est sive dissimilare, subjectum ais esse compositum, & simplicia è quibus componitur, ut ossa, ut nervos, ut carnes, ut membranas, *singula suis esse insignita formis.* Itaque si his partibus *alia insuper totius simplex induatur forma*, fiet ut rei quæ actu quodam & sua forma integre perficitur, alia (quod ullo modo fieri nequit) accedat forma, & *uni eidemque rei, multæ perfectiones insint*; utque simplicis unius & similaris par-

A tis, ut ossis aut carnis, multæ ac diversæ habeantur species; per quas & ex diversis constaret essentiis & in diffidentia genera referretur. Quid mihi ad hæc respondebis? *An non erit absurdum duas formas in una re esse?*

EV. Perge quæcunque voles in unum conferre.

BR. Os, quod exempli gratia dictum sit, sua jam ornatum est specie, super quam si aliam inducis totius speciem, id utique unum erit, ac multa multorumque generum naturas adeptum diffidebit ipsum secum.

cum. quod quam à naturæ rationibus abhorreat, intelligis, opinor. Hinc à peritiſſimis philoſophis ſcriptum audies, *quicquid rei, ſua ſpecie perfectæ, quam illi in actu* (ſic enim loquuntur) *eſſe dicunt, acceſſerit, id neque ſubſtantiam eſſe poſſe neque formam, ſed ſolius accidentis rationem ſubire*. Quid igitur mirabare, cum aſſererem modo, totius ſpeciem veluti compoſitionem quandam eſſe ex partium formis? Quod ſi ſimplex quædam totius forma omnibus ex æquo partibus inſideat, oſſi, nervo, carni, membranis, hæc omnia, quæ tum ſubſtantia tum temperamento diſſimilima quiſque judicat, unius erunt omnino formæ & eſſentiæ. Quo quid cogitari poteſt diſtortius? Malim ego certe quidvis perpeti, quam tam monſtroſa probare commenta. Tibi vero hæc ne cum rerum natura conſentanea videri poſſunt? & tu me, ſi diis placet, citra rationem putabas inſanire, ſecurus quemadmodum iſtam rerum abſurditatem diluere aut effugere poſſes? quod ubi te perfeciſſe videbo, non dubitabo in tuam ultro concedere ſententiam.

EV. Aperte diluam, ſed iis tamen ante comprehenſis, quibus res tota perſpicue probari debet: non enim longa litigioſaque contentione tempus eſt terendum.

BR. Ohe jam ſubterfugit optimus vir: diſtinctiones quæritat, & diverticula conſectatur. tota res nugatoria eſt, ut videtis.

Demonſtratur, totius formam diverſum quiddam eſſe à partium formis.

EV. Difficile eſt incitatum contentione ingenium moderari.

BR. Dic igitur paucis, omni verborum prolixitate conciſa.

EV. Stirps aut animal, dum vivit, nonne ſpeciem quandam obtinet, qua vitæ muneribus defungitur?

BR. Quale hoc diſputandi genus? qui reſpondere debebat, interrogatus viciſſim interrogat. An nihil pudet?

EV. Bono animo es, pallorem hunc cum tremore excutito, neque enim aut difficile aut terribile eſt quod propono: res uno verbo tranſigi poteſt: & qui rem plene ac diffuſe dici non patitur, is ne tranſvolet, brevibus ac membratim cæſis ſententiis coercendus eſt. Proinde cum tu nobis operam neges, in eo colligendo quod ad concludendam hanc diſputationem cum primis eſt utile, patienter ſaltem, ſi placet, auſculta: & ſi quid non ſatis recte concludere videbimur, redargue: Tu vero, Philiatre, reſponde ad ſingula. Stirps aut animans dum in vivis eſt, an non ut vitæ functiones obit, ſic & ſpeciem quandam habet quæ illarum ſit opifex?

PH. Certe ſpeciem habet qua alitur, increſcit, & omnino vivit.

EV. Emortua ſtirpe aut repente extincto animante, nonne omnes illæ pereunt vitæ functiones?

PH. Ita cernimus.

EV. Quid cauſæ eſſe putas?

PH. Quod totius abierit forma, quæ illarum erat effectrix.

EV. Igitur ea ſpecies, diverſum quiddam erat à partium formis, neque ex illis conſtabat.

PH. Quomodo?

EV. *Vita excedente* ſimilarium partium unaquæque, os, nervus, *caro, ſuam ſibi formam retinet*, & quod tum ſuperat os, verum os eſt, non homonyma, ut oculus mortuus, (hic enim propria inſtrumenti ratione orbatus eſt) ſed ſimplici & illi peculiariter tributa appellatione. Eique tum ſua ſpecies eſt à nervi, à carnis, ab aliarum ſimilarium formis diſtincta. *Ratio 1.*

PH. Eſt. ut iis quæ natura conſtat omnibus.

EV. Nec vero ſuam hanc ſpeciem ab animę exceſſu ſtatim accepit, ſed eadem illi quoque inerat, cum vita & ſpiritu frueretur animal.

PH. Credibile id quidem: unde enim tam repente, corporea illa quum ſit, involaſſet?

EV. Cur non igitur nunc æque vivit hoc corpus atque ante, ſi quidem intermortui hujus partes ſimilares, formis ſuis præditæ ſunt ſingulæ, neque magis quam dum viveret disjunctæ, aut locis diſcluſæ? Si totius viventis ſpecies, è partium formis apta erat & compoſita, cur non iſta ſimiliter in demortuo perſiſtat, his in ſua quaque parte permanentibus? Hæccine ſatis oſtendunt, præter partium formas, toti aliquid tribuendum eſſe, quo id ipſum unum ſit, & quo vitam agat? eſſeque illam totius formam diverſum quid à ſingulis ſingularum partium formis, neque ex illis coaleſcere?

PH. Plane.

EV. Cum

EV. Cum autem os aut *lapis corruptione perit*, illiusque forma dissipatur, *elementa*, ex quibus ea constabant, non simul quasi ad nihilum redacta intercidunt, sed (quemadmodum vetustissimus author *Hippocrates* memoriæ prodidit) *facta veluti reciprocatione, in suas quæque unde prodiere naturas redeunt.*

Ratio 2. *PH.* Scio: nam si elementorum substantiæ quæ ad rerum procreationem in unum confluxerant, illarum rerum interitu vanescerent, neque in suam naturam remearent, jampridem absumpta foret omnis elementorum substantia, nec ea satis fuisset rebus innumeris hactenus generatis.

EV. Rem tenes. Ea tibi est ad stirpis animantisve interitum transferenda. Asservant enim particulæ similares, suam quæque speciem, & ad suas redeunt naturas, abeunte totius forma.

PH. Par omnino videtur esse utrobique ratio.

EV. Ut ergo iis quæ in lapide miscebantur elementis, lapidis insidebat forma, neque tum sincera erant ea primordia: sic mihi animo concipito, in animali, dum vivit, animam & in toto & in singulis esse particulis, ut & vitã iis & vitæ munera largiatur.

PH. Est opinor necesse.

EV. Quid porro hic amplius expectas? An ut concludam, id quicquid est unde vitæ munera accipimus, cum animam, tum rei speciem appellari, eamque nec ex partium compositione coalescere, nec illis necessario comitari? An ut finem potius faciam in re satis per se clara?

PH. Satis equidem hæc superque esse censeo.

EV. At mirum ut inter hæc noster Brutus sibi silentium imperare potuerit.

PH. Nihil enim habuit quod diceret, aut cur his refragaretur.

EV. Et in eo tamen exemplo quod objecerat, rem nostram confecimus.

BR. Ut mutuo muli scabunt. Quasi vero quicquam ad me pertineat mutua ista inter vos assentatio, aut quasi ab iis recte quicquam concludi possit inter quos aguntur omnia de composito: manent, manent inquam (utcunque magna contentione vestra confirmetis) omnia tamen mea immota, neque unquam potuerunt ulla omnino ratione labefactari.

EV. Quid audio? Itane, ô dii boni, immota manent quæ ego ab imis usque fundamentis erui?

BR. Siccine ais? quibus tandem id obsecro machinis?

EV. Nullisne? An vis ut iisdem illis ego tibi lippientes hosce & inutiles oculos eruam? Partes illæ, inquam, (quas tu tum in stirpe tum in animali dissimilimas esse statuis, ejusdem rationis ac formæ sunt omnes, dum eorum utrunque in vivis est. At mortem obeuntibus illis, totiusque evanescente forma, quæ superant partes, neque formæ neque essentiæ sunt ejusdem, sed omnino diversæ. Imo & discretæ sunt, neque unum inter se cohærentes & continuatæ efficiunt, nisi fortasse positionis vicinitate, quo modo lapides, ligna, lateres, & cæmentum domum: nam singulæ partes ad suas tum naturas redeunt, quæ, præsente totius forma, inter se unitæ & continuatæ, simplex quid & unius essentiæ erant. Itaque totius interitu, similaris cujusque partis species, in suum (ut appellant) actum, & in suam perfectionem erumpit, quæ non ita pridem, *dum viveret animal, solum inesse potentia dicebatur*: actu enim fit quod erat potentia. Et illa quidem tum nobilioris formæ lumine obscurata, nec elucere ipsa poterat, nec parti suam aut essentiam aut nomen conferre. Quandoquidem formæ inferiores, quæ nobiliori sunt velut administræ, cum præstantior illa & sublimior inducitur, potestate tantum insunt, quæ modo energia, id est, re ipsa atque actu inhærescebant. Et contra quæ præsente nobiliori, potentia solum inesse discebantur, illæ ea decedente erumpunt in actum, viresque suas integras & synceras exhibent. Hic vides ea quæcunque argumentando collegeras dissoluta: nam si forte partibus similaribus, quæ jam suis formis insignitæ sunt, nova totius accedat forma, non idcirco tamen conficere possis, parti cuique duas actu inesse formas, quod eidem rei duæ perfectiones haudquaquam esse possunt. Complures autem formas eadem in re potentia simul esse posse: præter has vero & *unam actu*, nemo est qui neget. Neque vero forma accedit τῷ ὄντι actu manenti: sed obscuratur inferioris formæ ille actus

Quare absurdum non esse.

Vnam formam potestate inesse;

Alteram actu,

 & per-

& perfectio, quoties clarior ac nobilior immittitur. Quocirca neque quicquam unum diversorum (quod acerrime contendebas) generum erit: sed ab una posteriori nobiliorique forma res omnis essentiam, nomen, genus, mutuabitur.

BR. Hac ratione, si priori meæ argumentationi satis esse factum putabis, posterior saltem stabit quæ tuam opinionem convincat.

EV. Multo hercle minus id intelliges, si quid de formæ essentia teneam audieris: ego enim compositi corporis speciem cum simplicem & similarem, tum *per omnes particulas fusam* esse pronuncio.

Per totum corpus diffusam.

BR. Qui sic?

EV. Paucis explicabo. Tu mihi mentem attende. In hanc totam quam viventem cernis stirpem, spiritus unus naturalis, isque sui totus similis sparsus diffususque est: hujus quoque spiritus interventu, una toti stirpi anima insidet. Erit id forte dilucidius in animantium genere. His unicus ac simplex est naturalis spiritus, ab uno simplicique fonte profluens, ubique sui similis, omnes tum similares tum dissimilares partes continens. Ergo cum is unus sit è simplici fonte scaturiens, non nisi unius simplicisque animæ vehiculum & nexus esse potest. Ita enim, si est à veteribus philosophis recte demonstrandum, animam convenientis ac proprii sibi spiritus nexu & vinculo in corpore retineri, nos recte ex ipsorum spirituum differentia, quam sint multiplices, & quam inter se dissentientes animarum essentiæ, colligemus. Naturalis igitur anima unica esse, in omnes particulas spirans atque diffusa, concluditur. Haud absimilis est vitalis aut sentientis, ratio, quam proinde, quod animantis spiritus unus ubique est, & ipsam quoque per omnia cum sentiendi tum movendi instrumenta unam esse necesse est. Videsne quid velim?

BR. Audio saltem, etsi non aperte id video. Enimvero, ut donemus tibi naturalis tum spiritus tum animæ unum esse fontem, pro partium tamen varia natura, hæc alia atque alia esse deprehenduntur. Ossi, carni nervo, & cuique sigillatim particulæ, peculiaris quidam ac suus insit spiritus & anima. Nam ut hæ partes substantia sunt maxime dissimili, sic eas dissimiliter & nutriri & augeri par est. *Qui igitur tam diversa, una eademque præstabit anima?*

Sed quomodo eo poterit tam diversas actiones obire?

EV. Quid ni? An tibi novum vel incredibile videtur, si quid *diversorum instrumentorum adminiculo*, multos ac differentes edat effectus?

BR. Non adeo.

EV. Nempe hoc illud est, quod hac etiam in re te sentire velim, tam varias ac late diffidentes partium functiones, non ex ipsius animæ sed ex partium quibus infusa & inspirata est, differentia proficisci. Hoc itaque modo, vis animalis etsi una est suique similis in omnes tum nervos tum in certos distributa, per alios tamen solum sensum, per alios simul ac motum confert & efficit: & utrunque alias obscurius, alias clarius, pro partium quibus est infusa quasque movet varietate & affectione diversa: vis item naturalis quæ in carne est, carnem gignit, quæ in osse, os, eodemque in reliquis modo. Accommodat enim ipsa sese ad partium quas moderatur ac fovet temperamentum, naturam multiplicesque ac varios usus.

Poterit diversis instrumentis.

BR. Sed quidnam est quod modo mihi de stirpibus dicere occœperas?

EV. Ut animantibus vis naturalis è corde vel jecore, ubicunque prima est ejus sedes, profecta, toti deinceps corpori communicatur: sic propemodum censuit *Aristoteles*, stirpibus quiddam inesse, cordis loco, idque media inter radicem & caudicem sede, è cujus velut scatebris, vis illa naturalis manans, in universam derivetur stirpem. Itaque scire licet, quæcunque specie distare existimamus tum animantia tum stirpes, diversum hoc vitæ principium sortita esse, diversamque ab hoc emanantem naturalem vim: ita ut sit sua cujusque formæ propria. Attamen sic est illa simplex, & tota unius modi, ut vel in dissimiles partes recepta, una suique similis usque persistat.

BR. Quid tu hinc colligendum esse ducis?

EV. Viventis hujusce stirpis lignum, corticem, folium, florem, atque fructum, omnia unius esse formæ, unaque specie contineri: & animantis os, carnem, vinculum, cartilaginem, specie nequaquam diffidere. Atque id est quod argumenti tui po-

posterioris, quo fortiter contendebas, non posse simplicem ac sui similem formam, tam dissimilibus partibus æquabiliter insidere, imbecillitatem prodit. Nam quæ substantia ac temperamento dissimili cernuntur, communi quadam per innatum spiritum caloremque præparatione, redditæ sunt similes & idoneæ ad ejusdem formæ susceptionem.

BR. Illud ipsum providebam esse tuæ rationis consequens: sed ut eras pollicitus, ita mihi nunc deinceps respondeto.

Iterum quo modo sub una forma poterunt partes manere diversæ naturæ?

EV. Æquum postulas, neque recuso.

BR. Canis os specie & essentia discretum est ab osse muli Nonne ita res habet?

EV. Demus istuc.

BR. At *canis os, ab ejusdem carne longius differt, quam illius ipsius os ab osse muli.* Igitur si specie os ab osse differt, muli, inquam, os ab osse canis, quis neget carnem ab osse cum quo nihil simile habet, ne in uno quidem eodemque animali, specie saltem differre? Quid hic habes quod respondeas?

EV. Erras. Neque enim *si utriusque os, tum canis, tum muli, eadem appellamus nomenclatione, idcirco putandum eadem illa specie* ac ratione contineri: imo vero disjuncta sunt diversorum animantium ossa, & quidem latius quam ejusdem os atque caro. Vis illa naturalis quæ canis ossi moderatrix præest, eadem non potest asini ossa regere, & canis tamen cartilaginem & carnem perinde atque os moderatur. De hac partium similitudine, si recte judicare voles, non est (ut dixi) æstimandum substantiæ temperamentum aut crassitudo, sed ipsius sua quædam proprietas, & is spiritus, qui accedenti formæ illam certo modo præparat.

Non sunt diversæ naturæ quæ tales videntur.

BR. Eodem revolveris. Quid juvat, toties hæc nobis tam odiose inculcare? Jam tu vicissim audi: multis non agam, sed tamen intelliges tandem, quantopere, in hujus hæreseos delectu, judicio falsus sis.

EV. Magnam inibis à me gratiam, si meam diligentiam tuis scrupulis excitabis.

BR. Accuratius singula excutiam, neque ad te confutandum rebus utar extrinsecus alicunde corrogatis, sed omnibus fere domi tuæ natis.

EV. Quænam illæ?

BR. *Malum* hoc *medicum*, hocve citreum, tune aliquando quale sit considerasti?

EV. Et persæpe quidem.

BR. *Cortex ejus calet:* quæcunque vero illo integuntur intranea & velut *viscera*, non parum *frigent*.

At sunt diversa naturæ quæ diversa operantur.

EV. Id vel quivis è plebe novit.

BR. Casiæ fistulæ medulla lenit, alvumque subducit, cortex menses potenter movet, adeoque fœtum etiam excludit.

EV. Ita compertum est usu.

BR. Floris qui in labrusca provenit, extrema in ambitu folia refrigerant: quod enascitur inter hæc medium, adurendi vim sortitum est.

EV. Et id verum esse, longi jam temporis usus atq; experientia sæpenumero docuit.

BR. In animantium porro genere leporis pulmo suspiriosos juvat, sanguis calculum comminuit, ossiculum quod in poplite posteriori est arenulas deturbat, coagulum appositione conceptum retinet, pilus erumpentis sanguinis impetum sistit: hæccine omnia recipis?

EV. Maxime: sunt enim in usu quotidiano.

BR. Quid igitur causæ adfers ad hæc & hujusmodi plurima? Cum ejusdem stirpis una pars urit, altera vi frigoris stupefacit, una in angustum arctando contrahit, altera fundendo dilatat: cum urinas aut menses ciendi, aut hunc aut illum humorem expurgandi facultatem habet una, altera vero istorum nihil præstare potest: fierine (id quod asseris) potest, ut eadem omnes forma præditæ sint?

EV. Quid ni?

BR. Secus visum est magnis ac doctis viris: sed quoniam non tam authoritatis in disputando, quam rationis momenta ponderanda sunt, ratione potius pugnemus, & meam rationem cum tua ratione (si videtur committamus.

EV. Velim sane.

BR. Ain tu à forma omnem actionem proficisci?

EV. Aio.

BR. Et eam formã simplicẽ esse statuis?

EV. Etiam.

BR. Quomodo igitur tam multi, tamque dispares erunt unius & simplicis formæ effectus? Quo pacto erit illa multiplicium & contrariorum author, quæ non constet ex contrariis, & quæ sit omnino simplex?

hæc haudquaquam fieri posse, non ignoras, scio, &, si soli essemus, non dubito quin tu mihi facile fassurus esses. Sed turpe ac pudendum videtur, in gravium virorum consessu atque oculis, palidoniam canere: quocirca, non amplius urgebo, sed ad alia, si videtur, discutienda pergam.

EV. Quid istuc rei? Itane tibi res est confecta? itane ante victoriam triumphum?

BR. Nihil enim habes, quod huc afferas.

EV. Bona verba.

BR. Dic igitur clare, ut in pessima causa ingenii tui speciem exhibeas.

Quæ ad dicta sunt operantur diversa extincta forma totius.

EV. Quas mihi modo recensebas facultates, illæ nequaquam ab ea animæ parte prodierunt, qua vivunt aluntur que stirpes: hæc enim solas vitę functiones confert, atque has aliis aliter. At vero *stirpis eæ partes quæ viribus pollent contrariis, non vivæ in nos agunt, sed cum jam mortuæ* corporibus nostris adhibentur, variis pro sua quæque natura modis, illa afficiunt, ut intelligere liceat, eas *δυνάμεις* aliunde quam ab altrice & naturali anima peti, quæ totius est stirpis viventis.

BR. Hem, optimi viri, quid cessatis? vestræ certe partes sunt, amico succumbenti opem ferre.

EV. Jam demum sentis, quam sit hujus teli penetrabilis acies, quamque facile sit tę perfossura? Stirpis emortuę partes, quarum mihi contrarios effectus objicis, nequaquam ejusdem sunt formæ *εἰδοποιοῦ*, cujusmodi dudum erant cum viverent, sed ut vires, & temperamenta, sic & formas habent diversas, per quas res efficiunt tam dissimiles. Nunc animam naturalem in eas redire remeareque fingito, quæ paulo ante excesserat, ea tum illis partium viribus nihil addet, sed hoc maxime conferet, ut in quibus partibus tanta inest virium dissimilitudo, illæ nutritione incolumes serventur, & increscant, & priusquam senio contabescant, alias de se ejusdem generis excitent: nam hoc ipso à lapidibus metallisque distant. Ergo altrix illa anima, tum singulas partes, tum speciem illarum conservat, quibus aliunde vires accesserant.

BR. Hoc scilicet eras cum tanto apparatu, & tam longa circuitione dicturus?

EV. Hoc ipsum.

BR. Controversiam tamen nondum dirimis, sed respondendo, in graviora (quod est intolerabilius) incurris incommoda.

EV. Cur? obsecro.

BR. Aperiam utrumque seorsum. Dissimiles illæ stirpis aut animalis partes, vires habent illis etiamnum viventibus aut easdem aut forte majores quam jam mortuis. Quid ad hæc? fare age.

EV. Vera narras: neque enim vires novas morte consequutę sunt, sed earum quas habuere, potius fecere jacturam.

BR. Ut igitur emortuæ, sic & viventis stirpis particulę variis præditę sunt viribus, & res efficere possunt contrarias.

EV. Est necesse.

BR. Cum igitur hasce omnes in communem eamque simplicem totius formam referendas esse profitearis, qui possis effugere, quo minus illam contrariorum esse opificem fateare? At istud est longe absurdius, quam si illam asseras esse compositam.

Imo & una forma tam diversa agere potest propter diversum apparatum instrumentorum.

EV. Minime vero: nam ego disputationem hanc semel conclusurus, certe & constanter assero, *simplex idem agens*, quod anceps & homonymum appellant, *contrarios effectus edere posse*, quotiescunque vel *diversa instrumenta*, vel alias *inferiores causas*, velut *succenturiatas*, sibi in opus adjunxerit: accommodat enim sese subjectorum quibus inhæret naturæ.

BR. Tu igitur altricem stirpis animam, partium formis ignobiliorem ac viliorem facis, si quidem conservandarum partium gratia illam conditam esse censes.

EV. Immo contra plane: Singularum partium formas quosdam veluti gradus esse quibus ad supremam illam totius formam promoveatur, nec alia de causa illas in subjectum impressas, nisi ut ista præparatione ad hanc introducendam via præsternetur. Nec vero cum dicerem animam nutriendi facultate præditam, singularum partium formas servare, hanc illarum gratia conditam esse putabam, sed sua ipsius & stirpis solum caussa consistere. Cæterum quoniam illa è suis cohæret partibus, fit idcirco, dum se totamque stirpem hac nutritione tuetur, novoque fœtu multiplicat, ut ipsas quoque partium formas, quibus ad præparationem opus habet, incorruptas quoque servet, simulque novas interdum generet. Itaque partes ad totius formam non-

nonnihil quidem, at non essentiam confe- A
runt.

BR. Quidnam igitur?

Qui multiplex in corpore.

EV. Præparationem & accommodatam quandam διάθεσιν *recipiendæ simul atque servandæ totius formæ* ejusque omnibus muneribus defungendis. His enim internunciis ac veluti paranymphis feliciter coit & indivulsum permanet formæ cum toto subjecto conjugium, quas si qua forte vis expulerit, necesse est vel divortium statim consequi, vel inertem certe & ociosam formam in subjecto relinqui. Quemadmodum igitur ossis, nervi, carnis, & cujusque similaris subjectum, non ex solo qualitatum temperamento, sed ex primordiorum quoque naturalium permistione præparatum est, & illis suas formas servantibus, forma nervi B vel ossis influxit: Sic omnino putandum totius animantis formæ corpus subjici, ex hærentibus & in unum confusis, osse, nervo, carne, aliisque id genus partibus constructum. Ex apta enim & concinna similarium positione, numero, figura, magnitudine, partes illæ quæ appellantur organicæ consurgunt, è quarum deinde convenientia & mutuo consensu, suis numeris absolutum efficitur corpus. Itaque his universis apte concinneque in unum coëuntibus, convenienter ac legitime præparatum subjectum, formam horum omnium communem in se allicit & conservat, & illius functionibus inservit.

BR. Admirabilis vero præparationum congeries.

EV. Nec tamen omnes attigi, quas ad rei procreationem inductionemque formæ C requiri existimo.

BR. Nunquam desines in nugis terere tempus, & flexuosis ac vagis interpretationum ambagibus, inveniendæ veritatis occasionem intercipere?

EV. Nihil equidem minus: sed si quod reliquum est auscultare velis, audies quæ sunt omnium longe verissima.

BR. Non feram amplius. narra cui voles tua commenta.

PH. Mecum age potius, ô Eudoxe, neque quod de his præparationum generibus dicere institueras abrumpas, nos quęcunque dixeris æquis & attentis animis accipiemus.

EV. Quis hujus viri fastidiosam morositatem perferat?

PH. Omitte vero illum, & ad expositionem quam avide expectamus aggredere.

EV. Ades dum igitur attentus, & animadverte quid velim.

PH. Arrectus sum. dic age.

Tres præparationes ad totius formam necessariæ.

EV. In viventium omnium corporibus, tres minimum præparationes (si enim appello quas Græci προκατασκευὰς dixerunt) *ad formam recipiendam necessariæ* insunt. *Una est probæ* & ido- 1.
nea *temperatio*, quæ partis cujusque simplicis ac similaris sua esse intelligitur, ex primordiorum mistione prognata, & totius etiam corporis sua quędam composita, ex confluentibus conspirantibusque in idem similarium partium temperamentis comparata.

PH. Verisimile id quidem, & maxime consentaneum.

EV. Altera præparatio corporis est, congrua 2.
aptaque compositio, consensus & *conformatio*, quæ nos cernimus organicis quibusque partibus primum ac per se inesse, toti vero corpori ex organicarum compositione.

PH. Hanc ego non dubito viventium omnium esse communem: nam & *Aristoteles* animam definiens, inquit *esse actum corporis naturalis organici*: quod organorum conformatio sit ei corpori, quod vitam & animam suscipiet, necessaria.

EV. Tertius ad hæc est *spiritus* quidam, per 3.
totum fusus, cui salutaris inest & vitalis calor.

PH. Cur hunc inter præparationes numeres, nondum mihi plane constat.

EV. Si pro comperto tibi est, animal omne calorem in se continere ac fovere, quo vitam tuetur, quoque extincto illius anima decedit atque intermoritur, nequaquam in dubium vocabis, quin spiritalis ille calor ad vitam degendam sit omnium maxime necessarius, quippe qui & ad animæ naturam accedat proxime, & illi perpetuus atque individuus comes sit.

PH. Sed quid prohibet, quo minus hic ad superiores præparationes referatur, cum non secus atque illæ ex elementorum concretione prodeat?

Quam distincta sint ea præpa-

EV. Etsi elementorum soboles est prima illa præparatio, *conformatio* tamen & *spiritus*,

non

rationes. non illinc, sed è *diviniori quodam principio originem ducunt.*

Conformatio & spiritus aliunde quam ex elementis.

PH. Quid ita?

EV. Quoniam fieri nequit ut elementa vel diligentissime ac summa cum ratione temperata, per se, nullius ope alterius, aptam corpori conformationem, sensum, motumve conferant. Quam enim legem, aut quam mensuram his efficiendis feres?

PH. Inexplicabilis est, mea quidem sententia, temperamenti modus.

Ratio 1. *EV.* Id in conformatione longe magis dicas: nam hoc aut illud temperamento esse calido satis intelligitur, eo quod calidum & igneum elementum cæteris elementis in permistione præpolleat. Itemque tactu frigidum si senties, frigidum elementum dominari: sed quanam ratione factum sit, ut hæc aut illa fuerit hujus aut illius rei figura, id vero est quod nec dicere nec mente consequi possis. Plurima enim cernimus, quæ cum sint ejusdem temperamenti, dissimiles tamen figuras accepisse, rursumque consimilis esse figuræ, quorum sit dissimillimum inter se temperamentum: id quod ex medicorum sententia plenius postea & uberius probabitur.

PH. Videtur id ratione, aliqua ex parte fulciri.

EV. Porro insitus is sive spiritus sive calor, qui vitæ est & opifex & vinculum, non poterit partium corporis temperamento acceptus referri.

PH. Id quoque si placet, apertius doceto.

Ratio. 2. *EV.* Repente ac recens extincto jugulatove animante, partes similares, suam singulæ aliquandiu retinent temperaturam.

PH. Id memini jam à te supra demonstratum, fieri non posse, ut insitum rei temperamentum tam subito mutetur, suamque velut exuat naturam.

EV. In iis tamen partibus tum neque insitus ille calor, neque spiritus inest.

PH. Quid mirum? Nam idcirco interiit animal ejusque partes, quod animæ vitæque conservatrix causa, nempe spiritus ille calidus nobisque insitus, aut subito evanuerit dissolutus, aut extinctus perierit: etenim aperte cernimus, quod ab *Aristotele* annotatum est, moribundum animal refrigescere.

EV. Hinc itaque concluditur, insitum illum sive spiritum sive calorem, nihil ad A temperamenti rationem pertinere. Et quoniam spiritus qui in arteriis præsertim majoribus est, inter corporis partes non censetur, sicuti neque qui venis clauditur sanguis, fieri proinde necesse est, ut nec ille spiritus calorve quicquam pertineat vel ad corporis substantiam, vel ad temperamentum ex elementis naturæ ortum. Quare hoc ipsum nec spiritus nec conformationis efficiens erit, sed hæc è diviniori natura fluxisse oportet.

PH. Jam primum in mentem mihi venit Averrhois ille, in Arabum factione primæ existimationis philosophus, qui *Collectaneorum sectione prima*, tuam sententiam sequutus, censuit innatum nobis tum calorem tum spiritum, neutiquam ex partium B corporis temperatione proficisci. Sic enim ait: *Partes natura quidem & agunt & afficiuntur in totum à calore ipsis innato, qui alius est ab eo, quem à temperamento adipiscuntur. Experimento quippe anatomices compertum exploratumque est, corde corpusculum contineri vaporosum exquisiteque calidum, quod ab ipso per arteriarum ductus in universum derivatur animantis corpus atque transmittitur.* Hæc sunt quibus planum facit, nobis insitum calorem & spiritum, non modo ignis naturam conditionemque non retinere, sed ne ab elementorum quidem concretione permistioneque omnino prodiisse: quasi illorum divinior quædam sit origo: quæ qualis sit, neque mihi occurrit ubi ille expresserit, neque aliunde possum ulla diligentia plene consequi. Tu proinde quicquid de his habes animo comprehen- C sum, (habes autem ut scio plurimum) id deprome quæso, & liberaliter nobis impartire.

EV. Rem petis perquam sane lubricam & plenam periculi, unamque omnium maxime temeritatis obnoxiam calumniæ, sed audebo tamen, quādo ita postulat disputationis continuata series, quantum ea de re teneo, id vobis exponere, ut ratione inter vos communiter agitata ex æquo & bono statui possit, quam oporteat his de rebus esse doctorum & veritatis amantium hominum sententiam: ac primum quidem caloris & spiritus: mox deinde formarum originem ortumque commemorabo. Qua in re sic agam, ut mea omnia firmissime corroborem ex *Hippocratis*, *Platonis*, *Aristotelis* & *Galeni* decretis.

PH. En

PH. En in hoc ſumus, avide quicquid dicturus es, excepturi, & tanta diligentia expenſuri, quanta ab hominibus maxima pręſtari poteſt.

EV. Quicquid vivit, nulla putrida materia creatum (uſus perfectum id appellat, ſive in ſtirpium, ſive in animantium genere poſitum id conſtitutumque eſt) ex ſubjecto prodiit, quod eſt ſuum cujuſque ſemen.

PH. Memini id eſſe ſupra confectum.

EV. Ex hoc ſingulæ primum corporis finguntur partes naturæ vi, non aliter quam opificis manu: minutæ particulæ, primum confuſæ in ordinem poſtea digeruntur.

PH. Sæpe id obſervatum ferunt ab hominibus ſtudioſis.

Tres eas præparationes à ſemine conferri.

EV. Itaque *ſemen* tanquam excellenti quadam ſapientia præditum, dum ſtirpibus quidem è terra, ſed quę ſit aliis elementis permiſta; animantibus vero *è materno ſanguine*, familiare & quale cuique ex uſu eſt nutrimentum ſuggerit: *concinnam* ſimul idoneamque elementorum *temperationem confert*, efficitque ut ſit unumquodque hujus illiuſve diſcreti ſingulariſque temperamenti: unde liquet, ſingularem temperamenti rationem, quam nonnulli temperamenti proprietatem dixerunt, tnm corpori toti, tum particulis ipſis vi ſeminis induci, atque etiam certe *conformationem* compoſitionemque ſubjecti; de qua ex *Galeni* mente pomeridiana diſputatione plura colligemus. Atque hoc modo complexi ſumus priores duos præparationum ordines. Tertius porro qui per vitalem *ſpiritum*, caloremque conficitur, ut non ex ſola elementorum temperatione perfici potuit; ſic apertius illuſtriuſque quam reliqui à ſemine ſui ortus initia ducit. Semen enim caloris & ſpiritus refertum aſſeverant omnes, & has vires à parentibus accepiſſe. Nam cum ſui ſimile quippiam generaturi parentes, nequeant in opus continenter incumbere, quod aut, prius quam perfectum ſit, intereant, ut ſtirpes aliquæ, aut aliis vitæ rationibus ſeſe accommodent, ut perfectiorum animantium genus univerſum, provida ſolerſque Natura rerum æternitati conſulens, quæ parenti inerant ad procreandum & vitam largiendam vires, eas per calorem & ſpiritum ſemini commiſit, exiguæ quidem portioni, ſed quæ totius vicaria iiſdem prædita facultatibus, toti ſimile procreet. Hæc in rem præſentem tibi ſatis ſint, alias, dum ita feret, plura fortaſſis audituro.

CAPUT V.

Rei naturalis potentiam non eſſe, ſuopte impetu ad formam progredi, ſed haud ſecus atque actum de habitu, formam elici de potentia materiæ.

PHILIATROS.

Has præparationes eſſe potentiam Materiæ.

AGedum, mi Eudoxe, has quæſo mihi tenebras, quibus offundor, diſcutito: jam enim ſupra docuiſti, potentiam eſſe materię quandam præparationem, ad excipiendam certam ſpeciem: at hæ παρασκευαὶ quas ſemini ineſſe cõmemoras, *ſunt ne ea ipſa potentia* quam inveſtigamus?

EV. Sunt omnino; atque in unum idemque redeunt.

PH. Nulla jam demum verborum circuitione, nullo anfractu rem omnem compendio & plane dixiſti.

BR. An non illud audax, ne dicam temerarium facinus, rem tam arduam, tam à ſenſibus abſtruſam, de qua doctiſſimorum philoſophorum acerrimæ ſunt & in hunc uſque diem indefinitæ contentiones, tam paucis, tamque apertis verbis concludere? Confidentia eſt hæc certe intolerabilis, & ab interpretis naturæ modeſtia aliena. Tu quaſi digito attingas, audes quid potentia ſit indicare?

EV. Quidni? Sed jam age quæſo, mi Philiatre, quum *potentiæ* nomine nihil ſit nec philoſophorum ſermone magis tritum, nec diſputationibus acrius exagitatum, poteris ne quam *multiplex* id ſit recenſere.

Potentia enim triplex vel ſubſtantia.

PH. Potero, ni fallor: primum enim *Ari-*

ſtoteles

stoteles potentiam esse definivit *motus mutationisque principium*: quumque id duplex sit, unum efficiendi, patiendi alterum, duplicem inde potentiam statuit. *Efficiendi* quidem potentiam esse dixit mutationis in alio principium, de qua *Physicorum septimo* multa: *patiendi* vero, principium mutationis ab alio: qua verbi significatione, rei cujusque materiam appellat potentiam, formam vero actum atque perfectionem. Harum utraque in *substantiarum* est genere.

5. Metaph. c. 12. & 9. cap. 1. & 2.

Præterea autem id etiam nominis ad *accidens* quiddam trahitur, quod *Aristoteli naturalis potentia, vel impotentia* dici solet. Est enim habilitas vel affectio cujus ope unumquodque facile vel agit vel patitur: aut si mavis, propensio & proclivitas quædam ad aliquid agendum aut patiendum. Sic omnes artes agendi potentias nuncupavit, quod principia sint mutandi in alio. Similes etiam affectiones rebus inanimis ascisscit, quarum subsidio expeditius agunt obsistuntve, ne contrariorum vi in deterius commutentur. *Patiendi* potentia diathesis, est, qua res quæque in alium statum prompte convertitur.

Vel accidens. Hac agendi. 2. de Anima cap. 1. In categ. qualitatis. 9 Metaph. cap. 2. *Aut patiendi. qua potentia Materiæ dicitur.*

EV. Consiste paulisper, in portum enim jam appulisti: nam ea de qua disserimus, est patiendi potentia, quæ materiæ tanquam præparatio quædam insidens, eam aptam *idoneamque reddit* commutationi, & *excipiendæ quam appetit formæ*. Hæc est quam *Alexander Aphrodisæus* recte inquit, *esse principium materiæ inditum, per quod illa apta sit ad omnia suscipienda, quæ ab ipso & ex ipso futura sunt.*

2. Phys.

EV. Quicunque definierunt potentiam esse materiæ quandam præparationem & instructionem, illi si non ultra qualis ea sit præparatio investigandum putarunt, prodigiosa tamen commenta nobis obtrudunt, laborantque de nominis potius, quam de ipsarum cognitione rerum. At si veterem philosophandi legem sequi volumus, res animo comprehensæ nobis sic erunt, ut si sensibus essent perceptæ. Tu itaque, mi Philiatre, si ex tribus istis præparationibus, concinnam materiæ accommodationem clare intelligis, ne dubita te quoque potestatis puram essentiam tenere.

Quid sit formam educi de potentia materiæ.

PH. Tenere me puto. Cæterum velim ut tu mihi alia deinceps interpreteris, eaque & multis perobscura. Quum philosophi dictitant, *de potentia materiæ educi formam*, tune censes has præparationes, cum jam perfectionem integram acceperint, formam de se emittere? Scio equidem à *Simplicio* ea de re sic scriptum esse: *In omni mundo, si quis exortus prodit, non aliter quam per potentiam ad substantiam prodit atque perficitur, materiaque cum recipit formam, per potentiam ad ipsam perducitur.* Et alio loco: *Neque enim omnino ab imperfecto ad perfectum aliquid pervenit, nisi media adsit potentia, addens perfecto id quod deficit, summam perfectionem suscipiens à perfectissimo.* Hæc non sane dubito quin verissima sint, sed me nihil prorsus docent.

BR. Si mihi liceret bona istorum venia, ego tibi, ô Philiatre, paucis explicarem, quemadmodum rei cujusque species ac forma de potentia materiæ ducatur.

EV. Tibi vero non conceditur modo, sed omnes quotquot adsunt orant, ut te hujus quæstionis interpretem exhibeas.

BR. Planam igitur hujus rei expositionem accipe, quæ nullo negocio, te ab intricatissimis aliorum erroribus expediat. Isthæc de qua tam anxie disseritur potentia, qualitas est, quæ magna in utramque partem latitudine, alias intendatur, alias remittatur.

Quibusdam potentiam fieri formam.

PH. Magna certe quidem.

BR. Atque initio pætenuis ea est & obscura, mox vero sensim paulatimque vires capit & increscit: quumque ita minutatim facta additione, ad integram absolutionem venerit, tum ea est, ut *Aristoteles* dicere solet, ἐντελέχεια quædam, quam alii perfectionem, alii perennem quandam agitationem interpretantur. Quemadmodum igitur ista perfectio, de inchoata obscuraque præparatione sensim ordinatimque educi consummarique videtur: sic sane existimare debes, rei cujusque speciem (quæ à perfectione nihil differt) de præparatione ac potentia vere nasci & oriri. Est enim perfectio species, ipsaque præparatio potentia, neque ad eam rem alia opus est explanatione: sed ut præparatio tandem sit perfectio sic *potentia commutatur in formam*.

EV. Parum abest, ô Philiatre, quin tenearis: vide ne imprudens tu tibi laqueos induas: periculosa est assentiendi facilitas. Proinde in tam lubrica ac præcipiti via, me-

memineris tibi caute incedendum eſſe. Sunt enim permulta, falſa illa quidem, ſed veris tamen ſimillima, quæ veritatis pallio velata, falſa ſpecie multos in fœdos ac pudendos errores abducunt. Eſt autem hic Brutus percallidus, & qui niſi caves, te facile circumveniet.

PH. Quomodo?

Sed potentiam nunquam ſic perfici poſſe ut in formam degeneret.

EV. Si perfectionem eſſe rei formam dederis, actum eſt.

PH. Quid igitur? cenſen illa inter ſe eſſe diverſa?

EV. Maxime: ſi quidem non minus diſtant, quam quæ in diverſa genera divertunt. Perfectio ex potentia, ſenſim velut adoleſcens conſummatur, parſque totam antecedit: forma vero immiſſa tota repente eſt, cujus ne minimum quidem ante fuit. Illa, ut potentia, natura quædam eſt patiens: hæc natura eſt efficiens, omniſque motus principium. Illa accidens ſolum eſt, hæc autem ſimplex puraque ſubſtantia, quod meminiſti ſupra eſſe multis rationibus confirmatum.

PH. Memini tanquam nominis mei.

EV. *Qui fieri igitur poteſt, ut potentia continuato incremento, in* ſolidam atque expreſſam *formam* (ſic enim appellare placet quam Græci οὐσιώδη dicunt) abeat, *at fiat ex qualitate ſubſtantia?* ut genera ſuprema, quibus nihil ſit inter ſe commune, quæque longius diſtent quam quæ ſint ſumme contraria, in ſeſe mutuo commigrent? Poteſt quidem quævis qualitas in aliam qualitatem tranſire, & in ſubſtantiam ſubſtantia; communem enim materiam habent: at qualitatem in ſubſtantiam reciproca viciſſitudine commutari poſſe, nulla comprehendit mentis humanæ cogitatio.

PH. Mea certe nullo modo concipit.

Ratio. Quia accidens non fit ſubſtantia.

EV. Et aliud tamen tibi perſuadere nititur verſutus hic Brutus, ut te obnoxium aliquaudo & poſtratum teneat, iis utique perſimilis, qui ſubſellia aſſidere volentibus ſubtrahunt, ut qui ceciderit, cum eum videant ſupinum, profuſius & majori cachinno rideant.

PH. Nunquam ita facile me duci patiar, ſed quem ſemel occupavero gradum, in eo poſthac firmius & fixius perſiſtam.

BR. Quid audio? Siccine mea ſententia contortis & aculeatis ſophiſmatis impetitur? ſiccine captionibus eludor?

EV. Ita tibi appellare liceat, quæ fugere non poſſis. Sed ſi per ocium tamen apud te ſingula diligentius expendes, cernes profecto, quanto noſtra hæc tuis illis præponderent. Quod ſi tuis rationibus aliquid conſtructum eſſe putas, næ ego illud facile & brevi diruam.

BR. Aggredere, jam expecto.

EV. Quæ in ſemine eſt potentia ſenſim minutatimque augetur, dum perveniat ad ſummam perfectionem: itane ais?

BR. Maxime.

EV. Quanam obſecro agente & concitante vi, incrementum illud dari putas?

BR. In promptu eſt *Alexandri* reſponſio, *Inſtant. 1.* primum infuſum *eſſe ſemini quoddam motus initium, quod impetu à generante accepto, ad aliquem uſque finem agit*, dum ſe continuato incremento perfecerit, & velut ingreſſum ſtadium, ad metam uſque (niſi ſi qua vis de curſu retrahat) percurrerit.

EV. Sum equidem plus ęquo obliviosſus, proinde ſi longius extrahitur oratio, tota mihi protinus excidit. Age igitur conciſis magis reſponſionibus, ſi modo eas à me memoria teneri velis.

BR. Quemcunque voles modum tenebo.

EV. Impetum quendam, motuſque initium ais à generante jam olim ſemini datum fuiſſe. *Solvitur.*

BR. Ita res eſt.

EV. Hoc motus initium, intelligiſne eſſe potentiam?

BR. Id ipſum prorſus.

EV. Deinde principium illud, quod eſt potentia, agere quidem continenter exiſtimas, & à primis inchoatiſque naturis, ad ultimas & conſummatas, quibus nihil addi poſſit, quaſque nos ſummas & perfectiſſimas judicamus, procedere.

BR. Quidni?

EV. Et hanc potentiam tu qualitatem eſſe ſtatuis?

BR. Sic viſum eſt *Ariſtoteli*.

EV. At *nulla qualitas, primo & per ſe poteſt agere*, ſed omnis actio, ad ſubſtantiæ compotem formam pertinet, quæ principium quoddam eſt efficiens.

EV. Dum igitur ais potentiam ſenſim augeri, quoad fiat perfecta ſpecies, accretio illa cuinā formę primum refertur acceptas?

BR. Ipſe

BR. Ipse videris: istuc ego minime investigo.

EV. In semine tria tantum esse dicimus, materiam, formam, potentiam. Illa igitur potentiæ actio, perducitne primum ad seminis formam?

BR. Quoniam alio perduceret?

EV. At id fieri nequit.

BR. Quid causæ?

EV. Quoniam quicquid agit, in hoc agit, ut sui simile reddat objectum patiens, neque forma quæ in semine est, aliud quicquam molitur, quam ut semen aliud de se generet.

BR. Hoc ipse satis sciebam, sed eo me vel invitum traxerat rei consequentia: nunc itaque resilio, & *potentiam quæ semini inest, sese sua vi augere* assero, neque ullam externam opem desiderare. Ea enim tametsi qualitas existimatur, præstantioris est tamen ordinis quam cæteræ: quapropter & illam *Aristoteles* appellavit naturalem potentiam, quod ut qualitatis, sic & naturæ quadamtenus sit particeps. Quocirca qui illam dicet per se aliquid agere posse, nihil absurdum dicet.

2. Instantia.

EV. Mira diverticula. Huc igitur sequere, quando ita tibi visum est. Si quid primo ac per se agit potentia, dum se ipsam auget ac perficit, aliud efficit nihil quam sui similem potentiam, neque potest ipsa, quantumvis aucta, de se formam edere. Ex semine quidem tanquam ex subjecto generatur animal aut stirps: at potentiæ efficientia formam, aut seminis vi animal generari, præstantium philosophorum nullus receperit.

Solvitur.

BR. Quid ita? quæso.

EV. Quod nondum est, sed futurum est, id jam simpliciter non est: quod autem non est, qui possit aliud quicquam efficere? Quo pacto fieri posse existimas, ut formam proceret quæ semini inest potentia, si nondum inest ipsa forma? aut ut semen, quod nondum sit ipsum animal, efficiat animal? Nempe si quid ex his gigni debet, aliud quidpiam poni necesse est quod actu formam obtineat, quodque sit hujus procreationis efficiens causa, eaque prima & præcipua. Quæ *Aristoteles* diligentissime contemplatus, in animalium stirpiumque procreatione duplicem naturam instituit, imperfectiorem unam, quæ in semine fit quidem, nondum tamen est: perfectiorem alteram, quæ actu cum sit, effectrix simpliciter est, qualis in eo est, à quo dimanavit semen. Locus est *libro de animalium procreatione secundo*, ubi naturæ & artis discrimen secrevit, his fere verbis. *Ars, principium formaque ejus quod efficitur, sed in alio: motus autem natura in ipso est quod efficitur, ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.* In semine igitur naturam statuit, quæ fit & movetur: in eo autem qaod actu est, efficientem naturam. Quæ *Simplicius* in hanc sententiam fusius explicavit: *Vniuscuiusque natura & causa motionis subjectum sibi ipsi & non alteri simile facit: ut enim natura hominis hominem, sic & natura seminis, non aliud quam semen efficere potest. Quomodo enim proprie hominem faciet, ea quæ est in semine, quæ nondum est hominis natura antequam homo fiat? Si natura seminis commutari desiderat, & animal perfici, proprie efficiens & proxima causa, est natura paterna atque materna: nam forma actu præcedit in patre & matre, secundum quam id quod potentia est, ad actum perducitur. Atque hoc modo natura ejus quod generatur, sic efficiens dicitur, itaque efficiens est, ut & ipsa simul fiat. Ea vero proprie efficiendi vim obtinet, quæ actu talis est, quoniam natura, sui similis est procreatrix.* Vides vim illam seminis, quam potentiam apppellari diximus, nequaquam posse in animalis speciem verti, tametsi ipsa sese quam optime adaptat, & omni ornatus genere instruat atque perficiat, sed adesse oportere quiddam, quod actu tale sit.

PH. Hæc mihi certe longe verissima videntur, neque jam hic noster Brutus, quicquam præterea habet quod objiciat. Attamen priusquam colophonem his imponas, consonum & æquum est, ut nobis id explanes, quod omnibus philosophis placere video: rei cujusque formam de subjecti potentia educi.

EV. Quum quæ semini inest potentia, id est, inducendæ formę præparatio, assiduo incremento, ad summam perfectionem evaserit, ad substantię quoque formam simul perventum erit. Etenim perfectionem illam forma necessario comitatur, nec unquam deserit. Proinde *Aristoteles* formam plerunque ἐντελέχειαν nomine perfectionis appellat, vel quod *perfectæ potentiæ individua sit comes*, vel quod totum ipsum compleat, & per-

Sed forma educitur de potentia materiæ: quo disposita materia forma necessario accedat.

& perficiat. Ut igitur perfectionem, sic & formam de potentia materiæ educi, sermonis usu dicimus, tanquam pares in iis rationes faciat ista consequentiæ necessitas.

Vt actus ex habitu.

PH. Formam de præcurrente potestate haud secus elici ratiocinabar, atque actum de habitu.

EV. Nec sane multum est dissimilis analogia.

PH. Hanc igitur nobis plenius interpretare.

EV. Longa assuetudine & frequentatis actionibus musicus (ut hunc pro reliquorum exemplo sumamus) iisce partibus habitum adeptus est & inseruit, quæ plurimum sese exercent. Atque is deinde tametsi dormit, habitum tamen hunc musicæ aut citharisticæ semper retinet.

PH Hoc tamen digitis teneo.

EV. Si forte igitur experrectus citharam pulsabit, undenam censebis illi modulandi actum incessisse? ex solone habitu, qui in actum ejusmodi sit commutatus?

PH. Nihil minus: sed eo profecto, quia concitata princeps animæ vis, iis tum partibus præsit ac imperet, quibus exercitatione jam olim inditus atque impressus fuerat modulandi habitus: hæ siquidem habitu paratæ in opus actumque suum prompte feruntur, quoties animæ ipsis inspirata voluntas ita imparaverit.

EV. Recte tu quidem. *Vt igitur actum ex habitu* idcirco prodire dixerunt, quod actus, nisi comparato habitu, perfecte elici non potest: sic in ipsa quoque rerum procreatione dicendum est. Non enim potentia formam, sed externa causa imprimit, quæ tamen auxilio potentiæ destituta, non haberet ipsa per se satis virium.

PH. Video. Tanquam enim qui scientiam habet, sed ea non utitur, cum vult, accedente mentis impetu, contemplatur, & actu fit sciens: itidem quodcunque subjectum gignendæ rei perfectam potentiam habere dicimus, accedente agentis extrarii vi, id recte, te authore, actum formamque excipit.

EV. Scopum attigisti.

PH. Qui quid scit, (inquit *Aristoteles*) si animum in contemplationem actu intentum habet, servat tamen habitum, nec perdit contemplando scientiam, sed excolit magis ac perficit: ita id quod perfectam potentiam obtinuit, accedente forma, potentiæ qualitatem non excutit, sed ornamentum illi & perfectionem addit.

EV. Ita necesse est, ut jam fixum ac stabile id sit quod proponebatur, haud secus de potentia materiæ formam elici, atque actum de habitu.

PH. Id quidem jam satis perspicuum. Quod vero de *medicamentis* ajunt, quæ intro sumpta, nostri caloris vi *de potentia in actum excitantur* promoventurque, his ne simile putas?

Nec diversa ratione medicamenta duci de potentia in actum.

EV. Quodammodo. Siquidem vel nondum adhibita nobis medicamenta, suam speciem habent, sibique innatas vires, sed quas non ante in nos exerant, quam à nostro calore sint irritata, quod certe opus est ad illorum vires experiundas. Itaque vere dixeris medicamenta de potentia operandi ad operis actionem, & quasi ex feriis ad opus venire, non tamen ad novam formam transire.

Itemque in animalium procreatione, semen conceptum, uteri vi ac benigno tepore ád agendum impellitur, non ut animal animalisque formam de se excitet aut edat: sed tantum ut exuscitata aut impulsa ipsius potentia aut facultas, deincepsque aucta, *subjectam sibi materiam omni præparationum genere instruat, ut substantia tandem particeps formæ extrinsecus assumatur*, & excepta commode asservetur, suas deinceps omnes functiones obitura.

CAPUT VI.

Gignendæ formæ ne minimum quidem ante in materia fuisse, neque potentiam quicquam esse formæ, neque ad substantiæ genus referri.

BRUTUS.

Nec potentiam esse inchoatam & imperfectam quandam formam, ut quidam contendunt.

Frustra nobis hic laborare videris, optime Eudoxe, qui quæ sunt oculorum testimonio clarissima, ratiocinatione vis & inani ac longe repetita interpretatione eludere. An non cepam sæpenumero vidisti, de tectis aëro libero propendentem, per

per se, nullius extrarii ope, sese diffundere, & herbescentem ex se viriditatem proferre? aut ovum solo fornacis tepore pullum excludere? Equidem & ipse vidi frequenter, & *Aristoteles* fieri posse literis mandavit. Nunc omni philosophorum authoritate posthabita, neglectis etiam acutissime excogitatis eorum rationibus, solius sensus communis bonitate, & omnium animis informata notione ductus, dic per Deum immortalem, dum jam vivere ac moveri incipit ille pullus, unde suam accipit animam? unde prodit illa? aut quis eam inducit? ubi extrarius ille tuus opifex est qui ovo suam insculpat formam? An non hic tuorum commentorum se prodit vanitas? An non luce clarius est, illam ex ovi potentia existere, ut ex eodem ovo pullum universum? Quid relicta sensuum evidentia, abstrusa vestigamus?

EV. Jampridem coactus es fateri, fieri istud nequaquam posse, & formam extrinsecus venire.

BR. Ego ne? tibi vero istud sum fassus? nondum ut video hac in re mentem meam satis concepisti.

EV. Quid hoc novæ rei?

Quorum sententia explicatur.

BR. Dicam, & equidem paucis. Ego enim perinde atque tu, rei cujusque speciem in substantiæ genus refero, sed, quod forte non donabis, ad idem etiam genus, potentiam pertinere puto: hac autem ratione moveor, quod quum videam speciem ipsam ex potentia trahi, necesse sit non diversæ rationis ac generis illam statui, sed esse formæ aliquid imperfectum aut velut mutilum. Atque id quidem in semine cum potentia tantum inesse dicebatur, ociosum delituisse censeo. Ubi vero cœpit suis se virtutibus prodere, esseque ex efficientia manifestum, tum vero demum id actu inesse diximus, quanquam pristinam speciem non mutavit: id enim tenue licet & exiguum, eandem tamen perpetuo substantiam tenuit. Hæc mea est de potentiæ substantia deque formæ exortu assensio, firma illa quidem certe & stabilis, & à qua me nulla ratio depellet.

EV. Eone temeritatis procedes, ut inter substantias potentiæ locum tribuas?

Et probatur Ratione,

BR. Temeritatis non erit, id quod verissimum est asserere. In semine quum potentia quænam est animalis, ipsum animal inesse dicimus potestate, quin etiam ipsum semen animal esse, potestate duntaxat. In ovo avis est, potestate: in glande quercus jam est, sed potestate: in oleæ bacca, ipsa est olea. In huncque modum, quæcunque ex semine ut è subjecto proficiscuntur, in ipso prius inesse potentia, mente colligimus, quam emergant, & oculis obversentur. Reliqua universa quæ nullo semine gigni traduntur, ut metalla, ut lapides, ut stirpes seminis expertes, ut animalia è putri materia nulloque coitu nata, non è quovis sine discrimine subjecto fieri palam est, sed ex eo duntaxat, in quo sui quoddam seminarium habuerint.

quod res ab insito principio perficiatur.

— Non omnis fert omnia tellus:
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ: 1. Georgic.
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina. Et rursum:
Nec vero terra ferre omnes omnia possunt: Georgic.2
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni:
Littora myrtetis lætissima: denique apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem & frigora taxi.

Horum autem causam reddit:

Quippe solo natura subest. Georgic.3

Hæc *Virgilii* placita sunt, quæ te omnia recipere scio. Itaque dum potestate animal aut stirpem in semine ponis, necesse est fateare, delituisse hæc in eo, & suæ essentiæ, quantumvis imperfectum, quiddam tamen omnino habuisse: neque, opinor, ibis inficias, in istis seminariis, ejus quæ ventura est, aliquantulum esse formę.

Quæ solvitur: quod insitum illud principium non sit formale.

EV. Nihil, ne minimum quidem: sed habet res tota eo modo, quem *Simplicius* aperuit. *In semine* (inquit) *ex quo gignitur vel animal vel planta, insitum principium quoddam est, non minus perpetientis quam agentis motionis, per quod proclivitatem quandam habet, & ampliorem quærit excipiendæ formæ.* Hoc igitur principium potentiam appellat & naturam in semen infusam, quam ab anima longe diversam facit, ne forte semen animatum esse fateatur. Est autem ea natura imperfectior multo quam anima, quippe quæ sit ad eam accersendam veluti præmissa quædam præparatio, vel si mavis, habilitas & potentia: neque vero animæ quicquam est, neque in eam poterit ulla muta-

mutatione converti: neque animæ quicquam ante in semine fuit, quam ipsa tota actu cœpit existere: quocirca dici non potest semen animatum. Ergo ne tibi imponat ipsa nominis ratio. quod esse potentia dicimus, id nequaquam est simpliciter: ut neque quod esse potest, id jam actu est. Semen aut hoc aut illud potestate esse statuo, nec ideo tamen id jam actu & re ipsa esse dico: nec enim est in glande vel quercus vel ejus species, nec avis in ovo, nec formę ejus quicquam vel tenuissimum. non enim partium adjectione paulatim minutatimque consummatur, sed subita repentinaque mutatione uno momento tota simul in subjectum concedit.

PH. Audio, maxime inter se pugnantes vobis esse sententias, quas si ex angustiis istis verborum septis, in laxiores veluti campos deducetis, intelligi tandem poterit utra sit firmior & ab utra stet veritas: quæ certe & unica est & simplex, ut alteram stare, alteram cadere sit necesse.

Probatur ea amplius.

BR. Meas ipse partes facile tutabor, ac si meas rationes & authoritates in medium proferri patieris, cumque tuis contendere, intelliget, spero, vel puer: ac tibi etiam forte ipsi persuadebitur, quidpiam formæ ante in subjecto fuisse, quam illa actu inesset tota.

EV. Magnam tibi gratiam habiturus sum, si veris rationibus, à mea me opinione, in tuam perduxeris. Sed age jam, aggredere.

BR. Qui scientiæ habitum habet, hoc ipso sciens & est & dicitur: & quum scientiæ & contemplandi actio incesserit, actu & perfecte sciens. Hæc dudum concesseras.

EV. Neque nunc palinodiam cano,

BR. Sic utique in semine, quamdiucunque nondum quicquam agere vitale potest, fatendum est animam solum inesse potentia. Ubi vero sua se efficientia, suis se prodit operibus, actu tum inesse, quasi sola actione & effectis, actu nec & potentia duntaxat insit, discernatur. Quod ipsum *Aristoteles* brevi sententia sic expressit: *Animam naturalem altricemque in seminibus & utero conceptis, quæ separari possunt, haberi potentia, statuendum est, non actu, priusquam (eo modo, quo conceptus, qui jam separantur) cibum trahant, & officio ejus anima fungantur. Principio enim hujus modo omnia stirpis vitam vivere videntur. De anima quoque sentiente deinceps dicendum est, atque etiam de rationis intelligentiæque participe: omnes enim potentia prius haberi quam actu necesse est.* Hæc declarant satis, *Aristotelem* censuisse, in semine subobscuram fuisse animæ portionem, quæ præ imbecillitate nondum quicquam moliretur animalis functionis.

Atboritate Aristotelis de generat. animal. l. 2 cap. 3.

Quæ elevatur.

EV. In transversum perperam trahis *Aristotelis* sententiam, qui ne per somnium quidem, hujus simile quicquam suspicatus est. Quid absurdius autem in philosophia, aut magis horrendum, quam naturaliter efficientem causam instituere? quæ feriata tamen & ociosa nihil prorsus agat? causam enim actione definimus: quæ si nulla erit, nec causa quidem esse poterit.

BR. Quid ais? nonne in trimestri vel quadrimestri fœtu, cum primum is moveri sentitur, anima vel tota inest, quæ ut absolutum erit animal, cunctas illi functiones præstabit?

EV. Inest utique.

BR. Et tamen nondum potest illa neque cursum ciere, neque vocem edere, neque visione quid percipere. Quid cedo est causæ?

EV. Quoniam impeditur aliunde, & quasi victa tenetur, quod organa desideret, ad suas actiones obeundas accommodata.

BR. Eandem rationem si ad semen transferes, intelliges profecto, & in eo illam ab initio esse, & impediri tamen instrumentorum vel penuria vel vicio, quominus quid agat, illamque ablato impedimento mox in actum erumpere. Hanc ne me putes opinationem confinxisse, authores meos tibi proferam, viros in philosophia adeo magnos, ut eorum te possit authoritas vel deterrere, vel frangere. In iisque primum *Aristotelem*, quem scio te plurimum omnium & merito quidem suspicere: is igitur animalium procreationem ortumque discutiens horum causam his verbis plene explicavit: *Quorum principiorum actio est corporea, hæc sine corpore esse non posse certum est, verbi gratia, ambulare sine pedibus, Itaque extrinsecus ea ut adveniant, fieri haudquaquam potest: nec enim ipsa per se accedere possunt, quum separabilia non sint.* Ergo eo authore, nutricandi sentiendique prin-

Alius locus Aristotelis qui idem adstruat.

principia seorsum habentur nunquam, sed in corpore semper: quare eadem statim per initia erant in semine, nec unquam sejuncta, sed cum eo simul nata.

Authoritate Themistii. *1. de Anima. c. 21.* Audi vero rursum ut *Themistius* alter mihi patronus, hæc ista apertius è tenebris in perspicuam lucem eruerit. *Igitur* (inquit) *& animas in suum aliquod proprium corpus (si suum animæ instrumentum corpus est) divertere oportebit. Dixi divertere. imo non divertit, sed fabricatur architectaturque sibi & præparat domicilium, non conformatum ante & præparatum.* Causam deinde subjicit. *Non enim quemadmodum cithara dedolatur prius & conditur, tum demum adhibetur ad musicam: ita & corpus ornatur ante instruiturque, mox animæ sumendum offertur. Quale igitur singulis animis corpus instrumentumque conveniret, item qua ratione anima illud sibi confingeret, neglectum à Timæo penitus & retro habitum est.* Audis, B *Themistio*, non interpreti modo, sed & paraphrastæ *Aristotelis*, videri animam ab initio in corpore fuisse, neque dum præparato, neque obeundis functionibus accommodo: semper semini comitem animam fuisse, neque, ut recte dicebat *Aristoteles*, sine corpore eam esse posse.

Authoritate Platonis. Sed age, eritne ulla apud te *Platonis* authoritas? Erit opinor. At is eandem sæpius inculcans, præter illam animæ procreationem, quam *in Timæo* nobis exposuit, *lib. de Legibus decimo* de eadem hæc scripsit: *Satis superque monstratum est, animam omnium antiquissimam esse, cum motus principium sit.* Et mox: *Recte igitur & proprie, vereque & absolute diximus prius corpore animam factam fuisse, corpus vero posterius atque secundo loco, quod est animæ secundum naturam dominanti subjectum.* Hæc *Plato*: quæ ut C inter legendum oculis sæpe percurristi, sic nunc vehementer opto, ut in illa paulo acrius intendas, & diligenter circumspicias, ac expendas qua de causa effecto corpore animam priorem esse statuerit. Hæc enim quoniam est omnis motus initium, (motum à mutatione *Plato* sejungit, quod hanc inanimorum, illum viventium esse velit) & quoniam omnia, etiam quæ corporis sunt, administrat & obit, jure optimo sibi ipsa corpus apparat, instruit, ornat.

Quod si est, ut vere esse præclarissimi quique philosophi authores fuere, constat, animæ essentiam in ipso necdum conformato semine conclusam teneri: quæ conti- A nenter ipsum minutatimque & membratim fingat, ut opere tandem absoluto, functiones stirpis aut perfecti animalis, pro sua quæque natura, cunctas obeat.

Et Ratione ab eo ducta. Ac si nunc daretur, de illis unum quemlibet, sed maxime *Platonem* redivivum, nobiscum huc una congredi, præter illa quæ sunt ab eo multis in locis accurate conscripta, audires & alia profecto quam plurima, quæ non probabili modo ratione, sed (qualis mathematicorum esse solet) etiam necessaria, huc te vel invitum agerent. Et quanquam vana erit confictio, tu tamen patere ut eum animo repræsentemus, hoc pacto te suo more interrogantem: ô Eudoxe, quandiu in semine & corpore informi anima continetur, an non ea conformando corpori omnem operam impendit? Age responde, mi Eudoxe, hæc tanquam percontanti Platoni. Quod si te pudet, nihil verebor illi tecum ac pro te respondere. nempe tum ab anima apte conformari corpus, nonne recte dixero? certe enim ita fatendum est. Tum vero ille subjiciet: Dum sic effingitur corpus, necdum ulla est expressa & distincta partium informatio, tum certe nequit anima eas exercere functiones, ad quas illæ partes comparantur. Quid? an non hoc quoque dabimus, cum nec sine pedibus inambulare, nec sine oculis cernere possit? Ac si ita perget: Conformato integre corpore, & singulis partibus instructo, cum anima jam illarum ope cuncta vitæ sensusque munia exequitur, quo tandem pacto tum corpori inest anima? Actu dices, opinor, idque & audacter & vere. Quum igitur (inquiet) informi adhuc corpore, illa non valebat animales promere functiones, quo tum pacto inerat? An hic obmutescemus? at id quidem turpe est. Quid igitur respondebimus? Sola nimirum potestate. hoc enim restat unicum. Quid tu hic illum putas? Instabit utique, & quod consequens est concludet: Animam quæ vim & potestatem ingenitam habebat agendi, nondum vero quicquam agebat ob instrumentorum penuriam, id ipsum esse, quod nos potentiam dicimus: actum vero, animam esse quæ liberis expeditisque instrumentis opus edit. Itaque potentiam esse quidem animæ ipsius essentiam, sed quæ otiosa tamen nondum quicquam efficiat, pro-

propterea quod corpus ineptum adhuc ſit & inconcinnum. Quis contra hæc poſſit dicere? ego certe quidem ſtatim aſſentiar. Tu vero quid? An non idem quoque facies? Video te annuere. Quid ergo erat opus, ut tu novum, inexplicabile & incomprehenſum potentiæ genus nobis fingeres? Jam plane convictus es, opinor: tantumque abeſt ut ab inſtituto meo ipſe deciderо, ut arctiſſimis vinculis te potius obſtrictum teneam, adeo ut dimovere te non poſſis.

EV. Preſſius urgere videris, ô Brute, noſque infeſtius ac prope dixerim furioſius inſectari. At tu tibi quidem, paucis & perperam intellectis philoſophorum ſententiis adductus, *ante victoriam canis triumphum.* Sed moderare, obſecro, ardentes ipſos impetus. grave probrum erit, ſi quid recantare cogeris.

BR. Egone?

Reſpondetur ad eas Authoritates.

EV. Cave exultes, ſed animum mihi ſedatum patienter adhibe. Quæ tu litigioſa perverſaque diligentia contendis, ex hypotheſi defluunt & ducuntur omnia: quæ ſiquidem vera & fide digna fuit, idonee & convenienter fortaſſe concluſiſti, animam, quæ nondum ſuas functiones obiret, poteſtatis appellatione dignandam. Sed vana & fallax eſt ſuppoſitio, quæ ſemini & nondum efformato corpori, animam ineſſe aſſumit.

BR. Hanc non ego, ſed invictiſſimi teſtes *Plato*, *Ariſtoteles*, *Themiſtius* tibi poſuerunt.

Nec eam fuiſſe opinionem Platonis.

EV. Tu me me ſtatim (opinor) vel teſtium gravitate, vel numero offunderes, niſi ſenſa illorum melius quam tu concepiſſem. Primum enim quod ex *Platone* citas teſtimonium, non de ſingulari ac de ſua cujuſque anima, ſed de generali illa mundi, quæ totius & univerſitatis, dictum eſt, de qua quid ſentiret, paulo poſt plenius expreſſit, his prope verbis: *Animam cuncta gubernantem & in omnibus quæ moventur habitantem, nonne & cœlum gubernare neceſſario confitebimur?* & rurſum: *Vniverſa ergo quæ in cœlo ſunt, quæ in terra, quæ in mari, ſuis motibus anima ducit.* Hic igitur, ut paſſim *in Timæo*, mundi animam *Plato* ſtatuit, à medio per omne, uſque ad cœli extrema ſeſe porrigere, eique extrinſecus circumfundi, cunctiſque genitis vitam confere. Qua ſententia, an tibi videtur, rei uniuſcujuſque animam ſtatuiſſe antiquiorem prioremque recens genito corpore? Sed de *Platonis* dogmate, acutius fortaſſe & diſtinctius poſthac judicabitur, ſi in eum forte ſemonem incidemus.

Jam vero quod ad *Themiſtium* attinet, is ſe manifeſto detexit, palam profeſſus, animam ſtatim ab initio infuſam eſſe maris ſemini, tanquam individuam ita diſpenſante natura comitem. Quamobrem nihil veretur aut reformidat, ſemen animatum facere, cujus anima architectatur & extruit ſibi domicilium ex idonea materie. Atque in his quidem quæ ex putri mucoſaque materia, nullo ſemine prodeunt in lucem, animam quandam abſtractam cenſet procreatis apteque conformatis vitam largiri, *Timæum* in hoc ſequutus: his vero quæ ex ſemine derivata fluxere, jam à *Timæo* deficiens, putat univerſalem animam nihil inſpirare, ſed ſuam cuique ſemini inſitam eſſe, quæ temporis progreſſu cuncta conformans, ſuis tandem ſe detegat operibus. Hinc tu, optime Brute, elicere vis, ut videtur, potentiam eſſe *Themiſtio* aliquid eſſentiæ animæ, cum nullus tamen extet locus, unde id haurire aut petere poſſis. Imo vero ille ipſe *Themiſtius in libris phyſicis* de potentia & privatione diſſerens, tanquam de accidentibus diſputationem inſtituit longa ſatis oratione. Sed neque *Themiſtium* ut fidelem idoneumque teſtem velim in hanc noſtram diſceptationem recipi, quod nutabunda & *inconſtanti aſſenſione*, quo fluctus impellit, nunc in *Platonis*, nunc in *Ariſtotelis* ſententiam inclinare videatur. Proinde nequa tibi poſthac hinc ſuppetat cavillationum occaſio, jam nunc apertiſſimis ac veriſſimis rationibus contra *Themiſtium* tibi probabo, ne minimum quidem eſſentiæ animæ ſemini antequam animal eſſe cœpiſſet inſediſſe. Sed *Ariſtotelis* tamen ante videtur explicanda ſententia, quam tu te putas perquam convenienter ad tuam *Themiſtiique* opinationem confirmandam citaſſe. Nam ſi quis altius ac diligentius *Ariſtotelis* mentem ſcrutabitur, intelliget profecto, neque in iis quæ ex putri materia, neque in aliis, quæ poſito (ut ille ait) ſemine ſurgunt, de animæ eſſentia quicquam ab initio fuiſſe, ſed totam tum primum illap-

Incertum an Themiſtii.

Quod is dubius videatur.

Non fuiſſe opinionem Ariſtotelis.

lapſam, cum ad illam excipiendam digne fuit & affabre conſtructum corpus. Qua in re *Platonis* rationem authoritatemque recipit, quanquam de ipſa formæ origine, nec omnia probare, nec ſequi voluit. *Ariſtotelis* abs te citatus locus, plane quidem innuit, animam cum altricem tum ſentientem non poſſe actu ſine corpore conſiſtere, quoniam ad corpus pertinet utriuſque actio. Sed ut in corpore eſſe utramque donemus, neque ab eo ſeparari poſſe, an tu hinc directe colliges, utrumque jam olim neceſſario in ſemine fuiſſe? An non aliud illis corpus ſubſterni poteſt? opinor. Atque in eum obſecro locum mihi fixius oculos intende, non quidem contentionis, ſed veritatis inveſtigandæ ſtudio. Quid enim ait? *Nam neque ipſa* (principia ſcilicet nutriendi & ſentiendi, quorum ad corpus refertur actio) *per ſe accedere poſſunt, quum inſeparabilia ſint: neque cum corpore* (craſſo ſeminis) *ſemen enim excrementum alimenti mutati eſt.* Ubi dicti etiam cauſam ſubjecit. Semen excrementum eſſe vile ac ſordidum, illa autem principia dignitate præſtantia.

BR. Si neque cum corpore, neque ipſa per ſe poſſunt principia nobis accedere, quis jam modus reſtat?

EV. Audi reliqua: *Sed enim*, inquit, *omnis animæ ſive virtus ſive potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis divinum quam quæ elementa appellantur.* Quale autem ſit divinum hoc corpus, quæ deinceps eſt ſententia, commonſtrat: *Ineſt in ſemine omnium, quod facit ut fœcunda ſint ſemina: videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis aliqua facultas eſt,* C *ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum.* Id ergo divinum corpus de quo paulo ante dixerat, ſpiritus eſt, in quo quo tanquam ſede propria, calor conſtituitur, ipſaque natura, quam animæ ſubſtantiam putamus. Hunc ſpiritum cui vim maximam concedit, ſimpliciter ſemen appellavit, in ſequenti proxime oratione, ubi & reliquam craſſiorem ſeminis ſubſtantiam, corpus genituræ nuncupavit. *Corpus autem* (inquit) *genituræ, in quo ſemen animalis principii contentum una provenit, partim ſeparabile à corpore, partim inſeparabile.* Itaque *Ariſtotelem* ſic interpretor, illa nutriendi & ſentiendi principia, cum craſſo ſeminis A corpore, ſeu cum ipſo genituræ corpore, non accedere, quia fœdum eſt & abjectum excrementum: neque ipſa per ſe influere quia ſunt à corpore inſeparabilia: neque poſſunt extrinſecus venire, ſed cum divino corpore ac ſpiritu invehi. Viden' jam illa jacere tuæ importunæ & contentioſæ pertinaciæ fundamenta? Alio pergamus.

PH. Pedem amabo nondum hinc referas: ſed quænam hæc ſint tam præclara, quove modo accipienda, apertius fac & dilucidius.

EV. Præſtat, ô Philiatre, in ſuum quæque locum ac tempus differri, quam inchoatam ſemel diſputationem abrumpi: finienda mihi & concludenda eſt hæc tota controverſia, & quod eram pollicitus, ratione docendum, *ne tantulum quidem animæ* B *ſemini ineſſe.*

BR. Satis mihi iſtuc eſt agitatum, ſatis concluſa tota diſputatio.

EV. Age vero, tu tibi rei confectæ palmam arripias: nos quibus te proſequamur, epinicios hymnos meditabimur. Sed pro tua tamen humanitate facies, ut in hoc triumpho percunctantibus ac dubitantibus nobis, omnia detegas enucleatius & ſimplicius: hoc enim & eruditione & modeſtia tua digniſſimum eſt.

Neceſſe verum.

BR. Sentio te gryphos quoſdam & novas captiones meditari. Equidem iſtius concertationis jam dudum ſatur ſum, ſed quando tamen laceſſere pergis, enarrabo ſi voles fuſius, quicquid habeo in animo comprehenſum.

EV. Eſſet id mihi quidem periculum, ſed video in his eſſe qui conciſius dici mallent.

Ratio 1. Etenim ſi quæ ſine ſemine proveniunt formam extrinſecus acceperunt, multo magis perfectam illa quæ ex ſemine naſcuntur.

BR. Ut lubet.

EV. Atque etiam inſuſurrat hic mihi, alia quam tu opinione imbutus, ut pro ſe me tibi opponam, & quo melius exerceamur, pro more te interrogem. O perdocte Brute, quicunque frutices aut animantia *ex putri materia* proſilierunt nullo ſemine, nullo ſatore, undenam hæc animam accepere?

BR. Dicam *cum Themiſtio, cœlitus* illam à ſumma & totius mundi gubernatrice anima fluxiſſe, quæ quum omnes omnium rerum formas in ſe poteſtate contineat, datrix formarum à pleriſque eſt appellata.

EV. Per-

EV. Perfectiora autem animantia, quæ non nisi præcurrente semine in vitam venere, unde suam animam hauserunt?

BR. Ex semine, in quo & illa fuerat: hic enim mihi placet *Themistius*.

EV. Atqui tum in semine tum in putri materia, prius anima inest potestate quam actu.

BR. Idem arbitror de utroque esse judicium.

EV. Ut igitur cœlitus accessura, in putrescente materia nondum inest forma, sic neque in semine (in quo potentia esse dicitur) actu jam ea subsistit. Aut si eam in semine jam esse, dicis, cur non itidem & in putrida colluvie? Quocirca si non est hujus, nec illius erit potentia, quicquam ejus formæ quæ accessura est. Quin & aliud sequitur vehementer absurdum, imperfectis animalibus è putri illo pædore natis præstantiorem esse multo ac diviniorem originem, quam longe perfectissimis illis, quæ vis seminis in vitam produxit.

BR. Quid enim prohibet?

EV. Quid? nonne dementiæ proximum sit, culicis aut vermis, quam leonis, aut equi, aut elephantis, aut si Diis placet etiam hominis, diviniora fecisse ortus primordia? Non ita te insanire puto: sed si quid divinitatis minutiora hæc ab ortu sunt consequuta, multo, opinor, amplius his plenioribus & absolutioribus elargieris, aut certe tantundem.

BR. Hanc quæ nihil ad rem facit comparationem omitte, quod dico, semel intellexisse contentus. Ut *Virgilius* recte quidem dixit?

Æneid. 6. --- *Semina flammæ*
--- *Abstrusa in venis silicis.* --- Et rursum:
Georgic. 1. --- *E silicis venis abstrusum excuderet ignem.*

Ita equidem semini ex quo quid gignendum est, ipsam rei formam jam inesse profiteor, ipsumque animatum recte vocari: Quisquam ne hoc redarguet?

EV. Obmurmurant omnes quod superiora non dilueris: jamque hic se mihi comparare videtur ad hoc postremum convellendum, & labefactandum. Vigila, Brute, ne tuam causam deseras: sic enim per me proponere gestit.

Ratio. 2. *BR.* Age, dissimulator, tu ipse deposita persona cominus congredere, ut hujus disputationis ruinam tuis humeris sustineas.

EV. Age, placet, congredior: responde igitur breviter. Semini non similiter atque perfecto animanti inest anima. *Neo semini posse inesse anima gradum quendam imperfectiorem.*

BR. Fateor: nam huic actu inest, semini vero solum potestate.

EV. At nihilo minus quum semini inesse animam potentia dicis, tu illi simpliciter ipsam quoque animæ substantiam inesse comfirmas.

BR. Rem tenes.

EV. Aut igitur illi tota inest, uti & perfecto animali aut illius sola quædam portio.

BR. Vesani aut pertinacis est hominis isthæc postulare. An tu hic ullum esse putas qui hæc ausurus sit, aut si quis forte audebit, non ab omnibus exbilatum iri?

EV. Equidem ausurum scio: utrum vero ridiculus an non futurus sit, res ipsa tandem ostendet. Sed interim responde.

BR. Quasi vero arduum sit aut inenodabile: neque enim semini ea inest animæ perfectio, quæ absolutis jam animalibus.

EV. Sequere ut cœpisti. Totane anima semini insidet, an ejus solum portio quædam minutior?

BR. Ego illius portionem non dicam inesse, quandoquidē nullas anima partes habet quæ seorsum à toto consistere valeant.

EV. Ergo tota illi inest.

BR. Tota quidem, sed imperfectiori tamen modo.

EV. Sed age, quam ita in semine imperfectiorem statuis, an non ejusdem cum perfectiori *generis* atque essentiæ esse putas?

BR. Ejusdem omnino, inferiori tamen ordine & gradu: neque enim *Alexander* illam ante actu formam appellat, quam sit perfectionem consequuta. Potentiam tantisper appellare solet dum obscurior adhuc est & imperfectior. *Nec ejusdem generis quæ in infante nata est.*

EV. Vide jam in quas angustias te præcipitare possit quisquis tecum cōgredietur.

BR. In quas? obsecro.

EV. Nempe quod substantiæ participem formam magis ac minus intendi ponis, & eadem specie aliam formam alia præstantiorem.

BR. Fac igitur, si mavis, *sint illæ diversorum generum.*

EV. Si diversa facies illarum genera, jam mihi in portum navis appulerit, jam tota res erit confecta, jā imprudens eo subieris, *Nec diversi generis.*

quod effugere tantò contendebas opere. Nam priusquam ex semine perfectum evadet animal, erit utique necessarium, ipsam formæ essentiam mutari, atque per varias species transiri: deinde vero semini nihil quicquam ejus formæ quæ accessura est insedisse. quo nihil amplius opto in hac disputatione: id enim est quo aspirabam.

BR. Ergo proinde recte videbar censuisse, illarum & substantiam & genus idem: sed nescio quibus me præstigiis hinc abduxeris.

Nec eum gradum posse inter substantiam & accidens ambigere.

EV. In idem igitur luti volutabrum te revolves, quo jam cœperas sordide conspurcari: in quo si diutius hærebis impeditus, quo pacto illud expedies, earum substantiarum quæ sint ejusdem generis, alteram esse altera imperfectiorem?

BR. Id quidem perfacile. Vide enim quid animi cogitatione informem: semini inesse quidem formæ essentiam, sed humilioris cujusdam & imperfectioris gradus, in quo potentia solum appelletur: hanc deinde, cum paulatim ascendendo ad summum, ut ita dicam, perreptaverit, tum actum quidem futurum, citra ullam tamen generis aut essentiæ mutationem.

EV. Intendi igitur ac remitti substantiam vis non secus ac meram qualitatem.

BR. Vis simpliciter quod sentio in sinu tuo deponam? Eam essentiam quæ potentia est, *non existimo puram esse substantiam.*

EV. Est igitur accidens.

BR. Neutrum profecto: sed inter utrumque mediam naturam obtinuit.

EV. Novum vero doctrinæ genus, nova philosophandi ratio, summa rerum genera cunctis recepta multiplicare, illa ceu promiscua quædam miscella confundere, supra hęc genus constituere, quod omnia suo velut complexu contineat: nam si ulla est ipsis inter se communicatio, necesse est profecto commune quoddam genus supra illa poni, nec ea esse summa.

BR. Audi pressius & exquisitius. Summa illa decem rerum genera, augeri ampliarique nolim equidem: verum statuo, potentiæ essentiam esse substantiam adeo infirmam ac debilem, ut ceu qualitas intentionis ac remissionis vices subire possit. Quemadmodum enim celebris author A *Averrhois*, formas elementorum, medio substantiarum & qualitatum interstitio collocavit, ut est ante comprehensum: sic mihi in præsentia liceat, gignendæ rei potentiam, quæ obscura & prætenuis quædam est substantia, & ancipitem, inter substantiæ participem formam interque qualitatem medio loco ponere, ut quæ sit qualitate quidem nobilior, ignobilior autem absoluta ad quam festinat forma.

EV. Ne sic quidem contractam labem dilues, sed alio hæ rebis luto: nam in primis quem testem produxisti, is vanitatis plerunque arguitur, & dum falsa pro veris pronunciat, misere multis imposuit, ea veritatis specie, in qua prior & ipse hallucinatus videtur. Tu si, quæ adfers, velis B quemadmodum in judicio fieri solet, testium fide comprobari, graviores erunt & integriores citandi.

BR. Exuenda sunt arma, satis est conflictatum: sententiam meam qualem protuli accipito.

EV. Sed forti animo persiste: si suffugies, quotquot adsunt te persequentur, & si consequantur arctius vincient. Quidam eorum vehementer optat, ut pro eximia tua sapientia, id unicum respondeas, num tu magis sis homo, quam puer hic, aut magis sis animal quam asinus.

Nec unius simplicisque formæ esse plures gradus perfectionis.

BR. Proh deum fidem! qualem hic mihi virum narras? descendat ille ipse me interrogaturus in arenam: aut si id sponte non vult, ede nomen quo illum appellem.

EV. Haud agnosceres hominem, etiam C si nomen audires.

BR. Illum igitur indica.

EV. Curiosulus es: sed cogita saltem quid ad illa responderi possit.

BR. Tam rustice urgenti, ne verbum quidem ullum: tua tamen gratia respondebo, me nihilo magis hominem esse, quam puerum: forte vero magis sim animal quam asinus. Quid hi rident?

EV. Refellendi est hæc species quædam, quum absurdissima quis dicere videtur, illa deridere, non argumentis incessere.

BR. O ineptum risum, cum nihil contra ista dicere possint, rideant tamen: se ipsos plane & ipsi ridēt, & aliis ridendos exhibēt.

EV. Eja bone vir, bilem istam dilue, & æquo animo accipe quod ille tuis responsis con-

consequens nectet. Si non magis tu homo es quam puer, neque puer magis quam infans, sequitur omnino neq; tuã quam pueri, neq; pueri quam infantis, neq; infantis quam fœtus utero gestati, nec hujus quam seminis (in quo tu animam inesse profiteris) vel præstantiorem vel perfectiorem esse animam: sed omnes *uno eodemque perfectionis genere teneri*. Nam si homo majoris minorisque differentias non admittit, neque proculdubio ipsa hominis forma, quam substantiam esse constat ipso homine digniorem. Proin si hominis semen esse dicis animatum, nobisque communem animam obtinere, ea nihilo erit imperfectior quam tua: nec ipsum semen minus homo fuerit quam tu.

BR. Attamen id ego nondum hominem appello quod hominis functiones nõ obeat.

EV. Neque igitur infantem, hominem esse dicas, quod ea tractare non possit, quæ à floridæ & vegetæ ætatis homine geruntur. Si ita pergis ex officiis & muneribus rerum genera distinguere, fient ex necessitate quam plurima hominum genera: quod cum absurdum sit, & extra omnem omnium opinionem, palam fit, te perperam in varios perfectionis ordines, substantię participes formas distribuisse, ut humilem quendam in his ordinem semen potentiæ nomine sortiretur. Attende igitur in quas angustias te, tanquam in carceris barathrum conjicis, dum ardentiori vincendi studio, adniteris ejus quæ accessura est formæ aliquid semini impertiri, & dum liberalitatis studio, hostem naturæ agis infestissimum.

BR. Nulla est mihi prorsus horum verborum cura, satis enim mente complector, qui se tota hæc res habeat.

EV. Hoc igitur exprime, ut vel nunc demum nobis constet, quid tibi velis. Oportet enim huic nostræ disputationi tandem aliquando colophonem imponi, ne inconclusa & velut capite diminuta relinquatur.

BR. Tu igitur illam vel conlude vel concide, aut si id non placet, alium qui cum dimices quere.

EV. Nullus opinor mortalium, tuas hasce partes velit.

BR. An non ipse potes, vel perpetuo enarrationis tenore sermonem continuare, vel si interrogatio magis arridet, te ipsum interrogare, vicissimque tibi respondere?

EV. Si mea responsio tibi erit accepta, perbrevi *Aristotelis oratione difficultas omnis eximetur* ac discutietur.

BR. Quænam ista?

EV. *Substantiæ* (inquit) *quodammodo sunt ut numeri. Nam quemadmodum si quid sublatum à quopiam numero aut additum fuerit, non idem numerus, sed diversus emergit; etiamsi minimum id fuerit, ob idque fit ut numerus non magis minusve numerus sit: sic propemodum neque ea substantia quæ ad formam accommodatur.* Hoc si est, ut recte *Aristoteles* sentit ac judicat, nihil, ne vel minimum quidem, formæ ejus quod gignitur esse potuit in materia: & illius potentia, quam antecessisse dicimus, nequaquam particeps erat formæ venturæ: Sed erat illa ceu præparatio quædam, & apparatus formæ accommodatus: Non qui formam possit allicere, aut vi quadam & necessitate de se promere, sed qui patiens magis quam efficiens, materiam alioqui rudem & rerum omnium communem instruat concinnamque reddat excipiendæ formæ.

Sed simplicissimam esse cujusque formæ substantiam.

8 Metap. cap. 3.

CAPUT VII.

Non potuisse geniti formam à parentibus fluere. Qualis & unde sit vera formarum origo.

BRUTUS.

Siste sermonem, longius efficiendæ rei studio excurris.

EV. Sic res erat obiter sub tuo silentio concludenda.

Eam a parentibus semini totam non indi.

BR. Si me satis inter differendum intellexisti, non aliud sentio quam *Aristoteles*, etsi videor interdum in absurda quædam devolvi. Totam enim expletamque *rei speciem, per initia statim à genitore semini inditam* esse statuo: ac ubi primum id vim contraxisse dicitur prolificam, esse tum integram animam plene assequutum: ante autem

 in

in semine velut otiosam latitasse, quamdiu per obicem & repagulum suos actus obire nequibat: atque ubi procedente tempore aptatis & concinnatis instrumentis, remotum est omne impedimentum, tum demum res majores & perfectiores moliri. Atque id forte mecum sensit *Themistius*.

EV. Tu ne jam totus revixisti, recollectis qui te languore quodam defecerant animis? Hem quid audio?

BR. Optima sane & longe verissima.

Rat. 1. Eam enim ociosam esse non posse.

EV. Verissima quidem, sed his solis qui naturam vel exterminare vel omnino delere cogitant. Quid enim aliud quam *naturam tollit, qui velut* resupinam ipsam *torpere* vult, aut manibus insinuatis feriari? quasi vero vel labore frangatur aliquando, vel veterno oppressa altius obdormiat! Sed ab instituto desciscere, & aliunde se alio conferre, familiare scilicet id est, & optimum viro parum sibi constanti. Si nunc totam animam semini inesse censes, cur respondendo tam acriter contendebas, illi inesse duntaxat quiddam inchoatum & imperfectum ejus formae, quae accessura erat, quod potentiae nomine appellabas?

BR. Ut tuas & horum omnium vires quantae essent experirer.

EV. Bona verba. Perquam id iniquum & indignum est, in abditissimis philosophiae quaestionibus, aliud sentire, aliud dicere. Par quidem esset, ut nos vicissim idem de te periculum faceremus. Jam igitur aperi simpliciter & nulla fraude, quam arbitreris esse tutissimam sententiam. Semen si prolificum est, idemne statim ab anima continebitur?

BR. Sic utique.

EV. Et quae illud continet ac gubernat anima, talisne est ac tam perfecta qualis & quam perfecta tua?

BR. De rationali anima, quae mens est, nihil in praesentia definio. Caeterum quaecunque bruta & rationis expers statuitur, sive sentiens sive nutriens, ea tanta ac talis inerat olim semini è quo genitus sum, quanta & qualis nunc me moderatur. Idem quoque de stirpe & de bruto animanti judico, siquidem illa non è coenosa quadam subluvie, sed è semine suo prodiere.

EV. Hac ista ratione tu semen animatum esse profiteris?

BR. Nimirum celebres philosophos imitatus, non *Themistium* modo, sed ipsum quoque *Aristotelem* & *Platonem*. Quid enim *Plato*? *Sperma* (inquit *in Timaeo*) *utpote animatum ac respirans, qua parte spirat, per eandem vitale effluendi desiderium gignit, atque ita generandi amorem nobis inseruit.* Hic quanquam semen animatum esse pronunciet, non tamen id esse fatebitur, nec hominem, nec equum, imo ne animal quidem. Etsi enim animalis essentiam sit consequutum, ineptum tamen est defungendis animantium muneribus, à quibus nomina sunt rebus indita.

EV. Quid novae interpretationis mihi aures corradere sentio?

BR. Easi tibi hactenus est inaudita, est quod effusius laeter, puram te *Platonis* mentem ex me primo hausisse.

EV. Verba nihil aliud quam fundis. Tu si vera illa esse existimas, consiste intrepidus, fidenti animo te ad pugnam accinge.

BR. Quid igitur? visne rursum tuis haec argutiolis incessere?

EV. Secus ne putas?

BR. Nunquam hic vir ullum nugarum finem faciet: nunquam desinet logicas & pueriles (in quibus aetatem consumpsit) plicas implicare, adeo nihil nec pudoris nec prudentiae grandior aetas attulit. Quid in re controversa sentiam, ex *Platone* palam audivit, & per summam tamen iniquitatem postulat, ut ego suae pervicaciae omnes impetus sustineam. Sed valeat sane, malim ego longe victoriam illi sine pulvere cedere, & bona omnium venia de hac arena decedere.

EV. Itane sedatus è tanto fervore?

PH. Quid te, mi Brute, male habeat? oportuit enim aliunde quam ex ista concertatione angi: nihil enim, quod quidem sciam, te noster offendit Eudoxus.

BR. Non huc veneram ut tam inquiete exagitarer, nequid id est allicere studiosos, sed è scholis potius exbilare

PH. Visne omnia tibi donari? Philosophica ista disceptatio nobis ultro & gratis est ad eruditionem concessa, atque illi tempus id impertitum, quod viri candidi ad animi recreationem sibi delegerant vacuum & liberum. Dum autem alternis interrogationibus responsionibusque mo-

modeste verum inquiritur, quid tibi injuriæ illatum putabis, si forte imbecillior es deprehensus? Velles, scio, quod tibi gloriosius esset, vincere: sed hanc gloriolam contemnunt viri sapientes. Dum enim ardua de re colloquia inter se conferunt, rem omnem ultro citroque agitatis rationibus enucleant, simulque ingenii sui, in quærenda veritate, periculum faciunt, nullam è victoria laudem aucupantes.

BR. Neque ullam ipse aucupor: sed tam longæ & tam spinosæ disputationis obrepserat tædium.

PH. Si fatigatus velis conquiescere, ego pro te tantisper respondebo.

BR. Nihil minus: nimis quam integris sum viribus.

PH. Age igitur: hæc ista respondendo nobis disputatio concludatur.

EV. Si utile ducis, optime Brute, disputationem ad exitum perducere, esseque veritatem tecum mihi communiter investigandam, oportet ut vel interrogationes persequenti mihi respondeas ipse, vel ego mutatis vicibus tibi: ac si me viceris, non ut tu mihi, sic ego tibi infestus ero.

BR. Audiam hoc denuo quid forte velis.

Ratio 2. Nec ab omnibus parentum partibus unicam provenire.

EV. Semen dicisne esse animam?

BR. Male hercle tenes quæ dixi. Semen anima non est, sed est animatum, si id quidem fœcundum est & prolificum:

EV. Est igitur semini anima congenita.

BR. Concedo equidem.

EV. *Vnicane in toto quod emittitur semine*, an sua cujusque seminis particulæ?

BR. Quorsum hæc, aut qualis quæstio?

EV. Quoniam ex eodem, veluti ex canino semine, contingit alias unicum, alias multos nasci canes.

BR. Quum unicus, tum unam semini fuisse animam: cum multi, multas dicam.

EV. Quid si contigisset hoc ipsum semen sic totum in unum uteri locum colligi, ut unicus inde emergeret canis: isne tum multas canum animas unus contineret?

BR. Hic jam aperte certe nugaris.

EV. Si te arctius premam, metuo ne velut expressus atque elisus subterfugias: Sed faciendum est tamen, quando semel cœpimus. Quoties semen ejacularis, tune unicam an multas forte animas simul emittis?

BR. Ita omnino necesse est, siquidem id fœcundum fuerit: tale autem mihi sit, nec ne, nondum eventus detexit.

Ratio. 3. Nec ab anima parentum procreari.

EV. Atqui *dum animam cum semine pariter effundis, tuam insuper retines.* nonne?

BR. Videtur sane, qui enim superstes essem?

EV. Quid igitur illa est, quæ cum semine effluxit, aut unde genita prodiit?

BR. Ipse videris

EV. Ea tuæ pars non est, sed integra quædam est anima, tuæ haudquaquam absimilis, nec ea ullo modo inferior.

BR. Sic volunt.

EV. Et illa tamen ex te prodiit una cum semine.

BR. Id jam sæpe ante concessi.

EV. Ergo quemadmodum è tuo corpore semen profectum intelligimus: sic existimare oportet, seminis animam ex anima tua proferri, ut ex sui simili generetur utrunque.

BR. Necesse est.

EV. Istud vero qua ratione fieri possit, ut tua unius anima, alias de se novo quodam & inaudito procreationis genere, tam multas, tam crebro multiplicet, æquum erat id quidem à te pro tuo acumine subtilius explicari.

BR. Procreationis hujus modum qualemcunque voles tibi fingito: neque enim eum tibi exponendum recepi, quem me ignorare fateor; nec adeo imprudenter in hujus gurgitis implicatos vertices, unde enatare non possim, descendam. Labyrinthus ille est diverticulis innumerabilibus sectus, ut qui semel ingressus sit, exitum inveniat nunquam. Proinde rem inexplicabilem, non sum tam temerarius, ut explicare me posse confidam. Sed utut est, nova non est hæc procreatio, sed jã ante aliquot secula ab antiquissimo philosopho *Platone* observata & celebrata. An tu illa nunquam legisti, quæ Socrati Diotima mulier fatidica *in symposio* narrat? *Omnium, ô Socrates*, inquit, *hominum prægnans & gravidum est corpus, prægnans & anima. Et cum primum ad certam ætatem pervenerimus, parere nostra natura cupit.* Si (ut inquit) prægnans est anima, nonne aliis prægnans est animis, ut & homo homine, & canis cane, & sua unumquodq; specie? Satis hæc facere debent quibus & semen anima-

Objectio. 1.

 tum,

tum, & animam prægnantem esse commemorat.

EV. Vellem, hic in te descenderes, optime Brute, & altiori paulo studio ipsam scrutareris veritatem: nam si anima sic prægnans est ut interpretaris, quid superest, nisi ut te plenum animarum esse fateamur, quas ubi voles effundas cum semine? Id vero quid aliud est, quam dicere, immensam in te hominum esse cohortem, & procreationem omnemque naturæ vim ex hoc mundo relegare? neque enim ortus, aliud hac quidem ratione fuerit, quam delitescentis & reconditę rei representatio & emersus. Jam illud quemadmodum expedis, quod quæ olim non fuerit, nunc forte gravidata est anima tua? Cujus enim obsecro semine, potuit illi uterus inturgescere? B nam si nihil de se ipso concipit, & si alterius eadem specie opem & concursum exoptat, cujusnam congressu anima tua est gravida? minus fortasse ridiculum id in muliere fuerit, si quis ut corpus sic & animam gravidatam esse dicat. Sed quid de infœcundis? quorum est certe quidem, in unoquoque genere magnus numerus: quid de tota mulorum specie? Semen enim hæc sane habent, sed animatum forte esse negabis. Cur ita? Animam enim fortita sunt, & quidem perfectam, neque ab aliis sui generis dissimilem. Quid obstat igitur quominus illa semen animet? & quominus suo tempore prægnans sit? nunquid execta sunt animæ genitalia membra? An non vides quam sint hæc non dicam absurda, sed portentosa plane, & cum rerum natura pu- C gnantia? Et tu tibi posthac usque adeo turpiter impones? tu te sciens ac videns, sponte in tenebras præcipitabis, unde postea lucem aspicias nunquam?

BR. Ne te frustra maceres: Non est quod ullius istorum vel solutionem vel rationem à me expectes. Satis superque fecisse videor, quod meas partes celebrium virorum authoritate sim tutatus: quos scio neque temeritate, neque ignorantia, talia protulisse.

EV. Heu quam dubie in simplici & obscuro verbo spem omnem collocasti! Quum *Plato* aut magnorum aliquis philosophorum, semen animatum esse pronunciat, subaudienda tibi mox est potentia. A Ut enim semen potentia est animal, sic & ipsum potentia animam gerit. Tu vero *Themistio* juratus, ais semen actu esse animatum, animamque sibi ipsam architectari & parare domicilium. Sed & illud à scopo longissime abest, quod ex *Platone* huc contorques. Qui enim *animam prægnantem esse dixit*, non aliis animis gravem (ut ita dicam) uterum ipsam habere voluit, sed (ut proxime sequentia declarant) *amore & desiderio immortalitatis* gravidam esse. Nam rursum ait *in Timæo*, brutæ huic, & quam huc & illuc suæ cieant appetitiones, animę insitum esse generandi amorem: hocque nomine gravidam dici, quod generandi est avida. Quinetiam eo loci & pudendum virile, cui vis illa insita sit, generandi valde appetens; & naturam etiam muliebrem, animal quoddam esse censet, inobediens illud atque imperiosum, & quod ratione contempta, furiosarum libidinum impetu, sibi cuncta subjicere conatur. Ergo quum tua anima jam potens facta est generandi, gravida nimirum tum dicitur: quum vero sic afficeris, ut totus pene turgeas, & cum tua illa appetitrix anima, toto nisu ad generandum ruit, amore velut insana, ipsa tum parturit. Hæc ex *Platone* tibi haurienda erant, non crassa illa & absurda quam proponebas interpretatio.

Solutio. Platonem autem non asseruisse animam procreare.

BR. Quid vero si *Aristoteles*, quam protuli interpretationem, comprobat? Is enim genitum animal, ex semine derivari ponit, semen vero ipsum ex genitore perinde ac si quæ in genito est anima, jam olim ante in semine fuerit, fueritque semen animatum, anima, à parente profecta. In hanc enim sententiam scripsit τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ 7. *Materia alia est, ut à se ipsa moveatur, complura namque moveri quidem à se ipsis possunt. Alia talis non est, quia quædam sunt, quorum materia talis, est, ut sic moveri non possit, nisi ab alio. Idcirco alia* (nempe hæc posteriora) *non erunt, neque ortum habebunt, sine eo qui artem habet: alia* (scilicet priora) *erunt, generabunturque sine artifice, quia se ipsis & suopte impetu naturali.* Deinde subjungit: *Semen perinde atque artifex facit, habet enim potentia ipsam formam.* Rursum alibi: *In quibusdam luce clarius extat, id quod generat, tale quidem esse, quale est id quod ab ipso producitur, non quidem numero, sed specie idem atque unum, ut in iis quæ natura fiunt constat: homo namque hominem, & equus* equum

2. Objectio. Nec Aristoteli semen animatum esse.

cap. 9. fol. 229. pag. 2 circa medium Arist. 7. Metaphys. cap. 8.

equum generat. Colligimus ex his omnibus quid sequatur: Semen, quia à se ipso suoque impetu naturali movetur, animal fieri sine artificis manu. Proinde totum animal ejusque formam à solo semine prodiisse, nullius extrarii opificis labore. Rursum si semen habet potentia ipsam formam, sequitur ut formæ essentiam (licet impeditam) contineat. Item si homo per semen hominem generat, illius quoque formam inducit, atque ita oportuit parentem semini animam injecisse quam ipsum deinde genito conferret. Ac si pressius exactiusque in *Aristotelis* sententiam inquirere voles, referam quod est ab eo scriptum *libro secundo de animalium procreatione:* ubi multis rationibus ultro citroque reciprocatis hunc in modum perarduam quæstionem diluit. *Fieri autem potest ut hoc ab hoc moveatur, & hoc ab hoc: sintque perinde atque miracula illa quæ sua sponte moventur. Partes enim habent vim quodammodo etiam quum quiescunt. Quarum primam ubi extrinsecus aliquid moverit, vim agendi statim proxima consequitur. Vt igitur in iis quæ moveri sua sponte miramur, quodammodo illud movet quod nihil nunc tangit, sed ante tetigit: sic id à quo semen, aut quod semen effecit, movet quum aliquid tetigerit, quanquam non adhuc tangit. Est tamen quodammodo ejus qui nunc inest motus efficiens, ut adificatio ædium. Igitur aliud esse quod efficiat, sed non ita ut hoc aut illud, neque ita inesse ut sit primum illud agens, apertum jam est. Quemadmodum autem unumquodque fiat, accipiendum hinc est, hoc initio: Omnia quæcunque aut natura efficiuntur aut arte, ab eo quod actu est fiunt, ex eo quod potentia tale est. Semen igitur tale est, motumque habet & principium tale, ut motu peracto pars existat quæque, eademque sit animata.* Et mox: *Ratio quæ jam caro aut os est, à motu efficitur: proficiscente ab eo quod genuit, quodque actu est id, quod potentia est id ex quo gignitur. Ars principium formaque ejus quod efficitur est, sed in alio: motus autem naturæ in ipso est, ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.* Hactenus *Aristoteles.* Qui res sic procreari aperte ostendit, ut semini suam omnem vim, ipsumque generandi principium insit, quo deinde principio, tametsi pater absit, semen generat tamen, filiumque procreat. An non id tibi sentire videtur *Aristoteles?*

Cap. 1.

EV. Maxime.

BR. Hoc vero, quod in semine latet principium, cum se primum detexerit, actus utique fiet, & nascentis anima: quod indicio est, id ipsum animæ essentiam habere. Sed & in omnibus rebus principium & consummatio, nonne eadem sunt essentia?

EV. Erras & quidem toto cœlo, si hoc principium in substantiæ participem formam adolescere putas: neque enim id est ceu quædam inchoatio formæ accessuræ, sed ut ante dixi, *vis quædam & potentia in semine, per quam id se adornat* ipsum, instruitque rebus ad excipiendam formam commodis.

Solutio Sed qualitatem tantum quandam à generante accepisse.

BR. Sed patere obsecro, ut ego te sigillatim quædam interrogem.

EV. Placet.

BR. Quisquis alium de se geniturus est, nihil illi amplius conferre videtur, quam, semen. Atque in hoc semine, solam potentiam haberi commemoras, quæ facultas quædam sit duntaxat præparatoria. At non ita habet?

EV. Ita plane.

BR. Quid sequitur? ut taceam: conclusio enim satis loquitur ipsa, quicquid fœcundum semen emisit, potentiam illam duntaxat emisisse, non etiam genitæ rei formam.

EV. Necesse est omnino.

BR. Itane? Quomodo igitur defendes, quod inquit *Aristoteles, quicquid fit, ab eo, quod actu est, fieri,* nisi semini ipsam actus essentiam tribuas?

EV. Quid ni?

BR. Tritici granum è terræ succo intumescens, & mediocriter incalescens, aliud de se triticum profert, tametsi nullum adstet triticum actu.

EV. Verum.

BR. In animantium genere, si forte marem contingat, emisso fœcundo semine in uterum item fœcundum, è vivis excedere, aget tamen ipsum per se semen, & animans nihilo minus quam si ille in vivis esset, procreabit.

EV. Videtur plane.

BR. Dum fornacis tepore ex ovo pullus excluditur, ubi tum gallum esse dicas è cujus semine natum est ovum?

EV. Nusquam fortassis, sed jam pridem extinctus.

BR. Et

BR. Et rei gignendæ aliquid impartiri possit, quod nec usquam nec quisquam sit?

EV. Nihil omnino.

BR. Neque igitur quod de vita migravit, nec comparet, formam ullam, quum nullam ipsum habeat, rei quæ gignitur largiri possit.

EV. Necesse est.

BR. Id vero si olim dum viveret, semini formæ essentiam non immisit, sed potentiam tantum quæ qualitas sit, qui fiet ut ipsa forma actusque postea accedat? aut undenam advolabit? quis illam introducet? nisi illam putat erui posse de potentia. Quod si est, vides quid consequi necesse sit, eam in semine ab ipso statim exordio fuisse, sed prius velut in tenebras mersam, tum demum collecto robore emersisse, & sua se efficientia in lucem promovisse. Quæro enim per deos immortales, illam cujus nihil putas semini prius insedisse, quis ita repente totam velut inspiravit?

EV. Sol, inquit *Aristoteles*, & id quod est omnium movens.

BR. Quænam aut unde recondita ista philosophia?

Formam autem Aristoteli non generari à forma.

EV. Ne mirare. Sed *Aristotelem* scito tibi totum esse diligenter & accurate legendum, pertractandum, excutiendum, si quidem illius sententiam plene velis & pure consequi: neque enim uno se loco totum ac simpliciter aperuit, neque in re lubrica & præcipiti conceptionem animi sui, calumniis aut reprehensionibus obnoxiam esse voluit.

BR. Profer igitur in medium si quid habes ad hanc rem momenti.

Lib. 12. c. 3.

Aes & ipsum æs, rotunditas, & ipsa rotunditas, quæque substantia & ipsa substantia; multum inter se differunt. τῶ μετὰ φυσ. 3.

EV. Accipe id primum quod ἐν τοῖς τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ scriptum reliquit his fere verbis. Posthæc sciri convenit, neque materiam neque formam *generari: id autem dico de summis. Omnis enim mutatio alicujus est, & ab aliquo, & in aliquid: ab aliquo quidem primum movente: alicujus, nempe materiæ: in aliquid ipsam utique speciem. In infinitum igitur abibit, si non solum æs sit rotundum, sed ipsum etiam rotundum* (id est, ipsa rotunditas) *aut ipsum æs, stetur igitur necesse est. Deinde sciendum, substantiam quamque generari ab alia, quæ eodem cum ipsa nomine appelletur.* Viden' *Aristotelem* palam dicere, *neque rei speciem* neque materiam, procreationis aut *ortus ullam subire rationem*? Si enim genita putetur, & è subjecto quodam sic prodiisse, ut cum ejus nonnihil retinuerit, quod ad integritatem deest, aliud ipsa conquisierit, è multis jam illa, ut cæteræ res naturales, constabit: neque simplex & unius modi tota erit, verum ex partibus composita se simplicioribus & antiquioribus. Sed & illarum partium si quem ortum item esse putabis, in infinitum res abitura est, neque ullum unquam exitum inveniet disquisitio: quod quoniam *Aristoteles* in primis refugit & horret, eandem propemodum sententiam compluribus locis inculcat. Dico autem, æs rotundum facere non esse idem atque rotundam & sphæricam formam, sed aliud quidpiam, nempe hujusmodi formam alii imprimere. Si enim facit, ex alio quodam facit: hoc enim ponebatur: ut, æream sphæram facere. Id enim ita dicitur, ut ex hoc illud fiat, ex ære sphæra. Ergo si facit etiam illud ipsum, clarum est profecto, eadem facturum ratione: ita in infinitum abibunt procreationes. *Patet igitur, neque speciem (aut si quod est aliud ejus quæ est in corpore formæ nomen) generari, neque ullam esse ejus procreationem, neque in hoc positam esse ipsius substantiam.* Et mox: *Patet igitur ex hisce quæ dicta sunt, id quidem non fieri quod ut forma aut ut substantia dicitur, sed eum tantum concursum qui ad ipsam refertur.* His quanquam *Aristoteles* rei cujusque speciem, neque gigni neque fieri contendit, hanc tamen rebus *immitti non negabit: idque vel à cœlo*, vel à sempiterno illo & primo rerum omnium motore. Sic enim ait, *Homo generat hominem, atque sol.* & rursum: *Hominem quoque generat homo, præter hæc autem id quod est omnium primum omnia movens.*

Sed calitus immitti.

Hominem tamen hominem generare.

BR. Finem his facito. Satis enim multa citasse videris. Explica nunc singula. Si consentaneum est, unamquamque substantiam ab ejusdem nominis & rationis substantia generari, velut *hominem ab homine*, equum ab equo, fruticem à frutice: nonne par est, formam quoque à forma, & à materia materiam effici? & quæcunque in equo sunt, ab equo genitore derivari? Si enim ille quem progenitorem fateris equus, neque materiam neque formam ejus quem gignit, facit, quid illi ad ortum confert?

EV. Concursum, inquit, facit. Dum enim vim suam semini indidit, quæ id concinne præparatum & ad formam recipiendam

dam aptum redderet, simul effecit, ut illi forma conciliaretur, & in subjectum ita præparatum incurreret: *qui incursus & forma cum subjecta materia concentus*, quoniam est ipsa rei constitutio & ortus, quisquis hanc efficit societatem & connexum, is utique procreationem facit. Quod ipsum sic plenius *Aristoteles* patefecit. *Id quod generat, satis magna certe est causa ut in materia sit ipsa species.* Iterum & alio loco: *Demonstratum autem est in aliis, declaratumve, neminem facere generareque formam, sed id efficitur atque fit quod ex iis constat.*

Vt ergo *disputationem* hanc semel *concludam*: Quicquid fit, ex subjecto in quo potentia inest, effici assero, ab eo quod actu jam est & vere subsistit, non quod efficiens illi actum formamque impertiat, sed quod cum semine potentiam conferat, quæ suopte impetu ad perfectionem adolescens idonea fit subjecti præparatio, quæ speciem extrinsecus deinde excipiat, vel alliciat in materiam, in eaque conservet. Proinde quisquis dat potentiam, qua hæc velut in unum committantur congrediantur que, ille jure optimo procreationis causa censeri debet.

BR. Quas nobis declinationes comminiscitur?

PH. Quo te proripis, optime Brute?

BR. Sine à vobis tantisper absim, dum semet à caliginosa ista vertigine recollegerit, quo clarius & acrius videat quid sit in re controversa simul & obscura verisimillimum.

PH. Ne quam temporis jacturam sub inutili silentio faciamus, liceat mihi disputationem hanc in epilogum colligere, dum noster Brutus ungues suos corrodens, in opaco illo virentique luco solus obambulat.

EV. Ut voles.

Epilogus totius superioris disputationis.

PH. Rerum omnium quas parens natura progenuit, constitutio prima è substrata materia & specie fieri intelligitur: è quibus cum longe maxime præstet species, naturæ nomine multo sæpius quam materies appellatur. Vt autem quod genitum sit, stabile nihil aut permanens cernimus, sed occidere aliquando & evanescere: sic ea species per quam res vigebat, non potuit perpetuo materiæ inhærere. Immigravit illa quondam, idque repente admodum, & A uno temporis puncto; quem illius ortum appellamus: emigrabit item aliquando, & quidem uno etiam momento, isque erit illius interitus: sed priusquam illuc appelleret, ornatum quendam & præparationem materiæ desiderabat, per quam & sine qua eo appellere non posset. Hæc præparatio potentia dicitur, quæ non quidem portio, non minimum quicquam est adventantis formæ, sed ut dixi, illam tantum præcurrens instructio. Quisquis rem aliquam genuit, potentiam hanc contulisse putatur: alias per se & solitariam, alias cum semine aut quodam seminario illi respondente. Itaque cum multiplex illa sit & varia corporis præparatio, tum ex quatuor illis rerum initiis haudquaquam corruptis, sed minutissime & ex toto inter se confusis reddita temperatio, tum concinna corporis con. B formatio, & partium apta secum conjunctio, tum vero ingeniti spiritus omnis commoderatio: totus hic potentiarum ordo, à facultate & vi seminis, & ab eo qui semen jecit, dependet. Vbi vero jam omnis ad plenum absoluta est præparatio, quo tempore consummatam potentiam dicimus, tum extrinsecus accedit ipsa species, naturali quadam & quasi dicas inevitabili necessitate. Ea simplex est quidem omnino, nullam ex subjectorum formis compositionem sortita, sed quæ multa tamen pro variis quas habeat facultatibus gerere & moliri possit. Qui sensibus omnia metiuntur, proximamque causam duntaxat animadvertunt, illam de materiæ potentia educi exuscitariq; contendunt: quæ sentētia multis est & efficacibus argumentis proscissa. C Non enim efficiens ac genitor, dum per se, aut seminis seminariive interventu, aliud quiddam sui nominis ac generis gignit, illius speciem vel facit vel immittit: sed is hujus unius concursus causa est, ut nempe in materia sit species. Atque id est quod geniti causa esse, ipsumque genuisse perhibetur: sed est certe supra illum, sublimior, & præstantior opifex, extrinsecus formam ceu quodam afflatu inspirans.

EV. Pulchre tu & memoriter omnia, nulla temporis jactura.

PH. Superest igitur ut si extrinsecus, unde ipsam prodiisse putes, exponas.

EV. Id

EV. Id jam nunc plene, ubi ad nos redierit Brutus: sed quem cedo hominem mihi, quicum committerer, dedisti?

PH. Qualem vero ipsum arbitrare?

EV. Dispeream si unquam alias in virum inciderim, qui mihi plus negotii facessiverit. Tenet ille mordicus suam opinationem, meditata omnia multumque ac diu in omnem partem agitata. Versutus juxta atque acutus, ut si quid vel falsum probare velit, subtiliter tamen id & probabiliter faciat. neque vero ullo rubore unquam suffunditur: ut quæ ad acrem disputationem *Plato* desiderat, ea præ se ferat omnia, scientiam & audaciam.

PH. Magnam is certe diligentiam impendit, evolvendis non tantum veterum, sed & hujus seculi, si quorum aliqua celebritate nomen percrebuit, philosophorum monumentis: hos adiit, audivit, coluit, saltem quos tali honore dignos comperit, bona orbis parte hac una de causa peragrata. Nunc vero his vinculis sic videtur impeditus & obstrictus, vix ut illi sese explicandi spes ulla relicta sit.

EV. St, st, lupus est in fabula.

BR. Egone abjecta scientia quam teneo certissimam, fallaces atque incertas aliorum opiniones consecter aut aucuper? Ego meam causam uno momento victus deseram? Ego quæ tot vigiliis, tot sudoribus didici, ad extremum uno omnia verbo improbabo? Ego tot ac tantos authores, tot jam annos inter se consentientes, istius ne unius authoritate adduci potero ut contemnam, ut crassæ ignorationis insimulem? Patiarne mihi illud ex animo excuti, quod annorum approbatione jam confirmatum est, formam de materiæ potentia in lucem proferri, ut contrarium plane nunc demum veluti novus tiro docear, ipsam extrinsecus in materiam illabi? Durum id profecto, durum de sententia decedere, de authoritate dejici. Sed quoniam rerum naturalium veritas in occulto latet, & natura veritatem in profundo (ut ait *Democritus*) penitus abstrusit, hanc inquirere, investigare, rimari convenit: id enim cum majori æquitate & modestia conjunctum, quam senientiam quam temere adamaverim pervicaciter defendere. Et harum quidem, de quibus est inter nos controversia, opinionum utra vera sit, solus opinor novit Deus, neque nos quid verum, sed quid sit verisimilimum, investigamus. Utrinque fautores sunt & causarum patrocinia. Sed, ut hoc vere & ingenue fatear, mollior est & infirmior mea opinio, proindeque rationibus pressa cedit. Experiar itaque quanto sit adversarii firmior, & è quibus locis illa sibi fidem veritatis adstruat, quam clara, quam liquida faciat omnia. Jam ad vos redeo, viri optimi.

EV. Video: sed talisne, cedo, qualis abiisti?

BR. Qui sim, vix ipse scio, adeo mihi dubius animi videor, & in lubrico positus. Proinde age, si quid adferre potest tua industria, in quo tanquam in portu, ab ista huc & illuc impellentium opinionum jactatione mens conquiescat, ne pigeat tantulum laboris suscipere. Scio equidem, opinionibus omnia teneri: desperatam esse cognitionem certi, id tamen sequi lubet quodcunque verisimile videatur: quocirca expecto quem exitum ista disputatio sit inventura. Quid igitur illa sunt, cedo, dudum ex *Aristotelis* fontibus derivata? *Homo generat hominem atque sol: Homo generat hominem, præter hoc autem, id quod est omnium primum omnia movens.* Jucunda est quidem illorum mihi recordatio quæ sæpe certe me legere memini: sed ut nunc video, oscitanti & non satis intento animo. Tu vero quam habes interpretationem? nunquid hominis alia est efficiens causa quam homo? aut equi alia quam equus?

Et plenior interpretatio Aristotelis de rerum & formarum origine.

EV. Nequaquam omnino. Verum nequis crassius putaret, eum qui vel hominem vel equum progenuit, quæcunque illius sunt una procreasse, caducæ mortalisque naturæ limites hic prætergressus *Aristoteles*, duplicem rerum authorem opificemque constituit: alterum compositi totius ceu hominis hominem, alterum solius formæ conditorem, quem sempiternum & immortalem esse profitetur. Hic rursum se bifariam secat. Ubi rerum causas physica ratione scrutatur, species rebus immitti putat ab illa quinta natura, quam Solis nomine exprimens, cœlestium omnium corporum conversiones immutabilesque cursus comprehendit: Quum vero quæ supra naturam sunt subtili contemplatione rimatur,

tur, rerum omnium opificem deum, solutamque mundi mentem *Platonis* æmulatione causam esse decernit.

BR. Multa sane congeris quæ valde exoptem te hic apertius docere, ac primum ubi & quomodo *Aristoteles* naturalem formarum originem cœlestem putaverit: ita repente me veluti quædam vertigo corripuit, præ auditionis novitate.

CAPUT VIII.

Rerum omnium formas primasque substantias de cœlo duci, ex Aristotele.

EUDOXUS.

Eum cœlo rerum omnium ortus assignasse.

DIcam paucis, & ex *Aristotelis* sententia versabor, si modo facilem mihi præbebis audientiam. Res quæque naturalis ex principiis duobus constituitur: ex materia & specie. At si illius procreationem spectabis, tertium his accedet principium, quod efficiens & ortus causa nominetur, quam naturalem contemplationem instituens, cœlum esse tradidit. Ut enim omnium motuum primus est, qui ad locum est, ex quo reliqui omnes ceu posteriores defluunt, procreatio, alteratio (hoc enim verbum cum necessarium sit & aptum, terendo usitatum facere oportet) accretio, interitus, sic illud corpus quod jugi perennique itione, & irrequieto ambitu circumagitur, omnium quæ gignuntur corporum causam esse convenit. Ac probatum est quidem infinitis seculorum ætatibus, *Solem vertigine assidua conficientem vicissitudines anniversarias*, suo ad nos accessu aut recessu & rerum ortus promovere, & occasus obitusque efficere: quem in modum cœlestis illa mundanaque conversio, *Aristoteli* causa statuitur eorum, quæ & gignuntur & intereunt. *Necesse est*, inquit, *totum hunc, qui terram ambit, mundum cum superis conversionibus sic continuatum esse, ut omnis ejus virtus inde gubernetur: nam unde omnibus est motus principium, prima illa debet haberi causa. Præterea autem, hæc sempiterna est, neque loco definitum habet finem, sed in fine semper.* Mox docens ab elementis materiam, à cœlo speciem genito conferri, hæc adnectit: *Itaque rerum quæ in ipso eueniunt causas, quod quidem ad materiæ genus pertinet, ignem & terram & his cognata corpora existimari convenit: hoc enim modo appellamus id quod subjicitur, & quod aliquid fert: id autem quod ita causa sit motus & principium, ad eorum vim referri debet quæ semper moventur.* In hanc quoque sententiam cum aliis passim in locis, tum *libro de mundo*, *cœlum* appellat *elementum, à quatuor illis notis longe diversum, neque interitui obnoxium, sed plane divinum & immortale.*

1. Meteor.

Cæterum duplex cum sit in cœlis circumactus & conversio, mundana illa incitatissima, quæ viginti quatuor horarum spacio completur, & ea qua subjecti septem orbes versantur retro, contrario atque summum cœlum motu: prior illa uniusmodi semper constantique & immutabili ordine progrediens, ortus & interitus (quæ contrariæ res sunt) causa esse non possit. Posterior vero *per signiferum orbem obliquum*, errantes stellas circumagens, dum illas in aquilonem adducit, rerum facit exortus: dum abducit in austrum, interitus. Atque ut earum accessus recessusque, continuata serie, nec unquam ne ad momentum quidem mutatis vicibus sese excipiunt: sic ortus obitusque rerum semper erunt constantissimi, neque ullo unquam tempore deficient. Itaque appetente vere, cum ad nos illorum vis revisit, multas rerum novationes animadvertimus, emergere pleraque omnia ac exhilarari: & quia vere calor redit omnibus, fœta esse ac succi plena omnia: herbas, fruges, arbusta, flores, gemmasque trudere, & foliorum viriditate vestiri: animalia amoris stimulis incitari, ea quidem ratione quam *Poëta* cecinit:

Præsertim motui solis per zodiacum.

Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis: Georgic. 2.
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium late descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.
Avia tunc resonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.

Censetur idcirco ver omnium temporum esse saluberrimum, gignendis, augendis, servandisque rebus unum omnium maxime opportunum. Contra annuo Solis recess-

recessu senescente, plurima occidere, omnium certe vires emarcescente calore frangi, hinc autumnum haberi perniciosum.

Et motui planetarum reliquorum. Atque hæc quidem sol annua vicissitudine designat. *Errantes vero stellæ, quæ per orbem signiferum*, contra quam à supremo illo cœlo, ducuntur in contrarium, cursus retorquentes varia radiorum permixtione, multo majora: adeo ut præstantissimorum philosophorum monumentis proditum sit, eam posse cœli constitutionem incidere, (qualem etiam quondam fuisse tradunt) quæ tum homines, tum equos, tum perfectorum animantium genus omne, ex ipsis elementis tanquam ex conjunctissima aut proxima materia (sic mihi appellare liceat quam Græci προσεχεστάτην dicerent) generet, quemadmodum & imperfectiora quædam, ut mures, ut ranas, ut locustas sæpe sua sponte inde nasci videmus.

Cujus & sententia probatur. Ratione. 1. Negari non potest, *maxima* esse quæ *cœlum* cum motu tum lumine, tanquam suæ facultatis vehiculo, *in hac inferiora demittit.* Et quisquam posthac dicere audebit, elementa, universam substantiam rebus gignendis conferre? ac cœlum, sine quo ne elementorum quidem ulla sit efficientia, ociosum atque iners, & veluti feriatum faciet? Itane frustra conditum videtur? Itane nullus usus illustrissimi hujus & purissimi corporum cœlestium splendoris? inutilis iste undequaque absolutissimus ornatus? ista tam admirabilis ab omni æternitate motuum ordinumque constantia?

Et solvitur objectio. At *longius abest*, quam ut ad nos ejus vis pertinere possit.

Egregium sane & tali sapientia dignum *commentum.* Tu si vel pictum philosophum unquam vidisses, istuc diceres? Qui magnum censeri debet id ætheris & aëris intervallum, quod *Ptolemæi* demonstrationibus confirmatum est partem non esse totius mundi millesimam?

Ratio 2. Si mundus qui uno omnia complexu coërcet, ab ornatu nomen invenit, & si is unum corpus est in quo videntur omnes aptæ & colligatæ inter se partes, necesse est profecto, *unam esse totius natura continuatam vim*, quæ tota mundo confusa, res omnes complexa teneat, omniaque sic connectat, ut in terris cœlestia consistant dignitate cœlesti, & ut (quod ait *Aristoteles*) mundus hic inferior superis conversionibus continuatus sit, & vis illa cœlestis in totum diffusa mundum, in abditissimos usque terræ recessus penetret, subeatque densissima quæque & solidissima corpora.

BR. Satis perspectum habeo, coloris, frigoris, imbrium, siccitatis vices, reliquas item aëris tempestates à cœlestium corporum viribus dependere: at ipsas etiam rerum substantias atque formas, unde *Aristotelem* comprobasse constat? non enim id tu admodum luculenter aut efficaciter conficis. Sed ne lites amare aut fovere videar, equidem talpas, vermes, ranas, & si quæ sunt alia hujus aut imperfectioris generis, *nullo semine prognata*, tecum sentio ex elementorum materie *cœlestis spiritus vi, & in vitam venisse*, & in ea permanere. Sed quæ è semine emergunt, aut quæ ex alio sui generis nasci contuemur, horum vitalem vim à cœlo usque deducere, perpauci, scio, tibi concedent: idque eo minus quod hominem, equum, leonem, quovis tum anni tempore, tum cœli statu oriri, animari, atque formari, quotidiana experimenta commonstrent. *Manifestum id esse in iis quæ sine semine proveniunt.*

EV. Si diligentius expensis rebus cum bona ratione consilium capies, intelliges utique, in omnibus parem esse argumentorum vim & necessitatem. Quibus accedit quod in universum sic conclusit *Aristoteles*: *Omnis ejus virtus inde gubernatur.* Ergo quæ ab intimis abditissimisque terræ visceribus proferuntur eruunturque, tum metalla, tum lapidum stirpiumque genera, convenienter & apposite præparato solo, suæ formæ essentiam è cœlo hauriunt. Serpentes, locustas, vermes, muscas, mures, vespertiliones, talpas, & id genus alia, quæcumque fatebaris sponte sua, nullo semine, de putri materia, de cœnosa colluvie exoriri, ortaque spirare, & moveri, *Aristoteles* ad eundem modum author est, vim illam animalem ac spirabilem, quæ per omnem naturam fusa est, è cœlis ducere, quo loco inquit: *In animalibus generantibus calor secernendo ex cibo ingesto & concoquendo facit excrementum, quod conceptus sit principium: itemque in plantis, nisi quod in his & quibusdam animalibus, nihilo desideratur maris principium: habent enim quoddam in se mixtum*; *3. de gen. animal. sub finem.*

mixtum: in plerisque tamen animalibus eo opus est. Est autem cibus aliis quidem terra & aqua, aliis ea quæ ex his orta sunt. Itaque quod calor in animalibus è cibo facit, idem temporis in ambiente nos aëre calor, è terra & mari coquendo concernit & constituit. Eodem quoque pertinet quod paulo ante dixerat, *generari animalia & stirpes in terra & aqua, quod in terra quidem sit humor, in aqua spiritus, eo autem toto calor animabilis, ut animæ quodammodo plena sint omnia.* Hæc ille. Quod si è cœlesti facultate, exigua isthæc & minutula animantia proferuntur, cur non itidem in perfectioribus & grandioribus eadem valeat ratio? Aut qualis illa tandem erit sortitio, quæ secretio, quæ differentia? An quia videmus, hominem, equum, leonem, seminis interventu enasci, idcirco, supremæ illius & universalis animæ mundi vires non experientur aut sentient? Majorem hæc & operosiorem apparatum requisiverunt, efficiente quidem cœlo, præparante semine. Hoc illud est quod *Aristoteles in problematis* attigisse videtur, quum inquit: *Quorum facilis est ortus, & quibus procreationis suæ tempus breve constitutum est, hac temporum vicissitudine commutationeque procreantur. Quæ autem in ortu suo tempus requirunt longius, vel nullo pacto vel ex coitu procreentur illa necesse est.* Cujus hanc addit rationem: *Rei minoris, minus quoque principium esse convenit. Quamobrem hujus etiam seculi mutationes, semen minutorum animantium generi conferre possunt. Ita enim etiamnum accidere videmus, ut tum maxime oriantur & existant, cum aliqua temporum incidit mutatio: majorum autem genus, pro sua magnitudine, mutationem quoque desiderat majorem.* Hanc mutationem tantam interdum fieri *Aristoteles* commemorat, quæ sola tum homines tum perfectiora quæque animantia nullo semine proferat, & quæ una tum efficientis causæ tum præparantis seminis vim obtineat. Ejusmodi quandam fuisse rerum initio, ita inquit: *Qui de natura disserunt, animantia principio orta esse dicunt ingenti mundi universique mutatione. Et nunc si rursum ejusmodi ortus futurus sit, ejusdem modi mutationes aliquas antecedere oportebit.* Ingentes has mutationes efficit insolens quædam, & admodum rara concursio permistioque siderum.

Sed tamen quoque in perfectioribus animalibus quæ seminis interventu proveniunt verum esse.

Sect. 10. Probl. 64.

Probl. 15. l. 10.

Quoniam autem ea tam rara incidit, ne forte longa temporis intercapedine, jam olim creatum perfectorum animantium genus deficeret, provida solersque natura his quæ ex ingenti quondam mutatione creata fuerant, simul *vitæ seminarium cœlitus immisit*, & in tantulo semine vitalem vim inclusit, quæ deinceps materiam sic aptaret, præpararet, gignendisque rebus accommodaret, ut omni tempore vim illam animabilem, & spirabilem, de cœlo excipere posset & illicere, sicque continuata fieret rerum caducarum sese excipientium series, semine quidem materiam suppeditante & præparante, cœlo vero inducente formam.

Et quomodo.

Hæc si voles ad metam perducere, in id tanquam circulo recides quod principio fuerat assumptum: *Homo generat hominem atque sol.* Duplicem enim causam geniti hominis efficientem cum statuat, homo qui per seminis vim præparationem omnem & ornatum conciliat, proxima continensque causa erit. Etenim spiritus & calor qui est in semine divinus, sub ingenti quondam mutatione cœlo demissus, subjectam seminis materiam sic instruet & præparabit, ut consentaneam partibus singulis permistionem temperationemque, deinde vero structuram, conformationem positumque accersat, tum demum in totum sese diffundens, singulis veluti gubernator insideat, neque deserat quas temperavit, formavit, composuit. Altera externa prægressaque causa dici solet, quum tamen vere prima sit & princeps, quæ in præparatam materiam simplicem speciem demittit inseritque. Ad hunc igitur modum, majorum perfectiorumque viventium genus mutationem desiderat ampliorem & à cœlo & à semine, cum minutorum genus, excitata vi cœli, mutatio satis superque consummare possit.

BR. Intelligo plane quid velis, neque aliud restare video, nisi ut unum hoc doceas, *quemadmodum cum his conveniant Aristotelis* illa quæ sic dudum efferebas: *Quorum principiorum actio est corporea, hæc sine corpore esse non posse certum est. Itaque extrinsecus ea venire non possunt: nec enim ipsa per se accedere possunt; quum separabilia non sint. Atqui quum sint omnes* (si unam mentem excipis) *rerum formæ corporeæ, has qui putabis cœlitus sine corpore illapsas? Negat enim fieri posse ut extrinsecus illæ veniant.*

Locus Arist. qui esse contrarius videbatur.

veniant. Explicandus hic ſane locus, & aperiendus eſt, ſi me voles in tuam pedibus ire ſententiam.

Explicatur. *EV.* Quæris, quod diſputationis jure tibi deberi fateor: id vero ſimilitudine diſſolvam. Ut à Sole cui lux ingenita eſt, defluit, non quidem ipſa lux, ſed lumen ſplendorque, qui perſpicua corpora colluſtrans, non ſplendida modo, ſed lucida quoque illa exhibet: ſic unaquæque efficiens cauſa, maximeque ſupera illa cœleſtiaque corpora, rerum ortus promovent, rebuſque ſpecies impartiunt. Non enim perennes illas ſibique inſitas rerum ideas ac ſpecies à ſe excutiunt, aut ſubſtantiæ quicquam genitis rebus elargiuntur, aut jam in cœlis genitam abſolutamque formam ſolam ac per ſe in commode præparatum ſubjectum ſubmittunt: ſed hac una ratione res novas excitant & edunt, quod ſuperæ illæ cœlolorum vires, motu, lumine ac ſpiritu, tanquam vehiculis huc devectæ, circunfuſæque nobis, in ſubjectum potentia præparatum ſeſe inſinuant, & ſubſtantiarum à quibus dimanarunt *vim & naturam recens genitæ rei imprimunt, & ſpeciem ſic inducunt*; ut à Solis luce in perſpicuum inſtructumque corpus irradians lumen, ipſumque colluſtrans, illi non lumen modo, ſed & ſuam quandam lucem tandem immittit. *Ac oſtenditur quomodo formæ à cælo immittantur corporibus.*

BR. Aperte quidem & luculenter qua ratione mundus hic inferior à ſupero illo gubernetur, & qua quæ gignuntur omnia ſuam inde formam ſuſcipiant. Nunc continuata traditionis ſerie apertius ediſſere, ut *Ariſtoteles* ſtatuat id quod eſt omnium primum omnia movens, omnium quæ gignuntur cauſam eſſe. Si enim rebus omnibus cœlum formam impertit, quid altiſſima illa & perobſcura inveſtigatione ſit opus? quid rerum cauſas ab illa origine abditiſſima repetere juvabit?

CAPUT IX.

Ariſtoteles *ſupra naturam philoſophatus ſtatuit, formarum divinam originem: Deum maximum cœlos aſtraque condidiſſe: quæ etiam* Platonica *ſunt ſacris literis conſentanea.*

EUDOXUS.

Quomodo item Ariſtoteli à primo movente. REM omnino arduam petis, quæ tum longum tempus, tum cogitationem multam atque otioſam expoſtulat, vix ut digne poſſit tumultuario iſto congreſſu explanari illuſtrarique dicendo.

PH. Conandum tamen eſt, & quidem tanto impenſius, quanto eſt utilior, & jucundior hæc inveſtigatio.

Hanc inquiſitionem difficilem videri Ariſtoteli. In Metap. cap. 5. *EV.* Naturalem contemplationem inſtituens *Ariſtoteles*, nihil ex profeſſo aggreditur, quod non vel manu tangere, vel oculis cernere, vel demonſtratione conſequi poſſit. At non ſemper intra eos limites quaſi in anguſtias ſe coërcet: ſed interdum naturæ ordinem prætergreſſus, & in rerum divinarum contemplationem tranſiliens, verbis quidem paucis, at graviſſimo ſententiarum pondere, *omnium quæ gignuntur primam originem deducit à Deo.* Ne quis autem iſtorum evidentiam deſideret, monet in libris τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, divinorum cognitionem omnino extra ſenſus & ſupra captum humanæ mentis eſſe, neque ullam poſſe demonſtrationem eo pertingere. In eam ipſam fere ſententiam & *Theophraſtus*: Forte autem illud veritati magis conſonum eſt, tangente ac veluti contrectante mente contemplationem fieri. Nam & in illis nulla eſt hallucinatio, ſed hujus ipſius difficilis eſt & intelligentia & fides. Paulo ante monuerat quam ſit ardua eorum, quæ naturæ limites tranſcendunt, cognitio. Aliquatenus per cauſam contemplari nos poſſe principia à ſenſibus accipientes: cum vero ad ipſa ſumma primaque tranſierimus, jam non amplius poſſe, ſive quod cauſam non habeamus, ſive ob noſtram imbecillitatem. *Theophraſto.*

Platoni. *BR.* Et *Plato* divinorum altitudinem abſtruſoſque & imperſcrutabiles receſſus reveritus, vetuit *in Epinomide* ne quiſquam de divinis profane loquatur, neve pro ſuo arbitratu illa innovet: exiſtimans, fieri non poſſe ut mortalis natura de his quicquam certi comprehendat: eſſeque id cujuſque præ-

præcipuum ac maximum officium (si quis hæc recte doceat) quam maximo studio ediscere, neminem autem recte docere, nisi quem Deus adjuverit. Idem in Timæo his fere verbis: *Quum ergo ô Socrates multa de diis universique procreatione à multis dicta sint, ne mireris obsecro, si rationes de iis undecunque omnibus probatissimas & exactissimas afferre non possim. Satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles, quam quivis alius rationes attulerim. Æquum est meminisse, & me qui disseram, & vos qui judicabitis, homines esse, ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis.* Rursum autem sic: *Cœlestia horum principia Deo nota sunt: atque ei qui Dei sit amicus.* Quocirca ea quam ad *Dionysium* conscripsit epistola, monet ut eos tanquam barathrum declinet, qui de diis tanquam de iis quæ manibus teneri & apprehendi possunt, certas exigunt demonstrationes. Quos B & in *Theæteto* quidem, sed *in Phædone* præcipue eo nomine gravissime reprehendit, quod ambitiosis inter se verborum pugnis & inani demonstrationum conatu, principes se novorum & pugnantium dogmatum constituant, de rebus ipsis nihil certum, nihil stabile, nihil firmum habeant. Unde & *in Phædone* hanc de diis quæstionem & investigationem naturalium duntaxat rerum contemplatione nixam detestatus, suam deplorat cæcitatem: qui, quæ se prius perspicue scire existimaret, ne per umbram quidem sibi unquam visa esse compererit: & quorum aliquam esse ratus fuerat soliditatem, ea nunc omnia, non secus ac inanes somniorum imagines vanescere. Proinde & *in Gorgia, & in convivio de* C *amore*, iis, quæ de anima, de diis, de dæmonibus à Diotima fatidica muliere Socrates accepisset, se potius fidem adhibere, ait, quam ullis quamlibet evidentibus rationibus, seque impense conari ut aliis eadem deinceps omnibus persuadeat, quæ sola auditione accepta, sibi persuaderet esse verissima.

PH. Hæc quanquam investigatio syllogismo comprehendi non potest, quoniam tamen disputando jam hucusque velut tempestate quadam delati estis, par est, omnium quæ deinceps sunt rerum totam tractationem persequamini: nihil ut supersit omnium quæ tum mundus comprehendit, tum extra illius ambitum sunt, cujus non aliquam instituerítis disputationem, ac velut quæstionem exercueritis. A Is igitur *primus motor*, quem paulo ante cæterorum principem Aristoteles appellavit, Deus ne est, anve illi dignitate proximus? *Primum movens, à quo omnium ortus Aristoteli Deus est.*

BR. Possem in id multa ex Platone præclara depromere, sed quæ parvi existimem, quod non quemadmodum Aristotelica evidenti sunt demonstratione stabilita.

PH. Agite igitur communi opera excutite, quam belle inter se consentiant philosophorum scripta, & sicubi dissentiant, utrius præponderent rationes. Et si placet, Platonica Brutus proferat, Eudoxus Aristotelica. Ego, quanquam parum idoneus sacra intermiscebo, ut omnibus numeris consummatam harmoniam reddamus. Nunc mihi quisque meminerit quam induerit personam, nunc scenæ serviat, omnia depromens ac recensens, quæ causæ suæ patrocinio futura putet. Et si quis forte memoriæ non satis confidit, en magnam librorum supellectilem, è quibus sententiarum testimonia citare, nemini debet nec pudendum videri nec turpe. Sed ut ad rem tandem aggrediamur, Eudoxus incipiat, si quidem ita omnibus placet.

EV. Si quis forte in hoc cœtu erit, qui tam rudem tamque consilii & ingenii expertem *Aristotelem* suspicabitur, ut his elementis & corporeis perpetuo inhærescat, summamque causam statuat gubernantem hæc omnia quæ cernimus, audiat quæso ut duplicem ille mundum stabiliverit: aspectabilem hunc, concretum & corporeum; alterum superiorem illum, sensus nostros effugientem, incorporeum, qui totus formis plenus est, & simplicibus, impermistis, solutis liberisque ab omni corpore & dimensione mentibus, beatissima & exoptanda maxime Dei divorumque domus, archetypus & exemplar hujus inferioris caducique mundi. Quæ omnia his breviter perstrinxit. *Patet ergo, neque locum extra cœlum esse, neque vacuum, neque tempus. Quocirca neque apta sunt ea quæ illinc sunt, in loco esse, neque tempus senescere ipsa facit, neque ullius eorum est ulla mutatio, quæ super extima sunt disposita conversione: sed nullis transmutationibus, nullis affectionibus prorsus subjecta, optimam in universa æternitate vitam & sufficientissimam habent.* Ea autem optima illorum vita, est contemplatio, quæ alibi exi- 1. de cœlo cap. 9.

existimavit nihil esse nec jucundius, nec melius. Quænam vero ea est æternitas in qua vitam habent? Sic quidem Græce legitur αἰὼν quasi ἀεὶ ὢν, id est, semper ens & æternitas, aut si dicere licet, sempiternitas, quæ re vera Deus est. Eo quidem nomine se Deum intelligere, plenius indicavit hac sententia: *In Deo vita nimirum ævumque continuum atque perpetuum inest. hoc enim ipse est Deus.* Ac ne novum aut absurdum videretur hoc de Deo nomen, *divine id* ait *ab antiquis pronuntiatum esse. Quemadmodum enim finis, qui vitæ cujusque continet tempus, ævum & æternitas est nuncupatus, eadem ratione finis universi cœli, & is qui tempus totum infinitumque continet, ævum est & æternitas, ab eo, quod sit, appellatione sumpta: est namque immortalis, atque divina.* Quanta porro Deus rerum cognitione valeat, hinc demonstrat, quod *tota illius vita mentis est operatio. Ille quidem suus est actus, actus vero is qui per se est, illius est optima atque perpetua vita.* Si mentis actio, quam contemplationem esse diximus, Dei vita est perpetua, quis jam dubitat, *Aristotelem*, rerum omnium cognitionem tribuisse Deo? & certe is est rerum omnium cognitio, & sua actio, & sua vita, qui *Aristoteli* optimus demonstratur, perpetuus, perfectus, immobilis, individuus, neque magnitudine, neque partibus definitus, nullam alterationem, nullam affectionem subiens, ut cui nihil omnino sit contrarium. Horum vero demonstrationem inde concludit, quod sit necesse in motibus ad aliquid tandem pervenire, quod movet & non movetur, quod ipsum perpetuum est, & substantia atque actus: id ipsum quidem est quod ante appellaverat omnium primum omnia movens. Quæcunque supra cœlum sunt mentes & formæ, olympici illius habitaculi cives, si non eandem atque Deus, illi tamen dignitate & natura proximam conditionem acceperunt.

12. Metap text. 39. c. 7. 1. de cœlo cap 9.

12. Met. tex. 32.

Platoni quoque omnium ortus à Deo.

BR. His de mundo archetypo videtur *Aristoteles Platonis* auditione informatus, hoc solum discrimine, quod ex motuum ordine, Plato ex causæ procreantis necessitate demonstrationem confecit. Ita enim *Timæus de Deo* demonstrationem adhibet claram & illustrem: Si mundus hic genitus est, necesse est ab aliqua causa genitum esse, hanc vero causam æternam esse neque ab alio genitam. Quænam autem ea sit, his paucis *in Epinomide* expressit: *Ego igitur assero, Deum causam omnium esse, nec aliter fieri posse.* In ea disceptatione quam cum Critone familiari suo Socrates habuisse perhibetur; *Haud itaque vir optime* (inquit) *valde curandum est, quid de nobis vulgus dicat, sed quid ille, qui quid æquum, quid iniquum sit intelligit, qui unus est & ipsa veritas.* Ex operibus quidem opificem hanc causam, effectoremq; mundi Deum, nosse, datur. Ex imagine autem & simulachro (ut Socratis auditor Antisthenes dicebat) is non agnoscitur, nullis oculis conspicuus, nullius rei similis, ut ex ulla effigie nosci possit. Atque (ut à Xenophonte Socratico scriptum legimus) *Qui cuncta concussat, ipse intrepidus & inconcussus, magnus nimirum potensque esse cognoscitur: quali autem sit facie, ignoratur.* Quam porro sedem incolat opifex hic & mundi pater, hoc ipsum etiam *Platonis* scripta declarant. Neque enim qui sit immortalis, æternus, incomprehensus, eum esse in concreto caducoque mundo, quem crearit ipse, tanquam in ergastulo conclusum: sed ut priusquam hæc rerum universitas extitisset, sic & nunc immensus & infinitus illam implet infinitatem, quæ mundi convexum extimamque cœli faciem excessit. Illic viventia omnia quæ sola mente percipiuntur, in se ipso, ut *Timæo* placet, complexus, unus ea continet, quemadmodum mundus hic nos & cætera quæ cernuntur animantia comprehendit. Vultisne hoc loco Dei potestatem ac vires ex Platone recenseam? Hic *in Epinomide* deos asserit scire, videre, audireque omnia, nihil ipsos fugere, quod aut sensu, aut mente percipi possit. Eos omnia posse quæcunque mortales immortalesve possunt: bonos illos, imo vero optimos esse. Quicquid mortale est, quicquid vivit & spirat, quicquid usquam est, cœlum, terram, maria, ab iis omnia & facta esse & possideri. Et *in Parmenide, Nullum nisi Deum supremam habere rerum scientiam, neque illarum cognitione privandum.*

PH. Nihil ad hæc è sacris literis quicquam adferam, quum sit omnibus conspicuum, illas similibus de Deo sententiis refertas esse. Sed ut rem jam cœptam compleatis, illud discuti oportet, *mundus ne aliquando fuerit à Deo genitus, an æternus.*

Imo & mundus ipse.

EV. Aris-

1. de cœlo. *Aristoteli* à *Deo.* EV. *Aristoteles* magna rationum probabilitate contendit, eum neque ortum esse, neque corrumpi posse: aut si aliquando genitus est, eundem posse corruptionem subire. Cæterum altius interdum contemplatus, & cœlum & mundum Dei maximi opera genitum confirmat. Ita enim *libro de mundo* scriptum reliquit. *Omnium quæ rerum natura complectitur, conservator est Deus, & quæcunque in hoc mundo quoquomodo perficiuntur earum omnium idem genitor est: non sic tamen ut, opificis aut animalis lassitudinem sentientis in morem, labore affici possit: sed indefessa utens virtute, qua omnia in potestate continet ac perficit, & ea quidem quæ longius ab ipso videntur esse summota.* Hæc fere sunt quibus plane edocuit, mundum aspectabilem, & quicquid eo continetur, à Deo omnium principio factum. Huc pertinet quod & alibi ita prodidit: *Quum in omnibus id quod præstabilius est naturam semper appetere fateamur, sitque esse præstabilius quam non esse, nec fieri possit ut omnibus id accidat, propterea quod multa longius ab ipso principio recesserunt, Deus reliquo modo universum complevit, continua facta procreatione.* His perpaucis abstrusam contemplationem perscrutatus est summus philosophus. Præstantissimum est semper esse, quod soli Deo ipsique principio competit: Reliqua omnia quæ à principii dignitate longius absunt, perpetua esse non possunt. Ne igitur his velut desertus mundus aliquando destitueretur, absoluta universi fabrica, Deus statim rebus singulis vim indidit procreatricem, qua rerum & ortus & interitus perpetui manerent. Sed quomodo hanc indidit? Sparsis nimirum divinitatis suæ seminibus: hæc enim generandi semina, generalia quidem in cœlos & stellas, peculiaria in res quasque sua inseruit. Primum igitur cœlis sideribusque singulis proprias substantias motrices præfecit, quas quod optima mente præditæ sint, idcirco intelligentias appellant. *Quum videamus*, inquit, *præter simplicem universitatis conversionem, quam à prima & immobili substantia cieri dicimus, alias insuper errantium stellarum conversiones, easque sempiternas, (est enim sempiternum corpus quod in orbem convertitur, neque usquam consistere potest, id quod est in physicis ostensum) necesse est utique illarum etiam conversionem unamquamque*

2. de gen. & Cor. c. 10.

12. Metap. cap. 7.

A *ab eo cieri quod per se sit immobile & sempiterna substantia.* Et mox: *Esse igitur substantias, & in iis primam ac secundam, pro eo, qui est in stellarum conversionibus, ordine, perspicuum.* Itaque ex Astrologia Eudoxi & Calippi superos motus scrutatus, iis parem numerum distribuit intelligentiarum: quæ non modo cœlos movendi, verum etiam inferiora quæque generandi conservandique vires obtinerent, ut horum virtus omnis inde gubernetur. Hæc autem paucis admodum complexus est, quod pluribus à *Platone* explicata jam essent. *Sed manifestius Platoni.*

BR. Equidem de his quid *Plato* sentiat dicere fortasse possim. Nam de Deo, de mundi procreatione, deque cœlorum virtutibus, plurima demonstrat istis consentanea *Cœlum igitur*, (inquit) *aut mundus, aut* B *si quod est aliud nomen, quo maxime appellari gaudet, considerandum est in primis, (id quod ab initio de universitate quæri oportere ponebamus) utrum semper fuerit, nullo unquam ortus initio, an genitus esse cœperit. Cœpit: etenim aspectabilis est, & tractabilis, & corpus habet. Sunt autem talia omnia sensu percepta. Quæ autem sensus apprehendit, & quæ opinione cum sensu comprehenduntur, ea omnia placuit aut genita esse aut gigni. Et quod genitum sit, id dicimus necesse ab aliqua causa genitum esse. Verum enimvero patrem & authorem hujus universitatis & invenire operosum est, & ut inveneris, in vulgus tamen dicere non possis.* An non hic videtur *Plato* rem penitus abstrusam demonstratione consequutus? Estne quicquam hoc argumento vel brevius vel clarius? Quicquid cernitur, tangitur & C corpus habet, id aliquando genitum est, neque æternum esse potest. Atqui mundus hic aspectabilis tangitur, cernitur, & corpus habet: quare necesse est, & hujus aliquem jam olim fuisse ortum, & futurum aliquando interitum. Et cujus ortus initiumque fuit, id ab aliqua causa genitum est: neque enim sine causa quicquam oriri potest. Ergo mundi causam statui oportet, & eam quidem quæ nec cernatur ipsa, nec tangatur, nec sit corpore prædita, & æterna per se sit, neque ab alio quoquam genita. Et rursum: *Volens itaque Deus omnium quæ intelligi possunt pulcherrimo & undique absolutissimo mundum hunc simillimum reddere, animal unum ipsum effecit aspectui subjectum, animalia cuncta naturæ suæ*

In Timæo.

convenientia intra suos limites continens. Quum igitur Deus ille qui semper est, universum hoc primum condidisset, mundi æternam animam illi extrinsecus circundedit, & à medio per omne porrexit: deinde absoluta pulcherrima mundi fabrica, rationum quædam semina illi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. Duo enim illa Deum, ita condidisse *Plato* commemorat: *Dicamus quam ob causam hanc universitatem & procreationem rerum constituerit is qui constituit. Nempe bonus erat, & bonum nulla unquam ulla de re tangit invidentia.* Itaque constituto mundo Deus procreatricem vim instituit, spargens in mundi corpus, maximeque in cœlum, semina quædam rationum & vim gignendarum rerum, per quam se mundus impleret animalibus, stirpibus aliisque rebus caducis, pro multitudine idearum quæ sunt in mente divina, fieretque hic mundus exemplaris illius quam simillimus. Hoc rursus *Plato* confirmat, referens æternum illum Deum alloquutum fuisse mundum, stellas, dæmonas, quos Deorum deos, quasi deorum satu prognatos appellat, quum illis generandi vim concederet: *Dii deorum, quorum ego opifex & pater sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente, solventur nunquam. Quanquam omne colligatum solvi potest, est tamen certe mali, velle dissolvere quod convenienti & bona cohæret harmonia. Quare quum orti sitis, immortales certe quidem ex toto non estis, nec indissolubiles, nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis. Nam mea voluntas majus potentiusque vobis est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tum cum gignebamini, colligati. Nunc quid sentiam cognoscite. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant: quibus prætermissis cœli absolutio perfecta non erit. Omnia enim animantium genera ambitu suo non continebit, contineat autem oportet, si quidem futurus est mundus omnino perfectus. At si hæc à me uno fiant, vitaque donentur, pari erunt cum diis conditione. Ergo ut mortalia sint, accedite & suscipite vos secundum naturam animantium procreationem, meam vim imitati, qua in vestro ortu sum usus. Atque in iis quidem quicquid ejusmodi est, ut & eodem cum immortalibus appelletur nomine, & divinum vocetur, & principatum in ipsis teneat, & ex eorum genere sit qui perpetuo justitiam ac vos consectari velint: ejus ego vobis semen ac initium tradam. Vos quod reliquum est mortale cum immortali contexentes, facite ac generate animantia, eadem cibum suppeditantes augete, & intereuntia rursus excipite.* Quam vim esse putatis eorum verborum, quæ pater ille fator & rerum conditor, tum cœlis, tum universæ mundi naturæ induxit? Ego vobis semen & initium tradam? Nonne procreandi vim illis indidit, verbo spargens rerum gignendarum semina? Hæc divinæ voluntatis organa sunt, quibus illi conditorem suum æmulati, mortalium corpora effingant, demumque accepto immortali principio gubernent. Neque solum gignendi conservandique vires, sed & omnem fatorum necessitatem illis contribuit. *Nam cum universum opifex Deus constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas, iisque tamquam vehiculo impositis monstravit universi naturam, & leges fatales edixit.* Hæc vir eximius de Deo, de archetypo mundo & de mundi procreatione subtiliter & accurate disseruit.

[Margin notes: In Timæo. — In Timæo. — In Timæo.]

PH. Nisi hæc *Platonis* esse audirem, omnia quasi interpretationem ejus prophetici elogii putarem, *Verbo domini cœlo firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* In quo tria illa comprehenduntur, dominus, verbum & spiritus, à quibus conditi sunt cœli, omnisque eorum virtus accepta. Quænam autem hæc cœlorum virtus? Ea nimirum quam *Dionysius Areopagita* interpretatur, nunc rationum, nunc exemplarium nomine. *Exemplaria* (inquit) *esse dicimus rationes in Deo, quæ rerum substantias ingenerent: has bonas divinasque voluntates Theologia vocat, eorum quæ sunt effectrices, & ex quibus supra naturæ conditionem, ipse Deus quæ sunt omnia produxit.* Et rursum: *Deus quoque ratio dicitur in sacris, non modo quia & rationis & sensus & sapientiæ indultor est, sed quia & omnium causas in se uno eodemque modo ante complexus est.* Eadem & *Eusebius Palæstinus*, vir præstantissima doctrina, manifestius aperuit. *Primum omnium*, inquit, *Deus cœlum genuit: per ipsum & in ipso, rerum futurarum omnium opifices rationes inchoans, & semina gignendarum rerum subjiciens.* Cœli porro conservationem potuitne quisquam luculentius quam *Theodoretus* ad *Platonis* mentem interpretari? *Sed enim quum cœlum corruptibilem mutabilemque substantiam sit sortitum, semper esse perseveravit quale fuit à principio*

[Margin notes: *Cujus cum sacris litteris plane consentiunt.* — Lib. de divinis nominibus c. 6. — Lib. de Evangel. demonstr.]

cipio sustinente ipsum opificis sui verbo, à quo veluti à creatore regitur & continetur., qui ei stabilitatem atque immutabilitatem dat quoad voluerit. Ex his intelligi potest, Platonicos finitimam his theologis doctrinam habuisse. Hinc olim dici solitum Platonicos paucis mutatis Christianos fieri. Consentiunt omnes omnium sapientum velut ex uno ore sententiæ, *Græcos* quamvis multarum artium disciplina & ingenii acumine præcellentes, nunquam tamen ad sublimia illa rerum divinarum fastigia evasuros fuisse, *nisi ab Ægyptiis & Hebræis*, quos jam olim divina bonitas eo subvexerat, *velut porrecta manu tracti fuissent*. In his primi feruntur *Solon* & *Pythagoras*, qui quæ ab illis acceperant, aliis deinde veluti per manus tradiderunt, sed hæc tamen certe perpauca, donec sensim re latius serpente, ad *Socratem* & *Platonem* ventum est, à quibus in vulgus promulgata sunt ea, quæ ante velut mysteria in religioso silentio habita fuerant. Quæcumque autem Platonici ad principis sui interpretationem postea invexerunt, ea omnia è mysticis Christianæ Theologię libris ad suorum splendorem ac nitorem transtulerunt. Ut enim *Iamblichus* multa, sic & *Porphyrius Origenis auditor*: & *Amelius*, qui *Porphyrii* scholis præfuit, quemque lecto Joannis euangelistæ procemio vehementer admiratum, in hæc verba prorupisse legimus, *Ita per Iovem Barbarus homo censet in principio loco & dignitate verbum, apud Deum constitutum, deumque esse per quem absolute omnia facta sunt.* Mitto alia quæ ad hanc rem adferre possem, si temporis occasio fineret.

Et ab iis defluxere.

CAPUT X.

Res omnes caducas & mortales divinitus olim conditas fuisse: eas nunc cœlesti virtute & gigni & gubernari, quæ eadem planè est divina.

EUDOXUS.

Nec producta tantum omnia esse à Deo, sed & hodie produci & gubernari.

Lib de mundo 12. Meta. Georg. 4.

His ergo missis, è cœlestibus in hæc inferiora & caduca delapsi, quod alterum erat consideremus, ut mundi conditor Deus divinitatis suæ semina in stirpes & animantia quæque insperfit, quibus continua maneret procreatio. *Deus*, inquit Aristoteles, *per omnes naturas suis seminibus in plantas, in animalia, sive species sive genera spectes, est divisus.* Itaque in omnium semine, *Aristotelis* sententia, divina virtus inest, cujus vi emergunt universa.

--- Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Consentiente quoque Aristotele.

Ut autem Deus unicuique ortus & vitæ, ita etiam conservationis est author. *Rebus*, inquit, *omnibus ex Deo sua vita & status ipse dependet, aliis clarius, aliis obscurius. Convenit enim optima ratione, ut qui vita est sempiterna, cæteris caducis sit vita statusque causa.* Si plura voletis & apertius, dicam quæ scripta sunt in *libro de mundo*: *Vetus sermo est, à majoribusque proditus inter omnes homines, universa tum ex Deo tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium, suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca veterum nonnulli eousque provecti sunt, ut hæc omnia dictarent Deorum esse plena: etenim cunctorum, quæ rerum natura complectetur, conservator est Deus.* Hæc in summam sic comprehendit *Aristoteles*: *Deus rerum omnium principium & finem & medium tenet.* Et *Theophrastus*: *Divinum est rerum principium, per quod & sunt & permanent universa.* *Theophrasto.*

BR. *Plato* etiam quamvis minus expresse, vires tamen divinas rebus quibusque caducis datas in ortu, commemorat *in Timæo*, quibus genus suum propagarent. Easdem vero in universam perpetuitatem præsenti Dei numine conservari atque gubernari, nec minus caducarum rerum quam cœlestium curam illum habere. *Deus qui sapientissimus est, quique res & curare potest & vult, magna scilicet curabit solum: parva autem quorum est cura facilior, per ignaviam aut inertiam negliget? Frustra profecto quicquam conderet, quod non posset idem conservare.* *Platone.* *Quorum dicta consona sunt, S. Scripturæ.*

PH. In his quidem, maxime vero in Aristotelicis, *audire mihi videor Mosem*, qui in nume- *Gen. c. 1.*

numeris ante seculis conditi mundi historiam persecutus, *Æternum Deum condito cœlo omnique ornatus genere instructo*, ait *vim illi naturalem impartiisse, quæ nobis in signa esset & tempora. Deinde animantium omni genere mundum jam genitum implesse, quorum quidem mortalium ne continuatio ac genus aliquando intercideret, illi rei pro sua sapientia prospicientem, seminibus eorum vim divinam indidisse, qua se in omne ævum gignendo propagarent.* Quomodo? *Herbam virentem aut pomiferum lignum è terra proferens Deus, simul & fructum & semen pro suo quodque genere ferre jussit, ad tuendam suam cujusque speciem. Marinis cetis atque universo piscium generi, avibus, quadrupedibus, homini denique ipsi imperavit ut sui quodque generis multiplicatione mundum implerent.* Ita summus ille rerum opifex dum singula conderet, verbo & spiritu oris sui, simul illis vires inspiravit procreatrices, quibus fieret admirabilis rerum series & continuatio. Deum porro quæcunque genita sunt omnia conservare, sacræ testantur literæ, in quibus sparsim Deus rerum omnium lex & vita nominatur. Quale quod à *Paulo* dictum est: *Deum qui vitam & omnia det omnibus, non longe abesse ab unoquoque nostrum, in ipso nos vivere, nos moveri, nos esse. Nihil enim est,* inquit *Dionysius, in substantiis, quod ipsius omnipotentis divina virtus non tutetur atque contineat.* Stabilem hanc rerum conservationem sic plenius expressit. *Quæcunque sunt, omnia eadem ratione, & ut essent, & ut bene essent acceperunt: Suntque, & bene sunt, ab eo qui ante est ut sint, & ut bene sint, consequuta. Nam in ipso sunt & bene sunt, & quum ex ipso initium acceperint, in ipso servantur atque in ipsum finiuntur.* Hoc & *Theodoretus* pulchre dixit, *Gubernator quidem est naturæ, creator ejus, nec quam ipse fecit naviculam destituit.*

Act. c. 17. *Et S. Patribus.* Lib. de divinis nominibus.

EV. Hactenus ergo consentiunt omnes, & cœlum & omnia quæcunque mundus hic inferior caduca fragiliaque continet, olim proxime à Deo fuisse procreata: à Deo vires ortu accepisse retinereque divinas, quibus tum se conservent, tum sui generis propagationi incumbant. Hac ratione veteres dixerunt, *Deum per omnes naturas esse divisum*, & *Deorum plena esse omnia*, quod vis illa divinitus accepta in omnibus permaneat, *sed aliter in cœlo, aliter in caducis rebus:* in his siquidem velut in stirpibus & animantibus obscurior, at sui duntaxat similis, in cœlo præstantior ad rerum omnium procreationem. Quocirca cœlum nullo semine multas profert tum animantes tum stirpes: at semen nihil quicquam sine cælo generat. Semen gignendis rebus materiam concinne duntaxat & convenienter apparat & instruit, cœlum in apparatam illam speciem summamque perfectionem immittit vitamque suscitat in omnibus. Quod autem ejusmodi præstantissimæ cœli vires proxime fluxerint à Deo, idcirco vere divinas esse profitemur: neque profecto aliud cœleste quam divinum esse, eaque nomina *Hippocrati*, *Aristoteli*, *Platoni*, *Virgilio* idem prorsus designare. Quæ Deus olim propriis operibus inchoavit, eadem nunc quasi feriatus cœlo tanquam administro continuanda credidit. Et quæcunque naturæ legibus existere dicimus, eadem primum processerunt à Deo: qui certe nunc admodum pauca proxime, nec cœlo, nec natura, nec semine interveniente ingenerat, sed conditis naturæ legibus omnia per cœlum administrat. Qua autem id ratione efficiat, pulchre *Aristoteles* exemplo declarat *libro de mundo. Quapropter* (inquit) *si è dignitate regis haudquaquam esset, Xerxem functione propria administrare omnia, & absolvere quæcunque facta cuperet, ipsisque operibus faciendis præsentem interesse, longe id nimirum minus Deo convenit. Quare augustius id decentiusque existimandum est, Deum summo in loco ita esse collocatum, numinis ut tamen ejus vis, per universum mundum pertinens, tum solem lunamque moveat, tum cœlum omne circumagat, simulque causam præbeat eorum quæ in terra sunt salutis atque incolumitatis.* Et paulo post: *hoc igitur modo natura divina ab uno eodemque simplici motu primi corporis vim suam immittit in ea quæ sunt primo continentia, ab illisque subinde in ea quæ longius atque longius absunt, quoad permeaverit universa. Quippe alterum ab altero motum, rursus ipsum quoque aliud movet cum mundo, quum unumquodque interim agat convenienter constitutioni suæ, nec tamen omnibus eadem sit via, sed diversa, nonnulli etiam contraria. Quod vero* (mox inquit) *in hisce rebus agitur, magnopere simile est iis, quæ belli tempore inter homines factitantur.* Nanque statim ut classicum exaudiri in exercitu cœptum, est alios ipse videas scuta sibi aptan-

Immediate autem à Deo gigni & regi cœlum.

Per cœlum autem reliqua sublunaria.

Assentiente quoque Aristotele.

aptantes, loricam alios induentes, alios ocreas vel galeam sumere, vel balteo se cingere festinantes. Rursum alios qui frenatos equos admittant, alios qui currus conscendant, qui denique tesseram per explicatam aciem prodant. Tum manipuli ductor ad manipulum, centurio excurrit ad centuriam, postremo equites ad cornu, velites ad stationem quisque suam festinant: Cum interim sub uno ductore omnia moveantur, qui imperia & ipse significanda accepit ab eo apud quem summa est imperii. Eodem nos & ipsos modo censere convenit de universo. Quum enim ab una vi impultrice cieantur omnia, fit utique quod cuique commodum est & conveniens. Hæc igitur ratio est qua persuasus *Aristoteles* censet, Dei maximi vim è cœlis per omnia diffundi.

Cujus sententia hac de re planius & quo modo singula regantur explicatur.

Quo autem dilucidius fit *qua ratione divinæ cœlestesque vires ad rerum omnium procreationem & conservationem huc defluant*, juvat ea de re *Aristotelis* sententiam epilogo concludere: Deus sempiternus, immensus, incorporeus, individuus, non in mundo corporeo, sed supra hunc in excelso habitans domicilio, immutabilis quidem quum sit, nulli affectioni subjectus, habeatque ex se ipso vitam optimam & sempiternam: non præter rationem rerum principium statuitur, omnium primum, omnia movens, à quo sit rerum omnium ortus, omnium vita & conservatio. Quæcunque mentes infinitatem illam supra extimam cœli conversionem incolunt, in Deo vitam agunt, quæ tota est illius contemplatio. Deus porro cœlos & mundum procreans, singulos singulis divinitatis suæ seminibus consperfit, quæ proprias vires infererent, easque naturales, ad naturalem omnium mortalium administrationem & conservationem comparatas. Is demum stirpes & animantia procreans, viribus divinis insignivit, & suis quęque seminibus fœcundis implevit, quorum continuatione perpetua sobole sese propagarent. Quæcunque olim Deus tum in cœlis, tum in terris progenuit, omnia unus tuetur atque regit, cœlestia quidem per se & proxime, animantia vero & stirpes aliaque mortalia cœlorum ope & interventu, quibus naturæ leges tum procreatrices tum conservatrices indixit & imposuit. Itaque animantium, stirpium, lapidum & metallorum omnium quæcunque & fuerunt & esse possunt formas una cœli forma potestate comprehendit, & innumerabilibus illa quasi gravidata formis, omnia gignit & fundit ex sese: una illius vis & facultas, præ se fert omnium caducorum vires, quæ vel olim comparuerunt, vel posthac unquam comparebunt. Has autem vector mundi spiritus, cœlo in totam universitatem diffusus, rebus omnibus impertit, simul & speciem, & nativum vitalemque calorem gignendis illis atque conservandis accommodatum. Is omnia continet, omnia calore vitaque fovet, ut nihil usquam sit non hujus ubertate confertum. Hujus vi & ope & inanima quæque persistunt, & animata sui quæque generis animam habent, alia quidem nutrientem, alia sentientem, alia mentis rationisque participem. Sic illa sese rebus accommodat, sic singulorum naturis inservit, ut quantum cujusque natura & conditio desiderat, quantum ipsa subjecti præparatio ferre potest, tantundem illa exhibeat. Sol quamquam abest longissime, adversis tamen corporibus lumen sic impertit, ut niteant splendeantque illa fulgoribus: sed aliter aqua, aliter lapis, aliter lignum, aliter argentum. Ita propemodum & vis illa cœlitus demissa, omnibus quidem est vitalis, sed ita ut aliis tantum hoc largiatur ut sint, aliis ut animam insuper habeant, idque aut nutrientem, aut sentientem, aut mentis compotem: non enim uno modo ab omnibus illa suscipitur.

Ita ut cœlum varia agat pro diversa constellatione.

Sed & hoc velim postremo admonere, ne illam quidem ipsam vim sui semper similem esse, aut uno se semper modo rebus exhibere: sed *alias aliter, pro stellarum statu multiformi*, quarum commixtio implexioque plerumque evariat, tametsi vectoris spiritus una est & impermutabilis substantia. Fieri igitur non potest quod quidam interpretatur, mundi spiritum, vitam statumque rebus omnibus sic impertiri, ut ne minimam quidem astrorum opem desideret. Hoc si est, cur quæso non similia & similiter perpetuo generet, quum semper æque præsens rebus adsit?

Themist. 1. de anim. cap. 24.

BR. Non admodum dissimilem mundi administrationem *Plato* meditatus, ideas solum

In Timæo. ſolum videtur adjeciſſe, non eas quidem A (ut plerique nugantur) inter nubes errabundas, ſed in mente illa divina immortales & immutabiles. *Quæ quum ita ſe habeant,* (inquit) *fateri oportet, eſſe ſpeciem quæ ſemper eadem ſit, ſine ortu atque interitu, quæ nec accipiat aliunde quicquam, nec ipſa unquam ad aliud procedat, quæ nec oculis, nec alio ſenſu ullo percipiatur, quamque intelligentia contemplandam veluti ſorte quadam acceperit. Altera eſt ejuſdem cum ea nominis, illiuſque ſimilis, ſed quæ & ſenſibus percipiatur, & genita ſit, & feratur ſemper, & in loco ſit, unde poſtea veluti vaneſcat opinione cum ſenſu comprehenſibilis.* Ita quidem univerſales ideas adhibita demonſtratione conſtituit, eaſque immortales, à quibus, etiam ſi ſingulorum formæ pereant, (velut quum muſcæ aut ſcarabei omnes occidunt) novæ poſſint ſuſcitari. B Quam multa de his arcanorum myſteria *Plato* adumbratis ſententiis involverit, ex ea quam *ad Dionyſium* dedit *epiſtola* perſpici poteſt, in qua ita ſcriptum legimus: *Dicis non ſatis eſſe tibi demonſtratam ejus quod primum eſt naturam: dicendum eſt igitur, ſed per ænigmata, ut ſi quid huic tabulæ vel mari vel terra acciderit, qui eam legerit, non poſſit intelligere. Sic autem res habet: Penes omnium regem omnia ſunt, omnia ipſius gratia, & ipſe eſt omnium bonorum cauſa. Secundum vero circa ſecunda, & tertium circa tertia.* Hoc loco mire æſtuant Platonici *Iamblichus, Proclus, Plotinus, Numenius, Plutarchus* aliique complures, & de vera interpretatione inter ſe acerrime certant. Quam ſim à Platonico præceptore non ita pridem edoctus, hic ſi videtur ediſſeram. Niſi enim per incuriam aliquam mihi periere, chartulas ſcio & commentariolos mihi eſſe alicubi repoſitos, in quibus ſententiolas quas ex ore dictantis exceperam, memoriæ à me mandatas memini. Vir erat ille natu grandis, canitie venerandus, barba horrida eaque promiſſa, ſeveritate gravis, ſic tamen ut ab inhumanitate plurimum abeſſet. Comitabatur hinc & inde à tergo, ingens philoſophantium turba tum noſtratium tum peregrinorum. Breviter vir erat in quo uno dixiſſes laudatę illius vetuſtatis ſpeciem relucere, adeo ut chori illius venuſto ordine & nominis ſplendore captus, me tum quoque in eum comitatum dederim.

A quibus alienus non eſt Plato.

PH. Quem vero non alliceret iſte ordinis decor?

BR. Sed plus poterat ſumma viri humanitas & modeſtia, qua quicquid rogabatur, placide mox & ſine ſupercilio reſpondebat.

PH. Amabilis ille animi candor.

BR. Differebatur frequenter de rebus abſtruſis & magnis, quas nec ingenii mei infirmitas ferret, nec craſſities penetraret. Quodam autem die quum in umbracula conceſſiſſet, poſitis ſub platano ſedibus, ille quidem mediam occupavit, nos partim in cæteris in orbem ſubſelliis, partim in herbeſcente viriditate conſedimus. Tum quędam de more præfatus, ad hanc rem de qua agimus ita tandem aggreſſus eſt. Tria circa regem omnium *Plato ſtatuit* coæterna, bonum, mentem, & mundi animam. Bonum appellat rerum omnium patrem & authorem Deum, qui ſimplex & immobilis, ſupra omnem omnium naturam & intelligentiam *in Parmenide* conſtituitur, eſtque in omnia exuberans bonitas. A patre bonoque mens procedit, ut ab ingenita Soli luce lumen ſplendidum, quæ mens intelligentia eſt divina, & optimus boni filius. A mente rurſum anima mundi defluit, uti ſplendor à lumine, quæ per omnia ſpirat, omnia in vita continet. Circa primum qui pater eſt omnium, ſimplex eſt & individua bonitatis idea. Ab hac tanquam ab immenſo & inexhauſto fonte, innumerabiles defluunt idearum differentiæ, haud ſecus atque ex uno ſimplicique lucis radio, plurimi in cœlo radii diſtincti cernuntur. Has rerum omnium ideas divina mens excipit, C ut ſint ſecunda illa circa ſecundum: illaque mens rerum omnium quæ ſunt, quæ fuerunt quæque olim erunt ſempiternas ideas tanquam ſinu ſuo complectitur. Ab iis vero, dimanant idearum rationes animæ mundi immiſſæ, à rationibus rationum ſemina in cœlos & ſydera ſparguntur. Omnia quę in mundo ſunt mortalia, à ſua quæque idea & exemplari, quæ mens illa divina univerſa complectitur, ſuſtinentur. Ideæ per ſuas rationes, mundi animæ communicatas, & hæ per rationum ſemina cœlorum corporibus indita, huc mundi ſpiritu devectæ, rerum & ortus & gubernationem procurant, haud ſecus atque noſtri corporis anima ſpiritibus viribuſque de ſe miſſis, partium ſingularum naturas, vires & opera

Si vitæ explicetur.

opera

opera continet tueturque. Ad eumque modum id efficitur quod est cum *in Philebo*, tum in aliis plerisque locis, ut existat omnis rerum ortus & administratio, à cœlorum seminibus, ab animæ mundi rationibus, ab ideis quæ sunt in divina mente, ut omnia tandem ad simplex illud unicumque principium referantur: quo posito constituantur omnia, sublato intereant. Id quoque longo & accurato examine *in Parmenide* perpensum est: nam id si forte virtutis suæ inflexionem retraxerit, deficiente vita in mortem corruent universa. Hæc enim Dei vita, hæc illius actio, rem ad motiones pro sua quamque natura ciere, vitamque omnibus inspirare. Et immortalitatis quidem seminibus cœlum conserit, terram vero mutationum.

Qua autem *ratione anima spiritusque mundi inferiora hac caducaque omnia & gignant & administrent*, horumque proxima causa habeantur, ita quidem exquisitius Platonicus præceptor interpretabatur. Mundus, qui quatuor naturæ principia tota, uno cœli ambitu coërcet, unum quoddam corpus est, cujus partes ut animalium inter se cohærent, unius spiritus & mundi animæ beneficio. Nam,

6. Æneid. *Principio cœlum ac terras camposque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Vivunt quidem animalium corpora sua quæque anima, mundus autem longe omnibus dignitate præcellens, multo nobilissimam animam est consequutus. Quæ enim obsecro vesania, quæ dementia sit, partem vivere fateri, negare totum? & mutilo inchoatoque corpori animam esse, qua integrum & consummatum careat? Quæ perversitas, imo vero quis furor, Universo vitam eripere, in quo & cujus beneficio sumus ipsi, vivimus, movemur? Magna est hac in parte diligentia *Platonis*, & sunt ab eo collecta *in Epinomide*, *in Timæo*, *in libro de legibus decimo*, argumenta & multa, & valida, à cœlestium amplitudine, à motus cum perennitate tum constantia, à divinitate & præstantia vitalis spiritus & caloris, quem illa nobis largiuntur. Atque ut in terris viventium, sic & in cœlis stellarum corpora, animalia esse, omnia confirmat, eaque ex

A corpore pulcherrimo, & anima cum optima tum beatissima constare. Ut autem in nobis eam quæ ossis est formam, & eam quæ carnis, & eam quæ alterius cujuscunque similaris particulæ, gubernat ea quæ totius est, omnibus quidem particulis se communiter impertiens, nullius vero peculiariter propria, totius corporis communis: sic & quæ totius mundi est anima omnium cœlorum, syderum, elementorum, omnium denique quorum ex illis ortus existit, animas fovet ac gubernat. Hæc est mundi anima, datrix formarum, cujus potestate & viribus singula continentur, & quam vere interpretatur naturam esse illam universalem, quæ caducis rebus prima est origo, cujus vim admirata est eorum B turba, qui se physicos appellaverunt, ne minimum quidem ejus limites prætergressa.

Cæterum *quo pacto hæc se suasque vires rebus ingeneret*, repetito aliunde principio, ita est interpretatus: Mundi corpus concretum tractabile quum sit, & comprehensibile sensibus, illius vero anima purissima, simplicissima, omnis corporeæ molis expers, hæc duo (inquam) quum maxime diffideant, & longissimo sejuncta sint intervallo, non alia ratione conjungi potuere: nisi mediæ cujusdam naturæ interventu: ea autem est spiritus æthereus ac divinus, communis utriusque & amborum ceu quidam nexus & vinculum, Ut enim animantibus spiritum inesse non dubitamus, qui & animam retinet in corpore, & se ad omnia ejus mu-C nia accommodatum exhibet instrumentum: sic & quendam in mundo esse par est, qui non, ut ille, quicquam è caducis terrenisque hauriat, sed totus æthereus, totus lucidus, divinam prorsusque cœlestem conditionem obtineat. Hunc *Plotinus* existimavit à mundi anima universum dimanare, quem vi sua genitali illa quasi turgens procrearet. Per cuncta diffusus & insertus, omnium quæ fiunt proximus author, totusque vitalis vitæ seminaria rebus infundit: huic enim comes est cœlestis ille divinusque fervor, qui cæteris naturis omnibus, salutarem impertit & vitalem calorem, qui in omnem fusus naturã, animantia omnia, omnes stirpes gignit, conservat, alit, auget, sustinet. Quare quum una natura sit quæ mun-

mundum omnem continet, quæque ipsum tuetur, fatendum est ipsam esse mundi animam, ex qua conservatio & salus omnium omnis oritur, & cujus spiritus cuncta complexu conciliat. Sic omnibus inter se concinentibus necesse est, quod à *Tullio* dicitur, *omnia uno divino & continuato spiritu contineri.* In universum mundi corpus diffluens hic spiritus, & singulis se rebus immiscens, secum (perinde ut si vehiculum esset) tum illam mundi animam, tum idearum rationes, & è cœlo sideribusque rationum semina invehit, totis confundit & permiscet: his porro comites sunt ipsa mundi vita, & salutaris ille siderum calor, à quo est cum procreandi, tum nutriendi, augendi conservandique facultas, quam perspicue cernimus in stirpes, arbores, conchylia animantesque propagatam.

In Tuscu-lan.

Æneid. 6.

Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est illis vigor & cœlestis origo
Seminibus.

Neque vero ab hoc ordine lapides & metalla semoveam, quod nihil in vivente mundo tam deforme & tam abjectum sit, cui non infusus ille spiritus munerum divinorum aliquid elargiatur. Hæc sunt, optimi viri, quæ audiveram equidem à Platonico illo, sed ita multis ante annis, vix ut meminisse potuerim, nisi memoriæ labenti hæc chartula, in quam singula retuleram, succurrisset.

EV. Virum narras haud utique silendum, sed dignum profecto cujus nomen monimentorum æternitati consecretur. Sed age obsecro, hoc nobis ingenue fatere, cur cum hæc jampridem & audisses & probasses, recondita tamen tenebas, neque in medium proferebas? Cur superiorem concertationem eousque incalescere patiebare? An illa exciderant animo? An non tibi jure reprehendendus videris pervicacitatis aut invidentiæ nomine?

BR. Nondum profecto, nondum ulla ea obduxerat oblivio, sed ad philosophici ingenii aciem exacuendam hæc investiganda duxi, & ut plenius constaret quid quatuor illæ simplices rerum naturę in singulis virium haberent, quas plurimi rerum omnium primordia causasque statuunt, ex quibus velint rerum omnium cognitionem capi & certiorem disciplinis demonstrationem adhiberi.

EV. Experiris tamen non posse te in veteri illa sententia permanere, ac veluti stationem tueri: aut si castella quædam munitiora defendere coneris, proditurum te quidem totam philosophiæ urbem. Sed qui possunt divina illa, commentitia vel esse vel videri, quæ summi naturæ exploratores ac speculatores, pro certis retulere, præsertim additis demonstrationibus pro rei natura firmissimis & evidentissimis?

CAPUT XI.

De spiritibus quorum gubernaculis mundum administrari tradunt.

PHILIATROS.

Audio præter commemorata, toto mundo spiritus vagari, quos Græci δαίμονας appellarunt, de quibus mihi videor quiddam superiore disputatione subodoratus. Nequid igitur rerum insit universitati, sive sub aspectum id cadat, sive oculorum obtutum effugiat, quod noster hic congressus non attigerit, æquum est & de illis *quid sint, quot illorum genera, quid denique rei mundo procurent* investigare.

Spiritus esse, probatur S. Scripturæ.

EV. Ab hac disputatione aliena prorsus videtur solers isthæc disquisitio.

PH. Erit fortasse non modo ad perspicuam æterni Dei cognitionem apprime utilis, immo etiam ad morborum & remediorum quæ trans naturam sunt demonstrationem necessaria, de quibus pomeridianis horis ex te nonnihil audire confidimus. Quid itaque de spiritibus è sacris literis in unum quasi fasciculum congresserim, ipse præpando: vos quæ aliunde legistis, profundite. Deus excelsus priusquam mundi hujus aspectabilis quicquam moliretur, incorporeum illum miris spirituum ordinibus confertum condiderat. Qui quum omnes boni essent, neque quicquam ma-

malum efficere potuisset qui esset ipse optimus: unus tamen Lucifer ausus est in corde suo dicere, *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Tum omni exercitu quem fraude & perfidia fefellerat comitatus, de cœlo corruit in terram qui mane oriebatur, & in infernum detractus est in profundum lacus.* Et, ut inquit Judas Apostolus, *Deus angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis sub caligine reservavit.*

Esaiæ 14.

In epistol.

Illi vel boni vel mali. Itaque infinita illa *spirituum multitudo bifariam tum discreta est: hi cœlorum sedibus addicti* & consecrati sunt: illi *cœlo extermi nati* huc in exilium relegati, elementari mundo sedibus incertis oberrant.

Bonorum ordines. *Superiores* illos *novem choris disjunxit* Dionysius: *Supremum & excelsissimum tenent Seraphin, hinc Cherubin insequuntur, deinde Throni, ab iis dominationes, mox virtutes proxime Potestates, succedunt Principatus, inde Archangeli, tandem Angeli infimo cœlestium ordine.* Ita enim singulos ex sacrarum literarum monimentis deprompsit.

Munia in cœlis. Quibus autem *obeundis muneribus quique destinentur*, ita dein expressit: *Cœlestium spirituum prima distinctio Deum jugiter ambiens, & circa illum nullis mediis interpositis agminibus astans, æternam ipsius scientiam simpliciter & indeficienti circumstat affectu. Ea quippe plurimas ac beatissimas speculationes, purissimis intuetur obtutibus, simplicesque & continentes divinæ claritatis radios suscipit, atque divini cibi alimonia pascitur, plurima ex divinis excellenti ratione cognoscens, divinæque scientiæ & agnitionis quantum fas est, particeps facta.*

De cœlesti hier. cap. 10. Quid autem *à supremo illo ordine* singulis deinceps *inferioribus influat*, ita quidem exposuit: *Superiores eminentioresque ordines, inferiorum quoque agminum non carent fulgoribus atque virtutibus: posteriores vero superiorum intelligentiæ exortes sunt. Sunt autem omnes ita instituti, ut inferiores superioribus obaudiant, eorumque nutus enuntient. Ac primi illi quidem ut summi Dei se moventis consilia & voces exponant, reliqui vero proportione debita: ut tandem per infimos angelos nobis pro modo & ratione cujusque, divinorum sensuum aperiant lucem. Angeli namque implendi peragunt munus, & ipsorum ordo magis circa evidentiora & apertiora versatur, ac mundana ferme negotia ab eis disponuntur. Enuntiant enim divina mysteria humanis ordinibus, quibus eos praeesse credendum est, ut illorum ministerio ferantur ad Deum & convertantur, sintque ipsius societate & conjunctione felices.*

Cap. 9.

Humanarum rerum administrationem, angelis sacra *Scriptura distribuens*, Michaelem Judæorum principem, alios aliarum gentium præsides constituit. *Statuit enim altissimus terminos gentium juxta numerum angelorum* DEI. Neque vero gentibus duntaxat aut terræ provinciis, sed & singulis nobis addictos esse custodes angelos, inconcussa illa euangelii veritas testatur. *Videte*, inquit, *ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris qui in cœlis est.* Sic (ut proditum literis accepimus) primi parentis custos angelus dictus est Raziel: Abrahæ, Zakiel: Isaac, Raphaël: Jacob, Peliel: Mosis, Metraton. Per hos internuntios plurima illi divinitus acceperunt. Unde intelligitur, infinitam haberi angelorum multitudinem, quam tamen sacræ literæ, extremum quiddam indicantes, ad decies millies dena millena produxerunt.

In terris. Daniel. Deut. 32. Matth. 18.

At vero *malignorum spirituum* vix unquam videntur ordines exercitusque attigisse. In omnibus tamen hæc mala insunt, furor rationis expers, demens concupiscentia, cogitatio præceps atque proterva. Hæc *Iudas* triplici genere complexus est: *Hi*, inquit, *carnem quidem maculant, dominationem spernunt, majestatem blasphemant.* Itaque dæmones è patria sedibusque exturbati effrenatius in hujus mundi principatum exules invaserunt, sicque universum obsidione impleverunt, ut nulla toto sit orbe regio, qua non illi Deorum nomina sibi usurpaverint, adeo quidem subdole & versute, ut (quod mirum videri potest) apud Gallorum Druydas & distantissimos Indorum Gymnosophistas, idem sit cultus deprehensus. Hanc maxime curam dolis omnibus & præstigiis adhibuerunt, ut idolorum specie tanquam Dii colerentur. Quanquam appellente Christo principe luminum, *princeps hujus mundi foras est ejectus, neque in nos habet quicquam: circumiens tamen tanquam leo rugiens quærit quem devoret*, & quem irretiat technis suis tentationumque insidiis. Plura in præsentia è sa-

Mali. Daniel. 7. *Eorum munia.* In Epist.

e sacris non succurrunt, unde pleniorem dęmonum potestatem astruam: vos quæ aliunde noveritis effundite.

Platoni Quoque spiritus esse. *BR.* Rem abditam, nulla sensuum acrimonia comprehensam, temeritas sit spreto omnium authorum patrocinio constanter asseverare. Quocirca *de dæmonibus quicquid sum dicturus, è Platonicorum fontibus exhauriam.* Dæmones quosdam esse, eosque in mundo vagari, hoc sensus testimonio *Plato* comprobavit: An est quisquam qui dæmonum quidem opera opinetur esse: dæmones autem neget? Quod si dæmonia esse puto, necessarium est putare me, dæmones quoq; esse. An non ita se res habet? *In Apologia.*

Et quidem quadruplices. Sed omnium *numinum multitudine* quasi mundum aliquem instituens, *in Epinomide* summos Deos, ultra mundanos ait amplissimam rerum providentiam habere: sub his in cœlo quosdam conspicuos esse, tertio infimoque loco dæmones, horum genus unum ex æthere, alterum ex aere esse. *Ac neutrum*, inquit, *conspici totum potest: sed quamvis hi dæmones prope nos sint, nunquam tamen manifeste nobis apparent*, Et mox: *Aliud vero quod ex aqua est, recte semideum vocabimus.* Id nonnunquam cernitur, nonnunquam aspectui nostro se subtrahit: & quum videtur, tenui visu perceptum admirationem adfert. Præter tria hęc dęmonum genera Plato quoque Heroas instituit, *libro quarto de Leg. Post deos istos*, inquit *dæmonibus vir mentis compos sacrificabit, heroibusque post dæmones.* Heroas extimorum hominum animas esse definiunt, à corporis nexu sejugatas & liberas.

Ex his dæmones varii quoque. Quos Plato *dæmones* promiscue appellavit, hos *Latini* ex officiis *distinxerunt*. Qui administrandis regionibus præsunt; Dii patrii *Penatesque*: qui pacato & quieto numine domum possident, Lares: aut si quando terrorem incutiant, Larvę: qui vero nobis singulis testes & custodes addicti sunt, Genii appellantur. Heroas quos Gręci dixerunt, veteres Latini Lemures dicere solebant. Quibus *viribus præditi* sint, ex *Platone* accipite: *Prudentiæ mirabilis participes sunt, acuto quippe ingenio tenacique memoria cogitationes nostras omnes cognoscunt. Honestos bonosque homines mirifice diligunt, improbos vehementer oderunt, utpote qui doloris participes sunt. Sed Deus qui divinam sortem perfecte possidet, à doloribus voluptati-* *In Epinomide. Eorum natura.*

A *busque liber, sapientia cognitioneque perfecte fruitur. Quum autem refertum animalibus cœlum sit, & Dii summi & dæmones se invicem interpretantur: media enim animalia tum ad terram, tum ad cœlum levi motu feruntur.* Hoc ipsum in convivio Diotimę fatidicę mulieris authoritate stabilivit. *Quum vim habet dæmonum natura? Interpretatur & trajicit humana ad Deos, divina ad homines.* Et mox: *Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominesque conficitur, & vigilantibus nobis atque dormientibus.*

Munia in regimine provinciarum. Hæc quidem de naturis dæmonum: nunc ut sint *illis singularum mundi regionum gubernacula* distributa, ex Politico, ubi de vita quæ sub Saturni regno ducebatur, audite. *Tunc sane totius mundi princeps curatorque primum* B *Deus extitit, at nunc per varias mundi plagas singulæ ipsius partes à Diis principibus distributæ sunt. Animalium quoque genera gregatim distincta dæmones quidam tanquam divini pastores sortiti sunt, quorum quisque ad munus suum obeundum sufficiens quum esset, singulis sic ut ille voluit præficiebantur, quibus præerat ipse.* Plenius in Critia sive Atlantico: *Dii quondam universum terræ orbem sigillatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. Qui persuasione pro gubernaculis utebantur, eaque animam attingebant: & pro arbitrio suo ita ducentes, mortale genus omne gubernabant.*

Et quomodo id præstent. At quomodo; libro de Legibus quinto expressit: quo eas regiones feliciores haberi censet quæ meliores dæmonum rectores fuerint sortitæ. *Nec illud*, inquit, *ô Clinia & Megille, nos fugiat, magnam esse locorum* C *ad ferendos meliores peioresque homines differentiam: quibus diversa prout expedit legibus sancienda sunt. Maxime autem loca regionis differunt, in quibus inspiratio quadam divina est: & quæ dæmones sortita sunt, qui habitantes sic vel contra suscipiunt.* Unde in Phædro commemorat, dæmonem quendam Ægyptios primum literas docuisse, compluribusque locis vaticinia audiri. *Audivi equidem*, inquit *Socrates*, *circa Naucratim Ægypti, priscorum quendam fuisse Deorum, cui dicata sit avis quam Ibim vocant. Dæmoni autem ipsi nomen Theuth. Hunc primum omnium numerum & numeri computationem invenisse, Geometriamque & Astronomiam, talorum rursus alearumque ludos, & literas. Erat tunc totius Ægypti Rex Thamnis: ad hunc Theuth profectus artes demonstravit suas, dixitque eas distribui deinceps Ægyptiis cæteris oportere.* Ex mox: *Qui in Io-*

vis

vis Dodonæi templo verſantur, ex quercu ſermones primos fatidicos erupiſſe aſſerunt. Quapropter libro de Legibus quarto, ſic omnem regionum civitatumque adminiſtrationem colligit: *Quum intelligeret Saturnus, quemadmodum ipſi narravimus, nullam hominis naturam res humanas ita gubernare poſſe, ut ſi omnibus arbitratu ſuo dominetur, laſciviori ſuperbia injuſtitiaque non repleatur: quumque hæc inquam non ignoraret: non homines, ſed divinioris præſtantioriſque generis dæmones, civitatibus noſtris reges principeſque præfecit. Quod nunc nos in ovium gregibus aliorumque cicurum armentis facimus. Non enim bobus boves, nec capris capras præficimus, ſed nos ipſis genus melius dominamur. Similiter Deus homines amans, genus dæmonum genere noſtro præſtantius, nobis præfecit.*

Munia in regimine ſingulorum.

Jam vero quod de proprio cujuſque dæmone è ſacris protuliſti, ſic Plato in Phædone legitur adſtruxiſſe: *Nihil enim aliud quum migrat ad manes anima ſecum transfert, præter eruditionem atque educationem: quæ quidem ſtatim in principio tranſmigrationis illius, plurimum vel prodeſſe vel obeſſe dicuntur. Ferunt enim, quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo dæmone quem vivens ſortitus fuerat, in locum quendam duci, ubi oporteat omnes una collectos judicari, ac deinde ad inferos proficiſci, eo duce, cui mandatum erat, ut hinc decedentes ad illa loca traducat.* Proprius Socratis dæmon multis locis celebratur à Platone. Alcibiadem alloquutus Socrates ſic ait: *Curator meus melior & ſapientior quam tuus Pericles.* Alcib. *Quis hic, ô Socrates?* Socrat. *Deus, ô Alcibiades, qui me vetuit ante hunc diem tecum diſſerere: cui credens, aſſero, te per nullum alium, quam per me claritatem conſequuturum.* Et in Theage ſic ait Socrates: *Adeſt mihi divina quadam ſorte dæmonium quoddam à prima pueritia me ſequutum. Hoc enim vox eſt quædam, quæ quum ſit, ſemper ejus rei quam facturus ſum, diſſuaſionem demonſtrat, provocat vero nunquam. Quod ſi quis amicorum meorum quandoque aliquid communicat, extatque vox, hoc illa diſſuadet, neque facere ſinit. Cujus quidem rei vobis teſtes dabo. Charmidem virum bonum Blanconis filium noſcitis: hic aliquando*, &c. Et mox ſubdit: *Quibus autem faverit in ipſa familiaritate poteſtas dæmonii, brevi ii proficiunt.* Et rurſum: *Si Deo gratum eſt, permultum quidem & brevi proficiet: ſin contra, minime.* Unde libro de Republ. ſexto ait: *Dæmonis autem noſtri ſignum referre nunc non decet.* Et libro de Legib. ſexto, *monet unumquemque, numen ſuum, & proprium dæmonem, convenienti ſibi honore afficere, quo ſe is familiarem præbeat, omniaque ſervet illæſa.* In quam ſententiam hæc poſt multa protulit Apuleius: *Hic quem dico prorſus cuſtos, ſingularis præfectus, domeſticus ſpeculator, individuus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator: ſi rite animadvertatur, ſedulo cognoſcatur, religioſe colatur, ita ut à Socrate juſtitia & innocentia cultus eſt, in rebus incertis proſpectator, dubiis præmonitor, periculoſis viator, egenis opitulator: qui tibi queat tum ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram quum uſus poſtulat, mala avertere, bona proſperare, humilia ſublimare, nutantia fulcire, obſcura clarare, ſidera adverſa corrigere.*

Platoni tamen alii boni, alii mali non ſunt.

Hæc ſunt quibus ad ſacrorum imitationem *Plato* & civitatibus adminiſtrandis, & domibus nobiſque protegendis dæmones addictos confirmat. Cæterum *nuſquam malignos à bonis ſejunxit*, ſed omnes promiſcue Deorum nomine complexus eſt: nam illius ætate bonos dæmones nondum innotuiſſe conſtat. Quoſcunque vetuſtas Deorum cultu venerata eſt, omnes authore *Porphyrio* cacodæmones erant.

Sed ſunt Platonicis recentioribus.

At Platonici juniores, eos genere toto diſiunxerunt. Clare quidem *Proclus*, ſed apertius *Iamblichus*: *Dii,* inquit, *angeli, dæmones boni, non apparent phantaſtico modo, ſed proprio prorſus & vero: Spiritus vero mali phantaſtico fallacique, ſimulant Deorum præſentiam dæmonumque bonorum, ideoque cultorem ſuum jubent eſſe juſtum, ut ipſi videantur boni ſicut & Dii. Quoniam vero natura ſunt mali, rogati mala inferre, libenter inferunt, atque nobis ad injuſta conducunt. Hi ſunt omnino qui & in oraculis mentiuntur & fallunt, & turpia conſulunt atque peragunt. Dii vero bonique dæmones neque fallunt unquam, neque conferunt ad iniqua. Eſt inſuper malorum natura dæmonum ſibimet inconſtans, inſtabilis, ſecumque diſſidens, alias alia ſuadens. Superiorum vero natura ſibi conſtat aſſidue, eundemque ſervat ſemper in actione tenorem.*

Quibus & ſui cuique dæmones.

Is mox plurima *de proprio cujuſque dæmone ſubjecit*, & rationem duplicem qua illum nobis familiarem reddamus: harumque alteram artificioſam adpellat, quam *Porphyrium* ſecutus ait ex cœli figuris & geneſeos poteſtatibus deduci. Supra hæc nonnulli curioſa nimis & præcipiti indagatione ſceleratas artes invexerunt: alii in nefariam dæmonum ſocietatem atque commercium ſeſe pa-

pactionibus obstringunt: alii gentilitiis sacrificiis summos illis honores deferunt quo rerum potiantur: alii divinorum nominum potestate illos se subigere, in suamque ditionem redigere confidunt, quibus ut servis imperent. Quæ omnes prorsus vanæ & captiosæ sunt artes. Sed nec illa de qua modo dicebam minus superstitiosa est, qua plerique gloriosius jactant bonos dæmones posse sibi familiaritate conjungere, quorum consuetudine, optima quæque condiscant: hi siquidem difficile comparent, nec nisi summi Dei jussa capessunt. Illorum vero simulata specie cacodæmones percuriosis hominibus multa plerunque ementiuntur. Itaque qui aut gentilitiis sacrificiis aut simulatis nominibus divinis accersiti convolant, omnes sunt cacodæmones: *qui tametsi optant venire, cogi tamen se simulant*, inquit Porphyrius, *ut suis nos dein præstigiis irretiant*. Vidi quendam vi verborum spectra varia in speculum derivare, quæ illic quæcunque imperaret, mox aut scripto, aut veris imaginibus ita dilucide exprimerent, ut prompte & facile ab assidentibus omnia internoscerentur. Audiebantur quidem verba sacra, sed obscœnis nominibus spurce contaminata, cujusmodi sunt elementorum potestates, horrenda quædam & inaudita principum nomina, qui Orientis, Occidentis, Austri, Aquilonisque regionibus imperent. Cæterum omnis dæmonum quavis arte parata necessitudo, omnisque horum præstigiatorum ratio, pestifera fraus est, in extremam hominum perniciem introducta. Nam *Porphyrio* teste, dæmon mendacii parens, rogatus etiam quæ non novit constanter affirmat: & quæ novit, si semel vere, decies illa falso refert, naturæ suæ nunquam immemor.

EV. Multa quidem & expressa de dæmonibus ex authorum vestrorum fide deprompsistis, ad quæ si nequeam *Aristotelis* sententias singillatim accommodare, quid tamen illius opinio ferat, hinc perspici potest, quod *Deorum plena esse omnia* ex Pythagoreorum doctrina asseverat: & naturales Deos mundum hunc inferiorem, sublimiores vero superiorem illum sola cogitatione comprehensum moderari atque conservare. Quanti vero aliorum de his tum scripta tum dicta æstimaverit, ex his paucis

Aristoteles quatenus cum his consentiat.

A quæ *libro de divinatione per insomnia* memoriæ mandavit, conjicitur. *Sublata*, inquit, *causa qua ad Deum referatur, nulla præterea alia videtur consentanea esse. Quandoquidem originem ejus invenire quod dicitur, quosdam esse in Borysthene & juxta columnas Herculis qui futura præsentiant, captum ingenii nostri excedere videtur.* Libro de partibus animalium ita scriptum legimus: *Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui, quum alloqui eum vellent, quod forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt: ingredi eos fidenter jussit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dii desunt immortales.* Quo sane loco Deorum nomen Geniis, Penatibus, Lemuribus, spiritibus denique omnibus Platonico more impertivit, ut qui peræque omnes incorporei & à

Lib. 1. c. 5.

B nostris sensibus remoti sint, operibus solis conspicui.

De his autem quæ ad rei medicæ exercitationem non admodum accommodata videri possunt, jam fortasse ultra modum. Quumque gnomonis umbra in solario, meridiem instare, commonstret, par est, differendi finem facere, & quieti valetudinique nonnihil tribuere. Heus pueri, mensam primis cibis extruite.

PH. Ne te pœniteat, optime Eudoxe, in hanc disputationem ceu vi quadam impulsum fuisse, quam spero non parum fructus ad rei medicæ usum nobis allaturam, & cum mihi, tum cæteris omnibus qui disputantibus nobis assederunt, eximium quendam divinitatis ardorem concitasse.

Et quem usum hæc de spiritibus doctrina in Medicina habeat.

C Si quos enim spiritus orbe toto volitare & vagari compertum habemus, eosque sensu non attingi, incorporeos esse, immortales, & intelligentiæ participes: constans id & firmum esse debet, animum quem in nobis sentimus intelligentiæ capacem, incorporeum simul & immortalem haberi: & eundem, quum è corpore emigravit, in perpetuum vivere, referrique in spirituum greges. Si extra concretum hunc aspectabilemque mundum, innumerabilis spirituum multitudo, quasi in turmas digesta, ducibus gubernatur, necesse est omnino, & ducibus ipsis regem unum imperatoremque summum præfici, qui principatum tenens divinitatis splendore intelligendique præstantia, immensus sit & incomprehensus, cujus majestatem & præstantiam infirmitas

tas fragilitasque nostra, ne tenuissima quidem suspicione possit attingere, hoc luto, hoc denso corporis cæmento demersa. His animi quasi primis epulis corroborati, corpus oblectamento quodam & solatio levaturi, lavemus, & mensæ accumbamus.

Libri Primi de Abditis Rerum Causis Finis.

JOANNIS FERNELII AMBIANI, DE ABDITIS RERUM CAUSIS

LIBER II.

PRÆFATIO.

UT res cæteræ omnes quas mundi hæc universitas complectitur, ab initiis & quasi rudimentis quibusdam obscuris ortum accepere: ita nascens rerum cognitio atque scientia, principio rudis, in his solum versabatur, quæ vel oculis vel auribus vel aliis denique sensibus dici percipique possent. Etenim prima illa ætas effectus duntaxat intuebatur, qui coram & in conspectu omnium erant, causas ex quibus illi prodiissent, minime contemplata. Postea vero quasi adolescens ipsa rerum cognitio, studio exculta majore in ea altius penetrare cœpit, quæ penitus abstrusa & longissime à sensibus disjuncta, solius mentis vi & agitatione condiscerentur. Tum primum nata nomenque suum adepta est philosophia: quæ una omnium quæ fiunt causas ratione animoque lustrat & persequitur, hasque ex eventis investigat atque demonstrat. Quoniam vero non semper evidentes eæ sunt, & plerumque in obscuro positæ delitescunt, non ab omnibus peræque sunt comprehensæ, sed unius ejusdemque rei alii alias sæpe causas attulerunt, ut sua cuique probabili ratione ducebantur. Plurima hinc philosophandi genera processerunt, è quibus duo commemorantur in hunc usque diem præclara: unum sub Democrito, *alterum sub* Hippocrate *principe. Ille causarum omnium ordinem persequutus, fortuitam illam atamorum concursionem implorans, eas ipsas rerum omnium prima elementa fecit.* Hippocrates *non hæc, at terram, aquam, aërem, & ignem: à quibus inter se confusis, omnia quæ oriuntur & occidunt, nasci alique contendit. Hæ sectæ ductæ ab humili, eousque progressæ sunt ad summum, ut non in philosophia modo, verumetiam in medicina præclaros imitatores & æmulos invenerint, qui cum rerum omnium, tum morborum causas, ad sua quæque elementa referri oportere, non infirma, sed maxime credibili probabilique ratione suaderent. Atomos amplexati sunt qui se* methodicos *medicos appellarunt: terram, aquam, aërem & ignem* dogmatici. *Utrique sua principia tam arcte tenent tamque accurate defendunt, nihil ut gigni fierive putent, quod non statim causis illis acceptum ferant. Quæ quum ita sint, velim unusquisque ex bono*

Duæ Physicorum sectæ, Democriti & Hippocratis.

& aequo ponderet ac judicet, quam parum firma & quantum in opinione dubia sint quaecunque de primis rerum causis disputari solent, utque de his nihil certum nihil cognitum comprehensumque animo haberi posit. Eventorum suas utrique causas jactitant, has magna probabilitate rationum tutantur: authorum utriusque par fere numerus, qui ingeniorum laude & acrimonia non admodum dispares sint. Vtrorum igitur testimonio fidem attribues? In utram te illorum familiam tutum recipies? Stabilitatemne vel authoritatem habere possunt, qui se commentitiis illis opinionibus adiunget? Atomos veteres jam ridemus, miramurque ut sibi quisquam persuaserit, corpora quaedam solida atque individua, fortuita illa concursione res magnitudine immensas, varietate, multitudineque infinitas, omnemque absolutißimum hunc mundi ornatum effecisse. At certe si Democritus *mortem cum vita commutare posset, multo acrius haec quae putamus elementa, suo more rideret. Quae equidem huc non idcirco affero, ut quasi armis contendam, quatuor elementorum mundi vires nullas esse, sed ut clarum perspicuumque fiat, eos qui rerum omnium efficientes causas ab his elementis necessario petunt, quae duntaxat probabili raitone stabilita sunt, plurimum disputationibus suis hallucinari, multorumque eventorum causas alio pertinere.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Rei cuique genitae alias à Materia, alias à Qualitatum temperamento, alias à Forma vires inesse.

BRUTUS.



IAM satis & magis opipare quam Philosophos decet, epulati sumus hilarem in modum. Ne quid igitur diei hujus tam praeclarae nobis pereat, ad frugiferam fructuosamq; disputationem nostram revertamur, & è philosophia quasi è vadis & fluctibus emersi, in amplum illum medicinę campum concedamus. In quo non ut mane, differendi subtilitate digladiari velim, sed restinctis contentionibus armisque depositis (ne qui pastis controversam fieri disceptationem causentur) ex te pacatus audire, *quantam in re medica abditarum causarum vim esse putes.*

Propior inquisitio de divino in morbis.

EV. Velles igitur diem hunc totum amicis eripere, qui ut animum à gravioribus curis hilaritate quieteque relaxarent nos comitati fuerant. Quando autem video nostra haec colloquia illis non injucunda fore, placet diem totum ut coepimus literis consecrare. At ne vel Solis ardore torreamur, vel tetris his septis coërceamur, conA veniet sub hortorum virentibus umbraculis, in herbescentibus subselliis considere, qua placidissime spirat Favonius: eritque nobis terrae tumulus pro mensa, in quam libros si res exigat reponemus: Accedamus itaque, & hic molliter ac delicate recumbamus.

PH. Locus sane amoenissimus, quo vel Musae plurimum oblectentur: conferet hujus amaenitas nonnihil ad rei quam expetimus perspicuam dilucidamque expliB cationem. Eia tu jam quum voles ad rem aggredere, à medicinae principiis exorsus.

EV. Tria quidem haec, materiam, speciem atque temperamentum in uniuscujusque rei naturalis compositione contineri, multis supra rationibus est confirmatum. E quibus duo ut principia rem omnem constituunt: at temperamentum duntaxat inest in materia, quae ex primorum mundi elementorum permistione concrevit. Nunc ut ab iisce tribus neque à pluribus rerum omnium vires profectae sint, & quales, differendum.

Qualitates à tribus veniunt principiis.

PH. Re-

PH. Recte tu quidem viam quam nos tenere oporteat ingrederis: perge igitur reliquum iter conficere, & dic, cur rei procreatæ, alias à materia, alias à temperamento, alias à forma vires inesse putes: quum unica sit totius substantia à qua omnis actio omnisque effectus enasci & emanare creditur.

9.Meta. cap.2. *EV.* Aristoteles efficientium causarum alias esse proponit rationis expertes, alias participes. *Quacunque* (inquit) *rationis sunt particibes, contrariorum oberum sunt effectrices: expertium autem rationis unaquaque unius duntaxat operis est principium.* Hinc autem argumentum sic ratione comprehendam. Causarum facultatumque naturalium quæ sunt rationis expertes, una unius est effectus principium, neque ab una & eadem possunt complures diversique effectus prodire. Atqui uniuscujusque simplicis naturalisque corporis, velut stirpis, complures notamus effectus, eosque admodum varios & dispares: Nequeunt igitur hi ad idem commune que principium referri, sed est necesse horum multæ sint causæ.

A temperamento ea. *PH.* Etiam si hoc unum complures causas & facultates habeat, eas tamen omnes *temperamento acceptas feram*, ni tu mihi patefeceris, harum nonnullas à materia, & nonnullas à specie conferri.

EV. Primum quidem in temperamento vires aliquas inesse haud inficiaris.

PH. Idne inficiarer quod omnium philosophorum medicorumque sententiis stabilitum est?

EV. Neque tamen id in se uno functionum omnium vires comprehendit.

PH. Quarum nam igitur?

Qua qualitatum elementarium naturam redolent. *EV.* *Earum duntaxat qua quodammodo primarum qualitatum naturam conditionemque redolent.*

PH. Quomodo?

EV. In permistione necessum est omnino aut unam aut duas qualitates excellere: quæ quoniam superiores sunt, omnem temperamenti efficientiam sibi vendicant, ut quicquid ab illo efficitur, id ab iis perfectum esse dicatur, quamvis otiosa non sint cætera. Quod enim calidum perhibemus, id quidem calefacit, licet imbecillius quam ignis: quod calidum siccumque est calefacit simul & exiccat. *Neque ex temperamento potest ulla functio prodire, qua non ad vincentis qualitatis naturam vimque referatur.* Hęc si sola sit & pura, elementi vires habebit: si contrarii permistione temperata, easdem prorsus etiamnum vires, licet obscuras & inferiores, obtinebit. Contrarii enim repugnantia, vincentis qualitatis vires & exuperantiam impedire quidem potest, at illius naturam ac vim nequit prorsus obterere. Ergo in temperamento necesse est vincentis elementi vis maneat, atque dominetur, licet depressa & infirmior: quæ semper naturæ pristinæ memor, alterius diversique generis nullum possit effectum proferre. Id ita esse ut tibi persuadeam, subtiliore mihi ratione opus videtur. Vera permistio corporum est: temperamentum solarum est qualitatum. Contrariæ autem qualitates non in se mutuo transeunt, inquit *Aristoteles*, (neque enim calor abit in frigus, neque humor in siccitatem, aut contra) sed ipsum duntaxat corpus subjectum mutationem subire constat. Neque enim calor frigori neque frigus calori sed quod subjicitur utrique est materia. Ergo si contraria existimat in sese commigrare non posse, qui fiet ut ex principum qualitatum temperatione aut vis aut qualitas nova emergat, quæ diversam naturam adepta, illarum nihil redoleat? Necessum est igitur, vires quæ ex principum qualitatum temperamento prodiere, superioris dominantisque qualitatis naturam imitari. 1.de gener.cap.6 2.de gener. cap. 2.

A Materia. *PH.* Hujus sane conclusionis rationes video. *Materiam vero quas tandem ad efficiendum vires accepisse putas?* rudis enim & informis quum sit, atque duntaxat sustinendis rerum formis subjecta, nihil prorsum efficit, sed patitur sustinetque omnem mutationis ordinem.

EV. Simplici nudæque rerum materiæ vires nullas aut functiones inesse statuo: sed ei quam *ex permistis elementorum substantiis concretam esse* confirmavimus.

Hanc autem luculentius explicare constitui. Demonstratum est ab *Aristotele* cum aliis locis, tum maxime *quarto Meteorologicorum*, è quatuor primis qualitatibus duas, calorem nempe & frigus, agere, ob idque efficientes appellari: duas vero, humorem atque siccitatem, pati, idcirco & patibiles dici. Sic & de primordiis naturæ, ignis & aër 2.de gener. cap.2. Cap.1. *Non prima sed secunda.*

aer tanquam causæ efficiunt, aqua & terra A patiuntur ut materia. Quæ enim potentiora sunt & viribus excellunt, simpliciter efficientia pronunciat: aquam vero & terram, quæ minus possunt, materiam facit concretorum corporum, horumque qualitates siccitatem & humorem patibiles.

4. Meteor. cap. 5.

Animantes, inquit, *in terra & in aqua duntaxat persistunt atque degunt, in aëre autem & in igni minime: propterea quod terra & aqua corporum materies existunt.* Mox subjungit; *Quod itaque patitur, aut aridum, aut humidum, aut ex utroque conflatum est. Atque aquam humidi, terram sicci corpus esse statuimus: quippe quæ inter humida & sicca maxime pati solent.* Et alio loco:

Cap. 10.

Quum autem similaria alia ratione ac via quam dissimilaria constitui soleant, ex quibus ea fiunt, sunt materies quidem, siccum & humidum, & terra & aqua: horum enim utrumque utriusque potestatem habet B *evidentissimam: efficientia vero, calor atque frigus: hæc enim ex illis similaria corpora constituunt.* Quid autem hinc eliciam, videto. Humorem atque siccitatem patibiles qualitates statuit *Aristoteles*: terram vero & aquam quibus illarum plurimum inest, materiam naturalium corporum.

Qualitates secundæ.

Itaque quas recenset ille *secundarias qualitates* à patibilibus ortas, quosque corporeos affectus nuncupare solet, nos etiam *optima ratione videbimur materiæ vires & qualitates appellare.* Ejusmodi autem sunt durum & molle, crassum & tenue, viscosum & frivolum, (sic enim verto quod Græci ψαθυρὸν, *Plinius* friabile appellat,) læve & asperum, rarum & densum, & quæ hujus sunt ordinis, omnia in materiam penitus immersa. Possum & aliter hanc ipsam materiam ejusque vires exprimere. *Aristoteles* C de his disputans subtilius, omnia elementa appellat efficientia, illorum qualitates ac vires contemplatus. Dum autem ad illorum substantiam animum mentemque adhibet, omnia patibilia & naturalium corporum materiam statuit, ex qua constent quæcunque citra hoc universitatis medium collocantur. Hæc est igitur mistorum corporum materia, quæ ex elementorum materiis qualitatum vi concreta, vires habet: easq; quas nuper appellavi secundarias, & à qua unumquodque molle vel durum, crassum vel tenue est. Ea ipsa causa est cur cibus ocius tardiusve alat, & cur vires habeat aut obstruendi aut aperiendi aut detergendi.

2. de gener. cap. 5.

PH. Id (puto) perinde est atque si dicas, alias ab elementorum qualitatibus, alias ab eorum materie vires nasci: at nihilominus utræque ab ipsis plane sunt elementis.

EV. Utrasque dices si videbitur elementarias, cæterum ni quæ à qualitatibus sunt, ab iis discernantur quas materia edit, magna se certe in rebus offeret ambiguitas, magnaque confusio & perturbatio: quam si expedire consilium est, qualitatum effectus à temperamento, consistentiæ vero à materia derivabis.

PH. Perplacet homonymiæ distinctio: jam obsecro quod *tertium* erat *virium genus* persequere.

EV. Si rei naturalis forma quæ totius est perfectio, & materia & temperamento longe præstantior est, quis quæso tam demens sit & in rerum contemplatione tam cæcus, ut illa quidem existimet agere, formam vero prorsus otiari? Accidens vim effectricem ingenitam habere, substantiam eam quæ omnium est præstantissima ab omni agendi & aliquid efficiendi vi & facultate esse destitutam? Equidem tantum virium corporum formis attribuo, ut ab his existimem omnes quoscunque cernimus effectus primum maximeque proficisci. Quod & *Aristotelem* censuisse video. Is enim philosophos insectatus, qui naturalium corporum facultates atque vires ex calore & frigore deducebant, rati ex his & per hæc omnia confici: planum facit demonstratione, eas qualitates instrumenta duntaxat esse causæ cujusdam præstantioris atque superioris, quam & naturæ nomine insignivit. Nam qui has dicet primum & per se agere; perinde faciet ac si serræ aut cuivis instrumento efficiendi causam potestatemque tribuat: & perfectione formaque rei exterminata, veram amittet causam; instrumentis actiones feret acceptas, quæ per se tamen otiosa manerent, nisi formæ vi cierentur.

A forma omnes qualitates.

PH. Si tanta vis inest & facultas agendi in forma, ut illi motus omnis & actio primum feratur accepta, quas paulo ante ad temperamentum & materiam functiones referebas, non ab illis sed à forma primum & per se ortas esse ducemus. Quid causæ est igitur, cur à temperamento & à materia illas prodire decreveris?

Sed quædam nec materia nec temperamenti interventu.

EV. Si

EV. Qui supra sensus nihil investigant, à materia & à temperamento eas nasci asseverant, tametsi prima est in his obeundis forma: hos etiam sequuti à materia & à temperamento illas prodire diximus, quia per hanc tanquam per instrumenta fiant. Quas autem *à forma* esse simpliciter pronuncio, eas ipsa *nullius instrumenti interpositu* per se obit.

PH. Age vero, nonne materia & temperamentum quæ tanquam instrumenta proponis, vires quædam sint efficientis formæ?

EV. Non sane, sed ut (quum aliquid arte fit) faber aut fictor is est qui primum agit & præcipue, & cui vis inest sua & facultas efficiendi, ars nempe ipsa aut robur corporis: artifici vero adjumento est instrumentum, securis vel dolabrum: & in instrumento vis quædam est adscita, non quæ agat, sed per quam melius agatur: ea est securis apta conformatio, vel acuta ad expedite secandum acies. Ita propemodum in naturali rerum effectione, species primum est & præcipuum efficiens, in quo vis quædam efficax inesse intelligitur: temperamentum vero & materia tanquam instrumenta subsidio veniunt efficienti causæ. Horum utrique sua vis inest & facultas, quippe temperamenti & materiæ apta constitutio per quam fit commodior effectio. Itaque in unoquoque naturali corpore tres sunt causæ efficientes, forma, materia, & temperamentum: & uniuscujusque sua quædam vis est, qua validius vel hebetius agat. Ne autem à simili duntaxat tantam rem duxisse videar, demonstrationem subjiciam. Forma ex se efficiendi principium est, nec ut ea consistat principiique naturam habeat, ab instrumento mutuata est, quod posterius tanquam adscititium incidit. Vim igitur & facultatem agendi forma prius acceperat, quam per instrumentum ageret: quemadmodum & faber priusquam securi vel dolabro quicquam effingat, vim artemque habet agendi, neque hanc ab instrumento sumit. Ex quo intelligitur, eam facultatem quæ sua inest cuique formæ nativa, & quæ illius proprietas appellatur, à materiæ temperamentique viribus longe distare.

Quod probatur simili.

PH. Quonam quæso discrimine formæ vires ab his quæ tum materiæ tum temperamento assignantur, re ipsa disjunges?

EV. Nonne potest artifex sola arte (quæ vis est sua) nullius externi instrumenti ope, statuam animo effingere?

PH. Potest, opinor.

EV. Sic utique & rei species quippiam efficit, ad quod neque materia neque temperamentum quicquam confert, quin pariter alias tum à temperamento, tum à materia. Tria illa quum sint in naturali corpore implicita mutuoque nexu colligata, vix potest species effectu suas seorsum vires expromere, quin pariter & materia & temperamentum suas velut succenturiatas edant, neque è contrario. Hincne quæso concludendum putes in unam eandemque omnes confundi, neque illas revera diversas esse? Hujus generis plurima videas sic inter se connexa ut mutua opera indigeant, nullumque possit seorsum consistere: ea tamen qui re ipsa non discernet, omnem conturbabit veri cognitionem. Quoniam autem facile conjector, te horum universalium demonstratione (licet certissima) nihil aut parum commoveri, singula jam persequar, eaque medica, in quibus hanc triplicem virium differentiam plane commonstrabo: ut quum quasi exemplis instructa fuerit universa demonstratio, quæcunque sparsim tota arte medica de his traduntur, facile percipias, & singulorum speciatim observatio vehementius te alliciat, oblectet ac juvet.

BR. Ego tacitus & quasi mutus cum magna spe jam expecto, quorsum hoc tuum vertas institutum, ut omnibus in unum conclusis ac dilucide explicatis, perspiciam qnid novi hæc tua sententia ferat.

EV. Altissima queque ac difficillima instituti nostri theoremata attingimus, quæ velim, optime Brute, acerrima attentissimaque cogitatione excipias: atque dum audies, oro atque obsecro ne quid ulla prævaricatione indulgeas aut condones nobis, quo putes aut artis præcepta labefactari atque convelli, aut ejus authorum existimationem minui: sic enim planior erit cognitio veritatis, quum singula dicendo in controversiam aut disceptationem vocabunrur.

BR. Eja, tu jam ad hanc disputationem

aggredere, ut qui hactenus impellente aut potius urgente Philiatro, justo plus visus es philosophari, nunc quæ medica sunt, non minus diserte pertractes.

CAPUT II.

Vires eas quas forma profert, uti & ipsam formam, plane divinas esse atque dici, ut quarum nulla sit certa manifestaque ratio.

EUDOXUS.

PEripateticæ philosophiæ, quam matutina disputatione sumus complexi, hæc summa erant capita: Primas quatuor simplices rerum naturas in compositorum materiam cedere: Cœlum autem speciem illis atque formam conferre: hoc quintum esse elementum, cujus conversio cursusque per obliquum circulum rebus omnibus causa sit ortus ac interitus. Supra autem hos naturæ limites quum fertur *Aristoteles*, miris argumentorum viribus docet, Deum maximum substantias simplices, separatas & immutabiles, tum extra cœlos tum in cœlis condidisse, à quarum divinitate omnium vita continetur. Istarum viribus cœlum admirabili celeritate circum axem versari, hac motuum constanti & ordinata æquabilitate: quæcunque hic caduca cernimus & mortalia, alternata ortus ac interitus vicissitudine moveri, eamque esse istarum continentem ac proximam causam. Itaque formarum origo proxime cœlo, deinde intelligentiis atque Deo, qui vitæ fons est perennis, fertur accepta, quam *Platonici* in simplices illas procreatrices ideas contulerunt. Jam vero si, quod antemeridiana disputatio confecit, ex Deo & per Deum nobis insunt omnia, si is rerum omnium conditor, omnium principium & finem mediumque tenet: si deorum plena sunt omnia, divinaque virtus atque potestas per omnia commeat, per quam sunt & permanent omnia: si, quum Deus hanc universitatem compleret, rerum ortus perpetuos instituens, per omnes naturas propriis seminibus generatim & per species divisus est, & tum *rebus singulis vitæ spiraculum indidit:* dubitabitne adhuc aliquis, illis quippiam inesse quod vere divinum & sit & appelletur? Temeritas profecto sit, aut furiosa potius dementia, hanc divinitatis præstantiam, quam veterum omnium constanti traditione, Deorum munere rebus inditam accipimus, velle nulla ratione, non dicam minuere, sed ex toto auferre. Sed & plusquam furor sit, fateri, rebus quibusque divinitus quippiam esse datum, neque tamen id divino nomine dignari.

Cum autem in rebus quid sit divinum.

BR. Esto, rebus divinum quippiam insit, quid tamen id qualeque sit, non est unde conjiciam.

EV. Quidni? Quum in naturali corpore nihil sit simplici forma præstantius, nihil prius: cætera vero quæ ad materiam pertinent, illi substrata sint ut caduca & abjecta: consequens est *simplicem rei formam, divinum id esse* quod investigatur: & quicquid illius naturam refert ac exprimit, id quoque divinitatis esse particeps.

Id merito forma putanda est:

BR. Sed quas vires habituram putas simplicem illam rerum speciem, quas non possim elementorum mistioni attribuere?

EV. Si propriæ quædam sunt elementorum & qualitatum vires, *divinitatis certe multo majores erunt:* neque poterit viribus hæc destitui; *quæ omnis generis dignitate & perfectione præstantissima est.* Atque omnes quidem ejus functiones & opera sub sensuum cognitionem recidunt, neque nos possunt latere: sed unde & quomodo prodeant, qualisque sit effectricis illius causæ aut facultatis substantia, æque occultum & ignotum id plerunque est atque ipsa divinitatis essentia. Magnetem ferrum allicere videmus, & rhabarbarum bilem, agaricum pituitam, epithymum atram bilem: insuper struthiocamelum ferrum coquendo atterere, viperæ aut scorpii veneno hominem necari: veratrum & cicutam esse homini pestifera, illo tamen coturnices, hac sturnos vesci. Horum tamen obscuræ sunt causæ, & adeo occultæ, ut percipi à nemine possint, nullaque certa ratione comprehendi. Latent enim obscuritate involutæ naturæ, quæ-

Et quæ ab ea primo emanant qualitates, quoque sunt divinæ.

Hæ sunt occultæ qualitates.

dum

Procemio Problem. dum neque evidenter percipi neque verbis dici possunt, *occultæ* nobis *rerum proprietates* appellantur, uti Græcis ἰδιότητες ἄῤῥητοι. *Nec vero* (inquit Aphrod.) *solum medicæ artis authores rerum statuere proprietates coguntur, sed etiam Philosophi atque Grammatici eodem persæpe veniunt. Tum enim eo venire necesse est, quoties effectæ rei cujuspiam ratio nequeat vel acutissimi hominis ingenio explicari, lucemque recipere, neque quoquo modo primarum elementorum naturis attribui.* *Quas agnoscit Aphrodisæus.* Hæc itaque quoniam vires & naturas elementorum excesserunt, supra naturalem philosophiam (quæ tota in illis versatur) constitui, nec demonstrationum cancellis coarctari, merito jureque dicemus. Præclare *Theophrastus*, eorum quæ sciuntur, & quorum naturalis quædam ratio haberi potest, certos limites hac oratione præscribit, *Siquidem qui de omnibus rationem quæritant, simul cum ratione scientiam tollunt: immo verius erit dicere, eos rationem petere eorum quorum neque est, neque fuit.* *Theophrastus.* Quamobrem (multis in hanc rem propositis exemplis) in natura & in universi substantia, ait terminum quendam constituendum esse eorum, quæ unde & cujus gratia existunt, ratione cognosci potest: in hoc enim dicendo aliquousque progredi possumus, supra naturæ limites non possumus. *Aristoteles* naturalem philosophiam instituens, quæ ex primis rerum naturis atq; ex rebus sensu perceptis demonstrationes adfert, dum forte in abstrusas & inexplicabiles hujusmodi quæstiones incidit, earum solutione certaque definitione se abstinens, inquit, omnes esse supra captum humanæ mentis. *Aristoteles.* Hinc palam est, veteres illos philosophiæ proceres, non omnium quæ fiunt, sed quorundam duntaxat rationes ab elementis petiisse, neque causas eas attigisse, quas generali fusoque nomine occultas rerum proprietates appellant.

BR. Si inter omnes conveniret divinitatem quandam rebus inesse, nihil equidem reclamarem: cæterum quum diligenti observatione videam, summos viros, maximeque *Galenum*, illius nusquam, occultæ autem proprietatis parce & timide mentionem fecisse, cur quæso à tanto viro sine magna necessitate sponte desciscam?

EV. Videbam te non satis animo certo & confirmato posse in iis quæ nuper concesseras consistere. Non equidem te à *Galeni* dogmate conor divellere, quin in eo corroborare potius. Quanquam enim divinitatis nomen is minus aperte celebravit, rem tamen ipsam, quæ varie ac multifariam dici poterat, frequenter attingit. Quod ne posthac dubites, tibi jam demonstrandum suscipio quantum dignitatis ac virium *Galenus* occultis rerum causis destinarit. *Iam ipse Galenus.* Is enim etsi est in ratione multus, & quanquam rerum omnium causas omnes, ne quid ignorare videatur, in prima elementa referre vult, idque ex instituto proponit, persæpe tamen vix suis principiis ac limitibus se continens, *cogitur* clam & quasi furtim *in occultas rerum proprietates illabi*: idque tam frequenter, ut artis nulla parte id devitare possit.

BR. Mira sane polliceris, quæ optarem tam facile ex *Galeni* verbis ostendi, quam breviter dicuntur.

EV. Dicta quidem breviter, sed diffusa tamen res est: à qua si quis expectandus est fructus, paucis certe illa verbis nec comprehendi neque coerceri potest: si patienter & constanter audies, locos eos sigillatim patefaciam, quibus, necessario *Galenus* abditarum proprietatum dignitatem celebravit: illisque tum rationes, tum medicorum philosophorumque sententias addam, quo stabiliora & firmiora sint omnia.

BR. Si quid est ejusmodi, maximum profecto esse fateor, & sine quo ars medendi manca sit & mutila. At non ego pollicitationibus, sed re ipsa moveor, quam vehementer exopto. Hanc aggredere dum voles, me docilem ac benevolum præbebo, nisi quam obscuritatem & quasi tenebras ob sensus offundas, quas illustrari velim.

CAPUT III.

Corporis humani & cujuscunque animantis divinam esse fabricam.

EUDOXUS.

Qui conformationem fœtus divinam putat. AB hominis natura exordium inducens, primam illius in utero conformationẽ qualem & quibus ex causis *Galenus* instituerit, ex variis locis depromam. *Libro de fœtus*

tus conformatione, in quæſtionem id atque dubitationem ſic adducit: *Sicut jam oſtendi, corporis noſtri ſtructuram ſummam architecti ſapientiam & poteſtatem referre: ita velim mihi philoſophos iſtos opificem indicare, deuſne ſit aliquis ſapiens ſimul ac potens, qui primum ſane cogitaverit, quale cujuſque animantis corpus fingere conveniret: deinde potentiam ipſius oſtendere, qua quæ propoſuit, abſolvit: an anima quædam ſit, à divina differans.* Mox autem hujus ſolutionem ſcrutatus ait, *Atqui neceſſarium eſt, vel ex motu quodam ſine ratione & arte fœtuum conformationem ad optimum finem perduci: vel Deos ſimiliter atque eos qui miracula moliuntur (hi quum motus initium dederint, diſcedunt quidem, machinæ vero aliquantum artificioſe moventur) ſtirpium animaliumque ſemina in quandam motuum continuationem idonea præparaſſe, poſtea vero nihil ipſos agere.* Disjunctæ autem & ancipitis hujus ſolutionis utram partem ſit ſequutus, declarant ea quæ mox ſubjungit, *Oratio* (inquit) *de anima ea quæ particulas conformarit, omnino incerta eſt, minimeque demonſtrari poteſt: at certe ea manifeſte indicare mihi videtur artificis qui nos condidit artificium, quod nemo qui libero animo rem perpendet, in temerariam rationiſque expertem fortunam referre poteſt.* Et concludens, *Summam* (mox inquit) *in fœtuum conformatione & ſapientiam & potentiam video: neque poſſum exiſtimare: eam quæ in fœtu eſt, non animam quidem, ſed naturam appellatam, fœtum ipſum conformare: ut quæ non modo ſapiens non ſit, ſed omni prorſus ratione careat.* His profecto ſtatuit *Galenus*, fœtum non à ſemine, non ab ulla rationis experte facultate; ſed à ſapientiſſima vi extrinſecus appellente effingi.

BR. Si locis pugnandum eſt, ego tibi eum opponam, quo inquit: *Naturalem porro animam omnium principem fœtus obtinet, quæ non ex ſanguine, ſed ex ipſo ſemine, arteriam, venam, nervum, os, & membranam procreat.* (Lib. 1. de ſemine.) Quumque pro certo ac raro poſuiſſet, ſtirpes ab anima naturali fingi, ſic demum concludit: *itaque ſi non aliis viribus natura ſeminis plantam efficiat, aliis animal, ea quæ in ſtirpibus vides ad animantia traducito, eandem namque in utriſque rationem reperies.* Libro autem Aphoriſmorum primo cauſam illam efficientem fictricemque aſſeverat calorem eſſe nativum. (Commen. aph. 15.) *Huc quoque animum* (inquit) *adverte, quod aliis quidem omnibus ratio eſt inexplicabilis, ſoli autem Hippocrati atque ejus ſectatoribus explicari poteſt. Neque enim aliud quicquam animal ab initio conformavit, neque rurſus adauxit, aut uſque ad mortem enutrivit, præterquam iſte calor innatus, de quo nunc habetur ſermo: hic enim eſt omnium operum naturalium cauſa.* Ergo cauſam quæ fingit, nos alit, nos auget, nos ad extremum uſque tuetur ac gubernat, alias naturam, alias nativum calorem, plerumque inſitum temperamentum appellavit, unam quidem ſubſtantiam variis deſignans nominibus. Quid tu ad hæc? Negabis ſcilicet ea eſſe *Galeni*, an ſententiam aliqua obſcuritate tectam eſſe dices?

EV. Nolim hic ego locorum varietate pugnare, neque locos omnes inter ſe conciliare, neque indicare ubi *Galenus* ſecum ipſe pugnet, & ſibi adverſetur: ſed quid quum accurate & ex profeſſo animæ formatriciſque facultatis ſubſtantiam inveſtigat, de illa ſtatuat. Libris de ſemine non eſt exquiſita illa & ſubtilis de rerum veritate quæſtio, ſed popularis & craſſiori philoſopho conveniens oratio: ubi autem abſtruſa illa & recondita ſcrutatur, & qualia ſint, non hominum opinione, ſed re ipſa, inquirit, jam non illam naturalem, ut quæ bruta ſit & inſipiens, ſed plane divinam & ſapientiſſimam eſſe confirmat: cujus ſane ſubſtantiam quum ſe prorſus neſcire fateatur, nec ulla demonſtratione comprehendere potuerit: multis tamen eam nominibus illuſtrat. *Hippocratem* vulgaremque veterum morem ſequutus, naturam appellavit, quum inquit, *Nemo tam ſtolidus eſt, qui non intelligat quandam generandi fœtus cauſam eſſe, quam omnes naturam appellamus, quæ ejus ſit ſubſtantia ignorantes.* (Lib. de formatione fœtus.) Quam naturæ appellatione deſignavit, negat tamen ex elementorum concretione naſci.

BR. Ubi?

EV. Quo loco maxime ſolet elementorum temperamentorumqne vires, tanquam rerum omnium cauſas ſummis laudibus efferre. Eos enim exagitans qui ex una quapiam particula de toto corpore pronunciant, ſic ait: *Verum ambo à veritate aberrant. Uno modo eoque communi, quod unius particulæ occaſione, de toto pronunciare ſunt auſi. Altero quod formatricis in natura virtutis, quæ artifex facultas eſt, & particulas ſecundum animi mores* (2. de temperamentis.)

res effingit, *non meminerunt*. *De hac namque Aristoteles dubitavit nunquid divinioris sit originis: atque à calido, frigido, humido & sicco res diversa. Quo mihi minus recte facere videntur, qui tamen temere de rebus maximis pronunciant, & solis qualitatibus formandarum partium causam assignant. Consentaneum enim est, hac* (id est has qualitates) *organa esse: formatorem vero alium.* Hic quum elementorum vires celebret, supra has tamen formatorem nostrum collocat.

A quo non est diversus Aristoteles. Cap. 10.

BR. Quibus vero locis putas *Aristotelem* hanc vim inter divinas retulisse?

EV. Libro Meteorol. quarto, ubi de ea hæc plane verba facit: *Similaria autem alia ratione & via, ab aliaque causa quam quæ dissimilium sunt partium constitui solent. Nam* (quod deinde ait) *ex elementis similaria constant, ex similaribus* B *autem tanquam ex materia, integra naturæ opera confici solent. Rursum, Partes similares calore & frigore & mistis motibus fiunt: at dissimilares, quale est caput, aut manus, aut pes, ex illis constitutæ nemini videbuntur. Sed quemadmodum caloris & frigoris motio causa est ut æs argentumve fiat; ut vero serra aut phiala aut arca fiat, non item, sed ars causa est: sic sane ut dissimilares partes fiant, in causa esse putabitur natura, aut alia quadam causa.* Itaque instrumentorum conformationem non primis elementis horumve temperamento, sed vel naturæ, quam ab iis diversam facit, vel præstantiori digniorique causæ addicit destinatque. Imo vero nec similarium partium propriam essentiam atque formam ab elementorum temperamento ducendam putat.

Cap. 2. ad finem.

BR. Nova pene & incredibilia narras, & quę nisi citato atque indicato loco, nunquam credam.

EV. Libro de ortu animalium secundo: Dura, (inquit) *mollia, viscosa, tenera, & quicunque alii affectus partibus insunt animatis, à calore frigoreve effici possunt. At ratio quæ jam hoc caro, illud est os, dari non potest: sed à motu efficitur, proficiscente ab eo, quod genuit quodque actu, & re ipsa id jam est, quod esse potest id ex quo res gignitur.*

Iterum probatur eam Galeni mentem esse.

PH. Isthæc quidem recte: sed ad *Galenum* reversus, tu extrema persequere quæ inchoasti, ut omnia perfecta videamus.

De usu partium 17.

EV. Quum supra *Galenus* affirmaverit, vim fœtus conformatricem, non eam esse animam vel naturam, quæ in eo ipso fœ- A tu continetur; quæ nam ea sit vis conformans, *libro de usu partium decimo septimo*, altiorem speculationem instituens, planius & apertius dixit, eamque non dissimulanter mentis verbo notavit: *Quis ita demens vel hostis & oppugnator operum naturæ esse possit, qui non statim ex cute ipsa, omnium primum conspiciat artem creatoris? Quis mox non cogitabit, mentem quandam aut intelligentiam admirabili vi præditam per terras vehi, & in omnes extendi partes? Nusquam enim non gigni videntur animantia, quæ omnia admirabilem quandam structuram acceperunt. Omnium mundi partium ea certe est vilissima atque sordidissima quæ circum terram est, & eo tamen pertinere videtur mens à superis illis deducta corporibus.* Hæc, mi Brute, quid aliud quæso quam *Platonis* sententiam B confirmant, qui mundi animum cunctis in rebus vigere tradit? Aut quid magis quam Aristotelicum dogma, quod formam rei cœlitus demitti prodit?

PH. Quænam, obsecro, ea sunt superiora corpora, à quibus deductam mentem huc usque pertinere ait?

EV. Id continuata patefacit oratione. *Hæc superiora corpora qui viderit, confestim dignitatem pulchritudinemque substantiæ eorum admirabitur, maxime quidem Solis; postea vero Lunæ, deinde astrorum. In quibus quanto corporis substantia purior est, tanto decet mentem inhabitare meliorem & præstantiorem ea quæ in terrenis est corporibus. Si enim in luto, in sorde, in limo, in stagnis, in plantis & fructibus, quum putrescunt, animalia quædam gignuntur, eaque mirabilem osten-* C *dunt generantis splendorem; quid oportet existimare in superioribus corporibus? Si eximia est mens & intelligentia quæ in tantam sordem accedit; quantam existimare oportet esse ejus excellentiam in Sole, in Luna, & in plerisque astrorum? Mihi certe hæc cogitanti, per ambientem nos aërem mens quædam non parva porrigi & extendi videtur. Hæc si quis libera solutaque mente circumspiciet & contemplabitur, videns in tanta carnium humorumque colluvie inhabitantem tamen mentem, videns præterea animalis cujusque compositionem & structuram; (omnia enim specimen & dignitatem præ se ferunt sapientis conditoris) illius quæ in cœlis est mentis magnitudinem & excellentiam admirabitur.* His plane *Galenus* universi naturam ipsumque mundi animum designavit, cujus sapientiam, justitiam & providentiam passim ad-

 miratur

miratur & suspicit. Nunc vero ut is supra naturam Deum statuerit primum rerum omnium conditorem, hinc deprehenditur, quod ait, *Deos olim stirpium animaliumque semina in perpetuam motuum continuationem idonea praeparasse, ut nihil postea ipsi agerent.* Hoc enim quid aliud est, quam Deum propriis seminibus generatim & per species esse divisum, cujus virtus per omnia commeet? Quod si est, quicquid matutina disputatio confecit, id omne etiam *Galenus* asseverat, neque aliud *Aristoteles*, aliud *Galenus* principium causamque statuit procreationis formarum. Placet hunc locum plenius tractare, sententias proferre, quibus Galenus conditorem hunc genitoremque rerum, non modo naturam aut mentem, sed summa animi agitatione & contemplatione Deum appellavit. *Nos* (inquit) *ortus principium à creatore acceptum servamus.* Et mox, *Non enim satis erat, velle tales fieri: neque si creator lapidem repente voluerit hominem efficere, id in illius est potestate situm. Hoc autem est, in quo à Mosis opinione tum nostra tum Platonis, & aliorum qui apud Graecos naturae rationes recte pertractaverunt, dissidet. Nam illi satis est, Deum ornare velle materiam: eam enim statim ubi ille voluit ornatam esse: omnia siquidem in eo posita illique parere existimat, etiam si cinerem voluerit equum vel bovem efficere. Nos autem non ita sentimus, sed esse quadam dicimus quae natura fieri non possint: & haec omnino à Deo non attentari, sed ex iis quae fieri possint id duntaxat eligi quod est optimum.* Haec *Galenus*, qui etsi non (ut *Moses*) Deum solo arbitrio, solo verbo, solo nutu quaecunque vult illico perficere censet, eum tamen profitetur rerum omnium conditorem, pro naturae legibus & institutis omnia efficientem: & quaecunque vi naturae orta dicimus, à Deo illa primum ortus sui principium duxisse. Quod ipsum *libro de Hippocratis Platonisque placitis nono*, luculentius his explicat: *Quemadmodum de humanis affectibus facimus judicium, ita etiam de divinis facere convenit, ac corporis nostri opificem admirari, quicunque tandem sit Deorum. Si autem quod illum non videmus, idcirco neque esse dicimus, jam non eodem modo judicamus atque de artibus judicari solet.* deinde, *Ridiculum enim, quam optime constructa navi aut domo aut lecto, ignoto autem opifice, putare, illa nulla arte, sed temere & fortuito facta esse.* Et mox, *Hippocrates, quae substantia sit naturae nos conformantis ac regentis, non est ausus pronunciare, opificem nostri causam, (ut omnibus mos est hominibus) naturam appellans. Verum efficientem nostri causam Plato definivit: fabricatorem enim mundi Deum suis filiis praecepisse, ut ratione genus humanum fingerent, accepta quidem ab ipso immortalis animae substantia, addito autem quod nasci quodque interire potest.* Hanc *Platonis* de conditore rectoreque Deo sententiam minimum à *Mosis* arcanis diversam locis compluribus ut suam *Galenus* tutatur. Divinam is quum sibi persuasisset esse formarum originem, conatus insuper altius investigare divini conditoris substantiam, mira rei obscuritate quasi tenebris offusus, diuturna ancipitique indagatione defessus, ita demum in medio cursu resistens queritur. *Quamobrem maximo dolore affectus, mecum ipse coepi investigare, an aliquam de structura animalium validam rationem possem invenire, ac nullam deinde inveniens, (id quod in hoc libro fateor ingenue) philosophos quibus ad hanc rem plus est vel ingenii vel facultatis, hortor ut in hanc quaestionem sedulo incumbentes, si quid pro sua sapientia invenerint, nobiscum id velint sine invidia communicare.* Et paulo post: *Caeterum quum nullam inveniam opinionem cum scientiae certitudine demonstratam, fateor me de substantia animae dubitare, nec probabile quicquam de ea quod afferam habere: quin & de foetuum fictrice causa nihilo plus certi me habere fateor.* Paulo post: *Tantum igitur hoc de causa animalium formatrice pronunciare me posse confido, quod & ars & sapientia in ea sit maxima.* Quamobrem facto jam periculo, caeteros admonet ne in eandem inquisitionem penitus incumbant: *Haec* (inquit) *creator noster talia fieri voluit. Quae autem facta jam sunt, neque tentes, neque audeas quaerere quemadmodum facta sint. Quae enim facta esse ignorabas, nisi ab anatome edoctus fuisses, qualiter merito audes quaerere qua ratione facta sint? Satis ergo tibi sit novisse, unamquamque particulam pro rerum commoditate & usu constructam fuisse. Si vero praeterea conaberis quo pacto ita facta sit inquirere, palam fiet, te nec tuam imbecillitatem, nec opificis illius sentire potentiam. Quanquam igitur certa demonstratione constat, eum qui nos procreavit opificem divinum esse, quae tamen illius sit substantia, aut quomodo nos effecerit, nulla possumus intelligentia & ratione comprehendere. Illud* (inquit) *nos scire convenit, non esse similem speciem demonstrationis, qua nos juxta providentiam cujusdam Dei aut Deorum compositos esse, & qua opificis nostri aut animi substantiam cognoscamus.*

Lib. 11. de usu partiū.

Lib. de foetus format.

Lib. 15. de usu part.

Lib 9. De plac. Hipp.

B.R. Mul-

BR. Multa mihi nondum animadversa, ex variis abditioribusque locis eruis, quibus possis ruinosam philosophiam erigere ac instaurare.

EV. His locis non proximam cujusque animantis procreatricem causam, sed primam illam & præstantissimam, quæ vere efficiens & conformatrix est, *Galenus* investigat. Proxima quæ dicitur, neque simpliciter materiam, neque formam confert, sed duntaxat præparatione quadam & commodarum rerum procuratione materiam instruit, cujus beneficio idonea fit & conveniens excipiendæ formæ. Hac una habilitate animal unumquodque aliud sui generis procreare perhibemus: materiam vero quo pacto simpliciter efficiat, quæ neque ortus, neque interitus mutationi subjicitur?

BR At saltem speciem summamque perfectionem addet.

EV. Mas qui jam semen in fœminæ uterum emiserit, quum reliquo gestationis tempore longius abscesserit, intercluso utero, quid quæso possit ad fœtus conformationem formæque immissionem conferre?

BR. Si nihil mas, at certe fœmina dum utero gerit, fœtus lineamenta ducit formamque fingit, quod (ut ait *Plinius*, & tu quoque ab illo jampridem recepisti) *imago sub ipso conceptus tempore hausta, in ipso fœtu lacescat:* Si quid fœmina inter concipiendum vehementius & avidius animo comprehenderit, hujus notam fœtum referre, doctum expertumque muliercularum genus testatur. Tanta vi in plerisque pollet ea facultas animi quæ cogitationes fingit, ut una possit justa videri conformationis causa.

Conformationem fœtus divinam esse, Ratione quoque probatur.

EV. Ea certe potest tenello fœtui colorem vel figuram partis immutare, & signa quædam & quasi inusta imprimere. Cæterum totius formæ substantiam, aut universam corporis conformationem, nulla potest animi quantumvis fixa atque intenta in aliquam rem cogitatio præstare. Quæ enim tam acris & tam vehemens est rerum cogitatio, quæ visa tam alte insculpta sunt in animo atque impressa, ut possint sexus speciem mutare? Optarent quidem mulieres, id sibi privilegium ferri, essequein sua potestate situm, ut quoties marem comprehenderent, eundem etiam gignerent. Sed quæ conceperit, si forte procerum quempiam & liberali specie virum, si mancum, si claudum, si canino capite, si caudatum, si erecto naso, aut sine intestinis, acri intentoque animo intuebitur, talemne obsecro oportet illius fœtum evadere? Dum porro fœtus partes singulæ finguntur, easne mulier sigillatim animo & cogitatione lustrat, ac velut pertractat? Aut quum in ovo sensim pullus coagmentatur, gallinane incubans, in partes singulas eo quo finguntur ordine cogitationem defigit? Itane necessarium fuerit, non modo mulieres, sed & omnes tum avium tum reliquorum animantium fœminas, gnaras esse & peritas anatomes, & novisse quo quæque pars ordine fingatur? Nulla anus tam delira est ut hoc existimet. Ergo tametsi ea vis animi quæ fingit, notis quibusdam variare ac velut distinguere fœtus colorem ac formam potest, nequaquam tamen potest eas conformare: neque id in parentibus est positum, ut qualem volent *fœtum edant*, sed *id divinitus accipi* consentaneum est.

Quomodo ergo homo hominem generat?

BR. Quod *homo hominem*, & equus equum, & cæterorum unumquodque sui generis quiddam perpetuo generet, neque unquam in diversam speciem transitus fit: id sane conficere videtur, genitori vim inesse conformatricem. Si enim nulla in eo vis foret, cur homo hominem potius quam equum aut asinum procrearet?

Quia materiam generat aptam.

EV. Eo arbitror, quo *ab homine data materia*, non equo sed homini formando conveniens fit & apparata: ad quam quum efficiens causa extrinsecus appulit, sese ad illius naturam accommodat, omnemque ejus præparationem imitatur ac perficit. Matutina autem disputatio confecit, animam, quod semen ad procreandum jecit, omnem illius præparationem, non autem formam aut vim hujus effectricem adhibere. Si aliis rationibus voles contra hæc agere & pugnare, philosophicam eam disputationem repete, cum qua vires tuas si voles periclitaberis. Medicam nunc suscepi, in qua satis videbor præstitisse, si planum fecero, *Galenum* divinas illas cœlestesque causas in omnem artis partem quodam-

dammodo admisisse; quod est hujus loci ac temporis institutum.

BR. Perge igitur viam tenere quam ingressus es, & ordine quam optimo singula persequere.

CAPUT IV.

Animam nostram non ab elementis ortam, Galeni decreto.

EUDOXUS.

Anima Galeno quoque divina.

PRoximum his videtur, ut quid præstantiæ tum anima tum ejus facultates acceperint, edisseramus. Ac primum qnidem æstimatione dignum est, quid de animæ essentia *Galenus* statuerit. *Libro de placitis Hippocratis & Platonis septimo*, eam ipsam ita investigat: *At si de animæ essentia definitum quid dici oportet, de duobus alterum fateri necesse est, aut velut splendidum quoddam & æthereum corpus ipsam esse, quo vel inviti cum Stoici tum Aristoteles quadam consequentia ducuntur: aut esse ipsam quidem corporis expertem substantiam, primum tamen ipsius vehiculum esse hoc ipsum corpus, cujus interjectu cum cæteris commercium habeat corporibus.* Hæc ille. Qui non multo ante rem totam certius expresserat. *Ex his igitur quæ apparent cogitaverit aliquis, ventriculorum cerebri spiritum, duorum alterum, si quidem corpore caret anima, primum esse ipsum ejus ut sic dicam domicilium: si vero habet illum ipsum spiritum, animam esse. Sed cum ventriculis illis confractis, paulo post rursum sentiat rursumque moveatur animal, dici non potest illam esse spiritum. Satius est igitur, arbitrari, in ipso quidem cerebri corpore animam habitare, quali tandemcunque sit substantia, non enim id jam quæritur, primum vere ipsius instrumentum, ad omnes animantis cum sensus tum voluntarios motus, illum esse spiritum. Proindeque eo dissipato, dum novus denuo collectus sit, non quidem vita, sed sensu tantum ac motu privari animal. Quod si ille fuisset ipsa animæ substantia, eo profecto dissipato, animal statim ipsum simul interiisset.* Deinde ait: *Itaque arteriarum spiritus vitalis & est & appellatur, animalis autem in cerebro consistit, non tanquam animæ substantia, sed quasi organum primarium ipsius in cerebri habitantis, qualiscunque ea sit substantia.* Mox rursum: *Quod autem animalis spiritus neque substantia sit animæ, neque ejus domicilium, sed duntaxat instrumentum primarium, inde didicimus, quod ipso per vulnera evacuato, statim veluti mortuum redditur animal, recollecto autem rivivisscit.* His palam asseverat, animam nostram

A præstantiorem simplicioremque spiritu esse, eamque peculiarem substantiam habere, quæ simplex est & uniusmodi.

BR. At ea substantia corporeane est, an incorporea?

EV. Simplicem hanc & corporis expertem esse, consentaneum & consequens est iis, quæ jam assumpta sunt. Si enim anima præstantior est spiritu, & spiritus corporum præstantissimus est, necessum est eam corpore carere.

BR. Ea fortasse naturalis est calor. Sic enim ait *Galenus libro de tremore & rigore. Ducetur autem hæc ratio de principiis Hippocratis, neque pro corporis nostri elementis ponemus corpuscula* *Locus qui aliud videbatur innuere.*

B *quædam & poros, neque statuemus, calorem è motu aut attritione quadam & collisione suscitari: sed corpus quidem totum confluxisse & conspirabile, calorem vero non ascitum aut aliunde quæsitum, neque genito jam animali ortum, sed insitum & qui ab ipso statim principio extiterit. Nec sane aliud est vel natura vel anima, quam is ipse calor, quem si esse substantiam per se mobilem semperque mobilem intelligas, non errabit.* Hæc ille.

EV. Verum. Sed excutiamus singula. Quum naturalem calorem illam esse dicis, tune qualitatem duntaxat, an etiam caloris substantiam comprehendis?

BR. Substantiam sane: non enim animam qualitatem esse duco. *Explicatur.*

C *EV.* At caloris ea substantia spiritus est. Non is quidem è principibus partibus emanat, sed qui partibus singulis innatus est & insitus. Quocirca eodem revolveris unde jam te subduxeras: ac necessario concedes, animam spiritum esse. Ne invidia verbi labefactetur oratio, una ea substantia quæ nostri adminstirationem gerit, quocunque eam nomine designes, simplex est, incorporea & immortalis, non *Galeno* soli, verumetiam *Hippocrati*, qui tum de hac, tum de altera quæ nos conformavit, à physicis *Vt & Hippocrati.*

illis

Lib. de carnibus.

illis elementis ad subtiliorem rationis calculum revocatus, divinam hanc sententiam protulit: *Communibus equidem sententiis & opinionibus tum eorum qui prius fuerunt, tum meis hactenus usus sum: nam necesse fuit quum de medica arte tractaremus, principium commune plurimorum sententiis & opinionibus proponere. De cœlestibus autem rebus & sublimibus, mihi nihil dicendum videtur: nisi quatenus homines animaliaque catera qua in terris degunt & gignuntur, principium inde & originem habent: quodque anima de cœlo est.* His Hippocrates animæ cœlestem facit originem: illius vero substantiam, quam caloris nomine appellat, immortalem. Inquit enim, *Nunc vero sententiam meam patefaciam: Profecto mihi videtur id quod calidum caloremve dicimus, quiddam non mortale esse.* His plura non addam: arctius enim quam istis sententiis adstringi ratio non potest.

BR. Esto certe illis addictus & quasi satiatus: adde, si videtur, qua ratione simplex & immortalis, hoc caduco corpore coercita omnia gerat.

EV. Id ex alia *Galeni* oratione conjicio, quam hunc in modum vertimus: *Nam & animam nostram, alii corporis expertem esse ventur, alii spiritum esse, alii ne esse quidem illius propriam ullam substantiam, sed proprietatem substantia corporis earumque rerum facultatem habere, quas natura facere potest. In his igitur ego medium quendam ordinem teneo.*

Quomodo anima sit divina Galeno.

BR. Quem hunc quæso medium appellat ordinem?

EV. Quod anima neque sola proprietas sit substantiæ corporis ex elementorum orta qualitatibus, neque simpliciter substantia sit incorporea, quæ per se consistens nullo corporis egeat subsidio. At sic ea medio ordine posita est, ut incorporea quæ sit, corporis tamen commodis inserviat, neque possit citra bonam convenientemque ejus temperiem integras functiones obire. Quandiu enim corporis est constricta vinculis (nihil enim supra hæc *Galenus* investigat) illius ornatu bonaque constitutione indiget. Hæc mea interpretatio illius sententia corroboratur. *Illud certe evidenter apparet, animam ut in corpora commigraverit, ipsam eorum naturis inservire, qua sunt (ut dixi) ex certa elementorum temperatione prognata: neque quod ad artem medicam pertinet, quicquam mihi officere puto, quod ignoro quemadmodum immittantur, aut* A *ab aliis in alia corpora concedant animi*, Græce id ἐμψύχωσις, & μετεμψύχωσις dicitur. *Oportet enim profecto idoneum id esse corpus, quod animam recepturum est, & si sui temperamenti magnam ipsum mutationem subeat, ex eo statim animam ipsam emigrare.* Ex his planam facit animam quam simplicem & corporis expertem dixerat, corporis legibus & natura teneri.

PH. Quid illa quæso designant, anima in corpora commigrat, aut protinus emigrat? Nonne quod animæ propria sit substantia, quæ per se sine corpore consistat? quod si est, illam aperte renunciat immortalem esse & indissolubilem.

EV. Recte tu quidem colligis, quanquam vix audet *Galenus* in id consequens incidere, quod eodem loco se prorsus ignoB rare profitetur: *De anima porro* (inquit) *an immortalis ipsa, cum substantiis corporis confusa, animalia gubernet, certo equidem te scire non profiteor, sicuti neque an ipsius ulla sit per se substantia.*

BR. Undique mihi salebræ sunt. Ego quippe ex assumptionibus illis concludendum potius fuisse existimem, animam nostram mortalem esse, neque posse illam per se solitariamque consistere. Si enim nec epotum venenum, nec malos *corporis affectus* sustinet, sed ab illis emigrare cogitur: *ab illis sane perpetitur aliquid*: jam si patitur, vinci tandem potest & occumbere, quum nempe gravior aliqua causa premet. Item, si quicquam anima à corporeis affectibus patitur, quiddam illi communionis & societatis cum corpore intercedit: quocirca nec C expers est corporis, nec immortalis.

Nec ejus divinitati obest quod cum corpore affici videatur.

EV. Hæc male colligis. Nihil enim quicquam perpetitur anima: veruntamen ea, quorum quasi vinculorum nexu, *societate quadam cum corpore cohaeret*, affici possent: sunt autem innatum calidum & insitus spiritus: quæ quum extremo corporis vitio dissolvuntur, illa libera & expedita necessario de corpore decedit.

BR. Sed aliud jam urget acrius. Si enim *corpus instrumentum est anima*, quo ea ad obeundas functiones indiget; nihil illa quicquam solitaria & à corpore sejuncta possit efficere. Atqui ridiculum est & absurdum, otiosam & inertem animam esse, ut quam efficientem causam esse definivimus: non igitur potest solitaria consistere.

Nec quod corpore ad obeundas functiones indigeat.

Quod ſi à corpore ſejungi nequeat, neq; ipſa per ſe conſiſtat; plane mortalis erit una cum corpore: ſi mortalis; corporis quoque & elementorum particeps eſt, non autem divina. Hæc ſane illius ſubſtantiam & naturam ratiocinatione inveſtiganti, mortalem & corpoream eſſe demonſtrant, qualem & *Galenum* ſtatuiſſe credibile eſt.

EV. Offendis in ipſo ſtatim limine. Non enim anima ſic eſt obligata corpori, ut aſſidua illius ope indigeat: ſed quæ Dei ad naturam ad ipſumque mundum, eadem eſt & humanæ mentis ad corpus ratio. Neutrius enim ſubſtantia corpori cui regendo præeſt obſtringitur, aut ullo modo ſubjecta eſt: ſed præter eas functiones, quas Deus per naturam, mens per corpus exequitur, nullius corporis aut naturæ adminiculo alias quaſdam præſtantiores efficit. Non enim anima ut ratiocinetur ullius indiget opera, quo ut inſtrumento utatur, ſed per ſe ſolaque rationem init ac intelligit.

BR. At læſo tamen cerebro animadvertimus, mentem omnemque actionem impediri: eo autem bene valente, ſanas eſſe & conſtantes animæ vires. Ex quo intelligitur, hanc, quamdiu eſt immerſa concreto corpori, illi quodammodo inſervire, eoque apto egere & idoneo.

EV. Eget ſane, non ut inſtrumento, ſed ut proprio domicilio.

BR. Quomodo?

EV. Ut artifex, qui integra eſt valetudine, ſed domicilio coërcetur, ſi quod opus recte effecturus eſt, non ſolum convenienti aptoque inſtrumento inſtructus ſit, ſed etiam domicilium lumine colluſtretur, nec obſcurum nec tenebricoſum ſit, oportet: ita ſane ſtatuo, animam, dum corporis eſt irretita compagibus, non corporis tanquam inſtrumenti, ſed tanquam domicilii bona conſtitutione ad ratiocinandum & ad intelligendum indigere. Hoc ſi deſit, vel nihil, vel vitioſe aget, vel fortaſſe emigrare cogetur. Ut autem omnis ambigendi occaſio deſit, audi quæſo quid *libro de uteri conceptu* divine pronunciet: *Anima eſt univerſitatis animæ defluxus, è cœlica regione deſcendens, ſcientiæ capax, quæ ſemper ad ſibi ſimilem viam cognatamque ſubſtantiam adſpirans, terreſtribus relictis, omnium ſuprema petit: cœlicæ divinitatis particeps, ſupercœleſtem locum ſabius contemplans, una omnium rerum moderatori aſſiſtit.* Iſthæc dilucide commonſtrant, *Galeni* ſententiam nihilo à *Platonis* & *Ariſtotelis* dogmate deſciviſſe: ſed ſumma illos conſenſione animam noſtram ſimplicem, incorpoream & immortalem ſanxiſſe.

BR. Cave ne *Galenum* iis concordem reddas, à quibus palam voluit diſſidere. Conſtat, enim, illum *libro de animi moribus*, Platonis de animæ immortalitate ſententiam multifariam exagitare, ac modeſtius inſectari: tametſi & hanc, & vim quæ nos conformavit, incorpoream, planeque divinam & ſapientiſſimam eſſe, alicubi confirmat.

CAPUT V.

Quid animæ facultas Galeno.

BRUTUS

HIs tamen miſſis ad animæ facultates oratione deducta, quænam earum ſubſtantia ſit, dilucide commonſtres.

EV. Quoniam omnes hæ mortales ſunt & caducæ, major eſt controverſia, ſintne divinitatis quoque participes.

PH. Priuſquam in hanc diſputationem deſcendatis, lubens ſane audiam quid facultatis nomine veteres complexi ſint: quandoquidem admodum dubiam & incertam eſſe video hac de re ſententiam, quod & *Galenus* ſane exiſtimavit. *Qui vero naturalem contemplationem tractarunt, aliud alii ſibi perſuaſerunt. Hi namque incorporeas quaſdam facultates corporibus ineſſe confirmant: illic contra, corpora ipſa operari pro ſua cujuſque natura, quæ ex quatuor elementorum temperamento conflata ſit.* (Lib. de facul. ſubſt.) Cæterum quid ea de re judicio decernat, non exprimit: ſi quid Eudoxe aliud occurrit quod dubitationem patefaciat & illuſtret, id nobis ob oculos expone.

EV. Rem inveſtigas, mi Philiatre, cognitu in primis neceſſariam, quam in ſuis mo-

monimentis *Galenus* occultam & involutam reliquit.

BR. Hic mihi videmini rem minime dubiam, interrogando dubiam facere. In promptu ſiquidem eſt, *Galeno* nihil aliud facultatem dici, quam efficientem rei cujuſque cauſam, quæcunque tandem ea ſit. Nam *libro de Plenitudine, facultatem appellat cauſam effectricem, nihilque putat referre* δραστικὴν *an* ποιητικὴν *dicas*: unde liquet, facultatem actionis cauſam fore. Et *libro de facultatum ſubſtantia: Verum quoniam quæ ſit operum horum cauſa parum conſtat, facultatem appellavimus effectricem.* En vobis locus extat *libro de cauſis pulſuum primo,* ubi pulſationis quæ in arteriis fit cauſam inveſtigans ſcribit hunc in modum, *Quæ ſit illa cauſa, haud proclive id inventu eſt: alius enim innatum calorem eſſe cenſet, alius naturæ robur, alius temperamenti quandam proprietatem, alius totam corporis conſtructionem, alius ſolum ſpiritum, alius horum quædam, aliis omnia ſimul. Iam vero ſunt qui facultatem introduxerint incorpoream, quæ accommodatis ad movendum iis quæ diximus inſtrumentis utatur, aut omnibus, aut quibuſdam, aut certe uno aliquo. Hanc igitur pulſus cientem cauſam quæcunque ſit, etiam ſi ejus ignoramus ſubſtantiam, quia pulſus tamen efficere poteſt, facultatem ipſam appellavimus quemadmodum & alia opinor omnis facultas ab eo appellari ſolet, quod ipſa facere poteſt. Nam cujus rei ſit facultas, & ipſius etiam facultatis notionem (ut quæ ſit comparationi relationique ſubjecta) ita demum concipimus, quum ad aliud quiddam animum retulimus: ideoque ſic eam appellamus, quum ejus ignoramus ſubſtantiam.* Hic ſane locus facultatis nomine efficientem cauſam intelligit, non eam quidem ſimpliciter, ſed qua ratione in hunc illumve effectum ſe comparat atque refert. Hanc vero comparationem relationemve alia ſententia hunc in modum explicat: *Hoc autem multi ſtatim ſapientes perturbantur, quod depravatam habent de facultate notionem. Nam perinde ac ſi quæ res in ſubſtantiis habitet, ut nos in ædibus, ita mihi de facultatibus videntur exiſtimare, non intelligentes, omnium rerum quæ fiunt, efficientem quandam eſſe cauſam, quæ conſideretur ſecundum comparationem & reſpectum ad aliquid: atque ejus cauſæ, ut certæ cujuſdam rei, propria eſt quædam & per ſe appellatio, ſed pro habitu quem cum ea re quæ ab ipſa fit habet, ejus quæ ſit rei eſt facultas, ut quot ſunt cujuſque rei actiones, tot & illius eſſe facultates dicamus. Ut aloën purgandi facultatem habere, & ſtomachi roborandi, & recentia vulnera glutinandi, & ulceribus planis inducendæ cicatricis, & palpebrarum humores exiccandi, non quod horum quicquam aliud efficiat quam aloë. Hæc enim eſt quæ ea facit omnia, quæ quoniam facere poteſt, totidem facultates habere dicitur, quot res facit. Itaque aloën purgare poſſe dicimus, & ſtomachum roborare, & vulnera glutinare, & ulcera cicatrice inducere, & humentes oculos ſiccare; quaſi nihil interſit, aloën purgare poſſe dicamus, an purgandi facultatem habere. Item & humentes oculos ſiccare poſſe, idem ſignificat atque facultatem habere deſiccandorum oculorum. Ad eundem modum, quum ratiocinatricem animam, cujus eſt in cerebro ſedes, per ſenſus ſentire poſſe dicimus, & ex rebus ſenſu perceptis ipſam per ſe meminiſſe, & tum conſequentiam, tum pugnam rerum videre, & tum diſſolutionem, tum compoſitionem, non aliud ſignificamus, quam ſi comprehenſim dixiſſemus, ratiocinatricem animam multas habere facultates, ſenſum, memoriam, intelligentiam, & de reliquis unamque. Et quoniam non ſentire tantum ipſam poſſe dicimus, ſed & ſpeciatim videre, audire, olfacere, guſtare, tangere, ipſam rurſum facultates habere dicimus videndi, olfaciendi, audiendi, guſtandi.* Iſtis quidem *Galenus* perſpicue decernit, facultatem non propriam eſſe rei ſubſtantiam, ſed efficientis cauſæ comparationem, & ut dicere ſolent, relationem ad hunc illumve effectum. Quam hic paſſim ſe ignorare fatetur facultatum ſubſtantiam, alio tamen loco affirmat, non aliud quam temperamenti proprietatem eſſe, quo nomine naturam paſſim appellat, tum *in Aphoriſmis*, tum in *libro de natura humana.* Libro *de præſagitione ex pulſibus*, de illa hunc in modum ſcribit: *Facultatis ſubſtantia in ſingularum partium poſita commodo temperamento eſt. Nam tum demum ſuum quæque munus obit ſtrenue, ubi ſit temperatiſſima: contra male fungitur, ſi intemperata eſt.* Et libro ſecundo: *Nihil in illis commentariis attulimus de facultatis eſſentia: neque enim prius hoc decretum, quam undique reperiſſem conſtans, pronunciare fui auſus: nunc vero, eſſentiam facultatum, adducti ſumus, nihil eſſe præter qualitatem temperamenti.* Libro autem *de Plenitudine* hanc rem totam lucidius definivit. *Ego vero, aliam eſſe arteriarum facultatem à nervorum & venarum facultate, docui in libris de Hippocratis & Platonis decretis, in iiſdemque illud etiam, arteriarum facultatem è corde velut è fonte quodam manare, nervorum è cerebro, venarum ex*

Facultas videri poſſit Galeno cauſa quavis efficiens.

Aph. 34.

Poſita in commodo partium temperamento.

jecore. In libro autem de Elementis secundum Hippocratis sententiam, ostendi, substantiam, quæ generari quæque interire potest, per se totam immutari, dum quatuor qualitatum vi vel incalescit vel frigescit, vel humescit, vel siccescit, esseque suam cujusque corporis substantiam in istorum quatuor, calidi, inquam, frigidi, humidi, siccique temperatione sitam, ideoque gubernantium quodque corpus facultatum substantiam, illam esse temperationis proprietatem. Hæc sunt quibus de facultatum substantia nihil dicere potuit apertius.

EV. Magnum quiddam tibi persuades attulisse, atque his omnem facultatum substantiam designasse, parum opinor intelligens quid proprietatis appellatione notet. Ea substantia non est, sed qualitas intima efficienti causæ. neque igitur ipsa facultatum essentia, substantia simpliciter est, sed qualitas, quemadmodum & ea quam coloris essentiam veteres usu appellare solent, non substantia, sed simpliciter qualitas est. Quid autem de facultate vere ac sincere Galeno sit visum, relictis ambagibus, hæc una sententia commonstrat: *Non quidem substantias in suas facultates dividi existimamus, sed unamquamque simplicem individuamque substantiam, suis facultatibus omnia efficere. Non simpliciter & absolute substantiam dicimus facultatem habere, sed interim adjici solet, urendi, aut refrigerandi, aut siccandi, aut madefaciendi, interim fingendi, ratiocinandi, aut movendi se ipsam, aut aliud ejusmodi, quæ in participe rationis anima percipimus: hæc anima quum una sit, multas tamen habet facultates quas omnes alio opere enumeravi.* Quæcunque igitur causa res efficiet varias, tot ea nimirum facultates obtinebit quot res faciet, non quod simplex ea in facultates quodammodo distributa sit, sed quod quibusdam rationibus ad ea quæ facit varie se gerat.

Sed revera illi est qualitas.

BR. Id igitur perinde erit ac si quis unus sit & pater & avunculus, & avus, quod ratione respectuque diverso sit.

EV. Hac similitudine non possis rem perfecte exprimere: nam quod facultate præditum dicimus, id certe proprietatem quandam & qualitatem in se obtinet: qui autem vel pater vel avus est effectus, nihil in se magis quam ante habet. Decedente filio licet tum pater non sit, nil tamen is in se mutationis accepit: at rei facultas perire nequit re ipsa non mutata.

PH. Multa quidem hic dicuntur à vobis, quibus obruor potius quam docear, ex quibus sane nondum mihi plane constat, quid facultas. Id tu verbis & justa atque explicata oratione quid sit expone, & sitne quippiam à subjecta re diversum

EV. Volo equidem. *Aristoteli* agendi potestas & nunc ipsa efficientis causæ substantia, nunc aliquid causæ penitus insidens, quod illa tanquam principium quoddam ad agendum adhibet: id sive potestatem, sive facultatem, sive virtutem atque vim appellare velis, minimum refert. Prior horum nominum significatus rarior est, posteriorem crebrius authores usurpant, dum passim ajunt, vim, facultatem ac potestatem agendi rei cuipiam inesse, tanquam ea quippiam sit à subjecta re diversum. Ei igitur insidet, at intime & penitus, vix ut unquam disjungi separarique possit. Quod autem intima esset & ingenita, idcirco insitam rei proprietatem dixerunt: quam *Themistio* definire placet quippiam esse, *quod rei substantia ex se profert, & tanquam de sinu suo promit.* Non id quidem ulla est substantiæ portio, sed intimum quiddam & ingenitum, ab illa dimanans.

PH. Nondum plane assequor, ne cogitatione quidem, quo pacto rei vis atque substantia inter se distent, sintque diversæ: dic si lubet planius.

EV. Vis & facultas imminui augerive potest, nonnunquam vero quasi impedita teneri: substantia nulla ratione vel intendi vel remitti potest. Hoc declarant inveterata medicamenta, quorum vires prorsus infirmæ & quasi enervatæ jacent, forma vero suaque ipsorum substantia integra etiamnum manet. Hos virium facultatumque ordines *Galenus* roboris infirmitatisque gradibus definit. Etenim vis & facultas, ad functionem interim melius, interim deterius est comparata: unde modo præclarius, modo deterius functionem administrant. *Ea (inquit) præstantior ad functionem constitutio facultatis, virtus est & robur: deterior, infirmitas atque vitiositas. Lapis Heraclius allio perunctus imbecillus adeo redditur, vix ut tenuissimum ferri fragmentum alliciat, ejus tamen forma temperamentumque permanet. Hujus vis & facultas foras emittitur ac transilit; quum procul remotum disjunctumque ferrum attrahit: at spe-*

at species atque substantia immota suis se tota limitibus continet. Ex quo intelligitur quantum ab efficiente causa vis illius facultasque distet, utque robur & infirmitas quidam sint facultatis ordines.

PH. Quid igitur? Tune dices, omnes qui de re medica vel disserunt vel quotidie disputant, vitiose loqui, dum ajunt, facultatem attrahentem, quicquid in alimento utile est, allicere, expultricem aliena depellere, concoquentem cibum conficere, uti & quartam continere? Hi profecto unamquamque facultatem quasi efficientem causam proferunt, auditorumque sensibus illas objectant tanquam secretas substantias. Qua in re id etiam sequuti videntur quod *Averrhois* ait, ipsas facultates animas tum esse, tum appellari.

1. Collecta. cap. 7. EV. Quid *Averrhoidi* hac de re statutum sit, nec laboro, nec mea refert. Sed tamen ipsa rerum affinitas atque conjunctio efficit, ut plerique vim & facultatem esse statuant efficientem causam, qui nihil majus aut præstantius investigantes, effectum omnem facultati attribuunt: qaod & *Galeno* frequens esse solet. Quando (inquit) efficientis causæ essentia incognita nobis sit, eam facultatis nomine appellamus. Qui sic usu quodam & consuetudine facultates agere pronunciant, quanquam nec satis apte nec proprie, dilucide tamen planeqne loquuntur: at magnam certe ambiguitatem & erroris occasionem tollunt, lucemque rebus afferunt distinctione. Si Lucas peritus est canendi, pingendi, pulsandæ citharæ, unus is multarum functionum efficiens causa censetur, quippe qui unus omnium vires facultatesque obtineat. Atque quanquam facultas ipsa nihil per se potest efficere, usu tamen dicimus citharœdum pulsare, cantorem canere, pictorem pingere: quum nec cantor nec citharœdus nec pictor substantia sit, neque prima efficiendi causa, sed Lucas. Sic res habet in natura, quæ una principium & omnium functionum causa, omnia quidem efficit, at facultatibus usa diversis. Quod igitur est ars parta artifici, id naturæ est vis & facultas: nisi quod hæc ingenita est, illa usu & exercitatione conquiritur.

BR. Hæc quum ita constitueris, quotnam ex *Galeno* putabis facultatum substantias nobis inesse?

EV. Tot nimirum, quot efficientium causarum propriæ insunt differentiæ. *Galenus Platonis* imitatione atque contemplatione tres animæ partes, substantia sedibusque disclusit: tres itidem designabuntur omnium quæ in nobis sunt facultatum substantiæ. Unius ejusdemque substantię sunt facultates omnes naturales, alterius vitales, quemadmodum & animales sunt sentientis animæ tanquam proprietates.

BR. Equidem tres has partes animæ, omnium quæ in nobis sunt facultatum substantias esse perspicio. Has autem partes si mihi demonstraris uti & animam totam divinas esse, neque ab elementorum natura profectas, gravibus seriisque rebus satisfeceris.

CAPUT VI.

Trium partium animæ divinam esse substantiam, ex Galeni sententia.

EUDOXUS.

Hæ facultates, & animæ partes divinæ. Partium animæ quæ locis sedibusque disclusæ sunt, eam duntaxat quæ rationis est particeps, immortalem ac sempiternam haberi, cæteras autem mortales & caducas, omnes quidem asseveranter pronunciant: quæ qua ratione unam eandemque simplicem animam efficiant, plenius alio explicavimus opere.

BR. His non immoror: sed quid illæ divinitatis habeant expecto.

EV. Principis *animæ quæ ratiocinatur simplicem divinamque esse* substantiam, ne *Galenus* quidem inficiabitur, etsi quandoque id videtur in dubitationem traxisse.

BR. Huic jam nec repugno nec obsisto, sed quid aliis mortalibus inesse potest divinitatis? *Ratiocinatrix manifesto.*

EV. Animal unum quodque divinitus est conformatum, & quæ id vis effinxit; *Galeno* prorsus est divina.

BR. Id agnosco.

EV. Atqui quæcunque fictum jam & con-

conformatum corpus regit anima, eadem est quæ id effinxit, hæc igitur non minus quam illa divinitatis est particeps.

Lib. de fœtus format. *BR.* Id unde, & ex quo authore tibi assumis?

Reliquæ tamen quoque animæ partes mortales. *EV.* Ex *Galeno*, quo loco hunc in modum scribit: *Quid autem in partium functionibus accidit, perspicuitatis quidem gratia, uno aut altero exemplo concludemus.* Deinde propositis exemplis de pueris & infantibus, qui digitum unumquemque porrigunt vel inflectunt, ac linguam varie contorquent & convolvunt in convenientem figuram concinnæ vocis exprimendæ, neque tamen noverunt quibus musculis ad singulas motiones sit opus, subjungit: *Nam animal unumquodque videmus ea se parte cooporis tueri qua præ cæteris plurimum valet: cornu enim petit vitulus etiam ante nata cornua, & equinus pullus calce, nondum satis firmus ungulis, sic & catellus mordere conatur, etiam si adhuc infirmos habet dentes, & avium genus omne volatum molitur, etsi per infirmitatem nondum potest. Hæc enim videntur declarare, animam quæ partibus utitur, ipsarum partium usus nosse, perinde ut si eas ipsa fecisset, non ab alio factis uteretur.* Mox dein ait: *Atque hac quidem ratione in animantium corporibus illa anima quæ partes conformavit, adhuc videtur permanere. Neque enim fieri potest, ut quæ nunc præsens adsit, ex quaque parte convenienter utatur: quæ vero totum construxerit, ea fugerit.* Paucis deinde interpositis addit: *Nam quum puellos videamus sonantes, quicquid jubentur sonare, ut myrrham, ut scalpellum, ut smegma; quum nec intelligant à quibus musculis lingua sic moveatur, ut eam vocem convenienter sonare possit, multoque minus istorum musculorum motores nervos: probabilissimum id videtur, ut quisquis linguam formavit, is vel in formatis à se partibus etiamnum permaneat, vel sic eas partes fecerit, ut animalia sint gnara voluntatis ejus qui nostræ animæ principatum tenet. Quum autem hujus consequens esse videam, aliam esse quæ principatum in nobis teneat animam, alias quæ in singulis sint partibus, aut certe unam omnino quæ communiter omnia dispenset: magna profecto circumvenior perplexitate, ut de opifice qui nos sit fabricatus, nihil quod consistere possit mihi in mentem veniat: tantum abest, ut certam habeam cognitionem. Nam & quum audio philosophos quosdam dicentes, materiam ab æterno animatam, defixis in ideas oculis ipsam se perfecte exornare: tum vel multo magis cogito, unam esse oportere animam, quæ nos tum formarit olim tum singulis nunc utatur partibus.* Sic enim legitur, ὅτι καὶ μᾶλλον ἐννοῶ, μίαν εἶναι δεῖν ψυχὴν, τήν τε διαπλάσασαν ἡμᾶς, καὶ τὴν νῦν χρωμένην ἑκάστῳ τῶν μορίων. In cujus sententię confirmationem supra dixerat: καὶ φαίνεται μετὰ τοῦτον τὸν λόγον ἐν τοῖς τῶν ζώων σώμασιν ἔτι διαμένειν ἡ διαπλάσασα ψυχὴ τὰ μόρια. οὐ γὰρ οἷόν τε χρῆσθαι μὲν ἑκάστῳ προσηκόντως τὴν νῦν οὖσαν, οἴχεσθαι δὲ τὴν κατασκευάσασαν. Eam vero opinionem, quæ animalia quædam ponebat particulas nostras primum conformasse, atque deinceps in illis omni vitæ tempore permanere: quæ quia voluntatem principalis animæ cognoscerent, illius imperium sequebantur: paulo ante his explosērat. *Sed & hoc à diligentioribus medicis quæsitum est, & quum quidam diceret, musculum quemque non secus atque animal, voluntatem nostram sentire, atque attrahere & circumagere linguam, ut figuram sortiatur ad illam vocem concinne exprimendam accommodatam: cæteris omnibus id minime probabile visum est.* Itaque *Galenus* eam solam opinionem probat, quæ in singulis animalium particulis primam vim illam fictricem insidere & permanere, illasque ad suum opus excitare confirmat. Sed hic te obtestor & obsecro, mi Brute, id mihi paulo altius cogita, quod dixit, eum qui corpus nostrum finxit, quicunque is fuerit, (hunc autem cœlestem mentem, nonnunquam & Deum esse profitetur) adhuc in conformatis particulis permanere & his singulis nunc uti, noune id ipsum est quod passim vulgavit *Plato*, Deum & opificem & rectricem nostri causam esse? Quodque *Aristoteles*, Deum vere genitorem esse & conservatorem rerum omnium, quarum ipse principium & finem mediumque tenet? Nonne & quod ait *Theophrastus*, divinum quidem esse omuium principium, cujus beneficio & sint & permaneant universa? Quod etiam, sed planius, *Theodoretus*: *Deus creator naturæ, gubernator est ejusdem, non enim quam ipse fecit naviculam destituit.* Omnium vero apertissime *Galenus*, qui interpretationem subjiciens pleniorem, dixit, eum qui corpus nostrum finxit, adhuc in conformatis particulis permanere, hisque nunc ad proprias functiones uti. Itaq; si aut Deus aut certe divina erat vis illa nostri conformatrix, divina etiam est ea quæ nos regit, & quę functiones moderatur in nobis.

Galeno. Platoni. Aristoteli. Theophrasto. Theodoreto.

BR, Hæc

BR. Hæc de movente vi & facultate quæ in musculis insidet forsan asseruntur, quam tu divinam esse possis contendere: cæterum vim naturalem atque vitalem unde constat eundem tenere dignitatis gradum?

Quare etiam pars naturalis. EV. Quid est quod eas, obsecro, de statu illo deque gradu dejiciat? nonne omnes æque mortales sunt & dissolubiles? nonne & omnes æque corporeæ? Neque vero sentientis animæ quam istarum functiones vel præstantiores sunt, vel admirabiliores. Nam cor, ventriculus, jecur, lien, renes, utraque vesica, vena & arteriæ non minus, immo etiam amplius præ se ferunt administrationis, quam musculi & nervi. Quum enim supra *Galenus* mentem quandam & intelligentiam admirandæ virtutis, in omnes terræ partes ex superioribus deduci commemoraret, & eam unamquamque particulam, quemadmodum utilitas exigit, construxisse, non musculos duntaxat aut nervos, quorum vis motus sensusque ciet, sed reliquas partes omnes, nullo discrimine mihi certe quidem complexus videtur. Itaque si vis & natura quę nos effinxit in musculis atque nervis residet, cur non similiter in cæteris consedit? Et ne forte hæc mea, eoque parum firma, videantur, alium tibi locum profero ex *libro de semine*, ubi de partium instauratione differit, his verbis, *Nam carnosa omnia è sanguine orta sunt, membranosa è semine, ideoque si quando corrupta fuerint illa sanguinea, facile denuo generantur, large enim ad id suppetit materia: sed quæ constant ex semine, aut nunquam prorsus, aut raro certe denuo generantur, etiamsi efficientem sui causam habent, non secus atque integra.* Mox vero rationem subjiciens cur effectrix illa fictrixque causa animantium particulis derelicta permaneat, ita ait, *Neque enim natura animal deseruit, neque insitarum virium ipsa oblita est: quas enim ab alio non accepit, sed ab ipso semine habuit, fieri non potest ut abjecerit.* Naturam dicit effectricem illam causam, quam alibi conformantem intelligentiam appellaverat ab ea minime diversam quæ animantia gubernat. Hoc nude positum

Quod ratione probatur. & infirmum, si voles, ratione firmabo. Partis compositio, situs & figura, ad agendi commoditatem & usum comparantur. Quamobrem natura & facultas quæ agit, & partes ad actiones ciet, eadem necessa- A rio aut illas partes concinne conformavit: aut si qua alia vis eas condidit, illa certe facultati agenti præparabat, ac velut inserviebat. Itaque agens hæc facultas (quæ tanquam finis est optimus) illa formatrice præstantior habetur. Hæc igitur si inter divinas numerantur, multo certe magis agens illa dignior.

BR. Instat sane ac urget hæc ratio, & quo me cunque vertam persequitur. Sed quando aliis atque aliis in animum incurrentibus, novæ exoriuntur dubitationes, hæque rationes controversias non dissolvunt non tantum, sed & novas plerunque nectunt, liceat mihi quæso tecum paulisper veritatis studio contendere rationum tuarum ductu & auspiciis. Si natura vires (ut *Et solvitur objectio.* paulo ante *Galenus* ajebat) à semine accepit, B ipsa semen non est, non enim à se ipsa di- *Lib. de fœtus format.* ceretur vires assumere: sed erit natura & diversum & posterius quiddam semine. Rursum si natura à semine vires suas accipit, ut semen hoc terrenum de parentibus fluxit, ita & quæ ab hoc profectæ sunt vires: quare neque cœlestes erunt, neque divinitatis participes?

EV. Satisfacit hunc in modum Galenus: *Videtur siquidem rursus quæ corpus conformat anima, ut pote in semine contenta, à parentibus in fœtum pervenire. Cujus quidem substantia quænam sit, dicere non possunt: quum à quibusdam audiverim, eam, quum incorporea sit, ut ajunt, simul cum semine ingredi.* Animæ ac naturæ substan- *Lib. de usu part. De semine.* tiam, aliorum existimatione atque judicio, incorpoream esse ait, & in semine conti- C neri. Quanquam enim plerunque, solet se- *De natural. facul. Lib. 2. De semine.* men simpliciter naturam appellare, quandoque alterum ortus nostri principium, nonnunquam opificem fortissimum: tamen ubicunque exquisitiorem dicendi rationem instituit, non id quidem artificem, sed in se artificem habere pronunciat. Ut quum ait: *Si vero ex sanguine converso mutatoque singulas fieri particulas dicamus, in semine artificem, qui hæc facturus est, statuere convenit.* Et alio ejusdem libri loco: *Constat, similitudinem formæ cum utroque parente, ei facultati quæ inest in semine, opifici atque fingenti, acceptam referri.* Quum igitur facultas agens ipsaque natura vere sit in semine, quod supra dicebat, naturam vires à semine accepisse, perinde ac si cum semine dixisset: *Simul enim* (ait libro

bro *de fœtus formatione*) *ea facultas cum ſemine ingreditur, hacque illa tanquam conveniente materia ad formandum fœtum utitur:* Ergo natura incorporea in ſemine concluſa, ab hoc haud ſecus vires accipit, quam artifex ab inſtrumento: nam revera eæ divinitus acceſſerunt.

BR. Durum eſt profecto iis aſſueſcere, quę ne per ſomnium quidem hactenus mihi venerant in mentem.

EV. Uſu aſſiduaque meditatione ea tibi mollienda erunt: quibus quum animum imbueris & inſtitueris, mira te cognitionis ſuavitate & delectatione perfundent. Ac ne nova tantopere exiſtimes, vide ut familiaris tuus *Averrhois* præter eas formas quæ à temperamento emerſerunt, alias inſtituat facultates nobis ineſſe, eaſque animas vocitari. Quod ſi hæ neque elementa ſunt, neque elementorum participes, reſtat ut prorſum divinæ ſint atque cœleſtes.

BR. Ego hanc *Averrhoidis* mentem eſſe perſpicio, planeque rei veritatem aſſequor. Ex quo mirari ſubit, cur quum ſupra citatos *Galeni* locos toties verſarim, nunquam tamen eos evolverim, nec quid latentis veritatis includerent explicarim. Mens puto aut pervagatorum elementorum obſervatione, aut communi vulgarique hominum judicio obruebatur, à quo non promptum eſt citra nominis & gloriæ jacturam diſcedere.

EV. Quam ſis conſecutus veritatem, tene ac promulga: iniquum ſiquidem eſt, in altiſſimis philoſophiæ quæſtionibus aliud dicere.

CAPUT VII.

Humani corporis, ut omnium viventium, ſpiritus eſſe divinos, ingenitumque illis calorem divinum.

PHILIATROS.

SI de humanis ſpiritibus diſſerendum proponitis, optem mihi implicatam hujus nominis rationem expediri.

Spiritus quid ſignificet.

EV. Propria ſpiritus ſignificatio ventus eſt, omnibus in linguis. Atque quum ventus præpotens ſit, mirabiliaque efficiat, & oculorum obtutum effugiat, affinitate quadam & ſimilitudine factum eſt ut ſpiritus nomen ad rem omnem quæ ſub aſpectum non cadit tranſiret, ſive corporea ſit ſive incorporea. Hinc fit ut quæ in nobis ineſt ſubſtantia, auræ tenui perſimilis, ſpiritus appellationem ſubeat. Eſt autem à corpore & humoribus quippiam diverſum, quod *Hippocrates* τὸ ἐνορμῶν ceu incitans nuncupavit, non *à ſubſtantiæ tenuitate, ſed quod ejus ut venti magna vis ſit & incurſio.* Qua igitur ratione iſtos ciet impetus, intelligitur affinitatem habere cum corpore: qua autem videri non poteſt, ad incorpoream ſubſtantiam accedere: ex quo fit, ut amborum medius ſit & utriuſque particeps. Quæcunque ſubſtantia intelligitur corporis expers, noſtroſque ſenſus effugiens, ea ſuas vires nobis caduciſque corporibus provehente ſpiritu impartit.

Quid ſit.

Itaque ut *viventis Dei* & *univerſæ* naturæ ſic & *anima* ſuus eſt ſpiritus.

Is triplex eſt.

Dei ſpiritus, occultam Dei majeſtatem poteſtatemque præferens, per omnia ſparſus permeat, ubique præſens omnia complectitur: hic animos habet in poteſtate, & eos quocunque vult adducere poteſt.

Dei.

Naturæ ſpiritus, is eſt quem omnes philoſophi juxta ac poëtæ celebrant: quem *Plato* mundi animum, *Galenus* mentem huc ex ſuperioribus deductam appellavit: quem *Ariſtoteles de mundo* diſſerens hac definitione planius expreſſit. Spiritus dicitur quædam, tum in plantis atque in animalibus, tum per omnia commeans, animata fœcundaque ſubſtantia. Hic ergo longe lateque diffuſus omnia continet, omnia lætificat, vitalem mundi animam ipſamque naturam ſecum afferens: quæcunque ſubierit, vitalia faciens. De quo Latinæ philoſophiæ princeps *Tullius*, ordinem conſtantiamque rerum ſuſpiciens, ſapientiſſime: *Hæc ita* (inquit) *fieri omnibus inter ſe mundi partibus concinentibus profecto non poſſent, niſi ea uno divino & continuato ſpiritu continerentur:* paucis certe, ſpiritus tum præſtantiam tum divinitatem,

Mundi.

tem, Græcorum philosophorum imitatione complexus.

Rei cujusque. Jam vero peculiaris *rei cujusque* mortalis & concretæ spiritus, illius formæ substernitur, eamque denso concretoque corpori nectit, mediam inter utrunque conditionem sortitus, jungitque disparia, res utrique affinis ac familiaris: atque hic profecto ab altero, qui universitatis atque totius naturæ est, regitur atque continetur. Hic est animi omniumque facultatum vector propriaque sedes, & quem fortasse illarum corpus recte dixeris. *Hic est divinus.* Sic enim olim Platonici corpus quoddam excellentis naturæ perlucidum & æthereum, animæ, facultatibusque substerni prodiderunt, quo illæ cum terreno & denso corpore consociarentur. Hoc in problematis imitatus vere est *Alexander Aphrodisæus*: *In præfat. Aristotels.* quod *Aristoteles* plane indicaverat, spiritum, animæ facultatumque corpus, & illius divinam ac cœlestem esse naturam, quæ respondeat elemento stellarum. Locus est quem libro superiore produxi: *Lib. 2. De generat animalium. cap. 3.* *Sed enim* (inquit) *omnis animæ sive virtus sive potentia, corpus aliud participare videtur, idque magis divinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate obscuritateve animæ inter se differunt, ita & natura ejus corporis differt. Inest enim in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine spumosoque corpore continetur & natura quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.* Ergo densum hoc corpus ex variis partibus coagmentatum, spiritus est propria sedes, in quam nullo intermedio incumbit: & spiritus animæ ejusque facultatum velut basis. Itaque in denso corpore, spiritus in spiritu calor innatus, in his natura & facultas. Utrumque & *spiritum & calorem*, qui in eo est, *divinum censet*: neque enim ignis est. neque ortus ab igni, quoniam (ut mox inquit) *ignis nullum animal generat.* Denique natura quæ in eo est spiritu, nonne præstantiorem magisque divinam quam spiritus conditionem obtinuit? *Natura*, inquit, *quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum.* Potuitne quicquam manifestius proferre? Quanto intervallo cœlestia corpora ab elementis sejuncta cernimus, tanto eam naturam à denso & mortali corpore distare putat: spiritum vero medium inter illa collocari.

BR. Sed hunc quæso mihi scrupulum dilue: Calor is quem nativum appellas, nonne insitus nobis est & interior?

Quomodo ergo possit esse insitus. Qui fiet igitur ut sit cœlestis? Qui enim cœlestis nuncupatur, extrarius est, ambiensque nos circumsidet.

EV. Hoc istud verbum est, quo plurimi circumventi in errorem inducti sunt, qui, quoniam cœlum ipsum extra nos est, putant, quicquid cœleste est, extraneum esse, neque in nobis insidere, quasi nulla vis cœlestis in nos commigrare possit. Et clare tamen interim vident, frugum fructuumque procreationem & incrementum, non nisi cœlesti hoc calore perfici.

BR. Est is quidem necessarius, sed iccirco duntaxat ut interiorem insitumque temperet ac gubernet. Quod quomodo nonnulli interpretentur, paucis aperiam, si permittis. Insitus noster hic calor temperatus est, & ex elementorum permistione natus: ignis quippe is est, sed eatenus contrarii permistione impeditus ut neque fervidus sit neque exurens, neque violentiam illam retineat, quæ est igneæ naturæ propria, sed totus moderatus ac bene temperatus sit, & ut ait *Galenus* frigidi sit particeps, & quasi ex calido frigidoque temperatus. *Lib. De tremore & palpit.* Nec vero hic *Aristoteli* simpliciter cœlestis est appellatus, sed proportione quadam respondens elemento stellarum: quod autem alteri comparatur, eique simile est, nemo idem id ipsum jure probeque censuerit. Verum enimvero hunc nostrum bene temperatum insitumque calorem, functionum opificem, certa ratione moderatur atque gubernat ille cœlestis salutarisque calor, sicque continet & ad functiones promovet, ut illius complexu fotuque destitutus calor noster mox pereat & extinguatur, aut nihil quicquam efficiat.

EV. Olfacio cujus authoritate persuasus triplicem calorem statuas: igneum, temperatum, qui idem nativus sit, & cœlestem. *Falsa expositio. Leonicæni.* Cæterum non satis acute perspexit vir ille, cujus te patrocinio tutum fore confidis, *Aristotelem* dixisse, insitum hunc nobis calorem & in animalibus stirpibusque contentum, nec ignem esse, neque ab igni originem ducere. At quem insitum ille facit, is tametsi non est ignis, ex igne tamen (ut ait)

 tem-

temperatus est, ab eoque ortum habet. Rationem autem, cur noster calor non ab igne trahat originem, hanc reddit *Aristoteles, quod ignis nullam animal generat.* Quod si nec totus ignis nec ejus portio quicquam generat, multo certe minus quicquid ab eo ortu quodam processit. Convenit enim, longe præstantiorem vim effectionemque toti quam parti concedere. Recte igitur, hunc insitum nobis calorem neque ignem esse neque ab igne originem ducere, sed totum plane cœlestem esse, literis memoriæque mandavit. Jam vero donemus ex elementorum permistione quendam ortum in nobis temperatum. Hic sane quisquis erit, similitudine quadam eum duntaxat exprimet, qui lapides & metalla continet, neque aliud in nobis quam similarium partium molem coagmentationemque servabit, ne dissipetur aut defluat. Age obsecro, in ossibus, in nervis, in aliis denique partibus similaribus emortui animantis, nonne is calor inest quem in lapide fateris?

Quæ refellitur.

BR. Inest sane.

EV. Quum adhuc in vivis erat animal, nonne iis ipsis partibus aliquid inerat præstantius illo lapidis vel ossis demortui calore, quod vitæ functiones obiret?

BR. Nihil fortasse supra temperamentum: veruntamen id temperamentum in vivente quoniam inerat præstantius, poterat sane eas vitæ functiones (quæ perfectiores sunt) obire.

EV. Id autem viventis temperamentum qua ratione putas quam demortui præstantius? hoc enim in disceptationem vocatur.

BR. Aliis vix queam verbis exprimere.

Et rationibus probatur, insitum spiritum divinum esse.

EV. Atqui necesse est id apertius clariusque dici. Quod ut efficiam, aliud exemplum disputationis hujus nostræ supponam. Vivens *piper temperamento impense calido alitur*, increscit, omniaque vitæ munera exequitur. Id jam *donemus emori.* Quoniam omnes in illo vitæ functiones perierunt, necesse est opinor una cum functionibus harum efficientem causam periisse: naturalis enim quum sit, otiosa manere haud potest. Itaque piper interitu cum vitæ functionibus nonnihil etiam perdidit, quod erat vitæ causa. Id vero quid esse dicas? non temperamentum; quum emortuum exiccatumque piper non minus immo etiam magis quam vivens calidum sit: nam id sive seorsum consideres, sive ad hominem temperatum referas, & simpliciter & comparate calidum judices. Perdidit igitur interitu quidpiam à temperamento diversum, quod functionum causa fuerat. Id autem quid fuerat? Si omnia ratione animoque lustres & accurate circunspicias, non aliud occurret quam spiritus vitalis, & calor in eo spiritu qui morte sit extinctus. Hunc igitur necesse est à temperamento diversum, & supra temperamenti naturam constitui, qui unus vitæ omniumque functionum sit author.

1. Ratio.

BR. Eo certe vel nolens adducor.

EV. Is autem si supra temperamentum est & ab elementi conditione alienus, nonne optimo jure statuetur cœlestis ac plane divinus? Is est quo omnis omnium tum stirpium tum animantium vita continetur, & cujus unius extinctio mors est. Hunc ab elementari facile discernes ac internosces *in stirpibus & in animantibus frigidis*, ut in lactuca, in mandragora, in salamandra: quæ quum temperamento absolute frigidæ sint, non hoc ipso certe, sed solo vitali spiritu & calore vivunt.

BR. Ea tamen *Galenus* frigida esse pronunciat.

EV. Calidane an frigida sint, hic non disputo: quanquam dici possunt temperamento frigida, at calore vitali (quantuluscunque sit) calida: quemadmodum & vivens omne quod salutaris hujus caloris vim in se continet. Si hæc simpliciter frigida sunt, in eorum temperamento elementum frigidum vincit atque dominatur, præpolletque calido. Quocirca temperamenti vi quicquid efficiunt, à dominante frigido prodit. Atqui alimentum trahunt & concoquunt, inde aluntur & increscunt, hisque similia opera edunt: hæc vero quomodo possint vel à temperamento frigido, vel à diminuto & victo calore, qui in temperamento est, proficisci, ut qui præcellentis frigoris præsentia nihil agat? Necesse est igitur hæc alterius caloris sint opera: ad quem plane referuntur ac pertinent. Is autem est vitalis ac divinus, quem nisi *Galenus* ab elementari diversum statuat, vix ab iis quas proponit philosophorum tricis sese explicabit. Quod igitur calor hic in viventibus

tibus opera edit temperamento non convenientia, & quod morte interdum extinguitur, permanente temperamento, palam fit, illum in viventibus divinum ac cœlestem esse, ab elementariq; diversum. His rationibus adductus *Aristoteles*, aperte pronunciavit, calorem hunc viventis corporis divinum & supra elementi naturam esse. Quin & illum puto alias tam præclaras rationes in id secum quæsivisse, totque in animo habuisse quibus id sibi persuaserit, ut si nullam adferret, ipsa tamen illius authoritas me frangeret. Plurimi autem vestri similes contra nituntur, quibus non aliud quicquam est, cur incredibile sit, hunc calorem divinum esse, nisi quod nequeunt ipsam divini naturam intelligere & cogitatione comprehendere.

BR. Id jam conspicuum certumque videtur. Cæterum hoc mihi loco cum multis dubitare licet, hicne calor in nobis divinus substantia sit, an accidens.

EV. Quod multorum mentes occupat, possum hac perbrevi sententia explicare. In materia quæ & temperamento & omni instructione sit apparata, spiritus inest, plurimum quidem æthereus, sed tamen ex aliorum elementorum permistione consistens. *Calor* qui in eo est spiritu, qualitas est, quæ nusquam seorsum subsistit: est igitur & verum *accidens*, sed *plane divinum* ac cœleste, sicuti & lumen calorve solis, & unaquælibet vis alia cœlitus in corpus jam apparatum demissa. Natura autem ea seu forma, quæ interventu spiritus & caloris in materia consistit, purissima est substantia, eaque tota cœlestis ac divina, elementorum haudquaquam particeps. Quocirca (ut jam ad pensum redeam) præter igneum calorem qui partibus inest similaribus, necessum est in nobis, & in cunctis viventibus, præstantiorem quendam insidere, qui salutaris ac vere divinus functionum opifex sit aut administer. Hoc tuus *Averrhois* dilucide videtur comprobare *primo collectaneorum*, statuens, partium similarium propriam formam esse temperamenti rationem, quæ ex quatuor elementorum moderata mensura ac permistione procedit. Præter hunc vero in cunctis viventibus calorem innatum quendam inesse, ab eo diversum quem à temperamento partes adipiscuntur. Hunc ipsum calorem partibus dissimilaribus & instrumentis pro forma datum: quanquam non inficiatur facultates & animæ partes has insuper conferri.

Calorem hujus spiritus quoque esse divinum.

A

BR. Tu commemorata hominis sententia animum mihi præteritarum deliciarum recordatione recreasti: tanta enim & tam admirabili suavitate ea olim sensus mentemque delinivit, nihil ut existimarim aut subtilius aut præstantius dici posse. Istorum ego dulci recordatione sentio defensionem meam periclitari, meque ad defensionem segniorem reddi: ac prorsus in tuam sententiam adducerer, ni me revocaret neoterici illius ratio, quæ calorem hunc iccirco divinum aut cœlestem dici non posse contendit, quod in plerisque excrementis contineatur, sordidis certe quidem illis, & quæ jam à naturæ bonitate defecerunt.

B

EV. Portentosa deliria! parum quidem is animadverterat, quid de excrementis subjungat *Aristoteles: At vero Solis calor* (inquit) *& animalium, non modo in semine continetur, verumetiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à natura, tamen id quoque principium habet vitale.* Et quid quæso hic esse possit, quod ad cœlestia comparatum, sordidum non deprehendatur & abjectum? & tamen hic etiam viget & quasi habitat cœlestis ille calor. Ut in nostrum hoc vile ac lutulentum corpus, divina mens immergitur: sic tum in semine tum in animalium excrementis, hic insidet calor divinus & vitale principium: hoc plane indicant quæcunque ex illis gigni cernimus animantia.

Esse tamen quoque in Excrementis posse.

PH. At istorum ortus plerumque ex his est materiis quæ sponte sua putrescunt. Tune etiam in hisce putridis cœleste quippiam inesse putes?

C

EV. Quæcunque putruerunt corporis nostri supervacanea, quanquam recesserunt à natura ejus à quo dimanarunt, adeo ut illi interdum sint adversa & inimica, naturalia tamen & accommodata sunt aliis, quæ inde gigni prodireque solent. Quamobrem in illis calorem inesse dicimus & principium vitale, aptum quibusdam gignendis imperfectis animantibus, inutile autem & incommodum iis de quibus illa pulsa sunt.

PH. Cœlestis ergo caloris complures fient ordines, neque qui uni est naturalis

 (quan-

(quanquam cœleſtis ac vitalis) continuo omnibus peræque naturalis erit & amicus.

EV. Neceſſe id quidem. ut enim formarum quæ omnes cœleſtes ſunt ac divinæ, alia alii materiæ convenit aut adverſatur: ita calor cœleſtis, alius alii animanti proprius eſt & familiaris, alius alii alienus & incommodus.

BR. Sunt hæc quidem in primis conſentanea, imo matutina diſputatione *Themiſtius* iis duntaxat quæ ex putrida eluvie provenerunt, exiſtimabat communem illam mundi animam conferri, iiſque ſolis principium vitale accedere ex ſuperioribus: quod nihilominus docuiſti quodam diſcrimine, & pro rata cujuſque conditione, impertiri.

EV. Hæc velim ob oculos proponas & ſæpius mente colluſtres, expenſiſque ſingulis decernas, quantum Galenicum hoc dogma ab Ariſtotelico diſtet.

Nec Galenum hic contrarium eſſe.

BR. Germanum quidem prorſus eſt, nulla diſſimilitudine ſejunctum. Quandoquidem *Galenus* in uniuſcujuſque partis ſolida ſubſtantia, humidum primigenium & inſitum ſpiritum collocat: in his vero calorem ipſamque partis naturam, quorum nihil ex puris elementis originem habet.

EV. Audent nihilominus inſuper plurimi acriter obſiſtere, qui nec ſpiritum eum, nec calorem ajunt à *Galeno* divinum appellari quemadmodum neque naturam divinam. Vim eam quę nos conformavit *Galeno* divinam dici fatentur, neque tamen eandem, quum nos regit ac moderatur, eo nomine ęxprimi deſignarique volunt: itaque dum illorum omnis de nomine contentio eſt, ſi rei nomen ſupprimatur, continuo putant rem ipſam de medio tolli. At dum A res maneāt, verba illi fingant arbitratu ſuo.

PH. Dic quæſo breviter quid divini appellatione intelligi velis.

EV. Quicquid ſupra dixerat *Ariſtoteles proportione reſpondere elemento ſtellarum.*

PH. Quid hoc ſibi vult, elementorum?

EV. Ut quatuor ſimplices naturas elementa vocamus, quod in rerum omnium concretionem confluunt, illiſque cedunt in materiam: ita cœlum ac ſtellas, quod ſuas etiam illis vires adhibeant ac impertiant, elementa jure appellemus. Si in pri-B mam animantis procreationem, quæ ex ſemine ex maternoque ſanguine fit, mentem cogitationemque figes, animadvertes, ſanguinem ex quatuor elementis quæ in cibis inerant conſtitui, ex eiſque materiam ſeminis, quam purior utiliorque ſanguis contulit. At naturam, ſpiritum & calorem, quos ſemen in ſe comprehenſos continet, quūm aliunde prodiiſſe memineris: intelliges, ſupra elementorum vires & ordinem eſſe, neque poſſe illorum præſtantiam vel ad caduca hæc & ſordida elementa, vel ad temperamenti proprietatem pertinere: par-C tium humani corporis ſubjectam materiam ab elementis & à temperamentis; at facultates, ſpiritus, inſitum calorem, & figuram, ab eo ſeminis ſpiritu, in quo tum calor, tum natura, viſque divina inſidebat, proficiſci.

PH. Corporis noſtri gubernatrices facultates & vim eam quæ nos conformavit, quemadmodum & animam, non ex elementis, ſed divinioris cujuſdam eſſe originis, copioſe ac ſolide videris explicaſſe. Operibus vero & functionibus, de quibus ne verbum quidem unum feciſti, tune etiam latens & ſecretum aliquid adſcribes?

CAPUT VIII.

Plurimas functiones & opera in nobis, occultis ex cauſis eſſe.

EUDOXUS.

QUid me præterea quæſtionibus fatigas, Philiatre, & ad ſententiam de operibus ferendam hortaris? Si jam planum feci, animam & facultates in nobis ineſſe divinas, eaſque non otiari, non ceſſare, ſed continentes actiones ciere, & in opere eſſe ſemper: ſpiritum quoque illarum A vectorem, itemque calorem, eſſe divinitatis participem: nonne quæ illarum ſunt *opera, jure debent divina appellari?* Vix tu ſane poſſis numerando percenſere functionum genera quæ ſupra elementorum vires ſunt, & quæ nequaquam ad illorum temperaturam pertinent.

Functiones quoque eſſe divinas.

PH. Au-

PH. Ausimne eas functiones divinas A nuncupare, quæ cernuntur & ob oculos mihi obversantur?

EV. Quidni? Nonne admiranda Dei opera in conspectu & in oculis sunt omniū?

PH. Quam igitur divinam functionem censebis?

EV. Ut quæ trans naturam sunt & supra captum humanæ mentis, quia nos in sui admirationem trahunt, admirabilia solemus appellare: ita functiones admirabiles jure divinas appellem, quarum causa & ratio abdita, delitescens & occulta, neque demonstrari, neque certo explicari potest. Hujusmodi autem est, quæcunque non à primis simplicibusque rerum naturis ortum habuit: sed illarum ordinem præter- B gressa, vix ulla potest mentis acie comprehendi.

PH. Hanc si divinam esse cognoscis, non incerta est & abdita.

Procemio problem. *EV.* Certum quidem est & comprehensum, hanc causam supra elementorum ordinem esse: at nihilominus occulta est & inexplicabilis illius substantia, quæ (ut ait *Alexander*) *modum humani ingenii prorsus excedit, Deo duntaxat cognita immortali, qui rerum omnium parens atque author est. Operis quidem solertissimi cujusdam rationem artifex qui extruxit integre tenet: cæteri vero qui artis sint illius ignari, rationem nullam reddere queunt, sed tantummodo rem inspectant & demirantur. Unde* (paulo post inquit) *apud medicos abdita illæ delitescentesque causæ earum rerum putantur; quarum nulla ratio reddi poterit. Ea fuit Galeno* abditarum rerum definitio, eadem & *Aristoteli*, qui supra captum C humanæ mentis illas collocavit. (1. De natur. facult.)

PH. Dilucida hæc quidem explicatio: quod autem sequitur, edissere, quæ functiones occultis ex causis & quæ ex manifestis procedant.

EV. Hoc sane protinus adorior, ab iis auspicatus quæ naturales functiones appellantur. Earum genera, sunt procreatio, nutritio & accretio. *Procreationem* supra demonstravimus occultis ex causis esse, non eam qua prima rei substantia generatur, immutationem primam appellant, primordiorum vi & permistione factam: sed eam quæ cujusque rei rationem continet, qua jam caro, aut os, aut nervus existit, & quæ instrumentorum conformationem figuramque perficit. (Procreationem.)

PH. De hac prorsum nihil addubitem.

EV. Jam vero nutritionem & accretionem ut intelligas eadem esse præstantia, ad eas animum mentemque adhibe, quæ istarum administræ vocantur, sunt autem attractio, retentio, concoctio & depulsio. *Alimenti confectionem*, tum eam quæ in ventriculo, tum alteram quæ in jocinere ac venis, tum tertiam quæ in singulis particulis perficitur, (omnes siquidem una eademque ratione consistunt) unde & qua ratione fieri putas? (Concoctionem.)

PH. Nonne à mediocri calore qui ex justa primordiorum confusione suscitatur? Sic enim *Averhois* ex *Aristotelis, Alexandri, Galenique* sententia putat, elementa, quum perfecte mista commutataque fuerint, & quasi coctione purgata purioraque facta, tum nobiliores & altioris cujusdam ordinis functiones edere, quales nequeunt pura illa atque syncera. Hæ sunt quas plerique inter admirabiles collocarunt, ut theriaces vis & effectio ex tam multorum medicamentorum compositione surgens.

EV. Hæc quidem similitudo multorum admiratione celebratur. quæ ubi semel in vulgus prodiit, omnium fere vinctos tenuit animos, atque eorum imbecillitatem occupavit qui omnia elementis attribuunt. Sed si (quod supra docui) ex horum permistione vis nulla enasci potest, quæ non ad unum quodpiam elementorum maxime pertineat: necessum est, id quod in permistione vicerit, vires suas præ cæteris ostentare. Qui fiet igitur ut unius cujuspiam animantis calor possit quæ duriora sunt atterere & comminuere, molliora & tenera non possit? ut struthionis calor ferrum, columbæ venter lapillos exterat, leonis vero calor, qui tum vehementior tum acrior est, non possit? Rei igitur naturalis si qua est affectio quæ nullius simplicium naturam & vim redolet, ea jure nequit ad permistionis vim pertinere. Hujusmodi est, tum ventriculi tum cæterarum partium concoctio quæ non tam elementorū calori, quam efficiētis patientisq; familiaritati & similitudini assignanda est.

PH. Hoc etiam affirmant, quicunq; calorem hunc ab elementis esse contendunt.

EV. Jam igitur nihil erit quod nostrę sententię aut conclusioni adversetur. Quandoqui-

quidem unicuique animantium generi si proprium designatumque est alimentum, quod illi substantiæ affinitate familiare sit & jucundum, fiet illius concoctio non ab elementorum qualitatibus, sed ab ea substantia cum qua familiaritas est atque similitudo.

Procemio Proble. Procemio de Simplicibus & tertio

PH. Hoc ipsum censuerunt tum alii complures, tum imprimis *Alexander Aphrod.* & *Galenus*.

Non vero humoris depravatione.

EV. Quanquam omnis concoctio maxime fit à cœlesti calore, juvatur tamen bono temperamento & mediocri elementorum calore: qui si non substantia, temperie tamen & mediocritate, ad cœlestem proxime accedit. Si qua integra & laudabilis est in nobis concoctio, ea divini caloris est effectio: *depravata autem & vitiosa omnino ab elementis est.* Temperies divini caloris vim & effectionem corroborat, qualitatis exuperantia depravat atque pervertit. Bilis non ab illo quantumvis aucto, sed ab elementorum solo calore profertur, quum mediocritatis legem velut per vim oppressit. Ergo id verissimum reputo quod à quibusdam dictum accepi, cœlestem illum calorem, quantuscunque sit, salutarem esse & vitæ conservatorem: eum vero qui ab elementorum permistione natus sit, quoties supra modum increverit, pestiferum & perniciosum esse.

PH. Valde placet hæc interpretatio: quę meo certe quidem judicio difficilium & obscurarum quæstionum claram habet & facilem explicationem. Reliquarum effectionum estne quæso par ratio?

Diuinas quoque esse.

EV. Est sane. Nulla siquidem elementorum temperatura causa esse potest cur ventriculus cibum arctissime comprehendat, eumque contineat quoad sit plene concoctus, huncque depellat mox ut concoctus subactusque fuerit. Equidem video, vetustissimæ opinionis approbatione, omnibus in ore versari, omniumque opinione tritum, siccitatem *retentioni* adjumento esse. Sed hac unica causa ventriculum vel aliam quandam particulam, utile alimentum avidius amplecti & tenere, noxium & supervacaneum rejicere & aspernari, aut uterum novem integris mensibus fœtum suo complexu tenere, neque hunc sinere prius elabi quam ad absolutioně pervenerit, non nisi futili commentitiaq; opinione dici potest. Nam has functiones efficit vis quædam elementis præstantior atque divinior, quæ partibus singulis à prima origine est insita.

retentionem,

Attractionem & expulsionem,

Jam vero quid est quod *attractionem* solius caloris, *depulsionem* autem frigoris aut humoris vi fieri comminiscuntur? Calidum omne allicere & ad se quasi rapere, frigidum contra expellere atque propulsare, compertum quidem habemus, sed tamen promiscue & citra delectum. Cæterum quum quippiam non quidvis sed familiare solum prolectat, non id solo calore, sed alia præstantiore facultate efficit. Si enim in partibus corporis nulla alia quam communis illa caloris ratio inest, qui fit unaquæque ex confusa & multiformi massâ sanguinea, id solum quod sibi accommodatum est & amicum proliciat: os crassiorem substantiam, caro tenuiorem sibique finitimam, & cætera pro suæ quæque naturæ modo? Unusne elementi calor utile internoscet, ut id demum attrahat, frigus vero noxium sentiet depellendum? Id ipsum si est, eædem etiam vires cæteris inanimis insidebunt, ut quæ eisdem vigent qualitatibus. Recte *Galenus* affirmat, non modo nutritionem & concoctionem, sed & attractionem fieri substantiæ similitudine, & unamquamque particulam eadem vi qua lapis Heraclius ferrum, quod sibi familiare est, attrahere.

PH. Plura non opto, quibus istorum fidem facias. Si enim ab elementorum qualitatibus attractio depulsioque nascerentur, harum perquam evidens esset demonstratio, neque de illis veteres inter se tanta contentione decertassent, neque *Galeno* alia atque *Erasistrato* vel *Asclepiadi* sententia fuisset, quum easdem omnes statuerint elementorum vires. Perge reliquas functiones similiter excutere, ad vitales accedens. Lib. De facul. 2.

BR. Galeno placet præcipuum cordis *opus* esse, tum ipsius tum arteriarum pulsationem, idque *vitale* appellat, quoniam refrigeratione innatum calorem, qui vitam tuetur, tamperat. Pulsationem à calido fieri ait, quod frigidi particeps est. Verba ejus hæc sunt: *Nam calor insitus ceu semper mobilis, neque intro, neque extra solum fertur, sed alterum ipsius motum alter semper excitat. Verum* (paulo post) Lib. de causis pulsuum.

post) *ad superiora exterioraque motionem & quasi explicationem, quod natura calidius sit, experitur: intro autem deorsumque fertur, hoc est, ad proprium principium viam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps est: quippe ex calido & frigido temperatus.* His aperte omnem vitalem functionem elementorum qualitatibus assignat.

EV. Ut tibi, sic & aliis fortasse multis, ita videtur. Sed id animo tamen penitus intuere, num possit sola calidi frigidique temperies jugem hunc & irrequietum diastoles systolesque motum efficere atque moderari? *Pulsationem* equidem magna ex parte gratia refrigerationis esse, non dubitem: quoties caloris intemperies modum excesserit, ex refrigerandi necessitate crebriorem celerioremque pulsationem reddi, contra vero rariorem ac tardiorem quum frigus dominabitur. At calorem atque frigus perpetuæ motionis efficientem causam ponere, id omni ratione caret, reque & eventis refellitur. Cur enim non reliquis partibus similiter atque arteriis hæc indita esset pulsatio, quum sint omnes æque ex calido frigidoque temperatæ? Quanquam igitur populari ac crassa philosophandi ratione pulsationis causam illic videtur attigisse, aliam tamen pro dignitate gravitateque rei præstantiorem, alio loco acutius vidit, ubi eam causam nunc facultatem, nunc vim pulsantem appellat. In ipso cordis corpore vis illa est unde id contrahitur ac dilatatur: quæ in omnes arterias per tunicas earum influens, sic eas cogit aperitque quemadmodum ipsum cor. Quoniam ergo insitus & vitalis calor per arteriarum capacitatem una cum spiritu in omne corpus effunditur: causa autem quæ pulsationem efficit, per arteriarum substantiam celerrime defluit, perspicuum vel ex *Galeni* sententia fiet, hanc ab insito calore & à vitali facultate diversam haberi.

Pulsum,

Lib. de usu pulsuum.

Animales functiones.

PH. Conclusa jam mihi videtur hæc omnis oratio: ex qua etiam probatum video, *functiones* quas dicimus *animales*, ut quæ altioris ordinis, plane divinas esse, ac modo quodam inenodabili perfici.

EV. Consequens est omnino: animalis quippe functionis gratia, corporis partes dissimilares & organice concinnã aptamq; figurã acceperunt. Atqui figuram ipsamq; conformationem non posse elementis acceptam referri, sed plane divinam haberi, *Galeni* est sententia: Necessum est igitur, animalem omnem functionem non eb elementorum temperatura, sed ab instrumenti ratione modo quodam inexplicabili maxime primumque perfici. Hæc instrumenti ratio & vis, ea ipsa est quæ illud initio confinxit: ita enim *Galenus* prodidit, vim illam fingentem, quæ divina est, conformatis instrumentis perpetuo assidere, eamque singulos musculos ut novit ad unumquemque motum necessarios impellere, quod instrumentis ea vis sola uti possit quæ illa conformavit. *Quin etiam quod vitiata quovis modo figura, aut instrumenti proprietate, etiamsi vitiata non sit illius temperatura, necesse est instrumenti animalem functionem lædi, (plerunque enim manus vehementer incalescens vel contabescens, integre movetur atque apprehendit) planum facit, non elementorum temperaturam, sed instrumenti rationem, causam esse præcipuam quæ motum sensumque perficiat.*

Lib. de fœtus formatione.

PH. Contradici video à nonnullis Nam si quod instrumentum, salva figura, magnitudine, numero atque situ, ingens ex intemperie vitium quale est in paralysi contraxerit, id non solum deterius, sed & nihil penitus aget, etiamsi nullus instrumenti, sed solius temperamenti morbus inest. Quæ ratio viros spectatæ probatæque eruditionis eo adduxit, ut commodam elementorum temperaturam statuerent primam causam & præcipuam, è qua tanquam è radice nasceretur animalis functio: instrumenti vero rationem, causam secundariam & adjuvantem, per quam functio melius obiretur. Ipseque adeo totus in hanc sententiam concedo, nisi me forte alio retrahis.

Conciliator differentia 6. 3.

EV. Hoc si voles paucis perspicueque perfici, debes ad singula quæ propositurus sum, respondere.

PH. Fiet pro virili.

EV. Similares partes quæ omnium primæ coagmentantur, ex elementorum permistione constant, perficiunturque harum temperamento. Ex similaribus autem constant organicæ: quare necessum est, has etiam ex elementis constitui, ipsorumque convenienti temperamento indigere.

PH. Hoc ipsum est quod dicebam.

EV. At

EV. At præter eam similarium compositionem, instrumento insuper ex conformatione, situ, numero & magnitudine, sua ratio accessit, longe quidem à temperamento diversa.

PH. Est hoc sane manifestum.

EV. Temperamentum igitur omnibus est partibus commune, sed similaribus primum & per se: organicis vero cum figura. Quocirca tum nutritio tum naturalis quæque functio, omni ex æquo parti organicæ atque similari necessaria videtur. Animalis autem functio, sive ad motum sive ad sensum comparata, solius est instrumenti, nulli parti similari quãtumvis perfectę concessa. Hæc igitur à sola instrumenti ratione, non autem à temperamento profecta est. B Quid dici potest obtusius, quid perversius, quid intolerabilius, quid inscitius, quam temperaturam causam motionis haberi, quæ nihil sola, ne ejus principium quidem efficere possit? Si pars similaris gratia organicæ est, erit illius temperamentum propter instrumenti rationem. Atqui finis perfectior est iis quæ in finem contendunt: quare ipsa instrumenti ratio perfectior est temperamento: quanquam hoc magis videtur ad vitæ necessitatem & usum convenire: ipsaque instrumenti ratio imperatoris, temperamentum vero gregarii & auxiliarii militis personam geret. Si extincto instrumenti nativo calore, partibusque vehementer refrigeratis in paralysi motus sensusque perit, id non idcirco fit, quod bona temperies causa motus esset C principalis, sed quod esset præparatio quędam adjuvans & facultati moventi necessaria; qua certe sublata omnis illius actio intercidit.

PH. In paralysi de qua jamdiu differo, salva est & integra instrumenti ratio, quam actionum causam statuis: cur igitur ea motum non efficiat?

EV. Quod plerunque functionem præpediri cernamus, nequaquam læsa principali causa, sed duntaxat sublatis læsisve adminiculis, quibus in agendo nitebatur: quanquam in paralysi vitium quoddam est instrumenti; obstructus quippe nervus est, quo animalis spiritus illabitur. Sed jam id velim alio tibi argumento firmari, animalem functionem ab instrumenti ratione A perfici. Animal nonne quavis stirpe nobilius est & præstantius?

PH. Est opinor.

EV. Hanc unde conjecturam facis?

PH. Quoniam corpus video & majori figurarum varietate, & numeroso magis instrumentorum apparatu instructum.

EV. Quoniam igitur unicuique corpori indita est anima, quæ ad illius functiones & usus accommodatur, si animanti præstabilius absolutiusque quam stirpi datum fateris, necessum est, tum illius functiones, tum animam harum effectricem, præstantiorem diviniorem que putes.

PH. Id omnes philosophi profitentur.

EV. Si primæ illæ causæ tam longe distant, diffidebunt sane & præmunitiones, & instrumenta quibus agunt, fientque alia naturalis, alia sentientis animæ, hæcque illis multo præstantiora, nempe animalis spiritus & instrumenti ratio, non ab elementis sed divinitus accepta. Jam vero quid de principibus animæ functionibus, apprehensione, ratiocinatione, & memoria dicam? Ut enim eæ longe cæteris antecellunt, sic & causas habent iis multo præstantiores, quæ recte nequeunt ad elementorum permistionem referri.

PH. Audistin, Brute, hanc omnem de functionibus interpretationem?

BR. Audivi, planeque totam memoriter complector.

PH. Quid illa veritatis tibi videtur præ se ferre?

BR. Superiorum sane consequens esti, & illis naturali colligatione conserte contexteque connexa.

PH. At ea plurima functionum genera instituit, quæ omnino sint supra vim elementorum & demonstrationis philosophicæ.

BR. Video, neque id putem alienum à philosophia, ut neque cætera omnia, quæcunque hactenus in disputationem adducta sunt. Inauditum id parumque usu tritum, cœlestis aut divini, nomen, me multo vehementius quam res ipsa torsit. In medicinæ physiologia satis quidem mihi esse duco, si humani corporis compositionem ac structuram singularumque partium functiones & usus mente consequar: parum curans, sive illarum causas rerum pri-

primordiis & temperamento, sive divinio-A ri origini attribuas. Id enim parum confert ad medendi rationem plane philosophicam, & in quo satis fuerit, probabili ratione niti. Quocirca subtilius quam satis est illis perquisitis, ad ea quæ magis seria sunt diverte.

EV. Jamdudum animus erat hæc tentare ac periclitari, sed obstinata ista vestra pertinacia nobis in mora fuit.

BR. Nunc igitur demum, si ita videtur, quod totius est disputationis nostræ caput, aggredere: morbos dico occultos, quibus divinum quiddam inesse commemoras.

CAPUT IX.

Parti similari non unicum sed tria morborum genera insidere. & qui sint materia morbi.

EUDOXUS.

IN hunc vastissimum medicinæ campum A si descendemus, sæpe quidem hærebimus in salebris, quibus is undique conspersus est: eritque necessarium in vias incurrere non satis tritas, & quæ fortassis parum vos oblectent.

PH. Huc ipsi concessimus, ut ardua quæque, spinosa & invia, consectaremur, quæ nos fortasse terendo plana reddemus. Age igitur, omissa omni contentione, reconciliataque voluntate nostra, ne sit molestum, communi studio rem omnem veritatis cognoscendæ causa indagare.

BR. Pulchre mones, jam dudum illius contemplationis efferor desiderio. Cum itaque simus gravioribus laboribus curisque vacui, in hoc diverticulo ab omni turba & strepitu sejuncti, libere scrutemur ipsam veritatis lucem, neque ulli authorum tam sis addictus, quin tuam de morborum causis sententiam (tametsi à popularibus sensis alienam) in medium proferas. Non enim huc ipsi concessimus audituri quid hac de re alii, sed quid tu sentires.

Morbus partis similaris mucus vulgo.

EV. Quando his me suasionibus tanquam stimulis acriter urgetis, ad rem aggredior, & demonstrandum suscipio, in parte similari tria esse morborum genera, quæ vix quisquam aperte videtur persecutus: hoc autem ut expositione perspicua illustretur, altius *Galeni* ex arte, *morborum summa genera* repetamus.

PH. Tria ille constituit, similare, organicum, & commune, quod continui dissolutionem primus appellavit.

EV. Organico & communi suppresso, de uno similari quæratur. Quot ergo hujus statuis differentias?

PH. Tot nimirum quot intemperiei genera: neque enim aliud *est similaris morbus*, quam *noxia intemperies.* Hæc autem distribuitur in quatuor simplices, totidemque compositas: hasque singulas volunt nunc ex humoris cujuspiam vitio, nunc citra humorem prægressa ex causa contrahi.

EV. Age Brute, hine sunt omnes partis similaris morbi?

BR. Nullum his adnumerat *Galenus*: nam qui in bona similaris partis temperie omnem illius sanitatem constituit, omnem B profecto ejus morbum ex læsa mutataque temperie nasci confirmat.

EV Cæterum si qua sunt in parte similari præter temperamentum, quibus sanitas illius & integritas conservetur, nonne necesse fuerit, in bona illorum constitutione sanitatem, in mala morbum collocare? *Sed male,*

BR. Necessarium profecto.

EV. Atqui duo in unaquaque similari parte insunt temperamento præstantiora, subjecta materia, & species.

BR. Id sane est quod tantopere ex te audire C postulamus: utque in illis morbos inesse putes.

EV. Est id quidem explicatu perquam arduum, quod etiam si dilucide explicetur atque demonstretur, minime tamen tutum sit invulgare.

BR. Expedit tamen in hanc contemplationem paulo acrius graviusque incumbamus, ut ejus obscuritate discussa veritas illucescat, & à nobis fructus percipiatur uberior.

EV. Meministis, non ita pridem me demonstrasse, medicamétis *alias à materia, alias à temberamento, alias à forma vires* inesse: id nunc *Cum sanitas & integritas partis con-*

ſiſtat in temperamento, materia, & forma.

nunc ad corporis partes commode transferemus, quarum quæ ſimilares appellantur, tria hæc in ſe diſcreta continent, materiam, temperamentum, & eſſentiam, quæ illarum ſpecies dici conſuevit. Temperamentum quum ex elementorum ſit qualitatibus, in accidentium genere merito recenſebitur, materia vero illi ſubſternitur, à qua pars laxa aut adſtricta, mollis & dura, craſſa aut tenuis evadit. Cor calido ſiccoque temperamento eſt, neque admodum diſſimili ſunt pulmones: at materia diſtant abſuntque longiſſime, ut quæ illi denſa graviſque ſit, his rara atque levis. Haud ſecus renes frigidum nacti temperamentum, cor vero calidum, ſummo diſcrimine disjunguntur: utriuſque tamen materia compacta eſt, atque denſa. Hanc materiæ vim ſpectantes tum philoſophi tum medici, ut renes ita cor & jecur terrenum appellant, quo nomine conſtat non temperamentum, ſed materiam, deſignari, quæ illis perinde ac terræ craſſa, compacta adſtrictaque ineſt. Jam vero partis eſſentiam atque ſpeciem à materia & à temperamento diverſum quiddam eſſe, mihi perſuaſit *Ariſtoteles* cum ait, *rationem eam qua caro aut os eſt, non à primis elementis, ſed à ſemine & diviniore principio naſci.* Non enim quicquid ſimiliter atque os denſum tactuque frigidum deprehendimus, id continuo os eſt, ſed eſt præterea neceſſe, oſſis eſſentia propriaque ratio accedat, qua detracta ne ipſa quidem elementa vel idonea temperie permiſta os effecerint.

BR. Hæc mihi cum ſuperioribus ſatis videntur cohærere, ſi modo tu his eum *Galeni* locum concilies, qui in unaquaque ſimilari parte ait ſubſtantias tres haberi, ſolidam, carnoſam & ſpirituoſam, ex quibus is ait virium ſubſtantiam compleri.

EV. Id quidem facile: nam ſolida atque carnoſa, eam quam dixi partis ſimilaris materiam conſtituunt. Spirituoſa, in qua calor eſt inſitus, ad formam refertur ac pertinet. Hæc porro ſingula *Galenus* ait ex congrua elementorum temperie conſiſtere. Quæcunque igitur in parte ſimilari ineſſe cogitamus, vel illius materia ſunt, vel forma, vel temperamentum.

BR. Importunus orationem tuam interpellavi: reliquam vero contemplationem perſequere.

EV. Tria igitur quum ſint ex quibus pars unaquæque ſimilaris conſtituitur, tria quoque ſunt per quæ illa ſubſiſtit atque conſervatur, quorum unoquoque pereunte continuo pars tota perit. Ut autem tria ſunt per quæ pars ſubſiſtit, ita & tria ſunt per quæ vel bene vel male ſubſiſtit: quandoquidem contrariorum eadem eſt ſubjecta materia. Illorum trium integritas & moderatio partis eſt ſanitas, eorundem contraria immoderatio morbus. Quocirca ut partis ſimilaris ſanitatem, ita & morbum, neceſſe eſt in tribus conſtitui, *triaque fieri ſimilarium morborum genera, unum materiæ, alterum temperamenti, tertium totius ſubſtantiæ.* Hoc autem jam velim ex partis ſimilaris actione confirmare, ac docere, hujus robur à tribus illis dimanare atque conſervari. Quanquam enim ſimilaris partis actio illius formæ atque eſſentiæ refertur accepta, ad illam tamen materiam atque temperamentum maximum habent momentum, quorum ope deſtituta nihil quicquam forma ſit effectura: ut unoquolibet iſtorum pereunte continuo pars tota perit, omniſque illius actio intercidit, ita etiam unoquolibet læſo & natura ſua diſcedente, pars tota longe deterior & infirmior evadit & ad opus ſuum inexpeditior.

Quare & triplex ejus morbus.

BR. Id obſecro nobis paulo apertius ob oculos pone, & inductione quadam illuſtra.

EV. Faciam ſedulo. Principio congruens partis *temperamentum* ad actionum perfectionem conferre, vitioſum autem illas impedire, & imbecillitatem accerſere, ſatis ſuperque notum arbitror.

Temperamenti.

BR. Id certe tibi aſſentior, quod omnibus obvium clarumque eſt, non alia fulciendum demonſtratione: ſiquidem *Galenus* paſſim contendit ac tuetur, omnem imbecillitatem intemperiei ſobolem eſſe, qui & temperamentum omnis actionis principium cauſamque ſtatuit.

EV. Vitiata porro *materia*, partis robur atque valetudinem infringi, hinc docere velim, quod nonnullis ventriculus neque acetum, neque ſinapi, neque piper, nec denique quicquam acre aut mordax, aliis omnia facillime toleret: deinde quod odoribus alii oblectentur, alii citra offenſionem eos ferre nequeant.

Materia

BR. Con-

BR. Consentiunt certe hæc cum vero omnia, sed tamen si permittes, causam eorum ex *Galeno* dicemus, quod aliis exquisitior & quadam veluti exuperantia acutior, aliis hebetior atque obtusior sit sensus.

EV. Recte quidem. At vero exuperantis deficientisve sensus, quænam causa statuetur? Non intemperies, multi namque intemperati, ejusmodi nihil experiuntur aut sentiunt. Una igitur causa sit oportet, quod ventriculus cerebrique meninges raræ ac laxæ, quasi dissolutæ atque imbecilles, à quibuslibet externis injuriis prompte offenduntur. Permultos videas optimo temperamento, qui neque calorem, neque frigus, neque laborem, neque ullam exuperantiam, perferunt: hac sola ratione, quod molli, raro laxoque sint corpore. Tale autem evasit vel ex pauco imbecilloque semine, vel ex molliore deliciatioreque vita: ex qua etiam molles solent appellari. Plurimos è contrario vides intemperatos, ut rusticos & agrestes, qui tamen validi sint, & multo facilius externas injurias perferant, hac ratione, quod partes singulas, ossa, nervos, tendones, omnesque fibras, solidas habent atque densas: ex quibus compactum corpus firmum atque robustum evadit, ad omnia perferenda comparatum. Tale vel ex robustiorum parentum copioso validoque semine procreari solet, vel exercitatione, consuetudine & usu conquiri. Quanquam autem *Galenus* locis quibusdam omnem corporis actionem temperamento refert acceptam, passim tamen *libris Methodi* fatetur, partis materiam atque substantiam non parum ad robur pertinere. Quum enim ait, naturam, omnemque virium substantiam, ex spiritu, ex carnosa specie, ac ex solidis ipsis constare, horumque singulorum & qualitatem & quantitatem servandam esse, nonne hoc ipso convincitur, non solum temperamentum, verum etiam illorum substantiam quæ partis similaris est materia, ad virium robur magnam opem conferre? Præterea ubi in medendi præceptis, partis, quæ vim & usum habet toti corpori communem, cujusmodi est ventriculus, aut jecur, robur servare jubet, à relaxantibus abstinet, quod partis substantiam statumque optimum dissolvant: adstringentia vero, quorum vis est ad corporis substantiam & stabilitatem, commendat. *Libris de tuenda sanitate*, duas frictiones artus corroborare tradit, quod illorum substantiam atque materiam compactiorem firmioremque reddant. Ac ne singula longius persequar, is passim docet, partis bonam habitudinem atque agendi vim non à solo temperamento, verumetiam ab ipsa illius materia proficisci, vitiumque materiæ imbecillitatis actionisque læsæ causam & morbum esse.

Quos & agnovit Galenus 12. Methodi & 9.

PH. Probe id assequor quod pro summa tua eruditione nobis planum fecisti: quod autem reliquum est exequere, *ut à partis essentia ac specie*, illius robur & agendi vim teneri putes.

EV. Id non admodum anxie tibi exposuero. Ut enim struthiocamelus non elementorum calore, non insito temperamento, sed totius essentiæ natura ferrum exterit & concoquit: ita & quæcunque in nobis sunt partes, totius substantiæ vi concoctionem, nutritionem, harumque administras functiones obeunt, quemadmodum motum atque sensum. Partis autem tota substantia est, quam & speciem & interdum facultatem appellamus. Plurimus est *Galenus*, ut ejusmodi facultatum præstantiam dignitatemque demonstret, tum principium trium quæ corpus universum gubernant, tum earum, quæ unicuique parti regendæ fuerunt addictæ: omniumque substantiam, acrius subtiliusque philosophatus, à partis materia & à temperamento diversam instituit. Tria igitur omnino sunt quibus similaris partis substantia completur & cohæret, quibus illius robur stabilitasque consistit, & quibus omnis illius actio perficitur.

Tertio ipsius forma.

9. Metho. divinas facultates appellat.

BR. Nihil ista demonstratione luculentius.

EV. Si unum, quod istorum tum roboris, tum obeundæ functionis causa est, bene constitutum, integras; male, vitiosas depravatasq; functiones obibit. Atqui bona ea constitutio sanitas est & appellatur, mala vero morbus. Quocirca necesse est in tribus illis & sanitatem & morbum collocari, & in parte similari tria fieri morborum genera. Unum est materiæ immoderatio, alterum intemperies, tertium totius substantiæ corruptela: quæ singula partis actio-

actionem primum ac per se præpediunt. Si disputationem totam velis *Galeni* sententia concludi, in hunc locum quo tres imbecillitatis causas, triaque morborum genera expressit, mentem auresque erige. *Quæ* (inquit) *immoderate laxant, solvunt robur: quare & partis virtutem: quæ autem supra modum refrigerant, nativum calorem extinguunt, qui fortassis (ut nonnulli arbitrantur philosophi ac medici summi) substantia virtutum existit: aut si non hoc, saltem primum & maxime necessarium earum instrumentum. Iam vero & qualitates quædam extraneæ virtutes dissolvere possunt.* Hac oratione *Galenus* læsarum virtutum causas tres vel invitus fatetur, relaxantia, refrigerantia, & alienas qualitates: quidque horum singula in parte similari immutent & labefactent: atque relaxantia materiam, refrigerantia temperamentum, extraneas qualitates facultatum substantiam demoliri: has quidem primum ac per se, id est, proxime, alia duo ex accidenti, qua ratione vel materiam vel temperamentum pervertunt, quę prima sunt facultatum instrumenta. Ex his perspicuum evadit, tria illum in similari parte morborum genera sedibus disclusisse, hæc ipsi appellavimus materiæ immoderationem, intemperiem, & totius substantiæ corruptelam. Hæc jam placet non modo in animis, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere, & quasi *exemplis illustrare*. Ventriculus, ut pars similaris, tanta plerunque imbecillitate corripitur, ut nihil alimenti concoquat, & cruditas ac lienteria sequatur. Hanc autem contrahit, alias impense refrigeratus vel immoderato frigidæ potu, vel lactucarum esu: alias relaxatus immodico olei tepentis haustu: alias extraneis venenatisque qualitatibus lacessitus: hoc & epoto veneno, & in exanthematis, & in aliis compluribus morbis popularibus obtingit: quibus cardiaca remedio sunt. Imbecillitatis læsæque functionis tres hæ causæ, tria in parte similari morborum genera sunt.

Quos omnes animadvertit Galenus, Lib.2. artis ad Glauconem.

Hi illustrantur exemplo.

Differentia morbi temperamenti.

BR. Isthæc quidem magna probabilitate dici video: quæ tamen fient illustriora magisque conspicua, si minutius concidantur, illorumque differentias persequaris: nam in singulis utilior est exercitatio doctrinæ. Similarium morborum genus in *octo intemperies* distribui recipimus, quarum sint simplices quatuor, conjugatæ totidem, hæque alias puræ, alias ex humorum influxu natæ. *Immoderatæ* autem *materiæ* quas tu nobis differentias enumerabis?

Materia.

EV. Ea quidem mollis est aut dura, laxa aut adstricta, tenuis aut crassa, rara aut densa, quæ cum immoderatius excreverint, unius materiæ morbi sunt. Hæ tametsi possunt quotidianis observationibus deprehendi, insignioribus tamen exemplis clariores fortasse fient. Quod *Ruellius* non ita pridem literis memoriæque mandavit, id ipsi vidimus in milite quodam, ossa crurum, brachiorum & femorum ex morbo tam mollia & flexibilia evasisse, ut ceræ modo facile sequerentur quocumque torqueres, quæ tandem balnearum naturalium usu (ejusmodi erant aluminosæ) in pristinum vigorem roburque restituta sunt. Puellam cernimus nostra vicinia, articulorum vinculis adeo laxis, ut quocunque velis artus invertas, quod illi ab ortu vitium est. His qui argentea vasa inaurant, solius hydrargyri vapore nervi eousque emolliuntur ac si paralysi laborent: quam idcirco non pauci è junioribus medicis nervorum mollitiem, alii nervorum dissolutionem appellarunt. Hæc vitia nulla intemperie, nullo vel conformationis vel quantitatis vel numeri vel situs errore comitabantur: quocirca nec temperamenti nec instrumenti, sed unius materiæ morbi existimari poterant. Si quando ventriculus, corporis membranæ, aut cutis, præter modum tenuis raraque, aut contra si crassior densiorve existit, quis tam somnolentus est ac nihil cogitans, ut illam morbo & vitio teneri neget, videns vel ultra modum dissolvi corpus, vel vitæ necessariam transpirationem cohiberi? Hic autem quum dico rarum aut densum, laxum aut adstrictum, non ea intelligo vitia, quæ venarum, arteriarum, aliorumve instrumentorum ductibus incidunt, quod morbi sint in figura: sed quæ pars similaris ex primordiorum concursione & permistione contraxit, ea quis non judicet morbos esse partis similaris?

BR. Certior sum multo quam dudum: sed quid obsecro, si illa ad intemperiem referat *Galenus*, ex qua tanquam ex causa prodire velit? nam & secundæ qualitates omnes

omnes à primis & à temperamento ortum A initiumque sumpserunt.

Eos non posse ad morbos temperamenti referri.

EV. Vide quo res evadat,& ne dum *Galeni* partes tueri conaris, rebus ipsis quasi noctem offundas. Etenim si omnia partium vitia quæ *à secundis sunt qualitatibus, ad intemperiem* revocat, necessitas profecto simul coget, morbos quosdam instrumentarios eodem pertinere: cujusmodi sunt læve & asperum. Et qua ratione dicis secundas qualitates ad primas tanquam ad causam referri, eadem instrumentarii morbi omnes referentur ad intemperiei genus, quod unum temperamentum conformationis & instrumenti causam Galenus instituat. Quæ qui ita esse contendit, quid aliud quæso quam summa morborum ge- B nera confundit ac perturbat? Quid aliud quam omnem doctrinæ vim inexpiabili scelere pervertit? Omnis quippe docendi via ac ratio, artificio quodam & expolitione distincta proponi debet; quam si tollas omne doctrinæ lumen extinguitur. Itaque si dilucida conspicuaque morborum cognitio quæritur, necesse est summa primaque illorum genera ex partium quibus insunt generibus constitui, unumque similarem appellari, alterum instrumentarium, tertium communem. Ac deinde horum singulorum differentias ex eorum, quæ vel partis similaris, vel instrumenti rationem complent, differentiis sumi. Quamobrem C ut omnis vel figuræ, vel magnitudinis, vel numeri, vel situs permutatio, instrumentarius morbus existat: profecto & omnis vel materiæ, vel temperamenti, vel formę, id est, totius substantiæ offensio, morbus est similaris; fientque necessario molle & durum, laxum & adstrictum, tenue & crassum, rarum & densum, morbi similares ab intemperie diversi, in una materia positi, qui & immoderatæ materiæ differentiæ sint. Hæc autem quæ dixi velim ex curandi ratione confirmare. Medicamenta,

Hos morbos & diversa medicamentorum vires arguunt.

quæcunque hominum ars atque industria invenit morbis curandis idonea, vel ex primis, vel ex secundis, vel ex tertiis qualitatibus vires habent; quibus & nonnulli quartas adjiciunt. Primæ illorum vires ac facultates intemperiei morbis succurrunt ac medentur: secundæ vero immoderationi materiæ: tertiæ & quartæ iis qui totius substantię vim roburque dissolvunt. Quanquam autem *Galenus* omnes nervos contendit, ut secundas illas facultates ex primis prodire atque nasci demonstret, quemadmodum tertias atque quartas ex primis & secundis: illas tamen necessario distinctis generibus sejungit. Si qua pars corporis inde facta est imbecillior, quod immodice relaxata aut dissoluta sit, huic medicamentis non calidis aut frigidis, sed plane corroborantibus succurritur. Hujusmodi sunt adstringentia, quorum vis & facultas non in solo temperamento, sed in materia penitus insidet, quæ crassa densaque est; alias comite calore, ut in absynthio, in myrrha, in aloe, in rheobarbaro; alias cum frigore, ut in rosa, in flore mali punici, in gala, in rhoe. Quinetiam sapores, quod secundarum qualitatum indices sint, *Galenus libro de simplicibus quarto* demonstrat, ex medicamentorum materia verius quam ex temperamento & prodire & distingui. Itaque ut medicamentorum primæ facultates intemperiei, ita & secundæ, materiæ morbis succurrunt vereque medentur. Hoc morbi genus rarum quidem vixque solitarium existit, de quo proinde satis egisse videor.

BR. Neque profecto ampliorem illius demonstrationem velim, cui, ut necessarię in primis, assentior. Te vero pro tua in nos benevolentia etiam atque etiam rogo & obtestor, ut quos totius substantię morbos appellas, eadem demonstrationis vi persequaris.

CAPUT X.

De morbis totius substantiæ, & quanti ii sint in arte momenti.

EUDOXUS.

NOn desinetis (video) me lacessere, & ad imparia meis viribus provoca- A re. Est quod exigitis perquam obscurum & inauditum, nullaque hactenus arte com-

comprehensum, ut idcirco me pudeat ejus tractationem suscipere. Cæterum quoniam id rei medicæ tanti interest, ut optimam illius partem continere videatur, nolim vobis tanta in re deesse. Hanc si rudius explanavero, rusticæ & familiari disputationi tribuetis, in qua quæ clam disseruntur, non tam exquisita & accurata esse debent, quam quæ magnis vigiliis elucubrata in publicum proditura sunt.

Quid sit substantiæ morbus.

Tota rei substantia perfectio est & integritas, qua res unaquæque consistit. Hæc quoties immutatur & de perfectione decedit, res tota continuo perfringitur: ipsaque illius decessio, *morbus est totius substantiæ.* Quoniam autem omnis mutatio substantiæ, aut procreatio est aut corruptio, qualitatis vero, alteratio, recte videbimur decessionem hanc & mutationem de optimo statu, totius substantiæ vel corruptionem vel corruptelam appellare: quæ si nondum consummata fuerit, substantiæ morbus est: nam perfecta consummataque corruptio interitus est.

PH. Hic obiter audire velim quid inter corruptionem & putrefactionem intersit.

EV. Illa latius sese fundit, hæc angustioribus coarctatur terminis: siquidem quæcunque putrescunt, eadem corrumpuntur, non tamen hæc retroaguntur, nec quæcunque corrumpuntur, eadem statim putrescunt: nam & hominem & vivens omne, morte corripi dicimus, etiam si nondum putrescat: & lignum dum crematur, corrumpi quidem, at non putrescere. Res unaquæque putrescit, cum ejus temperie sensim dissoluta, proprius nativusque calor (qui omnia regit & continet) evincitur ac deficit: sive ab ambiente calore dissipatus, sive à frigido aut ab alienis qualitatibus extinctus. Refrigerato & extincto calore, naturalis & aqueus humor dominatur, undique redundat & diffluit, quippe nec jam aliunde coercitus, nec sicco temperatus. Neque vero *Galenus* dum partium aut humorum corporis putrescentium unam obstructionem causam statuit, ab hoc *Aristotelis* instituto quicquam recedit. Nam obstructio caloris transpirationem ventilationemque prohibet: prohibita ventilatione calor refrigerio destitutus hebetescit & extinguitur. Calore demum fracto & debilitato humor evagatur ac diffluit, calorisque vi & dominio destitutus computrescit; cui fere comes est fœtor & graveolentia. Putredine magis ac magis invalescente, protinus calor elanguescit, simulque naturalis humor dissipatur, & partes sicciores evadunt, quasi marcore consumptæ. Qui omnis putrefactionis finis existit. Omnia enim quæ putrescunt, tandem in fimum ac cinerem extabescunt. Simplex corruptio non eo naturali ordine ad marcorem sensim progreditur, sed externarum causarum magna vi, tanta celeritate propriam substantiam dissolvit, ut putrefactioni tempus non suppetat, & prius corruptum quippiam appareat quam putredine tentetur. Corrumpentium causarum, aliæ temperamentum, aliæ ipsam rei substantiam primum ac per se invadunt. Hæ totius speciem exterminant, parum admodum læso temperamento.

Itaque *morbus* quem *totius substantiæ* corruptelam appellamus, *duplex* est statuendus, *unus* simplex est *corruptio*, *alter putredo.*

Corruptio simplex, est spiritus innatique caloris (qui præcipua est partis substantia) dissipatio aut extinctio. Per vigilias, per labores, per inedias atrocesque dolores spiritus dissipatur: calor autem insitus extinguitur, in strangulatu & in penetrabili extremoque frigore. *Is est vel corruptio.*

Putredo est substantiæ partis dissolutio; talis est in gangræna & sphacelo, in phtisi, in jecoris, lienis aliarumque partium corruptela. Neque tamen putridæ febres, in quibus duntaxat venarum humores arteriarumque spiritus computrescunt, totius substantiæ, sed simplicis intemperiei morbi sunt. Per has enim partium substantia nondum putredine, sed intemperie sola tentatur: nec quæ in spiritu aut in humore est putredo, morbus est, sed morbi causa. *Vel putredo.*

BR. Ut tu putridas hasce febres, ita ego ipsam partium *putredinem atque corruptelam intemperiei adnumerabam*; cujus certe soboles est. *Hæc autem non sunt morbus intemperiei.*

EV. Et male quidem. Non enim si putredo intemperiei succedit, eadem idcirco censeri debet: sed est, ut dixi, genus diversum. Valida intemperies, tum humores, tum partes ipsus plerunque obsidet, cui nulla putredo succedit. Et quum in ardente fe- *Rat. 1.*

te febre humores computruisse dicis, non solum intelligis eos vehementer incaluisse, ut solo refrigerio ad curationem sit opus: sed præter calorem aliud vitium, idque gravius animo concipis, quod solis refrigerantibus emendari non potest, sed vacuari indiget & è corpore procul amandari.

Rat. 2. In partibus singulis intemperiei atque putredinis conspectius discrimen elucebit. Nemo quippe pulmones, lienem, vel jecur incaluisse idem esse dicat, atque computruisse. Intemperata illa minime, putrida vero facile oculorum judicio in dissecto cadavere animadvertes. Fueritne ulla demonstratio sensuum fide præstantior? Possum tamen & hoc intemperati putridique discrimen curandi legibus stabilire. Quandoquidem membrum inflammatum refrigerando persanamus: putridum & sphacelatum non item, sed præcidendum id extirpandumque est: nam omnino præter naturam cum sit, sese auferendum indicat.

BR. Hinc conspicue animadverto, substantiæ corruptionem ab intemperie distare, easque in morborum diversa genera referri. Reliqua si videtur persequere.

Vtraque iterum vel manifesta. *EV.* Totius substantiæ morbus, sive simplex est *corruptio sive putredo, alias ex manifesta causa fit, alias ex occulta.* Qui ex manifesta procedit manifestus, qui ex occulta occultus appelletur.

Manifestus est, quum vigiliis, inediis, laboribus, doloribusve immodicis insitus partium spiritus dissipatur: aut quum insitus earum calor strangulatu frigoreve extinguitur. Est & manifestus quum partis cujusdam substantia immutatur ac sensim putrescit, putredine quidem ex intemperie præter naturam.

Vel occulta Quam dari probatur. *Occultus* totius substantiæ morbus est qui non ex his manifestis, sed ex abditiore quadam causa processit. Abditior illa causa supra elementorum conditionem est, quæ dum nobis est infensa, non corporis temperamentum, sed totam illius substantiam (quo nomine calor insitusque spiritus continetur) primum ac per se offendit, ut cui sit prorsus inimica. Hoc causarum genere numerantur omnia pestifera, deleteria & venena, quorum ferocia in nativum nostrum divinumque calorem, in ipsumque vitæ principium maxime ac primum sævit atque debacchatur. Non enim ejusmodi causæ sola putredine (ut rudioribus plerisque visum est) sed occultiore quadam vi infensæ sunt. Qui unam putredinem, epidemiorum, pestilentium, contagiosorum & venenatorum morborum causam esse contendunt, maximis tenebris offusi omnia permiscent atque perturbant: ut qui investigandi solicitudine abjecta, vehementissimos quosque morbos nullo delectu vel ad plethoram, vel ad cacochymiam, vel ad obstructionem, proxime vero ad putredinem, quæ ex illis genita sit, referunt. Non aliud quam has causas tota arte illos audias circumferre & intonare, quasi nihil majus possit in corpus irruere. Quum aliquis integre sanus accessu ad pestiferum peste corripitur, aut à rabido cane demorsus in rabiem agitur, aut scorpionis compunctu, aut hausto toxico extinguitur, quis quæso tam hebes statuat unam omnium putredinem causam, quæ tam varia, tamque multa efficiat nullo alterius concursu? Quæ possit tam vehemens tamque perniciosa putredo in hominem nec plethora, nec cacochymia, nec obstructione correptum repente irrumpere? Magna certe pernicies plerumque hominem rapit nullis ejuscemodi causis inquinatum: quemadmodum & hæ causæ interdum jugulant, nulla comitante pernicie, ex quibus à putredine pernicies internosci discernique potest. Brevis certe & compendiaria, sed periculosa nimis isthæc medendi ratio, quę solas putredinis causas animadvertit. *Rat. 1.* Ex *Aristotelis* sententia nuper demonstravimus, res quascunque interire & corrumpi, alias sensim dissoluta temperie inductaque putredine, alias tota illius substantia ab externis quibusdam causis offensa. Quis ergo dubitet, & hominem utrisque ex causis occidere atque dissipari? *Rat. 2.*

PH. Non probabilia solum, sed necessaria quoque hæc esse video, & ad unguem memini, ut parti similari tres morbos inesse, intemperiem, materiæ immoderationem, & totius substantiæ corruptelam, ex *Galeni* mente deduxeris. Quoniam vero totius substantiæ morbum tanti in arte ponderis esse judicas, nunc pressius & diligentius locos quibus hunc *Galenus* affirmare videatur, si quos habes, exprome.

EV. Unus

Rat. 3. Authoritate Galeni. Cap. 1.

EV. Unus è *quinto de simplicium medicamentorum facultatibus* elicitur, ubi hunc in modum scribit: *Ostensum est, medicamento naturam esse alterandi aut una quapiam qualitate, nempe aut calefaciendo, aut refrigerando, aut humectando, aut exiccando, aut dictorum conjugatione quapiam: aut tota sua substantia, sicuti complura lethalium venenorum, nec pauca alexiteriorum seu amuletorum, & purgantia omnia,* & *multa* quæ vocant *attrahentia.* Duplicem audis commutationem; (sic enim ἀλλοίωσιν verto, quam alterationem juniores dixere) unam primarum qualitatum, alteram substantiæ: nos, si naturæ modum excessit, hanc substantiæ corruptelam appellamus. Est & alter *eodem libro* locus, quo in eandem sententiam scribit *duplicem esse alexiteriorum naturam: aut enim commutare, aut ex affecto corpore pellere bestiarum virus corrumpendi natura præditum, vel mortiferum medicamentum: & commutare quidem, aut una tantum qualitate, aut duabus in unum conjugatis, aut totis substantiis; inanire vero totius substantiæ similitudine, & calore cum partium tenuitate conjuncto.* Quid istuc est κατὰ τῆς ὅλης οὐσίας? Si medicamenta nos afficiunt aut suis qualitatibus aut tota substantia, necesse est, corporum nostrorum, alias qualitates, alias totam substantiam mutari. Hæc autem mutatio si multum de optimo statu decedat, & naturæ limites prætergressa sit, totius substantiæ morbus erit.

Ne autem unius loci authoritate parum firma videatur testimonii fides, alium proferam ex *commentario secundo libri de natura humana.* Quum *Hippocrates* morbos alios à victus genere, alios à spiritu quem trahimus fieri proponit, hanc idcirco in omnes publice grassari putat, quod inspiratus aër omnes attingat, qui morbidam in se quandam excretionem habet. Ad cujus præcautionem atque curationem, jubet loca in quibus morbus grassatur mutare, & quam paucissimum spiritum ducere. Quem νεοσ-ρὴν ἀπίχεσιν dixit, *Galenus* expirationem interpretatur proprietate totius substantiæ infensam. *In expirationibus,* inquit, *quæ proprietate totius substantiæ magis, quam qualitate corpora offendunt, recte curationem tradidit Hippocrates, in duplicem redigens scopum, loci mutationem, & exiguæ inspirationis usum. Hanc insalubrem proprietatem ut medicamentis & aëri, ita & alimentis quibusdam, velut semiputrido tritico, & aquæ, interdum inesse confirmat.* Jam si hæc tota substantia nos offendunt, consequens est profecto, totius corporis nostri substantiam interdum mutari, fierique in nobis, tum *Hippocratis*, tum *Galeni* sententia, quosdam totius substantiæ morbos. Nam dum vel aër, vel medicamenta totius substantię proprietate nos afficiunt, corporis quidem nostri neque qualitates, neque temperamentum, sed totam substantiam primum ac per se immutant. Cum enim omnis actio fit ex contrariis quæ sub uno eodemque genere comprehenduntur, illorum qualitates, corporis etiam nostri qualitates, tota vero illorum substantia totam corporis substantiam afficiet. neque fieri potest ut qualitas in substantiam, aut substantia in qualitatem primum ac per se agat. Esto igitur, quispiam deleterium medicamentum hauserit, quo è vita sit excessurus. Id quidem sensim partium omnium maximeque principum, spiritus, humores, totamque substantiam labefactabit atque corrumpet, dum tandem mors sequatur & interitus. Partium autem corruptio & affectio tanta, quæ actionem primum ac per se lædit, morbus est, isque vere similaris, quod tum omnis instrumenti ratio integra persistat. Atqui intemperies non est. Id ipsum igitur sit oportet similaris morbi genus, quod nos substantiæ corruptelam appellavimus.

PH. Quid tu, Brute, jam velut erubescens tecum ipse mente contrectas? tune meditaris, quid possis contradicere?

BR. Nihil sane. Jampridem eminus olfaciebam quo spectaret tantus rationum progressus.

PH. Miror equidem neminem tot seculis in tam apertas perspicuasque demonstrationes animum mentemque erexisse.

BR. Id puto magna observantia factum, qua posteritas *Galenum* tanto cultu & honore dignaretur, ut nefas duceret quicquam illi vel addere vel demere.

PH. Veritatis potius, quam honoris & amicitiæ vinculo obstringamur: à vero nunquam abducamur, Nec prece, nec pretio, nec vi, nec sorte suprema.

EV. Quem hic totius substantiæ morbum constituo, is interdum simplex solitariusque consistit, plerunque vero permiste aliis implicatur affectibus, inter quos vix elu-

Atque hi morbi sunt τὸ θεῖον Hippocratis

elucere potest. Hoc genus universum *Hippocrates* divinum appellavit, jubens *unumquemque agnoscere & observare si quid in morbis divinum insit, ut & bonum & admirabilem medicum se praestet.* Hoc loco *Galenus* divinum interpretatur ambientis nos aëris conditionem. Sed quam? non eam sane quae in primis est qualitatibus, sed multo praestantiorem occultioremque, quam morbidam excretionem *Hippocrates* appellavit. Nam quum ille *Praedictionum libro tertio* praecipit accurate observare *supervenientium morborum impetum, nec non tenere temporis conditionem*: ea oratione distincte & explicate duo designat. Nam temporis conditio est tempestatum primarumque qualitatum constitutio: supervenientium autem, id est, vulgarium morborum impetus, causa alia est abditior, quam licet (ut obscuram) hic verbo non expressit, *libro* tamen *de natura humana* appellavit *morbidam excretionem*, qua totus aër conspersus est. Haec autem est vis quaedam deleteria toti nostrae substantiae prorsus infensa. Quoniam vero ea nec calore, nec frigore, nec odore, nec colore dignosci deprehendique potest, recte à nostris caeca est appellata, & qui inde gignuntur, caeci morbi recte dicti sunt. Eadem ratione ea ipsa causa admirabilis, obscura, nec ullo sensu comprehensa, *Hippocrati* divina nuncupatur.

BR. Veterum more quicquid admirabile videretur divinum appellavit; quemadmodum homines eos quorum vel robur, vel animi gestorumque praestantiam admirarentur, in Deos illi retulerunt, etiam daemonum vi impulsos. Nondum siquidem, quo daemones à Deo, quo boni à malis sejungerentur, innotuerat: quod ita quidem apud *Theodoretum* monebat *Porphyrius*. Ii autem qui Dii nominantur, re ipsa mali sunt daemones. Quin & Tullius, cui jure eloquentiae primas Roma tribuit, pro daemonio divinum reddit. *Hoc*, inquit, *de Socrate accepimus, esse divinum quoddam, quod daemonium appellat, cui semper ipse paruerit, nonnunquam impellenti, saepe revocanti.*

PH. Quonam quaeso prorepis, instituti parum memor?

BR. Non alienum instituto putavi, haec ad divini nominis interpretationem proferre. Si quid tamen est quod praeterea huc pertinere videatur, id jam quaeso producite.

EV. Non hic quidem media via subsistendum, sed ad metam pergendum. Non pauci ex his qui in nobis fiunt divini occultique morbi, efficientem causam habent toto confusam aëre, quasi sparsum quoddam malorum semen, cujus vis est ad morbos gignendos maxima. Eam *Hippocrates* morbidam excretionem, & quasi morborum seminarium appellavit: quam neque ex primis qualitatibus constare, neque ex illis proficisci, sed sublimiorem *coelestemque originem habere* profitetur.

Quia à caelo oriuntur.

BR. Id ne certo possis docere?

EV. Possim fortasse. Nam ut dierum decretoriorum atque crisium, ita & plurimorum eventorum causas is pariter atque *Galenus* coelo sideribusque tribuit. *Libro de aëre & aquis maximas anni mutationes observare & plurimum cavere* jubet, *nullam in iis lubens medicam potionem offerens, priusquam decem aut plures dies transierint.* Utreque enim Solis mutationes, solstitiaque, praesertim aestiva, ac aequinoctium utrunque, sed autumnale potissimum, decem dies periculosissimae putantur. Praeterea ortus astrorum, praesertim caniculae, cavere & observare, deinde arcturi, Vergiliarumque occasus, mala siquidem potissimum decernunt. Haec sidera si observavit *Hippocrates* mala decernere, nec esse ad medicationem tuta, quanam obsecro id ratione fieri dicas? Aestune immoderato? At brumale solstitium frigidissimum est. Frigorisne inclementia? At aestivum solstitium atque canicula, magnam vim habent caloris. Aliane ulla qualitatum exuperantia vel intemperie? Atqui vernum aequinoctium temperatissimum est, à quo non longe abest Vergiliarum exortus. Haec igitur sidera si non caloris, frigoris, humoris aut siccitatis exuperantia, alia certe vi quadam abditiore, mala quae dixit *Hippocrates* decernunt, possuntque morbidam illam excretionem occultorum morborum causam disseminare, & quasi semina quaedam in aëra spargere. Quas autem *Hippocrates* observavit siderum vires, eas posteritas confirmavit, addens & alia praestantiora, ad quae aetas illa vetustior nondum penetraverat.

BR. Jam satis videris ostendisse, quosdam

dam haberi totius substantiæ morbos, qui corporis speciem corrumpant: proximum est audiamus, num & illis suæ sint differentiæ: quod si à te impetraverimus, non modo summa nos obscuritate confusioneque liberabis, sed etiam inceptis magnum addes incrementum.

CAPUT XI.

Occultorum morborum differentiæ.

EUDOXUS.

Difficile quidem, hoc in loco bene versari, neque promptum, unde possint eæ differentiæ deduci. Non enim facile perspici potest, quis optimus formæ sit status, nec quibus illa modis de statu optimo decedat. At quoniam hujus rei cognoscendæ vos in primis studiosos video, non committam sane ut mea opera vobis usquam defuisse videatur. *Morborum totius substantiæ, alii quidem manifesti sunt, alii occulti.* Manifesti, ut scabies, phthisis, horumque similes. Totius substantiæ occulti morbi, corruptelam & perniciem habent ab occultioribus iisque maxime externis causis. Horum multæ differentiæ, quas omnes (quoniam aliud nobis assequi non licet) ex efficientium causarum differentiis, *Hippocratis* imitatione constituam, qui morbos alios à victus genere, alios à spiritu quem trahimus provenire distinxit. Occultorum porro morborum efficientes causæ sunt, quæ tota specie & vi deleteria nos vel offendunt vel enecant. Eæ toto genere & prorsus venenatæ habentur: quarum vis est, clam ac furtim corporis nostri substantiam, non temperamentum, immutare. Sic enim tota essentia contrariæ sunt & infensæ nobis, ut si quicquam earum nos ut decet attingat, omnino lædat & assiduum incrementum sumat, nec in nos agere desinat, dum quicquid nostræ substantiæ attigerit in suam naturam trahat atque mutet, dumque sensim serpat in omne corpus. Nunquam enim potest à corpore nostro vinci aut mitescere, ut in illius substantiam mutetur: potest tamen (exiguum si fuerit) vi nostri caloris extenuari, dissolvi, tandemque foras propelli: potest & antidotis propriis extingui.

Quidam morbi formæ sunt manifesti.

Quidam occulti.

Ii triplices.

Jam vero ejusmodi causarũ quæ tota specie nobis contrariæ sunt, *aliæ cum aëre spirando trahuntur*, ut pestilentiæ semina: *aliæ extrinsecus nos attingunt*, ut rabidi canis, & venenatarum bestiarum virus: *aliæ intro sumuntur*, idq; vel cibi, vel potus, vel medicamenti specie.

Venenum quod halitu nos ferit, omnium præsentissimum & efficacissimum est, nec humore, nec crassiore materia tanquam vehiculo indigens, ut in nos agat atque commigret. Sed tenuissimum quum sit, spiritu haustum celerrime per pulmones in cor, viscus vitæ nobilissimum, & in arterias, in omne denique corpus obrepit, primumque spiritus, deinde humores, postremo ipsam partium substantiam labefactat. *Morbi* (inquit *Hippocrates*) *qui à corporis membrorum validissimo perficiscuntur gravissimi sunt, atque si ubi cœperunt permanserint, necesse est validissimo membrorum laborante totum corpus laborare.*

A causa quæ halitu ferit.

2. De natura humana.

Quodcunque autem *venenum contactu ferit*, minus efficax est, neque in solo spiritu vel in aëre, sed in humore quodam provehente vires habet. Hic vero in partem cute detectam quum insederit, contactu eam quidem primum, deinde vero proximas, reliquumque corpus omne, consequutione quadam inquinabit. Non enim rabidi canis solus halitus contagione quenquam polluit: sed in partem demorsu apertam & salivam vel humorem eructat, cum quo virus illinc sensim in omne corpus evadit: in integram vero cutem si incidat, nihil officit. Sic omnium bestiarum quæ virus ejaculantur, venenum provehente deducitur humore. Sic elephantiasis, aut luis venereæ virus, non inspiratu, sed humore in quamvis partem cute nudam defixo, sensim prorepit in omne corpus.

Quæ contactu.

Venenum quod non nisi intro sumptum vires habet, omnium infirmissimum existit, non in spiritu, non in tenui humore, sed crassiore quadam substantia inhærescens. Hoc genere

Quæ assumpta.

nere sunt fungi, arrhenicum, auripigmentum, & alia prope innumera, quæ non odore, non adhæsu, sed haustu solo enecant. Hæc chirurgi plerunque in malignorum ulcerum curatione citra ullam partium corporis jacturam magnoque usu extrinsecus adhibere solent: ex quo intelligitur, non esse illa contactu deleteria. At vero si quid istorum sumatur è crassiore materia, venenum vi nostri caloris suscitatum, in principes dein partes sese inserit, proferique sui furoris incommoda.

BR. Ist hæc sane dilucida & in primis expedita deleteriarum causarum distinctio.

Vnde & tales fiunt morbi.

EV. Jam vero cum tres occultæ sint & venenatæ causæ, *totidem occultorum morborum qui ex illis ortum habuerint* differentiæ ponentur, ut alii maxime quidem ab aëre, alii contactu, alii à venenata quæ intus sit materia, procedant contrahanturque. Hi quidem omnes venenati sunt, at non similiter neque iisdem ex causis. Nam qui ex intus conclusa materia processerunt, quia non foras emigrant, nec in vicinos contagione prorepunt, simpliciter venenati nuncupentur, reliqui omnes contagiosi, quod vel externæ ejusque venenatæ causæ occursu geniti sint, vel contagione mutuaque societate vicinos contaminent. Summa igitur hæc sit divisio: Occultorum morborum alii simpliciter venenati sunt, alii venenati contagiosi. Horum alii simpliciter contagiosi, ut hydrophobia & qui virulentarum bestiarum ictu fiunt: alii contagiosi pestilentes. Si quis forte hanc venenati repetitionem fastidiat, brevius dici permittemus, occultorum morborum *tres esse differentias, venenatos, contagiosos & pestilentes.* Ex aëre primum maximeque fiunt pestilentes, qui quanquam etiam contactu mutuaque hominum communitate & vitæ societate contaminent, prima tamen illorum origo visque maxima & validissima in aëre quem spiritu ducimus inest, illincque processit. Qui contagiosi dicuntur emisso halitu nihil aut minimum offendunt, at maxime plurimumque contactu.

Differentia morborum, & ad quas hi occulti pertineant.

PH. Possuntne hæc genera rursum minutius concidi?

EV Possunt utique. Nam morborum in multos vagantium, alii pandemii aut pancœni appellantur, id est, totius plebis morbi, aut omnibus communes, alii vero dispersi. Pandemiorum alii simplices, alii endemii, alii epidemii: rursum epidemiorum alii simplices, alii pestilentes: & pestilentium alii consueti, alii insolentes.

PH. Apta quidem divisio, at singulas species propriis notionibus explica.

EV. Dispersos morbos, ut quum hic pleuritide, iste nephritide, ille phthisi laborat, non persequor, quod non ex communi quadam causa, sed ex uniuscujusque proprio vitio & errore procedant. Pandemii causam habent communem. Ea si est in communis cibi vel potus vitio, pandemii simplices fiunt: si causa est in aëre, endemii vel epidemii. Aër quippe si ab inferioribus terrenisque causis inficitur, endemii fiunt: si à superioribus, id rursus aut ex temporum tempestatumque mutatione, tum fiunt simplices epidemii: aut ex cœlestium corporum viribus & influxu, ii sunt vere pestilentes: quorum alii graviores, alii mitiores, alii consueti, alii insolentes.

Hæc jam *exemplis illustremus.* Consueti pestilentes morbi sunt pestilens febris, carbunculus, bubo pestilens, iique graviores: in levioribus consuetis sunt exanthemata tum rubra tum purpurea, quæ summa cute maculis non extuberantibus efflorescunt: & quę ecthymata *Hippocrati*, *Plinio* papulę & pituitæ eruptiones dicuntur. Insolentes sunt paraplegia quædam lethalis, insueta & inaudita, quam *Hippocrates* commemorat in Thaso contigisse, & flagrantes ardores, gravedines anhelosæ, sudorifica febris, hanc ἱδρωπύρετον nonnulli dixere, qui nostro ævo in regiones plurimas invaserunt, aliique non pauci his finitimi, qui aut veterum oblivione deleti sunt, aut novi posthac emergent. Reliqui communes, & epidemii simplices, & endemii & pandemii, quia manifestam causam habent, sub occultorum morborum genere non continentur, neque præsentis sunt contemplationis. De his tamen affinitatis gratia dicemus. Simplices epidemii sunt lienteriæ, dysenteriæ populares, sanguinis eruptiones, tusses, opthalmiæ, pleuritides, tubercula, artuum dolores, febres omnes putridæ, & alii qui ab *Hippocrate* in epidemiis commemorati, sub dispersorum specie plurimum grassantur in vulgus. Hi non ut pesti-

Declaratur exemplis.

1. Epide.

pestilentes mutua societate homines contaminant, sed qua epidemii sunt nonnihil resipiunt malignitatis vulgaris, eoque distant à dispersis. Endemii sunt tum quidam horum, sed qui ex putridis aquarum, terrarum vel cadaverum exspirationibus orti sunt: tum etiam quibusdam regionibus familiáres, ut phthisis Lusitanis, struma Hispanis & Alpinis, hydrocele Narbonensi Galliæ, omnes quidem ex aëris gravitate nati. Pandemii simplices iisdem appellantur nominibus, sed quorum causa in victu sit communi: ejusmodi sunt febres, alvi profluvia, tubercula, aliaque plura incommoda ex communis aquæ usu profecta.

Quinam sint morbi formæ contagiosi. His missis ad *susceptam de occultis morbis tractationem revertamur. Contagiosi* morbi sunt, qui externi cujusdam veneni occursu & contagióne primum contracti sunt, ut stupor à torpedine pisce vel ab opio, hydrophobia, & qui scorpionum bestiarumque venenatorum morsu, vel telorum venenatorum ictu fiunt. Et qui tametsi ab externis causis primam originem non habuerunt, geniti tamen contagione afficiunt, ut lues venerea, elephantiasis, & qui ex istorum permistione fieri possunt. Hos neque inspiratio, neque commune alimentorum vitium unquam protulit: quocirca nec multos communiter invadunt, nec debent in pandemiis recenseri, sed peculiaris est sua cujusque causa.

Quinam manifesti. *Manifesti totius substantiæ* morbi supra appellati, ut phthisis, pruritus, scabies, lepra, achores, favi, & qui hujus sunt generis, contactu quidem & fiunt & afficiunt, neque tamen in hoc contagiosum genus referri debent, quod nihil occultum malignumque resipiant; hic autem contagiosos duntaxat occultos persequimur.

Venenati morbi alii ex veneno intus genito, alii ex veneno assumpto. *Quinam venenati.*

Ex intus genito veneno hi fiunt, strangulatus uteri à putri semine ortus, morbus comitialis, cujuscunque sit ordinis, syncope ex putrescente grumo sanguinis, subeunte veneni naturam, cordis quædam palpitatio, sphacelus ex septico humore, & alia cæca symptomata, quæ venenatus humor inferre consuevit. Venenum quippe non id duntaxat appellamus quod semper enecat, aut quod cordi vitæque principio sit infensum, sed quicquid tota substantia & cæca vi facultatum substantiam vel extinguit vel lacessit, & cæco modo earum functiones offendit. Intus autem gignitur venenum & à lumbricis computrescentibus, & ab esculentis potulentisque vitiatis, & à vario vivendi errore. *Qui varii.*

Ex assumpto autem veneno morbos, atque ex his plerunque interitum sequi, omnes vel plebeii compertum habent.

Venena lædunt corrumpuntve nostram substantiam, alia totius substantiæ dissidio, alia exuperantibus qualitatibus.

Totius substantiæ dissidio & dissensione napellus, aconitũ, rhododendron, apium risus.

Qualitatum exuperantia euphorbium, anacardus, opium, cicuta. Venenati morbi neque ex aëris inspiratu, neque ex causarum corpori occursantium contactu, sed ex intimis duntaxat causis fiunt & excitantur. Qui venenum hausit, aut comitiali morbo laborat, neque halitu neque contactu alios inquinare potest: qua ratione hi ab epidemiis & à contagiosis distant.

BR. Occultorum morborum differentias hac quasi figura recte videris expressisse: rursum tamen de iisdem sigillatim paulo altius meditemur, à pestilentibus auspicati.

CAPUT XII.

De pestilentibus morbis, quod illorum occulta sit causa.

EUDOXUS.

Morbi Pandemii simplices unde fiant. MOrbi quicunque omnibus communes & universales appellantur, ex communi quæcunque ea sit causa procedunt. *Horum qui simplices dicti sunt* ex semiputridis leguminibus aut frugibus, vel ex aquæ infectæ potu sæpe provenerunt: quomodo in castris aliquando contigisse memoriæ proditum est. Solent autem aquæ stagnantes, in quibus linum, asphaltum, canabis, rhododendron, aut alia stirpium

pium cadaverumve inquinamenta diutius marcerata sunt, isthæc afferre. Qui ex causis illis ortum acceperint, simpliciter pancœni aut pandemii, nondum vero epidemii appellantur, quod non ex aëre, sed ex pravo victu procedant.

Vnde Endemii.

Aër morbos efficit, quoties vehementer aut immutatur aut inficitur. Licet enim aëris substantia, simplex quum sit, putrescere nequeat, variam tamen primis qualitatibus mutationem subit, multaque inquinamenta tanquam sparsa morborum semina, alias ex inferioribus, alias è superioribus, excipit. Ex inferioribus quidem, velut ex stagnis, paludibus vel lacubus inquinatis ac putridis, è quibus expirans vapor ambientem permistione labefactat. Ex terra gravi & inquinata, ex antris, specubus, aut barathris, graves interdum expirationes in aëra attolluntur, nobis plurimum infensæ. Animantium, maxime vero serpentium, & hominum non cremata ex bello cadavera, reservata illorum excrementa, evulsæ stirpes venenatæ, aliæque sordes computrescentes, plerunque aëri graves & exitiales offensas induxerunt: non aliter quam metallorum, sulphuris, arrhenici, hydrargyri aut prunarum fumus coarctatus, non paucos jugulavit. Hujus autem generis inquinamenta, quoniam nec longius in multas regiones evagari, nec diutius permanere possunt, sed ipsa aëris immensa puritate facile dissipantur, vincuntur & pereunt, epidemios morbos non ingenerant. Sed qui ab hisce causis, ex ipsaque loci natura aut situ morbi fiunt, *endemii*, id est, illi *plebi aut populo peculiares* & vernaculi dicuntur.

Epidemii fiunt calitus.

Solæ igitur affectiones è *motibus superioribus* in universum aëra diffusæ, *epidemios*, id est, supervenientes & vulgares morbos invehunt. Sic n. statuit *Gal.* epidemiorum causam in aëre, quos & *Hipp.* à spiritu cujus attractione vivimus, provenire dixit.

Cœlitus autem fiunt in aëre affectiones constitutionesque duplices: aliæ sunt *qualitatum exuperantia*, vel inæqualitates ex temporum tempestatumque mutatione, ex quibus putredines plurimum graves: aliæ vero sunt *inquinamenta eo cœlitus demissa*.

Et vel ex tempestatum immoderatione.

Ex temporum mutatione tempestatumque magna vi quicunque morbi fiunt, simpliciter sunt epidemii. Cœli vero inquinamenta non hos solum, verumetiam pestilentes ingenerant, qui sunt epidemiorum perniciosissimi. Itaq; simpliciter epidemii, à pestilentibus distant. Illi siquidem non nisi ex multis temporum tempestatumq; mutationibus quæ aliæ post alias fiant, aut ex unius temporis solius magna quadam alteratione & vehemẽti permutatione proveniunt, *pro quibus non solum præsentes constitutiones consideranda sunt*, (inquit *Galenus*) *sed ex qualibus & quales fiant permutationes.* Ab his causis qui & quales morbi obtingere soleant, passim commemorat *Hippocrates libris epidemiorum*, & *aphorismorum tertio.* ut cum ait: *Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver vero pluviosum & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & ophthalmias & intestinorum difficultates. Quum enim corpora nostra ipsaque terra, ex pluviis vernalibus & ab austro humore multo scateant & madeant, necesse est æstate æstum conduplicari, ipsumque corpus & carnem inflammari, unde & febres acutissimæ & reliqua mala fiant.*

Et ii simplices.

Aphor 3.

Vel ab inquinamento calitus demisso. Et ii pestilentes.

At vero *epidemiorum qui pestilentes* appellantur, non ab ea causarum longa serie, nec ab ingenti temporum permutatione quę corporum humores perturbet, sed *à venenato inquinamento aëri insperso* prodeunt: quod cum spiritu intro subiens, cor viscus nobilissimum inficit: ex quo censuit *Hippocrates* morbos fieri perniciosissimos, qui vires omnes universumque corpus prosternant. Hi morbi sunt quos sæpius jam dixi causam occultam & abditam habere, nec ab illis pervulgatis primis qualitatibus originem ducere; quod plenius illustrandum demonstratione fuerat.

Quod probatur ratione 1.

Quanquam pestilentia, ut morbus omnis acutus, ęstu immoderato vel intemperantia excandescit, & æstate gravius affligit, sæpe tamen animadversum, æstatem ferventissimam nullum pestilentię genus protulisse: interdum pestilentiam hyeme initium cepisse, quæ ęstate media vel autumno soluta sit: argumẽtum plane evidens, illius causam non esse primarum aëris qualitatũ exuperantiam. Jam de putrida constitutione ęstimandum. Hæc si à terrenis exhalationibus profecta est etiã circumjecto aëri permista, pestilẽtię causa statui non potest, cũ ne epidemiũ quidẽ morbũ (ut supra dicebam) sed duntaxat endemiũ ingeneret. Quæ à noxia tem-

tempestatum mutatione, ut ab inconstanti, ab intemperato', à pluvioso, æstuoso aut nubilo cœlo tracta sit; ea licet longe dimanet atque propagetur, & ex graveolentia pruinæ aut roris magna esse deprehendatur, plerunque tamen sine peste evenit. At vero pestilens constitutio hyeme ac æstate, sicco ac pluvioso cœlo, bene temperato ac inæquali, plerunque citra graveolentem putredinem, adeo obscure & furtim invadit, ut nullo unquam sensu internoscatur: suntque pestilentiæ semina usque adeo occulta, cæca & à sensibus aliena, ut nos prorsus effugiant, inopinataque feriant, nec unquam nisi effectibus & eventis deprehendi possint. Hoc quidem inprimis mortalibus miserabile, impendentem sibi tantam perniciem ne odore quidem sentire, nec vitare posse.

Rat. 2. Nulla putrida, nulla intemperatior aëris constitutio, potest in valde multas mundi regiones evagari, in illisque vigere: at pestilentia tam immaniter interdum sævit, ut universum pene orbem occupet, frigidas atque calidas regiones, siccas ac humidas, hyeme ut æstate. Hujus generis duas sub Marco Antonio fuisse commemorant toti orbi gravissimas, quibus pene usque ad internecionem humanum genus deletum fuerit. Qualem & avi nostri narrant obtigisse anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo. Hæc in Asia exorta per Illyricum Dalmatiamque serpsit in Italiam, per Germaniam vero in Galliæ & Hispaniæ fines, compluribus annis misere in omnes fere populos debacchata, vix ut tertia pars viventium superstes evaserit. Hac causarum vicissitudine res humanæ permutantur: corruunt enim ac quasi neglecta vilescunt omnia ex tam sæva & miseranda clade. Summa vero (ut nunc) instauratione facta, omnia in pretio summoque statu vigent, aliquando rursum collapsura. Tantas quæso mutationes quis non putet causam è sublimi maxime generalem habere, neque posse ex sola tempestatum mutatione nasci?

BR. Hic denuo *quid putrida constitutio efficiat* contemplemur.

Neque fiunt à putredine. *EV.* Ea epidemios quosdam morbos inferre solet, nunquam tamen sola pestilentes: ad pestilentiam interdum confert & incrementum addit, at non illam excitare potest, sed causæ altioris hoc opus est. Si una putredo tantæ perniciei causa foret, omnes animantes peræque attingeret. Nam ut salubris aër spiritu ductus, omnes animantes tuetur ac sustinet, toti illarum generi salutaris: ita qui à putrida illuvie labefactatur, toti animantium generi æque perniciosus evadit: & unus omnium sanitati vitæque principio adversatur, & inspiratus omnes peræque lædit, neque homines magis quam boves, aut hos potius quam oves aut sues. Itaque si qua illinc pestis incidet, omnium peræque communis erit. Hoc tamen rerum eventu arguitur, usuque falsum deprehenditur. Compertum siquidem id omnes habent, quod ab optimis agriculturæ authoribus memoriæ proditum est, pestilentiam aliam incidere quæ solos boves jugulet, qualem meminimus anno Christi millesimo quingentesimo decimoquarto irrepsisse: aliam quæ sues aut quæ oves, aliam quæ gallinas, aliam quæ solos homines. Quæ pecudes ferasque interminat, pulchre est à *Virgilio* descripta.

Hic quondam morbo cœli, miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumno incanduit æstus:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.

Discriminis vero causam paulo ante expresserat.

Quam multæ pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

Jam igitur cum homines soli pestilentia corruunt; quænam causa hanc stragem facit? Non simplex putredo, ut quæ omnes animantes pariter attingit. Necesse igitur fuerit abditiorem causam peculiarem esse, ipsumque aërem peculiari quodam quasi veneno inquinari, quod huic, non illi animantium generi sit infensum, totaque substantia contrarium.

Si quis ex vobis contentiose asseveret, *putredinem causam* esse pestilentiæ, *sed quæ tamen non una* semper sit & uniusmodi, verum nunc illi nunc alteri animantium generi perniciosa: necesse est fateatur, malignam hanc esse quæ huic illive præcipue adversetur. Id autem quid aliud est quam venenum tota substantia, non manifesta qualitate in- *Aut saltem determinata.*

te infensum? Nemo enim explicare possit, quis modus, aut quæ ratio sit ejus putredinis, quæ vel bobus, vel ovibus, vel hominibus solis sit infensa. Id si nec dilucide exprimi, nec animo percipi potest, debet in eorum genere censeri, quæ cæca, obscura & *abdita nuncupamus*, & tota substantia contraria sunt, totoque genere deleteria, quæ nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerunt. Itaque quicquid asseratur, omnis pestilentiæ cæca & delitescens est causa, & aliunde quam ex primis qualitatibui aut ex putredine profecta.

Quare & occulta.

BR. Undenam quæso hanc fluere putas?

EV. A cœlo nimirum. At non à firmamento, nec à motu primo, ut qui semper sui similes est: non à Solis obliquo circumactu, sed *à certa permistione syderum*. Sol motu suo anni tempora æquabiliter facit ac disterminat, ver, æstatem, autumnum & hyemem. Quod autem non omnes æstates æque fervidæ sint aut siccæ, non omnes hyemes pariter rigeant aut humescant: quod æstas quædam muscarum & scarabæorum quasi nubes proferat, alia sit ab his omnibus purissima: quod omnium admiratione locustæ tanto exercitu in Galliam convolarint anno octingentesimo sexagesimo quarto, & in Italiam anno millesimo quadringentesimo septuagesimooctavo, ut omnia germina depopulatæ sint: id jam non à Solis motu, sed à varia syderum commistione petendum: quorum motus non inutiles & præter rationem, summus rerum conditor certis legibus definivit. Ut alia horum commistio imbres, alia austrinam, alia aquiloniam, aliamve tempestatem movet: ita sane fatendum, quandam obtingere quæ aëri pestilentiam immittat. Utque multa sunt pestilentiæ genera, ita uniuscujusque peculiarem quandam esse commistionis rationem & propriam causam, quæ alias mitius, alias ferocius in aërem atque in nos furat & debacchetur. Gravis est eorum stupiditas, qui sydera nihil in aëra, nisi calorem aut frigus, imbres aut siccitatem, lumine motuque suo inducere contendunt. Si illa bene constituta omnium vitam tuentur ac conservant, cur male constituta vitæ non incommodent? Illinc prima præcipua est rerum omnium salus & conservatio, illinc quoque interitus. Has

Sed veniunt à certa permistione siderum.

Aut falsam determinata.

A causas atque vires soli de medio tollunt, & tanquam nullæ sint negant, qui hujus sunt contemplationis imperiti. O vere felices qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt: qua neque ad præcavendos, neque ad persanandos pestilentes morbos est ulla præstantior. Itaque puræ simplicisque pestilentię causa est cœlestis configuratio vim inferens, quæ neque temporum mutatione, neque ulla manifesta qualitate, sed solo eventu deprehendi potest.

BR. Quam vero puram simplicemque pestilentiam esse definis?

EV. Id par est explicem. Tria diximus in aëre communium morborum genera. Endemium à terrenis inferioribusque exspirationibus: Epidemium à vehementi temporum tempestatumque mutatione: B Pestilentem ab occulta malignaque qualitate cœlitus demissa. Hæc interdum simplicia puraque seorsum apparent, *plerunque vero permiscentur & coëunt*, eorum causis in idem conspirantibus: tumque difficilis admodum est eorum distinctio. Licet enim variæ hæ sint & discretæ causæ, quoties tamen conjunguntur, coëunt & confunduntur, quadam generis affinitate sese juvant impetusque suos augent. Harum unica est vere pestis efficiens, duæ autem præparatoriæ. Pestilentia gravior evadit è regione putridis exspirationibus infecta, quam in sicca atque pura: rursumque gravior æstate quam hyeme, & austrina tempestate quam Aquilonia, & inæquali intemperatoque cœlo quam æquali & temperato. In summa, gravior est pestilentia quę Epide- C miis aut Endemiis constitutionibus permiscetur, quam quæ pura solaque consistit. Ergo graves terrenæ inferioresque exspirationes pestilentiam solæ non inferunt, at illam tamen non parum præparant & excitant. Hæc causa est cur una pestilentia non omnes regiones, nec omnes homines peræque afficit & lædit. Pestilentia perniciosius tanguntur loca maritima, austro objecta, calida & humida, tetris exspirationibus infecta; alta atque patentia: quam mediterranea, aquilonia, sicca, pura & contecta. Rursumque inter homines magis læduntur, qui calidi & humidi, multo scatent humore putredini obnoxio, patentiore laxoque corpore, quam qui frigidi sunt & sicci,

Endemiorum tamen simplicium & Epidemiorum causa permiscentur.

Et pestilentium.

ſicci, humore pauco eoque puro, & corpore moderate laxo vel adſtricto. Nimia corporum laxitas quemadmodum & obſtructio præparat ad peſtem. Quanquam autem hæc vera ſunt, propria tamen & peculiaris conſtitutio atque præparatio quæ loca vel corpora reddit peſti obnoxia, omnino nos latet, neque ſenſu, neque ratione, ſed ſolo eventu & experimento, uti ſuperior illa peſtilentiæ cauſa, comprehenſa. Multos videas in peſtilentia ſimplici, febre vel continua vel tertiana vel quartana corripi, qui licet putridis ac vitioſis humoribus ſcateant, peſte tamen nequaquam polluuntur: argumentum, non ſola putredine in hanc luem corpus præparari. Alios quos optime ſanos judices, facile peſte corripi: hunc vero qui multorum peſtiferorum occurſu nihil ſit perpeſſus, uniuſcujuſpiam cum quo vel familiæ vel temperamenti ſimilitudo ſit, ſocietate prehendi. Ut ergo efficiens, ita etiam patiens excipienſque peſtis cauſa cæca eſt & occulta, non qualitatum primarum intemperie, non ſimplici putredine, ſed totius ſubſtantiæ proprietate nobis infenſa.

Signis autem diſcernuntur peſtilentes à cæteris.

BR. Recte mihi videris peſtilentiæ externas cauſas exequutus. Cæterum hoc ſcire vehementer opto, quibus ſignis vel optime exercitatus medicus peſtilentem febrem ab ardente diſcernet.

EV. Sive tu illarum ſubſtantiam, ſive ſymptomata contemplaberis, latum eſt diſcrimen. *De ſymptomatis* primum, mox de eſſentia. Vis peſtifera in corpus irruens ſpiritibus & humoribus confertum, ſymptomata infert quæ etiam aliis ex putredine morbis communia. At hujus propria quædam ſunt, quibus prudens exercitatuſque medicus illam agnoſcat diſcernatque à cæteris & uno quovis objecto morbo, nullaque cunctatione judicet, ſimplexne is ſit, an divinum quiddam habeat: qua diſtinctione prætermiſſa, nulla recte curatio ſuſcipi poteſt.

PH. Eja igitur peſtilentium morborum propriam ſpeciem nobis depinge, ſingulos ordine perſecutus.

EV. Peſtilentiæ ſemina pariter cum ſpiritu hauſta in pulmones, quam mox ſine ſenſu in cor penetrant. Hoc, ſi affectioni præparatum eſt, nec ſatis obſiſtere valet, labefactant, continuoque, arteriarum ſpiritus: poſtremo (quanquam non ſemper) humores univerſumque corpus inquinant. Affecto inquinatoque corde, vires omnes præcipueque vitales infringuntur & ſpiritus ſqualent. Hinc arteriarum pulſus exilior & imbecillior, ſimulque frequentior ac celerior, quo uno febrem ineſſe judicant illam ephemeram, peſtilentium omnium pernicioſiſſimam. Ea nec ardore mordax nec ſiti vehemens, qua nec laborantes ſe febrire credunt: non urinis, ſed vel animi defectione, vel ſyncope, vel pulſu parvo ac preſſo, vel aſſidua vomitione, vel vigiliis, inquiete & jactatione corporis, viriumque proſtratione conſpicua, quæ plerunque ſine ſenſu doloris, hominem inopinato rapit. Quum labes altius permanat in humores, mitior quidem febrem infert peſtilentem ſimplicem, vehementior vero carbunculo vel bubone inſignitam. Licet ſanguis & humores labefactentur, non tamen putreſcunt, unde nec turbidæ, nec confuſæ viſuntur urinæ, ſed ſubſtantia, colore ſedimentoque laudabiles. Bubo atque carbunculus priuſquam febris apparens, mitiorem peſtem denuntiat: robuſtamque cordis naturam veneno laceſſitam, hujus ſtatim nonnihil foras propuliſſe. At poſt ortam febrem prorumpens, dominantis veneni impetu fit, eſtque quaſi victæ naturæ pernicioſum indicium. Ea eſt peſtilentis febris exquiſita deſcriptio. Quod ſi præterea vel capitis dolor, vel delirium, vel ſitis, vel incendium vehemens, vel urina turbida comitabitur, non ex labe, ſed ex putrida permiſtione fiet, quæ alias aliam partem laceſſit. Hæc autem permiſtio ex quadam cœli conſtitutione non ita pridem elapſa eluceſcet, in qua febres hac lege graſſabantur. Initio calor vehemens, ſitis, capitis dolor, vigiliæ, nauſeæ, inquies, aliaque vehementia ſymptomata exercebant: ſimul & urinæ cernebantur rubicundæ, craſſæ, turbidæ atque confuſæ: omnia in ſeptimum diem perſiſtentia. Hoc vero ipſo die urinæ puriores evadebant, concoctione manifeſta quotidie in melius procedente, ſimulque ſymptomata leviora. Quum ita ſe mox perſanatum iri magna ſpe ægri medicorum judicio ſibi pollicerentur, plerique non multo poſt peribant. Pulſus quip-

quippe hinc in dies sensim imminuebatur A & languescebat, totiusque corporis robore pedetentim dissoluto intra quartum decimum mortem oppetebant. In his ergo febribus putredini permista erat pestilentia: ac die septimo evicta jam putredine, perseverans dein pestilentia tacite ac furtim jugulabat. Itaque pestilentis febris essentia ex propriis symptomatis perpenditur. Si pestilentes febres (quod *Galenus* memoriæ mandavit) calore non admodum vehementes sunt, si earum urinæ simillimæ sanis & cum sedimento, planum est & evidens, aut nullam aut admodum exiguam his inesse putredinem, neque hanc exitii causam haberi.

Quomodo discernantur essentia: secundum alios. Non pauci editis de peste quæstionibus & libellis vehementer æstuant, ut tueantur pestilentem febrem non aliunde quam ex putredine proficisci: *utque illis discrimen statuant à cæteris putridis,* ajunt, *propriam cordis substantiam*, vel primigenios humores, in illa B computrescere, neque aliud esse venenatam pestis malignitatem (de qua disserimus) quam putredinis modum. In aliis febribus atque etiam in causo, neque cordis substantiam neque insitos humores putrescere, at uno putrium vaporum occursu incalescere. Hi vel necessitate adacti fatentur, omnem pestilentem febrem ex putrida & hectica constitui, quasi earum quædam sit compositio. Alii quibus hæc commenta non placent, non minus absurda fingunt, pestilentis febris profundam, sordidam ac tenacem, cæterarum extimam duntaxat & levem esse putredinem. Multa utrinque subtiliter disputant, sed quoniam à veritate desciscunt, necesse est multis figmentorum technis se irretiant.

Qui refutantur. Qua quæso illi ratione fieri posse existimant, ut vel cordis substantia, vel primigenii illius humores putrescant? Nihil ejusmodi tolerare potest vivens animal, sed prius vita excedat quam eo veniat. Ut cordis substantia neque ulcus neque erysipelas, ita neque ullam putredinem admittit. Illa etiam quo pacto cohærere possunt, cordis substantiam putrescere, neque admodum vehementem esse calorem? Si in causo putrescentis bilis solo contactu cor vehementer calet, multo certe vehementius incendetur id universum si putrescat. Adde non posse cor universe putrescere, quin jam ante acriter incaluerit, proinde neque posse in hoc extremum perveniri, quin calor ante sit deprehensus multo vehementior quam in causo. At non ejusmodi, sed toto morbi decursu mitis observatur: ex quo intelligitur pestilentem nulla affinitate cum putrida febre conjungi. Cum hectica vero quid affinitatis habeat? *Obsidet* (ajunt) *utramque cordis substantiam.* Esto sane. Non tamen pestilens febris cor siccitate torret ut hectica, ut proinde illi sit affinis. Deinde quum ex confirmata hectica omnes decedant, deberent vel majori necessitate ex pestilente interire: quis enim putrido corde vivat? At non paucos videmus ex pestilente servari: nihil igitur similis est hecticæ. Quoniam igitur pestilens febris neque caloris incendio ut causus, neque siccitate ut hectica, cor torret: ab utraque plurimum differt, habetque præsentem vim & perniciem omni intemperie, omni putredine majorem, quæ una veneni specie cor vitæ fontem obsidet demoliturque. *Verum ab aliis differunt veneno.*

Hanc autem speciem, qualis sit, eventis ponderemus. Quum peste correptus solo halitu aut excrementorum exspiratione assidentes vel integre sanos labefactet, hique vestibus contagionem longius exportent reserventque diutius, constat, hanc non simplicem putredinem, sed multo immaniorem perniciem esse, quæ tenui eoque admodum repentino aëris inquinamento tenetur, hancque alio quovis veneno expeditiorem. Non enim si quis toxicum e-C biberit aut sit à scorpione demorsus, halitu alios inquinet. Reliqua symptomata si diligenter expenderis, pulsum parvum & obscurum, animi defectionem, syncopen, vomitionem, assiduam jactationem cum vigiliis, omniaque nullo fere sensu doloris; quis vestrum hæc non potius veneni quam putridi caloris sobolem dicat? Qui ajunt, in pestilentibus febribus idcirco urinis sedimentum inesse, quod natura perterrita putredinis exuperantia, quasi succumbens morbum aggredi non audeat: singularem corporis nostri naturam consilii atque rationis participem efficiunt, quæ tamen sine ratione ciet motus in corpore necessarios, nec unquam otio perfruitur. Fieri certe non potest quin ex summa putredine

quæ in venis est aliquid profluat cum urinis, in hisque putredinis indicia se proferant. Itaque si illarum urinæ sanis sunt simillimæ, fieri nequaquam potest ut in vasis mala putredo subsistat quæ interitus sit causa, sed latet nonnihil gravius pestilentiusque putredine, quod nimirum cordi totius substantiæ repugnantia & dissidio adversum sit & tanquam deleterium.

Quare & plane diversam curam habent.

BR. At Galenus non alia ratione bolum armenam pestiferos juvare tradit quam quod vehementer exiccet, exuperantemque humorem exorbeat, qui putrescens pestem inducit.

EV. Visne igitur hanc meam sententiam medendi ratione confirmem? Si pestis in corpus inciderit, quod jam vel plethora vel cacochymia vel obstructione laboret, fieri vix potest ea simplex, sed fere tum putridæ febri implicatur. Hac morborum permistione mista signa apparent, & amborum quasi mista medendi ratio tenenda. At si purum corpus erat quum pestis invasit, omnino ea simplex obtinget. In hac medici celeberrimi & qui longo artis usu doctrinæ studia compleverunt, prorsus *abstinent à vena sectione*, nisi admodum ingens adsit plenitudo, experti, eos quibus sanguis sive initio sive postea esset missus, aut paulo post obiisse, aut in deterius lapsos esse. Non enim (ut quibusdam videri possit) vacuatio hanc perniciem summovet, aut imminuit, aut cohibet, ut quę non est in humoris vitio posita: neque laborantem ulla ratione levat, sed contra gravius offendit. Etenim extrinsecus nos circunfundens pernicies, vacuato sanguine & spiritu, in pulmones, in cor & in venas facilius penetrat, ac ferocia majore invalescit: sanguis etiam plebotomia concitatus, promptius labem contrahit, quemadmodum aqua cui fellis tantulum injeceris, si agitetur, ocius quam si consistat amarescet. Quinetiam vires vacuatione imminutæ, insilienti perniciei minus obsistunt. Hæ rationes experientia confirmatæ, ut à venę sectione, ita magis *à valida purgatione* docent abstinendum: clysteribus & levioribus medicationibus utendum. Quum igitur in pestilenti febre simplici, tota pernicies à venenata qualitatę impendeat, extremo morbo extrema remedia diligenter adhibenda sunt, non quæ vacuent, sed quæ tum frigore & adstrictione levi, spiritus, sanguinem & humores cohibeant reprimantque, cujusmodi est mali punici, citrei, medici, & uvæ acerbæ succus victusque persimilis: tum *quæ totius substantiæ proprietate hujus veneni vires aut obterant, aut hebetent, aut foras sudore exterminent.* Hujus & uniuscujusque veneni, propria est antidotus, antipathia & totius substantiæ dissidio adversa. Huc tamen nonnullas etiam antidotos plurimi accommodant aliis venenis communes, scordium, dictamnum, gentianam, veronicam, theriacen, & mithridatium. † Adde & terram lemniam, & bolum Armenam, de qua modo quærebas. Hæc igitur non exiccando, sed totius substantiæ proprietate in id vires habet. Cur enim non etiam inediæ ad pestem multo majorem vim obtinerent, quum & potentius & tutius quam bolus corporis uuiversi superfluentem humorem absumant dissipentque? Quin etiam bolus siccitate omnibus peræque putridis febribus, neque pestilenti quam illis potius conferret, nisi peculiari quasi privilegio ornaretur. Sive igitur pestilentium febrium causam, sive ipsam illorum substantiam, sive signa, sive curandi rationem animadvertes, ubique proculdubio vim illam agnosces abditiorem, alias quidem manifestius, alias obscurius.

Non ferunt venæ sectionem.

Non purgationem.

Sed requirunt Alexipharmaca.

Variolarum causa.

BR. Recte tu quidem. At de *exanthematis & ecthymatis* quod à te in medio positum fuerat persequere. Scio quam his *causam Avicennas* & Neotericorum plurimi designent: *reliquias quasdam menstrui sanguinis* quo fœtus in utero alebatur, in pueris & infantibus etiamnum permanere: quæ fervidiore cœlo vel austrina tempestate, una cum reliquo sanguine effervescentes, naturæ vi propulsæ foras prosiliant & efflorescant in cute.

Non sunt reliquiæ menstrui.

EV. Hæc quidem ab illis scio proferri, at quam consentanee, ipse dijudices. Ex ea

† J. HEURNIUS Pestiferæ Febri cum convulsifico motu adhibuit quod & notavit inter secretiora) ℞ *Lap. Bezoar.* ℈ß. *margarit. pp.* ℈j. *Theriac. opt.* ℈j. *Philonii Romani gr. viij. cum pauca aqua Cardui Bened. & Syrupo de acredine citreorum F. Haustus. Sumatur Vesperi diu à cibo.*

ea ipsa causa mulieres quibus suppressi menses in omne corpus redundant, iisdem malis obnoxiæ jacerent, quod tamen rarum videas. In pueris & infantibus quod dicebatur menstrui reliquias permanere, *Galeni* sententia redarguit, quæ asseverat, fœtum in utero non è fœdiore illo sanguine menstruo, sed è materni purissima portione alimentum capessere. Neque si quid menstrui fœtui cedit in alimentum, id tandiu potest post multas febres, post multos morbos superatos, in annum ætatis trigesimum aut quadragesimum perdurare, qua nos ætate non paucos vidimus hisce exanthematis gravissime conflictari, alios occumbere. Adde unumquenque his aliquando in vita necessario conflictari debere, & neminem his posse secundo aut tertio prehendi: quorum utrumque manifeste falsum animadvertimus.

1. De sanit. tuent.

Sed causa aliqua Epidemica.

Hæc vero mala ex communi quadam *causa toti aëri conspersa* originem habere, luculenter demonstrant, quod non solum fervidiore cœlo, sed & hyeme interdum grassantur. Quod annos complures sileant, & certis annorum intervallis sæviant in plebem, alias quidem seorsum exanthemata, ut gravissime anno millesimo quingentesimo sexto: alias ecthymata sola, ut anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo: quæ qui videt, quomodo *causam illam superiorem* non intelligat ac judicet mundo grassari? Ut igitur carbunculus & pestilens bubo, ita sane exanthemata & ecthymata causam habent è sublimi: at ea peculiari quadam malignitatis specie aërem contaminat. Aliaque in his existit quam in carbunculo vel in bubone: & alia in exanthemate quam in ecthymate: & horum quam illorum minor est ferocitas. Causa autem cur infantibus & pueris magis familiaria hæc sint, reddi potest, quod firmior ætas & adultior, tantulis malis non lacessitur, nisi quum forte constitutio gravior invaluerit.

Venenata.

Rat. 1.

Rat. 2.

Hæc autem rursum ex ipsorum morborum descriptione & figura consideremus. In cute ii quidem efflorescunt, non ex ambientis contactu, sed ex inspiratu, quo ut cor afflatum delibutumque fuerit, ipso statim initio universum corpus, maxime verò caput ingravescit, hoc etiam plerunque dolore concutitur, oculi tument & illachrymantur, facies quasi inflammata rubescit, vox raucescit, spiritus crebrior ac difficilior evadit, pulsus frequens ac celer, febris nuntius. Malo dein ingravescente venenum ex humoribus die tertio aut quarto foras prosilit, & in cute efflorescens mali speciem detegit. Ecthymata multis toto corpore confertim albo colore extuberant, quæ pituitæ & bilis permistionem præ se ferunt. Exanthemata vero quasi pulicum maculis fere rubra apparent, interdum purpurea, interdum viridia aut nigra. Tandem compresso furore, soluta alvus humorum qui contaminati fuerunt reliquias crisi expurgat. His ita apparentibus, nullum tamen putredinis indicium (si modo simplices sint morbi) cernitur in urinis: argumentum, eos venenata qualitate, virium corporisque nostri totam substantiam demoliri.

Rat. 3.

Hoc & morborum fœditas testatur, tam deformis aliquando visa, ut occæcatis oculis, universa cutis in squamas fœtidas & in crustas ingentes solveretur: corpus omne non aliter contabesceret & macie nigroreque torreretur, quam si menses quatuor è furca pependisset.

Neque vero solius cutis hæc vitia, verum etiam omnium interiorum, musculorum, viscerum, solidarumque partium omnea, priusquam cutis labefactatæ. Sæpe enim deprehensum, prægnantes maturos partus edidisse hac lue perfusos, quarum aliæ nihil omnino foris, aliæ non nisi multis post diebus incommoda senserunt. Et quosdam ab interitu dissectos, quibus jecur, lien, pulmones, omniaque interiora haud secus atque cutis sordidissimis papulis manentibus scaterent. Quinetiam raucitas spiritusque difficilis initio premens, & prima eruptio in faucibus & ore, in ano & partibus obscœnis apparens, planum facit, ex intimis partibus hæc mala originem habere. In has etiam finiri, argumentum est, quod sanatis & raucitas & spirandi difficultas manet, alias sine tussi, alias cum tussi ad tabem deducta.

PH. Isthæc adeo luculenter explicata video, ut fides abrogari non possit.

EV. His finitimæ & quadam similitudine conjunctæ sunt *febres sudorificæ*, quæ insolen-

Sudorificæ febris. lentes magno terrore in omnem inferiorem Germaniam, in Galliam Belgicam & in Britanniam, ab anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto in annum millesimum quingentesimum trigesimum autumno potissimum pervagatæ sunt. Ut primum lues hæc in civitatem quandam invaserat, derepente supra trecentos aut quingentos indies corripiebat, dum hinc alio commigrasset. Perculsi mox quasi essent languore dissoluti, animi defectione corruebant, decumbentesque perpetuo sudore diffluebant, cum febre, cum pulsu crebro, celeri & inæquali, neque sudori motus erat ante morbi solutionem. Solvebatur autem uno aut summum altero die, quanquam liberati diu postea languebant. Omnibus cordis palpitatio conquisita, alios quidem duos tresve annos, alios omnem vitam comitata. Initio multos sustulit, quum nondum illius vis erat percepta: at postea admodum paucos, ubi exercitatione & usu deprehensum est, eos qui sudores exciperent prolicerentque & se cardiacis munirent, omnes restitui. Insolentium morborum quum nec vis nec medicatio cognita est, gravis solet esse calamitas.

A veneno quoque. Hoc statu aër tenui nec admodum *pestilenti veneno perfusus*, suppar infirmiorque vitali robore, cor ut lacessiverat in cutem corporis extimam foras propellebatur, nec carbunculo, nec bubone, nec exanthemate, nec ecthymate, sed sudore solo prorumpens, quod venenum spiritui quam humori potius insideret. Omni quippe ratione hæc febris in ephemerarum censu habetur. Eam igitur tempestatem quis quæso non pestilentem judicet, quæ tam multos, tam multis sensim mundi regionibus, repente sine sensu oppresserit: cum cordis indefinente palpitatione, cum animi defectione perpetua, cum eruptione foras ad cutem, quæ multorum est pestilentium morborum communis?

Vi & gravedo anhelosa. Illa porro omnibus decantata *gravedo anhelosa*, anno Christi millesimo quingentesimo decimo, in omnes fere mundi regiones debacchata, cum febre, cum summa capitis gravitate, cum cordis pulmonumque angustia atque tussi, quanquam multo plures attigit qnam jugulavit: se suo tamen impetu proprioque ac inaudito veneni genere, pestilentem prodidit.

PH. Quos proposueras pestilentes morbos, omnes jam videris exequutus. At quos simplices epidemios & endemios appellas, siccine putes abditioris illius perniciei quippiam redolere, & ex tacitis incomprehensisque causis proficisci?

CAPUT XIII.

Epidemiis morbis occultum quiddam inesse.

EUDOXUS.

Vt hi pestilentes, ita & simplices Epidemici, venenati sunt. PUto equidem, & cur putem dicam. quanquam non æque evidens est in illis demonstratio. Dysenterias, lienterias, pleuritides, ophthalmias, febres acutas, hujusque generis morbos vulgares, temporum mutatione tempestatumque vi suscitari, perspicuis rationibus suaderi potest: in idque multus est *Galenus*, multus & *Hippocrates, libris de locis, aëre & aquis, libris epidemiorum, & aphorismorum tertio.* Cæterum quum longa observatio tempestates non paucas iis quas *Hippocrates* commemorat similes notaverit, easque admodum salubres, multas vero temperatas & æquales cum primis insalubres & perniciosas, non possum equidem non suspicari, *præter qualitatum tempestatumque mutationem, occultius quiddam & perniciosius in ambiente nos aëre* tum volitare & circumferri.

Dysenteria. Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo octavo *dysenteriæ* graves universa Europa tanta ferocitate populabantur, vix ut civitas ulla immunis evaserit, cum tamen nec exuperans intemperies, nec temporum inæquabilitas, nec valida tempestas ulla aut vigeret, aut ante viguisset. Annus autem ab hoc secundus, qui à Christo nato quadragesimus erat supra sesquillesimum, omnium, quos majorum memoria notaverat, toto orbe ferventissi-

tissimus, maxime tamen salubris obtigit.

Lienteria. Possum itidem & de *lienteria*, quam meministis circa hæc tempora plurimum invaluisse, ratiocinari, quemadmodum de *pleuritide*, *Pleuritis.* febre omnis generis, deque aliis non paucis epidemiis, quos ut nostra ita majorum ætas & vidit & animadvertit. Hi porro morbi quum in omnes terræ regiones calidas ac frigidas, Austro & Aquilone perflatas, peræque invadant, id quæso existimate, num præter intemperiem aut simplicem putredinem, sit necesse quippiam in aere contineri, quod omnium causa communis existat. *Rat. 1.* Non enim possit calida vel humida intemperies, regionum tam longe lateque distantium communis esse causa: nam quæ Australes offendet, Aquilonios juvabit. Nec igitur potest ulla putredo ex intemperie nata, omnium regionum esse communis. Quocirca præstantioris & occultioris cujusdam originis simplicium epidemiorum causa sit oportet. *Prædictionum 2.* *Hippocrates* ad explorandam morbi cujusque naturam, & ad eventum prænoscendum, jubet tum temporis conditionem, tum epidemiorum morborum impetum animadvertere: designans causas duas plane diversas, temporis conditionem & latentem tacitumque impetum, morbos quoque ex illis prodeuntes diversos.

Rat. 2. Quicunque celebres medici popularis dysenteriæ, pleuritidis, aliorumve morborum qui grassantur in vulgus, naturam & curationem literis mandarunt, eos certe quam ejusdem cognominis dispersos, multo perniciosiores notaverunt, quasi tanta tamque communis causa, perniciei expers esse non possit. Sidera ut pestilentes ita & alias interdum minus perniciosas, easque occultas excitant qualitates, quæ fiunt epidemiorum morborum causæ.

Febres tam continuæ. BR. Rursum quæso de *febribus vulgaribus* paulo attentius meditemur. Equidem continuas febres, non modo in quibus ecthymata erumpunt purpurea, verum etiam omnes quæcunque grassantur populariter, non admodum inficiabor præter peculiarem humoris putredinem, nonnihil etiam publicæ communisque perniciei redolere, cum proxime ad pestilentes accedant. At de intermittentibus, etiam si populares sint, major foret controversia: quod illa- *Aph. 44. quarti,* A rum genus universum *Hippocrati* salutare habeatur.

EV. Quod morbus quispiam salutaris sit, non idcirco possis inficiari pestilentem aut occultum esse. *Galenus libro de crisi secundo,* *Quam intermittentes.* singularum febrium judicia persequutus, post ea quæ à symptomatis petuntur, alia ab efficientibus antecedentibusque causis deducit: & præter primarum aeris qualitatum exuperantiam, aliam abditam & delitescentem causam invenit. Ne autem in his referendis nimius sim, satisfuerit de quartana sola sententiam proferre. *Primum vero (inquit) hoc ipsum considera, nunquid autumnus frigidam & siccam inæqualemque temperaturam acceperit: tunc enim certius sperabis quartanos circuitus in ipso fore frequentiores.* B *Posthac si regio ipsa talium febrium sit procreatrix: si ægrotantis natura atra bili sit obnoxia. si ratio victus antecesserit, quæ hujusmodi humorem coacervavit: & si eo tempore quartanæ febres populariter fiant.* *Quod probatur exemplo quartanæ.* Hoc loco *Galenum* videtis, præter ægrotantis, regionis, & victus conditionem, duplicem in ambiente nos aëre *Rat. 1.* constituisse causam, unam frigidam & siccam inæqualemque temperaturam, alteram nec nomine nec verbo expressam, quæ tamen causa est cur quartanæ febres populariter fiant. Hæc tametsi adeo obscura est & naturæ arcanis involuta, ut nec propria essentia, nec nomine comprehendi possit, eam tamen & esse constat & aliam ab intemperie. Jam vero si quartanarum popularium causa obscura & delitescens est, necesse fuerit ipsas quoque quar- C tanas essentia obscuras & occultas haberi.

BR. At nihilominus uno omnes ore quartanarum cæterarumque intermittentium essentiam in humoris putredine, & ex hujus differentiis, illarum differentias constituunt.

EV. In illis (fateor) putrescit humor aliquispiam: cæterum neque is, neque calor illius soboles, tota febris est essentia. Gravis sæpe humorum putredo & coërcetur in nobis & expellitur, quam nec febris antecessit, nec comitatur, nec consequitur. In elephantiasi, in lue venerea, tanta plerunque putredine corporis tum interiores, tum externæ partes obsidentur, ut exesæ *Rat. 2.* quasi laceratæ excidant, idque nullo febris indicio.

BR. Hæc duntaxat mihi persuadent, non ex quavis sine delectu putredine, etiam si gravissima sit, febrem enasci.

EV. Edissere quænam putredo febrem, & quæ nullam accendet.

BR. Hoc si verbis explicare coner, frustra laborem.

EV. Id igitur fatendum est, unum quippiam ex eorum numero esse quæ nos fugiunt, tacitum & obscurum. Ne quid autem suspiceris aut metuas, non magnopere contendo, id ipsum de quo nostra est disputatio à cœlone prodierit, an intus sit in corpore genitum, uti & venena non pauca. Satis sit in re controversa, demonstrare, id quicquid est, occultum, nec solius intemperiei sobolem esse. Age igitur, gravi ille putredine scateat sine febre: hic vero cum febre. Hic præter simplicem putredinis rationem, aliud quippiam circumgerit, à quo febris incitatur, & quod accedens febrem inducit, decedens abducit. Id quocunque nomine appelles, à putredine diversum quiddam est, in quo consistit febris essentia. Hoc autem ut constet luculentius, paucis referam quæ observationibus olim animadverti, quorum & vos similia

Rat. 3. videre potuistis. Misellus quidam quartana febre simplici & lue venerea, sordidis ulceribus deformi, duobus sane quam contumacissimis malis conflictatus, opem medicam exposcit. Convenienter præpurgato, ligni guajaci decoctum imperatur, cum victu tenui & admodum exquisito. Horum perseverantia, universi corporis putridus humor partim absorptus partim dissipatus est in sudores: omnisque partium intemperies sic abacta est, ut maligna quæque & sordidissima ulcera, quibus tum nasi extremum exciderat, tum reliquum corpus omne scatebat, ad cicatricem perducta sint. At nihilominus cum à lue venerea integre vindicatum corpus videretur, omnisque illius obstructio soluta, omnisque exhausta putredo: quartana tamen contumaciter in tempus longissimum producta est. Ex quo intelligi potest, proximam illius causam non in obstructione, non in humorum putredine, sed in affectione quadam secretiore statui, quæ partibus ipsis inhærescit.

Rat. 4. 2. de Diff. feb. ca. 17. Hanc *Galenus* jam senex agnovit, de febribus intermittentibus ita sentiens: *Harum circuitus repetere minime desinit, quoad dispositio in parte generante excrementa servetur.* Quin & eo loci paulo altius quam *libris methodi*, & *primo artis ad Glauconem*, febrium curationem instituens, præcipuum sanationis scopum esse ait *dispositionis hujus correctionem*. Ea autem febrilis dispositio, est ab intemperie longe diversa.

Hoc ipsum ex eventu superiori contrario æstimemus. Sæpenumero quartana febre soluta, corpus etiamnum permanet impurum, alias quidem aliis febribus, alias cruditati, alias lienis scirrho, alias cachexiæ, vel hydropi, alias aliis ex putredine malis obnoxium. Hoc non modo in pestilentibus & contagiosis, verum etiam in venenatis morbis omnibus *Dioscorides* accidere tradit, ut quum tempore vis illa venenata & præsentanea perdita fuerit, vitiosa quædam affectio diuturna relinquatur, quæ communia aliorum morborum remedia communemque medendi rationem efflagitet. Rat. 5. Lib. 6.

Sæpe etiam ex impuro corpore & putredine conferto, vidimus quartanam febrem non simplicem modo, sed & duplicem & triplicem propriis antidotis abigi, nulla purgatione præmissa, & stabili impuritate. Non præter rationem propria quædam febrium remedia invulgantur, quibus vel aniculæ optimis medicis calumniam texunt, illorumque artem insimulant. Rat. 6.

BR. Multa in peregrinatione vidi hac de re incredibilia, quæ tanquam omnino ridicula sum aspernatus.

EV. Itaque si putredo profligari potest manente febris essentia, rursumque essentia dissolvi, manente putredine, perspicuum esse debet, illa variis diversisque tum naturis tum essentiis teneri. Quoniam autem de quartana febre exempli gratia sermo habitus est, reddat vestrum aliquis manifestam causam, cur ea, licet interdum annos quatuor perseveret, nunquam aut rarissime eundem hominem bis tota vita prehendat. Equidem hactenus unicum bis prehensum audivi. Aut cur quartanæ febris statæ & quæ errabunda non sit, circuitus pomeridianis duntaxat horis invadat. Hæc quis tam occulta & involuta esse credat, si non etiam occulta planeque obscura quartanæ sit essentia? Rat. 7.

BR. Nova audio.

EV. Im-

EV. Immo pervetera, licet nondum fortasse animadversa. Adde etiam, quartanam eo contumaciorem fore, quo meridiei propius invaserit.

BR. Ea fortasse causa sit, cur medicus admodum prudens, in quem aliquando incidi, ad earum febrium omniumque popularium morborum curationem, selectas antidotos diligenti syderum observatione adhiberet, nosque frequenter magna operum suorum teneret admiratione. Magna etiam probabilitate id suadebat quod est ad finem *libri de natura humana*, sive *Hippocratis*, sive *Polybii*, sive alterius is est, omnes febres ex bile esse. Nos praeterea gravi in errore versari, qui, ut omnis continuae febris materiam in majoribus esse venis, ita omnium intermittentium causam existimaremus in carne seu in ipsa corporis mole contineri, B uno *Galeni* argumento, de rigore, & de sudoribus inclinatione erumpentibus. Is magna rationum efficacia, ex causis, ex signis, ex curandi ratione, docebat, intermittentium materiam saepius in ventriculo, aut in visceribus, aut in ventre inferiore coërceri: hincque nihilo minus quam ex corporis mole & rigores & sudores moveri.

Harum febrium causa à Galeno juniore.

EV. Optime nunc tecum ageretur, si ex his paucis, abditiora quaedam ab illo diligenter pervestigasses. Multa quippe viri docti usu longo parta, sibi tanquam in thesauros recondunt, quę etiamsi publicae utilitatis desiderio tenentur, invulgare dubitant, ne multitudinem veterum doctrina confirmatam vellicent ac irritent.

BR. Tu vero de his quid sentis?

EV. Haeccine vis in sinu tuo dicam? *Galenus* nondum artis operibus confirmatus, C *secundo de Crisi* hoc continentem febrem ab intermittente discrimine sejunxit: *In tertiana per totum corpus bilis defertur, atque ideo vehemens fit rigor, bilisque: supervenit vomitus, urinaque ac sudores biliosi sunt. In ardentibus vero, quae nullam habent intermissionem, bilis humor in vasis, una cum sanguine continetur: atque hae ipsae à tertianis differunt, (quamvis eo qui utrunque facit morbum humore communicent) quod in his quidem intra venas continetur, in illis vero cum vehementer moveatur, per singulas corporis partes disseminatur, quo fit ut delationis impetu ipsa per seipsam* expurgetur, *& sudoribus atque vomitionibus finiatur.* Et alio loco: *Nam quae in sola flava bile febris accenditur, si quidem bilis adhuc intra vasa maneat, exquisita febris ardens nuncupatur: si vero per totum corpus deferatur, tertiana. Sic & si ab atra bile fit febris, quum per totum corpus delata fuerit, quartana efficitur: quum immobilis, illa quae quarto quoque die excrescit. Sicuti si ex pituita ortum habeant, vel quotidianae sunt, vel quae singulis diebus accenduntur: uno solo differentes, quod vel per venas, vel per totum corpus in eis deferuntur humores: & quod cum rigore & vomitibus & sudoribus fiunt, vel sine his.* Haec igitur sunt quae à Galeno juvene pronunciata haudquaquam receperim: quandoquidem tum aetatis non aliam sedem humoribus quam venas designabat, in quibus vel illi putrescerent, vel illinc in corporis habitum irrumperent.

Cap. 6.

Caeterum aetate & rerum observatione jam maturior, *secundo de differentiis febrium* anxie admodum causam investigans intermittentium, & cur hae circuitione quadam repetant, aliam his originem aliumque fomitem instituit. Neque enim humorem, qui putrescens circuitus est materia, semper è venis majoribus exilire aut illic contineri, sed in una quapiam corporis parte quae propria sedes est propriusque fomes febris intermittentis. Etenim post aliquot de circuitu repetentium morborum demonstrationes, ita colligit: *Ubi pars aliqua debilis efficietur, id ei causa erit cur non excrementa solum, sed ipse etiam sanguis corrumpatur ac putrefiat, & febris accendatur* & mox: *Quinetiam ubi nequeat concoquere qualibet pars genita in se excrementa, aut expellere ad aliam, tale sibi ipsi initium febricitandi, quale ea quae transmittit alteri, adfert. Ita enim in parte una quapiam excrementa colligi putat, vel partis ipsius vitio & imbecillitate, vel alterius mittentis robore.* Itaque ut alio inquit loco, *Saepe dispositio in jecore & in splene attulit febrem, quoties aut inflammatio aliqua aut obstructio putredinem accendit.* Hinc *primo artis ad Glauconem* inquit, *vix citra oris ventriculi injuriam fieri quotidianam, nec sine lienis vitio quartanam, nec tertianam absque jecoris offensione.* Quod autem de hisce partibus attulit, idem & de vicinis omnibus quaecunque circa mesenterium, pancreas & intestina insident, accipiendum est. In his enim intermittentium febrium causa fomesque residet. Quod autem *secundo de Crisi* adferebat, *rigorem fieri, flava bile mota delataque per corporis habitum*, id certe perpetuum non est. Immo *secundo de diffe-*

Seniore. Cap. 17.

Cap. 5.

Cap. 3. 5. & 6.

differentiis febrium, per quacunque loca sententia ea feratur, ut per pracordiorum membranas, rigorem excitare tradit, *quemadmodum & ab æstu, à lassitudine, à medicamento calido & acri quod ulceri adhibetur.* Licet autem in fomite coërceatur, neque illinc putridus humor in omne corpus permeet, vapor tamen calorque putredinis illinc in omne corpus effunditur.
2. de diff. febr. Quod sane Galenus sic confirmat: *Vbi vero calor superat materiam, appellatur incrementum & ascensus tale tempus. Atque eo tempore augetur calor tam multus, ut non solum deurat locum ipsum qui veluti causa putredinis est, sed jam per continuitatem depascat universum corpus.* Hæc sunt quæ de re proposita ex *Galeni* mente deprompsi, quæ curando imitor, omnia sane iis consentanea quæ à celebri medico audieras. Plura adjicere possem, sed inclinans jam dies, nec ipsam nos curandi rationem persequi, nec suscepti argumenti metas transilire sinit, quod omne in rerum abditarum causis positum erat.

PH. Cognitis ergo epidemiorum pestilentiumque morborum causis, ad contagiosos venenatosque morbos divertamus.

CAPUT XIV.

De Contagiosis Morbis.

EUDOXUS.

Virulentorum vis occulta. *Rat. 1.* NVX, umbra proximis stirpibus arboribusque gravis, apud *Ovidium* sic queritur:

Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Narbonæ *taxus* tam præsentis est veneni, ut authore *Dioscoride*, si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra subsideant, lædantur & sæpenumero moriantur: quandoquidem corpori universo strangulatum & celerem interitum infert. *Basiliscus* tantæ perniciei ab *Avicenna* describitur, ut non eos modo qui vel manu vel alia corporis sui parte, sed etiam qui virga attigerint, momento necet: quod & visu & sibilo efficere tradunt. *Torpedo* piscis piscatorem qui se hasta attigerit, in stuporem inducit. Sunt & alia non pauca tum in animantium tum in stirpium genere, quæ possint integræ cutis contactu hominem interimere. At multo plura *quæ aperta cute*, venenatæ sagittæ, aspidis, hydræ, viperæ cerastis, dipsadis anguis, scolopendræ, salamandræ, stellionis, pastinacæ, lacertæ, draconis, crocodili, phalangii, scorpii, & rabidi canis morsus. Epidermis densa quum sit atque valida, hebetiorum & crassiorum venenorum substantiam altius penetrare non sinit, nisi vel sindatur vel dilaceretur: quę autem in venenis efficacissima sunt, illam quantumvis validam ac densam penetrant, introque penitus subeunt. Omnium quidem vis & pernicies, ex ea sedem quam primum attigerit, sensim in corporis principes partes & in artus invadit, dum corpus omne labefactet: idque omni veneno peculiare, ut pedetentim serpat, aliud quidem ocius, aliud segnius. Rabidus canis demorsu salivę aut humoris quiddam eructat, in quo vis est veneni. Id intro subiens, spiritus, sanguinem, humores, partisque substantiam contagione labefactat: hinc sensim serpit longius in partes principes, sed tam segniter, ut raro ante diem vigesimum, interdum non nisi anno symptomatis se prodat. Per has moras nec febris, nec malum aliud ullum percipitur, nec scit æger quanta pernicies lateat. At quum hæc tempore in cor penetraverit, vellicantur præcordia, æger indignabundus evadit, nec stare, nec quiescere potis, furentis in morem huc illuc effrenate agitur, manibus ora dilacerat, alios dente petit, ex ore spuma promanat, oculi torvi & aspectu horrendi, febris valida, sitis inexhausta, & tamen æger aquam omniaque liquida adeo perhorrescit, ut emori potius eligat quam haberi aut ad aquam deduci. Quibus malis defatigatus tandem misere cedit è vita. Phalangii aut scorpii aculeo, tum alia tum breviori tempore fiunt symptomata, quod promptius expeditiusque venenum serpat. Itaque omnium pernicies ab ea corporis parte exoriri, quam primum lethifera vis attigerit, illinc sensim in omne corpus irrepere,

Rat. 2. pere, ipſumque permutare, & perimere, animadvertitur. Id & inventa comprobataque curandi ratio confirmavit, quæ veneni perniciem ea parte qua intraverit revocat, vulneris dilatatione, partis demorſæ ſuctu, ſcarificatu, affixis cucurbitulis, medicamentis acrioribus. Et ne longius intro ſerpat, eam arcet injectis vinculis arctioribus, carnis circumſcriptione, urentibus medicamentis, vel candente ferro, nonnunquam extremæ partis amputatione. Perniciei vero ſævitiam reſtinguit atque domat antidotorum uſu, ut rabiem fluvialium cancrorum uſtorum cinere, gentiana & alyſſo: cujus vires exæquare rubiam experimur. Vacuatio nulla aut admodum rara adhibenda. Hæc igitur optimorum medicorum diligentia atque fide comperta demonſtrant, non modo rabidorum canum aut ſcorpionum, ſed & omnium quæ aut morſu, aut quovis contactu enecant, perniciem eſſe venenatam, eamque contagione vires ſuas expromere.

Exceptio. *BR.* Equidem de iſtis nihil dubitem quę ſint celeberrimorum medicorum conſenſu confirmata: quanquam non deſunt qui putent, canem ſolo ardore & æſtus vehementia in rabiem agi, ipſumque illius quod dicimus venenum eſſe velut caloris exuperantiam.

Refutatur *PH.* Nondum potes veterem pellem exuere. Hac æſtate venatores quidam in lupum ſæviorem irruerunt, trucidatum in varia obſoniorum genera appararunt & coxerunt. Omnes quicunque eſitarunt, non multo poſt tempore rabie correpti, alii ſociorum morte prudentes ſibi proſpexerunt. In ea carne tam diligenter apparata, quam tu reſtare putes ardoris exuperantiam? At vis lethifera, & venenata permanſit, quæ vix igne miteſcit: quemadmodum nec cantharidum vis deleteria uſtione tota perit.

Luis venerea. *EV.* Qualis eſt virulentorum animantium pernicies atque contagio, talem velim exiſtimetis latere ac teneri in *lue venerea*, niſi quod hæc fortaſſe minus præſens ac mortifera ſit.

BR. Gaudeo te in hujus morbi ſermonem incidiſſe, de quo tam multi multa ſcripſerunt, quæ palato meo non ſapiant: quocirca tuam ea de re ſententiam magnopere A optamus audire. Hujus *primam originem* alii ſiderum inſolenti conſtitutioni, alii aquarum inquinamentis, alii cujuſdam ſcorti impuritati referunt acceptam. Cæterum licet ea lues ſenſim contagione in omnem Europam, Aphricam, Aſiam & extremam Indiam defluxerit, omnemque orbis partem quæ noſtratium commerciis utitur, impleverit: quoniam tamen deprehenſa eſt ab uno quopiam aut admodum paucis Neapoli originem habuiſſe, non potuit ſane, epidemiorum morborum conditione, à certo aſtrorum influxu derivari. Quamplurimos enim paucis diebus afflixiſſet, tandemque tempore deſiiſſet. Ego proinde exploratiorem duxerim poſtremam originis rationem. Prima origo.

EV. De origine haud magna contentione decertem, ſed de illius cauſa, de vi & na-B tura, ex qua curandi ratio omnis ducenda. Primum autem occultam & *venenatam illius eſſe naturam*, tum ex invaſionis modo, tum ex iis quæ mox tradentur perſpicuum fiet. Natura ejus contagioſa. Atque cum neminem unquam hac lue labefactaverit inquinati aëris inſpiratio, non debet ea inter epidemios recenſeri. Quum nec alimentorum impuritate nec vitio unquam ſit orta, non numerabitur in ſimpliciter venenatis. Reſtat igitur habeatur in contagioſis. Veneni quidem ac perniciei hujus vis & efficacia tempore deliteſcit, & tempore copioſis ſignis & argumentis ſe prodit. Utque rabidi canis aut ſcorpionis; ita hujus venenum ab ea ſede quæ ſit contagione labefactata, ſenſim in omne corpus perreptat atque ſævit, ut plane conta-C gioſorum morborum naturam imitetur. Qua parte contactus & ſocietas eſt, ab ea maxime prehendit & initium ducit. Qui venereo complexu jungitur cum inquinata, à pudendis luem contrahit. Nutrix à qua pollutus infans lac ſugit, à mammis: condormiens inquinato ſudore diffluenti, à cute & à ſummis corporis partibus: qui effuſiore oſculo ſalivam exceperit, ab ore: infans vitiata nutrice altus, nunc ab ore, nunc ab interioribus: obſtetrix quæ infectæ parturienti opem tuliſſet, à manu, quæ tandem excidit. Hujus tamen veneni quia vis eſt hebetior, non niſi in apertam nudamque partem invadit. Partium à quibus lues exordium capit,

 aliæ

aliæ aliis gravius vitæ discrimen adferunt: omnium exitiosissima est, quæ ab interioribus & reconditis visceribus, aut à partibus obscœnis inchoatur, cęteræ leviores & minus periculosæ.

Ejus signa. Quanquam autem illius una eademque perpetuo est essentia, ut tamen corpora quibus insederit, natura, temperamento, affectu & habitudine variant, ita distincta *multiplicia que symptomata* inducit, alia quidem in bilioso, alia in pituitoso, alia in melancholico: non enim si biliosus pituitosę concubuerit, eisdem atque illa symptomatis premetur. Non igitur possint ex symptomatum differentia, propriæ morbi differentiæ, constitui. Cuicunque particulæ lues primum insederit, illic inhærescens pustulam excitat, interim & ulcusculum. Inde longius prorepens radices figit, sensimque partium continuatione adacta, interiora subit, & ad extremum, ni medicamentum adhibueris, furore corpus universum vastat atque depopulatur. Hinc venenum malo subesse intelligitur, non aliter quam scorpii aut rabiosi canis virus, perreptans in omne corpus. Illius signa varia, efficit partium natura ad quas pedetentim repit & permanat. Quum virus (exempli gratia) concubitu à pudendis madore perfusis initium habet, pustulas in his primum & ulcuscula evocat contumacia mali moris. Vapor dein aut spiritus ductu cavo pudendi intro irrepens (neque enim credibile est humoris quicquam eo subire) venæ cavæ sanguinem arteriæque majoris spiritum labefactat: tumque bubo prorumpit in inguine. Hinc vasis spermaticis renibusque affectis gonorrhœa se promit, qua virus turpissime velut eructando ejicitur. Quum execrandum malum in jecur & in ventriculum invasit, levis quidam alvi fluor subsendit, moxque cum jecore sanguis polluitur, quo cunctæ corporis venæ participes fiunt; eoque in artus, in musculos & in cutem disseminato, compressum maleficium atque tacitum erumpit: prosiliuntque lividæ rubentesque pustulæ, ulcuscula crustosa & herpetes, nonnullis ulcera cava atque maligna: biliosis quidem phagedænica & exedentia, melancholicis cancrosa: pituitosis leviora, sed sordidiora, & humore quodam mucoso fœtidoque manantia: sanguineis crebriora & carbunculi effigie. Omnia quidem labris præduris, tumentibus & inversis, quæ exesa carne, ipsa etiam ossa depascunt, primum tenella, qualia sunt nasi & palati, deinde solidiora, quæ putria cariosaque tempore excidunt. Ab iis, cum malum jam cerebrum summamque corporis arcem obsidet, multa supervacua pro partis conditione pituitosa, colligi necesse est: quæ si interclusa capite teneantur, magnum & acerbum dolorem commovent: sin foras sub cutem capitis promineant, & in articulos vel in artus deturbentur, his aut cruciatus excitant immanes ac diuturnos, qui noctu maxime invalescunt, aut tophos præduros scirrhososque tumores, haudquaquam tamen doloris expertes. Quanquam enim pituitosa videtur materia, veneni tamen maleficio perfusa, acrimoniæ particeps est. Hinc sub ossium membranas se recondens, tum acrimonia, tum distentione dolorem excitat. In ossium vero substantiam per tenues quasi tubos se inferens, illa diffundit dilatatque in tumorem, quæ tandem carie consumpta putrescunt. Si minus acris & mordax materia cutem non exedit, ad pilorum radices effusa malignitate aut venenato vapore effluvium concitat, quo plerique visi sunt sine capillis, sine supercilio, sine barba, sine pilis, qui postea tempore repullularunt. Quum tam multa ubique sint hujus perniciei signa, nullum tamen cernitur in urinis, neque ex his quisquam aut hoc aut aliud ullum veneni genus possit deprehendere. Jam vero hæc paucula de venerea lue si adhibito animi judicio studiose observabitis, cui vestrum non perspicua sit ejus pernicies? Quis ex vobis eam veneni participem esse inficiabitur? Si in omne corpus disseminata serpit, non aliter quam quæ à rabidi canis morsu infertur, possitne expers esse veneni? Neque vero in externas duntaxat quæ sub aspectum veniunt, verumetiam in interiores quasque partes, in ipsaque viscera penetrat, quæ (quod de exanthematis afferebatur) dissectis mortuis comparent pustulis ulceribusque fœda. Plurimi sane hoc in morbo in aliisque venenatis captiosa eaque admodum inani ratione falluntur, quod dum vident symptomata hæc omnia cum humoris cujusdam vitio insultare, nihil

hil præter humorem inesse putant, nihil majus animo concipiunt, neque acriore illa animi acie perscrutantur, num aliud quippiam in humore subsit in quo pręcipua affectionis causa consistat: quale proculdubio si sensu non cernimus, oportet certe ratione & intelligentia comprehendere, alioquin in maximarum rerum ignoratione versari. Itaque vis illa veneni, tenuis admodum ac fere corporis expers, sensusque nostros effugiens, aut in humore aut in alio quovis corpore inhærescit, quod subjectum duntaxat quasi vehiculum est ejus quæ nos afficit maleficiosæ facultatis. Qui enim possit corpori nostro vim inferre sola virtus incorporea?

Quæ jam minus quã antea vehementia.

BR. Omnem certe hac de re dubitationem & velut caliginem, dilucida interpretatione discussisti. Velim tamen insuper mihi aculeos ex animo evellas, quos nonnulli infixerunt. Ajunt illi, hanc luis venereæ contagionem, & in dies mutari, & jam prorsus inclinare atque consenescere, ut sit posthac brevi finem habitura. Quid quæso hac de re statuis?

EV. Hanc nisi sua clementia Deus optimus extinguat, aut effrenem hominum libidinem temperet, nunquam extinctum iri, sed fore humano generi comitem & immortalem!

PH. Circumferunt tamen olim pustulas fœdas erupisse complures, dolores admodum paucos: nunc contra, pustulas esse nullas, dolores autem atroces cum tuberculis scirrhosis.

EV. Id fortasse effecerit non luis conditio, sed præpostera multorum curatio. Adeo enim nunc ea mortalibus est formidabilis, ut vel illius minima suspicione confestim ad remedium ex hydrargyro concurratur: quod sane pustularum ardorem extinguit, at destillationes articulorumque dolores exagitat.

BR. Tune igitur vulgarem illam *medendi rationem* confirmas?

Luis venereæ cura hactenus recepta.

EV. Nihil equidem minus, quod ea morbi symptomatis duntaxat succuratur, radice neglecta. Ad tetræ hujus & immanis beluæ oppugnationem omnes machinas adhibuerunt. Alii sperant se initio radicem vacuationibus evulsuros: purgant valide, dehinc quibus competit sanguinem mittunt, mox reliquias idoneis syrupis pręparant, quas & secundo & tertio interdum & quarto expurgent. Ea certe curatio si malum inter initia consistit, solusque corporis spiritus vel humor inquinatur, plerunque liberat, non item si jam partium substantia obsidetur. Alii ratione non admodum dissimili, tenui extenuanteque victu, & potu ex hebeno guajacino vel sancta vel ex Chinarum radice corpus absumunt, humores detergunt dissipantque in urinas & sudores. Hinc necesse est pustulas & ulcera cum corpore siccari & sanescere, tophos præduros incidi atque dissolvi, ex hisque natos dolores mitescere. At symptomata isthæc putato, morbi vero essentiam multo diversam, quæ illis abeuntibus, etiamnum tanquam radix solidarum partium substantiæ firmius inhærescit. Alii unctionibus ex hydrargyro curationem suscipiunt. Cym enim hydrargyros non (ut plerisque visum est) calida sit, sed adeo frigida ut vi narcotica dolores quoscunque sopiat & leniat, optima ratione sanguinis eruptiones, bilis ardores exesionesque retundit, pustulis ulceribusque malignis opitulatur. Quum eadem vehementer humida sit, præduros tumores emollit, concretosque dissolvit. Et quoniam adeo tenuium est partium, ut omnia vel durissima metallorum corpora subeat, penetret atque dissolvat, multa è corpore per sudores dissipat, quædam purgatoria vi in alvum deturbat: multamque pituitam ex ore prolicit. Quocirca ex accidenti desiccans, vacuansque symptomatum materiam, illis non parum succurrit: ac certe crudelius quam guajacum, magno oris tædio, graviore virium jactura, & imminentiore periculo. Etenim cerebrum tanto frigore offendit, ut rheumatismis deinceps opportunum maneat: nervos, articulos eatenus laxat & debilitat, ut in omnem fluxionem proni evadant, suscitenturque tremores immedicabiles, & recentes cruciatus pristinis graviores. Non ut in simplici arthritide hi repente oboriuntur, neque foras prominent, sed sensim radice altius defixa, penitius fere in ossa tibiæ & humeri subeunt. Hydrargyrus tanto periculo symptomatis opem ferens, mali radicem haudquaquam evellit. Quo fit ut tum hæc, tum superiores inefficaces sint & pa-

& parum tutæ, cum periculo recidivæ, A quum præsertim lues initium præterlapsa, ipsam partium substantiam obsedit. Tempore siquidem revirescit, recurritque interdum post annum trigesimum, tantoque intervallo mali fomes quasi sepultus delitescit. Et nihilominus qui tum expertes mali prorsusque expeditos se putant, alios cum quibus concubuerint, contaminant, prolemque gignunt ea lue consperfam, indicium profecto, tum temporis mali fermentum in venis inipsisque partibus reservari, & ut dicere solent, in ipsis quasi medullis latere. Recidiva raro persimilis est radici, neque iisdem symptomatis; sed fere destillatione, arthritide, artuum dolore, tophis, vel ossium carie molesta; neque pari contagione, eos cum quibus societas B est, afficit: quod auxiliis humoris furor & impetus repressus sit, etiam nondum mali radice evulsa.

BR. Hanc igitur quanam alia ratione putas extirpari posse?

Sed desideratur ea qua fit per propria Alexipharmaca.

EV. Propriis antidotis & alexipharmacis. Neque enim hydrargyros, neque hebenus alexipharmacorum aut antidotorum vim obtinent: sed empiricorum inventa sunt, quæ plerique vulgi imitatione inducti tanquam fucum adhibent malo, quum certe foret consultius imitatione curationis rabiosorum à veteribus institutæ, remedia in id meditari consentanea.

BR. Miror equidem, sæpeque sum miratus, neminem hoc toto seculo veram luis curationem attigisse, persuasus satis veram C eam non esse quæ circumfertur.

PH. Omnes quæstui inhiant, & posthabita investigatione veri, quicquid primum fors obtulit sequuntur. Male nobiscum ageretur si novi sæpe morbi emergerent, quando ne unius quidem remedia assequi valemus.

EV. Itaque ut rabiei, ita luis venereæ propria quædam est antidotus, quæ, etiam si neque victum admodum tenuem neque vacuationes multas præmittes, una possit labem eluere. Symptomata vero, ulcera, dolores, tophi, & quæcunque acriter urgent, idoneis nec tam longe petitis auxiliis expeditius tutiusque leniri possunt.

BR. Hæc ex te discere vehementer optamus.

EV. Vos me rei novitate impulistis, ut nimis multa de tam fœda lue narrarem. Temporis brevitas plura non fert: neque hic abditorum morborum curationes, sed causas duntaxat ex professo investigamus demonstramusque.

BR. Huc saltem si quid de *elephantiasi* animo concepisti, in medium profer.

EV. Elephantiasin in contagiosorum morborum genere contineri, omnes certe vel plebeii persuasum habent, quod non ut pestilens halitu solo, sed ut lues venerea concubitu, accubitu, omnique contactu prehendat. Quanquam civitatum legibus Elephantici sepositi & à reliqua plebe segregati degunt, nunquam tamen vel sedulo sciscitati accepimus, quenquam administrorum, etiam si perpetui illis assideant, sola spiratione contaminarum. Si quis forte malum hoc sponte proprio intimoque vitio contraxit, non idcirco debet à contagiosorum censu rejici. Non enim contagiosum morbum ex solo ortu, verumetiam ex invadendi serpendique modo definivimus.

Elephantiasis contagiosa.

Ejus causa.

Elephantiasin autem *non ex sola atra* bile fieri, demonstrant melancholia morbus, & mania: in quibus etiam si bilis atra & in cerebro & in toto corpore redundet, citra tamen elephantiasin est; quemadmodum & quartana intermittens & quartana continua, in quibus melancholiam putrescere fatemur.

Signa.

Hæc igitur & insuper eruptio fœda foras in partes extimas & in cutem prosiliens, elephantiasin perniciei cujusdam esse participem declarat. Ea primum dura, crassa, aspera, & qua redditur, colore sublivido vel purpureo, cum sensu quodam stuporis. Pustulæ dein extuberant, verrucis initio similes, sed quæ postea grandescant durescantque, interdum etiam magna fœditate exulcerentur. *His notis* facies potissimum & nasus, manuum pedumque digiti fœdantur: oculi rubore pustulisque suffusi caligant, pili toto corpore decidui sunt, maxime in superciliis & in mento. Omnia igitur foras erumpentia, ipsumque pilorum defluvium, quis malignitatis & latentis veneni notas esse non agnoscat? Multus humor plerunque in cutem confertim effunditur, biliosus quidem in ictero, pituitosus in

in leucophlegmatia, melancholicus in melancholia, à quo nihil tale fieri cernimus. Itaque in elephantiasi, præter humoris vitium, malignum etiam virus ineſt, quod tum humores tum partium ſubſtantiam polluit. Illa quippe non ſolius cutis (quod *Galenum* dixiſſe miror) ſed totius corporis eſt affectio. Quales in linguæ radice verrucæ extuberarint, tales in omnia viſcera in omneſque partes intimas diſſeminari comperimus.

1. De nat. facult.

Cura.

Curandi difficultas morbi malignitatem atque perniciem docet. Hanc idcirco tot ſeculis veram curationem non inveniſſe reor, quod propria illi antidotus perquiſita non ſit; quam tamen & eſſe & inveniri poſſe non diffido.

PH. De contagioſis morbis ſatis abunde: nunc recepto traditionis ordine de venenatis morbis tranſigendum. Non enim hoc loco de phthiſi, de lepra, de ſcabie, de pruritu, deque aliis hujus claſſis ſermo habendus eſt; qui quamvis in contagioſis numerari ſoleant, manifeſti tamen ſunt, à manifeſta putredine orti, neque (quod ſupra monebas) huc quoquam modo referendi

CAPUT XV.

De Venenatis morbis.

EUDOXUS.

Venenati morbi occulti ſunt.

ITane præterea exigitis ut de venenatis morbis ſermo habeatur? Si jam plane inter omnes convenit quamplurima eſſe venena, quorum vis cæca & deliteſcens vario nos ſymptomatum cruciatu fatigat, nonne evidens eſſe debet, ab illis morbos in nobis excitari, qui non manifeſtis qualitatibus, ſed totius ſubſtantiæ diſſidio vitæ noſtræ primordia demoliuntur?

BR. Neque id ipſi demonſtrari volumus, ſed dilucidius explicari quot & quas illorum differentias eſſe putes.

EV. Quem venenatum morbum definivimus, is nec ducto inſpiratoque aëre, nec externorum contagione, ſed una deliteſcentis intus veneni pernicie provenit, ſuboffenditque. Hoc jam dixi cæteris hebetius & in craſſiore denſioreque materia inhæreſcere, quæ non niſi interioris caloris ejuſque copioſi vi excitetur. Venena alias imprudentius intro aſſumuntur, alias intus progignuntur. Quæ intro ſumuntur, alia quidem in metallorum, alia in ſtirpium, alia in animantium genere ſunt.

Ejus differentia à cauſa externa.

Metallis.

In *metallorum genere*, arrhenicum, auripigmentum, chryſocolla, calx, æs uſtum, atramentum ſutorium, ſulphur, adamas, lapis cæruleus & armenus: itemque hydrargyros, cinnabaris, ceruſa, plumbum, minium, gypſum. Hæc putant nonnulli ſola qualitatum exuperantia, priora quidem cauſtica vel ſeptica, id eſt, urente vel putrefaciente vi, poſteriora vero aſtringente & præfocante nobis infenſa: proinde non ſimpliciter venena, ſed venenata medicamenta appellari. At quanquam manifeſtis omnia qualitatibus vehementer obſunt, totius tamen ſubſtantiæ diſſidio nonnihil etiam veneni reconditum habent.

Stirpibus.

In ſtirpium ordine ſunt aconitum, chamæleo, taxus, ephemerum, thymælea, laureola, thapſia, rhododaphne, ranunculus, dracontium, tithymali genera, & quæcunque immodice purgandi vim obtinent, ut veratrum, ſcammonium, cypariſſias, cyclaminus, colocynthis, & alia ejus generis non pauca, omnia vere deleteria. Sunt & quæ qualitatum duntaxat exuperantiis infenſa putantur, quod genus ſunt euphorbium, anacardus, itemque opium, mandragora, hyoſcyamus, cicuta, ſolanum manicum, fungus: quæ tamen malignitatis expertia haudquaquam putamus.

Animantibus.

In animantium genere numerantur cantharides, lepus marinus, ſalamandra, bupreſtis, devorata, hirudo, pinorum eruca: felis cerebrum, ſanguis tauri, lac corruptum, piſcium aut pecudum fulgure vel peſtilentia interemptorum carnes, & quæcunque ſupra diximus demorſu vel contactu enecare. Porro ex his quæcunque intro ſumpta ſint, multo præſentius & atrocius quam

quam contactu offendunt. Hæc igitur omnia non modo qualitatum exuperantiis, verumetiam totius substantiæ dissidio exitialia esse & deleteria, morbosque inferre venenatos, tum ex insequentibus symptomatis, tum ex alexiteriis quæ veteres ad curationem invenerunt, facile intelligi potest.

A causa quæ intus generatur. Quæ porro *intus gignuntur venena*, non ut superiora primo suæ naturæ ortu, sed longo ordinis progressu atque mutatione talia evaserunt. Ut enim ex varia humorum putredine, sive ea ex intemperie, sive aliis ex causis orta sit, diversi generis febres excitantur: ita sane ex putredine longius progressa, vel alia cæciore ex causa venenum in nobis provenire gignique potest. *Galenus* ait veteres hanc quæstionem disputasse, evidentissimisque rationibus collegisse, eosdem affectus fieri & à lethalis veneni potione, & à corruptione quæ è corpore scaturire potest. Hanc autem quam appellat corruptionem, re ipsa venenum esse, mox canis exemplo demonstrat: in quo tanta plerumque fit humorum corruptio, ut totus in rabiem agatur, quæ veneni soboles est. Atque tum & canem ipsum & omnes illius humores venenatos haberi, argumento est quod ejus sputum humanum corpus attingens rabiem excitet. His persuasum vobis esse debet, in nobis similiter corruptionem quandam sponte gigni posse, quæ non modo veneni vires æquet, sed & ipsa tota venenum sit.

Lib. 6. De locis affectis.

Concreto sanguine. Itaque syncope admodum gravis & periculosa fit *concreto sanguinis grumo*, maxime si vel in ventriculo, vel intestinis, deinde si in pectore vel vesica putrescat: fitque ea cum pulsu parvo, respiratione difficili, extremorum frigore, & sudore frigido, suborta interdum febre. Rei autem sic perspectæ veteres convenientia remedia non à manifestis, sed ab occultis qualitatibus quasi alexiteria quædam attulerunt.

Lacte. Non admodum dissimilia symptomata tradunt & à *concreto putrescenteque lacte* gigni, quibus eadem prope succurrunt.

In gangræna quoque. Extremum *pedem* aliquando repente *sphacelatum* vidimus, sine causa externa, sine tumore aut rubore conspicuo. Oborto primum dolore immanissimo, mox sensum in eo ac motum periisse, partem totam livore contabuisse, exulcerationem fœdam insequutam, quæ acerrima caustticaque medicamenta sine sensu admitteret. Non multo post arteriam brachii dextri, deinde etiam sinistri pulsare desiisse: ita sensim universo corpore obsesso, miserum extingui, sine febre, sine symptomatis admodum gravibus. Tot tamque præsentium malorum, quis intemperiem aut simplicem aut cum humore, causam esse statuat? Quis non potius venenatam qualitatem in partes omnes propagari putet, quę extremam hanc perniciem inferat?

Uteri suffocatione. *In uteri* porro *strangulatu* plerunque mulier sine motu, sine sensu quasi extincta jacet, cum pulsu obscuro parvoque, eatenus ut interdum ne percipi quidem possit, cum animi defectione & difficili spiratione, quæ non modo pectus opprimit, sed & fauces quasi manu prehensas præcludit: hunc autem tam immanibus symptomatis comitatum, tradit *Galenus* vel à suppressis mensibus vel à cohibito semine proficisci quod vitiatum majorem quam menses vim & noxam corpori infert. At quum non ipsa corrupti seminis substantia, sed vapor duntaxat in cordis cerebrique sedem sublatus istorum sit author, quis non illum vaporem, multoque magis vitiatum semen, unde is prodiit, censeat venenatæ qualitatis conditionem ac vim obtinere? Quænam obsecro manifesta, sive ex primis, sive ex secundis sit qualitatibus, hæc tam sæva possit invehere? Hanc sane causam quæ mole parva, maximas solo contactu alterationes inducit, recte *Galenus* & scorpionis & phalangii ictibus comparat, quibus exiguo veneno per minimum foramen injecto, totum corpus afficitur, brevique admodum tempore sævissima symptomata invalescunt.

6. De locis affectis.

Epilepsia. Possim opinor ipsa rerum similitudine itidem *de comitiali morbo* ratiocinari. Quum enim à crure vel à digito manus vapor quidam in cerebrum conscendere deprehenditur, auræ frigidæ persimilis, qui ipsum attingens sensus mentemque turbat & epilepsiam infert, quis non facile credat, corruptionem quandam in affecta parte genitam esse, eamque adeo validam, ut phalangii, scorpionis, aut aliarum perniciosarum ferarum venenis queat comparari? Equidem

Causa venenata.

Lib. 6. De locis affectis. dem id puto verissimum quod apud *Galenum* Pelops dicebat, posse præter naturam in corpore essentiam sponte generari quæ mole minima sit, facultate autem quam maxima: & quæ quum nervosam aliquam sedem occupaverit, per continuatas partes usque ad nervorum principium vim suam transmittat, sive id alteratione fiat, sive spirituali essentia, veluti aura ad ipsum elata, ex eaque comitialem circuitum excitari.

BR. Hæc facile suadere possint, epilepsiam quæ uniuscujusvis partis consensu fit, à venenata malignitate promoveri, de qua productus *Galeni* locus traditus est. 3. De locis affectis c. 5. Cęterum quæ primario cerebri affectu contrahitur, aliam fortasse causam habet. Quam is mihi videtur paulo ante sic exposuisse: *Constat, epilepsiam in cerebro consistere, impediente humore animalem spiritum qui in ventriculis ejus continetur, quo minus possit exire. Hunc deinde humorem* ait *crassum & viscidum esse, alias pituitosum, alias melancholicum. Et quoniam velox est epilepsiæ discussio, eum ipsum* humorem obstruere meatum spiritus *qui in cerebri ventriculis est, cerebrumque ipsum concutere, quo excutiat id quod noxium est. A crasso semper humore* (inquit) *hanc affectionem induci, argumento est quod & subito fit & solvitur confestim. Nam subitariam meatuum obstructionem à crasso viscosoque humore fieri constat.* Non obstructio ventriculorum cerebri. Hac etiam varietate epilepsiam ab apoplexia disjungit, *quod in hac frigidus, crassus & viscosus humor omnes principes cerebri ventriculos affatim impleat obturetque, in epilepsia vero aut non omnes aut non affatim & usquequaque.*

EV. Id si illarum solum discrimen est, necesse sit omnem apoplexiam quædam antecedat epilepsia: non enim possunt omnes ventriculi repente & affatim impleri, quin prius modice & leviter obturentur. At contra fieri deprehendimus, apoplexiam primo & derepente invadere, quam nulla prævenerit epilepsia. Quinetiam si in epilepsia crassus & viscosus humor cerebri ventriculos meatusque semper obstruit, eo per arcessionem, dum nervorum principium (ut inquit *Galenus*) se ipsum quatit, discusso, non aliis præterea accessionibus fatigabitur. Atqui multæ nihilominus recurrunt. Aut si semper alius & alius humor per accessiones influat, qui fieri poterit, ut quum aliquis in dies quater aut sexies primario affectu corruit, quales non paucos videre licet, tam multus tamque crassus humor succrescat? Quænam ea scaturigo, unde toto vitæ curriculo dimanet, & in meatus incurrat?

BR. His rationibus ipse etiam sæpe ac multum de epilepsiæ, quemadmodum sane & *de apoplexiæ causis*, dubitavi. Quum enim aliquando vidissem, virum viribus integrum, sinistri oculi ictu vehementiore, repente attonitum corruisse, moxque sensu ac motu privari, cum spiritu difficili ac stertore, & cum aliis fortis apoplexiæ indiciis, eumque nec venæ sectione nec alia potuisse ratione servari, quin horis duodecim interiret, mortis causam investigatione dignam putavi. Imo nec obstructio ventriculorum cerebri Apoplexia causa. Discisso apertoque capite neque ossis, neque meningum, neque substantiæ cerebri quicquam confractum divulsumve, sed duntaxat interiores oculi venas contusionis vi diruptas animadvertimus, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura, in cerebri basim procubuerat, qui concretus arterias eas obstringebat, quæ retiformem contextum conficiunt, & quę illinc in cerebri ventriculos propagatæ, choroidem alterum constituunt. Cerebri autem ventriculi prorsus illæsi inanesque cernebantur. Hinc edoctis, alterum qui citra causam externam apoplexia extinctus esset, dissecarę visum est, in quo humor crassus & viscosus similiter ad contextum retiformem inventus est, cerebri ventriculis nec obstructis. Hinc ego ratiocinatus, consentaneum putavi, iis arteriis vel obstructis vel compressis apoplexiam gigni, quod tum cerebrum nihil spiritus è corde per subjectas arterias recipiat, sitque necesse illius motum sensumque perire. Quidam hæc opinor animadvertens, recte dixit fieri apoplexiam interceptis viis quæ sunt cerebro cordique communes. At ne videar pensi parum meminisse, ad epilepsiam reversus edissere causam ejus quæ ipsomet affecto cerebro fit.

EV. Non alia profecto videtur, quam ejus quæ per consensum. Venenata illa cura in Epilepsia generatur corruptione. Ut enim aliquando observavimus è summo capitis vertice, in quo sub pericranio vitiatus venenatusque humor coërcebatur, vaporem manifesto sensu intro subire, qui epilepsiam concitaret, hancque postea caustico persanatam medicamento, ita proculdubio existimari

mari debet, intus vel circum meninges, vel circum cerebri substantiam vitium contineri veneni æmulum, cujus ex intervallis impetu facto, epilepsia suscitetur. Aperto epileptici philosophi qui decesserat capite, qui vehementissimo eoque fere perpetuo dolore, vix digitum lato, circa sinciput torquebatur, deprehendimus crassiorem meningem ea sede, calvæ ossi adhærescere, pauculo humore putri interjecto. In altero, cerebri substantia humorem fœtidissimum, eumque exiguum contineri: utriusque tamen ventriculos & meatus omnis humoris omnisque obstructionis expertes. Multos ipse (scio) vidisti inde epilepticos evasisse, quod in curanda lue venerea, dum unguentis ex hydrargyro illinerentur, non nihil in aurem & in cerebrum penetrasset. Hisne quæso dicas cerebri ventriculos humore multo impleri & obstrui?

BR. Minime quidem, sed ipsum corrupti hydrargyri pernicie lacessiri.

EV. Talem igitur & in omni alia epilepsia causam existimato: atque si quid aliquando putridi humoris inesse deprehenditur, non ex ea ipsa putredine, sed ex venenata quam concepit qualitate, hoc mali suscitari. Itaque quocunque corporis in loco is fuerit, venenatus illinc vapor in cerebrum sublatus id ipsum meningesque totius substantiæ inimicitia acriter ferit. Effertur autem ex intervallis haud secus atque in febribus intermittentibus, & in rabie, & in aliis plerisque morbis quorum est stata recursio. Cerebrum proprii veneni offensione interdum ab omni mentis sensuumque functione prorsus vacat, uti & cor in syncope interdum se ipsum universumq; corpus quatiens adnititur offensionē excutere, non aliter quam cor palpitans.

Neque necessario venena cordi adversa sunt.

PH. Ego complurium authorum lectione mihi persuaseram, id duntaxat venenum appellari, quod tota substantia cordi vitæ principio adversaretur.

A *EV.* Periculosa isthæc persuasio. Ut cantharis solam vesicam, lepus marinus solos pulmones exulcerat: ita parti unicuique quippiam totius substantiæ dissidio contravenit, quod illius venenum & deleterium est. Maxime hoc nomine digna sunt, quæcunque jecur, cor & cerebrum principes corporis partes, totius substantiæ divortio oppugnant demoliunturque. Cerebri venenum quoddam haberi, *Galenus quinto de simplicibus* medicamentis hac expressit sententia: *At sunt quæ tota essentia nobis contraria sunt, proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit, omnino lædat necesse est, ceu dryopteris & pityocampe, & thapsia, & solanum ma-* B *nicum, & hydrargyros, & fungorum nonnulli, præterea saliva & fel venenatorum animalium. Nam talia omnia genere sunt deleteria, non quantitate. Siquidem hæc si largius bibantur, quædam dementant, quædam mortem inferunt, verum convenienti quadam mensura aliis admista adjuvant. Porro quæcunque inter ea mentem lædunt, continuo etiam pleraque caput degravant, vaporum pravorum congerie ipsum implentia. Sed & quædam os ventriculi tentant atque affligunt, ut & inde caput per consensum lædatur. Communiter vero universa duobus modis cerebrum affligunt læduntque: aut quum tota substantia sunt contraria, aut quum una duabusve qualitatibus temperaturam immutant.* C Quæ hic *Galenus* tota substantia cerebro contraria statuit, illius certe venena sunt. Quot igitur partium, maximeque principum, tot & venenorum genera, à quibus & venenatorum morborum differentiæ fluxerunt: quas singillatim recensere, propriis notis quasi depingere, convenientibusque remediis & alexiteriis profligare, majoris est operis.

BR. Hæc quando non licet, deinceps æstimemus, quem usum ad medendi artem habere possint, quæcunque matutina concertatione de Deo, de spiritibus, & iis quæ trans naturam sunt, tam accurate disserebantur à vobis.

CAPUT XVI.

Et morbos, & remedia quædam trans naturam esse.

EUDOXUS.

Morbi occulti quidam divinitus fiunt.

SUpra mundum aspectabilem, aliumque sensibus nullis obvium, Deo spiritibusA que confertum, cogitatione complectimur, mortalis hujus summum custodem & guber-

gubernatorem, à quo etiam multa homini alias salutaria alias noxia & pestifera impendent. Deus itaque maximus, omnia in potestate habet quæ condidit, & quocunque vult ea deducit. Illius imperio cœlorum motus cohibiti sunt, & sol tanquam fixus constitit dimicaturo Josuæ, sol plenilunio eclipsi adumbratus patiente Christo: ignis de cœlo deductus ab Elia: aër plerunque, sed maxime Davidis pestilentia, gravissime contaminatus, aquarum exuperantia & cataclysmo olim terræ facies obruta: terræ sterilitas, frugumque inopia & fames, Josephi ætate. Sic quippe in cœlos & elementa summa viget Dei potestas. At in nos multo plerunque major. In sacris Ezechias gravi morbo percussus est, Job ulcere pessimo à Satana Dei jussu fœdatus: Centum octoginta quinque Assyriorum millia ab angelo interempta: & omne primogenitum Ægypti sub Pharaone occubuit. Plenæ sunt sacræ literę calamitatibus, quas Deus summa justitia mortalibus inflixit: & beneficiis quæ placatus contulit. Quicunque autem divinitus morbi delabuntur, naturalium quodammodo similes apparent: at quia causam habent medendi arti haudquaquam obsequentem, jure trans naturam appellandi videntur.

Quidam per magos. Ut hos cacodæmon humani generis hostis ferus & immanis, fere solet Dei permissu infligere, ita homines malefici miris dæmonum artibus vim multis noxamque inferunt: alii nescio quos invocant adjurantque verbis, exorcismis, imprecationibus, incantamentis & carminibus: alii collo subnectunt aliterve gestant scripta quædam, characteres, annulos, imagines, aliaque nefanda: alii cantibus utuntur, sonis vel numeris: interdum potionibus, suffitibus & odoribus, interdum fascinatione & præstigiis. Sunt qui absentis imaginem ceram effingant, & quavis illius parte compuncta, verborum atque siderum vi, in similem absentis sedem morbum inferri jactitent. Aliaque non pauca de infligendis morbis præcepta.

Anum solo oculorum intuitu & radio naturaliter pueros aut infantes fascinare non facile credam, quanquam in Bucolicis scribit *Vergilius*,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

A Sunt qui persuadere contendant, in anu menstruam purgationem suppressam, in corpus omne redundare, tempore venenatam reddi, spiritus inficere, eosque potissimum qui ab oculis foras exiliunt: hos aërem contaminare, pueros & tenellos infantes fascino lædere. Quæ rationes parvi ponderis sunt. Menstrua quippe purgatio quum anubus ex ætate & naturæ præscripto deficiat, neque ipsis neque aliis est incommodatura. Quinetiam tum prægnantes, tum quibus ex morbo suppressi sunt menses, multo vehementius pueros fascinarent: adde quod non oculis modo, verumetiam halitu & expiratione efficacior vis esset. Si qui forte sunt in Triballis & Illyriis aliisque regionibus, qui authore *Plinio* visu effascinent, interimantque quos diu- B tius intueantur, iratis præcipue oculis, & hoc malum facilius sentiant puberes: horum causam privatim reddit, naturam in quorundam toto corpore, in aliorum oculis, venena genuisse, ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset. Hæc vero, rara, & quasi miraculo privatis quibusdam irrogata.

Ad supra commemoratas artes redeo, quibus compertum habemus, magos, sagas, sortilegas, incantamentis nonnullos ita vinxisse, ut cum sola uxore non concumberent: alios concubitus impotentes quasi exectos reddidisse: alios in corporis extenuationem viriumque imbecillitatem cum languore summo traxisse, quos solæ quæ inflixerant, precibus & muneribus re- C stituere possent. Neque solum morbos, verumetiam dæmonas scelerati homines in corpora immittunt. Hi quidem visuntur furoris quadam specie distorti: hoc uno tamen à simplici furore distant, quod summe ardua obloquantur, præterita & occulta renuntient, assidentiumque arcana referent, eosque multis convitiis impetant, & divinorum verborum potestate terreantur, contremiscant aut succenseant. Quidam non ita pridem quum per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens potu non invento obvium malum forte prehendit; id mandens, fauces sibi quasi manu præcludi strangularique sensit, simulque à subeunte dæmone jam obsessus, visus est in tenebris videre se a prægrandi, *Horum exempla.*

 ni-

nigerrimoque cane vorari. quæ postea restitutus integra mente nobis ordine recensuit. Hunc non pauci ex pulsu, ex calore & scabricie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione simpliciter delirare judicabant. Juvenis alius familia equestri paucis ante annis corporis concussione & quasi convulsione ex temporum intervallis laboravit, qua nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum unicum, alias crus alterum, alias utrumque, alias corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vix ut à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana, omnesque sensus integri vel in convulsionis ferocia. Decies minimum quotidie corripiebatur: in intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat si mentis sensuumque læsio accessisset. Peritissimi quique adhibiti medici convulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoque vapore spinæ dorsi impacto censuerunt: è quo vapor in eos nervos emanaret, qui à spina in artus quoquoversum, non autem in cerebrum disseminantur.

BR. Sana ea quidem me judice sententia.

EV. Hæc credita causa ut summoveretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur nervorum initiis, fotus, unctiones, emplastra, primum quæ discuterent, dein quæ roborarent venenatamque malignitatem obtererent. His parum proficientibus sudores proliciuntur balneis, æstuariis, & guajacinæ hebeni decocto; quæ nihilo magis profuerunt.

BR. Quid est quæso cur tam accommodatis remediis id malum non cessit?

EV. Quoniam omnes longe aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primum deprehensus dæmon quidam totius mali author, voce insuetisque verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa assidentium maximeque medicorum secreta detegebat, ridens quod eos magno periculo circumvenisset, quodque irritis pharmacis corpus hoc pene jugulassent. Quoties laborantem

A pater invisebat, is procul à conspectu inclamabat, Appellentem hunc arcete & ab ingressione propulsate, aut torquem è cervice detrahite: ex hoc enim, (ut Gallorum torquatis equitibus in more est) divi Michaëlis imago propendebat. Si sacra divinaque verba coram legebantur, ferocius subsultabat & inhorescebat. Quum intermissio erat ferociæ, laborans in quiete omnium meminerat, quæ invitum se protulisse fatebatur & dolebat. Cerimoniis & execrationibus compulsus dęmon negabat se crimine damnatum, & spiritum se nuncupabat. Interrogatus quis esset, aut quomodo & qua hæc potestate moliretur, dixit multa intus esse domicilia in quæ se recondat, & in quiete ad alios commigrare: se in hoc corpus injectum à quodam, cujus nomen non efferret: à pedibus ingressurum

B in Regiam, & à pedibus egressurum quum præstitutus dies adventarit. De aliis non paucis differebat, quæ etiam ex aliis dæmonum laqueis irretitis interdum audiri solent. Neque hæc ut nova profero: sed ut constet, dæmones alias intro subeuntes in corpus, id ipsum variis & inauditis interdum modis lacessere: alias non intro subire, sed vel utiles corporis humores exagitare, vel noxios in principes partes traducere, vel hisce venas aliosque ductus obstruere, vel instrumentorum structuram permutare, quibus ex causis innumeri morbi sunt. Horum dæmones authores sunt; scelerati perditique homines, ministri: omnisque eorum trans naturam est ratio.

C *BR.* Illorumne & remedia quædam trans naturam statues?

EV. Necesse est omnino. At remediorum quæ trans naturam, alia vere divina, alia magica sunt. Quam multos legimus *Deum* per prophetas vel e morte suscitasse, vel à lepra & elephantiasi expurgasse, vel ab extremo mortis revocasse periculo? Multo plures cæcos, claudos, mutos, paralyticos, leprosos, febricitantes, omnisque generis morbo & languore confectos Christus olim integre restituit: à quo dein Apostoli, nec pauci viri religionis sanctitate conspicui, vim potestatemque sunt adepti. Quos nunc vobis quasi exemplo referebam, vidi excrationibus, precibus, verbis sacrosanctis, votis & jejuniis expediri: qui etiam-

Ita & remedia 1. vel divina sunt:

etiamnum saluberrime & integerrima mente degunt.

2. *Vel magica. Quæ extant in S. Scriptura,*

Hæc porro divina remedia improbi nefariique viri *magicis artibus* æmulantur, accita dæmonum ope: ut Mosis miracula Pharaonis magi, & summam Apostolorum admirationem Simon Magus. *Plinius* commemorat, ætate sua principem Neronem vanas falsissimasque comperisse magicas artes. *Quippe* (inquit) *non cithara tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis: primumque imperare Diis concupivit, nec quicquam generosius voluit: nemo unquam ulli artium validius favit: ad hæc non opes illi defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum & indubitatum exemplum est falsæ artis quam dereliquit Nero. Magus ad eum Tyridates venerat, magos secum adduxerat, magicis cœnis eum invitaverat, non tamen quum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit. Proinde ita persuasum fuit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in iis veneficas artes pollere, non magicas.* Nero in exquirendis magicis artibus paulo curiosior, quod nullum signum argumentumve perspexisset, eas sustulit. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum ei non dabitur, nisi signum Ionæ prophetæ.* Illas tamen & esse & fuisse, quæ in sacris extant de Pythonissa, de muliere ventriloqua, de Nabuchodonosor Rege, de Magis Pharaonis, aliaque non pauca, perhibent.

In scriptis Ethnicorum,

Et quæ ab Ethnicis authoribus, de Demarcho, quem narrat *Plinius* degustatis extis pueri immolati in sacrificio, in lupum se convertisse: & de Circe, quæ poculo socios Ulyssis in illo errore diuturno mutavit in feras; ut est apud *Vergilium*:

Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus & terga ferrarum.

Et quæ de messibus alio traductis scribit:

Has herbas atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipsa dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri & se condere sylvis
Mœrim, sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Et in Damone,

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam,
Carminibus Circe socios mutavit Vlyssis. Et:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,

Ovidius libro sine titulo:

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes cantataque vitibus uva.
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

Hæc nisi multorum fide comprobata contestataque forent; non tam multas leges Jurisconsultorum prudentia in magos tulisset: nec iis qui messes excantassent, in lege duodecim Tabularum pœna esset constituta.

Aut hoc seculo observata sunt.

Ut autem magicis artibus dæmon non res ipsas, quippe quas generare non possit, sed solas rerum species & spectra quædam exhibet, quibus hominum mentes quasi præstigiis illudat, & oculorum aciem præstringat: ita & in his quę ad medendi usum quovis modo accommodantur, nec certa, nec tuta, sed fallax, captiosa & periculosa est sanatio. Vidi scripta chartula collo subnexa universi corporis icterum una nocte detergeri: vidi & febres verbis, cerimoniis, quadamtenus profligari, sed quæ mox similiter, aut multo deterius, recurrerent. Potest quidem dæmon quosdam integre persanare, tantum beneficium in hominem, quem perpetua consectatur invidia, conferre haudquaquam velit. Fictam duntaxat simulatamque sanationem exhibet, cujus admiratione perversas hominum mentes irretiat, sibique infidelitate subjuget, hoc unum cum primis adnitens, ut ab his quos seduxerit divino cultu & honore dignetur. Hæc tum magica remedia sunt trans naturam.

3. *Vel inania remedia sunt & superstitiosa.*

Existunt autem & quædam inania vereque anilia, quæ quoniam hominum imbecillitatem nimia superstitione jamdiu occupant, superstitiosa dicimus. Ea sunt de quibus dicere nemo possit, cur & unde creditas vires habent. Neque enim à temperamento, neque ab aliis manifestis qualitatibus, neque à tota substantia, neque à divina vel magica potestate. Ejusmodi sunt scripta, signa, characteres, annuli, qui nec Dei nec spirituum opem implorant. Si nulla superior causa accesserit, quid sola figura, vel character virium possit ad profligandos morbos obtinere? Omnis quippe effectio ex contrariis est, quæ in eodem posita genere, partim similia, partim dissimilia sunt. Ut nec calor in saporem, nec

sapor in odorem vel sonum, nec sonus in figuram: ita sane nec verba, nec figuræ, nec characteres in morbos quicquam efficiant. Non solum autem in iis quæ trans naturam, verumetiam in naturalibus plerisque remediis superstitiones incidunt: ut dum herbis, stirpibus, lapidibus aut metallis vires attribuuntur, quæ nec ad manifestas qualitates, nec ad totam illarum substantiam accedunt.

BR. Juvaret exemplis isthæc patefacere.

EV. Superstitiosum dico morbum comitialem his prolatis gestatisve carminibus finiri:

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum.
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

Dentium dolorem mitescere, si quis, dum sacrum fit, dentes contingat, hæc verba efferens: *Os non comminuetis ex eo.* Strumas, aut laxiorem columellam sanescere iis precibus, quas nobis *Aëtius* scriptis reliquit. Vomitiones conquiescere ceremoniis & verbis quibusdam, quæ medicaturi vel absentes pronunciant, satis fore rati si modo laborantis nomen cognitum habent. *Theophrastus* author est, ischiadicos carmine sanari. Cato prodidit, luxatis membris carmen auxiliari. Dixit *Homerus*, profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyssem inhibuisse carmine. Vidi quendam qui è quacunque corporis parte profluentem sanguinem cohiberet, partis contactu verba quædam obmurmurans. Sunt qui hæc commemorent, *De latere ejus exivit sanguis & aqua.* Ad febres sanandas quam multæ circumferuntur preces? Est qui laborantis prehensa manu dicat, Æque facilis tibi febris hæc sit, atque Mariæ virgini Christi partus. Alius ante paroxysmum manus cum ægroto lavat, recitans secreto psalmum illum so-
Psalm. 21. 20. lemnem, *Exaltabo te, Deus, meus rex.* Si quis asino in aurem dixerit percussum se à scorpione, transire malum protinus tradunt. Ut verba, ita & scripta, in superstitiosis multa numerant. Ad arcendam lippitudi-
Plin. 28. 3. nem charta in qua duę Græcæ literæ R. A. inscriptæ sint, circumligata lino subnectatur collo. Ad dentium dolorem ridiculum hoc scriptum appensum: *Strigiles falcesque dentatæ, dentium dolorem persanate.* In his etiam quæ foris admoventur, non levis plerunque superstitio est. Ejusmodi illud est Apollonii apud *Plinium*: Vi interempti dente gingivas in dolore scarificari. In calva interfecti igneque cremati, aquam è fonte noctu propinare comitialibus morbis. Ex calva suspendio interempti, catapotia fieri contra canis rabidi morsus. Nam si dens aut calva has vires non à temperamento, sed (ut credi par est) à proprietate totius substantiæ & à tota specie nanciscitur, uniuscujusque hominis vel dens, vel calva eadem facultate viget, neque quod vi sit interemptus, eam proprietatem facit. Eadem superstitione sunt, difficiles partus statim solvi, cum quis tectum in quo sit gravida transmiserit lapide vel missili quodam, ex his quæ tria animalia singulis ictibus interfecerint, hominem, aprum, ursam. Et probabilius id efficere hastam militarem evulsam à corpore hominis, si terram non attigerit. Comitialem morbum sanari cibo è carne feræ occisæ eodem ferro, quo homo interfectus sit. Immatura morte raptorum manu, strumas, parotidas, guttura, tactu sanari. E tribus puteis pari mensura permistas aquas, prolibare novo fictili, reliquum dare in tertianis accessu febrium bibendum. In quartanis fragmentum clavi à cruce, involutum lana, collo subnectere. A quartana febre eum liberari qui vinum biberit, in quod immersus fuerit gladius, quo sit caput abscissum: & eum cujus unguium resegmina anguillæ vivæ collo subnectantur in linteolo, illa mox in aquam dimissa. Lienis dolorem sedari, si pecudis lien illi supertendatur, dicatque medicus lieni, se medicinam facere. A tussi unumquemque liberari, qui in os rubetæ ranæ inspuerit, ea mox viva dimissa. Laqueum suspendiosi circundatum temporibus, capitis dolorem sedare. Fascia mulieris alligato capite, dolores imminui. Hoc verbum Abracadabra, chartæ ea figura inscriptum quam *Serenus* tradit, ex collo appensum, à febribus maximeque ab hemitritæo liberare. Quid etiam veri id habere potest, quod multi affirmant, lathyris, quæ tithymali species est, folium sursum evulsum si sumatur, vomitionem movere, deorsum ruptum dejectionem? Est qui profitetur icterum omnem sanari, si labora-

Lib. 28. c. 1.
Lib. 28. c. 4.
Prætorea ... remedia quæ ... substantia ...

ran-

rantis urina mane in ollam emicta igni sensim effervescat, dum tota in vapore exhaletur, diebus novem continuis. Aliud ad febrem omnis generis intermittentem, virgas duas parallelas verborum vi mediis partibus committit, ipsoque contactu vincit crucis effigie, quam collo subnectit: sic quidem multos levat, sed qui fere gravius recidant. Innumeris tum *Plinius* tum alii complures scatent magorum commentis, quibus vulgus in sui admirationem trahant. Quin & in herbis non pauca videas superstitiosa figmenta, qualia *Galenus* ab Andrea & Pamphilo conscripta commemorat, incantationes, transformationes & decanorum dæmoniorumque herbas sacras.

6. De simplic.

BR. Valde nobis arridet cordique est tua hæc luculenta & morborum & remediorum quæ trans naturam sunt notio: in qua dum à naturali contemplatione confusa queque sejungis, reddisque singula seorsum pura, nos certe vindicas à tetris nenebris & à densa caligine. Nunc autem in naturæ limites regressi, ea potissimum scrutemur, quæ possint occultis morbis opitulari, eaque vel à cœlo, vel ab elementis, vel ab animantibus, vel à stirpibus, vel à metallis & lapidibus: extra hæc nihil nos potest naturaliter vel juvare, vel lædere.

CAPUT XVII.

Occultas quasdam esse formæ seu totius substantiæ proprietates, & quot sint illarum differentiæ.

EUDOXUS.

Præter has sunt & remedia quæ occulte totaque substantia agunt.

QUoniam dies hic vobis totus est consecratus, quæ *de occultis medicamentorum viribus* dici optatis, paucis complectar. Primum autem occultas illas tacitasque vires rebus inesse, easque naturæ limitibus contineri, ex superioribus demonstrationem habet. Nam si occulti morbi usquam proveniunt, necesse est & contraria illis occultaque remedia existere. Nihil in hac rerum universitate subsistit, cui non & simile, & contrarium quiddam natura protulerit, etiam si nostra diligentia nequit inveniri. Ut igitur morbis ex intemperie, contrarias ex intemperie vires: morbis ex materie contrarias materiæ facultates. & instrumentariis secundas medicamentorum vires ex permistis materiæ temperamentique viribus ortas opponimus. Ita sane occultis totius substantię morbis, necesse est natura contrarias vires compararit, quæ & ipsæ occultæ sint, & totius substantiæ dissidio illis adversæ. Etenim tam immanes morbi nunquid propriis destituti remediis jacebunt? Siccine naturæ res tantopere ad vitam necessariæ defecerint? Itaque in earum & facultatum & qualitatum genere: quæ à tota substantia fluxerunt, ordines multi ceu gradus collocandi, quorum extremi sint contrarii: ex his aliæ nobis infestæ & prorsus inimicæ, alię contra tota substantia familiares & amicæ, & quasi nostræ naturæ conservatrices. Hæ sunt quas medicamentorum occultas proprietates usus appellat. Possum opinor & aliter harum necessitatem persuadere. Quæcunque animantium, stirpium, lapidum, metallorumque corpora gignuntur, quando ex primis quatuor rerum initiis materiam sumunt, simul ex permistis illorum qualitatibus temperamentum sortiuntur, ex iisque vires habent, quas nos primas simplicium medicamentorum facultates appellamus. At quando non modo qualitates, sed etiam elementorum substantiæ ingenitis rebus confusę etiamnum manent ac persistunt, necessum est hinc vires quasdam servari, quas in materia sitas esse diximus. Ejusmodi sunt gravitas, levitas, mollitudo, durities, & reliquæ à materia qualitates, quas de more secundas appellant, non quod aliis posteriorem ortum acceperint, sed quod minus validæ sint minusque effectrices. Præter has vero tertiæ sunt à totius forma profectę. Si enim simplices qualitates viribus præditæ sunt, necesse est rerum formas atq; substantias multo præstantioribus excellere. Hæ sunt quarum genus universum *Galenus* à tota substantia prodire commemorat, parce admodum, timide & obscure, quid hoc rei esset, interpretatus.

Eæ vires à forma habent.

PH. Tibi vero quid esse videtur tota rei substantia?

EV. Si ea neque temperamentum est ex primis qualitatibus, neque materia elementorum, quid aliud esse dicas quam totius geniti formam? Hanc nonne alias summam rei perfectionem, alias substantiam, alias & essentiam nullo nominum delectu appellat?

PH. At nusquam *Galenus* tertiam hanc facultatem ad formam rei, multis autem locis ad prima rerum omnium elementa refert.

EV. Ita quidem facit, quoties omnia quæcunque fiant, probabili ratione illustrare, & quasi sub obtutum ponere contendit, ne quid ignorare videatur. At si verecunde veritatem quærimus, neque ad elementorum qualitates, neque ad illorum materiam, tota rei substantia accedit, sed proprias à se una vires est sortita. Ita quidem *Galenus* quoties spretis argutiarum aculeis, rem omnem verè nudeque explicat, totam substantiam plane diversam facit ab elementorum facultatibus: maxime quo loco de medicamentis totius substantiæ similitudine attrahentibus, hunc in modum differit: *Est autem & aliud attrahentium medicamentorum genus, qualitatis familiaritate trahens, quod nihil aliud est nisi similitudine totius substantiæ, sicuti accommodatum sibi alimentum trahunt quæ nutriuntur omnia. In his purgantia omnia, & quædam alexiteria.* Hæc deinde vim non ab elementis accepisse ita demum confirmat: *Calida autem esse oportet hæc omnia. nam de his inter quæ est substantiarum similitudo, id potentius trahit quod est calidius, quippe quod similitudini calorem addidit auxiliarium. Quum enim duabus de causis id trahat, superabit profecto id quod unicam habet cur trahat causam.* Hæc *Galenus*. Quibus plane vel nolens fatetur quod est verissimum, totius substantiæ similitudinem diversum quippiam ab elementorum qualitatibus, eamque attractionis præcipuam causam esse, solum autem juvari elementi calore. Si duæ causæ hæ sunt, substantiæ similitudo atque calor, nonne diversæ sunt & diversam originem sortitæ? Non potest igitur *Galenus* non in eas incidere occultas rerum proprietates, quæcunque sint illarum causæ. Quarundam facultatum probabilem causam depromsit, idque facile, aliarum certe difficilius, aliarum nullam prorsus est assequutus. Quo quoties forte incidit, cogitur vel invitus ad occultas rerum proprietates confugere, & illinc quasi auxilium implorare. *Libro secundo de naturalibus*, de vi attrahente contra Erasistratum differens, rursum in eandem sententiam tertio de simplici medicina, inquit: *Ostensum siquidem est à nobis in commentariis de naturalibus facultatibus, quod qualitatum quæ in substantiis sunt proprietatibus attractiones complentur.* Quinetiam *libro de respirationis usu* Erasistratum ridet & criminatur, quod curiosus multarum rerum causas conquirat ac investiget. Ita enim suscepta cum Erasistratiis disputatione sermonem instituit: *At si Erasistrati, inquiunt, rationem reprehendis, aliam dicito. Dicam equidem, sed si vos primum dixeritis quid in causa sit, cur piscatores contactu torpedinis obstupescant: quod si non possitis, hoc saltem nobis concedetis, ut illam animanti vim esse dicamus, qua stuporem contactu inducere possit, idque adeo potenter, ut per ipsum tridentem ad piscatorum usque manus facile discurrat affectio. Ergo piscium qualitates esse concedetis, quibus vel stuporem, vel caron, vel aliud malum adferre possint: aëris eandem vim esse negabitis? Sed ostendere non licet, inquiunt, quæ sit ipsa seu vis, seu qualitas. Iniquum est per obscura & incerta quicquam everti ac refelli.* Itaque multas rerum virtutes occultasque proprietates vel ex *Galeno* comperimus, quarum nulla fit investiganda ratio. Id nusquam clarius quam *undecimo de simplici medicina*, ubi de cancris fluviatilibus ustis agens, Pelopem præceptorem suum vellicat, qui causam reddere vellet cur ii medeantur demorsis à cane rabido. Sic enim post alia multa: *Nam cancrorum cinerem, quia exiccandi vim habeant, mordentium canum venenum absumere, simulque digerere: ita enim dictitabat Pelops, ambitiosa professione jactitans se talium omnium causas novisse. At nisi me plane scire quippiam ante persuasum habeam, propinquis persuadere non tento. Itaque nec Pelopis rationem, contra quam videbam multa dici posse, pro vera recepi: nam & cancros prodesse puto ex proprietate totius substantiæ.* Hæc *Galenus*. Qui & paulo ante pollicitabatur, seorsum librum se aliquando conscripturum, de iis quæ proprietate totius substantiæ quippiam in nobis efficerent. Sunt & alia passim apud eum plurima, quibus convincitur omnino, eas rerum proprietates in artem medendi intro-

Etiam ipsius Galeni judicio.
Lib. 5. simplic. c. 16.

introducere: fingula fi recenfere coner, longior ero quam pro ista temporis brevitate.

PH. Optarem, docte Brute, de his paulo profundius & accuratius quædam ex te fcifcitari, unde nunc plurimi has rerum proprietates appellent occultas. Quum *Galenus* eas fatetur à totius fubftantiæ proprietate nafci, an nullam putas earum effe rationem, qua demonftrari poffint?

BR. Nullam omnino.

Quæ vulgo occultæ qualitates appellantur.

PH. Age, obfecro, qui jam longo ufu compertum habet, magnetem ferrum allicere, nonne fcit hanc illius effe proprietatem, ut ignis calefaciendi ac urendi? Tu enim proinde quod ignem calefacere fenfifti, calidum judicas eaque illum vi pollere. Item quia magnetem fæpenumero ad fe ferrum trahere obfervafti, debes ex eo quod confequutum vides, id quod anteceffiffe neceffe eft colligere, ex effectione & opere efficientem ejus operis caufam. Neque eft quod exiftimes, omnis philofophicæ demonftrationis initium ex principibus illis qualitatibus, non aliunde duci. Si quis enim albam rofam proferens coloris caufam roget, hancque velis frigidiori temperamento tribuere, quid quæfo de rubra dices? Intybi fpecies lacteumne idcirco fuccum fundunt, quod frigidæ fint? At complures calidiffimæ, quales funt tithymali, eodem fucco madent. Et aloë idcircone eft amara, quia calida? Atqui in opio, quod perniciofo frigore necat, amaritudo ineft eximia. In odoribus vero major eft ac magis impedita controverfia, vix ut ullus fit, quem ab elementorum certis qualitatibus expirari, docere poffis.

BR. Quorfum hæc obfecro?

PH. Nempe ut intelligas, nec totius fubftantiæ proprietates, nec odorum colorumque naturas, ex primis duntaxat qualitatibus deduci.

BR. Quam gloriarere, fi tibi hac in re cederem?

PH. Ego vero nulla de re minus quam de gloria laboro. Sed omiffis feriis, liceat mihi tecum parumper urbanius jocari.

Sed male.

Nuper ex India quidam meus familiaris lapillum mire luminofum deportavit, qui totus quafi incenfus admirabili lucis fplendore fulget, jactifque radiis ambientem aërem lumine quoquoverfus implet. Is terræ impatiens, fuopte ipfe impetu confeftim in fublime evolat. Neque vero angufte haberi poteft, fed amplo liberoque loco tenendus. Summa in eo puritas, fummus nitor, nulla forde aut labe inquinato, figuræ fpecies nulla certa, fed inconftans & momento mutabilis. Quumque fit afpectu longe pulcherrimus, fefe tamen contrectari non finit, & fi diutius adnitaris, feriet acriter: fi quid illi demitur, fit nihilo minor. Ajebat infuper, hujus vim effe ad plurima utilem, tum fumme neceffariam.

Quam inter mittentes.

BR. Itane fabulofis ænigmatibus cum Oedipodibus quibufdam te jocari putas?

PH. Nihil fabularum texo: rem fi ante te conftitui voles, oculorum fide veriffimam fatebris.

BR. Beftiolam aut novi generis aviculam effe oportet.

PH. Nihil iftorum, fed res eft prorfus inanima atque muta.

BR. Novam & admirabilem rem audio, cujus profecto, fi cujufquam alterius, proprietas debet occulta cenferi. At nullumne illi eft inditum nomen?

PH. Ignis, flamma.

BR. Captus fum, & quidem fatis fufpicabar quippiam fallaciæ fubeffe.

PH. Quid me fallaciæ aut vanitatis infimulas? rem profero veriffimam.

BR. Sed tamen viliffimam & maxime protritam. Hoc uno maxime fpem meam fefellifti, quod ex India allatam diceres.

PH. Ergo India fi quid ejufmodi rarum carumque fola protuliffet, admirarentur fcilicet omnes ac laudarent occultas ejus proprietates: nunc quoniam vulgare eft parvoque parabile, contemptum proinde erit & nullo in precio! Si (ut recte protulit *Avicennas*) ignis inventu admodum difficilis effet, nobifque ab extremis & ignotis regionibus deferretur, illius quidem vim & proprietatem magis, quam cæterorum omnes admiraremur, illius caufas attentius fcrutaremur, illiufque multo magis quam magnetis effectus nos in admirationem traherent. Si quæram, unde ignis comburit, aut eas quas dixi vires accepit; non aliud dicere poffis, quam fummo effe illum calore, & hanc effe illius naturam & proprietatem. Hoc enim certe refponfo, do-

cte

cte videberis satisfecisse. Et tamen quum magnetem dico ferrum attrahere, aut pæoniam comitialem morbum profligare ingenita sibi proprietate, non videor tibi causam satis dilucide exprimere. Quid ita? Aut cur quod utrique commune est, alterius tantum veluti quodam privilegio proprium facis? Id unum fortasse discriminis statui potest, quod ignis proprietas, quia usitatior, peculiari nomine caloris & levitatis definita sit: magnetis vero, pæoniæ, atque similium, proprietatibus nondum ullum sit nomen inditum. Quo errore minutiores plerique philosophi tenentur, rati, quidem unumquodque sciri cujus nomen cognitum habeant, nihil vero sciri, cui nomen desit. At certe scientia ex rerum, non ex nominum cognitione ducitur: neque res ipsæ nominibus, sed nomina rebus obsecundant.

BR. Conclude tandem si potes, ut quid comprehendere velis intelligam.

PH. Non omnia primis fieri qualitatibus: & si, quæ ab illis fieri traduntur, sciri putas; nihil esse quod nesciatur: neque occultarum proprietatum magis quam elementorum affectionibus nos in admirationem duci oportere. Ut enim si quod medicamentum novi calidum tenuiumq; partium esse, id colligo obstructiones expedire, icterumque persanare: ita sane cognita ex affectu rheibarbari proprietate qua bilem expurgat, complector id ipsum corpus refrigerare, icterum, tertianas biliosasque febres discutere, capitis dolores, vigilias, sitim, aliaque ex bilis fervore symptomata compescere.

BR. Id jam manifestum agnosco, rerum proprietates non ab elementis, non à materia, sed à sola forma prodire, neque has recte occultas, sed vel formæ vel totius substantię proprietates appellari. Jam vero *quot qualesque hæ sint, fusius explicandum.*

Facultatum differentia à tota substantia profecta.

EV. Hoc sane nomen *Galeno* latissime patet, ad multaque pertinet, quandoquidem, alimentum nos alere, medicamentum expurgare, deleteria medicamenta & venenata omnia nos enecare, totius substantiæ vi, docet: rursumque alia in renes, alia in vesicam, alia in lienem atque in pulmones vel caput concedere, iisque aut salutaria aut pestifera esse tota substantia.

A *BR.* Tibine in his videtur totius formæ appellationem variam fecisse?

EV. Maxime. *Alimentum* quippe idcirco nos alit, quia *nobis tota substantia simile est.* Hęc autem similitudo nec temperamentorum est, nec materiarum, sed vel formarum duntaxat, vel horum certe omnium; quam proinde totius substantię similitudinem dixerunt. Lactuca & vinum alimenta quidem sunt, quorum neutrum nobis temperamento simile vides, & quorum materiæ admodum dissimiles sint. Idcirco autem nobis familiaria dico & amica, quod spiritum quendam vitæ & caloris in se contineant benignum, nobisque familiarem, cujus appulsu spiritus calorque noster fovetur sustentaturque: & quorum materia, quadam accepta mutatione, in corporis

Sunt 1. In alimentis.

B nostri materiam abit, ejusque molem alit & auget. Itaque si alimentorum alia calida sunt, alia frigida, similitudo quam quærimus temperamentorum haudquaquam est. Deinde si illorum alia dura sunt, alia mollia, aut hæc rara, illa densa, neque rursum in materiis est ea similitudo. Necesse igitur est hanc in spiritu & in cœlesti illo calore constitui, quæ sunt formæ congenita. Quod ut perspicue & luculenter perspicias, hæc tecum altius ipse meditare: Lac è mammis suctum, lactenti optimum & in primis conveniens alimentum esse: id ipsum vero si proprio calore dissipato frigescat, nunquam quantumvis denuo igne recalescat, posse bonitatem vimque pristinam recuperare, & infantem qui eo solo aletur, brevi totum extabescere. Quæ-

C cunque venatu vivunt animalia, ut in avium genere aquilam, milvum, accipitrem: in quadrupedibus leonem, lupum, ursum, vulpem: in piscium genere congrum, delphinum, thunnum, lupum, mullum, omnia quidem viva præda oblectari, nec nisi necessitate, abjecta cadavera attingere, præter ursum fortasse. Dum itaque delphinus aut mullus vivos pisciculos ventre continet conficitque, non modo suam substantiam illorum materia verumetiam calorem calore nativo fovet & auget: quemadmodum & lactis calor insitus, infantis calorem multo evidentius quam manus imbecillo ventriculo adhibita suscitat atque fovet. His ergo rationibus statuo, utile nobis

bis è vivis animantibus alimentum fore, si A illorum materiam vincere & atterere valeremus: & recens cæsas carnes, quæ teneræ sint, præmaceratis ac semiputribus utiliores, quod à vivis minus absint. Magnus hic sane locus ac late patens: quem ut totum animo perlustres, velim ipse tecum rationem habeas & contempleris, cur in tanta rerum multitudine nihil quicquam nos alere potest, quod non ipsum etiam alatur, sitque vita præditum. Non enim lapides aut metalla nobis alimenta sunt, sed duntaxat vel stirpes, vel animantia, vel quæ ex his prodierunt. Quid ita? Quoniam nostra vita nosterque calor non nisi aliorum vita & calore, neque corporis nostri substantia non nisi illorum materia sustineri potest. Quinetiam quæcunque ex his præstantio- B rem vitam degunt, utiliora & salubriora nobis alimenta sunt. Nam avium quadrupedumque substantia melius quam piscium, & horum melius quam fructuum aut stirpium substantia nos alit, si modo paribus paria referas. Ex quibus profecto comprehenditur, alimentum nobis familiare esse, primum quidem spiritu & calore divino, deinde materia quæ in hæc præparationem acceperat. Hæcque nos totam substantiam appellamus.

BR. Videberis igitur & cicutam & scorpionem nobis alimenta dicere, quod & vivant & spiritu caloreque cœlesti instructa sint.

EV. Si omne nostrum alimentum vivere dixi, non continuo sequitur è contrario, omne vivens alimentum esse: sed est præterea necesse, alimenti viventis calor nobis familiaris sit. At multorum calor spiritusque cœlestis nostro adversus omnino est, plane inimicus ac pestilens.

2. *In deleteriis & venenis.* Alimentorum substantię ex diametro opponitur ea quæ *deleteriorum ac venenatorum est tota substantia.* Ut enim illa magna familiaritate nobis conjuncta sunt, ita hæc prorsus inimica & pestilentia, quæ adhibita non modo primis secundisve qualitatibus nos afficiant, sed & toto genere de corpore nostro quicquid attigerint corrumpant, idque extabescens in suam speciem ac similitudinem vertant. Quocirca in genere totius substantię extreme contraria sunt alimenta & deleteria. Inter hæc medio quasi ordine consederunt *medicamenta purgantia*, quę neque alimenta in nostram substantiam converti, neque hanc prorsus corrumpere aut absumere solent. Extremorum hæc naturam habent participem, partim quidem similia, partim dissimilia nobis. Dumque nec vinci omnino neque vincere possunt, inimica dissimilitudine velut per seditionem exiguntur & exterminantur, secum interim similitudinis necessitudine eum humorem abducentia cum quo major erit affinitas. Ejusmodi ergo sunt medicamenta, quæcunque inter illa totius substantiæ extrema, conditionem plane mediam acceperunt. Quæcunque autem ab his in alimentorum extremum propius accesserunt, qualia sunt quæ benigna vocantur, ea si suo purgandi fine quavis occasione frustrentur, in humorem ad quem educendum apta erant, convertuntur, ceduntque nonnunquam in alimentum corpori. Quæ vero à medio in genus deleteriorum magis devergunt, quod genus sunt vehementiora, si quando purgandi finem non assequuntur, corpori graviter incommodant. Utriusque generis conditionem *Galenus* ita persequitur: *Ideoque in purgantibus medicinis quædam sunt quæ si purgatione frustrentur, præterquam quod nullo damno corpus afficiunt, in alimentum ipsius insuper cedunt: aliæ se ad animantis perniciem ac venenum convertunt. Habet enim omnino purgans medicamentum cum uno certe aliquo in nobis humore similitudinem, neque est illi semper admista vis veneni: quare si non purget, non tamen injuriam semper aliquam faciet, sed & concoquetur, & talem gignet humorem qualem trahere poterat.* Et rursum: *Quare ubi purgationem haud assequuntur quædam purgantium, alia malum corporibus nostris inferunt, quædam vero alimentum exhibent.*

3. *In Turgantibus.* (3. de simp. cap. 23.)

BR. Jam satis plane expositæ tres facultatum differentiæ, a tota substantia profectæ: at quarta restare videtur, qua *alia medicamenta alias corporis partes quasi delectu quodam aut juvent aut lædant.*

EV. Id non minus totius fit substantiæ proprietate, non quæ ad universum corpus, sed quæ ad unam quampiam particulam comparatur. Ut enim partium corporis aliæ aliis gaudent juvanturq; alimentis, nostrum quidem cerebrum animantium cere- 4. *In specificis.*

cerebro, pulmo pulmone, jecur jecore, stomachus stomacho, & cor corde, idque ob quandam substantiæ cognationem: ita & in deleteriorum genere, quędam proculdubio unicuipiam particulæ, non aliis adversantur suntque pestifera. Quod cum *Galenus* cognitum haberet, fassus est, à marino lepore pulmonē unum ex omnibus corporis particulis, à cantharidibus vesicam solam exulcerari. Similis est & eorum ratio, quibus vis data est particulas expurgandi: quędam enim jecur, quædam lienem, quædam pectus pulmonesque, quædam vero caput purgant: alia renum, alia vesicæ calculos conterunt. Nihil est in ulla naturæ parte, quod non peculiari & occulta proprietate vigeat.

Et jam si multa inter se conferamus, necesse est omnino has illorum proprietates, aut similitudine quadam & affinitate sibi consentire, aut dissimilitudine atque dissidio adversari. Hinc *sympathia & antipathia*, id est, consensiones & dissensiones profectæ sunt, omnibus rebus insertæ: arcanæ quidem illæ & abditæ, quas natura nos mirari potius qua scire voluit. Hæ causæ habentur omnium occultorum effectuum, qui nullis rationibus evidentibus probabiles existunt. Quod igitur alia medicamenta alias corporis partes aut juvent aut lædant, in causa est sympathia vel antipathia. Itaque si tibi magnetem ferrum attrahere proponam: si selenitem, quem annulo inclusum vidisse memini, nudæ cutis contactu sanguinem quavis ex parte manantem sistere, quam vim nonnulli jaspidi concedunt: si tertio digito inditum, minore quam æquinoctialis horæ curriculo, dysenterica alvi profluvia cohibere: si eum qui hæmorrhoidas sistebat & compescebat: si felem nepita herba sibi mederi; ranas, buffones, lacertas & serpentes herbæ ranunculi esu & contactu recreari: ibidem pastam serpentibus origano salutem quęrere; mustellam cum regulo dimicaturam se ruta munire: confixum cervum dictamo sibi opitulari: hæc inquam aliaque ejus generis sexcenta si tibi proponam, in promptu erit quod dicas, ea totius substantiæ similitudine & amicitia, quæ noxia sunt, attrahendo, hæc efficere.

In quibus Sympathia & Antipathia.

PH. Quid si forte scammonium, & alia

A quædam vehementiora cholagoga foris admota, dysenteriam persanent?

BR. At vero si tibi contra ob oculos constituo magnetem vel allio perunctum vel adamantis præsentia ferrum non allicere: vanescere filicem, quę copiosa in ambitu arundine obsita sit: & contra perire arundinem, quam obsepiens multa filix in orbem cinxerit: quercum juglandi proxime assidentem, aut brassicam cyclamino oppositam exarescere; cicutam vino tanquam veneno inspersam emori; oleam in quercus scrobe positam extingui; fraxini umbram serpentes non ferre & quam longissime fugere; vitem claviculis solam brassicam non complecti, & in diversam partem se inflectere; saphirum anthracem aut fugare aut discerpere; cancros fluviatiles à rabido cane demorsis opem ferre;
B scordion & centaurium minus lethalium bestiarum ictibus; terram Lemniam haustis cantharidibus aut lepore marino succurrere; terram Armenam à pestilentibus febribus vindicare: Jam habes quod dicas hæc antipathia & totius substantiæ discordia fieri, qua etiam alexiteria, id est, amuleta omnia nos tutos reddunt. Cæterum si pæoniam tibi affero infantium collo subnexam, comitialem morbum sanare, (id enim de pæonia mascula verissimum comperi) quam totius substantiæ aut convenientiam aut repugnantiam dabis, quæ id efficiat? Si, quod pituitam, quæ mali causa est, è cerebro similitudine substantiæ detrahit, idcirco medetur, cur non etiam aliis quibusque à pituita morbis succurret?
C aut cur non easdem vires obtineant medicamenta quæcunque pituitam eliciunt? Scio *Galenum* hanc illi vim idcirco assignare, quod exiccandi vi polleat tenuisque sit substantiæ, ac propterea ventriculorum cerebri infarctus expediat. Sed quum alia plurima extent majore siccitate prædita, tenuiorumque partium, cur illa vim pariter eandem ad morbum comitialem non accepissent?

EV. Isthæc ejus vis non è manifestis qualitatibus, sed a totius substantiæ dissidio atque repugnantia dimanavit, qua non pituitæ, non humoris lentori, sed morbi comitialis essentiæ (quæ latens occultaque est) prorsus adversatur.

PH. Mi-

PH. Mira vero plerumque *Galeni* ambitio, qui medicamentorum vires, quas *Dioscorides* sedulo ac diligenter est persequutus, omnes connititur in vulgatas elementorum facultates refundere, hincque omnium causas & rationes deducere. Sed præclarum istum, si diis placet, conatum tot ac tantæ circumveniunt difficultates, ut uni ac simplici rei non modo duas, sed tres quatuorve contrarias pugnantesque substantias assignet: id autem quam contorte, perspectum vobis est, quibus quotidie præcipua cura est, ista omnia diligentius excutiendi. Ipse equidem nunquam de hoc artificio ita bene sperabo, ut ex stirpium colore, odore vel sapore, earum primas secundasque facultates consequuturum putem, neque hanc ipse noscendi rationem, sed eam quæ ab experientia ducitur, firmam habebo. Hincque adeo factum est, ut uni *Dioscoridi*, qui simplicium medicamentorum vires puris nudisque verbis, nulla consequente ratione enarravit, plus fidei & authoritatis habeam, quam *Galeno* tot vanis rationibus instructo: existimemque medicamentorum experientiam ratione potiorem.

EV. Placide ac modeste omnia. Neque enim levis neque inanis habendus hic *Galeni* labor.

CAPUT XVIII.

Vnde nata totius substantiæ proprietas, utque à substantiæ distet, & ubi sita sit.

EUDOXUS.

Vt forma specifica cælitus;

Temperamentum accidens omnino quum sit, in substantiarum genus vere constitui non potest. Materia quæ rudis & omnis formæ expers intelligitur, substantia jam est, sed infimo & abjectissimo ordine. Præstantiori gradu est naturale corpus. Corporis autem species ac forma, quæ illius est summa perfectio, qua tum in rerum natura consistit, tum à cæteris distat differtque rebus, cæteris quidem omnibus dignitate præcellit, & in substantiarum genere prima atque summa collocatur. Quocirca nihil omnium melius quam species potest tota vel præcipua rei substantia aut essentia appellari: & quæ substantiæ totius proprietates nuncupantur, hæ speciei sunt & formę. Quæcunque igitur sit formarum, eadem est & proprietatum origo. Deus autem maximus olim primum cœlos stellis & viribus instructos, ipsaque gignendarum rerum elementa, solus ex sola divinitatis suæ immensitate condidit. Deinde vero & secundo loco animantium, stirpium & inanimornm genera, non solus ex se solo, sed ne illa (inquit *Plato*) eadem cum cœlis conditione forent, accitis cœlorum elementorumque viribus. Ut enim singula de terra vel aqua proferens, materiam illis ab elementis assignavit, ita sane formam cuique suam è cœlo propriis ornatam viribus immisit. Et ne posthac assiduas operas ad continuandam perpetuandamque rerum procreationem collocaret, singula quæ creaverat jussit semen proferre, quod gignendis aliis tum materiam, tum præparationem calore, spiritu & conformatione exhiberet: ipsum vero cælum jussit formam præparatis illis impartiri: itaque occultas rerum proprietates, quæ neque in temperamento, neque in materia inhærescunt, si è spiritu & calore deducis, divinas fateri necesse est, quandoquidem calor & spiritus in semine vere proximeque divinus est: sin vero è forma, proxime cœlestes, uti & formam. Non absre igitur, & Platonicorum & Theologorum sententia, cœlum intelligitur genitarum gignendarumque formarum omnium seminibus conspersum, ejus vero anima seminales rationes comprehendit, ab his ideis profectas quas una divina mens omnes suo quasi sinu gerit. Quicquid mundi universitate comprehenditur, id Deus cœlo elementisque conservandum ortuque assiduo continuandum subjecit, ut jam nihil vel ex semine gigni, genitumve conservari sine cœlo possit: nisi quid Deus iis quasi ministris omissis, ex se proxime miraculo efficiat. Quæcunque etiam sponte sua nullo semine prodeunt, ut stirpes pleræque & animan-

Ita & occulta vires veniunt.

mantes, metalla omnia omnesque lapides, ex uno cœlo formas proprietatesque sumunt, quod semper præsto est, & in omnem materiam idoneo temperamento aliisque præparationibus instructam formam immittit qualem ea meretur. Itaq; naturalis illa causa præstantissima & nobilissima omnium est formarum exemplar, cujus per omnia diffusa virtus quocunque penetrat: quam *Plato* mundi animam, alius quidam datorem formarum, *Aristoteles* universalem naturam appellavit. Hæc formam rebus non de subjecti præparatione suscitat, sed integram quasi de sinu suo confert præparato subjecto, in quo illæsa teneri servarique possit. Illinc simul & *tota formæ proprietas* defluit, quæ quanquam *accidens est*, à forma tamen nunquam sejungi separarive potest: illius ingenita & individua vis, cujus ope quæcunque sua sunt omnia efficit. Hoc uno maxime proprietas à sua forma & à tota substantia disjungitur, quod plerunque imminuitur integra illæsaque formæ substantia. Scammonii vis est bilem expellere, ea sæpe adeo remittitur, ut exhausta periisse tota credatur: magnes adamantis præsentia quasi hebetescit. Quinetiam in uno eodemque genere, aliud alio potentius vegetioreque proprietate valet. Quæ quamvis ita sint, nusquam tamen dicimus, id cujus extenuatur proprietas, substantiam mutasse. Ex quo perspicuum evadit, hanc proprietatem accidens & qualitatem, non autem rei substantiam esse. Id quod inde etiam constat, quod una eademque res complures sæpe proprietates habet, at complures substantias nunquam.

Quæ accidentia sunt.

B R. Quæ rebus quibusque primo ortu ingenitę sunt proprietates, ullane præterea cœli aspiratione egent?

E V. Maxima sane, *quæ nimirum integræ conserventur*, & permaneant: quandoquidem, nihil hujus ope destitutum, integris persistit viribus. Ut enim in animantium corpore suus cuique parti insitus est spiritus atque calor à semine, quem tamen generalis isque vitalis è corde per arterias in omne corpus emanans suscitat, tuetur atque conservat: ita sane quicunque animantibus & stirpibus à prima origine spiritus aut calor insidet totius formæ custos & propugnator, ab illo totius mundi generali spiritu, qui unus animam mundo consociat, omnesque virtutes continet, excitatur conservatur & augescit. Is enim omnium genitorum seminales rationes, omnesque omnium occultas proprietates complexus, omnia implet, per omnia diffusus, in animantia, in stirpes & in metalla propagatur.

Imo & in rebus, calitus conservantur varie.

B R. Semperne spiritus ille corporibus æque præsens, & ęquabili prosperitate vires suas impertit? Aut hæc illincne vires æquabiliter vel hauriunt vel suscipiunt?

E V. In unoquoque corporum quum alia aliis ceu gradu quodam validiora infirmiorave cernantur, constat, non æquabiliter omnia, sed *ut varia fuerit suscipientium præparatio* atque constitutio, magis minusve tum spiritus tum occultæ proprietatis haurire. Quinetiam si efficientis causæ vim spectabimus, spiritus ille cælitus quoquoversum defluens, licet semper & in omnia, nec tamen similiter, nec pari mensura illabitur, sed *definitis syderum coitionibus* cumulatissime. Singula terrena potentissimas efficacissimasque vires experiuntur, propriis syderibus bene fœliciterque constitutis collustrata. Alia Solis, alia Lunæ, alia aliorum planetarum accessu, radio aut lumine vigent. Æstivo solstitio ardore Solis aër incenditur, terrena flagrant, maria fervent: tumque motus illius conversione oleæ, tiliæ, populi, ulmi, & salicis folia circumaguntur, ipsoque die alia quam pridie facie cœlum spectant. Brumali autem sostitio aridum pulegium propendens è tectis florescit vi admodum cæca. Cichorii, Heliotropii, & Scorpiuri flores ab ortu ad occasum solem insequuntur, abeuntem intuentur, cum eoque vertuntur omnibus horis, etiam nubilo die: exortu se pandunt, occasu se contrahunt. Lunę porro vires mare perspicue imitatur, cujus æstus ascendente illa invalescit, descendente mitescit. Ostrearum, conchyliorum & concharum omnium corpora cum luna crescunt pariter, pariterque decrescunt. Materia è sylvis cæsa cum luna crescens jam multo est lumine, quod humidi fiat accessio, brevi tempore marcet & carie conficitur: cęsa vero quum luna decrescens exiguo est lumine, diutius perennat. Formica interlunio semper quiescit, plenilunio etiam noctibus

Pro varia corporis præparatione.

Et cœli constellatione.

ctibus operatur. Soricum fibræ, numero dierum lunæ respondere traduntur. Selenites lapis imaginem lunæ continens, eam reddit in dies singulos crescentis minuentisque numero. Ut hæc à Sole Lunaque vires, sic & non pauca obscuriores quasdam sensibus incomprehensas, à cæteris planetis syderibusque mutuantur. Magnes si liber sinitur, altero extremo in arcticum cœli verticem, altero in antarcticum se contorquet. Cinerem cancri usti, Sole leonis signum peragrante, Luna decima octava, Æschrion Empiricus *Galeni* laude celebratus, ad rabidorum canum morsus afferebat. Sexcenta ejus generis recte philosophantium sententia confirmat, docetque pariter, qui planetæ & quæ sydera unicuique corporis particulæ, & quæ unicuique tum animantium tum stirpium generi præsint: quæ syderum consociatio morbos ingeneret, quæ salutaria profligandis illis remedia ferat. Hac inspectione cognitioneque rerum, mox ratione comprehenditur, quod omni tempore rerum proprietates cum mundi spiritu illabuntur, insuntque rebus efficacissimæ, & quando herbas stirpesque singulas legere, quando componere, quando ad curationem adhibere expediat. Ea observatio cœlestia utiliter accommodat aptatque terrenis, & remedia plenis integrisque viribus opportune sufficiens, opera profert admiratione digna, ad quæ non alius quisquam accedet, iisdem etiam subsidiis instructus. Hinc quas veteres magna vigilantia pervestigarunt rerum proprietates, nunc permulti irritas comperiunt, quarum usu intempestivo plerumque fraudantur. Non pauci, scio, Astrologiam superstitiosa rerum vanitate contaminarunt, alii nefandissimis anilibusque figmentis consperserunt, alii libertatem animi actionesque nostras syderum necessitati perperam obstrinxerunt. Cæterum elementorum corporumque naturalium vires, cælestium motu viribusque teneri atque conservari, quis jam eat inficias?

BR. Tu nobis admirabiles noscendarum proprietatum desiderii igniculos accendis.

EV. Nec sine causa. Est quippe ea verissima præstantissimaque cognitio, quæ nos una scientissimos reddat: difficiles tamen salebrososque aditus habens, quasi deserta, prætermittitur:

Multa tegit sacro involucro natura, neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, nec non venerare: neque illa
Inquires quæ sunt arcanis proxima: namque
In manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putãdum:
Est procul à nobis adeo præsentia veri.

Una proprietatum cognitio res ipsas exercet, reliquæ omnes vix aliud quam verba. Quæ quum ipse mihi ante oculos propono, jam fere anteactorum laborum me tædet vehementerque pœnitet: idemque opto quod *Euripides*, ut res ipsæ cum hominibus colloquantur, & se quales sint explicent, ut procul amandentur artificiosi sermones.

BR. Ut Polypus cirros suos auctos devorat, ita & tu optime Eudoxe peritior jam factus, mihi videris redundantem hanc tuam eruditionem fastidire. Age vero proprietates istæ rerum sive à primo semine, sive cælitus deductæ sint; quum in animantes aut in stirpes insederint, cuinam potissimum illarum parti inhærent?

Cælum tamen eas non omnibus corporis particulis æqualiter largitur.

EV. Quum illæ sint formæ proprietates, necesse est omnino in ipsa forma proxime insideant, & in spiritu qui est formę vehiculum: at nihilominus penetrant & in totam illarum substantiam, hinc & totius substantię proprietates appellantur.

BR. Dic paulo explicatius.

EV. In viventibus multæ vires insunt, quæ illorum extinguuntur interitu: regulus vivens, non autem extinctus, visu enecat. Cor hirundinis palpitans devoratum, conferre creditur ad memoriam & intelligentiam. Turturis cor ad febres omnes intermittentes, si vivens calensque voretur. Anas viva ventri admota, tormina compescere: Scorpius suo vulneri impositus, injectum virus exhaurire: vivens aranea juglandis testis inclusa colloque subnexa quartanam depellere. Hæc & quęcunque non nisi viventia agunt, præcipuas vires in spiritu & forma viventis obtinent. Multa autem tum in animantium tum in stirpium genere morte extincta, vires etiamnum retinent: sed quas multo efficaciores habebant dum viverent. Et partes & excrementa tum stirpium tum animantium e vivis illis, tacitas vires habent multo efficaciores

Rat. 1. à viventibus desumpta.

quam quæ è mortuis eximuntur : & quæcunque à mortuis ſumuntur, efficaciora ſunt cruda quam cocta. Ranarum oculi ante Solis ortum eruti vivis illis in aquam dimiſſis, alligati tertianas abigere traduntur : omnium ſerpentum dentes evulſi, quartanas ſanare : talpæ viventis dens, dentium dolores compeſcere contactu. Omnium ſtirpium flores, ſurculi, comæ, radices deprehenduntur tacitis viribus præſtantiores è virentibus recens lectæ, quam aridæ, & omnes crudæ quam coctę : quemadmodum & hominis calva, ad epilepſiam : oſſiculum è poplite leporis ad nephritidem, & ad ſpaſmum flatulentum : inteſtinum lupi ad colicum dolorem : piſcium quorundam oſſicula ad calculum : cor corvi geſtatum ad inhibendum ſomnum : cor veſpertilionis ad hunc accerſendum : cervorum exuviæ ad ſenectutem : & quęcunque horum ſimilia traduntur, cruda ſunto, ni qua forte qualitate excellant ſtomacho infenſa. Ut enim viventium interitu extincto ſpiritu, magna ſimul cœleſtis quę eo tenebatur vis perit : ita coctione igniſque fervore multa diſſipantur quæ derelicta fuerant. Eo quippe unumquodque integrioribus pollet facultatibus, quo propius ad primam originem accedit. Multorum nihilominus vires eouſque penetraverunt, ut non ſolum in ſpiritu & in tenui ſubſtantia, verum etiam in craſſiore materia & in tota ſubſtantia firmius inhæreſcant, permaneantque abeunte totius forma, illiuſque temperamento diſſoluto. Nam ex herbis, aut ex aliis purgantibus medicamentis aqua vaporario elicitur, purgandi vim etiamnum retinet, aut deleteriam ſi herbæ in deleteriis fuere. Qui ex hydrargyro exuſtione fit pulvis, pręcipuas illius vires habet. Uſtarum cantharidum cinis urinas abunde movet, eſtque ut cantharides deleterius. Cancrorum uſtorum cinis, demorſorum à rabido cane amuletum eſt. Hoc quicquid de proprietatum ſitu quæſitum eſt, ſic rurſum expediam : Occulta rei proprietas tota quidem è forma, & è tota rei ſubſtantia manat, apta tamen & varia ſubjecti præparatione quo ſuſcipiatur conſerveturque indigens, quæ magnum habet ad juvandum impediendumve momentum. Quanquam igitur tota è rei forma exiſtit, non tamen in illa duntaxat poſita eſt, ſed quodammodo in totum ſubjectum corpus diffuſa : & prima quidem illius origo atque fons è forma eſt, ſed cujus vis & habilitas agendi in totum derivatur ac pertinet. Id quod perinde eſt ac ſi dicas, proprietatem à forma toti ſubjecto impertiri. Hæc ſic habere, argumento eſt, quod immutata ſubjecti præparatione, ea ipſa proprietas aut acutius aut hebetius agit. Succinum attritu incaleſcens, & pharmacum noſtro calore ſuſcitatum, celerius valentiuſque redditur. Quum itaque in ſimplici corpore forma in omnem materiam penetravit, ſimul in eam ſuas omnes vires & proprietates infixit, adeo quidem tenaciter, ut etiamſi forma pereat, totiuſque temperamenti ratio diſſolvatur, proprietates nihilominus permaneant, licet quadamtenus immutatæ & infractæ. Nihil igitur mirum videri debet, ſi vapor aut aqua arte è ſtirpe elicita, ſtirpis vim proprietatemque retinet, aut ſi cantharidum cinis deleterius eſt, urinaſque movet, & veſicam exulcerat.

BR. O Deum immortalem, quos mihi aculeos iſthac interpretatione infigis! quam dulci & jucunda recordatione animum exuſcitas! Tu mihi refricare videris purioris philoſophiæ memoriam prope intermortuam, & vulgaris illius ſophiſticæ cavillis obrutam. Agnoſco quam ſit difficile in tanta philoſophantium turba, cernere quid potiſſimum ſequaris. Quod ipſe interpretaris, nunc primum recordor, ſæpius me certa oculorum fide animadvertiſſe. Etenim fuſilis & metallicæ illius philoſophiæ, τῆς χημείας, (ut certe multorum) quum longa peregrinatione cum primis ſtudioſus exiſterem, exercitatiſſimo admodum præceptore uſus, ex unoquoque tum ſtirpium tum viventium genere ſubſtantias elicui plane varias, primum quidem aquam, eamque uberiorem ſi ſtirps virebat, parciorem ſi areſcebat. Deinde oleum, non id quidem pingue ac ſordidum, quale preſſu ex amygdalis & ex pleriſque ſeminibus trahitur, ſed artis præſtantioris opus, quod tempore nec ranceſcat, nec facile corrumpatur. Id autem duplex : unum tenue & albicans, alterum ſiccius atque rubens. poſtremo fecem terrenamque ſubſtan-

Rat. 2. deſumpta ex ſegregationibus chymicis.

ſtantiam ſubſidentem inſtar cineris atri & exuſti. Hac diſſolutione conabamur miris artibus, ex unoquoque corpore quatuor illa rerum primordia, quæ ortu natura permiſcuerat, ſejungere: aquam in concreto vapore, aërem in oleo albicante, in rubente ignem, in fece terram. Cæterum neutiquam præſtare licuit, ut ex iis quicquam prorſus ſimplex purumque ſecerneretur: quod, ut inquit *Augurellus*,

Quæ miſcet natura potens confundit eodem,
Haud ars ulla poteſt prorſus disjungere.

Quanquam autem ſecreta hæc ſimplicia non ſunt, puriora tamen quam in permiſtione elucent, iiſque ignis beneficio non parum ſordidæ materiæ ab elementis contractæ deceſſit. Quocirca ſi quæ denſandi, aſtringendi, corroborandi, detergendi, aut aliæ à materia vires inerant in compoſito, in ſecretis illis minore ſunt efficacia. Jam vero totius ſubſtantiæ proprietatem, de qua maxime eſt noſtra diſputatio, nuſquam ſeorſum puram conſiſtere deprehendimus, ſed in ſingula illa etiamnum ſecreta penitus immergi. Infirmiorem in aqua, quæ præſertim è ſtirpe viridi proliciebatur: in ea quippe humor exuberat alimentarius, nondum ſtirpis vim omnem ac proprietatem adeptus. Efficaciorem in oleo, multoque in rubente quam in albo: illud ſiquidem & odore, & ſapore totius ſubſtantiam referens, propria ſedes dignoſcitur inſiti ſpiritus & caloris, in quibus proprietas tota ſubſiſtit foveturque. A fece terrena & ab aquoſo humore quaſi ab impurorum elementorum vinculis vindicatum oleum, purius quidem evadit, perinde atque venarum ſanguis ab alvi fece & ab urinis expurgatus. In terrena porro ſubſtantia & in illa derelicta fece, nonnihil etiam occultarum virium manet, quod & arte eximi poteſt. Fex uritur dum prorſus albeſcat & in calcem redigatur, quæ certe proprio humore apte diſſoluta eximiis viribus præcellit. At vero qui neglecto quatuor ſubſtantiarum diremptu, quippiam ſecernere ſtudent in quo maxima ſit proprietatis efficacitas, & illa quæ multis dici ſolet quinta eſſentia, primum è re ſubjecta aquam lento vaporario prolectant, hac deinde feces reſpergunt, ut ſecundo humorem eliciant: ſicque ſeptena reſperſione & expiratione feces

A torreri non ſinunt, & ex his vim facultatemque omnem exhauriunt, aquę maximeque aſſidenti oleo innixam, quę ad multa utilis accommodataque ſit. Quinetiam exceptas aquas vaſe pelicani effigie, multa agitatione anfractuque longo circulantur, quo hæ vires ſortitæ efficaciſſimas, in quintæ illius eſſentiæ naturam vix ulli corruptelæ obnoxiam faceſſant.

PH. En multa refers admodum recondita: quibus augurer majora te & abſtruſiora de pervulgato illo multiſque decantato philoſophorum lapide ſubolfeciſſe.

Ea autem vires maxime latent in quodam corpore auri quod lapidem Philoſophorum vocant.

BR. Non olfeci modo, verumetiam de hoc non parum fortaſſe deguſtavi.

PH. Et fortaſſe magno tuo damno.

BR. Imo lucro fœnoreque maximo, ut qui eo ſtudio verum comprobaverim, quod
B fabuloſo figmento vobis haud abſimile putatur.

PH. Quid hoc quæſo rei?

BR. Indignis hæc impertiri nefas.

EV. Etiamſi jam dies inclinet, dic tamen rogatus, nec in amicorum ſodalitate celes, quid hac de philoſophia acceperis.

BR. Dicam veſtro hortatu, non hunc totum theſaurum deprompturus, ſed edocturus quam vere ſubſiſtat. Ne vos autem inſolens nominum ſermoniſque obſcuritas offendat, quæ patres umbra & ænigmate obvelarunt, in apertum & in clariſſimam lucem proferam, ſtrictim tamen & quam breviſſime. Lapis philoſophicus, elixir Arabibus, gignendi propagandique auri verum ſemen, non è ſulphure, non ex argen-
C to vivo, non ex ullo cæterorum quæ multi fraude proponunt, ſed ſolo ex auro eoque puriſſimo quærendus veſtigandúſque eſt.

Hordea cui cordi, demum ſerit hordea: ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia; in auro
Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.

Nihil eſt in ulla naturę parte quod non in ſe generis ſui ſemen contineat, ſed quod vix poſſit arte prolici. Ex ſolo autem auro poteſt. Maxima vis ſeminis in oleo quodam inhæreſcit, atque id quidem in cæteris inflammari cremarique igne ſolet, in auro autem non poteſt, qua ex cauſa id nullius ignis ardore torreri abſumive poteſt, & omnem artis vim tolerat:

---*Vnſ*

——Vni quoniam nil deperit auro
Igne, velut solum consumit nulla vetustas,
Ac neque rubigo aut ærugo conficit ulla,
Cuncta adeo firmis illic compagibus hærent.

Ejus parandi modus. Fœcundum autem id semen sic eruito: Auri purissimi uncias duas, argenti vivi magno artis studio præparati decuplo permisce, igneque languido dissolve, dum argentum vivum prorsus expiret, pristinumque auri pondus subsideat in atrum pulverem redactum, qui tamen liquatus possit in propriam auri naturam redire. Ex hoc dein pulvere igne acerrimo vaporarii, aquam continenter elicies, dum pulvis totus in cinerem candidissimum & in calcem devergat. Calcem septies aqua resperge, quæ & toties expiratione inde prolecta sit: omnique arte elabora ut hæc impulsione & incursione crebra sese extenuent, & ab omni sorde feceque purissima reddant, vires summas consequuta. Hæc duo sunt totius artis operisque conficiendi primordia, in quibus mundi quatuor elemēta devinciuntur. Nam in aqua aër etiam inest, in calce terra atque ignis, fitque quod in *smaragdina Hermetis tabula* tanquam insculptum mysterium legimus. Ascendit à terra in cœlum, iterumque descendit in terram, sicque vim recipit superiorum & inferiorum. Qui ænigmata hæc contexuerunt, hanc aquam appellant argentum vivum, calcem vero sulphur, quorum permistione lapis fit, perinde atque ex aqua farinaque panis. Alii aquam spiritum viventem, terram fermenmentum: alii illam marem, hanc fœminam dixerunt, quorum complexu & coitione procreatur infans. Opus autem postremum ut compleas, calcem puram obturato vase reconde equino fimo calente, diebus quadraginta, dum in humorem album & crassum liquescat. In hunc justis dierum intervallis aquam sensim infunde: ea quidem via & ratione quam artis periti ad unguem explicarunt, ut calx aquam suam omnem sensim combibens quasi illinc enutrita, in lapidem verum concrescat. Quam variam colorum mutationem hoc temporis curriculo debeat lapis subire, & quæ indicia illius consummati perfectique existant, expressum etiam ab illis patefactumque est. Hic thesaurus immensus, hoc verum elixir, hoc frugiferum auri semen, cujus drachma si in ducentas & quinquaginta liquati plumbi aut stanni drachmas infundatur, id universum in aurum purissimum convertet. Imo etiam, ut cum poëta loquar:

Ipsius ut tenui projecta parte per undas
Æquoris, argentum si vivum tum foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

PH. Heu quid rerum audio? Equidem tibi artique condiscendæ me totum dedo, measque fortunas omneis periclitandi studio devoveo.

EV. Siccine è philosophia ad divitias habendi desiderio quasi inflammatus raperis? Vide ne quod postremo additum est, fabulam detegat. Missa igitur tam vehementi de pecunia opinione, satis nobis sit è rebus singulis syncerum quippiam purissimumque elicere, in quo vis illa occultarum proprietatum summa insideat. Pro qua re dilucidius explicata maximam Bruto gratiam habemus.

BR. At pro beneficiis in me tuis meritam gratiam debitamque referre nunquam possim.

CAPUT XIX.

Occultis morbis tacita medicamentorum proprietate succurrendum, non Empiricorum ritu, sed arte & methodo.

BRUTUS.

HAnc autem de abditis proprietatibus disputationem tandem ut concludas, si *qua* putas *arte illas ad curationem adhibendas*, hanc nobis expedi.

Methodus adhibendi medicamenta occultarum virium. EV. Est certe quidem maxima: ut enim in cæteris, ita in his curandi ratio contrariorum lege completur. Ut repletio inanitione, inanitio repletione, omnisque intemperies intemperie contraria: sic totius substantiæ morbus, medicamentis profligatur

gatur totius ſubſtantiæ proprietate contrariis: Unicuique, ſive in epidemiorum, ſive in contagioſorum, ſive in venenatorum is genere ſit, peculiare quoddam remedium opponitur, ſecreta facultate efficax.

PH. Brevis hæc & expedita ratio medendi, quæ neque philoſophicis, neque medicis theorematis neque ulla methodo innititur, & qua quivis è plebe, ſemeſtri optimus medicus evadat. Hinc fortaſſe *Galenus* locis non paucis facultates quæ totius ſubſtantiæ proprietate fiunt, dixit à methodo & ratione alienas eſſe.

Non eſt nulla.

EV. Quo te rerum iſthæc iguorantia & ſtupiditas devolvit? Siccine putes tam præclaram artem nullis aliarum diſciplinarum ornamentis fulgere, neque illarum adminiculis fulciri? Gravis eſt eorum temeritas qui eximium quoddam remedium nacti, ſine judicio, ſine arte, utcunque ſors tulerit, ſtatim ad curationem proferunt. Olim Empirici ad unumquemque morbum magna remediorum ſylva comparata, quodlibet nullo delectu ad curationem adhibebant. Id ſi forte parum profuiſſet, continuo ad alterius opem concurrebant, ſubinde facta mutatione, dum morbus vel ſponte, vel naturæ beneficio quam remediis potius ſaneſceret, poſtremo adhibitum totius curationis cauſam fuiſſe perſuaſi. Hæc ratio tantam remediorum ſylvam peperit, nihil ut toto obverſetur orbe, quod non in medicinæ uſum accommodetur. Medendi viam, quæ uni remediorum multitudini fidit, parum tutam intelligens *Hippocrates*, ipſo artis quaſi veſtibulo dixit, *Experimentum fallax*: id nimirum quod nec ratione, nec methodo, nec judicio ſuffultum ſtabilitumque ſit. Quod vero ex *Galeno* afferebas, facultates quæ totius ſubſtantiæ proprietate fiunt, à methodo & ratione alienas eſſe, non idcirco dictum putes, quod illis nulla methodo uti conveniat, ſed quod non ut quæ ſunt in calefaciendo, frigefaciendo, humectando ſiccandoque, methodis reperiantur. Illas enim non ratione ab odore vel ſapore, ſed ſola experientia invenire poſſis. *Nam*, inquit *Galenus*, *cur hic lapis tacto vulnere ex quo ſanguis prorumpit, curſum ejus reprimat ac ſiſtat, haud novimus.* At *cur lapis quem vocant hæmatiten, in oculares facultates indatur, haud latet: nam id rationis inventum eſt.* Itaque occultæ facultates quæ manifeſta demonſtratione ſciri haud poſſunt, methodo tamen & ratione ad morborum curationem adhibendæ ſunt.

BR. Placet hæc interpretatio. Cæterum quas dicimus experientia ſola cognitas vires, putaſne caſu & animantium imitatione inventas? quemadmodum ferunt ab ibide clyſterem, ab hippopotamo venæ ſectionem, à cervo venenatis ſagittis confixo, dictami vires edoctos nos eſſe?

EV. Potuit illinc fortaſſe experiendi quædam occaſio, & experientiæ initium deduci: at perfectio ipſaque experientiæ fides & conſtantia, non niſi ratione conquiritur. Quum hic remedium adhibet jejuno, ille paſto: hic morbi initio nec præpurgato corpore, ille inclinante jam morbo: hic in affectu ſimplici, ille in compoſito: hic in leviore & perfacili, ille in contumaci: uterque experitur quidem, at non ſimiliter. Exiſtit ergo experiundi quædam ratio, qua ſpreta quæcunque utilia hic experietur, ille haudquaquam probabit, aliaque perquiret: hinc ſane tot experimentorum procellis & undis demergimur.

Sed egregia.

BR. Qua quæſo ratione experimenta comprobare liceat?

EV. Eadem nimirum qua & morborum curationem exquimur.

BR. Hanc igitur ſummatim breviterque perſtringe.

EV. In *quemcunque curandum morbum incideris*, æſtimandum principio, manifeſtuſne is ſit, an occultus: ſi occultus, (nam manifeſtos hic non perſequor) ſimplexne & ſolus, an manifeſto implicitus. Quum occulta pernicies invaſit, ſi purum corpus erat & integre ſanum, fere ſolet ſimplex & ſolitarius eſſe morbus, ſin vero vel plethora, vel cacochymia, vel obſtructione, vel alia cauſa prẹter naturam corpus tenebatur, vix poteſt qui invadit occultus morbus ſimplex eſſe. In hoc igitur curando non ante afferenda ſunt remedia quę totius ſubſtantiæ contrarietate eum profligent, quam plethoram, cacochymiam, obſtructionem aliamve cauſam medendi arte ſummoveris. Siquidem hæ & occultam perniciem fovent, & antidotorum vires infringunt. In cacochymia, quæ præſertim ven-

Alia in præſervatione.

triculum, primas venas visceraque occupaverit, occultæ medicamentorum vires quasi sepultæ franguntur & hebetescunt, perinde atque si in lutum sordidissimum demergerentur. In obstructione præclusæ sunt & impeditæ viæ quibus iter est ad affectam sedem, nec eo potest antidotus integris viribus pervenire. In plethora etiam obstructio fere subest, quibus ex causis infirmæ & parum efficaces redduntur medicamentorum vires. Itaque non ante, quam hæc vitia solveris, occultæ medicamentorum proprietates utiliter afferentur. Cæterum si simplex occulta pernicies eaque sola subsit in corpore, statim non alia curatione præmissa, convenientia remedia afferantur, tum ad id quod etiamnum futurum est, tum ad id quod factum jam est. Quod fieri potest futurumve est, B inhiberi debet & intercipi, idque efficiente illius causa sublata: hæc si in aëre fuerit, accenso igne vel refrigerantibus, vel odoribus qui tota proprietate sint efficaces, vel alia omni arte corrigatur, dum purior aër evadat. Pauca erit respiratio: à pleniore victu, à vehementi exercitatione, & ab omnibus causis abstinendum quæ crebram magnamque respirationē inducunt. Quum vel à contactu vel ab introsumptis pernicies contracta fuerit, pervestigandæ & discendæ sunt illius causæ, quas postea declinare non difficile sit. Nam virulentas bestias, aut inquinatorum hominum consortia, & loca quibus ii habitant, vitare possumus: & qui in veneni suspicione sunt, ad esculentorum, potulentorumque saporem diligenter attendere, & aliqua præsumere possunt, quæ veneni vires hebetent.

Alia in extirpatione. *Quod porro morbi factum jam est, summoveri debet per ea quæ extirpant*, retundunt & extinguunt. Extirpant autem quæcunque virus exhauriunt, forasque proliciunt. Qua in re & quanta veneni pernicies visque sit, tenendum, & qua parte & quam pridem intro subierit. Primo quoque tempore, etiam si nondum perniciei signa compareant, virus antequam invalescat & altius in corpus illabatur visceraque tangat, coërceri debet, simulque valente auxilio revelli, absorberique; alioqui exitiali vi & pernicie occupatis jam visceribus, frustra succurritur. Idque ea sede revellatur qua concerptum illapsumque est. A In morbis pestilentibus per os & nares valida expiratio concitetur, quæ & pulmones & partes cordi vicinas exinaniat, moxque aër igni expurgatus aut odoratus, cardiacusve vapor inspiretur. In morbis contagiosis paulo supra partem primum infectam, vincula (si fieri commode potest) arctissima injiciantur, deinde pernicies protinus eliciatur: primum quidem exuctu facto ab eo qui jejunus non sit, qui & os vinō colluerit, & cotoneum malum præmanderit, vel qui olei exiguum ore contineat. Quum suctio tuta non est, gallinacei dissecti etiamnum proprio calore tepentes, percusso loco circumvolvuntur: vel gallinæ vivę podex loco adhibetur dum intereat, alia subinde mutatur dum suo calore & spiritu partis venenū exigat. Locus etiam spongia nova fovendus, quæ vel in lixivio sarmentorum aut ficus, vel in posca, vel in acri salsamento, vel muria, vel aqua maris madueri. Scarificatus altiores imprimendi, ut cum sanguine virulenta materia profundatur. Affigendæ cucurbitulæ cum largiore flamma, quæ foras evocent. Emplastra ex porro, cæpa, allio, sinapi, adjecto sale aut nitro, interdum aut ex thapsia aut ex cantharidibus imponantur, quæ venenum elicere & discutere queant. Loci in carne facta circumscriptio & quasi circinatio virus intro subire non sinit, idque cum sanguine profundit. Interdum & hamo prehensa caro, scalpellique acie circumscripta amputari debet. Ustio candente ferro virus omne domat & absumit, nec in membra insinuari patitur. Quum vero crustæ deci- C dent, ulcus diu sordidum & manans prorogetur, ne illius labra coalescant, obducanturque cicatrice. Sectio, ictæque partis (si extrema fuerit) amputatio, in extremis & præsentibus serpentium ictibus imperatur. In venenatis porro affectibus quum assumptum venenum est, sine mora virus foras exhauriatur priusquam incalescat. Vomitio protinus concitetur hydrelæo tepente, aut butyro, aut adipe anserino ex aqua calente, aut malvæ, aut seminis lini, fœnigræci, aut urticæ decocto. Quæ singula, præsertim oleum, non modo vi relaxante vomitiones movent, sed & perniciei vim acrimoniamque obterunt. Quinetiam reli-

mucilaginum seminis lini, fœnigræci, ficuum pinguium, & uvarum passarum, succi iridis & scyllæ, œsypi, ichtyocollæ, an. ʒxijß. terebinthinæ ℥iij. resinæ pini ceræ citrinæ an. ℥ij. Omnia in emplastrum redigantur eadem arte qua in simplici diximus.

EMPLASTRUM E MUCILAGINIBUS *praeduros quoque tumores valide mollit ac digerit, abscessus quoque maturat, eorumque ruptorum saniem ac pus abstergit.*

℞ Mucilaginum seminis lini, althææ, fœnigræci, & mediani corticis ulmi, an. ℥iiijß. oleorum chamæmeli, liliorum & anethi an. ℥j. ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni an. ℥ß. croci ʒij. terebinthinæ ℥ij. ceræ novæ ʒxx. fiat emplastrum arte jam præscripta.

PLANTIUS. *Multa quidem ad emolliendum emplastra veteres descripserunt, & ex his quatuor sub nomine diachylon, quorum duo hæc tamen præstantissima sunt. Sed & hoc emplastrum è mucilaginibus multo ad omnia potentius existit, quam quod Zachariæ filio adscribitur, quod proinde minime describendum fuit.*

℞ Meliloti ℥vj. florum chamæmeli, seminis fœnigræci, radicis althææ, baccarum lauri, absinthii, samsuchi, an. ʒiij. cardamomi, cyperi, ireos, spicæ nardi, ammios, cassiæ ligneæ, seminis apii, anisi, an. ʒijß. ammoniaci ʒx. styracis, bdellii, an. ʒv. terebinthinæ ℥jß. ficus pingues xij. sevi hircini, resinæ, an. ℥ijß. ceræ ℥vj. olei majoranæ & nardini an. quantum sufficit. fiat emplastrum. Sevum hircinum, resina & cera in oleis liquentur, his ficus pingues tritæ & cretæ addantur, deinde ammoniacum & bdellium aceto soluta, postea terebinthina, postremo reliquorum pulveres creti.

PLANTIUS. *Emplastrum è meliloto, è baccis lauri, ceroneum & oxycroceum satis quidem esse videbuntur ad omnes affectus & dolores qui digeri resolvique postulant, ut idcirco non aliis opus fuerit, neque emplastro è sinapi, neque emplastris variis è fermento, neque emplastro de aliis, neque emplastro relato ad Aristarchum.*

EMPLASTRUM E BACCIS LAURI, *ventriculi, præcordiorum, intestinorum, uteri ac vesicæ, aliarumque partium, dolores à flatibus aut à frigida quavis causa subortos mire demulcet.*

℞ Thuris, mastiches, myrrhæ, an. ℥j. baccarum lauri ℥ij. cyperi, costi, an ℥ſ. mel lis colati quãtum ad omnia cogẽda satis est.

Id putant AD HYDROPEM MIRABILE reddi, si pondus cyperi sit ℥ijſ. & caprinum stercus arefactum addatur pondere ℔ſ.

EMPLASTRUM CERONEUM *lienis duritiem mollit, hydropi & frigidis uteri affectibus, thoracis scapularumque doloribus à frigore ortis succurrit.*

℞ Picis navalis colatæ, ceræ, an. ℥ij. & ʒiij. sagapeni ℥ij. ammoniaci, terebinthinę, colophoniæ, croci, an ℥ſ. & ʒiij. aloës, thuris, myrrhæ, an. ℥j. opopanacis, styracis, galbani, mastiches, aluminis, fœnigræci, styracis rubri, bdellii, an. ʒiij. lithargyri ʒjſ. Emplastrum hac forma concinnetur: sagapenum, galbanum, opopanax, ammoniacum & pix vino liquentur & colentur: his colophoniam colatam, deinde styracem, mastichen, thus, myrrham, bdellium trita cretaque, paulo post injice terebinthinam, alumen, lithargyrum & fœnumgræcum. Coctum ex his emplastrum in aquam mergitur frigidam, & subigitur manibus, addito pulvere aloës & croci, manibus semper unctis oleo laurino. concinnantur magdaleæ.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM *omnem quoque duritiem mollit, atque discutit, articulorum dolores, & eos qui circum membranas sunt ossium, evocat, atque disperdit.*

℞ Ceræ, picis navalis, croci, colophoniæ, an. ℥iiij. terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, thuris, mastiches. an. ℥j. & ʒiij. Galbanum & ammoniacum aceto liquantur atque colantur: pix dein colata additur: ab hac cera, mox colophonia & terebinthina, non multo post thus, mastiche & myrrha. Coctum emplastrum in frigidam mergitur, expressumque subigitur cum pulvere croci, manibus oleo perunctis.

EMPLASTRUM DE JANUA, *ad vulnera & recentia ulcera mire efficax, inflammationem sedat, detergit, agglutinat & carne implet, & ad cicatricem perducit.*

℞ Succorum apii, plantaginis & betonicæ an. ℔ſ. In succis reliqua tria sensim agitando coquantur ad succorum consumtionem, ac tum igni sublatis addatur terebinthina.

EMPLASTRUM GRATIA DEI *ex eadem fere materia, & ad eosdem usus.*

℞ Terebinthinæ ℔ſ. resinæ ℔j. cerę albę

℥iiij. mastiches ℥j. betonicæ, verbenę, pimpinellæ recentium an. m.j. tunsæ herbæ ex vino albo coquantur dum tabescant, liquor exprimatur: in quo cera, resina & mastiche coquantur in idoneam emplastri consistentiam: igni sublatis terebinthina permisceatur.

EMPLASTRUM DIVINUM *ad maligna ulcera multo præstantius: eorum enim saniem ac putredinem detergit, & absumit, novam carnem profert, & ad cicatricem perducit.*

♃ Galbani, myrrhæ, an. ℥ij. & ʒij. ammoniaci ℥iij. & ʒiij. opopanacis, mastiches, aristolochiæ longæ, æruginis, an. ℥j. lithargyri, olei communis, an. ℔j ß. ceræ novæ ℥viij. thuris ℥j. & ʒj. bdellii ℥ij. magnetis ℥iij. Lithargyrum cum oleo agitando permiscetur, postea coquitur dum crassescat, tum cera additur minutim concisa. ea liquata igni aufertur, adduntur que galbanum, ammoniacum, opopanax & bdellium ex aceto vel vino dissoluta, cocta & colata: deinde pulvis inspergitur myrrhæ, mastichis, thuris, aristolochiæ & magnetis: postremo æruginis, ne hac diutius cocta emplastrum rubrum evadat.

PLANTIUS. *Emplastra quæ ad vulnera & ulcera describuntur, de janua, gratia Dei, & divinum, ea quoque satis sunt: nec plura huc adferenda fuerant. Nam emplastrum Oribasii duplex & emplastrum apostolorum comprehenduntur sub hoc divino, quod in eosdem sint usus, minus tamen efficacia.*

EMPLASTRUM AD HERNIAM.

♃ Gallarum, nucum cupressi, psidię, balaustiorum, acaciæ, seminis plantaginis, seminis psylli, seminis nasturtii, cupularum glandium, fabarum torrefactarum, aristolochiæ longæ & rotundæ, myrtillorum, an. ʒß. hæc omnia pulverisentur, & in aceto rosato macerentur per quatuor dies, deinde torrefiant & exiccentur.

Tum ♃. consolidæ majoris & minoris, caudæ equinæ, glasti, scolopendrii, radicis osmundæ regalis & filicis, an. ℥j. thuris, myrrhæ, aloës, mastiches, mummiæ, an. ʒij. boli armenæ lotæ in aceto, lapidis calaminaris præparati, lithargyri auri, sanguinis draconis, an. ℥iij. picis navalis ℔ij. terebinthinæ ℥vj. vel quantum satis fit ad emplastrum fingendum.

B PLANTIUS. *Prætermissa hic quoque sunt alia emplastra adstringentia & corroborantia ventriculum, renes & uterum, quæ non usurpantur, & pro quibus alia quædam in rem præsentem præstitui solent: ut idcirco videatur hic emplastrorum & aliarum compositionum numerus satis esse ad pharmacopœiam & ad curanda summa morborum, causarum & symptomatum genera: neque opus fuit medicamentarium hunc librum otiosis & supervacuis compositionibus implere, quæ non nisi frustra & ad confusam multitudinem augendam recenseri possunt. Quæ autem compositiones ad peculiares quosdam & singulares affectus curandos utiles existant, quia rarius contingunt, in propria singulorum curatione tanquam illis peculiares & accommodatæ traduntur.*

Methodi Medendi libri septimi, finis.



JOAN.

reliquiæ intestinis inhærescentes, clystere acri deducendæ, in quo hieræ tum simplicis tum compositæ, & mellis & nitri magna vis insit. Hæc igitur sunt quibus elici extirparique venenum potest: quorum optimum quodque & rei subjectæ convenientissimum deligetur, si partis à qua id prehenderit situs & natura æstimabitur: si, quanta sit veneni pernicies, & quam pridem invaserit, compertum fuerit.

Alia in obtusione.

Cæterum quoniam plerunque hisce præsidiis tota vix pernicies elici potest, hujus *quicquid reliquum fuerit, obtundi restinguique debet.* Obtundunt quæcunque manifestis qualitatibus illius furorem, vim, acrimoniamque hebetant & consopiunt. Id genus sunt in pestilentibus morbis frigida & stiptica, ut aquæ frigidæ potus, mali punici, citrei medicique succus, omphacium, oxalis, acida omnia, & medicamenta hisce viribus prædita. Odores ac suffitus qui eisdem polleant facultatibus. Si intro sumpti veneni suspicio est, ejus vis obtundetur vel oleo, vel butyro, vel anserino adipe, vel jure pinguioris carnis, & gallinaceorum, vel malvæ, althææ, lini aut fœnigræci, ptisanæ cremore, vel lacte schisto, vel lactis potu pleniore, in quo etiam cucumeris semina contrita sint. Omnium siquidem vis leniendo, veneni acrimoniam hebetat, ipsumque quasi consopitum in alvum deturbat. Confert præterea, venarum ductus obstruere vel astringere, ne tam repente vis illa veneni viscera in principesque partes invadat. In id efficaces sunt bolus armena & terra lemnia, quæ etiam communi dote prosunt. Item halicæ, oryzæ, tragi aut tritici pultes. Venenatarum bestiarum acceptum virus obtunditur & membratim pervagaturum frenatur, tum his quæ nunc dicta sunt, tum aliis quibusdam acrioribus, ut vini meracioris passique potu, alliorum, porrorum, cæparum & omnium acrium esu. Quum enim difficile hæc coquantur, multosque dies eorum vis & qualitas remaneat, putant, hoc tempore perniciem illorum vehementia & acrimonia obtundi & arceri ne altius penetret. Hæc universa in occultorum venenatorumque morborum curatione præmittenda, & ut uniuscujusque status conditioque feret, accommodanda, sine quibus vix quisquam possit, vel ampla remediorum supellectile undique instructus, tutam efficacemque sanationem suscipere. Quæ si via & ratione stabilita confirmataque sunt, constat, non sine arte & methodo ad occultarum proprietatum opem concurrendum, sed summam esse artis potestatem, eamque ubique primas obtinere.

Alia in extinctione.

Leviusculos incipientesque occultos morbos ars generalis interdum cohibet: at integra perfectaque sanatio his duntaxat completur, *quæ perniciei atque veneni vim omnem aut restinguant, aut exterminent.* Id autem alia communi, alia peculiari dote præstant: communi quidem, bolus armena, terra lemnia, dictamus, pastinaca, ruta, aristolochia, theriaca, mithridatium, aliaque non pauca à Dioscoride *octavi libri calce* conscripta. Quæ porro peculiari dote vigent, alia occultos, alia manifestos morbos expugnant: Anginæ siquidem simplici manifestæque inflammationi hirundinum ustarum cinis, & albi canis stercus proprietate succurrit: Asthmati, vulpeculæ pulmones: colico dolori, è lupi intestino cingulum: calculo hircinus sanguis, non substãtiarum dissidio, sed amicitia & similitudine, qua partibus offensis affines sunt. Occultis vero morbis obsistunt, quæ antipathia & totius substantiæ dissidio vires habent. Ut sua cujusque veneni atque morbi species: ita sua cujusque est antidotus, id secretiore proprietate exterminans, aut intro sumpta, aut suffitu odoreque hausta, aut foris adhibita.

Conclusio capitis.

Proprietatum quidem cognitio, omnium præstantissima atque nobilissima, nos una locupletare ornareque potest. Ardua sane illa & procul à nostris sensibus posita: tota quippe ex naturæ & essentiæ inspectione cognitioneque nascens. Illa autem purissima simplicissimaque rerum natura nullis sensibus obvia, sola mente comprehenditur. Hanc si oculis & re ipsa cerneremus, continuo in ea quasi in speculo proprietates omnes nobis elucerent. Quanquam autem latent, naturæ arcanis multaque obscuritate involutæ, præ ignavia tamen sinendæ non sunt, sed investigandæ diligentius, non è primis tangendi secundisve qualitatibus, non è sapore, odore, sono vel colore, verum è solis effectis & operibus,

ribus, quæ tum longa usus observatione, tum optimorum authorum monimentis comparata confirmataque sint.

Et totius operis. At vero quoniam inclinato jam die ad vesperum perducta est disputatio, huic modum finemque constituam, ut paulisper laxemus animos, & à severitate ad hilaritatem risumque traducamus. Vos autem disputationis studio incensi, totiusque memores, otio majore in abditarum proprietatum cognitionem aliquando acrius graviusque incumbite.

De Abditis rerum Causis secundi

FINIS.



HISTORIÆ, ET OBSERVATIONES QVÆDAM RARIORES EX PRAXI ET DIARIO

Cl. & Præstantissimi Viri,

D. D. OTHONIS HEURNII, Ultraject.
Med. Anatomiæ, & Chirurg. in Academiâ Lugd.-Batavâ
Professoris Primarii.

HISTORIA I.

Sive Observatio, tabifici pulmonis empyematis, seu suppurationis productæ à peripneumonia ex pleuritide orta, in viro annorum triginta sex.



NNO 1636. Decembris 21. à prandio dissectum est cadaver *Ioannis de Neeff* Flandri, opificio sartoris, ætatis annorum 35. erat celebs: admodum teneræ nativæ constitutionis, gracilis, ac glabræ cutis superficiei. Temperamento sanguineo, in bilem proclivi. Habitaverat Leydæ in vicinia horti sagittariorum, in angiportu, ubi anno 1635. pestis vehementer grassata fuerat. Eum anno 1636. in Majo pleuritis in latere sinistro apprehendit: phlebotomia, dum vigeret occasio, neglecta fuerat, ideoque humor ferociens ex pleura in pulmonem metastasin, sive transitum, fecerat, eum inflammans & peripneumoniam procreans, ad quod in hac corpore magna erat opportunitas ob arctum utriusque partis connexum. Causam tanti mali judicamus fuisse pestilentem malignam qualitatem, quæ in illis ędibus locisque vicinis adhuc nidulabatur,: unde humores furiata violentia inflammati his partibus impacti erant. Quippe pestilentem aculeum cum haberent, pro indole ejus veneni cor impetebant, cujus robore repulsi in locis proximis imbecillioribus consederunt, ibi violentam peripneumoniam, cum larga sanguinis expectoratione efficientes. Tandemque transiit, & commutatus est morbus, in pulmonis empyema sive suppurationem, & postea in miserabilem expurationem; nam ipsam pulmonis substantiam in pus conversam exspuebat. Ingenti hoc tabifico pulmonis morbo, comitante symptomatica hectica marasmode febri; & ante mortem bimestri spatio perennibus vigiliis, ac perseverante diarrhæa, omnes vires exspoliantibus, tandem anno 1636. Decemb. 20. circa meridiem placidè in lecto expiravit; nullo eorum qui in eadem conclavi aderant, mortis ejus agonem animadvertente. Mens perpetuò usque ad fatalem horam constabat. Erat totum corpus aridum & exuctum, musculi plane exhausti, & arefacti,

Causa miserabilis cujus empyematis.

A

Dura cutis per quam spectari viscera possent,
Ossa sub incurvis extabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus; pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri.

In pectoris latere sinistro deprehendimus pleuram inviolatam, pulmonem autem undique firmiter adnatum pleuræ costisque, ac pericardio. Membrana pulmonem ibi vestiens integra erat, qua dissecta magna cavitas & cloaca se ostentabat; nam in singulis illis sinistris pulmonis alis, sive lobis, una continua empyematis vomica existebat. Parenchyma totum erat eliquatum in pus crassum, album, marcidum, cujus majorem partem miser ægrotus acerba tussi ejecerat: nam noctu & interdiu irrequiebili ea vexatione exagitabatur. Sola vasorum majorum, & membranularum ea connectentium, arida & exanguis substantia supererat, quæ ad similitudinem rarioris retis texturæ conformata spectabatur: quibus inviscata hærebat crassa ea purulenta materia, tenaci pituitæ commixta; sicuti in lacubus videmus interdum ulvam retibus piscatoriis inhærere. In latere dextro thoracis uterque pulmonis lobus planè liber natabat, nullis membranularum retinaculis ulli parti annexus. Foris integer & naturalis constitutionis, sed cum eum attrectaremus ut exploraremus an non alicubi vomica aliqua delitesceret, duritiem in profunditate lobi ejus superi animadvertimus; ideoque facta sectione, deprehendimus in parenchymatis meditullio vomicam conclusam, eamque non exiguam, qua dissecta multa purulenta materia profluebat. Ab ingenti hac pulmonis corruptela spiritibus vitalibus, & toto sanguine depravatis, indeque partium totius corpo-

Miranda & miserabilis pulmonis constitutio.

B

C

ris labefactato temperamento, earum vitali vigore consumpto, ipsorumque substantia colliquata: & tum inde, tum ex defectu naturalis facultatis in alibili succo coquendo & retinendo, perenni alui fluore comitante, adeo omnia viscera exaruerant, ut dissecto hepate, liene, renibus, nulla sanguinis gutta deprehenderetur. Dura ab ariditate erant omnia, sed hepar præcipuè, quod valde erat magnum, & æquabilis siccæ constitutionis, sine ulla scyrrhi saxea duritie. Pericardii substantia & color, sicuti & membranarum mediastini, naturalis constitutionis erant, sed nulla prorsus pinguedine veluta. Dissecto pericardio copiosior aquosa sublutea materia spectabatur quàm naturaliter consuevit.

Omnia naturalia viscera exanguia.

Cor per transversum dissectum nullum prorsus sanguinem profudit, nisi postea paucissimum cum instrumentis insertis vasorum procursum scrutaremur & demonstraremus, nam tunc ex Arteria Aorta & vena cava parum sanguinis in Cor defluebat. Substantia autem cordis satis bonæ constitutionis erat, vasaque ejus coronaria sanguine distendebantur. Omentum omni pinguedine destituebatur, ita ut tantum esset nuda membrana vasis intertexta, idque etiam auxerat ventriculi & intestinorum coctionis infirmitatem. Ventriculus paruus erat, totoque ejus fundo seriatim secundum longitudinem, plurimi à Portæ vena rami gastrici, & gastro-epiploici inserti, manifestè conspiciebantur, qui per omentum eo protenduntur, & intestino Colo quoque implantantur. Quippe omentum Colon ventriculi fundo annectit, unde earum partium summa est sympathia, tum ob eam connexionem, tum vel præcipuè ob eorum vasorum communionem; unde fæcibus in Colo restagnantibus ventriculi appetitus & coctio destruuntur. Observatum hoc est à viro Amplissimo & Medicinæ Doctore eruditissimo Sebastiano Eckerti, Reipublicæ Amsterdamensis Consule, in suis ad Praxin Dodenei notis, de muliere quadam quæ diu colico dolore excruciata & pica, sive malacia, vexata fuerat, quam nisi subinde crudis piscibus comestis placare non poterat. Post mortem Colon ejus dissectum crassis flatibus distentum inventum est, quibus commotis cogebatur crudos pisces vorare; ideoque vulgo existimabatur lutram in ventre habere. Demonstrabat, mortisque causas explicabat *Otho Heurnius* Professor ordinarius Medicinæ Practicæ, Anatomiæ, & Chirurgiæ, adstantibus plurimis Medicinæ studiosis, & præsentibus *D. Damiano VVeissens*, & *D. Iohanne Moerbergio*, Reipublicæ Leydensis Medicis ordinariis; sectionem administrante *Mr. Ioanne Camphusio* Reipublicæ Leydensis Chirurgo ordinario; ad hoc officium speciatim à D.D. Academiæ Curatoribus, & Reipubl. Leydensis C o s s. delegatis.

Cor exangue.

Ventriculus & Colon intestinum ob vasorum communionem ut se mutuò afficiant.

Historia mulieris ex Coli vitio pessima pica ægrotantis.

HISTORIA II.

Sive Observatio, violentissimi præcipitis casus ex altissimo sublimium scalarum gradu, vasis meningum diffractis, cerebroque vehementer quassato, cranio tamen illæso viri annorum XXXII. qui prosperrimo successu intra dies XXV. sanitatis integritatem recuperavit.

PIER VARRY VValo, ex Vrbe Valencyn, annorum 32. solidæ & compactæ corporis structuræ, textor limborum, an. 1636. in æstate Leydam venerat victum quæritandi causa, relicta uxore & prole in patria: ille eodem an. Decembris 22. vesperi cibo potuque obrutus ex summo gradu altarum scalarum preceps deciderat, toto corpore ex scalis everso, nemine presente. Chirurgus vocatus statim detraxit ex vena cephalica sanguinis uncias octo.

Noctu autem eadem ultra duæ libre sanguinis ex aure sinistra profluxere, totamque crapulam tunc evomuit. Acquiescebat

Sanguis ex aure sinistra copiosè effluit.

[...] va- [...] stu- pida unde.

bat noctu & interdiu soporosus veluti comatosus. Mens stupebat ex spirituum, & cerebri ventriculorum ac pororum conturbatione, sanguinisque copiosi effusione à lapsus violentia. Tactu nihil prorsus in capite diffractum deprehendi poterat, multò minus visu, aut ullis artificiosis, in tali necessitate usurpari consuetis, explorationibus. Dextro lateri perpetuò incumbebat. Ad publicum nosocomium delatus Decembris 23. sub cura nostra & Practici Academiæ Collegii fuit.

Toto corpore dolebam, sed parte nulla eximie & evidenter.

Cum exquireremus quo modo, & in quam partem concidisset, & ubi doleret, vaga incertaque respondebat, toto corpore, totoque capite se dolere dicens: nullum certum locum demonstrans, & qua ratione concidisset se ignorare, asserens, nisi quod præceps ex summo gradu corruisset, scalas non attingens. Decembris 24. eodem modo se habebat, nisi quod diceret præterquam quod toto corpore doleret latere faciei dextro, ubi musculus Temporalis maxillæ inferæ affigitur, & quoque latere pectoris sinistro in regione cordis, se dolorem sentire vehementem. Foris tamen nec livor, nec tumor aderat, neque anhelitum cum dolore trahebat. Cum erigeretur miserè exclamabat, toto corpore acri dolore se detineri conquerens. Aluus intra biduum non dejecerat, nimirum 24. Decembris, nec ulla tunc adhuc febris aderat, ideo hic clyster administratus fuit, ℞. quatuor herbarum emollientium an. m. j. radicum althææ, liliorum an. ℥jß. farinæ sem. lini, fœnigræci an. ℥j. ficus pingues N. 5. fl. chamæmeli, meliloti an. mß. ebulliant in aqua com. Colaturæ ℔. j. admisceantur electuarii diacatholici, diaphænici an. ʒvj. mellis rosati solutivi ℥j. salis rom. ʒj. olei liliorum, chamæmeli an. ℥j. Misce pro Clystere. Bene aluus evacuata fuit, sed sine ægroti allevatione. Decembris 25. mens æque vaga, magis, quàm antea languebat, pulsus erat paruus, debilis, intermittens: nihil adhuc certi de ullo loco læso respondebat. Perpetua carotica somnolentia opprimebatur. Acriùs compellatus, & ubi doleret interrogatus, dicebat se in fronte dolere; sed cum ibi foris attrectaretur, nullum dolorem ibi se percipere dicebat. Decembris 26. meliusculè habebat,

A mens magis constabat: dicebat se exiguum tantum dolorem in dextro frontis latere sentire, sed cum respiraret magnum intus in pectore percipere. Aluus post exhibitum clysterem officium non fecerat, itaque mandatum ut statim iteraretur & ad expectorationem promovendam hic linctus est præscriptus quia aliis convenientibus Nosocomii officina non erat instructa, ℞. syrupi de scabiosa, de violis, oxymelitis simplicis an. ℥jß. Misce pro linctu. Pulsus tardus, fortis, ordinatus erat; febris nulla. Decembris 30. magis erat querulus de dolore totius corporis, & caput pectusque sibi dolere dicebat, nihil tamen foris videbatur, nec intus dolor ullis signis se prodebat fracturam aliquam attestantibus. Jussus nares & os obturare ac fortiter exspirare, linguamque fortite manducare, nihil inde, in capite incommodi se percipere asserebat. Mens magis constabat.

Nulla aderant cranii fracturæ signa.

B Febris nulla aderat. Aluus ei post clysterem adstricta fuerat; ideo hic haustus purgans præscriptus homini egeno & qui de publico curabatur. ℞. fol. senæ orientalium à stipitibus mundat. ℥ß. sem. anisi contus. ʒß. infundantur per noctem aquæ fœniculi & cichorei an. q. s. Mane colaturæ ℥ijß. immisce electuarii diacatholici ℥ß. Syrupi rosati lax. ℥jß. misce pro potione: hæc bene operata fuit, & ægrotum valde allevavit. Anno 1637. Januarii 2. bene appetebat, placidè dormiebat, de dolore nullo eximio amplius querebatur, nisi quod sibi nates alquantulum dolere diceret, & caput parum, sed nullo dolore memorabili. Januarii 6. bene jentabat, prandebat, cæ-

C nabat, obambulabat, & igni assidens cum aliis fabulabatur.

Januarii 14. processerat ambulatum, & 18. ad suos ex nosocomio commigravit. Nihil autem hic in capite tentavimus, nec chirurgica operatione, nec errhinorum (hoc est per sternutationes, & è cerebro per nares attractiones) molimine; quoniam cum febris abesset, nec ullubi in capite certum locum eximie dolentem, aut humoribus prægravatum demonstraret, sanguisque per aurem effluxisset, & indies melius valeret, & ad omnes animales naturalesque functiones natura sponte rediret, non tantum supervacuum, verùm etiam

Cur in hoc ægroto nihil in capite moliti simus, sed naturæ lapsas partes instaurantis spectatores fuerimus.

tiam temerarium fuiſſet ejuſmodi quicquam moliri, & ex ſecuritate in periculi ambiguitatem ægrotum præcipitare. Nam vaſa meningibus intexta quæ quaſſationis vehementia diffracta erant, ſenſim per quietem coaleſcebant & conſolidabantur, quæ ab errhinorum violenta concuſſione, dilacerata fuiſſent. Alioquin eorum uſus ſummopere utilis in ejuſmodi neceſſitatibus eſſe ſolet, cum ſanguis qui ex vaſis effluxit in anteriore capitis parte putridus reſtagnat. Sed in hoc ęgroto nulla ejus rei indicia aderant, ægroto indies minus ſe in capite dolere aſſerente, & ad ratiocinationis integritatem magis magiſque redeunte. Caput autem ſecare extra fracturæ neceſſitatem, certis indiciis ſe prodentem, eſt vitam ægroti ferri ludibrio exponere. Ideo tantum clyſtere & lenioribus pharmacis ſubduximus primæ & ſecundæ regionis excrementa, ne ſanguis in venis & arteriis inde inquinatus, lacera meningum vaſa, cerebrumque à quaſſatione violatum, impeteret, ac eorum conſolidationem, & ad naturalem conſtitutionem regreſſum, impediret. Magnus Hippocrates noſter, cujus tanta fuit benignitas nihil ut ſciverit, quod nos neſcire voluerit, ne in hujuſmodi caſu poſteritas cecutiret, & temeraria curatione ægrotos necaret: primus hiſtoriam huic ſimilem Lib. 5. Epidemiorum Hiſtoria 31. conſignavit: *Puella quæ è rupe deciderat voce privata eſt, jactatio aderat, vomuit ſub noctem multum ſanguinis: quia autem in ſiniſtram capitis partem ceciderat, inde copioſius effluebat. Melicratum difficulter bibebat. Stertor aderat, & reſpiratio denſa veluti morientium. Vena circa faciem diſtenta. Decubitus ſupinus, pedes tepidi, febris debilis, vocis interceptio. Die ſeptimo vox prorupit. Calores tenuiores ipſam occupabant. Manſit ſuperſtes.* Quaſi dicat Hippocrates cum ob immania enarrata ſymptomata certæ morti deſtinata eſſet, præter omnem expectationem evaſit incolumis. Etenim videbantur atteſtari læſas eſſe partes principes, & etiam officiales vitæ neceſſarias, adeo ut verò fere ſtatui poſſet impoſſibile eſſe ipſas in integrum reſtituit. Concinuavit & conſcripſit anno 1637. Januarii 19.

Hippocratis hiſtoria de puella ſimiliter ut noſter ægrotus perſanata.

O. HEURNIUS.

HISTORIA III.

Sive Obſervatio, de incognito regionibus Europæ morbo, Braſiliæ endemio, qui digitos pedum atroci gangræna corrumpit, quem indigenæ appellant TON.

THomas vander Guychten Gaudavenſis Flander, annorum 36. militaverat in Braſilia per menſes XXI. Ubi primò (menſes quatuor ante reditum ſuum in Hollandiam) febre maligna correptus, ab ea liberatus fuerat materiæ diadoſi, ſive tranſlatione in digitum annularem manus dextrę, qui intra dies ſex gangræna & ſphacelo inde planè corruptus fuit, adeo ut extirpandus eſſet. Etenim in eum digitum magna eſt oportunitas decubitus materiæ à corde & arteriis, per arteriam quæ ei digito ex axillari implantatur. Obſervatum primò hoc fuit ab Ægyptiis: ideoque Græci & Romani in hoc digito annulos geſtabant; ſed in manu ſiniſtra, quoniam cum ea minus dextra actionibus inſerviat, ibi etiam annuli minus incommodant.

Febris maligna materia in dextrum digitum annularem effuſa, eum ſphacelo infecit, adeo ut extirpandus fuerit.

Commemorat hoc Aulus Gellius Lib. 10 Cap. 10. *Cauſam eſſe cur in digito manus ſiniſtræ qui minimo proximus eſt, Græci & Romani annulos uſitaverint, Appion in libris Ægyptiacis dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus (ut mos in Ægypto fuit) repertum eſt nervum quendam tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis pervenire. Propterea non inſcitum viſum eſſe eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quaſi connexus eſſe cum principio cordis videretur.* Hollandi ideo nominant **de Hart-vinger**, hoc eſt digitum cardiacum; & eum in lipothymiis ad calorem ruboremque fricare conſuevere, quò fiat humorum ſpirituumque à corde revulſio. Ægyptii autem, ſicuti & ex eorum doctrina Ariſtoteles, cor nervorum originem conſtituebant, verùm errat Gellius in nomine vaſis, nam pro ner-

Ægyptiorum antiquorum de digito annulari ſententia.

Vide Plinium de benerſa morbo in digitis eodem.

nervo arteriam scribere debuisset. Cum autem hic ex hoc affectu emersisset, infirmior & febriculosus permanebat: ac tunc alius tetricus dolorificus, Brasiliæ endemius morbus, ipsum invasit. Sunt ibi exilia animalcula per arenam divagantia, coloris fusci, instar pulicum, quæ TON ab indigenis appellantur: incedunt, & saltant ut pulices, sed sæpe atomi, aut arenulæ tantum magnitudine. Hæc se circa unguem pollicis utriusque pedis illatebraverant, in cute delitescentia. Acerbo dolore urebant & in ipsa etiam ossa penetrantia ea corrumpebant: adeo ut pollicis dextri duę priores phalanges extirpandæ fuerint: sinistri autem pollicis os secundæ phalangis cum etiam ab eadem pravitate gangræna corruptum esset, totum excisum erat. Commemorabat ægrotus ea animalcula præcipuè unguium circuitus in pedibus, interdum & manibus, & aliquando etiam digitorum interstitia, aliasque molliores corporis partes invadere, ibique delitescere. Et cum in cutem irrepunt ea interdum primo biduo non sentiri, sed quod postea excitent ingentem & intolerabilem pruritum, ex cujus acriore fricatione livida macula proveniat, quam statim tumor capitis aciculæ magnitudine comitatur. Ipsum autem illud insectum TON in centro ejus tumoris recubat, sicuti pupilla in oculo: & circa ejus peripheriam instar vermis se protendit, magno doloris cruciamento pedetentim eum ad pisi magnitudinem augens. Insequitur gangræna si congrua medela non succurratur: nam si nullum remedium adhibeatur contabescit in se is tumor in gangrænam quia vermi formis ea circumferentia plurimis TON est fæta, quæ maleficè putrescunt, & necrosin parti inferunt. Sin ejus extractio tentetur, & in media operatione diffringatur, plurima inde TON germinant, quæ diffusa in partes vicinas ea gangrænâ destruunt. Aut si ea nondum animata sint, diffractus is vermiculus omnia eadem malefica symptomata excitat quæ Dracunculis laceratis supervenire solent. Unde liquet, venenatæ pravitatis ea animalcula esse: Ideo indigenæ Brasiliensis, & advenę Nigritæ qui eò ex Africa ad saccharacea opificia advehuntur, ilicò cum feros eos hos-

TON quale insectum,

Ejus malefica gangrænosa violentia.

Quomodo tumorem gangrænosum procreet.

Cur indigenas minus officiat quàm advenas.

A pites percipiunt, priusquam tumorem eum vermiformem procreent, acu sensim eruunt; succeditque ut plurimum genti industriæ & perspicaci felici eventu, licet sine doloris acerbitate non peragatur. Nostris autem ea encheireseos dexteritas deest. Minus infestant Brasilienses ob cutis duritiem quàm Nigritas: sed Europæos facillime invadunt ob cutis carnisque teneritudinem. Divagantur autem ea animalcula in Brasilia præcipue iis locis per arenam quibus arundo saccharifera provenit. Ideoque cum ob aëris fervidum æstum nudis pedibus, aut non bene tectis ibi inceditur, dum iter faciunt lassis & sudantibus, ideoque incautis, TON insidiose insiliunt, & sine ullo dolore cuti se illatebrant. Meminit hujus morbi pater meus Joannes Heurnius epistola de morbis novis & mirandis

B ad D. Henricum à Bra. Qui Americam adeunt ibi familiare observarunt malum TON indigenis appellatum, quod pediculi animalculi idæa digitos pedum exedit, sub unguibus se insinuans, omnia in gangrænam convertens. Appropriatum est remedium inquilinum oleum rubeum quod ibi ex fracta Couroq provenit. Enarrat rem uberius Lerius cap. 11. Historiæ Brasilianæ, Barbaros infestat exiguum insecti genus quod TON nuncupant. In pulvere nascitur pulicis idæa. Sed cum sub pedum aut manuum unguibus se insinuavit prurigo statim acris oritur, & nisi protinus evellatur brevi temporis spatio ad pisi magnitudinem excrescit, extrahique nisi magno cruciamento nequit. Non tantum au-

C tem ba bari qui toti incedunt nudi, sed & nos quoque etiamsi bene vestiti hoc insecto infestabamur. ego licet diligentissimè mihi ab illis caverem, ita tamen fui infestatus ut uno die ultra viginti ex variis corporis mei locis sint evulsi. Vidi & quosdam minus cautè degentes, quibus non tantum manus & pedes infestabantur, sed axillæ, aliæque molliores partes tumoribus pustulisque eorum insectorum erant oppletæ. Credo idem hoc esse animalculum quod scriptor Historiæ Indiæ Occidentalis, lib. 1 cap. 30. appellat NIGUA, quod etiam Hispaniolam insulam infestat, inquiens, NIGUA pulicis salientis formam refert, pulvere delectatur, pedes tantum invadit cuti

Quibus in locis maxime luxuriet.

Io. Heurnii de hoc sententia.

Et Lerii uberior descriptio.

Iunge ex Scaligeri exercitat. 194. n. 8.

TON etiam Hispaniolæ familiare malum, quod ibi NIGUA nominant.

cuti se insinuans, & ilicò incredibilem lendium copiam progignit: quæ etiam mox alias fætant. Nisi maturè succurratur, tantum ferro & igni domantur & educuntur. Tempestivè si extrahantur, parvo dolore curantur. Vidimus Hispanos quosdam adeo iis fuisse afflictos ut pedum manuumq; officio privati fuerint. Brasilienses partes affectas inungunt oleo quodam spisso, rubro, expresso ex fructibus quos appellant Couroq, quod certò malum domat & curat. Et nos Galli etiam hoc remedio prospero successu utebamur. Prævalet hoc oleum ad vulnera aliaque corporis humani incommoda sananda, estque apud barbaros in maximo pretio. Chirurgus noster in Galliam rediens, duodecim magna vasa ejus olei, totidemque pinguedinis humanæ, quam barbari collegerant cum suos captivos assarent, secum avexit. Cæterùm ægrotus hic noster Thomas vander Guychten cum digitus ipsi abscissus esset, paulò post acerbo hoc affectu correptus fuit. Chirurgi tentaverant TON evulsionem, sed male administraverant, multa eorum diffringentes, & ingenti doloris cruce ægrotum torquentes. Ita misere affectus solverat ex Brasilia anno 1636. in Martio, & eodem anno Mense Majo in Zelandiam appulit. Venit sub nostram curam anno 1636. Decemb. 30. cum jam fere desæviisset gangrænæ violentia, & abstersione, mundificatione, incarnatione, ac cicatrisatione, recorporatio, ac congrua consolidatio esset procuranda. Itaque primo corpus à cacochymia vindicavimus hac purgatione, ℞. foliorum senæ orientalium à stipitibus mundatorum ʒiij. rhabarbari in taleolas conscissi ʒjß. agarici trochiscati ʒj. sem. anisi contusorum ℈j. cinnamomi ℈ß. 22. gr. v. infundantur per noctem calidè aquæ fæniculi & cichorei an. q. s. Mane colaturæ mediocriter expressæ ℥ijß. adde electuarii diacatholici ℥ß. syrupi rati laxativi ℥jß. *Misce F. Potio.* Sumat Decembris 31. primo diluculo. Parti affectæ cum stuppa cannabina applicari jussimus decoctum scordii, rutæ, absinthii, cardui benedicti, rosarum rubrarum, in aqua communi & vino rubello confectum. Ita à residua gangrænæ violentia parte vindicata, mundificatio porrò facta fuit melle rosato, & postea ad mundificationem consummandam, gangrænam prorsus domandam, roburque nervosæ parti restituendum, adhibitum est oleum hyperici admixtis paucis guttis Balsami Peruviani, quod sumpsimus loco olei Couroq utpote remedium Americæ inquilinum, & colore oleo Couroq fere simile. Anno autem 1637. Januarii 10. & 12. tertianæ nothæ paroxysmum expertus est, qui multo sudore finiebatur. Aluus satis liquida erat: itaque ad obstructiones reserandas, & intemperiem humorum, viscerumque eos generantium, corrigendam, hoc apozema 13. Januarii præscriptum est, ℞. rad. graminis, rusci, fæniculi an. ℥ß. rad. cichorei, dentis leonis an. ℥jß. liquiritiæ rasæ ʒjß. florum cordialium an. P. j. passularum mundatarum ℥ij. tartari vini albi ℥j. F. decoctio in aqua hordei, & detineantur in calida infusione tota nocte: mane leni facta ebullitione, admisce colaturæ fortiter expressæ ℔.jß. Syrupi de acredine citrii ℥jß. syrupi byzantini ℥j. succi citreorum ℥j. *Misce pro Apozemate.* Sumat bis de die ℥iiij. Januarii 15. optime curatio procedebat, fere omnis putredo evanuerat, particula duntaxat tendinis separanda & tollenda restabat, reliquum in parte à putredine prorsus mundum erat, optimi pepasmi pus proferens. Pollici pedis sinistri in parte carnosa & supera (nam ea tantum affecta erat) tunc est applicatum unguentum aureum, desuper tenuiter imposito cum stuppa cannabina melle rosato. Sed tendinis residuæ parti gangrenosæ adhibitum est oleum hyperici, cum paucis guttis balsami Peruviani uti antea factum erat. Januarii 16. Non fuerat denuò febrilem paroxysmum expertus, urina erat bene colorata, sed cum amurcosa hypostasi, aluus adstricta, datum est hoc purgans pharmacum, ℞. agarici trochiscati ʒj. rhabarbari in taleolas conscissi ʒjß. 22. cinnamomi, an. ℈ß. foli. senæ oriental. à stipitibus mundat. ℥ß. sem. anisi contusorum ʒß. macerentur calide tota nocte in decocto fructuum & fl. cordialium. Mane in colaturæ ℥ijß. dissolve syrupi rosati lax. ℥jß. diaphænici ʒiij. *Pro haustu, cras mane assumendo.* Bene officium præstitit. Cum ita tenuior febrilis materia sudore & halitu, crassior autem hac purgatione evacuata esset, major sani-

Couroq olei præstantia.

Quo modo ægrotus à nobis sit percuratus.

sanitatis fiducia allucebat. Januarii 23. tendinis residua portiuncula putrida plene separata erat, & quod in ejus loco sordidi supererat eodem balsamo hyperici, & balsamo Peruviano percuratum fuit: reliqua in parte ad plenam mundificationem & incarnationem procedebant usu unguenti aurei, & desuper toti parti applicabatur emplastrum diapalma oleo rosaceo malaxatum. In dextri autem pollicis tertiæ phalangis apice externo squamula sphacelo affecta restabat, ad cujus separationem adhibuimus hunc pulverem exsiccantem. Etenim ejus quod corruptum in osse est curatio sola ablatio est: separatur autem iis quę potenter desiccando omnem ejus humiditatem excrementitiam cariei authorem, & alimentariam exhauriunt & consumunt: nam ita permanet exangue, & nutritione vitaque destituitur. Ideoque privatum eo glutino quo sanis partibus cohærebat, & cum iis vitæ communionem habebat, abscedit & separatur sicuti folia arborum decidunt consumpto & arefacto eo humoris viscoso coagulo quo ramis adhęrebant. ℞. aloës, cretæ combustæ, pompholygos an. ℨij. rad. ireos Florentinæ, aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, cerusæ an. ℨj. concharum ostreorum combustorum ℨß. F. Pulvis subtilis. Januarii 27. omnia ex voto prosperrimè procedebant, cicatrisantia sinistro pollici adhibebantur, unguentum de minio cum stuppa cannabina, & desuper ex unguento diapampholygos emplastrum: sed tendinis loco eadem quæ antea adhuc applicabantur. Februarii 3. laminula cariosa separata & extracta erat, sed nova ex corpore affluxio sinistrum pollicem infestabat, aluus adstricta erat, ad cujus aversionem hoc apozema pręscriptum est, deobstruens, alterans, purgans. ℞. rad. cichorei, dentis leonis an. ℥jß. liquiritiæ rasæ ʒjß. fl. cordiall. an. P. j. tartari vini albi ℥j. tamarindorum ℥ij. pruna nucleis confractis N. xv. fol. senæ orient. à stipitibus mundat. ℥ij. sem. anisi contus. ʒij. ebulliant in aqua hordei, & detineantur in calida infusione tota nocte. Mane facta leni ebullitione colentur pro Apozemate ad ℔. jß. Sumat quotidie mane ℥v. Ita porrò ad sanitatis consummationem procedebatur. Encheiresin administrabat vir doctus *Mr. Ioannes Camphusius* Chirurgus ordinarius Reipub. Leydens. Historiam concinnavit & conscripsit an. 1637. Februarii 6.

O. Heurnius.

Historia IV.

Seu Observatio, de Tabe sive Phthisi, à pulmonis exulceratione producta per ῥῆξιν & διάϐρωσιν j. rupturam & erosionem vasorum, à sanguinis motu violento & acrimonia, ac duabus conclusis vomicis pulmonis, in juvene Walone annorum XIX.

Hubert Pomble VValo ex pago Jawer ditionis urbis Leodiensis, annorum XIX. temperamenti sanguinei adusti (prout est natura ejus gentis) lanæ adornatione victum quæritans, anno 1635. Ordinibus Belgii confœderati militaverat ab Augusto ad Januarium usque, ubi multa incommoda pepessus fuerat, & Embrici per tres menses ipsa hyeme, humini cubare, ob summam inopiam, coactus erat; unde digiti in pede utroque ipsius gangræna affecti computruerant. ita ut in dextro omnes, solo pollice excepto, resciffi essent: & in sinistro omnes unà cum pollice extirpati erant. Ab ea intemperie toto corpore concepta postea perpetuò cachecticus, cacochymus, querulus & valetudinarius fuerat: & diarrhæa diuturna affectus, à viscerum cacopragia, indeque proveniente humorum cacochymia. Anno 1636. in Julio magno dolore lumborum dorsique correptus fuit, & paulò post febre continua, ac tussi molestissima à viscidæ pituitæ contumaci irritamento, quam postea sanguinis sputum comitabatur, erosis & disruptis pulmonis vasis ab acrimonia & copia sanguinis ex vena Cava exundantis, ac sursum proruentis, idque per dies septem, sed intercalares, ad

Causa morbi.

Misera ægroti symptomata.

℥vij. qualibet vice sanguine effuso. Postea autem sanguinem pituitæ commistum expectorabat. Tandem omnia in pejorem statum abiere in fine Septembris ejusdem anni: & Novembris 20. rursum continua diarrhæa supervenit ex resolutione facultatis naturalis in coquendo & retinendo, quę usque ad mortem miseri perseveravit. Purulenta tunc viscidæ materiæ complicata expuebat. Genæ macilentæ, & per se pallidæ, perpetuò purpureo rubore suffusæ erant, etiam cum ab igne remotus esset. Febris hectica marasmodes universum vitale nectar consumebat. Pulsus durus, celer, creber. Decembris autem 30. durissimus, vermiculans, celerrimus, creberrimus. Diarrhæa increscebat, & perseveranter inquietabat, adeo ut miser noctu & interdiu vix unquam somno frueretur. Facies tota erat Hippocratica, cadaverosa, genæ luridæ. Ita miserrimus ægrotus omni vitali vigore expoliatus fuit, hecticę febris incendio, ulceris pulmonis edacitate ac pravitate nutritium humorem consumente: & qualitate maligna vitali vigori adversa, humores partesque omnes imbuente, ac comitante perenni diarrhæa & contumacibus vigiliis. Cum autem sub nostram curam veniret, quoniam morbi violentia omnium remediorum salutiferam efficaciam superabat, medicinę auxiliis locus non fuit. Mens semper constabat, etiam usque ad mortis agonem. Excessit vita anno 1637. januarii 9. nocte media. Postridie cadaver dissectum est, & examinatum hora secunda pomeridiana: Miserandum consummatæ ariditatis spectaculum. Pulmo arctè adnatus erat pleuræ undique in latere sinistro, & toti pericardio ac mediastino in latere dextro quatuor superis costis firmiter coaluerat, & quoque omnium reliquarum costarum cartilagineis apophysibus, sed ab osseis earum partibus ibi prorsus erat liber. Membrana pulmonis ubique integra, & vasa per ejus parenchyma distributa admodum tenacia erant, plurimis robustis membranulis connexa. Ipsum autem parenchyma in toto utroque lobo, sive ala lateris sinistri, totum fere erat in pus crassum commutatum & quantum de parenchymatis carne restabat, id erat induratum, coloris fusci instar carnis acrius infumatę quæ cinericei coloris est. Et ubique ei carni, sicuti & vasis, inhærebat crassum viscidumque pus, ita ut quasi guttis lividis pallidisque marmorata videretur. In latere dextro thoracis lobi utriusque parenchyma valde erat exsiccatum, attamen non valde contractum, aut immutatum ob substantiæ soliditatem, cujusmodi est gentis ejus corporum nativa constitutio. Eo verò loco ubi ala supera quatuor costis supremis in latere dextro arctissime coaluerat, ita ut separari non posset, eodem modo pulmo erat suppuratus sicuti in latere dextro. Existebat & in eadem ala, loco mediastino viciniore, vomica conclusa, qua disscissa tetrum pus emanabat. Et ibidem in ala infera vomica alia, priore minor, deprehendebatur, qua aperta pus crassum effluebat. Multa aquosa substantia in pericardio, & thoracis quoque cavitate fluctuabat. Cor naturalem constitutionem obtinebat, nisi quod flaccidioris substantiæ esset, in ventriculis tantum aliquot nigri sanguinis striæ continebantur. Abdominis cavitati plurimus aquulentus sanguineus humor innatabat. Hepar erat magnum, usque in latus sinistrum exporrectum, coloris suppallidi, exangue, sed in profundo dissectum ubi vasa majora resident, crassum nigrum sanguinem emittebat. Lien erat manus magnitudinis, scissus paucum tenuem sanguinem emittebat. Renum parenchyma exangue erat. Vasa ventriculo & Colo intexta (per quæ eorum est sympathia) valde conspicue se ostentabant, in ea per Omentum excurrentia, cujus sola membranacea substantia restabat, ejus pinguedine plane à febre marasmode, & tabifica pravitate, consumpta.

Cadaveris miseranda constitutio.

Pulmonis corruptio.

Cor.

Abdominis viscera.

Demonstrabat mortisque causas explicabat *Otho Heurnius* Professor ordinarius Medicinæ Practicæ, Anatomiæ, & Chirurgię, adstantibus plurimis Medicinæ studiosis, & præsentibus *D. Damiano VVeissens*, & *D Ioanne Moerbergio*, Reipublicæ Leydensis Medicis ordinariis: sectionem administrante *Mr. Ioanne Camphusio* Reipublicæ Leydensis & Nosocomii Chirurgo ordinario: ad hoc officium speciatim à D. D. Academię Curatoribus & Reipublicæ Leydensis Coss. delegatis.

HISTO-

HISTORIA V.

Sive Observatio, de Ossis Tarsi Cuboidæi, eique assidentis ossiculi Cuneiformis in pede dextro corruptione, à pestilentis humoris in eam partem decubitu an. 1635. Mense Septembri. quæ excissa fuere an. 1636. Novemb. 19. insequente salutifera instauratione & recorporatione.

Pestilens humor mali causa.

PEtrus VVilhelmi, adolescens annorum XV. Walonicæ stirpis, solidæ & thorosæ corporis structuræ, anno 1635. cum pestis Leydæ violenter sæviret, & singulis septimanis ad 1200. homines abriperet, in pedis dextri tarsi loco humiliore Septemb. 20. indolescere cepit, bene alioquin, ut ipse referebat, sanus. Quippe natura robusta venenum pestilens à corde quàm longissimè propellebat: sicuti & tunc aliis plurimis similes apostases in brachia, manus, & pedes, contingebant. Hoc autem venenum cum ibi partim tenacibus pedis ligamentis conclusum detineretur, partim foras prorumperet: sensim in ea naturæ machinatione dolor increscebat, tumorque accedebat, qui tertia ex quo cœperat septimana, ad ovi gallinacei magnitudinem excrevit, lividi nigricantis coloris, carbunculi idæa, pruriginosus, & cum ingenti cruciamento exedens. Quo ab empirico male tractato applicatione unguenti de tutia & diapompholygos, venenata malignitas introrsum repulsa fuit: & tumor quoque spontè disruptus ad oboli magnitudinem, in cacumine nigra vesica dehiscente, & profluente humore pestilente adusto, odoris teterrimi. Unde postea ulcus fœdum effectum fuit, quod varia medela à chirurgis tractatum est. Sed longa die, potius robustæ naturæ beneficio, quàm remediorum auxilio venenum tandem debellatum fuit, permanente Ossis Cuboidæi, sive Tesseræ formis. & primi ossis Cuneiformis (quod ejus lateri interno articulatur) carie sive sphacelo, adeo ut nec consistendo, nec incedendo pes officium facere posset. Cum igitur anno 1636. Nosocomium ingressus sub nostram curam venisset, Novemb. 17. *Mr. Iohannes Camphusius* Chirurgus ordinarius Practici Collegii Academici, ulceris profunditatem explorans, quod A admodum erat sinuosum cum orificio angusto, ossa corrupta esse deprehendit. Nos verò ob fungosam eorum structuram, situmque profundum, omnium pharmacorum medelam vanam & irritam futuram, actualisque cauterii usu cariem eam tutò corrigi non posse judicabamus: & nisi corrigeretur misero adolescenti tota vita in ærumnosa dolorifica afflictione perseverandum esse videbamus. Itaque vegetæ naturæ robori confidentes, decrevimus ut ferri acies in remedium adhiberetur, & ossa corrupta excinderentur. Quamobrem primùm corporis totius præparationem, ad B aversionem à dolore affluxuri noxii humoris, per purgationem & alterationem fecimus. ℞. electuarii diacatholici ʒvj. diaphænici ℥ß. syrupi rosati lax. cum foliis senæ ℥ß. cum aqua fumariæ F. haustus. Diætam frigidam humidam præscripsimus. Et cum festinandum esse auræ hibernæ imminens rigor moneret, Novembris 19. ampla facta apertione invenimus os Cuboidæum totum corruptum & etiam quod ipsi articulatur Cuneiforme (quibus superius os Calcis & Scaphoides, inferius verò tria copulantur ossa Metatarsi, tres ultimos digitos sustinentia) quę tota excissa & extracta C fuere, & postridie adhuc eorum residuum frustum, miserando ægroti cruciatu, & ejulatu. Vulneri statim indita est stuppa cannabina, & desuper applicatum oxycratum. Postridiè autem n. Novembris 20. Vulneri inserta est stuppa cannabina, imbuta decocto scordii & absinthii in vino rubello facto, & adspersa hoc pulvere, quo etiam supra hoc streptum tota vulneris lacuna implebatur, & desuper oxycratum applicabatur, ℞. aloës, myrrhæ, ireos Florentinæ an. ʒj. F. pulvis subtilis. Novembris 22. meliusculè habebat. Sed cum Decembris 2. febre continua à doloribus corriperetur,

Cur os Cuboideum & unum Cuneiforme excindenda fuerint.

Excisionis administratio.

Et vulneris medicatio.

hoc julapium præſcriptum eſt. ℞. aquæ cichorei ℔. jß. ſyrupi de acredine citreorum ℥ij. ſucci citreorum ℥j. ſpiritus vitrioli q.ſ. ad gratum acorem. Ceſſante deinde febre ulceri ad incarnandum hic pulvis inſpergebatur. ℞. olibani ʒij. aloes, myrrhæ an. ʒj. F. pulvis ſubtilis. Curatio feliciter procedebat niſi quod ichor acrior ulceris conſolidationem retardaret: ideo an. 1637. Januarii 2. hoc vulnerarium decoctum præſcriptum fuit, ad avertendam eam fluxionem verſus vias urinarias, & partem affectam corroborandam. ℞. herbarum veronicæ, arthemiſiæ rubræ, centaurii minoris, ſaniculæ an. Mj. ſerpilli, ſcordii, an. P. j. roriſmarini P. ß. liquiritiæ raſæ & contuſæ ʒj. Decoquantur in aqua com. ad dimidias, in balneo Mariæ in diplomate bene obturato, & colentur ad ℔. jß. Doſis quotidie mane jejuno ſtomacho, & à prandio hora 5. ℥v. calidè. Ita incarnatio feliciter procedebat, & an. 1637. Januarii 6. tota lacuna per recorporationem fere expleta erat. Deprehendimus autem tunc etiam ſphaceliſmum, ſive carioſam corruptionem, ſed ſuperficialem tantum, in extremitate utriuſque oſſis Metatarſi (quæ fulciunt duos digitas extremos) ubi Cuboidæo oſſi articulantur, unde ulcus ſinuoſum occultum per tranſverſum deorſum verſus latus externum protendebatur, quod poſtridie uſque ad oſſa illa corrupta eſt dilatatum, iiſque applicatus pulvis antehac ad eandem affectionem præſcriptus. Et ita porro, nullo pravo ſymptomate Januarii 20. infeſtante, & Februarii 1. omnibus in plena recuperandæ ſanitatis fiducia conſtitutis rebus, per ſarcotica, & epulotica (i. incarnantia & cicatriſantia) ad curationis conſummationem fortunato ſucceſſu procedebatur. Hiſtoriam compoſuit & conſcrpiſit anno 1637. Feb. 6. O. HEURNIUS.

Metatarſi oſſium ſphacelus.

HISTORIA VI.

Hydrops Pulmonum.

BEnjamin de Clerck Hiſtoriam Morbi vide lib. 1. viſitationum pag. 36. 39. & 40.

Ejus autem cadaver poſtridie à morte nimirum die 11. Auguſti anno 1637. apertum fuit: & deprehenſum eſt latus thoracis dextrum humore aquoſo ſubrubente, ſed non fætente repletum, ita ut ℔. xij. æquaret. Lobi pulmonis ibi erant omninò flaccidi vix dimidiam naturalem magnitudinem obtinentes. Vomicæ in iis exiſtebant parvæ quatuor, & una magna ad aſperæ arteriæ divaricationem ſed libere fluctuabant lobi, nullis villis pleuræ annexi. Siniſtrum latus thoracis vix effatu dignum humorem continebat, ibique pulmo in naturali erat conſtitutione, ſed colore paulo pallidior. Pericardium cordi firmiter erat adnatum, ita ut digitis ab ipſo ſine dilaceratione ſeparari non poſſet. Subſtantia ipſius erat potius carnoſa quàm membranacea, & ſextuplò naturali craſſior. Cor omniaque ejus vaſa nigro liquido ſanguine repleta erant. In Abdomine ℔. ij. tantum aquæ rubicundæ continebantur. Viſcera naturalia omnia erant integra, excepto omento quod marcidum nigricabat: & folliculo fellis in quo tres erant calculi: quorum major caſtaneæ majoris habebat magnitudinem, & figuram triquetram in pyramidale faſtigium extenſam. Duo reliqui phaſeoli erant magnitudine, ſed figura planiore, & anguloſa ac triquetra fere.

Omnes erant tophacei, leves, exterius nigricantes, interius lutei & mediocriter ſolidi, ſed non adeo ac renum aut veſicæ calculi eſſe ſolent: aquæ injecti non natabant, ut multi ſcribunt, ſed ſubſidebant: nec diſſolvebantur, aut aquam colorabant. In eorum majore apparebant circuli corticales ſibi inſidentes, ex agglutinatione ſenſim facta, ſicuti in veſicę calculis per agglomerationem & adhæſionem contingere ſolet.

HISTORIA VII.

STöffel Janſſen Lubecenſis annorum 24. pannorum elaborator, euſarcos, robuſtæ conſtitutionis, 25. Julii circa veſperam duobus profundis vulneribus affectus erat cul-

cultro lato altero in brachio dextro in latere externo infra cubitum, altero in abdomine ad regionem lienis, inter secundam & tertiam costam ultimam inferne sursum penetrante. Omentum ad dimidiæ manus amplitudinem exciderat, & quia ab aëre alteratum erat, ligatura fuit comprehensum, & rescissum filo relicto ut vasa discissa coalescerent. Sanguis paucus ex vulnere effluxerat, de ventris dolore conquerebatur, nam aluina excrementa restagnabant, & in hypogastrio ac inguinibus dolebat, quod à cruore eo defluente ex vulnere provenire videbatur. Ideo aluus expurgata fuit. ℞. electuarii diacatholici ℥j. syrupi rosati lax. ℥jß. cum aqua cichorei F. haustus. Phlebotomia etiam statim administrata fuit, venter totus inunctus est oleo chamæmelino, & amygdalino dulci. Præscriptum est quoque decoctum vulnerarium quod pro Francois de Walet 12. Julii paratum erat hic ante notatum *addendo equiseti Mij.*

Omnia bene procedebant, febris nulla aderat, à pharmaco semel assumpta per biduum sex dejectiones habuerat, unde dolor ventris evanuerat, omniumque facultatum actiones constabant.

Vulnus bene procedebat, pus non adeo ac antea fætebat, bene dormiebat, ingerebat, & egerebat, ideo ut vulneri consuleretur iteratum est decoctum vulnerarium, & præscriptus pulvis vulneri conveniens, ℞. boli armeniæ, mastichis an. ℈j. myrrhæ ℈ß. F. pulvis volatilis, qui strepto melle rosaceo delibuto vulneri inseratur.

Indies omnia in meliora tendebant, dolor omnis à vulnere aberat, & febri plane carebat, omniū actionū functiones naturaliter procedebāt, pus prorsus naturale erat.

Eadem via ad sanitatem vulnus progrediebatur, nec de ventriculi ratione ulla erat querela.

Augusti 10. fætor omnis fere evanuerat, ideoque streptum solo melle rosaceo tinctum inditum fuit, & applicatum emplastrum stiptium Paracelsi. Augusti 16. filum sine ulla omenti portione integrum est extractum. Tunc tyrunda minor inserta fuit olei hyperici tincta, Augusti 21. ulcus carne impletum erat. Conquerebatur de dolore ventris, ad quem præscriptum est linimentum ex oleo chamæmelino, anethino, amygdalarum ducium. Cicatrisatio fiebat empli diachalciteos cum pauco unguento de minio. Augusti 28. plene convaluerat, & è nosocomio exivit.

HISTORIA VIII.

Virgo annorum 33. ex menstruis restagnantibus moritur atrophia.

ANno Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo primo Novemb. 15. Apertum est cadaver Christianæ Andreæ Virginis Germanæ An. 33. Quæ cum ante 7. Menses delassata ex ædium suarum Repurgatione vehementius incaluisset ad sitim caloremque mitigandum affatim potaverat frigidum lac debutyratum: idque ipso tempore solennis profluvii menstrualis. Postea etiam sæpius idem lac copiose potaverat, quoniam ventriculo ejus gratiosum erat. Inde lethalis Morbi origo exorta est, quippe cum vasa omnia sanguinem ad uterum menstrualem deferentia tunc laxata & aperta essent, largiter recepere frigus illius lactis, indeque adeo fuere constricta ut postea nunquam miseræ Menstrua fluxerint. Restagnans igitur Materia menstruis temporibus cum agitaretur à partibus omnibus, partim in vasis subsistebat partim pulmoni impingebatur & denegata ventilatione corrumpebatur, adeo ut parenchyma pulmonis inde corruptum fuerit: Multaque Materia purulenta crassa, viscosa ibi in Vasis & foraminulentis parenchymatis Meatibus sensim collecta erat. Ab illa pulmonis pravitate vapor putridus per cor communicatus fuit omnibus abdominis visceribus, eorumque tonus & temperamentum destructa. Attestabantur hoc Hepar pallidius, lien minor quàm ad pro portionem Hepatis existere debebat. Pancreas non suffusum colore rubicundo sed admodum pallido. Testis sinister totus aqua impletus, dexter autem propemodum scyrrhosus. Uterus admodum contractus & siccus, adeo ut vola manus comprehendi possit. Febris tabifica aderat, &

ſæpe etiam pus expuebat. Quare judicandum eſt hanc non Phthea ſeu ulcere ferino pulmonum obiiſſe ſed Atrophia, & nutrimenti defraudatione, quoniam vegetam vim nec in prima nec in ſecunda coctione recipiebat. Unde ſenſim omnes partes marcidæ contabuere cum nullus amplius ſanguis ipſis importaretur qui agglutinari & aſſimilari poſſet magna etiam copia aquæ limpidæ ὑποχαρέλα innatabat.

HISTORIA IX.

ANno 1646. Januarii 15. apertum eſt cadaver virile Walonis annorum circa quinquaginta Claude appellati, qui diuturno, miſerando aſthmate attritus & enecatus erat; deprehenſus eſt pulmo plane exanguis, ejus parenchyma omneſque ſpirabiles meatus infarcti impleti, & inſuccati, craſsâ viſcidâ pituita, concurrentibus multis parvis vomicis in ipſo parenchymate. Adnatus a. erat in utroque latere adeò pleuræ firmiter, ut vix multa manuum vi poſſet avelli. Color erat pallidus luridus, ita ut omni robore ad excutiendam materiam deſtitutus fuerit, nullaque ventilationis erat cordis opportunitas, quoniam ma- A nifeſtæ ſpirabiles viæ arteriæ aſperæ, arteriæque venoſæ, planè erant impletæ & anguſtatæ copia materiæ, quæ cauſa tandem calorem vivificum cordis retentis fuliginibus oppreſſit & exſtinxit.

Cauſam tanti mali prava diæta, indeque debilitata viſcera naturalia poſſidebant, quippe ipſe ventriculus parvus languiduſque exiſtebat, ac tenuiſſimæ ſubſtantiæ omentum, planè erat extenuatum, & omni pinguedine expoliatum. Hepar pallidum & ſatis exile, quæ atteſtabantur nec primam nec ſecundam coctionem ſatis officio functas fuiſſe.

HISTORIA X.

Scrophularum, ſive Strumarum, Caſus mirabilis.

E*Liſabetha Sebaſtiani* fil. puella Leodienſis Annorum 14. Cum diu ſtrumis multis, magnis, & hinc inde ſuppuratis, atque exulceratis in colli ambitu, & ſub axilla ſiniſtra laboraſſet, tandem 29. Octob. 1638. extrema macie conſumpta in Noſocomio publico Lugd. Batav. obiit. Poſt mortem aperto cadavere plurima notatu digna in Abdomine, Thorace, Capiteque deprehendimus. Etenim præterquam quod Abdomen, & Thoracis pars dextra citrini coloris aqua repleta eſſent, ipſum quoq; Pericardium tanta ejuſdem aquę ſed paulo candidioris copia turgebat, ut ad ſcalpelli ictū cum impetu proſiliret. Siniſtra autem Thoracis pars aquę expers omninò erat. Auricula cordis dextra tumida in ſuo ſinu humomorem continebat viſcidum flaveſcētem. Cordis verò viſcus lividū, duriuſculum, exſuccum ac exhauſtum erat. Jecur paſſim fibrillis membranaceis diaphragmati, Peritonæo, Ventriculo, & immediatè ſuo Parenchymate; Cartilagini Enſiformi anne- A ctebatur, & in ſiniſtrum uſque Hypochondrium ſe ſupra ventriculum extendens arctiſſime Lieni adnatum erat. Lien ſolito major, longiorque ad Renem ſiniſtrum uſque ſe demittebat, & cum ejus membrana adipoſa firmiter coaluerat. Meſenterium, Omentum, pancreas, innumeris magnitudinis notabilis ſtrumis ſcatebant. Imò ipſi Peritonæo, Diaphragmati, Mediaſtino, Uterique ligamentis plures inſederant, alię quidem caſtaneæ, aliæ nucis avellanæ, aliæ ciceris magnitudine. Ad orificium B ventriculi ſuperius duas notavimus glandis quercinæ magnitudine & effigie. Trunco venæ Portæ una magna admodum incumbebat. Jecur, Lien, Pulmo, præter ſtrumas majuſculas quas hinc inde obtinebant, tota interius exteriuſque quaſi grandine conſperſa erant. Multæ etiam milii coriandrique granum vix ſuperantes in inteſtinorum tunicis conſpici poterant, ut & in ſingulis renibus hujuſmodi minuta unica. In duræ Meningis parte dextra unam quoque

piſi

pisi magnitudine reperimus, quæ cranii interiori tabulæ adhæserat, & in ea cariei rudimenta excitarat. In cerebri Ventriculis, & Basi aqua copiosa erat, ipsa substantia alias satis firma. Quascunque autem alicubi strumas dissecaremus, eæ eandem prorsus materiam cum illis continebant quæ in collo & sub axilla jam suppurari & exulcerari ceperant. Erat autem illa serosa, & uberi vacillo ovillove non absimilis, in una quidem magis alba in alia flavescens magis.

HISTORIA XI.

Sive Casus asthmatici, tabifico pulmonis empyemate sublati.

HErman *Stas* Leydensis circa annorum 22. diu de anxia asthmatica constitutione querulus cum fuisset, tandem ipsi finem vitę fecit febris tabifica empyemate symptomatica Novembris 18. Postridie, hoc est Novembr. 19. in conspectu omnium D. Medicinæ studiosorum cadaver est apertum in quo miserandam Pulmonis constitutionem deprehendimus, nam lateris dexteri ala superior & inferior empyemate infecta erat, ita ut in superiore ingens vomica, pugni capacitate existeret, circumcirca autem undequaque ipsum pulmonis parenchyma pure viscido, tenaci erat obsitum, ita ut vasa, quæ multiplicia per Pulmonem decurrunt viscida ejusmodi purulēta materiâ impleta essent, haud secus ac videmus Rete Piscatorium in locis palustribus impuris interdum totum algâ oppleri. sed præterea multa tenuis puris copia aderat deterrimi odoris, quæ aperta vomicâ diffluebat. Exterius autem arctissime Pulmo adnatus erat costis, ipsæque alæ inter se firmissimè copulatæ, adeò A ut Chirurgi manu multo conamine avulsio facienda esset. Hoc frequens est in Asthmaticis à pituitâ viscidâ, quoniam illa per poros pulmonis foras protrusa ibi in membranularum tenacissimarum consistentiam à loci calore excoquitur. Sinistri a. lateris alæ liberæ erant ab omni annexu, sed intus etiam exiguæ quædam vomicæ passim dispersæ erant pure implętę. Foris a. color hic propemodum erat naturalis, sed latere opposito luridus. Pericardium aquâ valde distentum erat & cordis auricula dextra ad B magnitudinem ovi anserini intumuerat oppleta sanguine nigro crasso, & valde tenaci lenta pituita, quantum volâ manus comprehendi poterat: Hepar coloris erat valde pallidioris & consistentiæ flaccidioris paulò quàm naturalis. Lien infrà mediocritatem naturalem erat, flaccidus, & in inferiore superficie luridus. Multa aqua citrini coloris pallidioris in abdomine innatabat. Pancreas & Renes à naturali constitutione non recesserant.

HISTORIA XII.

Sive Casus rarus, ægroti miserè mortui & costarum contusione & confractione.

DEcembr. 13. anno 1638. apertum est A cadaver *Iohannis Hax* Holsati, cujus morbi primordia hic anteà conscripta sunt. 26. Novemb. nim. ex gravi contusione lateris dexteri, versus dorsum, in tribus primis costis spuriis, unde flatulentus œdematosus tumor procreatus in musculis gangrænam, & in illis còstis cariem effecerat. Protendebatur hoc malum à spinâ dorsi manus expansæ in longum amplitudine antrorsum. Multa puris copia profluebat, ipsaque costarum substantia ubi spinæ apophysibus articulatur, non tantum inæqualis conspecta fuit, verumetiam aliquatenus confracta. Pleura à naturali constitutione non multum erat alterata, nec pulmo corruptus. Cor Integrum. Verum illud admirabile erat, quod in Mediastini intercapedine ad cartilaginem tertiæ costę à parte supera numerando vomica existebat, craſ-

ſo pure repleta; ſimiliſque etiam ſterno ſub pleurâ inſidebat, eo loci, ubi mediaſtinum connexum erat, vomicâ affectum. Ita ut inter ſe duæ hæ vomicæ communem aditum haberent. Eæ autem non aliunde quam à pleuritidc mediaſtini originem habuiſſe videntur. Aperto abdomine nullum viſcus præter naturam graviter affectum deprehendimus. Sed admirationem faciebat magna puris copia, abdomini innatans, præcipue autem ad Aqualiculum collecta. Cujus cum cauſam accuratè præſcrutaremur, nullam aliam oculatâ fide deprehendere, nec ratione comprehendere potuimus, niſi quod pinguedo omenti & quæ inteſtinis foris adnaſcitur tabifica febre eliquata eſſet. Nam cum reſidua inteſtinorum & omenti pinguedo attrectaretur, liquida diffluebat, ſimiliquc idæam purulentę jam dictæ materiæ repręſentabat. Inſidioſum hoc malum, quod miſere multos enecat, præcipue in regionibus frigidioribus humidioribuſque, primum ab Hippocrate deſcriptum eſt lib. 6. Aph. 5. poſtea ad praxin revocatum ab Hollerio lib. 3. Chirurg. cap. 1. circa finem. Unde tranſcripſit addita Chirurgica encheireſi Pareus lib. 11. cap. 6. & lib. 14. cap. 12. Eſt autem Hippocratis in illo aphoriſmo hæc doctrina. *Intercoſtarum pectoriſque dolores, & partium aliarum, quantum interſit accuratè perdiſcendum eſt.* Nim. hoc vult magnus Medicinæ Magiſter, Ingens eſſe momentum in praxi medica dolorum varias ſpecies, magnitudinem, & durationem obſervare ac dignognoſcere; nam inde pars affecta, cauſa affectus, & eventus cognoſcuntur. Quippe dolor punctorius deſignat membranam affectam: dolor tenſivus, membranam copia materię diſtentam; dolor gravativus carnoſam partem laborare: dolor Pulſatorius pati partem, cui arteria intexitur. Ita in rene dolor gravis indicat carni inſidere calculum & interdum etiam abſceſſum. Punctorius autem deſignat calculum ejus pelvim lancinare. Sic in hepate dolor gravis parenchyma affici arguit: dolor autem acutus & pungens ejus membranam. Vult præterea Hippocrates, ut ex ſyndrome ſignorum præcipuè pathognomicorum Medicus diſtinguat in thorace, an foris tantum malum ſit, aut ſimul etiam intus; vel an

A tantum intus deliteſcat. Inde enim ducenda ſunt indicationum curativarum fundamenta, ex Natura partis læſæ, & morbi ſpecifica conſtitutione deſumpta. Cum a. coſtarum læſiones nihil ſæpe periculi portendere videantur & poſtea in mortiferum affectum malum degeneret: Ideo Hippocrates in aphoriſmo jam commemorato coſtas priore loco poſuit, licet ſint partes ignobiliores iis, quæ in thorace continentur. Contingit. a. ex coſtarum percuſſione mortiferum fieri apoſtema, dum caro muſculorum colliſa ſupra coſtas ab iis ſecedit, non quidem in principio, ſed poſt aliquot dies. Etenim dolor multos humores tunc eo attrahit, qui in tumida illa &

B tunc fungoſa carne ſuſcepti ob ejus temperamenti imbecillitatem, non poſſet in ipſius ſubſtantiam converti, ideoque nebuloſam & flatuoſam craſſitiem acquirunt, & ita inter carnem & coſtas ſe interſerunt, ſenſimque craſſa, viſcidæ pituitæ marcidæ copia ibi colligitur: ea niſi educatur carni infert gangrænam & coſtis ſphacelum. Ad hoc malum præcavendum oportet ſtatim in principio omnia moliri medicum, ut quæ ſeceſſit à coſta caro, ei plagulis & ligamentis convenienter apprimatur. Sed hoc duntaxat locum habet, cum primordia hujus mali ſe oſtentant. Et tunc ſimul ad materię affluxum arcendum facienda eſt inunctio oleo roſato & myrtino cum pauco aceto. Poſtea ad materiæ quę inſidet diſſipationē applicandum eſt Emplaſtrum Oxycroceum, aut diathulum Ireatum remixto Em-

C plaſtro de Meliloto. Quod ſi iis auxiliis malum non cedat, ad ferri auxilium deveniendum eſt, & apoſtema aperiēdum, materiaq; ſi copioſa ſit, fiſtula inſerenda eſt plumbea, deorſum protenſa, ut quæ materia perſeveranter in hoc apoſtema incurrit, etiam continenter inde excurſum ſortiatur. Simulque commodis auxiliis pars intus medicanda eſt. Si a. ea mali pravitas exiſtat, ut etiam hęc remedia ſpernat, poſtremò ad Ignem erit deveniendum, & cauterio actuali caro gangrænoſa exurenda, caute vitando coſtæ perioſtium, & membranam Pleuram. Sin perioſtium exeſum fuerit, tunc coſtæ caries cauterio erit complananda. Contingit tamen rarò in hoc morbi genere, ut ægroti mortem evitare queant, quo-

quoniam ex tetra anathymiasi, ulcerisque evaporatione provenit febris hectica tabifica, quę lento gradu vita ęgrotum propellit.

In Anglia prope Bydfort, in provinciæ Devonschuyr loco appellato Forrest, læto & valde fertili endemium morbi genus pecora infestat quod appellant *lanckfauf*, nam ex pabuli humidi copia valde pinguescunt, & ſępe adeo eorum carnes ad costas flatuoso tumore tenduntur, ut cultro adacto flatibus via sit molienda, alioquin corruptione ibi concepta moriuntur. Observandum in A Belgii maritimis provinciis non rarò contingere ut pleuritici qui multum & diu humidis fomentis utuntur, contrahant in externis thoracis musculis tumorem pugni magnitudine à flatulenta materia eo confluente ob aëris & diætæ humidam constitutionem lociq; ex vicinante pleuritica inflammatione calorem. Is curatur & dissolvitur calido siccoque fotu: qui continuari debet donec plane morbus deletus fuerit. Nam consuevit de die evanescere, & de nocte recurrere.

HISTORIA XIII.

Observatio, sive Historia, atoniæ, malæque complexionis viscerum omnium vitalium & naturalium.

18 DEcemb. an. 1638. *Thomas Gualther* Anglus 14 Decembr. cum 17. Decembr. tabifico morbo exstinctus esset, postridie ejus cadaver examinatum est, in quo deprehendimus, nullam prorsus in visceribus vitalibus & naturalibus structuræ mutationem, nisi tantum in pluribus flaccidiorem constitutionem, & in nonnullis densiorem ac ficciorem. Multa aqua citrina thoracem & abdomen implebat, ex dyscrasia ventriculi, hepatisque procreata. B Pulmones exsangues, sicci & constricti erant, & in dextro latere arcte adnati. Cor flaccidum & exsangue; sed in auricula dextra deprehendimus viscidam tenacem sanguinis pituitosi & adusti copiam, quæ ultrà naturalem magnitudinem eam auriculam distenderat. In abdomine Omentum invenimus prorsus extenuatum, & omni pinguedine spoliatum à febre tabifica, ac manifestissime diductæ duæ ejus membranæ cavitatem mediam ostentabant. Conspeximus & manifestè vasa per omentum decurrentia ex gastrica vena fundo ventriculi A inserta, & ab ejus venę origine multa etiam vasa colo inserta. Unde ex autopsia colligi poterat, quàm facilis, & quam opportuna, validaque esset inter colon & ventriculum sympathia. Quod attestatur prostratus appetitus, dum fæces in colo restagnant, & per eorum vasorum commercium, vapores in ventriculum prorumpunt. Lien densissimæ erat complexionis coloris valdè nigricantis & prorsus exsanguis. Attamen vas breve ventriculi lateri sinistro insertum eviden ter spectabatur. Hoc supranaturam lieni aderat, quod ovi columbini magnitudine appendix ipsi subtus adhæreret, exiguis simul quibusdam excrescentiis ei ad latera assidentibus. Hepar exsangue erat, valdæ densæ & compactæ structurę in sua substantia omni colore rubro destitutum. Certum indicium ex temperamenti defectu enata atonia hæmatosin prorsus labefactatam fuisse. Pancreas densum & compactum erat, coloris cinericii; cæterum in figura & magnitudine naturaliter comparatum.

HISTORIA XIV.

Rara Hydropis pulmonum.

17. JAnuar. An. 1639. *Ian de Mons* 15. Januarii 1639. Cum obiisset morte placida & repentina, cùm ex lecto surrexisset & foco assideret. Apertum postea 17. Jan. ejus est cadaver, in quo hæc depre- A hensa fuere, primò in Thorace *uterque dexter pulmonis lobus sed præcipue interior, consumtus erat, ita ut sola membrana externa residua esset inferius; sed valdè crassa, ita ut vel triplo pericardii naturalē crassitiem æquaret*. Verum nō erat illa consisten-

fistentia membranosa, sed in interna superficie, qua pulmonem attigerat erat consistentia instar sævi crassa, albicans instar fere cartilagineæ substantiæ costarum, nisi quod esset mollior & digitis attrectata in pulpam comminueretur; sed superioris lobi tenuis quædam portio residua erat mediastino & pericardio arcte adnata, & ad amplitudinem naturalem alæ pulmonis ibi extensa. Arctè autem adnata erat crassa illa membrana in toto latere membranæ Pleuræ. Subtus *in superficie internâ* hujus membranę loco præcipuè inferiore *ad diaphragma hudatibe ingentes aliquot aquâ limpidâ referta spectabantur. Totum autē illud latus dextrum, thoracis aqua limpidâ repletum erat: ita ut verus fuerit hydrops pulmonum, sive Thoracis*, quippe cum Pulmonum Parenchyma ibi planè labefactatum in principio fuisset & corruptum in suo temperamento, tono totaque complexione naturali, omne nutrimentum, quod copiosum semper sanguisorbum viscus Pulmo trahit, refrigeratum & alienatum fuerat. Unde corruptum parenchyma in phlegma crassum eliquatum erat & tussi rejectum, postea succedente aquosa generatione à structuræ plenaria destructione. Etenim & hepatis hæmatosin labefactatam fuisse ejus calor, & consistentia arguebant. Postea Pericardium fuit apertum, quod multa aqua distentum ultra magnitudinem naturalem excreverat. Cor ipsum etiam longe naturalem molem excedebat, flaccidum, nigro tamen sanguine repletum. In sinistro latere uterque Pulmonis lobus naturalem magnitudinem, situm, & connexionem retinebat. Parenchyma quidem consumtum non erat; sed tamen consistentia ipsius præter naturam comparata erat, nam color luridus, viscidaque materia puriformis passim apparebat. Itum deinde est ad abdomen, quod totum aqua etiam refertum erat, in quo Hepar colorem naturali pallidiorem obtinebat, insigni tamen existente magnitudine. Evidenter a. apparebant rami venæ gastricæ, unusque major ramus ex venâ portæ progrediens, calami columbi amplitudine, unde reliqui surculi calami perdicis magnitudine prætendebantur, & in fundum ventriculi, & etiam in colum intestinum mediante omento. Conspicua etiam valde erat vasis brevis constitutio, variis ramis iisque majoribus calami columbini amplitudine in ventriculi sinistrum latus inserta, ubi melancholiam effundunt inter duas ventriculi membranas internas, unde porrò sensim solet transudare ad appetitum excitandum per stomachi constrictionem, quam sua acerbâ frigidâ qualitate efficit. Pancreas valde exile apparebat. Omenti pinguedo universa consumpta & eliquata erat, solis membranis vasisque residuis. Reliqua autem omnia viscera à naturali constitutione vix variabant. Totius corporis moles naturalem magnitudinem & constitutionem retinuerat.

HISTORIA XV.

Puellæ annorum quindecim marasmo extinctæ.

Apertum est cadaver *Cathalyn Mathyloo* Leodiensis, quæ nata erat annos 15. causam mortis in nullo viscere eximiam deprehēdimus, nam animi anxietate ex ærumnosæ vitæ afflictionibus contracta in tabificam hecticam miseriam inciderat, quippe in pravâ diætâ cum haberetur, & pessimè tractaretur ab iis, apud quos victum laborando conquirebat, nullo commodo nutrimento partes sustentatæ, & ad incrementum naturale acquirendum fultæ fuere: unde enata diarrhæa ex humorum corruptelâ & intemperie viscerum naturalium & vitalium omnes vires devastaverat, cujus manifesta spectabantur indicia in visceribus omnibus valdè flaccidis, præcipuè autem corde & pulmone, vomica etiam in dextro pulmonis lobo aderat & supra pericardium, ubi membranæ mediastini ei annectuntur ad cordis apicem glandula nucis juglandis magnitudine solida, valdèque densa existebat. Thymus etiam glandula in jugulo eandem constitutionem obtinebat: sicuti etiam in Mesocolo eæque majores & in mesenterio sed minores, inter quas erant variæ atheromatis materiam

riam obtinentes. Plurima aqua Pericardio inerat, cordi autem sanguis paucus: Sed pancreas à magnitudine & consistentiâ naturali non variabat, sicuti nec Lien. Renes flaccidi erant & luridi præcipue in partesima; sed ureteris utriusque extra renem in exordio progressus valde amplus: Nihil tamen calculosi aut sabulosi in renibus aut vesica deprehendebatur. Omentum omni pinguedine exspoliatum erat: Hepar flaccidius & colore fusco ad luridum vergente cæterum naturaliter comparatum. Uterus minimus existebat & durissimus. Testis uterque gracilis & longior naturali figurâ. Tuba non apparebat; sed vas deferens à teste ad uterum aliquatenus conspicuum erat. Vasa ad fundum & collum uteri protensa tenuia erant, quoniam nondum menstrualis fuerat. Totius corporis habitus gracilis & exsuccus erat.

HISTORIA XVI.

MAriæ Gerart Leodiensis virginis annor. 25. miserè mortuæ ex labefactata hepatis hæmatosi, apertum est cadaver in quo nullam aliam causam mortis quàm hæmatoseos corruptelam deprehendere potuimus. Quippe inde sanguis ad putredinem dispositus procreatus cum esset, à malignâ aëris constitutione, & hyemis præcedente, & veris præsente febris putrida procreata inquinaverat uterum, & pulmonem corruperat, unde suffocationes uterinæ obortæ anxietate & lypothymiâ per intervalla miseram afflixerant, concurrente subinde dilirio ex spirituum vitalium inquinatione à vaporibus, qui tum ab utero proveniebant, tum ex pulmone corrupto. Nam juxta uteri testes vesiculæ quædam deprehensæ fuere tetro atro humore repletæ. Hepar flaccidum erat, & in thoracis cavitate multus humor aquosus crassus sanguinolentus continebatur, qui proruperat ex ipsis pulmonibus nutrimentum suum non bene concoquentibus. Cum itaque hostis perennis febris putrida adesset, eique nullum auxilium boni nutrimenti opponeretur, tandem necessariò vivificus in corde calor resistere non potuit febris perennitati, & suffocationum uterinarum pravitati. Dum ægrotaret non deglutiebat nisi summa difficultate. Post mortem ex œsophago teterrimus corruptus chylus exibat, Et multa 17. May spumans pituita asperam arteriam implebat ex pulmonibus exundans.

HISTORIA XVII.

Observatio aperti cadaveris SARAE MENTE, extinctæ variis tabificis pulmonis empyematibus.

SAra Mente virgo obiit *Septembris quinto* anno 1639. Cadaver sexto, id est postridie, in Nosocomii sectionibus dicato loco apertum fuit, præsentibus quamplurimis Medicinæ Studiosis. Aperto autem Thorace & Abdomine in Pulmone omnem mali causam deprehendimus: quippe in sinistro latere magna ex parte, & potissimum versus costas, & pleuram, *consumptus videbatur*, & nihil ejus reliquum videre erat præter putridas quasdam fibras, *& puris teterrimi & virescentis* magnam copiam, qualem & ante per tussim ejicere solebat. Pleura autem eodem loco (quacum una concreverat Pulmonis membrana) solito multo erat crassior, sed passim inæqualis. Lobus autem alius ejusdem lateris, qui Pericardium & Mediastinum respicit, adhuc restabat sed naturali contractior, & dictis particulis adnatus: intus autem *multas vomicas* continebat, alias pisi magnitudinis, alias paulo majores, & præter eas *unam magnam* anserinum ovum dimensione superantem, fætido ichore plenam & membrana à virulentia nigrescente tectam. Pericardium autem, ut & dextrum latus Thoracis aquam aliquam continebat, subrubram, & Loturæ carnium æmulam, qualem etiam inferior Venter continebat mediocri quantitate, in reliquis quo ad viscera naturali

rali modo se visui offerebat, abdomen, nisi solummodo quod Hepar ut & Cor substantiæ essent flaccidioris paulo, colorisque pallidioris. *Dexter vero Lobus* Pulmonis passim *duris tuberculis* inæqualis erat, & parenchyma *purulenta sanie* infarctum, non leves incipientis putredinis notas exhibebat. Dextrum vero *cruis tumore œdematoso* & aquoso sinistrum (quod tamen etiam nequaquam ejusdem expers erat) duplo fere superabat.

HISTORIA XVIII.

Anno 1639. Observatio aperti cadaveris, FRANCISCI MINNIGEN, extincti Hydrope sinistri pulmonis lateris, & empyemate dextri.

F*Rans Minningen* Juvenis, *obiit Augusti decimo*, ejusque cadaver examinavimus. Aperto autem thorace & Abdomine, in abdomine nihil quod non esset naturale ad visum potuimus deprehendere, in thorace autem omnis mali causa latebat; quippe in *sinistra ejus parte totus fere Pulmo aqua innatabat*, adeo ut omnis fere quæ intus esset cavitas aqua citrina repleta esset, qua exhausta, *vesica aliquot insignes, simili aqua turgentes ad pleuram membranam & diaphragma se visui offerebant.* Cæterum & similem aquam, omnis quæ in Pericardio à Corde non repletur cavitas, continebat. *Pulmonis autem* A *substantia, in dicto latere, naturali erat flaccidior, magisque pallebat, sed corruptionis non erant indicia*, ut nec vomicarum, sed tota sibi undique similis. *Dexter autem pulmonis Lobus* totus Diaphragmati, Pleuræ, & Mediastino adnatus erat, eratque passim inæqualis, & *aliquot parvas habebat Vomicas, unamque magnam, ovi Columbini instar*, ad superiorem ejus partem versus Thymum positam, omnes purulento ichore turgidas, quo & ipsa Pulmonis substantia dicti lateris etiam extra vomicas infarcta erat. In Thoracis autem dextri cavitate humorum nihil reperiebatur, ut quæ tota pulmone replebatur.

HISTORIA XIX.

Raræ morbidæ Constitutionis viscerum naturalium, & Cordis Anno 1639. Octobris 21.

P*ieter vande Velde* sexagenarius, qui nulli opificio addictus mendicando vitam sustentaverat, postea valetudinarius in nosocomium delatus est; ubi per tres septimanas commoratus ad vicesimum primum Octobris obiit. Ex ipsius autem relatione hæc habemus, ante sex circiter menses ex victu pravo in leucophlegmatiam inciderat, quæ paulatim in hydropem Ascitem, & hydrocelem scroti insignem degeneraverat. Sed hæc pleraque jam cessaverant cum in nosocomium venit, & tumor pedum insignis subortus erat, appetitus autem dejectus, cum perpetuo alvi profluvio, ex dejecto nimirum viscerum tono quo statu die dicto obiit. Cadaver postridie apertum fuit sub præside *D. Evvaldo* A *Screvelio* M. Professore, præsentibus Medicinæ studiosis complurimis. Ea quæ præter naturam erant hæc erant præcipua. Aperto abdomine aqua reperta interius cavitate mediocri erat copia, multum enim ut antea dictum, natura aut per secessum aut per diadosin exoneraverat. Hepar à naturali statu non multum aberat nisi quod paulo pallidius: *sed lien tam* exiguus ut dimidiam magnitudinem, quæ reni naturali est, vix haberet, similiter flaccidus valde & pallidus erat, ipsiusque vasa quæ ad Portæ truncum & ventriculi fundum feruntur vix præ tenuitate conspicua. In *folliculo fellis* (qui tamen mediocrem Bilis quantitatem tenebat) *tres erant calculi* miræ constitutionis, unusquisque enim eorum

mori

mori fere figuram repræsentabat, nisi quod altius incisi erant, & partes ita sibi cohærebant ut uvæ rariores in uno racemo; cæterùm leves, nigræ, & friabiles, carbonis tenerioris instar.

Renes autem à naturali, magnitudine & situ ut non aberant, sic colore multum à naturali recesserant, *nam lactis fere instar albicabant*; quo ad vasa eorum in iis quo ad visum vitium non offerebat. Postea thorace aperto in ejus cavitate sinistra aquæ non nihil inventum, quæ & in pericardio debito plus abundabat; dextri autem lateris pulmo passim partibus continentibus erat adnatus totusque fœdo ichore scatebat, cujus vitia etiam in sinistro apparebant. *Cordis* autem *cavitas*, ut & *magna ejus vasa humore viscido, albo & tenacissimo infarcta erant*, adeo ut credibile talem & sanguinem in ipso fuisse. Hæc sunt quæ notatu digna in hoc fuere cadavere.

HISTORIA XX.

Mulieris An. 59. De Atrophia mortifera, concurrente febre tabifica, ex rarissima & practicis valde observabili viscerum omnium naturalium depravata constitutione, in structura, tono, & temperamento.

A*eltje Evvouts* annorum 59. cujus morbi historia hic antea conscripta est paginâ 6. ac tandem tabifica febri & alvi fluxu consumpta placidè animam exhalavit. Decembris 25. an. 1639. circa septimam vespertinam. Postridie cum cadaver aperiremus deprehendimus *hepar* flaccidius, foris pallidum *intus prorsus exangue*. In lobi sinistri parte supera juxta diaphragma *Steathoma callosum ovi columbini magnitudine*. Inferius arcte *coaluerat ventriculo*. *Omentum plane erat consumptum*, omni pinguedine illiquata à febris perenni calore. Colon admodum erat angustum, sed *vasa quæ per omentum colo & fundo ventriculi inserebãtur, calami anserini amplitudine erãt.*

Lien pallebat, palmi magnitudinem non excedebat, flaccidior & ex sanguis. *Vas breve quod ex liene ventriculo implantabatur, in duos ramos amplitudinis calami anserini divisum erat.* Ventriculus flatu potuque turgebat. *Pylori substantiam callosum Steathoma obsidebat; non tamen via in intestinum inde occludebatur:* nam etiam digiti insertionem admittebat. *Pancreas totum scyrrhosum firmiter piloro adnatum erat. Vena porta Steathomate calloso* premebatur superius inferiusque à Piloro & Pancreate. Pulmo pallidus luridis maculis sparsim oppletus erat. Pericardium aquam pallidam vix cochlearis quantitate continebat. *Cor erat flaccidum foris pallidum, intus exangue.* Uterus nucis juglandis magnitudinem non superabat sicuti solenni naturæ ordine in ejusmodi angustiam contrahi solet cum mẽstruo sanguine non amplius humectatur. *Atrophia mortifera* causa constiterat in maligna hepatis, viscerumque omnium naturalium intemperie: tum etiam interceptione nutricatus sub vitæ finem ex venæ portæ compressione: quippe hepar infirmum procreans sanguinem pravum & aquulentum reliqua viscera & cor ipsum ita infirmaverat, ut sanguinem quem ad nutrimentum officiumque suum recipiebant nec talem qualem recipiebant conservare, nec etiam in melius mutare possent. Unde deficiente vitali vigore in toto corpore, lenta febris exorta miserè miseram attriverat & tandem extinxerat. Etenim & ad eam ventriculi infirmitatem postremo deventum erat ut nihil alimenti aut medicamenti sustinere, aut retinere posset sed illico omnia vomitu expelleret.

HISTORIA XXI.

DAVIDIS JARVIS Scoti, annorum 28. extincti crudis tuberculis, quæ totum pulmonum parenchyma obsidebant, anno 1639.

CUM tandem post multas miseras afflictiones humanis miseriis exemptus esset *David Iarvis* noctu Januarii 6. postridie cadavere aperto deprehendimus *tabificam*

ficam mortis causam in Pulmone resedisse, quippe *totum parenchyma minutis tuberculis ex crudâ viscosâ materiâ oppletum erat*; ex quibus tenuior portio, quod subinde resudasset, & evacuata fuisset per urinas, oculari fide antea deprehenderamus, sicuti hîc in præcedentibus annotatum est. Nam inde respirabiles Pulmonum meatus partim infarcti partim compressi, liberam ventilationem calori vitali Cordis denegaverat. Concurrente simul malignâ putridâ qualitate, qualis se semper Pulmonum ulceribus associat, ut multiplex hoc Phthisicorum docet experientia. Etenim cum nullum sit viscus adeò calidum humidumque temperamento, nec complexione æque flaccidum, quotiescunque *putredinem concipit, ea insignem & peculiarem malignitatis gradum induit* ob Cordis æstum, tunc ab interceptâ ventilatione increscentem. *Eaque vel præcipua Atrophiæ in* A *Pulmonum Pthoe, sive corruptione, solet existere causa*, quoniam bonus sanguis ab Hepate procreatus pravâ illâ qualitate infectus, in nutrimentum partium converti nequit, tum ratione sui tum ratione ipsarum partium, quod etiam eadem intemperie infectæ impotentes sunt sibi assimilare alimentum. Accedit & *secunda* causa *in Phthisicis qui sanguinem spuunt, quoniam in illis ulcus ferinum instar feræ consumit & depascitur ac per anacatharsin eructat omnem bonum sanguinem* in pus conversum, qui ab Hepate per Cor pulmoni importatur. *Tertia causa febris est Hectica. In hoc a. ærumnoso ægroto, prima & tertia causa mortem intulere.* Erat etiam Pulmo Diaphragmati & Pleuræ in latre dextro arctè adnatus. In visceribus naturalibus nihil extraordinarii deprehendimus, nisi tantum *Lienem figurâ Triangulari*, tribus, scissuris, sive erenis in margine inferiore divisum.

HITORIA XXII.

Aperti cadaveris MICHAELIS FEDLER, Anno 1640. Martii 25. Hic ex diætæ pravitate in cachexiam & cacochymiam lethalem inciderar, aderat lienis nonnaturalis constitutio,& glandulæ magnæ comprimendo obstruebant venam portæ ejusque ramos.

M*ichael Fedler* Juvenis annorum 25. Germanus ex Misnia cum per sexdecim circiter menses quartana laborasset, non obstante eo quod diversis accommodatis remediis usus fuisset, ad superandam quam ex victu pravo contraxerat cacochymiam, tandem morbo medelam superante noctu inter 23. & 24. Martii decessit, fuitque hic ejus vitæ exitus, aliquot diebus ante mortem à corrupto viscerum tono pedes & crûra tumescere cæperunt, viresque & appetitus paulatim dejiciebantur, manebat tamen idem febris circuitus, cujus paroxysmum etiam noctę quę ipsi penultima fuerat passus est, sed & die subsequente ante vesperam novo eoque vehementiori paroxysmo correptus fuit, qui ipsum mane ante tertiam abstulit.

Aperto autem in defuncto abdomine hæc præcipue præter naturam deprehensa fuerunt. *Lien* præter solitum triplo major erat, flaccidus tamen & sanguine nigro ultra quam decet insuccatus; circa autem e- A jus arterias, earumque ramos ad ventriculum & ad portę *venam tendentes glandulæ erant multæ* quæ comprimendo ductus angustabant, & visceris hujus (ut facile colligere est) obstructionem faciebant, simulque febri huic dum viveret occasionem præbebant & omnium medicamentorum vires illudebant. Sed & hujusmodi aliquot glandulæ erant circa *vesicæ felleæ* ductum ad intestina tendentem, eumque ita comprimebant ut vix aliquo conatu instrumentis tenuissimis esset transitus; & harum *glandularum omnium maxima firmiter etiam portæ trunco ad finem pancreatis* nectebatur, adeo ut mirum non fuerit nutritionem ipsi defecisse, & icteritiæ paulo ante mortem signa se in mutato corporis habitu obtulisse; & alvum (de qua tandem etiam querulus fuerat) segniorem redditam. In thoracis dextra parte etiam modica aquæ quantitas colligi cæperat, pulmo tamen mediocriter habitus & liber; sinister autem pulmo passim partibus continentibus erat adnatus

tus, non corruptus quidem, sed flaccidior tamen & aquea spuma impletus. Reliqua quæ interius erant à naturali conditione non multum diversa erant.

HISTORIA XXIII.

Cadaveris dissecti EVERHERDI BERNARDI anno 1640. Huic hepar fœdissimo apostemate infectum erat.

Evert Baerentsen vir sexagenarius Leidensis, qui reparandis sedilibus victum quærere solebat, ex vitæ incommodis, aëre pluvio, & victus inopia, in cacochymam totius corporis constitutionem superiore autumno inciderat, inde obstructiones viscerum febresque, quibuscum colluctatus circa initium Februarii An. 1640. in nosocomium delatus est; Sed jam tum in tantum increverat malum ut omnia tam roborantia, quam purgantia, quę pręscribebantur irrita essent. Sed præcipue de summo dolore ad hypochondrium dextrum querulus semper erat, ab affecto hepate ut tum etiam facile conjicere erat, quia venter & præcipue pedes œdematoso tumore inflabantur Obiit in hoc statu decimo octavo Februarii; sed quia uxor *ipsi adhuc in vivis esset visum fuit non nisi ipsa consentiente cadaver aperire, quod in simili occasione semper ex mandato præfectorum nosocomii factum.* Rogata mulier respondit, quidni in defuncto hoc vobis concederem, quem viventem etiam sæpe diabolo vovi. Aperto cadavere statim mortis causa apparuit, *hepar enim conclusum in se habebat fœdissimum abscessum;* pure viridi, teterrimique odoris refertum, quod partim in abdominis capacitatem evacuatum erat, sed majore tamen sui portione adhuc intra cavitatem continebatur; ejusdem puris teterrimi pars omento & mesenterio innatabat,& utrumq; nigro colore tinxerat. In abdomine alia satis bene erant cõstituta,nisi quod exteriores omnium partium membranę eodem colore infectæ essent. In thorace mediocris aquæ quantitas erat, sed cætera secundum naturam, nisi quod pulmo paulo esset flaccidior.

HISTORIA XXIV.

Mulieris Annorum 22. miserè enecatæ tabifico hepatis empyemate; cum falsò opinaretur se in sexto ingravidationis mense versari ob abdominis tumorem, & flatuum motum. An. 1640.

Lysbet Gillis obiit Decembris 16. & postridie cadaver apertum est,in quo viscerum naturalium κακοπραγίαν malignamque constitutionem deprehendimus hepar totum in Empyema conversum erat, foris membrana integrâ existente, quę miseræ causa miserandæ mortis fuerat. Nam in pus album, crassum, fætidum, totum parenchyma mutatum erat.venæ tantum integræ restabant: adeoque inde hepar tumebat, ut variis in locis novacula conscissum & obtuso etiam instrumento leniter pressum, pus in adstantes studiosos prosiliret. Hepar ut triplo naturalem magnitudinem superabat; lienemque in similem molem excrescere coëgerat. Sed is durus erat, non tamen scyrrhosus,& in uno ac altero loco ad vasorum ingressum parvum purulentum apostema habebat. Quippe cum lien sit emunctorium primarium hepatis omnes ejus impuritates prolicit, & in se attrahit instar spongiæ, unde in omnibus hydropicis vitia lienis se ostentant priusquam hepatis appareant. *Scribente ideò Hippocrate, omnem hydropem generari præ existente prius vitio in liene*, quod intelligendum de symptomate tumoris aquosi. Nam quamdiu lien in spongiosam suam substantiam aquam attrahere potest ex hepate, tam diu adhuc nondum hepatis vis obruitur. Sed cessante eâ tractione cum aqua restagnat in hepate planè hæmatωsis obruitur & extin-

tinguitur, unde tunc in ſcyrrhum aut tumorem aquoſum adducitur: nec cum adhuc robore aliquo pollet, expellit in muſculos & partes externas unde generatur anaſarca, aut diffluit ex hepate in abdominis cavitatem & generatur Aſcitis: ſive illud fiat diſruptis veſiculis aquoſis quas Græci ὑδατίδας appellant, ſive per poros membranæ ſenſim emanet aquoſa materia ſive per diapedeſin vaſorum tranſſudet: Nimirum cum cauſa hydropis eſt frigus poſitivum. Sed cum eſt in cauſa frigus privativum, h. e. cum retorridus æſtus exurit parenchyma hepatis tunc rimis finditur, ſicuti ſub canicula ſæpè contingit in terrâ: ſed tunc aqua eſt citrina, febris major, & ſitis implacabilis. Uterus in hac muliere, quæ erat annorum 22. nec unquam pepererat, erat magnitudinis exilis ut in virginibus. *Vnum autem eximium animadverſum fuit, nimirum* A *plurima minuta plica, quæ os uteri verum ſive internum corrugant & conſtringunt quemadmodum conſpicue apparebant.* Miſera hęc ſibimet falsò ingravidationem imaginata erat, nam per ſex menſes maritata fuerat. Qui autem tumor in ventre in gravidationem mentiebatur, à mole hepatis & lienis & flatulento tumore inteſtinorum productus erat: & cum motum à flatibus in ventre ſentiret, fœtum viventem ſe commovere opinabatur. Viſcera vitalia ſicuti in hydropicis fieri conſuevit, erant flaccida; nam etiam bona copia aquæ abdomini innatabat, à labefactato tono & temperamento hepatis & ab eadem cauſa enata diarrhæa ipſam attriverat. In auricula dextra ventriculi, & in cavitate ejus ventriculi reſidebat craſſa, viſcida, conglomerata pituita ovi gallinæ magnitudine, quæ digitis protracta in longum extendebatur tenuiter cohærens.

HISTORIA XXV.

Cadaveris hydropici viri annorum 28. in quo hæc conſpicua fuêre. 1. Lobus parvus hepatis in ſima ejus regione conſiſtens valde magnus erat, unde crebro primò incipit emanare aqua hydropicorum in cavitatem Abdominis per tenuem & poroſam membranam. 2. Capſulæ atrabilariæ ſupra renes. 3. Coli inteſtini ligamentum quod ejus cellulas ſuſpenſas & apertas detinet. 4. Vaſa per omentum pariter ventriculi fundo & colo inteſtino inſerta, unde eorum eſt mutua ſympathia.

27. DEcemb. An. 1640. Apertum eſt cadaver *Iohannis à Viſchbach* Juvenis 28. annorum, quem ſuſtulerat Hydrops Aſcites enatus à frigore hepatis poſitivo, quod ei inpreſſerat ἀτονίαν deſtructo temperamento & tono naturali. Erat hepar inſignis magnitudinis, in parenchymate denſum & exſangue. *Parvus ejus lobus qui* in ſima regione conſiſtit, juſto major erat; Tenuiſſima autem membrana quâ tegitur per ſubſtantiæ ſuæ poroſitatem opportunitatem præbuerat effuſionis aquæ in cavitatem abdominis. nam hepar hydropicorum prægravatum ut plurimum per eam viam evacuationem inchoat. Concurrente etiam diapedeſi omnium venarum intra abdomen contentarum. Unde magna aquæ A copia Abdominis cavitati innatabat: & Thoracis etiam capacitatem impleverat: & habitus corporis totumq; genus muſculoſum etiam aqua erat prægravatum. Lien durus & ſiccus erat, majorq; quàm naturaliter oportebat. Vas breve ex ſima ejus parte ventriculo inſertum, manifeſtius ſpectabatur. Et ex ramo ſplenico, ubi lieni inſeritur, minor ramus procedebat, qui implantabatur capſulæ atrabilariæ, ei redundantem melancholiam importans, cum aliorſum à liene extrudi non poteſt. Evidenter etiam conſpiciebatur ex vaſe emulgente renis ſiniſtri (quod hic valdè erat amplum) vena producta quæ eidem capſulæ atrabilariæ inſerebatur, nam & per eam ſæpè in hanc glandoſam capſulam, veluti emun-

emunctorium renis, sanguis atrabilarius reponitur. Cum autem diutius ibi hæret atra bilis maligna, interdum ulcus cancrosum producit, quod vicina depascens & foras etiam proserpens miserabilem quandoque mortem infert, quod commemorat Leunclawius in Annalibus Turcicis contigisse Selimo I. Turcarum imperatori. Conspicuè etiam admodum cernebatur coli intestini ligamentum, quod per ejus longitudinem exterius protenditur loco medio: latitudinem habebat dimidiæ latitudinis digiti auricularis sive minimi. Cujus eximius est usus in cellulis coli in suâ structurâ continendis & firmandis, etenim divina providentia ita hoc intestinum fabricata est, ut non sit æqualiter exporrectum, sed cellulis variatum, quò fœces separatis locis continerentur & diutius retinerentur; nam alioquin si omnes fœces in planâ & exporrecta ejus cavitate hærerent diu alvus contineri non posset, sed quolibet die sæpius homo fœcum excretioni vacare cogeretur. Quippe uno in loco magna copiâ simul congesta pondere, & acris qualitatis irritamento, subinde excretricem vim sollicitasset. Spectabatur etiam admodum evidenter, vasorum ex venâ Portæ oriundorum insertio pariter in fundum ventriculi & colon intestinum, mediante Omento. Quod valdè observabile ob sympathian quæ ventriculo & colo per ea contingit. Nam fœcibus in colo restagnantibus exilit teter vapor in ventriculum, in ejus superiori orificio, sive stomacho, appetitum destruens, siquidem vapores sint calidi: aut si A existant frigidi, eum depravant in appetitum caninum, quod rarâ & memorabili historia à Gemma Frisio in Cosmocriticis comprobatur. Narrat fuisse mulierem quæ noctu, & interdiu singulis ferè horis comedere cogebatur, & ni faceret, in lypothymiam trahebatur. Vulgus fabulabatur ipsi aliquando Lutram per os irrepsisse in ventriculum, ibique hærere vivam. Sed post mortem aperto cadavere, colon intestinum valdè distentum deprehensum est, totumque vitreâ viscidâ pituitâ flatuosâ repletum: unde frigidi acerbi vapores in stomachum insilientes, adeò molesti morbi causa extiterant. Quod si autem langueat ex alvinæ evacuationis defectu appetitus, docet ipsa ratio lenibus remediis bis terve in se-B ptimana naturæ defectum esse adjuvandum, qualia sunt pilulæ de aloë rosatâ, pilulæ pestilentiales rufi, pilulæ de hiera cum agarico, aut hieræ mellitæ uncia cum trochiscorum alhandal ℈ß. aut specierum diacarthami ʒß. dosis pilularum est una cum ex ʒj. fiunt 7 vel 9. idque in principio cœnæ, ita ut jusculum, aut pruna aliquot cocta cum passulis corinthiacis statim superingerantur. Dosis autem hieræ est parvæ castaneæ quantitas, semi horam ante cœnam aut prandium, eodem modo usurpata. εὐπόρισον autem est in corporibus nulla insigni intemperie affectis, ut ex sola aloë rudi, & non præparata, sed socoturina pura & lucida, fiant pilulæ 7. aut 9. ex ʒj. & bis terve in septimana assumatur una, modo jam dicto. estque hoc remedium convenientissimum studiosis qui sedentariam agunt vitam.

HISTORIA XXVI.

Ex Pleuropneumonia empyema Pulmonis, & Thoracis. Pleura callosa, Pulmo dexter consumptus. Pericadium Cordi adnatum, & aqua vitalis absumpta, omentum fere consumptum. Historia Cadaveris JACOBI COBIER, quadragenarii in nosocomio Leidensi dissecti 6. Novemb. An. 1641.

I*acobus Cobier* Walo, lanificio victum A quæritans, initio hujus anni in morbum acutum thoracis inciderat, cui medicinam non fecit, ex quo materia morbifica retenta pulmonem labefactavit. In tussim, dyspnæam, & cachexiam, incidit, & quia pauper erat, in nosocomium delatus est: ibi gravescentibus malis in ista miseria ultra tres menses decubuit; & licet adhibita essent commoda medicamenta tamen in

thisin & summum gradum Hectices incidit. Quinto Novembr. defuncti cadaver postridie ex authoritate D. Professoris *Schrevelii* in commune commodum Collegii practici dissecui. *Pulmo dextri lateris pleuræ validissime erat adnatus; ipsaque pleura supra modum crassa:* ut facile conjicere fuerit hic morbi initium & focum fuisse: nam *totus ibi pulmo fœde consumtus erat, & vix præter vasa & filamenta quid restabat. Totam cavitatem fœdissima sanies implebat*, cui similem aliquot septimanas ante obitum rejecerat. *Sinister pulmo etiam aliquantum corruptus, aqua* spumosa impactus, & exiguis aliquot vomicis refertus erat. *Cor* simul cum suis vasis fere *exangue, & pericardio firmissime passim adnatum erat, adeo ut nihil prorsus liquoris ibi resid uum.* Viscera naturalia non aliter à naturali statum declinaverant, nisi quod omnia flaccida, pallida & sanguine destituta; & *omentum fere consumtum.* Totius verò corporis extrema cernebatur macies, adeo ut de carnibus nil præter filamenta restaret, ipseque ante obitum vivus χίλετ@ appareret.

HISTORIA XXVII.

Aneurysma lethale sub clavicula sinistra. Historia cadaveris JOANNIS PAULI exrupto aneurismate defuncti 13. Novemb. An. 1641.

I*Oannes Pauli* Leidensis faber lignarius arti fabricæ seu fabro lignario operam præbens, homo ebriosus, & potationibus crebris indulgens, circa LII^um. ætatis annum in aneurisma incurabile incidit.

Anno 1640. circa autumnum cum supra modum inebriatus fuisset, postridie anxietate quadam pectoris corruptus fuit, quam primo negligebat, & consueto more vivebat. Circa initium sequentis anni 1641. Tumor cum valida pulsatione circa claviculæ sinistræ & sterni *conjunctionem* sub ortus est, quem paulo post diversis chirurgis inspiciendum dedit, qui omnes aneurisma esse judicabant, idque incurabile, eò quod ab internis initium sumserat. Medicina ea tantum adhibita fuit, quæ sanguinis calorem mitigaret, & quantum possibile, tumoris incrementum impediret. Sed omnia frustra, nam tumor in tantum increvit ut exterius pugni magnitudinem multum superaret, & interius respirationi non leve impedimentum afferret. XII. Novembris circa vesperam per tussim incepit rejicere grumos nigri & concreti sanguinis unde tumor multum imminutus fuit: sed cùm continua ea sanguinis esset excretio, summo mane vitam finiit. Cadaver consensu uxoris postridie in ipsius ædibus apertum fuit à M. Everhardo à Leeuwswyck Chirurgo ordinario. In thorace statim sese conspectui dedit dilatata arteria aorta ascendens, cujus paulo supra divaricationem tanta erat amplitudo, ut duas libras sanguinis, & ultra capere posset. Adeoque iste tumor ad latus asperæ arteriæ increverat antrorsum, ut cuti proxima esset ipsa arteria. Sed ea ipsa in loco sub aspera arteria exesa videbatur, simul & postica pars asperæ arteriæ, unde suprema ipsi nocte ea sanguinis evacuatio. Quæ tamen non confertim processit, uti plerumque in ruptione aneurismatis fieri consuevit; ideoque videtur verisimile ob summam ægri debilitatem, sanguinem in tumore contentum refrigeratum atque concretum fuisse. Viscera vitalia prorsus naturali modo constituta erant.

HISTORIA XXVIII.

Cor quadruplo naturalem magnitudinem excedens, bubuli cordis amplitudine, ex nimiis in corporis teneritudine helluationibus, unde oborta tandem mortifera palpitatio anno 1641. Historia NICOLAI à SONNEVELT Juvenis Annor. 22.

N*Icolaus à Sonnevelt* ex antiqua familia Leidensi natus circa duodecimum ætatis annum ex febre quadam acuta evadens, aliquandiu valetudinarius vixit. Nam exin-

exinde fere per sexennium diversis malis obnoxius fuit, diuturnæ lienis obstructioni, crebris ex naribus hæmorrhagiis, cephalalgiæ, multis catharris, & tumoribus strumosis in collo. Ad XVIII. ætatis annum cæpit bene valere, sed morosus valde manebat, qualis in adversa valetudine semper fuerat. Circa vigesimum annum crescente in ipso robore, à patruo ipsius qui pannis prȩparandis operam dabat, ad idem opificium delegatur. Ubi mox à suis commilitonibus ad crebras compotationes invitantibus, rursus cȩpit male habere. Primò in crebras cordis anxietates incidit; postea in lypothymias, & inde cordis palpitationes. Cibi potusque erat avidissimus, sed comestum sæpe regerebat. Unde debilitas sequuta ipsum decumbere jussit. Tum prædicta mala quotidie augescere, atque *palpitatio tanta suborta fuit*, ut in vehementiori A animi commotione, ab astantibus audiri posset; quod ipsi tum valde dolorificum erat. XX. Decemb. An. 1641. è vita decessit, & cadaver, impetrante id à consanguineis D. Joanne Eleman M. D. à me, & Jacobo Vromans Chirurgo apertum fuit. In abdomine quidem omnia naturali modo constituta reperiebantur. Sed thorace aperto inventum *fuit cor bovino non multo minus, quippe communem magnitudinem quater circiter excedebat.* Increverat autem cor æqualiter fere circa substantiam & cavitates, ipsaque substantia naturali erat solidior. Sed in villis sexti intermedii *tres calculi reperiebantur pisi circiter magnitudine, non admodum adhuc solidi, sed arenacei, & novacula cedentes.* Pulmones satis bene habiti, sed utrique lateri paulum fibrillis quibusdam adhærentes quod ob angustiam pectoris, à cordis incremento ita, contigisse videtur. Reliqua ineò naturalia.

HISTORIA XXIX.

A*Eltje Vergraft*, Anno 1617. Septemb. 20. Nocte præcedente febris ardens apprehendit *Aeltjen Vergraft* filiam unicam *Timonis vander Graft*, nuptam *Cornelio Sprong*, cognatam meam, fæminam patriciam. Conquerebatur de capitis gravedine & diuturna molesta tussi, id quod sibi naturale esse dicebat ut nihil expectorare fere posset, educere quidem usque ad asperæ arteriæ summum catarrhos, sed exspuere non posse. Præscripsi in diem sequentem hoc pharmacum, nam biduo aluum substitisse afferebat, ℞. Rhabarbari opt. ℈j. cinnamomi ℈ß. macera tota nocte in decocto florum & fructuum. Mane colaturæ ℈jß. adde syrupi violati solutivi ℥j. olei vitrioli gut. iiij. hinc F. haustus. Inde habuit die sequenti xxj. sedes quinque. Sub noctem febre ingruente præscripsi apozema ex tamarindis, rad. asparagi, & cichoraeis passulis & prunis & syrupo de acredine citri. Inde de nocte bibit fere ℥x. & habuit dejectiones Lx. sine ullo levamine. Postridie die xxij. cibari jussi, & apozema ex cichoraceis cum floribus cordialibus & oleo vitrioli, ac siru-po de acredine citri dedi. Et de nocte bezoardicum cum hypnotico. Nocte autem diem xxiij. sequente habuit validum paroxysmum, & quod esset febris ardens conti- A nua cum exacerbatione tertianæ ostendit manifeste & plurimas habuit symptom. dejectiones. Die XXIV. vires valde prostratæ, bezoardicum dedi. Hoc die, & nocte sequenti qua habuit novum paroxysmum ac die XXV. plurimæ diectiones symptomaticæ, & vigiliæ quales à morbi principio perennes fuerant, continuæ. Die xxvj. de summa circa cor angustia conquerebatur, & respirationem anxius ducebat, de more novus paroysmus. xxvij. vires prostratæ, vigiliȩ continuȩ, febris sine intermissione, lingua arida, sitis immanis, aluus adstricta. Die xxviij. alvus rursum soluta sed sine levamine, respirationem sibi intercipi con- B querebatur, & dolorem in laryngis summitate se sentire ajebat, bene tamen deglutiebat. Quare in suspicionem venimus anginosi quid adesse à summo totius corporis æstu musculis laryngis, naturâ turgidioribus, arefactis & inflammatis Quare secuimus sub lingua venas, sanguis fluxit satis copiosè. Sed omnia frustra. vesperi novus paroxysmus qui ipsam strangulavit hora noctis secunda. Urina toto morbi tempore coloris naturalis, sed confusa. Aphthæ nullæ. De angustia circa cordis regionem, & in thorace conquerebatur perpetuo & venæsectionem postulabat, semper,

sed ob virium summam imbecillitatem à continuatis symptomaticis dejectionibus, vigiliis & inedia, ejus occasio erat nulla.

HISTORIA XXX.

PEtrus Balen, Leydensis studiosus Theologiæ in Collegio Ordinum Hollandiæ juvenis annorum 24. modestissimus, pius, & diligentissimus, erat natura tenui valetudine, catarrhis, dentium dolori, & gutturis angustiæ obnoxius. is anno 1624. in Februario cepit esse querulus de colli rigida duritie. Fuerat hyems asperrima, & ille caput contra brumalem injuriam obdurare voluerat in museo studens detecto capite & fenestris apertis. aluus ei erat adstricta. Is tumor sensim increvit adeò ut tandem in Majo ad tantam duritiem & tumorem totum ei collum adduceretur ut nihil amplius fere deglutire posset. rigebant musculi mastoidæi, totumque collum instar saxi, à viscida materia quæ etiam adeo œsophagum comprimebat ut nihil tandem ne quidem liquidum etiam deglutire posset. Varia emollientia fuere applicata, etiam instrumentum per œsophagum immissum sed cum magno doloris tormento quoniam latera œsophagi valde connivebant angustata & compressa ab incubitu crassæ ejus materiæ. Tandem ad pepasmum materia devenit, & foris ad jugulum versus latus sinistrum ruptum est apostema unde ingens materiæ copia profluxit. liberius tunc incepit deglutire, sed febris eum apprehendit continua: nam maxima materiæ copia ei in thoracem defluxit, ibique computruit, & febrem putridam continuam accendit: quæ viribus omnibus exhaustis eum abripuit an. 1624. Junii 20. A mane hora 2. adstante D. Festo, cum conjuge. Vox ei & mens integra ad ipsum usq; momentum quo animam efflabat, perpetuo fixis in cęlo oculis, & manibus extensis Salvatorem jugi prece ardentibus votis invocans. Biduum ante mortem per foramen apostematis in jugulo etiam prodibat aliquid potulentæ materiæ cum biberet, nam œsophagus erat exesus à materiæ putrilagine. Sed Arteria Aspera erat intacta & integra, nam vox & respiratio sine dolore libere procedebant. Eodem die quo obiit à prandio hora secunda fuit cadaver apertum à *M. Ioanne Lamberti*, adstante D. *Festo* cum uxore & aliquot studiosis Theologiæ, ac Vorstio utroq; musculi colli omnes erant corrupti ut & œsophagus idq; digiti longi- B tudine, infra cartilaginem scutiformem incipiendo & deorsum eundo. luridus lividus nigerq; erat omnium partium color, excepta Arteria Aspera quæ erat integra. plurimum materiæ crassę amurcosæ & subcineritio colore præditæ hærebat circa musculos & œsophagum, œsophagusq; ibi ubi color mutaverat, valde connivebat à materiæ compressione, & calli duritiem contrahere inceperat. vehementer ea materia fœtebat. Deglutitionem igitur impediit tum angustia œsophagi à materię compressione, tum ejus callosa consistentia quæ se contrahere & cibum apprehendere non poterat. vasa omnia erant integra, pectus non fuit apertum. Oesophagus supra & infra, ubi occallescere desinebat, erat liber & apertus.

FINIS.

